

SOCIETAS JESU APOSTOLORUM IMITATRIX,

SIVE

GESTA PRÆCLARA

ET

VIRTUTES EORUM,

QUI

è SOCIETATE JESU

In procurandа ſalute animarum, per Apoſtolicas Miſſiones, Conciones, Sacramentorum Miniſteria, Evangelij inter Fideles & Infideles propagationem, ceteráque munia Apoſtolica, per totum Orbem terrarum ſpeciali zelo deſudârunt.

Collegii Premisliensis Soc: JESU

AUTHORE

R. P. MATHIA TANNER è SOCIETATE JESU Doctore Theologo,

emptus à R. P. Fran: Trebicki 1706.

PARS PRIMA

Societatis JESU Europææ.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, per Adalbertum Georgium Konias, Factorem. Anno M. DC. XCIV.

Admodum Reverendo Patri in Christo Patri Nostro

THYRSO GONZALEZ SOCIETATIS JESU Præposito Generali.



Ui laureatos, proprióque sangvine purpuratos Societatis Nostræ Heroës, fortissimos pro Christo *Martyres*, multis impulsus argumentis, Supremo tum Universæ Societatis Moderatori, Admodum Reverendo Patri Nostro Joanni Paulo Olivæ dedicavit, idem ipse posthumi & nobilissimi operis hujus Autor (quantum quidem requiescentem jam in pace mentem ejus interpretari possumus) Illustres alios ex Eadem Societate Viros, omni imprimis Virtutum genere conspicuos, omniúmque Gentium præconio dignissimos *Confessores*, non alteri, quàm Admodum Reverendæ Paternitati Tuæ deferendos putâsset. Et ubi triumphales Eorum, profusóq; sangvine partas Laureas, pulcherrimis de causis, Olivæ rectissimè sociari animadvertit; pretiosas Istorum maximis meritis comparatas Gloriæ Aureolas, Tibi nunc Ejusdem Societatis Primo Capiti optimè convenire, deberíque æstimâsset. Imò: quanquam isthoc, quem jam diximus, Summæ in Societate Dignitatis Titulo, qui meritis Tuis unicè debebatur, non clareres, multos tamen Libri Autor alios, eósque insignes Titulos in promptu habuisset, quibus omnibus Opus istud ob multiplicem præsertim eámque lectissimam materiam, præclarissimis gestis Tuis prorsus affinem, Tibi convenientissimè deberetur.

Ut obiter Autoris mentem, quoad licet, interpretemur: ſcivit Vir doctus, & ſapiens: præclaras, & ad ſumma quæque natas Indoles nullis facilè Faſtis jucundiùs oblectari, quàm ſi in ijs res tales lectitandæ penſandæque offerantur, qualibus à ſe ſe jam præſtitis, ipſæ longo jam uſu eſſent aſſvetæ, vel deinceps, Majoribus etiam, præſtandis toto animo intentæ. Atque hinc fortè Magnus ille Macedo tanto in pretio Homerum habebat, quem non modò in pretioſiſſimo ſcrinio, ſed & in manibus oculíſque (non obſtante aut obturbante perpetuo bellorum tumultu) aſſiduè circumferebat; quòd magna illa Magni Achillis geſta venuſtiſſimè decantaret, quibus paria ipſe quoq; jam geſſerit, & quibus majora (nè minor illo videretur) animo jam deſtinârit. Nimirum Magnitudinem ſuam (quanquã non omnino, ùt par erat, tam puro fine) ad Achillis fortitudinem menſurabat; ut deduceret, quantô fortiſſimum illum Græciæ Heroëm, in bellandi præſertim gloria, jam attigerit, quantô deinceps eminere poſſit.

Quod ſi itaque præclariſſimarum mentium ejuſmodi eſt ingenium, ut ſimilium rerum, quales jam peregerant, aut etiam majorum, quas peragere meditantur, opportunâ memoratione mirificè oblectentur; Autórne Opus iſtud, rebus ſanè memorabilibus, quibus geſta Tua multipliciter concordant, refertiſſimum, Tibi Honoríque Tuo inſcribendum dubitâſſet? cùm præſertim, ùt erat Vir mirâ quadam cuilibet gratificandi facilitate ab ipſa natura comparatiſſimus, Tuíque imprimìs obſervantiſſimus, pio cuidam Tibi faciendo guſtui ſtuduiſſet?

Leges utique in hoc præclaro Volumine præclara plurima, qualia Ipſe jam peregiſti. Speculum habes, in quo Te ipſum intueare. Ubi plurimarum paginarum lineas legendo percurreris, ipſa ante oculos Tuos Virtutum Tuarum expreſſa lineamenta ſpectabis. Invitus putabis de Te dici, quæ de alijs prædicantur; aliorum elogia legendo, nolens volens Te cum illis confundes, cùm de illis dicentur, quorum Tibi Ipſe conſcius eris; miraberis denique: ſub aliorum Nominibus Virtutes Tuas promulgari, quas tegere fruſtrà laboras.

Quid? quòd ingens Hiſtoriæ hujus pars Ipſe fores, niſi benignâ cœli diſſimulatione, pro communi totius Societatis bono, adhuc dum in terris relictus, nobíſque conceſſus eſſes. Quantum enim imprimìs de Te nobis dicendi campum aperirent vaſtiſſimæ illæ Regnorum Hiſpaniæ Regiones? quas undecim annorum curriculo Sacras Expeditiones (quibus in Hiſpania nihil celebrius) obeundo; quà ferventiſſimè prædicando, quà laborioſiſſimè catechizando, cùm ſumma Sedis Apoſtolicæ approbatione, ſingulari Regum Hiſpaniæ ſolatio, incredibili animorum proventu, nec minori Societatis commendatione fructuoſiſſimè excoluiſti? Quantum inſuper, quod huc ſtatim pertinet, eſſet

esset & istud? quòd, cùm celebrem illam in Salmanticensi Academia Theologiæ Cathedram in decimum jam annum summa cum gloria moderaris, eo ipso tempore, Divino quodam repentè Spiritu afflatus, mirantibus amicis omnibus, Te ipso repentinam mentem Tuam vix sat capiente, tanto earum Expeditionum desiderio exarseris, ut finem rogandi non faceres, donec ad eas Evangelicæ prædicationis, & Apostolicorum laborum Palæstras, in quibus Zelus Doctor est, transeundi potestatem impetrares, ratus: Te Ignatiano, Xaverianóque Spiritui (quo jam tum, eóque jam adulto plenus eras) haud satis æquè responsurum, nisì de pulpito in trivium prosilires, ab Academia ad vicos, & tuguria abires, & qui ad instituendos Academicos summo cum plausu sapientiæ Oracula fundebas, ad erudiendos pusillorum rudiúmque greges, in spiritu Humilitatis, prima Fidei rudimenta explanares. Quo quidem in Apostolico munere, quid egisse poteras majus aut inexpectatius? quàm spatiosissimas quinque Archi-Episcopatuum, vigintíque omnino Episcopatuum Diœceses indefesso labore percurrisse, tantos terrarum tractus sacrâ Divini Verbi semente, cum uberrima deinde ex tot Populis reportata fructuum messe, inspersisse, nullúmque pœne fuisse tam remotum, támque obstrusum Hispaniæ angulum, quo ardentissimus Zelus Tuus non penetrârit?

Nihil hîc verò attingimus de priore illa supráque spem omnem felicissima Expeditione, quam labentis seculi anno septuagesimo Malacam profectus, adversùs Mahumetanos, eósque Mauros suscepisti. Nihil putabare effecturus difficilius, nihílque prodigio similius, quàm si ex Gente illa, & genio, & sermone perquam barbara, ob inveteratam præsertim in nigris illis pectoribus duritiem, & proterviam, vel unum ab insanissima secta revocâris. Postquam tamen ad eos fortissimè perorare cœpisti, oratione mox primâ ternos, alterâ quinos, denos tertiâ, deinceps per complures vices centenos felicissimè revocâsti; è quibus ternos supra tricenos, maxima cũ solennitate, ab Ipso Illustrissimo D. D. Malacensium Antistite, uno die, Malacæ Sacro Fonte ablutos, cùm deinde alios octo supra vicenos de ceteris electos, Illustrissimus D. D. Hispalensium Præsul Ipse quoque Hispali proprijs manibus abluendos suscepisset, tantâ id celebritate, tantáque novitate agitatum esse memorant typis vulgatæ litteræ, ut jam inde, à quo Ferdinandus Rex Castellæ Sanctissimus charissimam Urbem illam è manibus Saracenorum vindicavit, illâ celebrius nihil, majoréque pompâ & fastu apud se peractum meminerit nihil.

Ab undecennali autem illa per Universam Hispaniam Missione, cùm Majorum arbitrio Salmanticam ad repetendam Theologicam Exedram tandem revocandus viderêre, quam compluribus deinde annis titulo Primarij ac Emeriti Professoris meritissimò decorâsti, quibus

machinis, & pijs (ùt ità dicamus) dolis utendum erat, tecúmque pœne pugnandum? ut abstersô ex pedibus Evangelicæ Prædicationis tantisper pulvere, ad destinatos Tibi honores redires? nè videlicet tanto Sapientiæ lumine Salmantinum Athenæum diutiùs vacaret? Cúmque illi fortiter urgerent; Tu, quoad licuit, fortiùs repugnares, quid evadebat certius? quàm: utro ex duobus, Zelóne inter populares in Trivijs, an Sapientiâ inter Doctores in Academijs pro DEO, Ejúsque Sanctæ Ecclesiæ incremento ampliùs posses, prorsus esse incertum? Conspirabat tum cum Zelo adversùs novos honores Tua Modestia, & nisì Sapientiæ fortior omnibus Obedientia in suppetias accessisset, Zelus cum Modestia vicissent. Junxêre tandem etiam post Victoriam amicas manus (quas Ipse copulâsti) victus Zelus cum Victrice Sapientia, & estò doceres, solíque uni Sapientiæ impendere Te posse videreris, neutri tamen defuisti, utrique Te miscuisti, utrique commodâsti, domi Sapientiæ vacando, foris Zelo laborando, sæpe Regum voluntate, sæpe Principum rogatu, sæpe Moderatorum nutu; sæpe Tuópte motu, jam in ipsam Regiam Madritum, jam Hispalim, jam Segoviam, jam Pintiam, jam Mirobricam, jam Arevacam ad pristinas Missionum functiones regressus, uberrimísque pro DEO & Populo laboribus perfunctus. Et quod mirum! neque Zeli exercitijs obturbabat domi negotiosa Sapientia, neque negotiosis Sapientiæ otijs foris Zelus obstrepebat. Imò: quid mirum hoc erat apud tam facilem Virtutum Hospitem? apud quem amicissimè conveniunt Virtutes omnes?

Ceterùm: Zelúsne? an Sapientia plus Tibi debeat? quis decernet? utrique tanquam uni soli vacares, etiam cùm domi solummodò laborares, pariter laborâsti. Habet Sapientia, quæ pro se producat quaterna à Te in lucem edita Theologiæ Scholasticæ Volumina (ut alia alterius generis omittamus) quæ meram, eámque profundissimam, & subtilissimam Sapientiam loquuntur. Sed habet & zelus quas item typis excusas, pro domo sua, próque amplificando Regno suo, binas adferat lucubrationes; quarum alterâ ad heterodoxorum, alterâ ad Mahumetanorum conversionem sapientissimè simul ac facillimè manuducis. Quare: Zelóne studiosior? an Sapientiæ solertior fueris? quis decidet?

O quæ alia, quantáque de prægrandibus meritis Virtutibúsque Tuis huc adferre possemus! nisì brevitati, ac imprimìs Modestiæ Tuæ consulere satiùs duceremus. Atque ut compendio omnia dicamus; Meritis Tuis, Zelóque præsertim, ac Sapientiæ Tuæ debes, quòd Sanctissimi PATRIS NOSTRI, Conterranei Tui, primùm quidem in Indole & Virtute, deinde & in Dignitate Successor, ad Suprema Universæ Societatis, quam in Spiritu Loyolæo sapientissimè gubernas, gubernacula sis evectus. Debes ijsdem: quòd quo die Patrum suffragijs hæc

in Te Dignitas eſt collata; ſimul Pontificio vivæ Vocis Oraculo proditum, confirmatúmque ſit: Virum, cui tanta Univerſæ Societatis moles innitatur, electum eſſe omnino digniſſimum, & capaciſſimum. Magnum Encomium! ab Innocentio XI. Sanctiſſimo, eóque Patre profectum; cujus encomijs, quia mundus non ſufficit, Cœlum ipſum per prodigia laborat.

Vidéſne jam Admodum Reverende Pater ex his, quæ diximus, obiter duntaxat perſtrictis, plurimíſque, quæ dici poſſent, conſultò neglectis? ſi dicenda de Te hîc omnia forent, quàm longè Volumen iſtud Te ipſo extendiſſes? in quo inſuper tot, tantáque leges, quæ à nobiliſſimis factis Tuis prorſus non abludunt. Et alienúmne quid ab Autoris mente fecerimus? ſi in manus Tuas deferatur?

Habe ergo, habe hoc Opus, plurimis, ùt vides, Titulis Tuum, Tibíque planè debitum. Quod dum reverentiſſimè offerimus, ſimul concordibus Votis precamur, ut Divina Majeſtas (cujus amplificandæ Gloriæ uniciſſimè ſtudes) cùm pro Ejuſdem, tum etiam pro hujuſmodi Faſtorum incremento, Admodum Reverendam Paternitatem Tuam vivere, & valere jubeat quàm diutiſſimè.

Itàprecatur

Admodum Reverendæ Paternitatis Tuæ

Obſequentiſſima

Provincia Bohemiæ Societatis JESU.

JACOBUS WILLI, SOCIETATIS JESU
Per Provinciam Bohemiæ Visitator & Præpositus Vice-Provincialis.



CUm Librum, cui titulus est: SOCIETAS JESU Apostolorum Imitatrix, à Patre Mathia Tanner nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate à Patre Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut Liber Typis mandetur. In quorum fidem has literas manu mea subscriptas, & sigillo Officij mei munitas dedi. Pragæ ad S. Clementem 18. Martij Anno 1694.

(L.S.) JACOBUS WILLI.

PROTESTATIO AUTHORIS.



INsistendo Decreto SS. D. N. URBANI VIII. ejúsque confirmationi ac declarationi, observantiâ, ac reverentiâ, quâ par est; profiteor haud alio sensu, quidquid in hoc Libro in laudem cujusquam refero, quod speciem Sanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nitantur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Catalogo adscripsit.

S. P. IGNA-



S: Ignatius de Loyola Hispanus, Fundator Soc: IESU, et Dux eorum, qui portarent SS: Nomen coram gentib. et populis infideles ad Fidei cognitionem, hæreticos ad ejus Unitatem revocarent. Urban. VIII in Bulla Canoniz: ejg. Obijt Romæ 31 July 1556. ætat: 65.

1. I. Kilian Sc.

S. IGNATIUS DE LOYOLA
SOCIETATIS JESU FUNDATOR.

DUm IGNATIUM Societatis JESU Fundatorem nomino, Virum hòc ipsò assero Apostolicum, & Apostolorum non tantùm indefessum æmulatorem, sed vivum eorum vitæ speculum, & in alios spiritûs ejusdem propagatorem Antesignanum: *quem prælegit DEUS*, verba sunt Urbani VIII. in Bulla de ejus canonizatione, *ut eorum Dux foret, qui portarent ejus SS. nomen coram gentibus & populis, & infideles ad veræ Fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent.* Quare sicut in bello felices præliorum eventus, trophæa de urbibus, victoriæ de hostibus reportatæ, & omnis militum gloria ac præclarè gesta, meritò Duci adscribuntur, à cujus militari arte, aciei directione, & impressionum dispositione, magìs quàm ab armis & gregariorum manibus proveniunt: ità quidquid triumphorum de gentibus cum Sociorum cohorte reportavit in Asia S. Xaverius; quidquid spoliorum in America de idololatris retulit cum fortissima legione Josephus Anchieta; quidquid in Africa de Mauris, Schismaticis, & Mahometanis trophæorum statuit

cum suis Andreas Oviedus; quidquid deniq; per Europam à reliquis commilitonibus benè & præclarè gestum est inter Catholicos, prosperè depugnatum in hæreticos, totum IGNATIO imputandum est, & omnis gloria illi adscribenda, qui & militem omnem conscripsit, arte militari exercuit, arma tractare, ordines & signa observare, in hostem procurrere, receptui canere docuit, Duces, Tribunos, Chiliarchas auctoravit, exercitum in legiones, cohortes, & manipulos divisit, aciem ordinatissimè direxit, tesseram proposuit, in hostem denique immisit, & primus impressione factâ aciem inimicam impulit, turbavit, disjecit. Quæ omnia verissimè IGNATIO attribui ex dicendis evadet manifestum, quibus virtutes ejus privatas & decora breviter perstringere contenti, ea ferè sola prosequemur, quæ Apostolorum sunt propria, & ab ipso in procuranda animarum salute primùm in se ipso ad vivum expressa, deinde in Instituto divinitus sibi inspirato tam aptè Socijs præscripta, ut aptius & efficacius vix aliquid ad gloriam DEI, & Fidem Christi in omne genus hominum propagandam excogitari posse videatur. Adstruentibus idipsum diversorum Pontificum oraculis, Greg: XIII. in Bulla *Ascendente Domino*: ubi cùm dixisset præcipuum Societatis finem eundem esse qui Apostolis fuit, *Catholicæ Religionis propagationem ac defensionem, animarúmque in Christiana vita & doctrina profectum*, subjungit: *ad quem finem spiritus S. Ignatij excitator, media quoque, ac cujuscunque ministerij usus aptissimos accommodavit.* Sic ut non dubitaverit Patres nostros alloquens edicere: *nihil ferè in præsentia melius est, quàm vester hic Ordo sanctus, verè inquam sanctus, qui est à DEO adversùs hæreses institutus.* Cujus proinde felicem statum ad totius Ecclesiæ incolumitatem pertinere agnoscens Greg: XIV. in Bulla *Ecclesiæ Catholicæ*: *Religio*, inquit, *Societatis JESU quam divina Providentia excitavit, adeò strenuè laboravit, ac sinè intermissione laborat, ut illius turbationem vel infirmitatem, ad commune Ecclesiæ damnum vel pacem; atq; integritatem ad ejusdẽ utilitatem maximè pertinere putemus.* Ut adeò Clemens VIII. consueverit eandem *dextrum Ecclesiæ brachium* appellare.

Natus fuit Ignatius Anno 1491. Loyolæ in Hispania, Parentibus nobilissimis Beltramo, Loyolæ & Ognes Domino, & Marinâ Saëziâ Baldâ, ex octo masculis & tribus fœminis prolibus ultimus, ad incarnati DEI & Matris Virginis venerationem in stabulo genitus. De nomine in baptismali lustratione imponendo disceptantibus domesticis, & in Beltrami parentis nomen inclinantibus, neonatus novo prodigio in has articulatas voces prorupit: *Ignatius est nomen meum.* In ore infantis Prophetæ jam tum prædicente DEO, ignem se in terram missurum, ut accendatur. Ab infantia animum excelsum prætulit, in quo cuncta cerneres, quibus pueri nobiles spem sui magnam faciunt: ideóque velut Aulæ & Militiæ natus, in ipsa pueritia traditus est Ferdinando Regi Castellæ in honorarium ephebum: in cujus domesticis obsequijs aliquot annos exigens, vulgato fratrum suorum bellicis in rebus egregio robore pungi cœpit, otiúmque Aulæ cum tædio ferre, & militiæ desiderium Antonio Manrique Duci Nagaræ explicare. Is bellicosum Juvenis ingenium complexus, propinquitate etiam sanguinis impulsus, erudiendum suscepit quotidiano armorum ludo; in quorum tractatione brevì ità profecit, ut militiæ adscriptus, & per omnes illius gradus parendo primùm, deinde jubendo, ad prima militiæ stipendia evectus, fortitudinis famam ubiq; collegerit. Trigesimum ætatis annum adeptus, præsidio cum milite imponitur Navarræ Regni metropoli Pampelonæ, quæ magno Gallorum exercitu obsidione pressa cùm defendi non posset, in arcem se cum milite recipit, volentémque timidè cum Gallis pacisci Præfectum in officio continet, cadere fortiter, si belli sors ferret, eligens, quàm turpiter cedere. Indè militem ad fortiter resistendum hortatus, propugnaculum sibi tuendum deligit, quà maximè fervebat hostium impetus ad ascensum; id quia vehementissimè Gallorum machinis quatiebatur, vicini muri ex margine revulsus globo lapis, crus ejus sinistrum verberat, sed idem retortus à muro globus dextrum penitus confringit, sternítque duplici vulnere saucium. Quo viso animus præsidiarijs concidit, & Gallus deditione munimento potitus, IGNATIUM perhumaniter, ob perspectam viri fortitudinem & virtutem habuit; ac paulò pòst liberum, ad exactiorem vulnerum curationem, per lecticarios bajulos deportandum Loyolam dimisit. Illicq; malè primùm repositis ab castrensi chirurgo fractæ tibi æ ossibus, deformem claudicationem cum perpetuo dolore minantibus, nisì divulsa iterum suis aptè committerentur locis, carnificinam illam magno animo sustinuit, sensum ejus nec voce nec verbo testatus. Tanta nihilominus ejus fuit acerbitas, ut succumbente naturâ

râ corpus variè ſpaſmo convelli, fatiſcere ſtomachus, & eouſque viribus defici cæperit, ut ſupremo vicinus articulo animum ad mortem ſacris myſterijs compararet. Dies erat Apoſtolorum Petri & Pauli pervigilio ſacer, & medicorum effato IGNATIO futurus ſupremus; cum ipsâ nocte adfuit S. Petrus, & remedium morbo efficaciſſimum attulit, quo extra periculum conſtitutus IGNATIUS, ſervabatur ab Apoſtolo ad Sedis ſuæ, & univerſalis Eccleſiæ defenſionem. Igitur receptâ valetudine, cùm nihilominus unum ex oſſibus deformiter ſub genu extaret, ac brevius pede altero crus remaneret, deformitatem hanc (ùt erat elegantiæ inprimis curioſus) quovis cruciatu corrigi voluit, diſciſſis denuo carnibus, protuberantis oſſis abſciſſione, & quotidianâ cruris per machinam ferream ad menſuram alterius diſtenſione: quæ omnia tam immobilis pertulit, ac ſi ferramentis ſaxum, non corpus vivi hominis ſcalperetur. Fuit deinde hoc vanitatis martyrium per omnem vitam IGNATIO ingens ad quævis ardua pro DEI gloria ſtimulus, ne plura ſtudio placendi hominum oculis, quàm DEI feciſſe videretur.

Interim dum lentiùs ex tot ſectionibus conſaneſcit, fallendo tempori, & diſcutiendo tædio, multarum noctium inſomnijs aucto, librum aliquem curioſum popoſcit, cujus lectione illud temperaret: qui dum totâ domo diligenter perquiritur, DEI omnino nutu accidit, ut cùm talium librorum ibi copia paſſim aliàs occurreret, nullus tunc quidem reperiretur, præter unum de vita Chriſti à Landolfo Carthuſiano conſcriptum, & alterum geſta Sanctorum enarrantem. Ad eos itaque legendos invitus magìs, quòd alij omnes deeſſent, quàm ullo pietatis guſtu acceſſit: ſenſim tamen agente intus DEO, mirari ſummopore, quàm miris & prolixis pœnis viri ſancti, quàm crudè in propria corpora ſæviſſent, quanta DEI amore tormenta & cruciatus Martyres tuliſſent! tum in animo vellicantes remorſus & exprobrationes ſentire, cur non eadem pro ſempiternùm duratura mercede auderet ipſe, quæ pro incertis & caducis fortunæ favoribus non refugeret? Dum tandem poſt longiſſimam voluntatis primùm, deinde tergiverſantis animi luctam, magnanimus ſui victor, fixiſſimè ſtatuit illos ſequi vivendo, quos tam mira pro DEO egiſſe viderat: cæpítque ſeligere ſcripto ex ijs maximè heroica, quibus pro exemplari ad imitandum uteretur; ſiquidem unicè tum quidem ad ſaccum, cilicium, & ſpeluncæ rupem, ad noctes orando pervigiles, ſomnos nuda in humo carpendos, carnem catenâ, inediâ, verberibus frangendam, ſe magno ardore rapi ſentiebat. Ad hæc aſſiduè anhelantem, & invaletudinis moras deſiderio novæ vitæ incuſantem, nocte quâdam ardor ità vehemens totum ſe DEO conſecrandi occupavit, ut lecto deſiliens, advolutúſque coram imagine DEI Matris, multo cum fletu totum ſe illi ejúſque Filio, ad quævis ardua dicârit: ſub qua oratione totum Palatium violento ſuccuſſu contremuit, magìs tamen IGNATII conclave, ejectis de feneſtra vitris, rimíſque apertùm patentibus, quæ nunc etiam viſuntur: Dæmonis ùt creditur rabie, futuros jam tum IGNATII progreſſus ex ijs principijs metientis. Sed enim dum iſte incaſſum furit, DEI parens IGNATIUM in propoſito roboratura, non multò pòſt iterum nocte oranti viſendam ſe prolixè cum Filio infante præbuit, unáque imagines parum caſtas & mundanas, longâ ſenſuum incuſtodiâ animo ejus radicatas, omnes in perpetuum eraſit, ut indè quàm diu vixit, tanquam emortuo corpore, ſenſúque cujuslibet voluptatis, nè motum quidem reprobum vel minimum ſenſerit. Firmatis utcunque viribus valè Fratri dicto, tanquam Manricum Ducem cognatum officij gratiâ inviſurus, Loyolâ diſcedit, duobus tantùm famulis equitibus aſſumptis; unáque omnem ſuorum amorem & cogitationem ità penitus ibi relinquit, ut nihil de domo & familia ſua deinceps ſcire vellet, nullis ad quenquam de ſuis totos undecim annos datis literis; quas verò ab ipſis aliquando in faſciculo accepit, ſic ùt erant colligatæ, neque inſpectas, in focum cremandas injecit.

Remiſſis ſubinde domum famulis, ſolus, & DEI ſuíque jam totus, ad montem Serratum viam init; cùm viator Mahometanus (qui tum adhuc frequentes per Hiſpaniam morabantur) illi ſe dat comitem, multáque in Virginitatem DEIparæ in colloquio effutiens (quia eam rationibus, quibus poterat, ardenter IGNATIUS perſuadebat) faſtidiens tandem loquentem & iratus, ſubditis repentè calcaribus, ſe proripit. Ictus graviter DEIparæ tot probris IGNATIUS, jam tum prodere divini honoris zelum luculentè incepit: parum enim adhuc doctus diſcernere Chriſtianum à jure militari, anxiè deliberavit, poſsétne aut deberet injuriam Virginis nece Mauri ulciſci? incertúſque conſilij, ſententiam DEO, ùt putabat, permittere ſtatuit. Quà ſe igitur in duas ſcindebat via, equo habenas remittit liberas, certus, ſi viam iniret quâ

quâ Maurus præcesserat, DEI nutum esse, ut blasphemum tollat è medio, secùs, si callem teneret à blasphemo aversum. Et misertus est tyronis sui adhuc inexperti DEUS, fecítque ut præter omnem naturæ impetum, omissâ eqvus postMaurum viâ facili & planâ, saxosam alteram miniméque tritam, & in montem arrectam caperet: interpretante indè IGNATIO, nolle DEUM à se barbarum interfici. Comparatâ posthæc crassâ ex canabe tunicâ peregrinorum, quam fune præcinxit, cucurbitâ aquariâ, & viatorum baculo, ùt primùm DEIparæ Monserrati templum attigit, confessionem totius vitæ ex scripto fusè, apud unum è PP. Benedictinis instituit, tam acerbo dolore fletúque toties abruptam, ut tres integros dies tenuerit: ac tum sub vesperam, latendi causâ, vestitum pretiosum obvio pauperi impertiens, ejusdem centones, ac desuper habitum peregrini induit, noctémq; illam, quæ annunciati Verbi Festum antecedebat, ante aram DEIparæ stans partim, de genibus partim precando vigilavit, & pugionem cum ense pro anathemate parieti appendens, eqvum Monasterio donavit. Ità omnium nudus, ac solâ deinceps victurus corrogatâ stipe, Manresam tribus à Monserrato leucis discessit, & habitationem in Nosocomio pauperum & ægrotorum impetravit, ut campum haberet domandi sui, & virtutis heroicæ exercendæ. Somnum enim in nuda semper humo brevissimum capiens, magnam noctis partem precando transigebat, séque flagellando quotidie, interdum quinquies, ter interdum catenâ ferreâ cædebat. Oratio mentalis erat horarum septem, eáque de genibus, præter vocales preces, sacrum, & divina officia, quibus semper intererat: jejunium exceptâ Dominicâ continuum, quâ post sacram mensam modicum oleris cinere conspersi prandij nomine sumebat, reliquis diebus cibus omnis fuit frustum panis secundarij mendicatò collecti, & aquæ scyphus, ídq; semel in die. Accessit cilicium asperum nunquam corpore depositum, & crassior ex ferro catena lateribus præcincta, continua ægrotis & maximè purulentis præstita obsequia, quorum non semel ulceribus labra admovisse, saniémque forti naturæ violentiâ suxisse, acta publica testantur. Quibus asperitatibus, & potissimùm internis ad comprimendas rebellis naturæ motiones pugnis, ità paulò pòst fractus & attenuatus est, ut miserum corpus vix traheret.

Sed necdum per hæc fervori suo satisfaciens, quòd contubernio plurium impediretur, quò minùs DEO se arctiùs jungeret, minúsque ad vexationes corporis liber esset, speluncam delegit angustam ad radices montis, 600. circiter Manresâ passibus dissitam, laxatísque priorum afflictationum spatijs, noctes totas vigilijs continuare, cibo triduum & quatriduum penitus abstinere, precationi horas plures addere: quibus præter vires penitus prostratas, torquebatur stomachi cruciatu perpetuo, linquebatur animo sæpius, ac sensibus destitutus pro mortuo reperiebatur; jacuítque semel dies aliquot sinè pulsu flatúq; mortuo similis, vix tandem piorum medicamentis suscitatus, & cibo refocillatus. Nec defuit occasioni suæ dæmon, qui modò vanæ gloriæ stimulis, modò desperatione virium ad vitam in tanto rigore continuandam, ac omnium molestissimè scrupulis tyronem Christi propè ad mortem exagitabat, ut nonnisi aversum ab se DEUM, qui æternùm perdere illum vellet, cogitare posset, impellere-túrq; quodammodo violenter ad vitam præcipitio, ferro, aut laqueo abrumpendam. Totus ibat in lachrymas & rugitus, & clamores in cœlum, ad DEUM vociferans, indè ut aliquid sibi opis adesset, quam frustra à viris Religiosis, à Confessario, à pijs exercitationibus quæreret. Visa tandem illi est pia vis, quam de aliquo Sancto legisse meminerat, DEO adhibenda, decrevítque tamdiu cibo abstinere, donec liberationem à DEO afflicti miserente exorasset: & produxit à Sabbatho ad alterum usq; Sabbathum, nè panis quidem micâ, aut aquæ stillâ admissâ: nihil tamen propterea de usitatis alijs afflictationibus remittendo. Et progressurus erat ultrà etiam, nisì Confessarius rem edoctus vetuisset, cujus simul imperium secuta est in Ignatio plena animi tranquillitas. Parabat nimirum hâc vexatione in illo DEUS magistrum curandis scrupulorum morbis peritissimum, quibus etiam remedia aptissima in aureo Exercitiorum libello præscripsit, & in sedandis conscientiæ jactationibus tam certum & habilem directorem, ut quem is postea non sanâsset, nullâ arte sanandus crederetur. Verùm non fuit inter hæc parcior in IGNATIUM mensura DEI donorum, quàm ærumnarum, in quem cœlestium luminum tantam copiam profudit, & mentis aciem in prospectum divinarum rerum eousque provexit, ut assereret deinde, plura se orando unâ horâ Manresæ cognovisse, quàm quidquid Doctorum est sibi tradere potuissent. Nec defuêre visiones & raptus extatici, in quibus modò adorandum SS. Trinitatis secretum, modò abdita potentiæ ac sapien-

pientiæ divinæ omnia creantis arcana, modò Christi in Eucharistia præsentia, & reliqua Fidei mysteria, tam claro certóque in lumine ejus intelligentiæ revelata fuerunt, ut non dubitanter affirmaret, esto sacræ non extarent paginæ, nihilominus ità firmiter certos sibi esse Fidei articulos, ut pro ijs vitam ponere paratus esset: potuítque literarum tunc expers, de mysterio SS.Triados folijs constantem 80. librum conscribere. Præcipua ex his extasis fuit, quæ toto octiduo ità DEO immersum fixúmque tenuit, ut vacante ab omni corporis officio animâ jaceret pro mortuo, sepeliendus omnino, nisì tenui cordis palpitatione vitæ indicium dedisset. Creditúmque constanter est, fuisse tum illi manifestatum non tantùm genus vitæ, ad quod in præsidium Ecclesiæ à DEO eligeretur, sed tradita etiam ordinis, cujus designabatur auctor, præcipua lineamenta: quoties enim deinde rogabatur causam eorum, quæ Societati specialia adeò, præter exemplum aliarum Religionum constituebat; unum illud reponebat, insistere se ijs, quæ in secessu Manresano à DEO didicisset. Eodem tempore admirabilem illum Exercitiorum libellum, cujus usu plures ad DEUM, summámque sanctitatem animæ perductæ sunt, quàm apices continent, conscripsit, ab ipsa Sede Apostolica approbatum, & plenariâ indulgentiâ, qui ejus meditationibus octiduo exercerentur, honoratum. Cùm verò famâ sanctitatis illius latè per Hispaniam sensim se fundente, undique multi ad eum confluerent, de rebus divinis verba ad eos facere ignito ex corde incepit; quorum ardorem multorum inexpectatæ conversiones secutæ sunt, nec pauci relicto sæculo Religiosis Ordinibus se mancipârunt. Sic, ut (testantur ità Acta publica) quando Manresam venit IGNATIUS, cùm ægrè DEUS sat notus fuisset, cùm inde abijt, magnâ sui parte fuerit sancta.

Atq; hæc ipsa de virtute IGNATII populorum existimatio, & in dies auctiores concursus, illum Manresâ discedere post decem ampliùs mensium commorationem compulerunt: nec minùs trahebat desiderium loca Palestinæ sacra invisendi, & populis illis infidelibus Evangelium Christi prædicandi. Itaq; superatis difficultatibus, retrahere se à proposito nitentium, discedens, magnum sui omnibus desiderium reliquit, cæpítque jam tum spelunca, habitatione ejus veluti sacrata, in veneratione haberi; quam DEUS frequentibus prodigijs hodiéque ornare dignatur, quorum facilè princeps censetur id, quod Anno 1627. accidit, dum in maximo hominum concursu imago Crucifixi lapidea ibi reposita, copiosum sanguinem ex latere, plagis manuum pedúmque, & capitis punctionibus fudit, cujus etiamnum recentis rubent vestigia. Barcinonem digressus, dum occasionem trajiciendi in Italiam præstolatur, nullum sibi tempus otiosè abire passus est; cursate per Nosocomia, carceres, omni ope miseris adesse, mendicato quoque per urbem pauperibus stipem corrogare: de se verò & viatico tam esse sinè cura, ut oblatam navigaturo pecuniam, in littore, priusquam navis solveret, abjecerit, in navi etiam mendicato victurus. Romæ paucis diebus commoratus, Venetias nudis pedibus (utì semper hactenus) petijt; sed quia ob pestilentiæ per Italiam suspicionem scrupulosissimè peregrini in urbes admittebantur, fuit illi plerumque sub dio pernoctandum, unde corpus molestijs miserè affectum tandem illum defecit. Humi proinde desertus à comitibus concidens, collegit se ad orandum, cùm adest precanti vultu placido Christus, & facilem Patavium ac Venetias ingressum pollicetur: id quod cumulatè expertus est, divino etiam jussu ab Illustrissimo Venetiarum Senatore Trevisano in domum, ex publica porticu, in qua noctem acturus erat, collectus, illâ cœlitus voce admonito: *tu commodè plumâ & stragulis opertus dormis, servus autem meus & amicus sinè tecto humi, & in publico jacet.* Admissus in navim, quæ novum in Cyprum Præfectum vehebat, perditissimos nautarum mores reprehendere non cessabat; tantopere illis eâ causâ exosus, ut de illo in desertam insulam exponendo concluserint, nisì ejus littus propè jam radentibus, reflans ex improviso ventus navim in altum rejecisset, & Cyprum invitos petere coëgisset. Habuit autem in ea cum sceleratissimis vectoribus lucta Christum aspectabili formâ sæpius consolatorem, & secundæ in terram sanctam navigationis fidejussorem: cujus effectum appulsus in Cyprum continuò expertus est, deprehensâ in portu navi jamjam in Palestinam vela facturâ, quâ etiam feliciter eò pervectus est A. 1523. Dici non potest quantis solatijs cœlitus delibuta mens IGNATII fuerit, ex visu & contactu locorum, in quibus mysteria salutis nostræ Dominus operatus est, in monte præsertim Oliveti, ad vestigia post ascensum in cœlum ab eo relicta. Nam cùm frustra remanere Hierosolymis, solventibus indè reliquis peregrinis, laborâsset, clam omnibus ipso discessûs die recurrit ad montem Olivarum, sinè

custode contra Turcas, sinè viæ duce, veneraturus extremùm plantarum Christi signa: ad quem reducendum missus à Cœnobitis Franciscanis famulus Armenus, cùm eundem barbarè exceptum raptaret, Christus Dominus visendum se illi exhibuit, viam in aëre præiens, & ad ferenda patienter probra exhortans. Igitur in Cyprum revectus, tria Venetias propediem solutura navigia reperit, Turcicum unum, Venetum alterum probè instructum, in quod plerique peregrinorum se recipientes, rogabant navarchum, ut DEI amore IGNATIUM admitteret, cui nihil ad naulum suppeteret, sed esset virtutibus omnibus apud DEUM dives: repulsus tamen cum scommate, ad tertium exiguum, & vetustate ac tempestatibus quassum recipi impetravit, ingens pro naulo beneficium Gubernatori DEO rependente. Solventibus enim unà prosperè navibus, primâ nocte incumbens procella duas illas fluctibus hausit, soláque exilis ultima & ægra, tempestate superior Venetias incolumis pervenit.

Hìc jam IGNATIUS juvandarum in Palestina animarum spe dejectus, circumspicere incepit, quo modo & loco in dies flagrantiorem suum zelum impenderet. Sed obviabat tacita quædam vox, nihil ei satìs in eo genere processurum, nisì solidè ab literis munito, quibus prædicatio verbi divini, & animarum procuratio fulciretur: quod fuit principium ejus viæ, quâ illum DEUS ad vitam Societatis Apostolicam fundandam sensim inducebat. Hoc instinctu Barcinonem redit hyeme perfrigidâ, & sub tunicella telâ simplici malè tectus, pane indies emendicato victitans: & quia in Italia iter agendum erat per loca Hispano & Gallico milite infesta, tentus aliquoties & malè habitus est ab utriusque militiæ cohortibus; & quidem primùm ab Hispanis tanquam explorator pessimè exceptus, qui detractis ad scrutandum, ecquid literarum occuleret? vestibus; nudum planè per media castra ad Ducem pertraxerunt; ità interim omnium inter ludibria & probra in meditandam Christi patientis nuditatem absorptum, ut se, quid fieret, diu non adverterit. Et quia graviorum tolerandorum appetens, in respondendo quæstionibus Ducis hominem bardum & stolidum consultò simulabat, non absque indignatione hujus in milites, qui stultum ab exploratore nescissent discernere, dimitti receptis vestibus jussus est; quod ab ijs non priùs factum est, quàm pugnis & calcibus illum barbarè contudissent. Ab Hispanis elapso, idem ferè à Gallis comprehenso actum est, nisì quòd tandem illorum Dux Cantaber IGNATIUM quoque Cantabrum agnoscens, perbenignè habuit, & Genuam indemnem abire permisit. Ibi conscensâ navi Hispanicâ Barcinonem perveniens, ab infima Grammaticæ schola literas in publica schola Vir 33. annorum, inter pueros condiscere exorsus est, ut lucrandis animabus, quarum tantopere salutem deperibat, idoneus evaderet. Advertit ea res dæmonem, quantam aliquando stragem lucris suis factura esset, ideóque magìs quàm unquam hactenus exercitatione virtutum & pietatis, ab hac studiorum prosecutione IGNATIUM avertere conatus est. Quoties enim ludum literarium subiret, vel assignatum à Magistro pensum memoriæ mandaret, tantis animi inundabatur lautitijs, tot diffluebat lachrymis, & in DEUM amandum rapiebatur affectibus, quot & quales unquam etiam in profundis contemplationibus fuerat expertus. Quas inter animi voluptates cùm dies & hebdomadas jucundè, illis tanquam à DEO immissis obsequens, duceret, deprehendit se post has nullo quàm antea doctiorem: quod satis illi erat in discernendis spiritibus jam exercitato, ad dæmonis fraudem advertendam. Quare conventum illico Magistrum de genibus negligentiæ præteritæ veniam rogavit, & voto se ad prosequenda constanti diligentiâ studia obligavit, in qua si aliquando remitteret, pœnas à se publicas, æquè ùt à pueris reposci, instantissimè petijt. Mirum dictu! depulsa momento fallacia est, & omnis ille deliciarum cœlestium, & peregrinorum luminum violentus apparatus evanuit. Quâ item cogitatione, & securi ex animabus solidioris lucri spe, multò pòst, jámque Societatis à se conditæ parens, nostrorum juvenum mulcebat fastidia, quibus propterea minùs studia sapiebant, quòd in ijs ubertatem illam liquidissimarum voluptatum minimè sentirent, quam experti aliàs fuerant in multa oratione.

Neque tamen idcirco quidquam ferè de asperitatibus suis, ceterísque exercitijs omisit IGNATIUS, nisì quòd precandi tot horas diurnas in brevius tempus contraxit, noctibus magìs illi vacare solitus; nam & somnum constanter nudâ humo cepit, cilicia, verbera, aliáque retinuit, pane non alio, eóque solo, quàm ostiatim emendicato, & frigidæ potu vixit; quòd si largius aliquid ultra usum (quod plerumque perspectâ jam Viri sanctitate fiebat) aut melius, petenti obvenisset, id totum pauperibus alijs donabat, à quibus idcirco provisor suus & pater vocabatur. Sed

&

& festis, vacationúmque diebus totum se miserorum in Xenodochio obsequijs, instar mediastini addicebat, ministrabátque tanquam Christo in ijs latenti. Observatus interea non raro fuit curiosiùs à domesticis quid noctu ageret, deprehensúsque semper est in oratione defixus, nunc passis in crucem brachijs, nunc toto prostratus corpore, in dulces ubertim lachrymas dissolvi. Videbant item frequenter immensum ex eo splendorem cubiculum implere, sensímque, ùt erat genibus nixus, altè à terra (quod idem sæpius illi etiam in Templo palàm istic accidit) suspendi, unde voces & gemitus mittebat animi tenerrimè in DEUM affecti: *ah DEUS! si te homines nôssent!* & *ô DEUS infinitè bone, qui me tantum sustines peccatorem?* & similes. Sed neque animarum procurationem penitus Barcinone, quantum per studia posset, intermisit. Cùm enim in Sanctimonialium suburbano Cœnobio licentiùs quidam agerent, cum periculo non obscuro, & gravi in publicum offensione, Templum illarum suæ pietatis exercitijs delegit; cujus ibi plures quotidie horas precantis devotionem, lachrymas, ardentem vultum observando sacræ Virgines, hominem primùm suspicere, habere ùt sanctum, demum etiam adhibere in consiliũ, & perorantem de divinis audire velle. Morem gessit ille cupientibus perlibenter, & partim ardentissimis concionibus, partim exercitiorum suorum meditationibus, brevì ex discolo sanctum Parthenonem effecit, & impuris salutatoribus aditum omnem præclusit. Fuítq; istorum exinde tanta in IGNATIUM rabies, ut cùm à cæptis terrore, minis, plagis per emissarios iteratis abstineri non posset, duos ad ipsũ necandum è mancipijs Mauros submiserint, qui de Cœnobio cum pio quodam Sacerdote redeuntem aggressi, tam dirè fustibus utrumque contuderunt, ut ex ijs Sacerdos paucis diebus obierit, IGNATIUS verò in suo sangvine pro mortuo relictus, & alieno ministerio domum relatus, quovis momento animam daturus crederetur. Livebat enim toto corpore tumidus & fractus, omníque sui parte dolens, ut integrum nihil præter lingvam & oculos retineret, quibus in cælum suspiceret, & laudes DEO diceret, nec moveri in linteamine suspensus sinè acerbissimo cruciatu posset. Et crescebat indies graviùs malum, habitúsq; post 30. diem pro deposito, Sacramentis ultimis supremum iter adornabat: neque tum tamen cilicium detrahi passus, donec à Confessario juberetur, quod in magna veneratione Barcinone observatum, multos ægritudine aliísque casibus pressos sanavit. Post 53. demum dies discrimine vitæ defunctus, ùt primùm in pedes erigi potuit, mox ad Parthenonem adrepsit, confirmaturus in proposito sanctitatis Virgines, esto novam sibi à scelestis necem parari non obscurè adverteret. Vicit tamen hæc tam fortis charitas malitiam improborum, quorum Coriphæus Ribera quidam mercator, ad pedes Sancti provolutus, veniam ordinati à se criminis petijt, vitámq; deinceps laudabilem instituit. Per idem tempus Barcinone litis contra Germanum fratrem amissæ dolore, Lysanus quidam nomine, domi se ex trabe suspenderat, quo inter confertum populum etiam IGNATIUS accurrens, funem rescindi obtinet. Post tentatas artes omnes ad revocandum, si fortè quis superesset, in corpore spiritum, cadaver denique emortuum deprehenditur: ad cujus nihilominus latus in genua provolutus Sanctus, tantum vitæ miserrimo homini à DEO flagitat, quantum ad expiandum confessione scelus sufficiat. Auditur, & ne dubium foret precibus IGNATII in vitam redisse, statim ab exomologesi peracta iterum moritur.

Biennio moratus Barcinone tantum in latina lingua profecerat, ut gradum posset ad disciplinas altiores facere. Quare ad Complutensem scholam discedens, cùm plures ei vitæ sanctioris Sodales se addicere vellent, tribus admissis (quorum tamen nullus deinde constans perstitit) alios rejecit, & quidem duobus futuro illorum statu, & casibus vitæ omnibus prophetice prædictis. Nam Michaëli Rodesio affectari se volẽti, *minimè verò*, inquit, *sed vitam in seculo traduces jurisperitus, & conjugatus, aliquot prolium parens, ex quibus unus pro te Religiosæ Familiæ, quam DEUS per me fundaturus est, se adjunget.* Quæ omnia suo tempore evenerunt. Alteri Joanni Pasqualio, cujus mater IGNATIUM domo Barcinone receperat, denunciavit, velle DEUM ut vitam in sæculo duceret: *[illegible] accepturus es*, ait, *virtutis egregiæ uxorem, ex qua plures tibi nascentur filij & filiæ, sed multæ cum his pariter ærumnæ: supremam autem ætatem in summa egestate, quæ tamen magno animæ tuæ cedet bono, traduces.* Quæ omnia illi contigerunt: nam primus è filijs mutus unà & surdus in lucem venit: alter anno ætatis 22. amens effectus est, tertius profligatè vivens, repentinâ morte in oculis parentis concidit: filiarum verò cùm essent quatuor, uni tantùm dari dos in matrimonium potuit, tanta erat Pasqualij egestas, quæ illum propè ad mendicitatem redegit! Sed non defuit afflicto Sanctus,

ctus, plurimis in vita erigendo ad patientiam literis, & à morte visibilem illi se exhibendo, tam augustâ specie, ut à radijs ejus totum Templum, in quo comparuit, illustraretur. Compluti quarto Sodali auctus IGNATIUS, hospitium in Nosocomio delegit, obtinuítq; cubiculum pridem ob spectra & horribiles strepitus vacuum, quæ primâ statim nocte ingenti fragore,& teterrimis larvis irrumpentia, fusâ ardenti oratione in perpetuum abegit. Vitam Compluti per omnia eodem virtutum & asperitatum tenore egit, quam Barcinone, solâ mendicitate vitam sustentans; sed non æquali in Philosophicis profectu. Impatientiâ siquidem ardoris in animarum salutem præproperi, vires ingenij ex affectu metitus, Philosophiæ unà ac Theologiæ operam dabat, quæ dum multo labore ac tempore nullo ordine confusè prosequitur, nihil assequebatur: neque tunc DEUS lucem illi digerendæ in hæc studia aptiùs operæ meliorem suggessit, quia scilicet Complutum adduxerat, non tam ut indè doctrinam referret, quàm inferret pietatem, & ejus causâ gravia toleraret. Ergo parum se lucri ex processu literario assequi videns, totus ad procurationem salutis alienæ versus est: frequentare nosocomia, Catechesim publicè in compitis, & privatim in domibus explicare, res divinas ubique inculcare, juvenes Academicos ad pietatis exercitia incitare, commentationibus sacris in secessu erudire, eo laboris successu, ut perpetuæ morum conversiones in his, quibúscum agebat, sequerentur, audirétque in tota urbe Vir sanctus & Apostolicus. Neq; erat ullus in sceleribus, quantumlibet inveteratis, ità pervicax, ut resistere spiritui per IGNATIUM loquenti posset: ex quorum genere fuit Clericus nobilis Ecclesiæ in Hispanijs primariæ, cujus vivendi ratio Academiæ illi fuit tam pestilens, ut sequacem multorum juvenum turbam in societatem scelerum traheret, in alium tamen prorsus hominem uno IGNATII colloquio mutatus. Huic similia indies contingebant, fervebant hominum concursus, ad audiendum in Nosocomio IGNATIUM, etiam ex prima nobilitate; frequentabantur octavo quovis die Sacramenta, quod tam insolens tum habebatur, quàm modò ea adiri quotidie; notabantur in juvenibus ex academia diversi à pristinis mores, & animi non tantùm ad insolitam modestiam compositi, sed ad Religiones etiam diversas & austeritates proclives, quos se è quibusdam ejus præceptionibus, quæ secessum & silentium poscerent, hausisse dicebant.

Hæc adeò mira per hominem vix benè Grammaticum in urbe literata fieri, multum sollicitos tenebat sacros Quæsitores, injecítque timorem, ne sub pietatis larva pravi aliquid ab IGNATIO sensim deceptis instillaretur virtutis fuco, prout à Luthero fieri audiebant in Germania. Et binis quidem inquisitionibus in mores Viri S. dicta & facta institutis, ab omni suspicione absolutus est; tertiò nihilominus ob mulierum quarundam heteroclitam pietatem, & susceptas ipso authore peregrinationes (quas tamen magnopere dissvaserat) falsò delatus, in carcerem per lictores palàm in omnium conspectu abreptus est. Quæ tamen injuria nihil auctoritati ejus vel existimationi detraxit; sed concurrebatur ad illum audiendum in carcerem, non à vulgo solùm & juventute Academica, sed à Principibus etiam viris & fœminis, ac Professoribus Academicis, longéque fama de IGNATII sanctitate totâ Hispaniâ vulgabatur. Sed hoc ipsum tantò sollicitum magìs & anxium reddebat Vicarium Complutensem, quòd homo laicus, & in Theologia adhuc tyro, vix absq; errandi periculo conscientias regere, verbum DEI prædicare posse videretur: hinc licèt eatenus nihil sive in vita illius culpabile, sive in doctrina erroneum deprehensum fuisse publicâ iterum sententiâ juridicè pronunciaret, vetuit nihilominus, sub excommunicationis & exilij pœna, carcere dimissum, nudis pedibus, & talari habitu cum Socijs incedere, sed communem studiosis cultum assumere: cogendis præterea cœtibus & concionibus, tradendis meditationibus, imò & privatis hortationibus tamdiu abstinere, dum residuos Theologiæ tres annos absolvisset. Quæ Vicarij jussa haud secùs ac DEI excepit IGNATIUS, & continuè sumptus in præscriptas vestes mendicato per urbem corrogare cœpit. Accidit autem, ut in Nobilium turbam incidens, stipem ab ijs humiliter peteret, cùm unus ex ipsis, Lopius nomine, monitis IGNATII de corrigenda morum suorum licentia pridem offensus, socios à largitione dehortari, hominem nequissimum, hypocritam flagitiosissimum vocare, *qui si non rogo planè dignissimus est*, inquit, *velim ipse vivus concremari*! Et probavit IGNATII innocentiam scelesti hominis eodem die vivicomburium: paucis enim horis perlatus Complutum de Philippo II. feliciter in lucem edito nuncius, totam urbem in ignes festivos excitavit, quos dum etiam Lopius ex edito sui Palacij cum servis exequitur, scintilla iræ Divinæ flatu perlata in pulveris acervum, ex eo ingenti flammâ totum Lopium

pium involvit, incenditque; is rabiosè vociferans præcipitavit in aquam descendere, quam mox ùt attigit, animam maledicam efflavit.

Videns nihilominus IGNATIUS, tacere de DEO jussus, nullum à se deinceps Compluti operæ pretium fieri posse, optimum factu censuit Salmanticam proficisci, ut studijs illic finem dum imponit, fervori simul suo, nemine obstante, indulgeret. Sed sive illum actorum Compluti fama sequeretur, seu conditio temporum sancta quoque suspecta faceret, si vel minimum olerent novitatis, vix dies 15. labori solito incubuerat, pari semper conversionum fructu, cùm delatus ad Inquisitores Fidei, denuo unà cum Socijs carceri mancipatur; in quo præter cænosam humum lectus nullus, sedile nullum erat, insuper catenæ eidem cum socio pede uno adstrictus, quæ palmos tantùm 12. sic illos disjungeret, ut movere se ulteriùs unus sinè altero non posset. Post dies 13. & rigidum doctrinæ examen, restitutus cum Socijs in libertatem pristinam agendi docendíque, facilè collegit posse malevoli cujuspiam delatione in eadem incommoda revolvi; quare constituit Hispaniâ relictâ Parisios petere; & cum scientiæ Theologicæ defectu hæc sibi in animarum procuratione tot obstacula unicè fierent, totum se illi comprehendendæ impendere. Expertus autem quotidianâ stipis corrogatione nimium quantum studia turbari, oblatam à pijs hominibus liberalem Barcinone eleemosynam lubens admisit, ut in Contubernio quopiam studiosorum locum sibi conduceret: nisi & hanc perfidia unius ex Socijs, sublectis 25. aureis consumpsisset. Necessitate igitur consiliariâ, per vacationes autumnales in Belgium, & Angliam tum Catholicam excurrens, à mercatoribus Hispanis corrogabat, quod in sumptus anni sequentis sufficeret: ipsis postea, ubi hominem nosse cœperunt, ultro etiam liberaliter eleemosynas submittentibus, quibus & Socijs paulò pòst collectis subvenire posset. Accidit Antverpiæ, ut stipem à Petro Quadrato negotiatore Metimnensi postulanti IGNATIO, ipse liberalem sanè offerret; in quem proinde ille defixis oculis, *erit*, inquit, *cùm tu Domine mi tam benignè nunc in me beneficus, religiosæ familiæ tua in patria Collegium fundabis, quam per me hominem nihili DEUS excitaturus est.* vaticinio secutus postea eventus fidem fecit. Neque tamen ità penitus studio Philosophiæ (nam & hanc repetere de integro, solidioris doctrinæ causâ, visum est) vel Theologiæ abripi passus est, quin privatis cum scholæ Socijs sermocinationibus divina ardenter instillaret, & ad virtutem alliceret; diebus verò recreationum & festis, ad pia in nosocomijs misericordiæ opera obeunda, & prolixiorem devotionem inducendo, longioribus à schola ferijs non paucos in secessu commentationibus à se digestis exerceret. Quibus aliquot præstantis indolis & nobilitatis adolescentes, & unus etiam Doctor Sorbonicus, in alios penitus mutati, cùm patrimonio in pauperes distracto suam nosocomijs in perpetuum operam addixissent, delatus iterum ad Ecclesiasticum tribunal, velut animorum incantator IGNATIUS, post severum examen nullius tamen noxæ reus deprehensus est. Sed gravius illi à Magistratu Academico iminebat eâdem causâ periculum. nam cùm eatenus diebus feriatis convenire ad Collegium S. Barbaræ soliti Scholastici ad exercitia disputationum, deinceps ad sacrorum frequentationem ab IGNATIO inducti, ad Templum pro schola, ad DEUM pro Magistro defluerent, ictus eâ solitudine Doctor, Penna, castigari hanc injuriam à Rectore Academiæ Jacobo Govea publicâ IGNATII verberatione impetravit. Et jam armati virgis Professores omnes in Aulam, totáque Juventus Academica ad spectaculum concurrerant, cùm IGNATIUS Goveam privatim conveniens, paratissimum quidem se ad publicum probrum, tam sancta in causa, fidenter ostendit, videndum tamen etiam atque etiam illi relinquere, forétne satis ex Christi lege, pro refractario punire hominem, quia solùm animabus ad Christum adducendis insudâsset. His ille intimè perculsus, & cæcum suum advertens impetum, IGNATIO in medium conventûs adducto palàm ad genua accidit, multísque lachrymis veniam rogavit: quam injuriam cumulatè olim rependit, ad consilia Lusitaniæ Regis Joannis Tertij Olissipone assumptus, dum ei auctor fuit, ut in conversionem Indiarum IGNATII Socios adhiberet, quos etiam peculiari semper affectu prosecutus est, & Xaverium inter Indos laborantem singulari apud Regem patrocinio adjuvit. Crevit autem exinde tanta apud Magistros IGNATII existimatio, in quo eximiam Theologiæ mysticæ à DEO infusæ peritiam adverterant, ut ei priùs Doctoris Theologi tradenda insignia deferrent, quàm cursum Philosophiæ absolvisset; quod tamen Vir sanctus constanter rejecit.

Fuêre autem miræ ipsius planéque ingeniosæ artes ad animos DEO lucrandos, & cœno peccatorum extrahendos. Juvenis impudicus alienam conjugem perditè deperibat,

bat, flocci habens utriusque vitæ discrimen perpetuum subire, dummodo ejus amoribus potiretur. Frustra omnibus remedijs in illo pertentatis, viam observat IGNATIUS, quâ impurus leno adulteram adibat; ibi ad aquam, scelesto per pontem transmittendam, vespere mediâ hyeme opperitur, sentiénsque venientem, aquis se glacialibus nudum collótenus demergit, DEOq; cum fletu cruciatum hunc, ad extingvendos propudiosi Juvenis ignes sacrificat. Ubi verò hunc adventantem prospexit, tremulùm sed terribilè intonans, telis ardentibus magìs quàm verbis, *iret porrò*, inclamavit, *perditum animam & corpus, suóque se spurcus in luto convolveret! se verò in eo algoris cruciatu & pertinaciter hæsurum, & junctis ad DEUM precibus luiturum nefarias ejus fœditates; dum vel illum sua dementia, vel se quod supererat vitæ deficeret!* Inhorruit ad hæc infelix, & DEO cor intimè pervellente ad frugem redijt, fuítque IGNATIO, cui tanti steterat, semper amicissimus. Erat alius Sacerdos Religiosus turpissimi exempli, cujus gradus & conditio libertatem corrigendi à laico non ferebat. re igitur DEO commendatâ die quodam illi ad pedes accidit peccata confessurus IGNATIUS, ac velut serenandæ per ejus directionem conscientiæ gratiâ, vitæ totius peccata sigillatim recenset, acri dolore & lachrymis ardens, ut ob interpolatos singultus & perpetuum fletum, vix progredi posset. Tantâ hominis pœnitudine, peccata suis longè minora deplorantis commotus Sacerdos, cui turpitudines suas vivaciter DEUS tunc exprobrabat, hòc graviores, quò Sacerdotis Cœnobitæ quàm laici multò sunt lapsus graviores, duritiem suam intimè exhorruit, & mox à peracta confessione IGNATIO, cujus ex illa spiritum abundè cognoverat, animum suum pessimè laborantem aperuit, remedium petens. IGNATIUS voto potitus, Exercitijs spiritûs illum excolendum suscepit, effinxítque exemplar in eo pœnitentis vitæ haud paulò clarius, quàm solutæ ac perditæ antea fuisset. Doctorem quendam Theologum insignem DEO lucrari sæpius tentaverat Vir sanctus, frustrato semper conatu, dum aliquando illum invisens reperit trudiculis ludentem. Invitatus comiter ad colludendum, excusavit primùm ludendi non minùs ignorantiam, quàm insvetudinem: sed urgenti nihilò seciùs Doctori, ex interiore afflatu IGNATIUS, *admittam*, inquit, *quando ità jubes provocationem, verùm eâ lege, ne joco ludam vel gratis. Cùm autem mihi pauperi præter me nihil sit, meipsum depono; & si quidem lucro excidero, solidum mensem me tibi auctorabo adpræstanda quæcunque jusseris: si verò victor evasero, una mihi tantum in re morem geres, quam in animæ tuæ bonum repetam.* Accipitur, DEO ità movente, conditio, & IGNATIUS qui in omni vita globulum nunquã, vel trudiculum manu attigerat, tam feliciter lusum terminavit, ut ne semel quidem globulum annulo Doctor trajecerit: evidenti planè auspicio Numinis, rectà IGNATII globulum indoctè missum dirigentis: quem proinde ludi eventum in aliquid majus DEI consilio sibi paratum arguens Doctor, manus dedit, & impositis ab IGNATIO, peractísque ipso directore sacris Exercitijs, proventum tulit vitæ deinceps sanctæ & castigatissimæ. Atque hæc eadem exercitia multis alijs saluberrimo eventu persvasa, socios illi novem ex omnium delectu præstantissimos, ad novæ Religionis fundationem pepererunt, quos ille eodem Apostolorum spiritu imbutos, in totius orbis spem sanctissimè educavit, verè in ijs ipsorúmque successoribus factus Pater omnium gentium & nationum. Quam illius artem nunc prosequi incipio.

Ingressus Parisios IGNATIUS Anno 1528. Februario mense, cùm illum annum humanioribus repetendis, perficiendæ in se latinitatis causâ tribuisset, triennium sequens Philosophiæ impendit, renunciatus publicè Magister Artium Anno 1533. Martij 13. Eo Philosophiæ cursu in S.Barbaræ inchoato, qui tunc annos tres & medium tenebat, Petro Fabro Sabaudiâ oriundo commendatur à Magistro Penna, ut ei prælecta publicè privatim repetat, & inculcando proniora intelligentiæ reddat. Ex hac mutua consuetudine cùm brevì alter alterum intimè perspiceret, & tam IGNATIUS dotes in Fabro consilijs suis aptissimas, quàm Faber in IGNATIO magisteriũ spiritûs cum altissima sanctitate junctum suspiceret, diu tamen uterque affectus presſère tacitos, dum tandem necessitas Fabrum priorem coëgit ductui IGNATII se committere. Pridem ille voto castitatis se DEO obstrinxerat, tum autem contrarijs illi imaginibus, & exinde verminantibus scrupulis ità miserè lancinabatur, ut nihil proficientibus ullis asperitatibus, orationibus, ceterísque remedijs, deliberaverit in solitudinem quampiam secedere, ubi nihil occurrere in sensus posset, cujus objectu impudicæ cogitationes moverentur. Quia tamen meritò dubitabat, an id Eremiticæ vitæ, his sæculis insuetum genus, DEO cordi esset, remedium ab IGNATIO petere constituit. Et hic quidem paucis præscriptis

ptis hominem nullo negotio tentationibus extricatum, licèt deinceps in omnibus haberet sibi obnoxium, toto nihilominus biennio, præter ardentia quotidie de DEO & rebus cœlestibus colloquia, nihil de proposito suo aperuit, donec sensim expoliendo altiorum capacem perficeret. Tum die quodam fixum sibi esse indicat, studijs absolutis navigare in Palestinam, suámque illis infidelibus operam & vitam impendere, cùm nullum excelsius vel vitæ genus esse posset Apostolicâ, neque mortis, laureâ Martyrij. Ad hæc Faber sexcentis in deligenda vitæ ratione anxietatum flatibus agitatus, quasi DEO tunc illas dissipante, rapi se penitus in idem consilium persensit, arctéque IGNATIUM complexus, illi se primus omnium socium Instituti, integrum mensem sacris Exercitijs in solitaria casa excultus, dedit, paulò pòst IGNATII consilio sacris ordinibus initiatus. Et fuit mirus planè divinæ Providentiæ in hoc ludus. Erant tunc unà Parisijs IGNATIUS & Calvinus, unà discipulos & sequaces, sed quàm diversos in fines! legebant: primum ex his sibi finxit IGNATIUS Fabrum, *qui vitæ & doctrinæ suo malleo*, verba sunt Florimundi Remondi, *hæresim fortiter obtrivit*: ibidem Calvinus alium ejusdem nominis Fabrum sibi cudit, insignem oppidò suarum hæresum cyclopem.

Alterum ejusdem secum Contubernij sodalem, in futuræ Religionis Socium lucratus est Franciscum Xaverium, Regno Navarræ oriundum, cujus sanctâ institutione id assecutus est, ut discipulum haberet Indiarum maximum Apostolum. Quod profectò semper agnovit Xaverius, solitus eum literis propè omnibus vocare animæ suæ Patrem, cui omnem suum in spiritu profectum deberet. Habebat is jam ante IGNATIUM eundem Fabrum contubernalem, & studiorum sodalem, quibus ultra honores evanidos altiorem metam non figebat: unde IGNATIUM, qui postea ijs se adjunxit, mundanorum omnium contemptorem spernere, abjecti & vilis animi excelsam illius sui dejectionem arbitrari, víxque in eum oculos sinè aliqua nausea conjicere: monita verò salutaria interdum ab IGNATIO injecta, non aspernari modò, sed ipsum quoque monitorem falsè traducere. Verùm ex his ipsis IGNATIUS statim advertit, non vulgarem esse Xaverij genium, aut mediocribus contentũ, indè quantò cernebat alieniorem, tantò contendebat omni officio illum demereri. Ad hoc igitur callidè observare studium hominis, ingenij famam & doctrinæ captantis, ideóque prensare illi, jam tum Philosophiam publicè prælegenti, auditores, discipulos adducere, & ubique honoris illius tenues etiam tueri & provehere rationes. Quibus Xaverij nobilis indoles facilè obstricta, videre jam alijs oculis IGNATIUM, haberéque ex animo amicum familiariter confidentem: quem cùm probè nosset illustribus æquè ortum natalibus, sensim advertere non ex vili & degeneri pectore, sed magno potiùs & excelso proficisci illum terrenorum contemptum, quo spes omnes & honores, velut suo indignos ambitu, calcaret. Optimis interim occasionibus opportunè usus IGNATIUS, validè hominem adoriebatur, & quà se ille tutiorem rebatur, illac IGNATIUS impressionem acriùs urgebat, illius creberrimè Christi effati veritatem varijs figuris imprimens, *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ac turbarunt primùm insveta hominem monita, qui primus est motus virtutis & gratiæ, cum natura & vitio pugnantis: at motum secuto ratiocinio, quidquid terreni & caduci animo insedit, feliciter depulsum est. Igitur ùt primùm docendi munere, absoluto Philosophiæ cursu, defunctus est Xaverius, IGNATIO exercendum se commentationibus sacris permisit, è quibus novus homo prodiens, ejus Societati magnâ animi resignatione accessit. Tam luculentâ Xaverij jacturâ, quem honorum cupiditatibus irretitum eatenus tenebat, acerbè irritatus dæmon, multóque ampliùs quòd innumerabiles sibi ereptum iri per eum animas ex vivaci ejus indole præsagiebat, omnem apud Parentem illius movit lapidem, ut Xaverium à cursu Theologico Parisijs domum revocaret. Sed cùm id non procederet, eò quòd Xaverij soror Magdalena, Gandiæ in Cœnobio S. Claræ antistita, Parentem ab ea cogitatione revocasset, utpote divinitus edocta, illum à DEO Indijs Apostolum, & firmam Ecclesiæ columnam destinari: aliunde Cacodæmon aggressus est Xaverij cœpta evertere. Michaëlem enim quendam Navarrum, genere & animo vilem in furorem egit, qui Xaverium videns, cujus hactenus alebatur sumptibus, totum se IGNATIO addicere, futurúmque ut in ejus pariter vitam egentem & humilem transiret, decrevit uno scelere victum sibi, qui erat defecturus, & domus Xaveriæ honorem, qui erat abjiciendus, unà stabilire, tollendo è vivis IGNATIO. Jámque in scelus obfirmatus scalas ad conclave IGNATII conscendebat, ut improvisus illum adoriretur, cùm voce terribili è cælo in gradu sistitur, *quò properas infelix? & quò tendis?* qui-

bus perterrefactus & tremens, IGNATII advolvitur pedibus, & deliberatum confessus crimen veniam petit. Xaverij exemplum secuti adolescentes Hispani duo, summis naturæ & gratiæ dotibus instructi, Jacobus Lainez, & Alphonsus Salmeron, ille Philosophiæ Magisterio insignis, iste græcæ insuper & hebrææ peritus, uterque post S.Exercitia ingenti pietatis ardore peracta, Socios IGNATIO se adjunxerunt. Accesserunt Simon Rodericius Lusitanus, & Nicolaus Bobadilla Hispanus, postquam ijsdem exercitationibus spiritum suum probârunt.

Hoc tam felici sex commilitonum delectu, vidit IGNATIUS sua jam consilia posse exire, nemodum enim erat ex his alterius conscius, sed quisque putabat se solum IGNATIO suum propositum credidisse. Ut ergo omnibus singulorum mentem apertam faceret, illósque invicem, sécum, DEOque copularet, certos singulis seorsim indixit jejuniorum, & afflictationum dies, quibus animum confirmarent ad suscipiendam vitæ rationem divinæ gloriæ promovendæ summè idoneam, certò deinde die conventuri, ut quisque ederet quod deliberâssent: scirent autem non fore se solos, sed adfuturos plures ejusdem propositi percupidos. Adsunt igitur condicto die mensis Julij Anno 1534. cupidissimi singuli Sodales suos cognoscendi; cúmque unà jam essent, & dotes invicem singulis notæ præstantiæ insitas suspicerent, quisque postremum omnium se censere, magnæq; gratiæ ducere reliquis accenseri, neque dulces lætitiæ lachrymas tenere. Humi abjecti cùm paulisper orâssent, mentem illis suam IGNATIUS à DEO inditam multis aperuit, Christum quàm posset proximè imitari, cui præter privatæ sanctimoniæ studium ità cordi fuissent homines, ut quidquid egit passúsque est, publicæ eorum saluti consecraret. Hanc eandem vivendi rationem observâsse Apostolos, & primos Ecclesiæ nascentis Sanctos, neque obsequium Christo gratius reddi posse, quàm ut sanguinis sui pretioso commercio animæ illi redimantur. Hoc animo lustratas à se plures Provincias, ut campum cerneret, unde posset meti divinæ gloriæ animarúmque fructus uberior: & omnium maximè indoluisse peregrinum in Palæstinam, illam Christi sanguine rigatam terram Lucifero servire, ideóq; illi potissimùm statuisse sementem Fidei injicere: felicem nimiùm! si suo quoque sanguine contingeret illam rigare. Interea verò dum tempus navigandi appeteret, certum sibi esse DEO se penitus consecrare, nuncupato illuc proficiscendi voto, paupertatis item voluntariæ, ac perpetuæ castitatis. Dicerent proinde & ipsi suam sententiam, an eadem illis mens, idem animus esset. Consentiens omnium una vox fuit IGNATIO applaudentium, nisi quòd unâ arctari Palæstinâ votum suum non placuit, quibus omnia in DEI gloriam ausuris, patere totius mundi ambitus deberet. Itaque si in Palestinam navigandi post unius anni Venetijs expectationem, vel in ea hærendi facultas intercluderetur, statuerunt, ut voto illius petendæ soluti tum censerentur: sed Romæ se Christi Vicario sisterent, quocunque gentium placuisset in animarum auxilium ab eo mittendi. Quia tamen necdum omnes cursum Theologiæ absolverant (quod necessarium videbatur) ijs concessum residuum biennium ad usque 25. Januar. anni 1537. in studijs pergendi, indè Parisijs & ipsi Venetias peterent. Ad hæc voto & juramento firmanda, destinârunt Augusti diem 15. assumptæ in cælum DEIparæ sacrum, sub cujus patrocinio illa emittere, & deinceps vivere volebant: locum verò Templum in colle levcæ dimidio extra urbem, *S. MARIÆ in monte Martyrum*, nuncupatum. Quod autem intercessit ad statum diem temporis, quotidiano jejunio, precationi, & varijs asperitatibus, ad impetrandam DEI gratiam consecrârunt.

Illic igitur præfixo die convenientes, subterraneo in sacello soli, Fabro celebrante (præter quem nemo Sacerdotium susceperat) vota edidêre. Is SS. Christi corpus mox ab se sumendum manu tenens, versúsque ad Socios, tum ipse, tum singuli deinceps voce clarâ obstrinxêre se DEO ad paupertatem, castitatem, ad transmittendum in terram sanctam, & si id non procederet, ad deferendas summo Pontifici operas; ad rejiciendum præterea quodcunque stipendium vel donum, quo compensaretur sacrorum administratio; id quod addiderunt, ad obstruendum os Lutheranis, calumniantibus Clericos Christi sanguinem cauponari. Nuncupatis in hunc modum incredibili animi sensu, inter uberrimas lachrymas votis, Christi corpus sumpserunt: gaudio singulorum in unum potissimùm IGNATIUM redundante, ut qui sudoris tam diuturni primos meteret fructus, & spes longas videret tam ubertim à DEO fortunari. Est autem singulare, quod multi hujus & prioris sæculi observârunt Scriptores, divinæ erga suam Ecclesiam, & Christi in terris Vicarium curæ momentum. quo enim anno 1534. Rex Angliæ Henricus VIII. ex defensore Ecclesiæ trans-

tranſivit in impugnatorem, & ſpecialiter ſe Regnúmq; totum Pontificis obedientiæ ſubtraxit, eo ipſo tempore Societatis prima hæc jacta ſunt fundamenta, peculiari obedientia ſummo Pontifici devinctæ. Eo jam tempore ſingulari zelo in animarum lucra Socij intenti, omnes juvandi proximi occaſiones, quantum per ſtudia fas erat, venabantur. IGNATIUS præcipuè, quem in exemplum reliquorum oculis DEUS proponebat, multos ab hæreſi revocatos ad ſacrum tribunal Eccleſiæ reconciliandos adduxit, multis auctor religioſæ vitæ in diverſis Ordinibus complectendæ fuit: dúmque peſtiferis etiam famulatur, contagione ictus plures dies extra contubernium & Socios vixit, mirâ tamen DEI benignitate ſervatus. Sed cui hactenus nullus pro DEO & animabus labor uſpiam ceſſit abſque contradictione, neque iſte tam palmaris ad ſubigendum DEO terrarum orbem Sociorum delectus, citra perſecutionem abire potuit. Cruciabatur IGNATIUS acerrimè ſtomachi doloribus indies magìs ingraveſcentibus, in quos remedia cùm nulla proficerent, conatus eſt Medicorum & Sociorum piâ importunitate cœlum natale repetere. In ipſo diſceſſionis procinctu delatus eſt ad Quæſitorem Fidei Matthæum Orium, tanquam de Religionis integritate ſuſpectus, à nonnullis Academicis, quibus novitas illa morum à communi uſu aliena, in Socios ab ipſo inducta, ſectæ alicujus novæ molitionem ſapere ſub pietatis larva videbatur, quòd præſertim nimio latendi ſtudio in latibulis, prætenſo collectionis cujuſdam ſpiritualis titulo, conciperetur: poſſe tamen certis veſtigijs detegi, ſi examinaretur libellus quidam ab IGNATIO conſcriptus, ex quo illam vim omnem mutandorum in alios hominum, & ad ſe trahendorum, promere ferebatur. Amabat IGNATIUM Orius ob egregiam virtutem, & Fidei compertum ſibi zelum, cujus ſtudio multos ad ſe Eccleſiæ conciliandos hæreticos indies adducebat; nè tamen officio Quæſitoris defuiſſe argueretur, ſecreto examine clàm de moribus, doctrina, Exercitiorum libello, & quibuſvis alijs ad IGNATIUM & Socios pertinentibus cognovit; & cùm nihil niſi ſanctum, & admiratione dignum deprehenderet, nihil ultrà pergendum cenſuit. At contrà IGNATIUS ſtare, cauſam ſuam publicâ ſententiâ decidi urgere; neque enim ſe dubitare, diſceſſum Pariſijs à Medicis imperatum, in ſuſpicionem fugæ, & præjudicati erroris à malevolis vertendum: neq; acquievit, dũ ĩnocẽtia ſua publicis tabulis legitimè muniretur.

Commendatâ Fabro IGNATIUS Sociorum interim Pariſijs curâ, anno 1535. per Venetias in Hiſpaniam paupere cultu diſceſſit, de cujus adventu Loyolæ jam appropinquantis certiores redditi fratres & agnati, magnificè illum excipere obviam effuſi parabant, quorum tamen occurſum per avia ipſe declinans, Aſpeitiam contendit, ut illic in publicum noſocomium diverteret, valetudinem curaturus. At enim honores, quos Loyolæ vitaverat, incurrit; nam oppido propior videt ſibi obviàm procedere ſupplicantium ordinem Clericorum, & ingenti numero agnatos: horum tamen nullis precibus induci potuit, ut alibi quàm in S. Magdalenæ noſocomio hoſpitaretur. Quod ergo ijs reſtabat unum, elegantem pro ipſo lectum, parémque menſæ commeatum eò mittunt: ſed neque illo unquam decubuit, cùm niſi humi ſomnum non caperet; neque dè cibis unquam aliquid attigit, ſed panem oſtiatim quotidiè palàm toto trimeſtri, quo egit Aſpeitiæ, mendicavit. Ceterùm ſtomacho priùs jam cœpto reſtitui, quàm Aſpeitiam teneret, aſperitates priores omnes reſumpſit, & longè maximè ſtudium proximi juvandi. Confeſtim itaque prodire ad tradenda Chriſtianæ doctrinæ pueris capita, ad quæ frequens etiam adultorum, & illuſtrium perſonarum corona cùm afflueret, ſua cuique credendi ac vivendi opportuna tradebat documenta. Accidit aliquando, ut puerorum unus Martinus Halartius vultu deformior, & linguâ balbus, de Catechiſmo dum reſpondet, riſum nobilibus fœminis moverit; ad quas vatidicus IGNATIUS, *ridetis*, inquit, *hunc puerum, quia ſola exteriora nempe intuemini! ſed hoc habetote, evaſurum inſignem DEI ſervum, bonóque ingenti animarum illuſtraturum præclaris laboribus Patriam.* Alterum octennem Franciſcum Almarium mater IGNATIO ſiſtebat, poſtulans enixè ut bene illi precaretur: defixis in eum IGNATIUS oculis, *bono animo ſis*, matrem alloquitur, *nam hic puer futurus eſt & ævi longioris, & multorum pater liberorum.* Quod ſic in utroque ad amuſſim exactum eſt, nam & ille vitam egit in Clero ſanctam, & in animarum procuratione ſummè actuoſam: & iſte quindecim filiorum parens, octogeſimum ætatis annum attigit. Præter quotidianam Catecheſim, ter quot hebdomadis IGNATIUS de meridie dicebat ad populum, concione in duas nonnunquam & tres horas productâ, etſi lentâ febre laborans: erátque is populi undique concurſus, qui capi nullo templo poſſet, hinc ſub aperto cœlo dicendum erat;

ſed vocem & latera ſupplebat evidenti miraculo DEUS, ſiquidem trecentis paſſibus ſemoti, æquè ùt proximi diſtinctè audiebant, tametſi languidè & ægro anhelitu diceret. Nec Viri ſancti labores ſperatus fefellit fructus: nam Cleri primùm mores integrè reſtituti, miſerabilem in modum hactenus diſſoluti: multi ſiquidem etiam Sacerdotes ſuas domi alebant concubinas, & quidem ſacrilegio tam effronti, ut uxorum ornatu, locis illis proprio, eas inducerent. Ludendi libidinem, jacturâ temporis, ſalutis, & familiaris rei infamem ità ſuſtulit, ut toto indè ſequenti triennio nullus Aſpeitiæ luſus fuerit viſus. In cultum veſtium inanem & periculoſum fœminarum cùm inveheretur, exortus ingens earum fletus, faciem alapis cædentium, lacerandóque ſuo capillitio, & abjiciendo ornatu pœnitudinem animi acerbam palàm prodentium. Pari felicitate jurandi conſuetudo abolita, meretrices ad pudorem adductæ, quarum aliæ vitam omnem in noſocomio ægrotarum miniſterio dicârunt, aliæ relabendi metu pedites in longinqua peregrinationem ſuſceperunt. Sodalitatem quoque inſtituit SS. Sacramenti, & eam curæ pauperum præfecit, quos à victu mendicando pudor ingenuus abſterret; quam in rem de ſuo patrimonio cenſus in perpetuum bene grandes conſtituit. Uſum præterea induxit meridianæ precis pro ijs, quos culpa lethalis obſtringeret; & omnia demum, quæcunque Aſpeitiæ optaverat in DEI obſequium, ex voto perfecit. Neque ad hæc feliciùs obtinenda defuêre à DEO miracula, nam & à dæmonibus plures annos obſeſſam ſolo crucis ſigno capiti impreſſo liberavit: & aliam in furorem à dæmone agi ſolitam, eodem remedio quieti reſtituit: & tertiam tabe diuturnâ ità conſumptam, ut in horas animam actura videretur, crucis ſigno plenè ſanavit, ut pagum ſuum Gamaram, ex quo ad Sanctum delata fuerat, per ſe repetierit. Erat & alius, cui nomen Baſtidæ, comitiali morbo obnoxius, quem in eodem S. Magdalenæ noſocomio morantem, ſæpe impetus mali ſolo miſerrimè allidebat: ejus caſui præſens aliquando IGNATIUS, brevi præmiſsâ precatione frontem hominis manu preſſit, hic verò tactu benefico mox ſibi reſtitutus, nunquam poſtea, dum vixit, ejus morbi acceſſu tentatus fuit. Sed & panni ipſius dum à muliere emortuo brachio planè captâ eluerentur, in veſtigio ſuum brachio robur & vigorem contulerunt. Cùm verò nocte intempeſtâ aliquando ſuo in cubiculo precibus vacaret, deprehenſum eſt totum illud cœleſti ſplendore lucere.

Reparatis ex morbo viribus iter ad diſceſſum comparanti, equos & famulos pene violentè offerebant agnati, quibus conſtanter rejectis, pedes viam more ſuo abſolvit Valentiam uſque, ubi in navi oneraria Genuam ſolvente mari ſe dedit, graviſſimâ jactatus tempeſtate, quâ mercibus omnibus in mare dejectis, miraculo fuit navim nudam, vectore incolumi portum tenuiſſe. Genuâ pedeſtre iter impeditiſſimum habuit IGNATIUS, hyeme imbribus ſupra modum infeſtâ, errore inſuper viæ in Apennini tranſitu in præſentiſſimum ultimi præcipitij diſcrimen adductus, quo nullum unquam præſentius & terribilius ſe in vita expertum dicere ſolebat, ex quo & Bononiæ ægrotavit. Auxit verò morbi cauſas gravis in ipſo urbis ingreſſu de ponte in foſſam corporis lapſus, unde aquis ùt erat & luto diffluens, ad captandum ſui contemptum maximè frequentes urbis vicos mendicans obivit; neque tamen vel obulum unum, præter dicteria & uberes ſannas, eleemoſynæ reportavit. Exceptus tamen Hiſpanorum beneficentiâ, & intra hebdomadam ex febri & tormento ſtomachi curatus, Venetias contendit, ubi perficiendo ad exitum curſui Theologico (annus adhuc illi deerat) intentus, ſtudium tamen ſalutis alienæ, utì nec alibi unquam, deſeruit. Præcipuum hujus laboris pretium fuêre fructus ex traditis Exercitijs collecti; & primi quidem erant duo fratres, Jacobus, & Stephanus de Egvia, ex Navarra orti, qui meditationibus conſuetis exerciti, IGNATIO ſe applicare tum quidem decreverunt, pòſt verò conditâ Societate integrè concreverunt. Acceſſit & Hozius Baccalaureus, ſanguine & doctrinâ illuſtris, qui à ſuſceptis Exercitijs continuè IGNATIO adhæſit, & ſeptimus jam Sociorum numerum auxit, primus omnium ante firmatam à Sede Apoſtolica Societatem beatâ morte ſublatus, & ideo in numerum primorum, veluti fundamentalium Societatis lapidum, decem Sociorum non acçenſus, utpote ante illius in Religioſum ordinem erectionem defunctus. Fuêre & alij quàm plurimi, inter quos Petrus Contarenus, poſtea Baffi Epiſcopus, ijſdem ad egregiam vitæ ſanctitatem exculti; quorum ſucceſſus tam miros livido quidam oculo intuiti, denuo IGNATIUM ſatorem hæreſum, verſipellem, veneficij ſuſpectum traducere, idcirco ſecretum cum ijs quos dementaret captare; nam ubicunque cœpiſſet detegi, ſalutem fugâ redemiſſe, ab Hiſpania, ex Gallijs; ubi etiam Pariſijs illius effigiem, cùm in profugum animadverti non poſſet, rogo traditam fuiſſe.

Ad-

Admonitus in tempore IGNATIUS, ultrò Pontificium Nuncium convenit, rogavítque causæ cognitionem instituí; ex qua id demum quod alibi ubique consecutum est, pronunciatus judicio publico innocens, adversarij autem falsitatis & calumniæ damnati.

Interim Faber relictus ab IGNATIO Parisijs Socijs Præfectus, dum condictum discessui Venetias operiuntur diem, non cessavit & ipse novos Socios IGNATII Instituto deligere; & quia illius Exercitia doctus erat peritissimè tractare, præter alios hac arte plurimos DEO & virtuti partos, tres IGNATIO lectissimos Sodales adjunxit, quibus lectissima illa primorum Societatis Patrum decas, non accenso illis Hozio, completa fuit, Claudium Jajum Sabaudum, Paschasium Broëtum Gallo-Belgam, Joannem Codurium Gallum, omnes Theologiæ Doctoratu insignes, Sacerdotio etiam priores duos. Atque hi etiam dum alij instaurant, sua tunc primùm vota nuncupârunt, recurrente eodem assumptæ Virginis die, eodémque in Martyrum montis templo. Constitutus itineri ubi advenit dies, egressi Parisijs ad 5. Nov: Anno 1536. viam omnem dierum 50. pedites emensi sunt, vestitu paupere sed oblongo (qualis tunc Academicorum Parisiensium) scriptorum sarcinulam humeris gestantes, gravissimis & præsentissimis vitæ periculis defuncti; dum denique salvi & incolumes IGNATIO Venetijs restituti sunt 8. Jan: anni insequentis. Illic in duo distributi ab IGNATIO nosocomia, alterum insanabilium, communiter ægrotorum alterum, operam suam omnem miserorum obsequijs consecrârunt, tantâ præstantissimæ civitatis admiratione, ut tota ad hoc invisum spectaculum concurreret, ipsíque adeò Senatores adventarent, novitatis famâ exciti, & pijs lachrymis pietatem spectaculi tenerrimè celebrantes. Dæmon è contra in energumena, quæ culinæ nosocomij inserviebat, rabiem suam & odium in illos palàm testabatur, ad eorum conspectum in clamores inconditos & ejulatus erũpens, ac semet distorquens, *proh! quid ego non movi, ut horum Societatem disturbarem? ut eos hinc procul averterem? malè pereat, qui huc illos adduxit! probè novi quinam sint, & quorsum tendant!*

Quia verò in Palæstinam navigaturis necessarius erat summi Pontificis assensus & facultas, illius postulandæ causâ, post alterum & sesquimensem Venetijs exactum, præter IGNATIUM navigij parandi curam habiturum, reliqui omnes peregrini Romam, etiam ut loca sacra urbis venerarentur, & ostiatim mendicatâ stipe viventes, discesserunt. Summâ comitate à Pontifice Paulo III. excepti, præter potestatem trajiciendi in terram sanctam, & Evangelium Christi ibidem prædicandi, Apostolicam benedictionem, & facultatem ad sacros Ordines à quovis Episcopo, paupertatis & doctrinæ titulo obtinendos, & in viatici auxilium aureos 60. acceperunt. Indè Venetias continuè relegerunt iter, pedites ùt ante ac mendici; nam donatos à Pontifice 60. aureos, & alios 140. à mercatoribus Hispanis, in profectionem transmarinam seponendos censuerunt. Venetijs pristinæ in Nosocomijs operæ se reddiderunt, quoad votis ad pedes Nuncij Apostolici Veralli Paupertatis & Castimoniæ renovatis, à Vincentio Nigusantio consecrati sunt Sacerdotes Anno 1537. festo die S. Joannis Baptistæ. Primitias verò Sacrorum varijs, suo quisque delectu, celebrioribus diebus obtulerunt; dempto IGNATIO, qui ad tanti operis apparatum annum sibi solidum assignavit, quem postea in mensem 18. protulit, annóque tandem insequenti in Natali Domini, ad Christi præsepe, in Æde S. MARIÆ Majoris Romæ celebravit. Posthæc cùm ijs quotidie spes navigandi difluerent, ob Reipublicæ cum Solimanni Turcarum Tyranni classe bellum navale, promissioni tamen DEO factæ, ne qua sua ex parte deessent, expectandum Venetijs uno anno, si quæ se daret occasio, censuerunt. Interea Primitijs majore pietate habendis, & publicis prædicationibus animum paraturi, secessus singuli captant ad dies 40. à strepitu solitarios, in tugurijs vicinarum urbium desertis, corrogato pane & frigidâ, & humo in lectulos contenti, solâ multarum horarum precatione, & varijs pro suo quisque fervore pœnis animam saginantes. IGNATIUS in tugurium Vincentiæ adsitum migravit, visorum illic cælestium frequentiâ eâdem quâ Manresæ, & delicijs Cælestibus pastus, eâ lachrymarum ubertate, quâ cœpti graviùs affici oculi, in reliquam vitam malè habuerunt. Ex hac dierum 40. solitudine progressi, quam Christi Domini exemplo salutis alienæ procurationi præmiserant, in diversas urbes operam dividunt, in quarum fora & plateas prodeuntes, è scamno saxóve fortuito plebem galeri agitatione & vocibus convocant, ùt solent circumforanei ludiones: ad quam, italicè licèt perperam dicentes, sed eâ vi spiritûs inflammati concionabantur, ut qui risus & jocos capaturi accurrerant, suspiria & lachymas referrent.

ferrent.

ferrent. Cùm enim ad unam prodirent pœnitentiam suadendam, pallore ac macie exemplum edebant eorum quæ loquebantur,& concione dimissâ in suam illico eremum se recipiebant. Succubuit nihilominus tot asperitatibus & laboribus Simon Rodericius, qui cum Jaio Bassani operi insudabat, nam ægritudinis malo ad extrema deductus, jussus est ab evocato medico ad emigrandum animam comparare: de quo certior factus IGNATIUS, magnâ festinatione Vincentiâ accurrit,prædicens viæ comiti Fabro, nequaquam Simonem eo morbo occubiturum. Et verò primo statim amplexu illum extra vitæ periculum ità constituit,ut paulò pòst integrè convalescens, labori Apostolico sese reddere potuerit. Sed paulò pòst idem (utì vetus habet suspicio) vel Socius ejus Jaius,graviùs animo ægrotans, fastidio vitæ Apostolicæ, & solitariæ è contra dulcedine inescatus, secessum ab IGNATIO ad Eremicolam jam urgebat, nisì eum emisso in itinere spectro DEUS ad IGNATIUM repulisset. Vix enim ab IGNATIO sese Bassano subduxerat, cùm simulachrum hominis armati supra morem proceri obvium se sistit, irato acerbè vultu gladium vibrans; quo exterritus dum fugam ad hospitium Sociorum præcipitat, stupentibus istis fugientem, quia terroris causam, & insequentem videbant neminem, IGNATIUS divino monito prædoctus socio infideli procurrit obviam, pansísque in illum brachijs subridens excipit, *modicæ fidei*, inquiens, *quare dubitasti?* quibus verbis omnis ab eo in perpetuum tentatio abacta est. Dederat fortè defectionis istius cogitationi materiam Eremita Bassanensis,quócum aliquamdiu tugurio excepti duo prædicti Socij vixerant; nam solitudinis suæ supra vitam Apostolicam æstimator, multum illius sanctam quietem hujus actionibus non solùm palàm anteferebat, sed etiam IGNATIUM, quòd habitu ac more externo nihil ab alijs discrepantem videret, apud se spernebat, unúmque de vulgo Sanctorum credebat. Sed oranti deinde monstratum est cœlitus,quàm sublimi gradu sanctimoniæ singularis apud DEUM IGNATIUS fulgeret: id quod seipsum incusans solebat postea bonus senex alijs narrare, ut discerent à cortice nucleum differre.

Extincta sub hæc spes omnis fuit in Palestinam navigationis: quare IGNATIUS Socijs in unum Vincentiam convocatis, exsolvendâ proponit voti partem alteram restare. Hinc inter eos convenit, ut IGNATIUS, Faber,& Lainez omnium nomine Pontifici se sisterent, ad missiones quacunque orbis parte jussisset, obeundas: in urbes interim reliqui spargerentur quæ Academijs florerent, unde seges sperari posset animarum uberior, & novi Socij conscriptis adjungi. Priùs tamen quàm dividerentur, ad eandem servandam vitæ normam hæc omnibus tenenda præfixa sunt. 1. Mendicato ex eleemosynis vitam sustinere, & in nosocomijs hospitari. 2. Alternis hebdomadis invicem præesse. 3. Concionari per compita, ubicunq; se daret occasio. 4 Christianæ Fidei rudimenta pueris magno studio tradere. 5. Nullam vel unius oboli mercedem pro quovis labore admittere. 6. Demum quidquid occurreret juvandis proximis opportunum, in opus conferre. Si quæreretur quinam essent? vel cujus Instituti tenerent regulam? nil aliud respondere, quàm *de Societate JESU* se esse. Cui nomenclationi ità constanter IGNATIUS adhæsit, ut neque in deliberationem unquam Socijs illam venire passus fuerit, quòd eam cœlitus Religioni à se fundandæ à DEO ipso impositam in specu Manresano accepisset,& quidem(ùt constans apud nos traditio est) in meditatione, quam de duobus vexillis inscripsit. His ità constitutis, delectu urbium habito in quas operam partirentur, Romam itineri IGNATIUS, Faber, & Lainez se dederunt,Xaverius & Bobadilla Bononiam, Ferrariam Rodericus & Jaius, Broëtus & Salmeron Senas, Patavium Codurius & Hozius petierunt. Quorum postremi ob novitatem prædicationum in compitis, suspecti Suffraganeo Patavienſi de hæresi occulta redditi, in carcerem & compedes primùm conjecti, sed paulò pòst honorificè dimissi sunt. Hozius tamen ægritudine contractâ cùm paucis indè diebus decessisset, IGNATIUS in monte Cassino, tradendis tum Exercitijs Petro Ortizio, Caroli V. in Aula Pontificia Oratori distentus, ubi de morbo Socij rescivit,magnis pro illo precibus ad DEUM institit. En autem, ùt quondam S. Benedictus eodem ex loco scandentem in cœlum B. Germani animam viderat, sic vidit IGNATIUS Hozium magnâ luce ab Angelis in cœlum deduci: iterúmque sub Missæ Sacrificio vidit eundem inter Beatorum choros, eodem cum ipsis splendore & gloriâ fulgentem, ex quo tantum percepit dulcedinis, ut per multos dies tenere lachrymas non posset. Ceterùm IGNATIUS cum duobus Socijs Romam proficiscens, quò vicinior urbi fiebat,eò copiosiùs inundabatur cœli delicijs,cùm apud se versaret assiduè, vitam se suam suorúmque omnem Christi Vicario devotum ire. Talibus incitatus flammis, paucis jam Româ miliari-

liaribus à Socijs divulsus, sacram ædiculam viæ imminentem & semirutam subijt, solus illic ferventi prece pusillum Christo Societatis ipsius gregem commendans, quam ejus Vicario delatum ibat: cùm repentè dulcissimo occupatus raptu Patrem æternum conspexit, audivítque Filio, sub crucis pondere conspicuè itidem apparenti, commendantem cum IGNATIO Societatem: Filium verò tantæ deferentem commendationi, conjectis in IGNATIUM oculis, sereno ore concepta hæc sibi dicentem: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Post quæ sibi redditus, magnis fiduciæ motibus simul & timoris cœpit affici, quorum illam firmabat Christi dulcissima promissio, hunc verò excitabat sub gravi crucis pondere, utique minimè frustranea apparitio, quam ipse omen credidit durorum casuum, quibus esset Romæ certò exercendus. Quare egressus sacrâ æde inflammato vultu, & gaudio impar, visa, auditáque distinctè Socijs exposuit, ut in omnem eventum animosiores redderet.

Romam Octobri attigerunt Ann: 1537. & à Pontifice magnâ paterni amoris significatione accepti, totos se Sociósque illius obsequijs & nutui ex voto addixerunt; qui sacris paginis in Sapientiæ Academia Fabrum, Lainium Theologiæ docendæ assignavit, IGNATIO juvandis interim proximis totis viribus attento. Nam & Viros Principes nonnullos Exercitijs excoluit, inter quos Cardinalem Contarenum, & succidaneum pro Hozio Socium Franciscum Stradam Hispanum adolescentem, magnis à natura dotibus præditum, totâ deinde Italiâ, Belgio, Hispaniâ & Lusitaniâ à concionibus notissimum, qui mox à sacra ascesi constanter IGNATIO adhæsit. Inter hæc IGNATIO tempus jam visum est rem agi, in quam semper defixos habebat oculos, dandi videlicet Religiosæ Familiæ certum initium. Ad hoc Socios omnes Romam literis evocat ad sacrum Paschæ diem A. 1538. & in diversas urbis Ecclesias partitur ad conciones & catechesim habendam: 200. aureos à Pontifice & Hispanis quibusdam ad iter maritimum donatos, Orrizio restituit, quo suggerente donati fuerant, ut quando jam esset irritum Palestinæ petendæ consilium, pro sua illos prudentia dispensaret. Magnam primùm excivit ad audiendum frequentiam novitas & efficacitas, quam eorum verbis divinus indebat Spiritus, & secutus est fructus brevì Romæ in aliam mutatæ. Nam restitutus est tandem Sacramentorum frequens usus, puellis periclitantibus, orphanis, ex Judaismo & meretricio conversis, liberaliter consultum. Nemo tamen è Socijs par IGNATIO fuit, quo audito ajebant homines DEUM videri in eo loqui, tanta dictioni inerat pietatis & spiritûs vehementia, efficacia sensuum, & gravitas rationum. Ecce autem decumanam in eos procellam, quam excitavit Frater quidam Augustinianus, sub veste religiosa exquisitissimè Lutheranus. Hunc sæpius pro concione, utì erat talentis in eam rem instructissimus, dicentem, ubi audierunt diversi è Socijs, manifestos ab eo Lutheri errores, licèt admodum tectè, spargi deprehenderunt: quos ignoratione fortè insonti magìs, quàm malitiâ ab eo depromi interpretati, hominem privatim convenire, & quæ ipsi incautè excidissent revocare, probaréque mera esse Lutheri dogmata. Sed cùm in homine obstinato nil proficerent, nisì ut tantò audaciùs virus in populum spargeret, cæperunt suis quoque de pulpitis opposita illis demonstrare, in quibus prævaricabatur Lutheranus. Quâ eorum constantiâ ictus homo nequam, artem commentus est sceleratam asserendi sibi Catholici nomen, adversarijs in suspicionem hæreseos conjectis. Magnâ igitur pompâ laudare pro concionibus Catholicam fidem, ejúsque tuendæ obligationem: tum ad IGNATIUM paulatim delabi, monere cavendum omnibus à simulato in pastore lupo, qui diu per celeberrimas Europæ Academias latuisset, magnis editis stragibus animarum; Romam demum cum aliquot sibi similibus bestijs advenisse, ut suos per illam errores spargeret: meminissent hanc esse magistrorum hæreseos artem, ut sanctimoniam attritis vestibus, severo jejunio, humili sermone præferant, doctrinam aliorum in suspicionem errorum trahant, ut suos ipsi liberiùs propalent. Nè vellet Roma minùs esse provida, quàm fuerat Complutum, Salmantica, Parisij, Venetiæ, in quibus IGNATIUS damnatus hæreseos, quà palinodiâ, quà fugâ se rogo subduxerit, cui suo quodam cum libello fuerat addictus: & hujus rei testes Romæ adesse. Quibus calumnijs veterator tantùm profecit, ut non vulgo solùm, sed & primarijs Cardinalium persvasum fuerit, IGNATIUM & Socios tales esse, quales depingebantur. At enim DEI singulari curâ factum est, ut omnes tunc causæ IGNATII Compluti, Salmanticæ, Parisijs, Venetijs Cognitores, unà Romæ adessent, & literæ simul venirent à singulis urbibus, in quibus tum Socij laborabant, cum amplissima illorum innocentiæ & virtutis testificatione: quibus fretus

IGNATIUS, causæ decisionem apud Gubernatorem urbis urgere, & Pontificem ipsum ad sententiam ferendam interpellare non destitit; quâ tandem per Gubernatorem in forma Juris solenniter pronunciatâ, & publicis tabulis comprehensâ absolutus, accusatores verò partim hæreseos, partim imposturæ condemnati, miserrimè vitam finiverunt. Et Psevdo-Augustinianus quidem arreptâ fugâ Gebennæ constitit, intérque Ministellos Lutheri nomen professus, ad extremum facinorosam vitam ignis supplicio (ùt tradit coævus scriptor) quod Romæ effugerat, conclusit. Testium alter flammis addictus, cùm effracto carcere evasisset, probrosè in sua statua ad Campi floræ cremata exustus est: alter verò perpetuis carceribus addictus. Porrò existimationem de Sociorum & IGNATII innocentia non parùm auxit incidens proximâ hyeme annonæ caritas, quâ miserrimè oppressos pauperes, & per compita ac vicos tristi spectaculo jacentes, in domos conductas colligebant, & eleemosynis undique corrogatis, illorum supra quadringentos sustentabant. Quæ cùm totâ Urbe differrentur, excitati Romani Proceres, cæpêre benigniùs & victûs & pecuniarum stipem submittere, quâ varijs locis, tribus millibus calamitosorum, usque ad novas fruges vita servata est.

Hâc Sociorum famâ motus idem Pontifex Paulus III. significavit IGNATIO, velle se operâ Sociorum diversis in locis uti. Quare hìc tempus venisse conspicatus Societatis in Religiosum ordinem formandæ, rem tanti ad DEI gloriam momenti ardentissimè inprimis DEO commendavit, tum convocatis in Senaculum Socijs, idem summo conatu apud Pontificem urgendum proposuit, nè res tam bene cœpta unà cum ipsorum in varias regiones dispersione dissiparetur. Omnibus autem in sententiam IGNATII euntibus, quia ante omnia certa quædam vivendi forma & Regula invenienda erat, sub quo novæ Religionis confirmatio à Pontifice peteretur, statas quot noctibus horas (dies enim integros auxilia proximis præbita occupabant) illis præscripsit, quibus Societatis rudimenta, partésque illius præcipuas communi suffragio designarent: quæ tranquilla per noctem deliberatio tres menses tenuit. Atque ità formatum Societatis Institutum IGNATIUS per Cardinalem Gasparem Contarenum Pontifici obtulit, à quo retractandum Sacri Palatij Magistro P. F. Thomæ Badia comissum, & post bimestre examen cum summa ejusdem approbatione Pontifici redditum fuit: quod nihilominus Pontifex ipse relegit, & eximiâ commendatione prosecutus, vivæ vocis oraculo comprobavit, additis illis verbis: *Digitus DEI hic est*, Tybure 3. Septemb: Anno 1539. Tribus subinde Cardinalibus maturè denuo expendendum traditum, rejiciendum omnino ab ijs credebatur, quòd à multiplicandis Religiosorum familijs summopere abhorrerent, & ipsas jam in Ecclesia constitutas, ad solos quatuor Ordines redigendas contenderent. Verùm continuis ab IGNATIO precibus sollicitatum Numen exitum prosperavit, sed modis in speciem optatæ rei contrarijs. Dum enim Instituti forma à Cardinalibus ad libellam vocatur, Pontifex magnorum Principum & Antistitum rogatu, Socios in diversa misit; verùm suam quisque stationem vix obtinuerat, cùm Romam undique perfertur de mirabili successu, quo egregiam illorum operam divina bonitas fortunabat. Faber enim Parmam brevi tempore sanctam, ità loquendo, effecerat, & plus centum simul quà Sacerdotibus, quà Laicis, eodem tempore Exercitia tradebat. Nihilo minor fructus labores Lainij sequebatur Placentiæ: Paschasij & Roderici Senis: Neapoli Bobadillæ: quibus similia Balneoregij præstabat Jaius, & Strada Brixiæ, licèt necdum Sacerdos. Quibus non tantùm per Italiam, sed per universum Christianum orbem vulgatis, Joannes III. Lusitaniæ Rex de Socijs IGNATII sex à Pontifice mitti pro Indijs petebat, licèt duo duntaxat, Xaverius & Rodericius concedi potuerint: & Orator Caroli V. Fabrum Wormatiam ad Comitia Imperij concedi, præsidio contra Lutheranos futurum, flagitabat. Qui tam læti successus fecêre perspicuum sapientissimo Pontifici, hanc esse venam Apostolici Spiritûs ab IGNATIO profectam, quâ res Catholica contra pullulantes in Septentrione hæreses sustineri posset & fulciri. Verùm obstinatè resistebat Cardinalis Gvidiccionius, ità à nova erigenda Religiosa Familia abhorrens, ut nè legere quidem oblatam ab IGNATIO normam Instituti vellet. Sed IGNATIUS majoribus votis, lachrymis & asperitatibus DEO supplex factus, postquam omnium nomine tria millia Sacrorum dicenda cœlo vovit, expugnâsse DEUM videri potuit: siquidem Cardinalis repentè se, nesciens quo pacto, nisì ex vi cœlitus illata, mutatum miratus, ultro Instituti formam legendam deposcere, perpendere singula, cunctísque mirè placentibus, Cardinales duos negotij secum administros in eundem sensum

sensum adducere, denique apud Pontificem efficacissimum causæ IGNATII patronum agere. Quare submotis obstaculis Pontifex Societatem JESU in Religionem formavit, edito diplomate cujus initium est, *Regimini militantis Ecclesiæ*, sub dato 27. Sept: Anno 1540. Et licèt tum vetuerit Professos plures 60. in Societate censeri, sex tamen post biennium mensibus, viso incomparabili, quem isti ubique referebant, fructu, novo diplomate eas angustias penitus laxavit, 14. Martij A. 1543. quanto, quámque exuberante IGNATII gaudio, vix cogitari, nedum verbis exprimi possit.

De tam prospero rei eventu absque mora Socios IGNATIUS certiores per literas reddidit, & Romam omnes, præter Xaverium & Rodericium, qui jam in Lusitania erant, sub initium Quadragesimæ Ann: 1641. evocavit, ad eligendum Generalem Præpositum, & Cõstitutiones ac Regulas decernendas. Defuêre tamen in eo Conventu Faber, Wormatiæ à Cæsare detentus, & Bobadilla Neapoli, ob insignem quam præstabat operam à Pontifice ibidem subsistere jussus. Et de Constitutionibus quidem ac Regulis condendis unanimiter omnes IGNATII arbitrio negotium permiserunt, id omne ratum habituri, quod ipse sancivisset: pro eligendo autem Generali triduum IGNATIUS indixit, ad communicandum cum DEO electionis negotium, allaturis deinde in schedula electi nomen sigillo munitum. Post quæ apertis schedis, etiam absentium, quas Romæ discessuri reliquerant, omnium suffragijs renunciatus est Præpositus Generalis IGNATIUS. Verùm cùm is summopere illorum judicio refragaretur, séque oneri minimè idoneum contenderet, evicit ut electio integraretur, post novum quatriduum orationi & afflictationibus datum. Quo expleto, iterum votis concordibus præsentium omnium in munere confirmatus, necdum acquievit, sed ad sententiam sui Confessarij ex Ordine S. Francisci provocavit, apud quem post tridui secessum confessione de tota vita peractâ, totum se ejus arbitrio permisit, ut ex ea, quam illi exploratissimam fecerat, sui totius notitiâ, ex anteactis certiùs decerneret, quid de futuris posset conjici. At Confessarius cùm nihil admodum occurreret quod eo egeret examine, vetuit illum deinceps manifesto Spiritûs divini nutui contraire: atque ità morem DEO ac Socijs gerens IGNATIUS, munus Generalis suscepit 19. Apr. An. 1541. & unà cum Socijs, visitatis septem urbis Ecclesijs, vota Professionis ad S. Pauli in Ara B. Virginis denuo solenniter emisit. Visus etiam fuit DEUS servum suum ad regendi officium velle animare, concedendo illi potestatem humanâ majorem, quâ dæmonem ex obsesso domestico famulo brevi fusâ precatione ejecit. Quantâ verò sapientiâ, & exactissimâ ad divinæ gubernationis regulam prudentiâ Societatem rexerit, quâ providentiâ Socios in partes mundi diversas ad labores Apostolicos dispensârit, nihil attinet hìc referre; curiosus talium lector fusè hæc tractata à P. Daniele Bartoli *de vita & Instituto S. Ignatij*, inveniet libro 3. & constitutiones ipsæ tam mirabili sapientiâ ab illo conscriptæ loquuntur.

Suscepto Generalis munere IGNATIUS, non idcirco à procuranda per suámmet ipsius etiam operam & labores, proximorum salute cessandum sibi putavit, quin adeò ab hac illud auspicatus est, dum pueris Catechesim primis statim diebus sex supra quadraginta explicuit. Quantis verò totius orbis ad DEUM convertendi desiderijs flagraret, luculenter ostendebat, quoties in ultimo affatu Socios in diversa ad laborandum in Vinea Domini emittens, dicere solebat, *ite, omnia incendite & inflammate*: igne nimirum illo divini amoris, quem Filius DEI *venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi*. Utque tantò efficaciùs animos illorum ad laborandum adstringeret, rationes accuratissimè ad se proventuum, operâ cujuslibet collectorum, transmitti volebat, præcepto obedientiæ obstringens per Italiam & Siciliam Superiores, hebdomadis singulis ad se diligenter perscriberent, quidquid ad salutem animarum suis in Collegijs actum esset: quâ eâdem lege teneri quot mensibus voluit, qui Societatem in Germania, Hispania, & alibi per Europam regerent: ab ijs verò qui apud Indos præessent, annuatim: tanta illi erat lucri animarum sitis & avaritia! Neque cessabat frequentibus epistolis, ardore cælesti refertis, stimulos eis subjicere, & zelum singulorum ad strenuè agendum incitare; quibus tantum animi ipsis accrescebat, ut seipsis fortiores indies evaderent, & incredibiles illos, quos miramur fructus, toto orbe proferrent. Ipse autem Romæ ante omnia conversioni Judæorum incubuit, annúque unius spatio 40. ex ipsis sacro fonte lustrandos ad Christum perduxit; evicítque apud S. Sedem, ut propriæ ædes alendis ex ea gente Catechumenis assignarentur, néve ad Christum è Synagoga transeuntes bonis suis, ùt antè fiebat, cedere cogerentur: li-

beri similiter invitis Parentibus Christum amplexi, nullâ hæreditatis particulâ fraudarentur. Præter hoc pueris ac puellis omni ope parentum, tecto & victu destitutis consultum cupiens, tutum eis receptum duas comparavit domos, maribus unam, fœminis alteram, orphanorum appellatione, in quibus educati ad artem cuilibet accommodam, victum deinceps sibi quærere, & publico servire possent. Nec minùs de pauperum Virginum pudore discrimini subducendo sollicitus, Cœnobium S. Catharinæ, à Funarijs nuncupatum, illarum receptui fundavit, certámque præscripsit, quoad istic agerent, vivendi rationem, dum aut nuptui traderentur, aut attonderentur in sacras moniales. Sed & ad meretriculas cœno & inferis eripiendas ejus se extendit zelus, quas ipse valetudine licèt attritâ venerari, & probrosis ex domibus ereptas palàm spectante Româ comitari, securóque asylo includere. In quo monitus tempus in cassum atque operam conteri, quòd hæc prostibula licèt hodie lota viderentur, cras lutum suum repetitura essent, respondit: *sat beatum se fore, si non eâ solùm, sed & totius vitæ operâ & labore, vel uni earum persvasisset, nocte unâ duntaxat peccato abstinere.* Cùm verò cœpta IGNATII contra spem omnium DEO secundante, numerus resipiscentium harum major cresceret, quàm ut eis apud pias urbis matronas receptacula inveniri possent, ipse effossos è veteribus parietinis Domûs nostræ lapides vendi jussit, & confectos indè 100. aureos in coëmendam S. Marthæ domum contulit: quo exemplo excitata multorum pietas tantum contribuit, ut plenè ædes illæ comparari & instrui potuerint 300. facilè personis, quas è fœcibus peccatorum IGNATIUS extractas illic non alebat solùm, sed in eam instituebat pietatem, cujus laudibus passim sacra pulpita personarét, & multæ honestæ Virgines eidem contubernio aggregari optarent. Quas verò indè calumnias ab impuris lenonibus, amicas suas eripi sibi frendentibus, passus sit IGNATIUS, quæ opprobria & scurriles sannas, famosis etiam libellis per urbem sparsas, longum esset recensere, quando nec ipsum Pontificem appellare veriti sunt, criminantes ab IGNATIO mulierculas alijs eripi, ut eas suæ & Sociorum libidini vendicaret. Sed ubi publico judicio calumnia in caput accusatorum recidit, ad palinodiam publicam damnati, innocentiam infamati IGNATII instrumento solenni fateri coacti sunt.

Quia verò per id tempus Lutheri hæresis magnam in Germania stragem non in Laicis tantùm, sed & in Clero, magnâ passim inscitiâ & fœdis moribus corrupto, faciebat: cœpit IGNATIUS, negotio cum Cardinali Morono & Sancta-Crucio collato, de remedio efficaci cogitare: quod optimum fore credebant Cardinales, si Romæ delectorum è Germania Juvenum Seminarium conderetur, ex quo rectam & sentiendi & agendi scientiam haurirent, quibus in patriam reversi quassatam fulcirent Fidei veritatem, & labantem Pontificis auctoritatem. Cogitationem tam Sanctam mirè probavit Pontifex Julius III. largámque ad dandum Seminario principium contulit pecuniam, IGNATIUS verò contubernio statuta & canones condidit, 24. Adolescentibus Germanis Anno 1552. die SS. Simoni & Judæ sacro in illud inductis. Id quantopere Lutheranis displicuerit, abundè prodidit nominatissimus ex illis Chemnitius, scribens, *hanc unam etsi aliæ deforent, ob causam, posse Societatem Germaniæ, & reformati Evangelij ruinam meritò appellari.* Nec id latebat IGNATIUM, qui Paulo IV. ob belli Neapolitani & annonæ difficultates consveta largitionis subsidia negante, Alumnos per domicilia Societatis distributos, nihilominus ex eleemosynis & mutuo sustentare perrexit: & Cardinalibus quibusdam, quòd tam accisis rebus Seminarij restitutionem desperarent, suadentibus, ut curam ejus prorsus deponeret, *per me*, respondit, *deponat, quem nimiùm gravat; sustinebo id solus, tametsi venundari me propterea opus sit.* Procuratori verò multum jam æris alieni contractum querenti prædixit, certissimò fore, ut submissis paulò pòst largitionibus ea nomina delerentur (quod brevì eventus comprobavit) & futurum tandem, ut Seminarium id in grandem numerum, & parem numero fundationem amplificaretur; quod itidem munificentiâ Gregorij XIII. cumulatè præstitum est. His accesserunt innumera alia ab IGNATIO, penes Societatis universæ gubernationem, in bonum animarum præstita: revocata ad disciplinam veterem in Catalaunia, Sicilia & Italia, complùra Monialium Cœnobia: duellorum in Lusitania sublatus furor, antiquis in illa legibus suasu IGNATII ab Rege instauratis: Tribunalis Inquisitionis promota institutio, ad arcendas ab Italia hæreses: persuasus Æthiopiæ Imperator, ut unionem cum Ecclesia Romana iniret, ad quem & literas & Socios misit: menstrua Communio, cùm ante vix annua in more esset,

ſet, toto orbe propagata: impetrata à Paulo III. ſanctio, nè Medici curam ægrorum ſub gravi pœna aſſumerent, niſi priùs hi medicinâ confeſſionis ſaluti ſuæ caviſſent, ad quos primus ipſe quovis abrupto negotio procurrebat, ac ne Societatis curâ abſtraheretur ab alijs juvandis, diem proximo, gregi ſuo noctis horas ſex ſeptémve tribuebat. Tanta autem converſationi ejus & cum proximo colloquijs inerat efficacia, ut neſciatur ullum cum eo egiſſe, quin alius omnino ac venerat receſſerit, quamlibet interdum eſſent perditiſſimi, & in malo obſtinatiſſimi; erga quos amoris teneritudinem præferebat planè maternam, ut in caritatem & ſvavitatem totus defluere videretur: unde fiebat non rarò, ut ab eo digreſſi, rectà ad Confeſſarium procurrerent peccata poſituri. Sanè cùm Judæus quidam ſacrum Baptiſma expetens, domi noſtræ interea dies aliquot myſterijs Fidei imbueretur, repentè autem dæmonis aſtu in tranſverſum actus, Judaiſmum pertinaciter repetere ſtatueret, ut nec blandimentis, nec ullâ vi rationum retineri poſſet, IGNATIUS implorato priùs DEI auxilio, pauculis his verbis illum in gradu & propoſito firmavit: *mane nobiſcum Iſaac.* Quod idem publicis ejus concionibus fiebat, non in templis ſolùm, ſed & in platea monetæ veteris, & Alteriorum, in quibus ùt plurimùm ad populum dicebat, principiò à turba puerorum exploſus & luto appetitus, ſed paulatim exerente ſe in animos efficaciâ ſpiritûs in eo loquentis, multis confluentium lachrymis & converſione morum auditus.

Hoc tam multiplici ad ſervandas animas ardore in varias longè provincias per Socios diſperſo, celebrabatur totâ Europâ IGNATIUS, fremente interea hæreſi, & arma in ejus excidium parante, tantò periculoſiora, quantò tectiora & domeſtica. Diſcipulum habebat Philippus Melanchton Lutheri corrivalis Calabrum natione, Michaëlem nomine, acutum & vafrum ingenio; hic à Magiſtro ad ferendam inter Socios ſi poſſet hæreſim conductus, Romam cùm veniſſet, Societatem, quam petebat, ritè probatus obtinuit. Nihil eo ad oculum ſanctius, nihil modeſtius, ad ſacra tantò frequentior, quantò nullam ijs præbebat fidem. Cùm verò ſenſim ſuos errores depromere, & in tyrones ſpargere cœpiſſet, deprehenſus ab IGNATIO, & ad ſacros Quæſitores continuè delatus eſt: quem cultu ſuo ſæculari indutum, ubi primò domo noſtrâ expulſus eſt, ſacri Tribunalis ſatelles in carcerem abripuit, illud verò hæreſis convictum, triremi perpetuâ damnavit. Non tamen primo inſultu perdito ab urgenda impreſſione abſterriti ſunt novatores, ſed ad aliam priore deteriorem artem converſi, libros multos Romam pervectos, piæ largitionis ab ignoto mecœnate nomine, Domui noſtræ donârunt, ciſtis grandibus duabus incluſos: horum pars ſuperior, ad tegendam fraudem, ſcriptores exhibebat Catholicos; Lutheri, Melanchtonis, ſimiliúmque fæx, fundum velut in inſidijs tenebat. Sed & hi deprehenſi, incendio omnes ab IGNATIO addicti ſunt, & ſic utrobique vulpinæ fraudes evanuerunt. Feliciùs è contrà multò in hæreticis ad DEUM reducendis negotium IGNATIO ceſſit, quorum multos, à Luthero præcipuè abſtractos, Eccleſiæ reddidit; fuítque ea in re tam perſpecta Fidei Quæſitoribus ejus dexteritas, ut ſi quos intercepiſſent hæreſis veneno intoxicatos, maximè qui in erroribus pertinaciùs animam obſtinâſſent, illos IGNATIO velut ad extremum conflictum traderent, nunquam fruſtrato eventu. Neque id mirum, ſciebat enim, ſi quis alius, pretium animarum Chriſti ſanguine redemptarum ſuo pondere æſtimare, quarum lucris totam vitæ ſuæ & Societatis Inſtituti rationem attemperavit, & licèt ex propenſione ſua in rigorem & vitæ aſperitates inclinatior eſſet, communem tamen agendi normam, utpote actioni cum omni genere hominum magìs accomodam, Apoſtolorum exemplo delegit. Tanta autem illius erat ſalutis humanæ ſitis, ut diceret, datâ ſibi à DEO optione, malle beatitudinis incertum vivere, & interim DEO in proximorum ſalute quærenda inſervire, quàm certum ejuſdem gloriæ ſtatim mori.

Porrò ad hunc proprium vitæ Apoſtolicæ effectum, qui eſt ſalus, & ad DEUM animarum converſio, quantum virtutum adduxerit apparatum, quia breviter recenſeri neutiquam poteſt, lectorem ad ejus geſta à Patre Daniele Bartoli fuſiùs edita remitto. Sanè humilitas profundiſſima illum induxit, ut poſt decennium in munere Præpoſiti Generalis exactum, illo ſe abdicare efficaciſſimè tentaverit, Patribus ad novam electionem faciendam undiq; ex Provincijs per literas Romam evocatis. Generalis autem creatus, primò omnium ad culinam ſe contulit, operam eo die coquo in eluendis ollis, afferendis lignis, ceteríſque id genus foci miniſterijs locaturus. Et cùm peccatorem omnium maximum ſe æſtimaret, & ab omnibus credi & haberi percuperet, ſtupebat vehementer DEUM nihilominus in ſe tam benignè dona ſua profun-

dere, séque tam frequentibus revelationibus, apparitionibus, & alloquijs suis, Christi Domini & B. Virginis dignari : indè ajebat, repertum iri mortalium neminem, in quem duo extrema convenissent invicem ità opposita, ut essent sua tot peccata cum tot DEI donis. Virtutes autem & bene acta occultissima semper habebat, Confessario excepto, cujus arbitrio omnia ad minutias usque, seu bene seu perperàm gesta, & dona DEI singula manifestabat. Erat autem is P. Jacobus Equia eximiæ vir sanctitatis, qui arcani secreto ab IGNATIO adstrictus, cùm admirabilitate eorum quæ sciebat attonitus, impetrare à se non posset, quin in genere saltem subinde sanctum, & sancto majorem diceret; de quo, dummodo paucis saltem horis ei demortuo superstes esset, ea proditurus esset, quæ attonitos omnes facerent audientes. Id ubi rescijt IGNATIUS, alium sibi mox elegit à confessionibus, cum acerbissimo boni senis dolore, injunxítque per triduum flagellationem quotidianam dum tres recitarentur psalmi, intermonente post singulos, qui eos recitabat, *meminisset deinceps in verbis esse consideratior.* Creditúmque fuit à Patribus omnibus, IGNATIUM humilitati suæ consulentem impetrâsse à DEO, ut Equia pauculis ante suum obitum diebus prior vitâ decederet, omnísque cum illo memoria eorum exiret, ex quibus posset etiam post mortem sanctitas IGNATII deprehendi. Jam affectus interni & animi motiones tam fuerunt in eo compositæ, & rationi subjectæ, ut omnibus planè carere videretur. Die quodam in domo piorum amicorum de rebus divinis colloquenti, adfuit anhelus ex cursu nuncius, & quidpiam in aurem insusurravit: *bene habet*, inquit IGNATIUS; & hoc solo illum remittens, pergit eodem ore horam integram de DEO disserere. Sub discessum rogatus, ecquid boni nuncius ille tulisset? *nihil admodum*, respondit, *nisi quod apparitores ob debitum quoddam Domum nostram omni supellectili spoliant : verùm lectos si nobis auferent, non deerit ad quietem humus.* Cùm die quodam ægrotantem vetarent medici quidquam cogitare, ex quo mœrorem perciperet, animo in DEUM toto collectus circumspexit, forétne quidpiam, quod animum suum de sereno in turbidum, & malaciam in tristitiam mutare posset; nihílque aliud deprehendit, nisi si Societatem dissipari casu aliquo contingeret: eam tamen ipsam turbationem non fore sibi molestiorem dixit, quin horæ quadrantis in DEUM collectione componi posset. Senio jam & laboribus fractus, eo nihilominus in animarum salutem fuit zelo, ínque DEUM expectoratâ fiduciâ, ut identidem profiteretur, si vel innueret Christi Vicarius, solo baculo nixum in quamlibet mundi regionem iturum : síque navigandum foret, transmittendo mari fortuitam quamvis conscensurum navim, inermem licèt, malo, remigio, & gubernaculo carentem. Cúmq; audientium nonnemo objiceret, *at hæc Pater cujusmodi foret prudentia?* respondit, *imperantis debere esse prudentiam, non obedientis: & si qua prudentiæ pars pertineret ad obedientem, hanc esse, ne velit prudens esse, ubi desinat fieri obediens.*

Quia verò mensura amoris in proximum est charitas in ejus Conditorem DEUM, vixisse hanc vitam videtur IGNATIUS rebus omnibus mortuus præter DEUM, nullóque alterius actionis sensu, nisì dilectionis erga DEUM; cujus tamen flammis incensus redigebatur quandoque ad extrema, & observatum est morbos omnes, quibus in postremum discrimen adducebatur, ex hoc incendio ortum habuisse. Sic Anno 1550. in Natali Domini ab re sacra bis consequenter facta in eum languorem solutus est, ut de vita periclitaretur: quare nisì diebus summùm alternis operari sacris non poterat, quibus peractis, non raro alienis manibus in cubiculum reportandus erat, adeò penitus æstu amoris exhaustus, ut nec in tres passus valeret procedere. Corpus interim totum corde incitatiùs palpitante ità concutiebatur, ut rumpendum pectus cum venis omnibus videretur, oculis simul in placidas lachrymas diffluentibus: à quorum perpeti fletu cœcitatis periculum ipsi imminebat, fuítque necesse preces Canonicas à Paulo III. Pont: breviore precum recitatione illi commutari. Atque hos animi ardores confirmavit flamma capiti sacrificantis visa imminere, ad quam extinguendam cùm nonnemo accurreret, vidit IGNATIUM à sensibus alienatum toto vultu sic æstuare, ut ex eo flammæ emicare viderentur: splendores item radiantis faciei, quibus eum coruscare sæpius multi observârunt. Demum quidquid vidisset, legisset, vel audisset, gradus illi ascendendi fiebat ad DEUM; hinc oculos in cœlum creberrimè attollebat, ut eo potissimùm signo designaretur à civibus, *ille*, ajebant, *Pater, qui cœlum suspectat continuò, & sermones de DEO perpetuò infert.* Inter hæc raptus illi in DEUM fuêre propè quotidiani, videbátque sibi præsentes vario schemate di-

vinas

vinas Personas, Christum Dominum, Virginem sanctissimam, sæpissimè verò SS Trinitatem arcanissimum illud suum mysterium ità clarè ineffabilibus modis ipsi manifestantem, *ut quod præterea,* scribit ipse, *de illa caperem, nihil videretur superesse. Stanti mihi aliquando ad focum,* narrat idem de se, *redibat iterum in oculos JESUS, post etiam in Urbe ac per vicos, eunti, redeuntique à Cardinali Carpensi, locisque alijs spectabilis aderat; quo tempore JESUM audiens ac videns, tanto amore incendebar, ut fore unquam tam potens aliquid non putarem, quod me posset ab eo sejungere.* His tot cœlitum delicijs inescato IGNATII animo, erat omnis in terris mora violentus labor, & licèt pro eo, quod ex se poterat in DEI gloriam proficisci ad animarũ questum, obsequio (quo nihil ipsi erat in vita carius) ab se impetrare non posset, ut discessum è vita peteret, precum tamen vices obibant flammæ ardentis in DEUM amoris, quæ morantem in DEUM trahebant. Unde ex sola mortis cogitatione tantum illi affluebat beatæ voluptatis, ut gaudio impar æstuaret pectus extra modum, esse̅tque necessariò animus aliò avocandus. Quare si quem audîsset curas suas in annum sequentem, vel menses aliquot mittere, demirans ajebat, *heu me! at unde hæc vitæ ulterioris cupido? cùm enim ex vitæ incerto liceat gaudere certâ spe DEI quàm primùm possidendi, quomodo te ipsum juvat lubentiùs fallere diuturnitatis illius expectatione? cujus certus si fores, dolere te mœrore non consolabili deceret.*

Ceterùm brevem ei restare in vita commorationem facilè colligebant Socij ex ejus dictis, quibus prodebat nihil sibi præterea inter homines admodùm restare agendum, ijs plenè officijs defuncto, ad quæ electus à DEO fuerat. Tria verò sibi maximè optata ajebat abundè fuisse præstita: 1. Societatis Institutum Christi authoritate à Sede Apostolica in perpetuum confirmatum. 2. Libellum Exercitiorum ab eodem Christi Vicario approbatum. 3. Constitutiones suas per Societatem universam in opus & usum redactas. Quod sapienter etiam advertens Pontifex Marcellus II. in quodam cum viris præstantissimis de IGNATIO & Societate colloquio, negabat ab se lectum quenquam, indè ab Apostolorum temporibus, tot fructus satorum à se operum vidisse, quot & quales vidisset superstes IGNATIUS. Societatem enim annorum vix 16. vidit toto jam orbe diffusam, omnibus ubique linguis Christum prædicantem; integros populos ab Idolis Christo & Ecclesiæ per eam subjugatos; vidit in Provincijs fundata Societati plus 100. Collegia, præter illa quorum fervebat in propinquo fundatio: vidit in Antonio Criminali primitias de Societate Martyrum, & tot per Filios suos patrata ubique prodigia; vidit excellentissimam multorum ex illis sanctitatem, etiam in summorum Principum, Regum, Cæsarum, ac Pontificum oculis ità æstimatam, ut & ad Conc: Tridentinum Oratores, & in diversas Regiones Nuncij Apostolici mitterentur, & ad Insulas certatim expeterentur. Tandem ergo ad præmia fidelis operæ DEO præstitæ evocandus, Julio ineunte An. 1556. valetudine solitò graviùs afflictâ, persensit exilij sui has fore reliquias, idémque apertè quibusdam prædixit. Sed cùm Medici levem febriculam accedentem parvi ducerent, & nè remedio quidem dignarentur, ipse voti quàm primùm fruendi ex divino promisso conscius, tantò magìs gaudebat, & profectionem suam, ut eâ tacitus ac furtim propemodum defungeretur (quod optârat, & obtinuerat) cum DEO adornabat. SS. itaq; Christi Corpore refectus postridie P. Polancum Societatis Secretarium accersit, & suprema edit mandata, jubens ante omnia Pontificem adeat, ac supremam ab eo adprecationem demissè petat: quam dum iste in diem sequentem, nihil periculi pronunciantibus Medicis, differt, primo diluculo IGNATIUM animam agentem deprehendit; dúmque ad Pontificem currens cum beata adprecatione revertitur, ille interim in paucorum Patrum (quod humilitatis studio unicè habebat in votis) corona, placidissimè animam efflavit, ultimâ Julij ejusdem anni, cùm annum ætatis ageret 65. Sacrum ejus corpus ingenti hominum concursu elatum, priusquam tumulo conderetur, alij manibus, pedibus alij oscula figere, coronas alij precatorias admovere, & per vim segmenta vestium aliqua auferre. Ipse autem quo Romæ momento obierat, matronæ nobili Margaritæ Gilliæ, Societati inprimis addictæ, luce fulgidissimâ conspicuus Bononiæ comparuit, cum dicto: *En ego, ùt vides, discedo, filios meos tibi commendo.* Romæ verò quâ horâ tumulabatur, admotus puellæ strumis deformatæ Viri sancti panniculus, repentè multorum in conspectu eas omnimodè sustulit.

Translata deinceps binis vicibus IGNATII ossa, novis semper cum prodigijs fuêre; & quidem translationem primam nocte integrâ præ-

prævià audivit P. Julius Mancinellus, vir notæ sanctitatis, celebrari ab Angelis cœlesti musicâ, suavitate vocum & Symphoniæ tantâ, ut se inter beatos versari crederet: in altera vidêre multi ex Patribus, tumbam stellis undique splendore vivido radiantibus conspersam. Donec miraculis per orbem universum per Sancti merita patratis, & undique Romam prolatis, motus Pontifex Paulus V. cum de more Beatum pronunciavit, Missâq; & officio Ecclesiastico coli concessit A. 1609. Gregorius autem XV. in Sanctorum numerum Anno 1622. Martij 12, retulit. Quod autem miracula attinet, ante & post obitum meritis ejus à DEO concessa, ea præter enarrata in ejus vita, & Bulla Canonizationis, tot & tanta extitêre, hodiéque in puerperis potissimùm cernuntur, ut plura ex ijs contexi volumina possent. Centum ex authenticis desumpta documentis refert P. Daniel Bartoli de vita S. IGNATII lib: 5. Et permulta alia recenset Alphonsus de Andrada, opere de miraculis Sancti patratis Munebregæ in Aragonia: & alia rursus in Sicilia Regalbuti, examinata in foro Ecclesiastico, & ab Episcopo loci approbata, mandata typis Panormi Anno 1668. Neque ullus intercidit annus, quin in singulis Societatis Provincijs annuæ nostræ de more literæ bene longum texant catalogum beneficiorum, quæ invocatione S. IGNATII diversis hominum necessitatibus cœlitus conceduntur.

Et hactenus quidem gesta IGNATII pro salute animarum, conscriptos Socios, & auctoratum fortissimum militanti Ecclesiæ exercitum dedimus; declarandum nunc restat, quàm aptis eundem instruxerit in finem hunc Apostolicum Institutis, quos digesserit in ordines, quibus armis munierit, quam tesseram dixerit, quæ denique signa observare, quas leges tenere, quæ agenda perficere docuerit, ut ex his demum luculentè constet, vitam Societati ab ipso propositam, verè esse Apostolicam: posśitque illi ex vero tribui id, quod eidem adscripsit Cardinalis Bandinus: *magna quidem esse ac stupenda, quæ vivens gessit Ignatius, sed præter hæc multa & majora nunc quoq; gerere; quantam enim sementem doctrinæ cælestis toto orbe facit instituta ab eo Societas, quàm multos ad DEUM Ethnicos, ad Matrem hæreticos reducit, quot sapientiæ fovendæ & expoliendæ gymnasia aperit, omnia Ignatio deberi.* Et inprimis quidem cùm mores finis constituat, tribuátque illis tum gradum efficientiæ, tum eligendorum mensuram & modum, ante omnia finem Societati eundem, quem Christus Apostolis posuit. *Finis*, inquit, *hujus Societatis est, non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Conformiter ad illud Christi Domini, *venite post me* (per vitam nempe sanctam mea vestigia premendo, *si quis enim vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*) *& faciam vos fieri piscatores hominum.* Ideóque totum se proximorum saluti curandæ tradere pars est primaria & intima Societatis; ad quam necessaria est altera, in sui privatim perficiendi præsidijs sita, nè alioqui *si alijs prædicaveris, ipse reprobus efficiâre.* Et quia hæc Apostolicæ vitæ forma propria est Cleri, Apostolorum Successoris, idcirco Societatem in Clerum adscribi voluit, prout etiam tum Concilium Tridentinum, tum Pontifices perpetuò statum Clericalem appellant, quia ipsos privatæ vitæ profectus in proximi bonum refert, ut quisque habile alios juvandi instrumentum evadat: adeóque nihil in suis Statutis habet quod Clericatui repugnet; sed quod sæcularium Clericorum statui de suo addit, illud ipsum ejus præstantiam intrà ipsius metas auget, quâ causâ Pontifices, nostros homines vocant Clericos reformatos. Id quod ex partium enumeratione patebit. Inprimis enim orationem ipsam, cui mentaliter quotidie peragendæ horam solidam manè ante omnes alias occupationes impendimus, noluit sistere in dulci quadam & speculativa cælestium contemplatione, in qua veluti ultimo scopo sanctè Religiosi alij conquiescunt, sed practicam maximè præscripsit, quâ in affectiones mentis, ordinem rectè agendi præcipuè turbare solitas, DEO & rationi perfectè subigendas incumbamus, & eam ad animum in actiones cum proximo exacuendum dirigamus. Eodem collimari jussit per duplex quotidiè Examen Conscientiæ, per triduanas semestri quolibet Recollectiones, per octiduana annuè, & subinde mense integro continuanda Exercitia. Quibus omnibus ad naturæ impetus coërcendos, affect, & passiones frænandas, judicium & voluntatem frangendam collimare suos voluit, ut sinè periculo salutis propriæ, alienis malis mederi possent, ne alioqui instar pedamenti adminiculando frugiferis vitibus, ipsimet inarescerent, ignique æterno servarentur.

Hæc eadem illi causa fuit instituendi, præter morem aliorum Ordinum, integri bi-

ennij Noviciatum, quem post absoluta studia literarum (quibus spiritûs vires aliquantum atteri plerumque contingit) ab omnibus Sacerdotibus solido iterum anno repeti voluit, priusquam ad agendum cum proximo emitterentur. Nec alia ipsi ratio fuit disciplinarum studia tantopere à suis exigendi, sic ut neque ad Professionem admitti quenquam sinè excellenti in humana divináque Sapientia profectu statuerit; nisì quia videbat haud posse citra propriæ ruinæ periculum idoneos fieri, qui ad omne genus hominum in quamlibet mundi plagam mittantur (quod proprium est Professis) nisì penes eminentem virtutem excellenti simul doctrinâ fulgeant: prout etiam experimento docta agnovit S. Teresia, dicere solita, si Confessarius eligendus esset aut magnæ sanctitatis sed exiguæ doctrinæ, aut è contrà eximiæ sapientiæ cum minori virtute, hunc à se præferendnm. Didicit id IGNATIUS ex ipsius Salvatoris exemplo, qui vetuit Apostolos antè in mundum universum dispergi ad mortalium conversionem, quàm imbuerentur Spiritu ex alto, & cum ejus supervenientis in se virtute, acciperent unà omnem sapientiam & scientiam loquendi magnalia DEI. Unicè siquidem intentus in vitæ Christi exemplar, licèt priùs omnes Religiosorum Ordinum legisset Regulas, quamdiu tamen scribendis Constitutionibus incubuit, alium in cubiculo librum, præterquam Evangeliorum & Thomæ à Kempis, non habuit. Indè etiam hausit consilium illud admirabile, & sinè ullo priore exemplo, constituendi suam Religionem non ex solis Professis, sed diversis graduum statibus, Coadjutorum tam spiritualium quàm temporalium, & scholasticorum, quorum isti tametsi per vota simplicia veri Religiosi, ex causis tamen justis ab ijsdem votis absolvi, & è Societate dimitti possint: quemadmodum inter Christi Domini Sectatores non omnes fuêre Apostoli, sed quidam etiam velut Apostolorum, sub nomine Discipulorum, Adjutores: quæ omnia licèt ab Institutis aliorum Ordinum adeò diversa, & Canonibus vetustis contraria, cum Concilio Tridentino summopere probârunt Pontifices, *& juxta divinæ vocationis dispositionem emanâsse pronunciavit* Greg: XIII. in Bulla, *Quæcunque sacrarum Religionum. Spiritum sanctum media tam præclara, maximéque opportuna S. Sedis ministerio Socijs Ignatij tribuisse atque confirmâsse*, idem asseruit bullâ: *Quantò fructuosiùs*: ea verò in dubium revocare, impugnare directè seu indirectè, vel enervare, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit Gregorius XIV. Constitutione: *Ecclesiæ Catholicæ*. Alij verò cum Cardinali Philippo Sega censuêre, *Artem quâ Societatis corpus tam pulchre, tam aptè, tam excellenter coagmentatum est, divinam prorsus, non humanam fuisse: & ejus architectum Ignatium non tam peritiâ labore partâ, quàm luce è cælo impertitâ illud coagmentâsse.*

Jam cætera omnia in eundem finem solertissimè direxit, accersendo quæcunque ad uberiorem ex animabus referendum facerent fructum, & removendo quæ præpedirent. Inde à necessitate vestitûs proscripsit & formam & colorem, & materiam certam, sed inter fideles quidem versantibus voluit esse Clericalem, *honestum, & ad usum loci in quo vivitur accommodatum, neque professioni paupertatis repugnantem*: inter infideles autem & hæreticos, quemcunque genio incolarum & propagandæ Fidei magìs accommodum. Choro etiam & Psalmodiâ suos absolvi voluit, nè in occupationibus continuis ad auxilium animarum pertinentibus impedirentur, laudantibus salutare hoc propositum summis Pontificibus, *ex motu proprio, & ex certa scientia confirmantibus, quò acriùs studijs, lectionibus, & prædicationibus intendere possint*, Constitutione: *Ex Sedis Apostolicæ*. Neque certam ullam in corporis afflictationibus ex obligatione subeundis, jejunijs, cilicijs, & alijs id genus mortificationibus Societati communem mensuram præscripsit (licèt hæ non minùs in Societate, ùt in gestis singulorum patebit, quàm aliâ quâvis Religione per DEI gratiam vigeant) sed unicuique assumendas permisit, *quæ illi videbuntur cum approbatione Superioris ad majorem sui spiritûs profectum convenire*: scilicet nè nocumentum virium indè passi, à majoribus bonis agendis in procuratione animarum impedirentur, sed magìs conformiter ijs, quibúscum agerent, in exterioribus se habendo, faciliùs in animos influerent. Idque conformiter ad Christi vitam, de quo motâ quæstione S. Thomas de Aquino, fueritne conducibiliùs Christum cultu austero victúq; incedere, an verò communi & familiari? negativè respondet, nam *qui cum aliquibus conversatur*, inquit, *convenientissimum est, ut se illis in conversatione conformet, secundùm illud Apostoli 1. Corin: 9. Omnibus omnia factus sum: & ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo & potu communiter se sicut alij haberet.* Et iterum: *dupliciter*, ait, *homines attrahuntur ad bonam vitam; quidam enim per speciem*

ſpeciem ſanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus autem & Joannes diviſerunt ſibi duas vias, Joannes, imò Dominus per Joannem, elegit ſibi viam auſteritatis, pro ſe elegit viam lenitatis. Mortificationum verò in vicem propoſuit, quæ omnibus aſperitatibus exterioribus palmam præripit, tum quia difficilior, tum quia majoris meriti, virtutē obedientiæ, teſte S. Gregorio Magno lib. 6. in c. 15. 1. Regum: *longè altioris meriti eſt propriam voluntatem alienæ ſemper ſubjicere, quàm magnis jejunijs corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori ſacrificio mactare.* Indè illud S. IGNATII votum: *Ab alijs Religioſis Ordinibus faciliùs patiamur,* loquitur in Epiſtola de Obedientia, *ſuperari nos jejunijs, vigilijs, & ceterâ victûs cultûſque aſperitate; ſed verâ ac perfectâ obedientiâ, abdicationéque voluntatis & judicij, maximè velim eſſe conſpicuos, quicunque in hac Societate DEO Domino noſtro deſerviunt.* Neque ulla ex virtutibus poterat magìs Societati eſſe neceſſaria, cujus alumnos volebat IGNATI, *ſemper in procinctu ſtare, ad capeſſendas quocunque gentium miſſiones, pro vocationis noſtræ munere & Inſtituto;* paratos ſinè omni viatico provolare vel ad extremas orbis Regiones, prout expreſsè quarto voto ſe obligant Profeſſi, quoties Vicarius Chriſti innuerit. Eadem neceſſitas magìs colligitur ex eo, quòd S. IGNATIUS nullum genus aut modum juvandi proximi excepit, ſed omnes penitus Societati proprios & præſcriptos eſſe voluit: nam & Conciones habendas ad omne genus hominum, & ſpiritualiter Catecheſim ad pueros & rudes, adminiſtrationem Sacramentorum, diſciplinarum omnium in ſcholis traditionem, Miſſiones Caſtrenſes, paganas, etiam ad loca infidelium & hæreticorum, converſationem privatam & allocutionem civium, curam hoſpitalium, carcerum, ad triremes damnatorum, & quidquid ad ſalutem proximi curandam quovis modo faceret, proprium eſſe Societatis munus voluit: & quidem ità, ut neminem ab onere alicujus ex his præſtandi vellet eximium, ipſos etiam peculiari regulâ adſtringens Coadjutores Laicos, ut *datâ commodâ occaſione enitantur pijs colloquijs proximum ad meliora promovere, & conſilio atque exhortatione ad bona opera, præſertim ad confeſſionem excitare.* Jam ergò cùm neceſſariò contingat, prout neceſſitas vel arbitrium Superioris tulerit, de loco in locum, de uno in aliud munus, de plauſibili ad ignobile, de ſummo ad imum transferri, manifeſtum evadit, quantâ ſapientiâ B. IGNATIUS Obedientiæ primum in Societate locum ſtatuerit, & quidem minimè vulgari, quæ in executione ſolùm eorum quæ jubentur conſiſtit, ſed exigendo etiam obedientiam voluntatis, ut idem cum ſuperiore velimus & nolimus; imò & judicij, ut quæcunque Superior mandat ac ſentit, eadem recta & vera eſſe cæco quodam aſſenſu arbitremur.

Tandem ut pleniſſimâ libertate filij ſui in agendo cum proximis verſari poſſent, omni admittendâ pro miniſterijs & laboribus quibuſvis mercede vel pretio, etiam eleemoſynæ nomine, illis interdixit: utì & ſæcularium negotiorum, & quæ ad rationem ùt vocant ſtatûs pertinent, tractatione. Omnium autem maximè dignitatum Eccleſiaſticarum admiſſione, ad quas repudiandas voto ſpeciali Profeſſos ſeſe obligare ſanxit, nisì ſi quempiam ad earum acceptationem contingeret præcepto ſub culpa mortali à ſummo Pontifice adſtringi. In quo non ea ſolùm IGNATIO cauſa fuit, quòd Socios ex propria Inſtituti ratione ad diverſa loca peragranda, & vitam in quavis mundi plaga agendam obligatos, contingeret ità ad certam Eccleſiam & Diœceſim alligari: ſed vel maximè, quia primarijs ſui cœtûs capitibus ad Infulas promotis, veluti flore ſuo & vigore orbatam neceſſe foret emarceſcere, perinde ùt ſi ex corpore laboribus improbis deſtinato evaporent ſpiritus maximè vivaces, quibus ſe vegetat & agit. Unde illud ſapientiſſimi cuidam ſanctiſſimæ Religioni Præpoſiti Generalis fuit reſponſum, dum rogatus, quem inter Ordines Religioſos munitiſſimum putaret adversùs detrimenta primigenij vigoris? Societatem JESU nominavit, ùt quæ optimum quemque retineret, non ſinendo ad dignitates Eccleſiaſticas abſtrahi; & deterrimum quemque ac reprobum è gremio ſuo ejiciendi poteſtatem haberet. Ut taceam ingens, præ quàm in alijs Religionibus, ambitionis ad ejuſmodi dignitates in Societate periculum, tædio diſciplinæ, faſtidio munerum opilione propriâ talentis ſuis inferiorum, fruſtratione gradûs Profeſſorum, doctrinæ, nobilitatis ſtimulo; quæ in obſequio Principum paſſim verſantibus proniora captatu eſſent. Et licèt pauci illis honoribus potirentur, non pauci tamen ad eos graſſarentur, prout videmus in Aulis Principum, ſi vel unus ad ejuſmodi fortunatas Inſulas applicuerit proſperè, ſexcentos navim bonæ ſpei conſcendere, licèt in eorum oculis navim alij totidem fregerint. Semel autem vela ejuſmodi auris pandentes, miniſteria ſibi domi deligere con-

ten-


tendent, neque admittent nisi sublime ac splendidum, quo nominis auctoritatem concilient: cujusmodi sanè non erunt Fidei Christianæ & Grammaticæ rudimenta pueris tradere, nosocomia & carceres visere, dicere ad servitia, pagos, villas, montana pedes concursare, in alias regiones, ubi spe improbâ excidere necesse sit, demigrare, & alia quàm plurima, quorum vicissitudine vix ullum eximi in Societate contingit.

Hæc atque alia, si quis artem regendæ communitatis in salutem aliorum natæ scitè intelligens perpenderit, reverebitur in Societatis Instituti ab IGNATIO conformatione, pretiosissimam sanctitatem, sublimitatem mentis Ignatianæ ad omnem humanam & divinam prudentiam exactæ: pronunciabit illum ob tot extra exemplum aliorum Ordinum, & sancita Canonum, in Religionem suam cum summa Pontificum & Conc: Tridentini approbatione inducta, inter summos Theologos accersendum: sentiet sapientiam orbi regendo parem, quam in eo agnoverunt Julius III. Pontif: Max: qui datum Ecclesiæ dixit ad instaurandas illius per orbem labes: Joannes III. Lusitaniæ Rex, qui illum optavit in Petri Sede Pontificem, & cæli claves moderantem: Ferdinandus I. Imperator nisi illo consulto nihil priùs Romæ ab Oratore suo tractari passus: Cardinalis à Cveva, qui de eus obitu certior factus, scripsit, Ecclesiam prudentissimi omnium capitis jacturam fecisse. Ex quibus demum omnibus manifestè concluditur, quidquid orbe toto in bonum animarum & Ecclesiæ operati sunt Xaverij, Canisij, Oviedi, Anchietæ, & Societas demum universa, omnia S. IGNATIO deberi, tanquam vitæ Apostolicæ ad Christi prototypon Antesignano & Magistro.

Ex Historia Societatis. Ex ejus Vita edita à P. Daniele Bartoli, P. Ludovico Carnoli, P. Petro Ribadeneira, P. Maffeo &c. Ex Nierembergij Tomo I. Hispanico de Viris Illustribus.

P. JACOBUS HOZIUS.

PAter Jacobus Hozius Malagæ in Bætica Hispaniæ Provincia natus, unus fuit è primis S. IGNATII Socijs; verùm quia ante confirmatam à Sede Apostolica, intérque Religiosos Ordines assertam Societatem, vitâ decessit, nequaquam primis 10. illius Patriarchis, veluti fundamentis accenseri solet. Is primùm S. IGNATIO innotuit Compluti, cùm adhuc iste initio suæ conversionis operam daret Grammaticæ, ante suum Parisios in Galliam transitum, magno sanè animæ suæ bono: nam & ipse, studio invisendi loca sacra Dominicæ Passionis transmisit in Palæstinam, indéque reversus tunc penitus Venetias applicuit, cùm IGNATIUS Socios è Gallia antegressus, eos ibidem Anno 1536. præstolabatur, varijs interim pietatis & misericordiæ in proximos operibus distentus. Renovatâ illico ex mutuo congressu familiaritate, auctor ante omnia Hozio fuit IGNATIUS, ut vellet sacris Exercitiorum meditationibus spiritum instaurare: neque iste reluctatus est, quippe suâ sponte ad divina multùm propensus, & in sacra scientia, in qua Baccalaurei gradum fuerat consecutus, eruditione insignis. Quia tamen pessimâ tum Venetij famâ proscindebatur IGNATIUS, spargebatúrque à malevolis errare profugus toto Europæ orbe, cujus statua veluti pestilentis & infamis hæretici in Hispanijs & Gallijs publicè concremata sit: noluit priùs B. Patri se committere, ejúsque attingere commentationes, quàm eas ad libellam doctrinæ SS. Patrum, (quòd multis in suspicionem pravi dogmatis, malevolorum astu, venisse illum cernebat) examinaret. Itaque magno librorum apparatu stipatus cùm venisset, neque ullo errorum vestigio notato, singula cum Ecclesiæ dogmatibus, & SS. Patrum sententijs apprimè congruere deprehendisset, ùt primùm eas cœpit intimo usurpare mentis recessu, in eísque cælestes haurire dulcedines, è vestigio remisso rebus mortalibus nuncio, ultro se ad IGNATII ductum & disciplinam applicuit. Mox autem supervenientibus ab Gallia cum Fabro Socijs, unà cum ijs omni charitatis genere Hospitalibus deservijt, ac Romam demum, desperatâ in Palæstinam iterum transmittendi facultate, profectus est, ut suam omnes operam Christi Vicario ad nutum ex voto DEO jurato offerrent; non aliunde, quàm ex corrogatis eleemosynis ad obitum usque, ac ferè solo pane & aquâ victitans. Venetias reversus, ac sacris ordinibus cum reliquis Anno sequenti 1537. initiatus, ut primam DEO hostiam quàm maximâ devotione litaret, animúmque ad munus Apostolicum fructuosè gerendum compararet, mensem ampliùs ijsdem sacris Exercitiorum commentationibus impendit cum



P. Iacob9 Hozius, S.I. Hispan9, in procuratione salutis Animarum, vincula, & carcerem expert9; atq; in medio laborum Apostolicorum in Cælum evocat9, visus est à Sancto Ignatio inter Cælitum agmina recipi. Obijt Patavij ante confirmatam Societatem, in Martio 1538. W.P.Kilian sc.

2.

P. Joanne Codurio, in ruinosa & solitaria, Tarvisio vicina casa. Hic dum tenui corrogato cibo victitat, dum mutuâ obedientiâ, factâ vicissim unius in alterum per hebdomadem potestate, veræ studet humilitati, dum diurnis nocturnisque precibus dat operam, dum brevem somnum abjecto in stramine de solo carpit, tandémque corpus suum verberum acerbitate quotidianâ castigat, 40. dierum spatio simillimam Angelorum vitam inter mortales egit.

Quibus elapsis, tanquam cælestibus gravidatus muneribus ex antro illo prodijt, ut salutem proximorum, quam eatenus parturiebat, in lucem proferret; nactúsque laborum suorum cum Codurio campum Patavinam civitatem, cœpit ad populum per compita & fora collectum, ex obvio editiore loco de rebus æternis verba facere. Maximus undiq; hominum ad novitatem eatenus invisam fiebat concursus, primùm tanquam ad joculatorem, non concionatorem, risûs magis quàm profectûs captandi gratiâ, invitante præsertim ipso oris habitu neglecto atque inculto, & inscitiâ barbarè loquentis lingvâ Italicâ. Verùm ùt animadversum est rem seriò severéque agi, nec materiam præberi jocis & facetijs, sed lachrymis atque singultibus; tum demum ingens commutatio fiebat in vulgus, & urbis totius emendatio tam manifesta, ut rei novitate commotus Episcopi Suffraganeus, nè sub pietatis specie errorum semina in populum spargerentur, Hozium unà cum Codurio in carcerem abripi, ferro & vinculis onera-

onerari præceperit. Ea res tantâ Hozij animum cælestis solatij abundantiâ exultantem affecit lætitiâ, ut noctem illam totam ab risu temperare non posset. Verùm postea rebus accuratiùs inspectis, non modò liber de custodia, verùm etiam omni ad animarum procurationem favore instructus, cum honore dimissus est. Post oblatam subinde Numini primam hostiam Vicentiæ, Patavium reversus, opus Evangelicum ex integro majore fervore assumpsit, Christianam ubique doctrinam magno animarum proventu explicando, Xenodochia procurando, & modis omnibus proximum adjuvando: sic ut totum illum annum in Apostolicis laboribus Patavij summâ paupertate consumpserit. Placuit autem DEO Virum tam præclarum, neque vulgarem sanctitate brevi tempore, in consortio IGNATII, assecutum ad se evocare, & per eum veluti Societatem universam in jus possessionis gloriæ cœlestis inducere, paulò antè quàm de erigenda in Familiam Religiosam Societate deliberari cœptum est. Visúsque est Hozius ipse propinquum migrationi suæ diem præsensisse, quando post multas ad populum conciones ardentiore spiritu concitatus, in forum ipsum paucis antè mortem diebus egressus, illam ex Evangelio sententiam, *orate, quia nescitis, quâ horâ Dominus venturus sit*, dictioni proposuit, multáque de suprema illa hora acri oratione disseruit.

Mox itaque delapsus in morbum, ad commune Nosocomium divertit, ut pauper indè & mendicus venienti occurreret Domino: minimè pavidus angore & sollicitudine conscientiæ, sed mirè tranquillus & hilaris conformatione morum, & vitæ recentis exordio. Quem Dominus brevi ægritudine confectum ad præmia laborum evocavit, A. 1538. citra 13. diem mensis Martij. Agebat tum fortè IGNATIUS in Monte Cassino, sacris commentationibus Petrum Ortizium, Caroli V. Cæsaris ad Pontificem Oratorem exercens: hìc dum pro Hozio, quem ex gravi morbo periclitari cognôrat DEUM supplex oraret, repentè animo à sensibus avocatus, vidit ejus animam, ùt olim eodem loco S. Germani Episcopi Benedictus, luce clarissimâ circumfusam, eámque inter Angelorum manus evectam ad Paradisi gaudia pervolare. Cúmqs ad Missæ Sacrificium aliquantò pòst se conferret, atque in generali confessione ea verba Introitûs diceret, *Confiteor & omnibus Sanctis*, splendidissimum ejus oculis Beatorum agmen repentè sese obtulit, Hozio inter illos sic coruscante, ut exuperantiâ lucis ac fulgoris secerneretur à ceteris. Nec potuit IGNATIUS præ solatij dulcedine multos exinde dies lachrymas in potestate retinere. Non minùs clara fuêre signa in exangvi corpore viri sanctitatem demonstrantia, qui cùm esset in vivis subniger vultúque deformior, à morte adeò venusto atque eleganti repertus est ore, ut suos exaturare Codurius oculos, lachrymásque tenere præ voluptatis dulcedine non posset.

Ex Historia Societatis, & Joanne Eusebio Nierembergio Tomo 1. Hispanico de Viris Illustrib.

P. JOANNES CODURIUS.

Digresso Venetias Parisijs IGNATIO, ut necessaria transmissioni in Palæstinam collectis jam septem Socijs præpararet, Faber illis interim præesse Lutetiæ jussus, suis quà monitis, quà exemplis, Joannem Codurium TheologiæMagisterio nobilem, & Sacerdotio jam præditum, ad reliquos octo aggregavit, Anno 1536. Erat is natione Gallus ex Episcopatu Ebredunensi, tantóque spiritu primam ex IGNATII Exercitijs ascesim peregit, ut triduum solidum absque omni cibo & potu jejunus exegerit. Postquam autem reliqui omnes curriculo Theologiæ expleto legitimum studijs finem imposuissent; digressus cum ijsdem pedestri itinere ab Gallia, omnium eorum incommodorum & laborum, quibus reliquos fuisse exercitos in gestis eorum dicemus, particeps fuit; paríque fervore missiones Apostolicas in Italia obivit, maximo animarum profectu, solis interim piorum vivens eleemosynis, & cibatu ostiatim emendicato. Ingens perpetuò resplenduit in eo zelus animarum, & studium altissimæ orationis & devotionis, cujus exemplis omnes ad pietatem trahebat, juvabátque tum alijs modis, tum præcipuè audiendis indefessè confessionibus: quæ etiam causa fuit, ut Margarita Caroli V. Cæsaris filia eum sibi à confessionibus delegerit. Sed parùm scilicet fuisset prædicasse populis Evangelium, nisi illius gratiâ etiam persecutionibus exerceretur. Dum enim Patavij unà cum Hozio, ante confirmatam Societatem, totam civitatem concionibus sermonibúsque permiscet, rei novitate in suspicionem hæresis adductus, cujus



P. Ioannes Coduriꝰ S.I. Gallꝰ, è primis decem Sancti Ignatij Socijs, Innocentiâ vitæ, animarum zelo conspicuꝰ, cujus animam Sanctꝰ Ignatiꝰ vidit ab Angelis mox à morte in Cœlum deportari, qvam obijt Romæ 29 Aug: 1541. 3. W.P.Kilian sc.

novatores paſſim tum in Italiam irrepebant, ab Antiſtitis Suffraganeo rapitur in vincula, ferro manicíſque innexus; donec innocentiâ deprehensâ magno cum honore dimiſſus eſt. Poſt confirmatam à Sede Apoſtolica Societatem, primus fuit ab IGNATIO, qui Profeſſionis religioſæ vota ſolenniter edidit: quo tempore tantus in illo apparuit pietatis ſenſus, tanta vis atque exuberantia divinæ dulcedinis, ut cùm eam celare, & diu incluſam tenere non poſſet, crebris indicare ſuſpirijs & aſſiduis ſingultibus cogeretur. Quo tempore ad ſeptem urbis Eccleſias cum Lainio inviſendas progreſſus, præcurrebat per liberos campos velut animi impotens, replebátque omnia gemitibus & clamoribus: taléſque identidem mittebat ad ſuperos voces, lachymarum ubertate permiſtas, ut alijs exiſſe de poteſtate mentis, alijs periculum videretur adire, nè ſe nimiâ contentione diſrumperet. Proximum videlicet præſagiebat exitum ex his corporis compagibus, atque ad tranſitum in vitam beatam animum tanto ſtudio comparabat.

Altero ſiquidem mox ab erecta in ordinem religioſum Societate Anno, cùm paulò antè, ipſius etiam voto, electus in Generalem fuiſſet S. IGNATIUS, morbo gravi, inter aſſiduos pro animabus labores, oppreſſus, ex hac vita migravit 29. Auguſti, Anno 1541. Dignum autem animadverſione fuit, illum, quemadmodum ipſo die Decollationis S. Joannis Baptiſtæ (cujus etiam nomen eidem devotiſſimus referebat) eſt natus, ipſóq; eodem deinde Sacerdos factus, ſic ipſo quoque die & ætate

tate, quibus ille Præcurſor Salvatoris, ad ſuperos tranſiviſſe, evocatum ad prœmia laborum primum è decem primis Societatis Patribus. Ipſo illo Decollationis S. Joannis feſto ibat IGNATIUS rem divinam facturus ad S. Petri in Janiculo pro valetudine Codurij, dúmque tacitus divina animo volvens cum Socio properaret, medio in ponte, qui Sixti dicitur, intentis in cælum oculis, velut à ſtupore defixus repentè conſtitit: tum ad comitem Joannem Baptiſtam Violam, *referamus*, inquit, *nos domum, nam Codurius noſter deceſſit.* Compertúmque deinde eſt, ipſo illo temporis articulo, quo S. Pater id in ponte edixerat, Codurium domi expiraſſe: cui videlicet DEUS viſendam illius animam in cælum demigrantem perinde tunc oſtendere voluit, prout antea Hozij viderat. Nec ſanè cauſa alia fuit, cur intellecto divinitus cari ſodalis exceſſu domum extemplo repeteret, ac non potiùs aliquò ad piaculare pro eo Sacrum de more faciendum contenderet. Quin cùm ad Fabrum ſcriberet, veluti de communis obitu filij, narravit decedentem Codurij animam à pio viro in oratione defixo (ità humilitatis ſtudio nomen ſuum reticebat) conſpectam eſſe in cælum coruſcam inter choros Angelorum deportari. Deſignatus idem à Summo Pontifice paulò antè fuerat Nuncius Apoſtolicus in Hyberniam, ad ſolandos, & in obedientia ſanctæ Sedis firmandos ejus populos, miſerè ab hæretico Angliæ Rege Henrico oppreſſos; ſed defuncti loco miſſus deinceps fuit P. Paſchaſius Broëttus cum P. Alphonſo Salmerone. Placita nimirum DEO erat anima Codurij candidiſſima, quæ primævum innocentiæ nitorem nunquam maculâ aliquâ infuſcaviſſe creditur, & ideo properavit illam educere ab hujus vitæ carcere.

Ex Hiſtoria Societatis, & Nierembergio Tomo 1. Hiſpanico de Viris Illuſtribus.

P. PETRUS FABER.

PRincipem inter primos Societatis Patriarchas poſt IGNATIUM locum, meritò ſibi vendicat Petrus Faber, qui primus omnium ſe illi Socium adjunxit Pariſijs, virtutum ejuſdem Apoſtolicarum, atque inprimis animarum zeli æmulator egregius, ideóque S. Fundatori charus præcipuè & æſtimatus. Natus eſt ignobili Allobrogum oppido Villareto, vilibus parentibus, pecorum paſtu vitam & familiam ſuſtinentibus, à quibus & ipſe paſtoritijs laboribus addictus fuit. Quia tamen in ſumma rerum inopia pietatis erant egregij cultores, ità ab ijs Petrus educatus eſt, ut jam indè ab infantia DEUM timeret, & quamlibet peccati umbram refugeret; ſeptimo autem ætatis anno peculiares ad omnem devotionem inſtinctus ſentiret: qui demum cum ætate in eam excrevêre maturitatem, ut duodecimo ætatis anno ſolito vehementiùs accenſus, cùm ſolus in agro verſaretur, DEO ſe totum emiſſo perpetuæ caſtitatis voto dicârit. Ejus voti ſolvendi facultatem adjuvabat inditus à DEO ingens, & pœne immoderatus ardor ſtudendi (hæc enim aliquantum ſub Magiſtro Petro Veliardo, vitâ moribúſque ſancto, in ludo literario delibârat) quo paſtoritiam artem nobilitate animi, & ingenuo quodam pudore refugiens, ad nobiliora ſtudia invito etiam parente tranſgreſſus eſt; & ubi maturum fuit graviores aggredi diſciplinas, Pariſios migravit. Hic verò tantâ uſus eſt ac tam celeri progreſſione diſcendi, ut Magiſtro in Philoſophia propè eſſet condiſcipulíſque miraculo, nec in abſtruſioribus Ariſtotelis locis, è græco præſertim enucleandis, ſive peritiorem, ſive acutiorem ipſe Profeſſor reperiret. Senſit id maturè contubernalis, ſub eodem Collegij S. Barbaræ tecto cum illo habitans IGNATIUS, in eóque morum majore facilitate quàm in Xaverio perſpectâ, cœpit officiorum frequentiâ, & largis præſertim è corrogato peculio ſubſidijs, ſibi hominem obligare, & ſalutares inſidias ad DEO penitus capiendum tendere; cui viciſſim Faber diſcendi cupido, ſuam in reddendis conferendíſque quotidianis ſcholis navabat operam. Ità uſu ipſo creſcente indies animorum conjunctione, DEUS ſimul augebat in Fabro opinionem de IGNATII virtute, ut totum illi ſe committeret, & animi arcana confideret; aculeis præſertim & ſcrupulis diu noctúque animum exedentibus, certam ab ejus conſilijs opem expertus. Ità ex Fabri in rebus Philoſophicis diſcipulo, ejus viciſſim in ſpiritu factus Magiſter IGNATIUS, diſſimulatis ſuis circa illum conſilijs, docuit illum ſuam quotidie examinare conſcientiam, & inſtitutâ generali exactâ ſemel exomologeſi, deinceps octavo quoque die confiteri, & S. Eucharistiam ſumere, extirpandis animi pravitatibus & vitiorum proclivitatibus inſiſtere, inito

certa-



P. Petr9 Faber, Allobrox, Villareti, ortu Pastoritio nat9, prim9 S. Ignatij Soci9, Missionib9 et laborib9 Apostolicis per Germaniam, Hispaniam, Lusitaniam, notissimus. Angelorum cultui addictissimus, Obijt Romæ, 1 Aug. 1546. J. G. Heinsch del. W. P. Kilian sc.

certamine non cum universis, aut multis, sed cum singulis, donec oppositæ virtutis habitum compararet.

Inter hos ad sanctitatem conatus Faber confectis Theologiæ studijs, IGNATIUM de suscipiendo Sacerdotio consuluit: cui is auctor fuit, ut commentationibus priùs quibusdam spiritualibus exerceri se, & tanto muneri animum parari vellet. Has ille acerbissimâ hyeme, quâ Sequana fluvius duratus altissimâ glacie tutum quadrigis præbebat iter, in gelido desertóque occlusus obibat mapali, nullo unquam ignis fomento rigidum corpus refovens, licèt in eum usum carbonum acervum intulisset, quem majore intus accenso spiritûs incendio humi sparsit in cubile, super quo nocte prostratus, solo se versabat in indusio. Ut autem revisens illum IGNATIUS ex ore labiísque enorme collegit jejunium, & corporis macerationem (sex enim ipsos dies sinè ullo cibo potúque traduxerat) *non crediderim*, inquit, *aliquod in hoc peccatum; quin etiam existimo plurimum te hoc jejunio commeruisse apud DEUM, verùm tracturúsne sis longiùs, an hic terminaturus inediam, tantisper expecta, dum post horam redeo.* Quippe optasset IGNATIUS, jam indè primum in eo sibi Sodalem, & veluti angularem ædificij sui lapidem disponens, ut eam quoque jejunij metam, quam ipse quondam per octiduum attigerat, cùm jam propè abesset, Faber attingeret: idcirco ad consulendum DEUM, proximum secessit in templum, & post horam reversus ad Fabrum, progredi longiùs in jejunio vetuit,

vetuit, cibúmque unà & ignem refovendo attulit. At Faber inter has meditationes maximis è cœlo suavitatibus ac splendoribus circumfluens, plenus jam DEO totum se illius famulatui & animarum saluti devovit, susceptóque Sacerdotio, Ignatio penitus adhæsit, ætatis anno 28. sæculi 1534. primogenitus illi factus inter octo reliquos Socios, cui non modò antiquitatis facilè primas, verùm etiam virtutis & pietatis deferebant. Post emissa in monte Martyrum communiter ab omnibus vota, prægresso in Italiam Ignatio, Faber collectis cum Socijs, dum studia Theologiæ & ipsi decurrerent, præfectus, duos illorum numero è Theologiæ Magistris adjecit, Joannem Codurium, & Paschasium Broëttum; ac tandem ad Ignatium Venetias cum omnibus tetendit, magno sui Doctoribus Sorbonicis relicto desiderio, ob ingentes, quos in proximo, Academicis præcipuè, faciebat animorum motus. Ibi in publico insanabilium nosocomio aliquamdiu miseris deserviens, post delatam Pontificijs nutibus Romæ suam & Sociorum operam, Exercitia S. Ignatii 40. diebus in solitario specu repetijt, non minore quàm priùs austeritate: ac tum foras in publicum erumpens, concionibus, catechesi, ceterísque Apostolicis muneribus rem Catholicam in missionibus adjuvit; subindéque Pontificis voluntate in Romana Sapientiæ Academia disciplinas publicè professus est. Nec diu pòst, ejusdem missu, Parmensem populum excoluit, Sodalitate nobilium præclaris legibus ibidem institutâ: unde jussus Petrum Ortizium Caroli V. apud Pontificem Oratorem, ad Cæsarem rediturum comitari, primus è Socijs Germaniam ingressus est, & Vormatiæ rem Catholicam in Conventu Imperij Principum, contra Protestantes egregiè sustinuit.

Per idem tempus confirmatâ per Christi Vicarium Societate, Conventus Patribus indicitur ab Ignatio, pro Generali Præposito eligendo; ad quem Faber Vormatiâ discedere, agendarum rerum multitudine & necessitate prohibitus, suffragium pro ipso Ignatio scriptum misit: & ipse interim pro eodem munere secundùm Ignatium (si quo casu hic Generalis non fieret) suffragia Sociorum retulit. Tanta erat apud illos de Fabri sanctimonia & sapientia existimatio, ut eum propè Ignatio exæquarent! Ipse verò novo à Cæsare Concilio Spiram, mox autem Ratisbonam indicto, Curiam ejus secutus, quacunque transiret, sacris dictionibus, Sacramentorum administratione, pijs Ignatii meditationibus Catholicos in religione & virtutis constantia firmabat. Neque paucos ab erroribus & hæresi ad Fidem reduxit, successu quem meritò admireris, ità secundo, ut nemo ex ijs qui aut Fabro confessus est semel, aut ab eo pijs exercitationibus imbutus (quos inter Doctor Cochleus fuit, perpetuus deinceps Exercitiorum laudator & suasor) ab ejus vel benevolentia desciverit unquam, vel à virtutis disciplina deflexerit. His modis dum totus frugifer Germaniam pererrat, jubetur cum Ortizio in Hispaniam proficisci: in quo itinere à Gallis unà cum Ortizio totóque comitatu interceptus, & conjectus in carcerem, in ipsis vinculis agere cum arcis Duce & custodibus cœpit de rebus animæ, ità feliciter, ut ad peccata apud se expianda illos induxerit: præmium tam bonæ DEO navatæ operæ nactus, missionem è captivitate, & plenam omnium comitum sinè ullo pretio libertatem. Madritum delatus, non est passus unius Ortizij obsequijs, aut solius Madriti culturâ se distineri, sed complura ejus Provinciæ oppida & loca percurrit, inprimísque Cæsaraugustam, Medinam cœli, Seguntum, atque Complutum; nec modò cum viris nobilibus, sed cum plebe puerísque, quibus Christianæ legis instillabat initia, multus erat; fructu exinde tam ubere collecto, ut tum primùm intellexisse se diceret, quanti tandem à Societate sit faciendum hoc instituendæ plebis munus. Anno insequente 1542. à Pontifice in Germaniam revocatus est, ut religionis rebus in deterius semper prolabentibus se opponeret: quo ille magno Principum, Mariæ præsertim & Joannæ Caroli V. filiarum dolore discedens, duos illarum à Sacello Sacerdotes Toletum usque comitari Fabrum jussos, sanctitatis exemplis captos, bonâ earum veniâ Socios sibi & itineris & Religionis adlegit, Joannem Aragonium, & Alvarum Alphonsum.

Neque iterum in periculoso trimestri itinere defuêre illi pericula, & patientiæ seges; nam & in Hispania citeriore latronum ex unguibus propè divinitus erepti sunt, & in Gallia è pœdore carceris tenebrísque, & in Sabaudiæ finibus è militum insolentia, & ex hæreticorum insultibus in Germania. Ingens illum expectabat Spiræ parata messis, quam in maturitatem assiduis concionibus, privatis alloquijs promovens, crescente pietate populíque studio, demetendis frugibus totos dies distinebatur. Perstrepebat initio Cleri in Patrem obmurmuratio, sed ejus pru-

dentiâ ac comitate ſedata, ipſos quoque hæreticos rectæ vitæ exemplo & candore animi devinxit, ut ejus poſtea diſceſſum ægrè tulerint. Concionatorem inter alios permultos de Fide ſuſpectum, errores pro ſuggeſtu populo venditare incipientem, modò eleemoſynis ad ejus monaſterium ſubmittendis, modò laudibus, ea quæ rectè in concione dixiſſet & ipſe ex pulpito proſequendo, mirè conciliatum, ad veritatis lucem reduxit. Clerus antea ſolutior brevì ſe ipſius ope ad veterem ſeveritatem revocavit: tantùſque pietatis totâ urbe factus eſt progreſſus, ut affirmarent Parochi & Cœnobitæ, plures ad ſanctam menſam ejus anni Paſchate acceſſiſſe, quàm totis annis ante 20. Epiſcopus in corrigendis erroribus multò redditus ardentior; cujus Vicarius ſacris à Fabro Exercitijs excultus, miro ardore flagrans, concubinarios Sacerdotes acerrimè perſequebatur, ſic ut tum primùm ſpes Fabro injecta ſit reparandæ ad avitam religionem Germaniæ, ſi plures operæ adfuiſſent. Moguntiam ſubinde ad Electorem Cardinalem excurrens, varia ſuggeſſit media, quibus ea civitas in Religione conſervata eſt: inter quæ cùm præcipuum eſſet morum in Clero reformatio, maximam omnium invidiam Faber incurrit, ſed paulò pòſt mirâ ſuâ ſuavitate & prudentiâ extinxit. Ibi etiam hominem olim profeſſione Religioſum, uſu exercitatione que rerum divinarum ad caſtam Fidem, ex hæreſum corruptela traduxit: exorſúſque eſt pſalmos Davidicos pro concionibus explanare, incredibili plauſu populorum, utilitate pari. Concubinis implicitos etiam ibi Parochos ad pudorem & ſanctimoniam ſcitè traduxit: quo facto mirum quantum ei civitati ſalutis, quantum ſibi vulgo & amoris & fiduciæ conciliârit, ut perbeatus ſibi videretur, quiſquis ab eo viro ſive ſacris imbui præceptionibus, ſive ſaltem ſacris expiari poſſet myſterijs: & qui linguæ ignorantiâ tanto bono frui non poterant, interpretem adſciſcebant, per quem tuto ſe Patri indicare, totóſque pandere non puderet. Nec minimum retulit operæ pretium è duobus Germaniæ Epiſcopis ſacrâ IGNATII aſceſſi excultis, ex qua incredibiliter ad tuendos contra hæreſim greges ſuos animati, Diœceſim uterque commiſſam in Religione conſervârunt. Faber autem in omnem bene cœpta promovendi occaſionem intentus, cùm media quædam illuc aptiſſima excogitâſſet, ad Electorem Aſſchaffenburgum per ferias concionum excurrit, itáque feliciter id Cardinali perſvaſit, ut is viri zelum admiratus receperit, ſe ea omnia peculiari ſtudio effectui daturum, perfecturúmque reipſa, ut intelligeret, quanti apud ſe forent ejus divina ac ſalutaria (ſic enim loquebatur) præcepta. Rebus ex voto confectis Faber Moguntiam revolans, ad explanationem pſalmorum tam utiliter pro populo inſtitutam, latinas diebus Dominicis, ad erudiendum præcipuè Clerum, conciones adjunxit.

Hæc dum ſummâ contentione agit Moguntiæ, celeriter Coloniam, ubi Joannes & Alvarus ejus Socij morabantur, evocatur quòd Eccleſiæ illi maximum ab hæreſum naufragio periculum immineret, & Elector ipſe Antiſtes Hermannus pravè cœpiſſet de Religione ſentire. Itaque extemplò accurrens Faber, cùm neminem reperiſſet qui tanto Præſuli auderet ſe opponere, placato priùs hoſtijs precibúſque continuis DEO, illum convenit, & peramicè liberéque ſui admonuit erroris; tantúmque profecit modeſtiſſimâ ſuâ & ſapientiæ plenâ ejus confutatione, ut de Paſtoris fide doctrináque meliora ſperari ſint cœpta. Quibus tamen nequaquam fidendum ratus, Bonnam ad Nuncium Apoſtolicum, Joannem Poggium, poſtmodum Cardinalem creatum, provolavit, eúmque de periculo, ut acriùs eò vigilias intenderet, commonefecit. Indè parantem Fabrum Moguntiam, quoniam ità illius Antiſtes præceperat, regredi, vetuit Nuncius, & periculi magnitudinem perhorreſcens, nullo modo paſſus eſt Coloniâ moveri. Cui obſecutus Pater tantum in acerrima Eccleſiæ Colonienſis egit cuſtodia, ut teſtimonio Nuncij aliorúmque, per eum potiſſimùm ſteterit, nè præſtantiſſimum hoc Germaniæ membrum ad Lutheri errores, in quos præceps jam inclinabatur, corrueret. In quo dum toto conatu ſollicitus elaborat, præclariſſimum ad eam rem Socium, ſuíque ſimillimum adjutorem, DEO mittente, nactus eſt Petrum Caniſium Neomagenſem Belgam, virum jam tum eruditiſſimum, & Eccleſiæ contra hæreticos tuendæ ſtudio flagrantiſſimum, hìc demùm à ſe legitimè in Societatem cooptatum. Venerat is ſtudio videndi Fabrum, totius Germaniæ famâ ubique tum celebratiſſimum, paulò antè Moguntiam, ibíque ſacris ab eo commentationibus exercitus, hæc de eo ad amicum perſcripſerat: *Secundis ventis Moguntiam veni, virum quem quæſivi, ſi tamen vir eſt, & non potiùs Angelus Domini, meo magno bono reperi, quo nec vidi, nec audivi doctiorem profundiorémque Theologum, aut tam illuſtris eximiæque virtutis hominem.*

Et iterum aliâ ad amicum epistola: *Illi nihil æquè in votis est, ac Christo cooperari in salutem animarum: nullum ex illius ore verbum, sive in usu familiarique congressione, sive dum mensæ accumbit prodire audio, nisi quod DEI honorem & pietatem sonat. Neque tamen ob facundiam audientibus gravis aut molestus est.* Faber interim hoc parto adjutore lætus, dum pro Nuncij Apostolici voluntate in Archi-Præsulis Coloniæ curationem vigilanter incumbit, literis IGNATII jubetur cum Alvaro, Alphonso, & Aragonio in Lusitaniam discedere: qui obedientiæ nutum lucris omnibus animarum præferens, quantumlibet Poggius Nuncius Apostolicus obstaret, in viam se dedit, è Belgio navigij opportunitatem aucupaturus; quam reluctantibus ventis frustra aliquamdiu in Zelandia præstolatus, Lovanium interim concessit in Octobri 1543.

Vix Lovanium attigerat, cùm tertianâ prostratus est adeò pertinaci, ut Medici ejus saluti diffiderent; apertè profitentes, nequaquam videri à natura tantam morbi ejus pertinaciam esse, id quod etiam tot res in bonum animarum Lovanij, ipso auctore, deinceps gestæ loquebantur. Cùm enim Faber omni contentione discessum obedientiæ studio in diem sequentem, pacato jam mari urgeret, Cornelius Vischavæus, antiquæ Sacerdos simplicitatis, Patriæ suæ salutis studiosus, votis suis à DEO hanc illi moram injici impetravit: cujus tandem post bimestre conscius factus Faber, illum ad se vocat, rogat, vota jam vertat & argumentum precandi; & qui pertinacem febrim suis precibus advocâsset, eandem denuo adhibitâ precatione discutiat. Fecit imperata simplici pectore, & exinde meliùs factum est laboranti, ut è lecto mox surgere, suísque incedere pedibus, stupente Medico, posset. Præmium Cornelio beneficij fuit, in Societatem, quam votis maximis ambiebat, à Fabro receptio. Erat per idem tempus cum pluribus è Societate adolescentibus Lovanij Franciscus Strada, Philosophiæ studijs occupatus, cujus Faber dicendi talentum supra omnem communem modum excellens periclitatus, dicere juvenem ad Academicos pro concione, incredibili omnium ordinum deinceps accursu & motu, præcepit; cui ipse, quia per vires necdum per se agere ad proximum poterat, nè etiam Stradæ Philosophicis studijs novi cura laboris officeret, conciones è lectulo dictabat, nihil ut Stradæ præter actionem usúmque memoriæ, quibus ad miraculum valebat, operis remaneret. Prodibat igitur animosus adolescens in publicum, & Fabri dimicans armis, lachrymas concioni, & primis etiam Theologiæ Doctoribus excutiebat, tam prodigiosis successibus, ut præter incredibilem in totam urbem dimanantem utilitatem, viros præstantissimos in Societatem pertraxerit; agíque jam tum apud Carolum V. Cæsarem, de statuendo ibi Societati Collegio cœptum sit. Interim Faber dum diuturno convalescit è morbo, à Pontifice, quem Poggius de necessaria Viri apud Colonienses longiore mora, ob præsens in hæresim defectionis periculum, admonuerat, jubetur Coloniam se referre, ad ejus prohibendas ruinas: quod idem revocatis prioribus jussis, imperabat IGNATIUS. Igitur Januario insequentis anni Coloniam rediens, in itinere Leodium, Trajectum, Aquisgranum, usque adeò concionibus suis incitavit, ut ad eum plurimi Coloniam se venturos, vel Exercitiorum causâ, vel disciplinæ, reciperent.

Conductâ mox ad habitandum Coloniæ sibi & Canisio, atque Alvaro & Alphonso domo, illico advertit quantum damni suâ absentiâ creatum esset, ideóque toto robore institit, ut Archi-Episcopum in hæresim nuptiarum cupidine jam prorsus ruentem, cohiberet à lapsu. Is enim absente Fabro advocârat è Germania Bucerum, Melanchtonem, Pistorium, Sarcerium, Lutheri sectæ primipilos, à quibus haustum ipse venenum totâ diœcesi diffundi sinebat. Ante omnia Faber literis notos sibi in Aula Cæsaris, Antonium præsertim Perenottum, postea Cardinalem, admonet, rogátque de periculo Cæsarem moneri, ejus ut jussu rapaces lupi Coloniâ proscribantur: ausos siquidem impudentissimè etiam esse reformationem illam suam, quò plus haberet auctoritatis & fidei, ficto Cæsaris nomine, & gravissimorum ex Aula Ministrorum judicijs confirmare. Interim verò dum responsum expectat, sæpius novos illos Evangelicos lacessivit ad certamen, in omníque congressu manifestissimis rationibus eorum confutavit insanias, tantâ doctrinæ varietate, ingenij famâ, virtutísque admiratione, ut qui sibi aliquid esse videbantur, nihil præ illo se esse sentirent, licèt nequaquam ut idem saperent, superbâ pervicaciâ obstinatissimæ in vitiorum & libidinum libertate voluntatis impediente, assentirentur. Repressa tamen veteratorum audacia est, ut intrà Coloniam debacchari suo arbitratu non possent; neque unquam præsente Fabro ausus est Archi-Præsul ruptis frænis hæresim palàm invehere,

quod ab ejus confestim discessu mox attentavit, jussis ante omnia Socijs, quos unicè adversarios experiebatur, Coloniâ exturbari. Ut proinde omnes rectè sentientes assererent, nisi Fabri vigiliæ intervenissent, perituram funditus fuisse Coloniæ Religionem; cui deinde sustinendæ post Fabrum, non minùs feliciter successit Canisius. Nam his minimè turbatus Faber, ut Catholicis in urbe civibus adhuc intactis à malo caveret, plurimis locis plurimas habuit conciones, & nervos omnes industriæ vel morte propositâ contulit, florem præsertim & capita Orthodoxorum, à quibus reliquorum salus pendebat, firmanda seorsim latinis sermonibus assumens, & ad communem causam tuendam ardenter provocans: ad quos affluebant præter Academicos & Doctores, ex Consularibus continenter Viri primarij, Proceres, & plerique ex Clero, cúmque Episcopo Leodiensi Canonici, & totum denique civitatis robur, quod Fabri nixum præceptis, velut murus quidam oppositus, luporum arcebat incursus. Atque indè sequebantur per se fructus alij uberrimi, ingens hominum & creberrimus ad Sacramenta Pœnitentiæ & Evcharistiæ accursus, quam Paschæ etiam tempore Viri Consulares & Nobiles cum suis Familijs, annuente Parocho, nonnisi ex Fabri manibus sumere voluerunt. Academicis nonnullis, quos hæresis importata jam pervaserat, excussi errores: Religiosa Cœnobia suis restituta legibus, & ad arma in hostes Ecclesiæ sumenda provocata. Quibus tot contentionibus flagrantissimas admiscebat preces, abditus perpetim in Sacello S. Ursulæ (quod auream Capellam vocant) & corpore toto animóque humi stratus, multo cum imbre lachrymarum legionem illam Virginum Martyrum, in præsidium urbi vocabat; hìc sacris operabatur assiduè, hìc rerum divinarum notitias plurimas accipiebat, quibus perversorum calumnias contemnebat: unus ipse pauperculus & humillimus peregrinus, & hospes, terrori factus robustissimis & superbissimis adversarijs. Nec Coloniæ modò iminentes terrebat lupos, sed civitates etiam longè positas epistolis admonebat, adversùs fallacias & dolos nebulonum præmuniebat; ex quibus unam ad Sodalem charissimum Jacobum Lainium datam, quia sapientissimis plenam doctrinis, quæ inter hæreticos versantibus, maximè animarum medicis sunt necessaria, hìc de verbo ad verbum reddendam duxi.

Quod à me sæpius per literas postulâsti, ut vias aliquas ijs traderem, qui velint inter hæreticos alienæ prodesse saluti, nec suæ tamen obesse, justis ego de causis necdum respondi, tum quia nondum satìs ad cogitandum spatij datum est, tum quia à rebus domesticis nulla quies, & quòd ex imbecillitate præterita minùs adhuc est firma manus, ut eâ ad scribendum commodè uti queam: & quod caput est, nihil in mentem venit, quod ad rem faciat: scribam igitur duntaxat ea, quæ in buccam veniunt. Ac primùm quidem ijs qui prodesse velint hujus ætatis hæreticis, videndum est, ut magnâ adversùs eos charitate ferantur, eósque verè diligant, pulsis ex animo cogitationibus illis, quæ quoquo modo illorum apud nos existimationem minuant. Proximum est, ut eorum nobis animos voluntatésq; captemus, sic ut ij vicissim nos ament, & de nobis optimè sentiant. Id facilè consequemur, si eos comiter alloquamur, & in familiari sermone de ijs duntaxat rebus agamus, de quibus inter utrosque conveniat; omni altercatione sublatâ, ubi pars videlicet altera alteram videatur abjicere vel deprimere. Agendum quippe de ijs rebus est priùs, quæ voluntates conglutinent atque conjungant, quàm de ijs, ubi sententiarum inter se pugnantium diversitas nascatur. Quoniam autem hæc Lutheranorum secta filiorum est subtractionis in perditionem, & priùs in eis rectè agendi pietas, quàm recta fides extinguitur, faciendus est gradus ab ijs, quæ pertinent ad rectè propendendum secundum affectum ad ea, quæ faciunt ad rectè credendum: secùs utique ac olim in Ecclesiæ nascentis exordio, cùm primùm homines convertebantur ad fidem: quo sanè tempore fide primùm, quæ est ex auditu, mentes erant imbuendæ mortalium, & ab erroribus revocandæ, deinde sensim deducendæ ad rectè sentiendum de moribus, operibúsque susceptæ Fidei consentaneis. Si quem igitur suscipiamus curandum, qui non modò pravitatis erroribus, verùm etiam perditis moribus sit imbutus, omni insinuatione utendum erit, ut eum avocemus à vitijs, priusquam verbum ullum de pravis ejus opinionibus faciamus. Ac mihi quidem usuvenit aliquando, ut ad me Sacerdos accederet rogans atque obsecrans, ut suas opiniones de Sacerdotum conjugio sanè falsas, si quæ esset, ratione convellerem: ego verò cùm familiariter in ejus me sermonem insinuâssem, ille mihi se totum aperuit; deprehendi eum vitam agere in morte peccati, multos jam annos meretricijs amoribus irretitum: perfeci tamen disputationis pugnâ remotâ, ut vitâ priore damnatâ ad frugem suâ voluntate rediret; qui simul à peccando discessit, Deóque adjuvante mulier-

mulierculâ tandem caruit, continuâ suâ sponte, nullâ illatâ Catholicæ doctrinæ mentione, conciderunt errores omnes; utpote qui ex inquinatæ illius vitæ sordibus & ortum habuerunt & progressus. Quoniam autem in ceteris Lutheranorum erroribus is est ferè communis, ut humanas actiones & facta suis meritis spolient, omniáque in Fide reponant, idcirco faciendum nobis est, ut in eorum congressibus ab operibus ac rectè factis progrediamur ad Fidem, ijs perpetuò sermonibus inferendis, quibus eorum ad amorem ac studium excitentur. Ut cùm negat hæreticus Ecclesiæ licere, propositâ peccati capitalis pœnâ, quenquam alligare psalmodiæ, vel Missæ, tum isti adhibenda est cohortatio peracris, quâ cùm ad orationis & Missæ, tum ad alia hujusmodi incitetur officia, quoniam iste ab audiendi Sacri psallendive pietate priùs excidit, quàm à Fide. Observandum est autem sanè diligenter id, in quo Lutheranorum Duces ministrique niti solent, cùm adversùs Ecclesiæ præcepta sanctionésque SS. PP. suos tuentur errores: id autem est nimia imbecillitas virium ad obtemperandum, ac tolerandum aliquid propter DEUM, ità ut eis Ecclesiæ leges atque præcepta, supra vires, miniméque ferenda videantur. Quocirca ad istos erigendos animandósque, plenâ spiritûs cohortatione opus est, ut in spem redeant, & confidere incipiant fore, ut & ipsi queant non modò quidquid imperatur, verùm etiam longè majora DEO adjuvante præstare. Atque hîc ego sic existimo, si quis efficacitate doctrinæ, aut ardore spiritûs persvadere Luthero posset, ut excussis ex animo pravis suis inclinationibus, & recepto Religionis ornatu, sese alacri quadam parendi voluntate ad ea quæ imperantur explenda converteret, fore ut eò ipsò, nullâ adhibitâ concertatione, hæreticus esse desineret. Quanquam istuc quidem majorem quandam vim spiritûs copiamq; desiderat, & multo igne divino opus esset, ut ad hanc ille submissionem animi tolerantiámque, & consimiles virtutes, quas tanta hominis mutatio postulat, perveniret. Quod quoniam sinè præcipua quadam DEI ope perditis in hominibus, & jam prorsus aversis, fieri nullo pacto potest, idcirco perexigua spes est etiam, ac pene nulla, reducendi id hæreticorum genus ad sanam mentem. Quisquis autem nullis alijs sermonibus atque colloquijs, nisi de instituenda rectè vita, de virtutum pulchritudine, de orationis studio, de supremo vitæ die, de æternitate gehennæ, déque alijs hujusmodi rebus, quæ vel ad emendandam Ethnicorum vitam pertinent, cum hæreticis congrederetur, næ ille multò magis eorum animis ac saluti consuleret, quàm si eos auctoritatum vi & rationum copiâ conaretur obruere. Denique summatim ut dicam, id hominum genus cohortationibus & opportunis monitis eget ad componendos mores suos, & ad suscipiendum metum pariter & amorem DEI, amorémque bonorum operum: ut hac veluti medicinâ suis illi imbecillitatibus medeantur, fastidióque rerum divinarum, & evagationibus mentis innumeris, quibus inter cetera mala morbósque laborant, quæ non continuò mentis apicem intelligentiámque, sed priùs pedes manúsque tum animi, tum corporis petunt. JESUS Christus Redemptor universorum divino suo spiritu eorum feriat leniátque præcordia, qui videt verbum suum in chartis scriptum, nequaquam esse ad permovendas hominum mentes satis.

Hæc inter IGNATIUS, cùm jam quini præter Canisium Socij Coloniæ versarentur, & ingentes causæ Fabrum in Lusitaniam proficisci urgerent, postulante Rege, & annuente Pontifice, illuc se conferre jussit; qui nè tantillum ab obedientia discederet, tribus adhuc alijs Socijs Coloniam sub Keselij gubernatione, additis, continuò in viam se dedit 12. Julij Anno 1544. mœstissimis suâ digressione amicis, præsertim Carthusiæ Patribus; quos adeò sibi Societatíque conciliârat, ut præter alias suæ benevolentiæ significationes, & constantem ferè nostrorum alimentationem, communiter decreverint, sui cum nostro Ordinis thesauros omnes internos & bona spiritualia communicandi, id quod publicis diplomatis testatum esse voluerunt. Lovaniô conscensâ navi Veras tendentem cùm ventus omnis defecisset, vix primis precibus imploratâ DEI clementiâ auram ità secundam obtinuit, ut duas intra horas, quo totius noctis labore appulsuros nautæ desperaverant, Veras tenuerint. Claudius interim Jaius intellectо Fabri ab Germania discessu, plenas doloris & querelarum ad IGNATIUM dat literas, ut intelligeret quanto Germaniæ damno abscessisset. *Ejus enim nomen ipsum*, inquit, *in utraque Germania Catholicos erigebat, & ad utriusque reparandæ spem Viros Principes excitabat. Eodémque auctore lectissimi quiq; convolabant ad Christum, & multi etiam Societatis Instituta petebant.* Sed nimirum altiori spiritu movebatur in gubernatione sua IGNATIUS, cujus mandata secutus Faber vix Lusitaniam attigit, cùm Joannem Nunnium Sacerdotem jam & Abbatem, qui postea Æthiopiæ Patriarcha creatus est, Societati adjunxit. Eboram perveni-

veniens, ubi tunc Rex cum Aula morabatur, in morbum incidit: ex quo recreatus; totum ſe concionibus Conimbricæ impendit, maximis hominum ex quovis ſtatu motibus; quos teſtabatur præter confitentium turbam, Exercitia flagitantium vis, quorum ex receſſu lectiſſimi quíque Societati adjungebantur, ùt Ludovicus Conſalvius Prætoris Materiæ Inſulæ filius, & Emmanuel Sà, viri erudítiſſimi, alijque 30. plures, quorum pleríque deinceps in culturam Indiarum, ubi longè felicior in horrea Eccleſiæ, quàm in Germania meſſis legebatur, miſſi ſunt. Revocatus ſubinde in Regiam ità Principes & Aulam Spiritu divino implevit, ut cùm deinde majoris ſpe proventûs in Caſtellam dimitti petijſſet, ægrè admodum poteſtatem diſcedendi obtinuerit. Huc appulſus unà cum P. Araozio menſe Aprili A. 1545. Valliſoleti tunc Regni Sede, hoſpitium in publico Noſocomio delegit, & perpetuis concionibus, tradendâ rudibus Catecheſi, viſendis ægris & carceratis, tantam Societati, tum adhuc in Hiſpanijs ferè in publicum ignotæ, famam peperit, ut hujus per Regna illa tanto deinceps ambitu propagatæ gloria meritò illi tribuatur. Illum enim ſanctitate Viri permoti à confeſſionibus ſibi delegerunt plerique Aulæ primores, inter quos Bernardinus Pimentellus Taveræ Marchio, & qui Regijs arcanis præerat, Alvarus item de Corduba Regij Princeps ſtabuli: ipſéque Rex cum Regina tantum ſacris Fabri colloquijs delectabantur, ut eum ab ſe nullo alio digredi ferè paterentur. Complures ſimul de primarijs, utì & Epiſcopos, ad exercendam IGNATII meditationibus mentem induxit, quos alij ex media ſorte plurimi ſecuti, in novos repente viros, magno Aulæ miraculo, commutabantur: tantúſque ex concionibus ejus exiſtebat proventus, ut ipſemet nonnunquam admiratione perfuſus, benignitate tam clementis Numinis erubeſceret. Simul etiam Collegium Societati Valliſoleti, & aliud Madriti fundari obtinuit, Gandienſíque lapidem fundamentalem poſuit, quæ recèns adlectis à ſe in Societatem præſtantiſſimis operis implevit.

Anno interim 1546. Cùm Pontifex ternos è Societate ad Concilium Tridentinum ſuo nomine Theologos mitti voluiſſet, IGNATIUS præter Lainium & Salmeronem, Fabrum deſignavit; qui laboribus jam pene fractus, ingenti Nobilitatis & Aulæ luctu, cui propè toti erat à confeſſionibus, Barcinonem diſceſſit: dúmque nec ibi à concionibus & confeſſionibus audiendis ſibi temperat, tertianâ corripitur. Ingenti verò illo parendi ſtudio incitatus, licèt necdum firmatâ valetudine, in Italiam trajiciens, Urbem ſanè intempeſtivè intravit, cùm omnia caloribus ferverent infeſto Caniculæ ſigno, quò non raró vel rectè valentibus mordente ſidere peſtifer eſt acceſſus. Hìc paucis diebus morbidum corpus novus æſtus adoritur, & denique interficit Anno 1546. 1. Auguſti, incredibili S. IGNATII dolore & Sociorum luctu. A morte illico glorioſus comparuit Gandiæ in Hiſpania perſonæ apprimè ſanctæ, multâ luce conſpicuus, multáque & præclara illam docuit de Chriſti Domini obedientia, déque gaudio quo ipſe perfrueretur in beatis ſedibus, propter oppetitam obedientiæ nomine mortem. Gandienſes autem nuncio obitûs accepto, publicâ gratulatione lætitiáque diem illum, tanquam ipſi in cœlis natalem celebrârunt. Vir fuit ſanè excellentiſſimæ virtutis, cui nihil ad perfectionis Apoſtolicæ culmen deeſſet: ejus enim converſatio perennis in cœlo, uſúſque continuus cum DEO, Chriſto Domino, Deipara, Angelis & Sanctis, medios etiam inter labores extitit. Profitebatur autem, etiam in meditationis quiete plus ſibi jucunditatis & emolumenti affluere, ex agendis cum DEO mortalium cauſis, quàm ex rerum conſideratione altiſſimarum, ſi ab omni eam viventium vel mortuorum utilitate ſejungeret. Ex qua cum ſummo bono conjunctione perpetua, & aſſiduo cœlites implorandi ſtudio, fiebat ut ſemper ſenſu pietatis dulciſſimo exundans, facillimè omnium quoque pectora compleret: unde tanta in ejus dictis vis, tantus è conſvetudine familiari quæſtus pietatis, tanta, quod minimè quærebat, ejus exiſtimatio atque celebritas. Didicit etiam, afflante divino Spiritu, cùm plurimus eſſet in Sanctis eorúmque reliquijs tenerrimâ pietate venerandis, memoriam cujuſcunque Sancti cum pietate coli, ſi quis primùm gratias agat DEO, quòd Beatum illum ab æterno prædeſtinâſſet ad gloriam, ad eámque perduxiſſet: deinde ſi eaſdem SS. Matri gratias, Angelóque ejus Cuſtodi, & ijs cœlitibus ſingillatim perſolveret, qui ad ejus ſalutem & gloriam aliquid contuliſſent: tertiò, ſi & ad DEUM, & Sanctum illum pro ijs, qui præcipuo illum unquam coluiſſent honore, preces ſterneret. Quartò, Si DEUM oraret, ut ejus literarum monumenta, ſi quæ forent, rerúmque ab eo geſtarum memoriam, reliquias, cuſtodita & conſervata vellet: denique ſi pares ejus offi-

bus,

bus,ubi ubi essent, tribueret venerationis honores, & ex ijs aliquid habere laboraret. Porrò in colendis Beatis idcirco tam exquisitè erat attentus, quòd interiore præsensit admonitu, eóque valde claro, cœlestium omnium tanti esse suffragia, ut vel unius præsidium plus efficacitatis habeat ad corrigendos hominum mores, quàm cunctorum edicta Regum, industriíque conatus.

Rationem verò piè utilitérque agendi itinera suavissimam invenit, ut ea curis & occupationibus tum liber, pijs cogitationibus & sacris precibus unicè consumeret. Quia enim SS. Angelos præcipuo cultu venerabatur, & præter feriam secundam illorum devotioni integrè consecratam, eosdem frequens diu noctúque appellabat, iter agens ubique præsentes illos cognoscebat, nusquam sinè eorum implorata custodia comitatúque prodibat, neque negotium ullum auspicabatur. In Regni cujuspiam & novæ ditionis ingressu, Archangelos ejus præsides sibi & incolis conciliabat: idem faciebat Urbem aliquam, oppidum, pagum, vel domum conspiciens, illíve eminus appropinquans: tum descendens ad singulorum incolarum vel obviantium hominum tutelares spiritus, eorundem custodiæ clientes suos commendabat. Invocabat & Sanctos cujusque loci Patronos & Tutelares, ut pro habitatoribus suis DEUM orarent, veniam eis delictorum precarentur, gratias efficaces ad DEI cognitionem & amorem impetrarent, partésque illorum officij in cultu divino, quas incolæ vel negligerent, vel ignorarent, ipsi ultro in se reciperent & peragerent. Eisdem egentes auxilio vel solatio, & singula nominatim calamitosorum genera commendabat: sibíque gratias similiter impetrari postulabat, ad rectè & fructuosè cum ijs agendum, & omnes DEO lucrifaciendos. Ità Sanctorum munitus patrocinio, indagabat vias omnes omnibus consulendi: & quocunque ingrederetur, omnem alloquijs occasionem captabat, nunquam ut verbo parceret, sed in omni congressu, in circulis ac conventibus, in foris, domibus atque vijs, in mensis, curaret quæ singulis diceret, & quæ cuivis aptè suggereret vel moneret, ut quisquis illi se jungeret, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiretur. Ajebat enim ubique & semper hominibus consulendum esse, ubique plantandum, ubique colligendum, cum debitores simus omnibus, & ubique nos spectet DEUS, & cujuslibet Angeli Custodes id à nobis exigant & expectent: ideóque committendum non esse, ut frustra aliquid in notitiam & conspectum nostrum veniat. Illud addebat ad præmuniendum castimoniæ thesaurum, & vias omnes insidijs obstruendas dignissimum præceptum: singulis in hospitijs & domibus non modò statim in ingressu, ex præcepto Christi, pacem habitantibus dandam, sed etiam pietatem palàm ac liberè profitendam, tum pijs de DEO sermonibus inferendis, tum religionis apertè colendis officijs, & precibus publicè de genu dicendis: nihil enim hominem ità deinceps continere in officio, ùt edita jam à se virtutis exempla: nihil ità vicissim petulantiam hominum frangere, reprimere impudentiam, cupiditates imminuere, ne quidquam improbi in oculis tuis attentent, ùt religiosi & sobrij hominis aspectum. Ea de causa jure quosdam, non tam re quàm nomine Religiosos accusabat, quos non sinè dæmonis fraude pudeat coram illis, quibúscum agunt, liberè factis etiam profiteri quod sunt, quò liberius illi quidquid collibitum fuerit in aures castas eructent. Quare indè jam à principio Faber imperaverat sibi, nè quid in congressu hominum ullo conniveret, nè quid dissimularet, sed perpetuis de DEO déque virtute colloquijs, quid profiteretur ostenderet, ut nemo se præsente auderet aut minùs aliquid pudicè facere, aut mollem aliquem inferre sermonem.

Paupertatem Evangelicam colebat ità exactè, ut ante editas adhuc Societatis constitutiones proprio se voto devinxerit, nunquam vel pro concionibus, Missæ ve Sacrificio, vel pro Sacramentorum ministratione aliquid accepturum: ac ne annuis quidem domuum reditibus se usurum, nisì obedientiâ cogeretur: ubique in publica nosocomia solitus divertere, & pane vicatim emendicato se sustentare. Hoc ille votum inter magìs insignia DEI dona computabat: cui cùm adversa aliquando obrepsisset cogitatio futuræ suæ in tot peregrinationibus egestatis, continuè firmo animo statuit, se quotannis rebus omnibus, quæ ad præsentem victum & cultum pertinerent, funditus exuere, nihil ut se spoliatius, nihil esset egentius. Præclaram ejus operam Moguntiæ navatam gratus munere aliquo pensaturus Cardinalis Electot, varia illi pretiosa, vas præsertim argenteum magni ponderis obtulerat: quæ cum Faber studio paupertatis constanter recusaret, prehenso Cardinalis suis manibus abeunte, in Breviarij thecam è zona suspensam aureos 100. injecit. Hos cùm recusandi non esset locus, ne contemni tan-

tanti Antiſtitis liberalitas videretur, qui vim non modò verbis, ſed manibus etiam afferebat, eos partim miſit ad Socios Lovanij & Pariſijs in magna egeſtate ſtudijs vacantes, partim in egenos ſinè cunctatione diſtribuit, ne teruncio quidem ſuis uſibus impenſo. Nec inutile erit audire, quæ adjumenta adhiberet ad recitandum devotè divinum officium, nè ingerentibus ſe ex tot negotiorum tractatione curarum reliquijs diſtraheretur. Inter pſalmum & pſalmum brevem aliquam precationem raptim jaculabatur ad DEUM, qualis erat illa ſolennis & frequens: *Pater cœleſtis da mihi ſpiritum bonum!* quâ totis emiſsâ præcordijs, ſenſit ad continendam mentem multum latere præſidij. Aliàs per horarum decurſum myſteria Paſſionis ruminabat, ut cùm perveniſſet ad Nonam, ſentiret & ipſe diros illos angores, quibus Chriſtus illâ horâ ſpiritum in manus Patris tradidit. Sentiebat etiam ſalutare eſſe, deligere loci opportunitatem ad quietè orandum, nè cum mens orat, ibi verſêre, ubi ſenſus hauriunt quæ cogitationem aliò avocent. Secundò, attendere perſonas & Sanctos, quorum in officio nomina memorantur. Tertiò, ſenſum ipſum & affectus verborum, quibus officium contexitur. Quartò, non repentè ab negotijs transferri ad orandum, ſed priùs aliquantum mentem ab ijs ſevocatam velut in gradu ſiſtere, & priùs cogitatione quàm pronunciatione orationem inchoare. Interdum etiam mentem fallebat, fœdere cum illa velut inito, ad exhibendam uni ſaltèm præſenti pſalmo attentionem; quâ obtentâ idem fœdus renovabat ad ſecundum, tertium, & omnes ex ordine pſalmos. Aliàs per vivacem Fidei actum identidem ſe in præſentia DEI, vel immixtum Angelorum choris ſiſtebat, vigilem ex adverſo ſibi proponens adverſarium genium, qui curioſo oculo cuncta ſua obſervaret errata. Finitâ pſalmodiâ totum animum ad examinandam conſcientiam, quâ ſatisfactione inter orandum ſe geſſiſſet, revocabat; id quod & à Miſſæ Sacrificio, & quovis alio negotio ſolenne illi erat, ut ſingulas veluti operis partes retractaret, & meliùs deinceps agendas conſtitueret. Tanti autem faciebat exactam in Canonicis precibus attentionem, ut alijs etiam ſuaderet, ſæpius ante earum recitationem in memoriam revocarent cum flagranti deſiderio eas orandi tempus; perſoluto verò officio, niſì ex ſententia votóque ſucceſſerit, dolorem perpetuum ſuſciperent ex vera charitate DEI, duraturum uſque ad novum orationis tempus, quòd abfuerit ſenſus orandi inter ſuaviſſima DEI verba, & argumenta pſalmorum. Uſque adeò firmiter ſibi perſuaſerat, hoc DEO res gerendas curæ magìs fore, quò magìs ab ijs ad DEUM curam inter orandum ipſe traduceret.

Neque ſolùm apud vulgus, ſed primæ etiam ſanctitatis viros in excellentis ſanctimoniæ opinione fuit Pater Faber. Certè S. Franciſcus Xaverius ùt primùm de ejus felici obitu in Indijs edoctus eſt, illum deinceps inter alios Sanctos in opem vocare non dubitavit: ùt ipſe de ſe fatetur in quadam Romam data epiſtola, graviſſimam in mari tempeſtatem ſe perpeſſum ſignificans, in qua ad Beatorum Cælitum auxilium confugiens, narrat ſe præcipuè Petrum Fabrum invocâſſe, atque in ejus meritis & precibus ſpem collocâſſe. S. Franciſcus Saleſius Genevenſium Epiſcopus eidem devotiſſimus fuit, & vitam illius non tantùm ipſe aſſiduus evolvit, ſed & alijs vitam ſanctiorem meditantibus legendam perſuaſit. Quin etiam ſingulari devotione Sacellum P. Fabri memoriæ dicatum inviſit, ùt teſtatur vitæ Saleſij libro 7. Scriptor Carolus Auguſtus his verbis: *Viſitavit Sacellum in honorem B. P. Petri Fabri, primi Sacerdotis Theologi & Socij Divi Ignatij Loyolæ Soc: JESU erectum, atque ibi ſcire & videre voluit paternam domum, & poſteros conſanguineósque tanti Viri, multáque in ejus laudem effudit. Siquidem illius vitæ & rerum geſtarum hiſtoriam à Nicolao Orlandino conſcriptam, ſæpiſſimè perlegebat, nec non legendo Patriæ gratulabatur, quòd in Societate JESU duos pharos, Fabrum & Jaium Subaudiæ DEUS accendiſſet.*

Ex Hiſtoria Societatis & ejus Vita Nicolai Orlandini, & Tomo 1. Hiſpanico Nierembergij de Viris Illuſtribus.



P. CLAU-



P. Claudius Iaius Sabaudus, è primis decem S. Ignatij socijs, ob vitæ innocentiam Angelus Dei; ob assertam in Germania Fidem orthodoxam, illius Apostolus appellatus. Obijt Viennæ Austriæ 1552. die 6. Augusti.

5.

P. CLAUDIUS JAIUS.

Septimus ordine & tempore S. Ignatii in fundanda Societate Sodalis Claudius Jaius, natione Sabaudus, diœcesis Genevensis, Illi se adjunxit Parisijs, Philosophiæ jam Magisterio & Sacerdotio insignis. In secessu Exercitiorum quadragenario probatus, toto triduo cibo omni & potu abstinuit: ijsdem postea peregrinationibus & missionibus per Italiam, quibus reliqui Socij ante confirmatam Societatem, perfunctus. Hac verò in Religiosum Ordinem erectâ, prima expeditio illi obtigit Balneoregium, S Bonaventuræ natalibus nobile ppidum, quo gravis discordiæ causâ inter Clerum populúmque sedandæ destinatus est. Primus ejus adventus quanquam neutri parti, (ùt ferè exulceratis odio animis accidit) gratus admodùm fuit; tamen ubi pro concione aliquoties auditus sui adventûs rationem reddidit, omnium animos sibi adjunxit. Hinc præter opinionem tum ad audiendum verbum DEI, tum ad enuntianda peccata concursus hominum auctus, ut ne nocturna quidem defatigato Patri, totum diem excipiendis confessionibus lassato, quies esset reliqua: apertísq; nondum Templi foribus, summo manè nonnulli etiam per fenestras, locum audiendæ concioni occupaturi irrumperent. Controversiæ porrò illæ, quæ sinè magna sanguinis effusione

effusione finiri non posse credebantur, summâ omnium gratulatione paucis diebus sopitæ sunt: atque ut firmiore pacis fœdere sancirentur, mutuos inter amplexus veniâ vicissim postulatâ datâque, persuasa est omnibus ab Jaio communio Corporis Christi, quorum multi complures annos odijs peracerbis impliciti, ad Sacrosanctum illud pacis symbolum non accesserant. His adjecit quotidianam Christianæ legis multitudini explanationem, & monita privatim ità religiosè excepta & observata, ut cives alios jam se, quàm fuerant hactenus, mirarentur. Brixiam indè ad Cænomannos transgressus ad extirpanda errorum zizania, quæ hæresis irrépens ità copiosè disseminaverat, ut Roma sibi indè & Italia metueret, in ijs evellendis magno animorum compendio totum ferè annum insumpsit. Evocatus sub hæc Romam ad emittenda cum reliquis primis Patribus Professionis quatuor vota solennia, Faventiam deinde Urbem excolere jubetur, ubi præter multa in obsequium DEI & commune bonum gesta, veterem Ecclesiæ morem & consvetudinem reduxit, crebrò usurpandi divina mysteria, hebdomadis minimùm singulis; sodalitate piorum virorum, qui sedulò id exemplo & industriâ suâ promoverent, erectâ: ex quo tantus pœnitentium ad Patrem fuit accursus, vix ut respirandi totâ die daretur locus, & Faventini vix ampliùs sese agnoscerent. Quin eadem Sodalitas illas sibi quoque partes imposuit, ut peculiari quodam studio opera tuerentur misericordiæ: hinc medicum è suo corpore facilè principem, advocatum item & procuratorem elegit, qui sive in morborum ærumnis, sive in judiciorum disceptationibus, operam suam gratis cuique egentissimo præberent. Alij mendicorum patrocinio suscepto pro ijs eleemosynas corrogabant: nonnulli tutorum loco orbos orbásque complexi, studiosè quærebant & vestiebant: alij alia Christianæ benignitatis officia partésque sibi deposcebant, ut viderentur omnia Faventiæ priscâ quadâm religione fervere.

In medijs his ardoribus jubetur à Pontifice Jaius unà cum Bobadilla Ratisbonam se conferre, ad sustinendam ibi magnis passibus in ruinam tendentem rem Catholicam: qui per Bononiam itinere suscepto, brevi quo ibi substitit tempore, maximas florentissimæ civitatis utilitates exhibuit. Ratisbonam ingressus ante omnia crebrò invisebat Antistitem, & sui admonebat officij, stimulabat ad optima quæque Canonicos, & modò hunc, modò illum spiritualibus S. IGNATII exercitationibus adjuvabat; perorabat ad Senatum ferventer, & Clerum potissimè ad sanctiora vitæ exempla excitabat. Quâ re (ùt tunc mores Cleri per Germaniam fuêre corruptissimi) vehementer illis exosus, dum insuper suis consilijs authoritatéque hæreticum civitati percharum tentat à concionandi munere removere, multorum subijt invidiam. Ipse verò cùm cruces undique & pericula minitarentur, triumphare gaudio, & minitantibus in Danubium præcipitationem respondere intrepidus: *in cœlum se tam facilè aquâ, quàm terrâ venire posse*. Nec defuêre qui ei aut mortifera exitia veneni, aut subitum molirentur exilium: quibus nihil exterritus, aggressus est explanare publicè Pauli epistolam ad Galatas, maximâ omnium ferè ordinum coronâ, ipsis etiam affluentibus Lutheranis: & quamvis ibidem duobus in templis pestilentissimæ hæreticorum conciones haberentur, ipse tamen tantâ omnium constantiâ sitíque audiebatur, ut ne per autumni quidem vindemias, quod aliàs fiebat, intermitti sacram illam paterentur explicationem. Quâ ejus constantiâ, & in tot adversis æquanimitate viri boni & Catholici permoti, Episcopus inprimis, illum in oculis ferre, palámque exultare, quòd tantis animis facinorosis & hæreticis se opponeret, & innocentis vitæ speculo facilitatéque perm írâ haud contemnendos suæ tolerantiæ fructus ferret. Et reverà tam opportuni hoc tempore fuêre in Germania sudores & conatus P. Claudij, Fabri & Bobadillæ, ut si eos irruenti pleno torrente Lutheranæ hæresi divina Providentia gratiâ suâ armatos non opposuisset, brevì se integrè Lutheranam ingemuisset. Tanto studio pestilentissimi illius hæresiarchæ alumni regiones has ubique pervagabantur, támque impunè populis quod vellent persuadebant: cùm contra ab ijs qui poterant & debebant, nullæ aut perexiguæ adversùs intestinos hostes agerentur excubiæ, nullâ pastorum vigilantiâ perditorum hominum cohiberetur impietas; imò è contra hi ipsi è pastoribus lupi facti, totas post se pessimo exemplo traherent in exitium communitates, & integra non rarò cœnobia vitæ libidinosæ æstu à Fide deficerent. Ipsorum maximè studijs & conatibus impeditum est, nè ad importunas Protestantium minas & preces Concilium particulare, pro decidendis Fidei & conciliandis differentijs, Nationis Germanicæ celebraretur, in quod desiderio pacis vehementer Carolus ipse Imperator cum Fratre Ferdi-

Ferdinando Rege Romanorum, plerique Catholici Principes & Episcopi inclinabant: quos ab ea mente avertere durissimi fuit Patribus laboris, dum modò hunc, modò illum argumentis à proposito divellere nituntur. Jaius inprimis non cessabat Ignatium epistolis incitare, actum esse de Religione Catholica in Germania ostendens, si Provincialis Synodus cogatur: ideóque urgendum omni ratione Pontificem ad generale Concilium indicendum. Versabatur Pater jam altero anno Ratisbonæ, quasi solus pro muro irrumpenti toto furore hæresi oppositus, quæ civitas cùm libera sit, & soli subjecta Cæsari, tantò in illa vehementiùs res Catholica laborabat, quantò minùs Magistratus ad abigendos hæreticos cum Antistite conspirabat. Satis igitur habebat negotij Jaius hostibus retundendis, ad quod improbo labore, multarum animarum bono, germanicum perdifficile idioma jam comprehenderat, totísque viribus nefarijs eorum conatibus se opponebat: ut si qua pars Urbis à Luthero se glorietur intactam, ea gloriam hanc continentibus Patris vigilijs & laboribus acceptam ferre cogatur.

Igitur saluberrimis functionibus Catholicos universos, Religiosos perinde ac Laicos in officio continere, Episcopum ad castigandos formandósque denuo mores importunè prorsus & assiduè hortari, nullum insuper tempus sive publicè, sive privatim, ipsius quoque Senatûs admonendi amittere, nè stultissimis hæreticorum suffragaretur erroribus. Quibus rebus turbulentiore in eum quàm anno superiore, concitatâ tempestate, licèt in pauperem & inermem manus injicere DEO prohibente sint veriti, civitate tamen ejectũ, solum vertere coëgerunt. Ille ad Episcopum se conferens, ut eum imminentis ovibus suis exitij commonefaceret, ùt primùm Senatum ipsum in hæresim prolábi accepit, promulgandi fidelibus Jubilæi causâ Urbem illico repetijt, sanguinis in Fidei causa fundendi percupidus. Ergo dum extremo conatu frustra torrenti stygio obnititur, DEUS ipse pugnator pro sua causa illi adfuit, & quosdam ex hostibus, monitis illius refractarios egregiè ultus est. Alter horum erat Doctor Laicus, qui communionem sub utraque specie Senatui primus impudenter obtruserat, magnâ sanè Catholicorum clade: alter ex S. Francisci familia, tanto priore nequior, abjectâ religiosâ veste, etiam Lutheri ex cathedra regendam susceperat Ecclesiam, ductâ ex egregiæ disciplinæ legibus mulierculâ. Hos à conceptis Jaius revocare flagitijs sæpe conatus cùm frustra sudâsset, æquissimò DEI judicio Laicus paulò pòst acerrimo malo correptus, geminæ horæ spatio inter dirissimos cruciatus contaminatam vomuit animam: impurus verò desertor 15. interpositis vix diebus ab incestis nuptijs, in ea ipsa corporis parte, ubi DEO juratam castitatem sacrilegus violaverat, summorum dolorum cruciatu confectus interijt. Hæc inter Nuntius Apostolicus Ratisbonam transiens, Jaium Ingolstadium migrare præcepit, nam & illud, quamvis summè in obstruendo aditu vigilaret Princeps Bavarus, exitialis Lutheri lues afflârat. Hìc Jaius totam traduxit æstatem, & dum multos errore liberat, eximiæque simul sanctitatis & doctrinæ specimina præbet, partim Roberti Armacani Archi-Episcopi consilio, partim Doctorum Ingolstadiensium precibus compulsus, publicè docere sacras literas compellitur. Verùm à multis certatim Germaniæ Præsulibus in præsidium adversùs hæreticos expetitus, Augustano Antistiti, qui postea fuit Cardinalis, Othoni Truchses concessus est. Ex itinere ab Episcopo Aistetensi interceptus, duos apud illum menses egit, magno illius & suorum commodo: unde Dilingam delatus, sacris Ignatii commentationibus Othonem Episcopum singulari Ecclesiæ emolumento exercuit. Nam cùm per id tempus Salisburgum Synodus Provincialis indiceretur, cui & Augustanum, & Aistetensem adesse oportebat, in qua præcipuè tractandum erat de conciliando opinionum inter Catholicos & Lutheranos concordia, Jaius eodèm ad dicendam in Concilio sententiam invitatus, interesse omnino recusavit, negans consentaneum esse, ut quem Pontifex in Germaniam destinâsset, is ejus injussu in Controversijs de Religione sententiam, quas Romanæ Sedis arbitrio dijudicari oporteret, palàm diceret. Sed & Augustano efficaciter persuasit, ut nihil de Religione, Pontificis injussu, in Conventibus Imperialibus, agi pateretur: quod demum etiam Salisburgensi & Aistetensi ceterísque Episcopis persuasum est: & quidem ità constanter, ut Augustan. Actis Synodi subscribes adjecerit, amittere se denos Episcoptat., & patrimonium, & vitam malle, quàm ut ulla in disceptatione cum Lutheri sectatoribus consentiret. Quæ cùm ex voluntate fluere omnia, & animos tantorum Antistitum contra Protestantes obfirmatos cerneret, lætus & alacer Jaius Dilingam redijt, ad animarum prædas agendas. Sed iterum subitò Vormatiam

tiam ad Comitia evocatus ab Augustano, singulos Episcopos adire, & ad defensionem Religionis animare, publicásque habere conciones instituit, singulis præsertim Quadragesimæ ferijs, Principum omnium Catholicorum audiente coronâ, ipsóque Romanorum Rege Ferdinando, nec rarò Carolo Cæsare.

Indictum hæc inter est Concilium generale Tridenti, ad quod à Cardinali Othone Augustano, Theologi nomine missus Jaius, ad publicum Xenodochium, contempto splendido hospitio, divertit: maximâ tamen apud gravissimos illos Patres auctoritate, ob perpetuos suos ibidem concionum & confessionum audiendarum labores, pollens; à quibus sapientiam illius in dicenda pro publicis confessibus sententia expertis, in gravissimis quibusque negotijs ad consilium adhibebatur. Paulò pòst Tergesti Episcopo vitâ functo, Ferdinandus virtutis in Jaio & sapientiæ magnus amator & æstimator, Ecclesiam illam Jaio omnino tradere constituit, cujus solius vigilanti studio contra gliscentem in vicina Germania hæresim sperabat indemnem servari posse. At verò hic ubi primum id à Rege ex datis ad se epistolis intellexit, obfirmato contra dignitates ejusmodi animo IGNATIUM continuè admonuit; & Labacensem Episcopum ad easdem infulas coràm, Regis nomine, sese invitantem, magnâ humilitate ineptitudinem suam prætendens, rejecit. Non destitit tamen Ferdinandus interpellare Pontificem, ut si salvum ab hæresi Tergestum vellet, sedem illam occupari ab Jaio, præcepto interposito, mandaret: effecissétque omnino, Pontificis & Cardinalium auribus ad rationes in contrarium ab IGNATIO allatas penitus occlusis, nisi hic ardentissimâ ad Regem scriptâ epistolâ, illum à proposito urgendo avertisset. Hoc demissionis tam raræ exemplo longè latéque vulgato, multò magìs à varijs Principibus & Episcopis opera Patris expeti apud IGNATIUM cœpit, obtinuítque præ alijs futurum sibi & Filijs à confessionibus Dux Ferrariæ: ad quem perveniens, publicum nosocomium in hospitium, multùm principiò renitente, sed demum annuente Duce elegit, longè sibi conducibilius & gratius esse dicens inter ægrorum pædores & ærumnas versari, quàm inter odores Aulæ, Curiæque blanditias. Neque unquam intermisit, præter Ducalis conscientiæ curam, ægrorum corporibus & animis prodesse, & concionibus Urbem totam ad divina provehere, ceterísque Societatis ministerijs nobilitatem æquè ac populum adjuvare: quem cùm ad pœnitentiam seu matutinis concionibus, seu pomeridianis instructionibus excitâsset, postea ad partam prædam è suggestu descendens, sinè ulla interspiratione laboris, in destinatam confessionibus sedem se conjiciebat, tantâ audiendi sedulitate & pertinaciâ, ut indè avelli, dũ aliquis pœnitentium superesset, non pateretur. Nec licebat ei vel summâ hyeme inter cadentes cœlo nives à sacra vacare dictione, assiduitatem jam auditoris experto, qui cœli contemptis injurijs ad usitata pabula recurrebat.

Verùm Bavariæ Dux Guilielmus, acerrimus Catholicæ Religionis vindex, memor ingentis fructûs, & desiderij, quod Ingolstadij suis reliquerat Jaius, illum nominatim à Summo Pontifice cum duobus alijs è Societate Theologis concedi perijt, ut Ingolstadij, quò hæretici quidam magistri irrepserant, sacras literas juventuti traderent. Monitus à Pontifice IGNATIUS, Fabrum & Canisium Jaio adjunxit, Doctorali priùs Theologiæ laureâ ad auctoritatem conciliandam Bononiæ ornatos: ubi Jaius unum circiter annum S. Scripturam explanans, maximis Augustani Cardinalis apud Pontificem precibus iterum conceditur, utiliorem magísq; necessariam Ecclesiæ operam in Comitijs Imperialibus Augustæ præbiturus. Nam cùm in ijs Conventibus perpetuò Principes Protestantes Controversijs Fidei componendis instarent, ingens & præsentissimum periculum adibat res Catholica, quòd illius Principes & Antistites malorum pertæsi, in tractatus ejusmodi & colloquia nimiùm proni descenderent: inde sedulò invigilabat Pontifex, ut ad ejusmodi conventus idoneos quàm maximè Theologos, quales multo usu experiebatur de Societate esse, destinaret. Hìc Jaius ut in tanta Nobilium totius Germaniæ frequentia strenuam atque salutarem navaret operam, Principibus atque Episcopis in rebus Fidei consilio, alijs studio atque labore, omnibus vitæ sanctæ exemplis aderat. Non paucos ab hæresum erroribus abduxit, in iísque adolescentes aliquot præclaræ indolis & doctrinæ, innutritos in ea fæce: multorum correxit mores, pérque exercitia Spiritûs Sacerdotem prænobilem atque opulentum (quod ad exemplum aliorum magnoperè valuit) penitus immutavit. His ab Jaio præclarè in facie totius Conventûs gestis motus Rex Ferdinandus, atque ex eo de reliquis Societatis hominibus conjectans, cùm ab illo de Collegiorum nostrorum Institutis cognovisset, animum penitus induxit Colle-

gium

gium Societati Viennæ condendi, déque ea re ad Pontificem & IGNATIUM literas dedit, duodecim Socios præter Jaium ad illius initia mitti postulans. Venit cum his Viennam Jaius, domicilio primùm Urbani Labacensis Episcopi, qui Regi fuit à confessionibus, mox autem parte aliquâ Dominicanorum cænobij, dum stabilis habitatio perquiritur, receptus. Atque ut intelligatur quantos ad labores eò evocata esset Societas, quantóque hactenus per Provincias illas ediderit fructus, is erat id temporis status. In Provincijs omnibus Regi Ferdinando subjectis, trigesima vix pars ab hæresis contagione im̃unis & pura erat, cuncta hæreses variæ possidebant. Hæreticorum volumina prostabant, legebantur & circumferebantur impunè ubique, & ex ijs suam potissimùm pueri educationem & disciplinam domi & in scholis hauriebant. Ingens erat Cœnobiorum solitudo, Cœnobitæ omnibus ludibrio, quorum vitam in summum contemptum, per tot ab ijsdem pene quotidianos apostatas, adductam, nemo erat qui inire vellet. Nec Sacerdotum magis nomen erat in pretio, & eruditus quisque à Sacris Ordinibus abhorrebat: constat siquidem totos 20. annos ex Viennensi tam celebri Academia (quæ ipsa variâ sui parte magistros impuræ religionis censebat) neminem Sacerdotio initiatum. Ruditas & ignorantia latè in omnibus, quibus religionem niti opportuisset, regnabat. Papistarum vocabulum per ludibrium ab hæreticis inditum Catholici non ferentes, erubescebant se videri quod erant; nec tamen huic malo, quod manabat indies latiùs, qui occurreret, præsto erat: sic ut neque Rex exquisitissimo habito delectu, viros saltèm inveniret tot idoneos, quot Ecclesiæ Præfecturis & Episcopatibus necessarij essent, cujus defectu omnium maximè Viennensis Sedes laborabat. Parochiæ vel suis destitutæ erant pastoribus, vel ab improbis & rudissimis, ac ferè universim mulierculis alligatis, occupatæ: usus Sacramentorum rarissimus, & is ipse plerumque vitiosus; impertiendam vulgo putabant sub utraque specie SS. Eucharistiam, & in peccatorum confessione nemo ad particularia in specie descendebat, ad solam generalem sui accusationem absolutione ab imperitissimis Sacerdotibus obtentâ. Concionatores in una extollenda Fide & meritis Christi toti erant, de Christiani hominis officijs, déque alijs obligationibus nè verbum quidem: hæreticis interim per exedras triumphantibus, quorum doctrinis nemo se opponere sciebat, sed ferè solam antiquitatis præscriptionem Catholici prædicatores afferebant. In has errorum tenebras incidit Societatis, in hæreditarias Austriacæ Domûs Provincias, & Viennam primùm Anno 1551. inductæ adventus, quos ut corrigeret sanarétque, divino auxilio nixa, suos omnes nervos & curas intendit, eventu quem hodie videmus, quémque nemo meliùs, quàm ipsi Austriaci Principes & Cæsares sciverunt æstimare.

Itaque Jaius reformationem ab schola puræ doctrinæ auspicandam ratus, ex qua sana Religio in omnes fidelium præceptores & duces, ac tandem membra reliqua singula derivaretur, quò plures haberet ansas ad hæreticos revincendos, explanandam publicè suscepit epistolam ad Romanos, ex qua ferè errorum suorum firmamenta moderni novatores desumunt. Nicolaus Lanoyus Theologiam Scholasticam, Socij reliqui alia in Academiæ classibus tradenda assumpserunt; convocatis jussu Regis ex universa Austria in unum contubernium, Collegij ædibus proximum, 50. Juvenibus, studijs Theologiæ idoneis, quoniam concionibus aptis Religionem maximè laborare compertum erat. Hac multiplici laborum varietate enixiùs defungentem, elapso vix año placuit Arbitro rerum æquissimo ab hac vita subducere, sub finem Julij correptum non diuturno quidem & gravi morbo, sed sum̃o languore virium: quo ad diem 6. Augusti confectus, post recepta ritè novissima Sacramenta in cœlum abijt Anno 1552. eodem nimirum, quo in Indijs S. Franciscus Xaverius decessit, publico totius Academiæ luctu elatus, & ad S. Nicolai sepultus. Vir fuit facillimis naturæ moribus, ore semper jucundus & hilaris, gravitate suæ personæ consentaneâ; patientiâ paupertatis ornatus, in usu frequenti Magnatum detrito vilique cultu spectandus, nec quidquam admittens, etiamsi multa offerrentur, quo decorem paupertatis suæ minueret. Studio precationis & meditationis excellens, quotidie unum aliquod caput, præter aliam meditandi materiam, è Sacris Christi cruciatibus retractabat. Nihil in eo insolens, nihil arrogans, nihil elatum: in disputationibus cum hæreticis eà vi atq; modestiâ, ut orthodoxos valdè confirmans, adversariorum errores conficeret, non læderet voluntates. Ubi decessit, Angelus DEI, Pater patronúsq; Catholicorum, à Canisio autem & laborum ejus conscijs Principibus, Germaniæ Apostolus vocabatur. *Ex hist: Soc: & Tomo 1. Nirembergij de Viris Illustribus.*



P. Sylvester Landinus, S. I. Italus, Apostolico Zelo ad inflamanda hominum Corda, apud quos diceret, præditus, laboribus excolendæ Insulæ Corsicæ imortuus Bastiæ 3. Martij. Anno 1554.

P. SYLVESTER LANDINUS.

EXimium prudentiæ & severitatis exemplum S. IGNATIUS in Sylvestro Landino edidit, quo eundem non tantùm Religioni & DEO servavit, sed etiam ad insignem sanctimoniæ gradum pervexit. Natione Italus, patriâ Malgratensis ex agro Sarzanensi erat, jámque Sacerdotio initiatus ad Societatem Romæ Anno 1547. accesserat, navus quidem ille ac probus, sed in tyrocinio stomachosior, mox adversâ invaletudine minúsque valetudinarij curatoribus obsequens, quàm IGNATIUS in suis requirebat. Jubet igitur ægrum perdiligenter curari, nihílque à medicis, quod conducere ad sanitatem videretur, omitti; quem simul ac valetudinem recuperavit, quòd suo minùs domesticis profuisset exemplo, remisit in patriam: non quidem omnino ab Societate dimissum, sed ità suspensum & perplexum, quòd præcipuè sinè Socio mitteretur, ut vehemens ejus rei suspició conscium suæ mollitudinis ac morositatis animum perculerit: cùm interim IGNATIUS consultò & prudenter, ut sui corrigendi locum daret, ambiguum atque suspensum relinqueret. Ergo in patriam confirmaturus valetudinem tendens, toto itinere ità se tractavit ac gessit, ut videretur sapientiæ fuisse divinæ leve illud erratum in tyrone permittere, quod & ipsum ad modestiam erudiret, & per-

optatæ

optatæ frugis seges esset in proximis. Quocunque ingrediebatur, sui vestigium relinquebat ardoris: agebat ubique de DEO, modò publicè de suggestu, modò privatim in colloquijs: avocabat homines à vitijs, & ea confessis laxabat. Ac Lucensi quidem in Urbe, utì & in oppido Massæ, cives non exiguum pondus argenti, pro navata sedulò opera, abeunti ferebant, & penè per vim unà cum jumento in viam intrudebant: ex quibus nihil prorsus attigit, mirâ suspensis admiratione beneficis, tam inusitato continentiæ spectaculo. Massæ concionatorem fœdissimos errores in Virginem Matrem ferentem, quam non originali tantùm culpæ obnoxiam, sed venialibus etiam proprio actu peccatis subjectam fuisse docebat, de superiore loco ità convicit & refutavit, ut populus ab eo deinde audiendo aversus, constanter ultro polliceretur, nunquam ei se nebuloni aures operámq; daturum. Malgratum cùm pervenisset, afflictam admodum offendit patriam ex horribilis calamitate procellæ, quæ paucis antè mensibus agros populata erat, nihil ut intactum ex arboribus frugibúsque relinqueret, totóque quadriennio sperari fœcunditas nulla posset. Per eam igitur occasionem solari populares suos Sacramentorum & verbi divini præsidijs, improbitatem feliciter dissuadere, & non paucos ab inveterata pellicum consuetudine abducere. Habitabat in publico patriæ pauperum hospitio egenus cum egenis, totâ reclamante familiâ & propinquitate: adhibebat ad conciones vim jejuniorum & multæ orationis; itáque ad arbitrium flectebat animos, cùm persæpe ter in die ad varia hominum genera diceret.

Et quoniam circa eas partes pestilentes versabantur hæretici, in eos vim suam omnem & tela convertit, ut populum ab eorum usu fraudibúsque averteret: eos exagitans disputationis altercatione terrebat, exprobrabat publica dedecora, & consentaneam vitæ doctrinam, nè cui fraudi esset, redarguebat. Sacerdotes, quos minùs sibi benevolos initio senserat, sanctimoniæ exemplis arctè conciliatos, ad ferenda in improbos arma, docendo, monendo, totóque suo munere ritè obeundo provocabat; nec cessabat in finitimis patriæ suæ locis, sicubi nundinæ agerentur, conventúsque forenses, tum maximè admovere faces animis verbi DEI: petebat & templa deserta, conciliatísque sibi Parochis, repentè concionem ex paganis agricolísque cogebat. Resciebat hæc singula per idoneos internuncios pervigil in salutem filij IGNATIUS, dignúmque jam ratus veniâ admissæ culpæ, inter tœdia cruciantis morbi optatissimas illi mittit literas, indicans eum à se in Sociorum numero retineri, ideóque potestatem eidem ad vota Religiosa nuncupanda facere. Quarum ad aspectum provolutus in genua, palmas & mentem pariter in cœlum sustulit, DEOque gratias egit, quem plurimis attentísque Sacrificijs ut placaret elaborarat: totidémque postea pro re impetrata curavit. Tum verò in omnem bene gerendæ rei partem curas suas intendere, tum se incitare acriùs & exardescere, tantóque impetu spiritûs è cathedris tonare, ut multi ad ejus vocem ex utroque sexu abderent se in claustra, ponerentur iræ veteres, castigarent ora maledici, largior in pauperes esset civium beneficentia, & adversariorum ora clauderentur. Quibus etiam mortem minantibus, haud infracto respondebat animo, liberè se in eorum mores & doctrinam detonaturum, nec se in tam optata causa exitium formidare. Denique ejus operâ non inter privatos duntaxat peracerba odia, sed etiam integri populi inter se conciliati redivêre in gratiam, transfugæ complures in sua Cœnobia remissi: cúmque diebus vix festis Missæ solennia frequentarentur, ejus hortatibus etiam profestis populus frequens accurrebat. Ipse interim sui domandi studio, nescius corpori parcere, insomnes ducebat in oratione noctes, perpetua tolerabat jejunia, & ad sedandam inediam solo panico, non tritico, aquâ ad potum, non vino utebatur. Ità Sarzanensi exculto agro, in diœcesim transijt Lunæ, & motus incredibiles, Firizano præsertim in oppido excitavit. Diebus non plùs 20. coaluêre eo dicente Sodalitates ac cætus, tam fœminarum quàm virorum: mos crebræ communionis inductus, hæreses, quæ jam altè in ijs regionibus succrescebant, perpetuâ catechismi traditione radicitus extirpatæ. Quo in genere adeò exarsit, ut aliquando contra hæreticorum turbulentam dementiam continenti oratione sex horas dixerit. Accitus deinde Romam, Fulginúmque Episcopo flagitante missus, varias & illic animorum commutationes fecit. Admiranda sanè ejus erat tot inter labores in audiendis confitentibus patientia: afferebat vigiles horis antelucanis in templum aures, & ad secundam noctis nullo tædio, nullâ defatigatione lassas, accedentibus exhibebat. Ingens hominum vis ad audiendam disciplinam Christianam confluebat, simúlque S. Exercitijs aliqui sem-

per

per in ſeceſſu excolebantur: ut perbeatus ſibi videretur Antiſtes, quòd ad præſentem ſui gregis opem, talem ſibi virum divina providentia ſubmiſiſſet. Erat enim in dicendo quaſi ignem ſpirans, à quo concio univerſa copioſas in lachrymas nunquam non liqueſcebat: ſic ut in concione quadam multi de populo dicentem magnis clamoribus interpellarent, octavo quoque ſe die, dummodò adſit qui audire vellet, peccata confeſſuros: & nobiles quædam ac ætate florentes fœminæ ad ſua tecta reverſæ, unguenta pigmentaria, fucóſque, & odoratas aquas feneſtris ejicerent. Coacto & hìc Sodalium ſub titulo Nominis JESU cœtu, diœceſim univerſam, ità volente Epiſcopo luſtravit, ubiq; concionibus, catecheſi,ceteríſque munijs populum ad pietatem ducens: tantâ interim ſui incuriâ, & ad corpus flagris,jejunijs & vigilijs edomandum ſeveritate, ut monendum per literas IGNATIUM Sodales S. Hieronymi, quorum hoſpitio utebatur, duxerint, ut modum immodicis ejus aſperitatibus poneret.

His præclarè in Umbria actis, ad Carfagnanæ incolas in Hetruriæ fines miſſus eſt: ubi Caſulæ primùm animarum negotio intentus, deſiderabat auxilia Sacerdotum, quòd ipſe partes multorum obiens, & ad quotidianas conciones audiendi labores adjicere coactus, omnibus nullatenus, junctâ licèt diu noctúque operâ, ſufficeret. Eâdem enim hebdomadâ ſex ſeptémve locis, ubi è ſuggeſtu laboraverat, ibidem mox audiendis pœnitentibus deſudabat, tanto hominum undiq; ab agris affluxu, ut eum ter in die quandoque in ſuggeſtum compellerent,ex quo duas ultra horas, nec raro longiùs dicere conſveverat, ut auditorum & ſiti ſatisfaceret, & inſcitiæ. Excitati tandem novem fuêre Sylveſtri perſvaſione è vicinis Carfagnanæ oppidis Curiones, ad gratuitam & voluntariam Sacramentorum adminiſtrationem omnibus, qui concionibus Patris permoti ad ea accedere vellent: è quorum numero quaterni ſacris Exercitijs perpoliti, Societatem mox votis ardentibus ab IGNATIO expetivêre. Et verò abundè laborum omnibus fuit, ut populo vel ſolo illo miniſterio ſufficerent: qui à Sylveſtro ad Societatis ferè agendi normam inſtituti, dum fœneratoribus peccata remittere differunt, fœnerandi conſuetudo vehementer ibi inolita, undique ſublata eſt. Virginum quoque Cœnobium extrui curavit, cujus templi fundamenta ipſo Natalis Virginis die jacta ſunt, P. IGNATII in primo lapide, tam reverens illius adhuc viventis erat Sylveſtro exiſtimatio! nomine inſcripto. His aliíſque plurimis Caſulæ geſtis, Camporegianum ſe contulit, hæreſi plurimùm infectum: quâ nonnulli Sacerdotum & Medici afflati,cùm ei velut officij cauſâ obviam veniſſent, necem interim illaturos minitantes,ſi contra eorum dogmata inveheretur: ipſe mox conſcenſo quotidie ſuggeſtu, totâ hebdomade eo ardore contra hæreſes verba fecit, ut audaces illos errones terror ingens invaſerit. In ijs Medicus ad Sylveſtri vocem in eas formidines incidit, ſeu conſcientiâ mordente, ſeu judiciorum periculo deterrente, ut conſcensâ mulâ curſu incitatiſſimo ſeſe fugæ mandârit. Eo curſu, cùm beſtia viribus penitus defecta concidiſſet, Medicus qui ex ſuæ ſectæ diſciplina didicerat cultu fraudare Cœlites, in mulæ diſcrimine modò hunc, modò illum Cœlitum invocabat: facilè ut appareret quanta ſit vis educationis Catholicæ,quæ vel ab invito vocem veritatis extorſit. Multos ibi Sylveſter hæreticos reduxit, & multos lapſantes ſuſtinuit, ut etiam Sacerdotes nonnulli, qui Quadrageſimam vorandâ carne fœdaverant, poſtea jejunium etiam extra illam feriâ 4. in omnem vitam ſibi ſtatuerent. Curſabat Pater huc illuc, animarum prædæ ſemper inhians, ſinè defatigatione, & quocunque ingrediebatur, inflammabat omnia: exibant ad eum excipiendum univerſi pagi & oppida, & flexo ante eum poplite obteſtabantur, ut ad ſe quoque diverteret, feriò polliciti ſe convolaturos omnes ad expianda peccata, & rebus in omnibus imperata facturos.

Porrò in his Apoſtolicis expeditionibus tribuebat Sylveſtro tantam vim DEUS authoritatémque, ut eum Sacerdotes perinde ac populus venerarentur ac colerent, ínque rebus omnibus ſuadentem aut monentem ſequerentur ac ſi eorum Epiſcopus eſſet. Carregij tamen peſſimè initio acceptus eſt; & inter dicendum identidem petulanter interturbatus, ut etiam mediâ concione digreſſi nonnulli, crebris lapidibus templi valvas impeterent; alij autem dicenti cachinnis & clamoribus obſtreperent. Sed dictionibus octo dierum continenter habitis, & quidem plerumque in diem binis, verſa eſt impietas in pietatem, riſus in lachrymas,atque ad primos auroræ radios ad eum audiendum univerſi avidiſſimè concurrebant, pœnâ præconis voce omnibus pridie ſemper propoſitâ, ſi quis abfuiſſet. Et evocandi rursùm hìc fuêre è vicinis locis Sacerdotes, qui pœnitentibus operam

ram darent: nec tamen fieri satis turbæ audiendo poterat. Præcipuus ejus vocis fructus fuit, pax civibus, gravissimis turbata discordijs, restituta, quibus seditione commotâ, & duas in factiones, suis sub ductoribus & vexillis, scisso oppido admodum frequenti, cædes 45. patratæ jam erant, ínque ijs Sacerdotum trium, tantâ impunitate ac licentiâ, ut per sacras ædes ad aras usque strictis ensibus volitarent armati. Rem propè desperatam odiorum & acerbitas & diuturnitas faciebat, 30. quippe jam simultates tenebant annum, tantâ obstinatione factionum, ut nec Ducis Ferrariensis auctoritate placari possent & componi. Quantis interim rei familiaris incommodis, quantâ animarum jacturâ damnísque, qui tot annos Sacramentorum bono suâ se sponte fraudarent, faciliùs est existimare, quàm dicere. Sed non tulit divina clementia ut irriti essent Patris conatus, tot jejunijs, flagris, & perpetuâ oratione adjuti: quibus ubi Sylvester flexos in pacem mutuò sanciendam animos primorum advertit (significaverant enim controversias omnes ejus se arbitrio permissuros) non dubitavit de superiori loco, frequenti conventu, alterum è Ducibus factionum suo nomine compellare. Is Joannes Corsus appellabatur: qui subitâ compellatione perculsus, ex ipsa concione respondit, quid me vis Pater? cui Pater, ut cunctis, *jubeo*; inimicis tuis ignoscas, vicissímque ab eis, quòd ipse lacessieris, veniam petas. Ad hanc ille vocem tanquam à DEO missam, ferrum quo erat succinctus confestim abjicit, & humi stratus pacem supplex inclamat: hunc ex utraque factione imitati reliqui, ipsi quoque pacem ingeminant, pacem postulant. Tum ad eos se Sylvester è suggestu demittens, singulísque ut se imitarentur admonitis, à Ducibus osculandi & amplexandi initium facit, aliósque deinceps eodem osculo & amplexibus excipit. Præeuntem utrâque ex parte secuti sunt reliqui, eo animi sensu, eâ amoris significatione, ut præ gaudio lachrymæ ubertim fluerent, & ora sibi vicissim vultúsque rigarent. Maximis in miraculis res est totâ Italiâ habita: & oppidani ipsi tantam sui ex tigridibus in agnos mutationem admirati, nè qua tam singularis beneficij memoriam obliteraret oblivio, notandum diem pacis atque concordiæ, ad anniversariam gratiarum actionem, tanquam solenne festum in posteros omnes decreverunt.

Anno 1550. Ferrariensis Florentinæque ditionis finitima, quòd passim in hæc irrepsisset hæresis, lustrare jussus, vigilijs curísque jam notis eam penitus eliminavit. Concionibus insuper illius, vis ingens alieni æris suis Dominis reddita: virgines ad cœnobium, cujus ipse itidem construendi fuerat auctor, certis astrictæ legibus & institutis inclusæ. Quorum famâ Ferrariæ Dux Hercules, & Toletanus Cardinalis hæreticæ pravitatis Inquisitor, ab IGNATIO impetrârunt, ut diutiùs Sylvestro regiones illas excolere liceret: quod ille incredibili animorum motu, plurimóque fructu fecit: ejúsque ardoribus vicini alij Præsules commoti, suas item ab eo Diœceses inspici lustraríque voluerunt. Ij verò ad templa concursus erant quocunque veniret, ut referri videretur ubique perpetua quædam Jubilæi, vel majoris hebdomadæ celebritas: Cúmque unius aures sufficere confitentium turbæ non possent, adhibebantur suprà dicti novem Presbyteri ab Sylvestro jam edocti, & meditationibus S. IGNATII instituti. Porrò concionum suarum adeò frugiferarum materiam non aliunde ducebat, quàm ex prima eorundem Exercitiorum hebdomada: in his totus hærebat & habitabat, his suos auditores exterritos facilè ad pœnitentiam revocabat. In itineribus obsidebatur à populis, ut sibi illico ante alios operam daret: & quidam medijs in sylvis ac montibus comprehensum non priùs dimittebant, quàm enunciantibus sua peccata remitteret: interdum etiam matresfamilias flentes ac supplices, ut ad suos curandos ægros accederet, plenâ fiduciâ festinabant. Dederat enim DEUS famulo suo potestatem super omne genus morborum, à quibus invocato DEI nomine, plurimos liberabat. Erat tum anni tempus, quo metendis frugibus distinebantur agricolæ; sed tamen quoties auditum fuit Sylvestrum esse dicturũ, messores ad unum omnes relicto opere confluebant. Quidam autem dum optatis frugibus quæstuoso nimis labore incubat, ceterísque ad concionem euntibus unus remanet, manipulos quos collegerat inopinatus ignis absumpsit; à DEO procul dubio immissus, neque enim ulla alia origo humana resciri potuit. Secundis hisce rumoribus permotus Mutinensis Præsul Ægidius Foscararius, è veneranda S. Dominici Familia, qui sacri anteà Palatij Magister fuerat, ab IGNATIO Sylvestrum impetrat, & suæ omnis peragrandæ Diœcesis onus imponit: imprimis autem docendi Parochos ad populum ea dicere, quæ in Exercitiorum libello primâ continentur hebdomadâ: quem ipsum libellum idem quondam

sacri Palatij Magister Censor revideràt, & primus suo chirographo verbísque gravissimis approbaverat, sempérque magno in pretio & usu habebat. Ejus igitur jussu Sylvester locis 130. lustratis, & familiâ Episcopi universâ sic institutâ, ut octavo quoque die sacra Confessionis & Communionis Mysteria sibi obeunda ultro constitueret, plenus fructibus ac meritis ad alia excolenda loca discessit. Sed cùm ex tam multiplici unius hominis fructu perpetuò apud se retinendæ Societatis optimus Antistes desiderio arderet, Collegium mox año insequente cum civibus, adjuvante plurimùm Cardinali Morono, moliri cœpit; ad cujus initia promovenda missus inter alios ab IGNATIO etiam Sylvester, summoperè civitati concionibus, aliísque consuetis ministerijs profuit.

Verùm non annus integrè Mutinæ illi effluxerat, cùm anno 1552. adest Pontificium diploma, quo cum P. Emmanuele Gomio jubetur in Insulam Corsicam, postulatu Genuensis Reipublicæ, navigare: quæ cùm 70. propè annis Episcopum non vidisset, multísque ideo erroribus & vitijs scateret, impetravit Respublica Insulæ Domina à Pontifice, ut eam Viri de Societate, cùm auctoritate, potestatéque Sedis Apostolicæ, veluti quidam Pro-Episcopi ac Visitatores inspicerent. Genuam appulsus, relicto ad excolendam Urbem Emmanuele, cogitur Archi-Episcopi voluntate, & Pontificis assensu, Genuensem Diœcesim totam percurrere, ingenti animorum & hìc compendio fructúque. Nam præter Sacramentorum inductam frequentiam, desertores Catholicæ Fidei complures Sacerdotes Diœcesi expulit, hæresi infectos reduxit, & vitiosas consuetudines sustulit. Vix dabatur aliquid ad reficiendum corpus spatij, ità aliæ ex alijs occupationes animum distinebant, & ad tertiam usque horam noctis aurem commissa enunciantibus præbere cogebatur. Anno demum occidente, Corsicam tenuerunt: ubi ingens iterum animorum messis collecta, & ad normam antiquitatis, veterémque sanctitatem redintegrata plurima, cùm in summa ignoratione divinorum, maximáq; in licentia incolæ pridem viverent. Erant è Sacerdotibus qui nullius Sacramenti conficiendi rationem, ac nè consecrandi quidem Christi Corporis formam satìs nôrant: nullo ferè cultûs vestitúsque discrimine à Laicis sejuncti, atque eò impuriùs liberiúsque scortis & concubinis conjuncti. E corruptela verò Pastorum Sacerdotúmque, quod necesse erat, mira labes in populo. Contra fas & jus matrimonij, nullâ habitâ propinquitatis ratione jungebantur: plurimi superstite primâ conjuge, secundam sinè religione ducebant: superstitio, veneficia, cædes, ubique flagrabant: SSS. Trinitatis Symbolum, oratio Dominica, Salutatio Angelica, imò Crucis ipsius formula plurimis ignota erat. Patres igitur distributis inter se varijs Insulæ locis, strenuè eam colere quotidianis concionibus & catechesi cœperunt. Adeò multi ad enuncianda sua facinora confluebant, vix ut restaurandis somno cibóve viribus hora superesset. Nam antè lucem surgentes, ad densas usque considebant tenebras: eámque defatigationem, partim matutinus quotidiè, priusquam suum ad opus se conferrent opifices, concionandi labor, partim vespertina catechesis interpolabat. Festis verò diebus quadruplex sæpe concio tam frequens colligebatur è pagis, ut nunquam in ea Insula ardentiora studia grandævi senes meminerint: & Dominicis celebrata Eucharistiæ Cōmunio, ipsam Paschalis diei solennitatem referebat. Erátq; apud omnes eo in honore & existimatione Sylvester, ut perbeati sibi viderentur, qui propiùs eum adire affaríque possent.

Sed nè secunda nimis aura Sylvestrum efferret, providè, ùt solet, divina Sapientia comparavit, ut subitâ procellâ ac tempestate perculsus, in officio modestiáque contineretur. Is enim totius Insulæ cùm esset profectus & plausus, Romæ sermo planè contrarius perstrepebat. Magnâ charitate Franciscani P. Sylvestrum Bastiæ, præcipuâ Insulæ urbe, exceperant, rectóque exemplo concioni quotidie & catechesi ultrò omnes intererant: at Episcopi Vicarius indè ab initio parum gratum sibi accidisse ejus & Socij adventum ostendit. Is ergo, & quidam Cœnobij desertores, aliíque nonnulli perversæ vitæ, veriti nè Patres Visitatorum nomine à Sede Apostolica missi, solutis suis moribus & vitæ frœnos disciplinæ injicerent, aut ad eandem Sedem per literas deferrent: mendacissimis anteverterunt epistolis, & extremæ eos elationis, arrogantiæ, intolerandæque severitatis arguerunt, qui nè Religiosis quidem Franciscanis parcendo, Sedis Apostolicæ auctoritate intemperanter abuterentur. Ad hæc Romam perferenda consultò facinorosum quendam, convictum, notatúmque non semel hæresis, multáque alia ob crimina collum jam in laqueum inserentem, deligunt; qui ut literarum mendacijs coràm etiam meditatis calumnijs

lumnijs pondus adderet, tam multis Curiam querelis, tot falsitatibus implevit, ut Cardinales præcipui, in iisque Societatis amantissimus Cervinus (qui postea Marcellus Pontifex fuit) Ignatium monendum pro amicitia putârint, Ordinis ut sui famæ, nominíque consuleret. Eâ re permotus Ignatius, suspicatus id quod erat, per calumniam traduci innocentes; Sebastianum Romæum è Socijs probatissimum, cujus fidei plurimùm tribuebat, silentio advocat, indutum sæculari cultu in Corsicam transmittit, qui Patrum in mores & acta dissimulanter inquirat, & cùm accuratè omnia explorâsset, ea mox & publicis & privatis consignata testibus ad se referat. Rebus omnibus tectissimè aliena sub veste compertis Romæus, accipit ab insulæ Præfecto Magistratibúsque, & universis oppidis, itémque à Ministro Provinciali Franciscanæ Familiæ, aliísque viris gravissimis, tam honorifica cum laudibus testimonia ad Pontificem, ad Cardinales, cùm per idem tempus multa in Patrum commendationem Respublica Genuensis ad Urbem scripsisset, ut Curia multum doleret, tam facilè vel in suspicionem de Viris tam sanctis adduci potuisse, & Ignatius de tot suorum laudibus erubesceret. Et jam secundus laborum Sylvestro in Corsica fluebat annus, qui cùm in refingendis hominum moribus, & lapsa Religione revocanda, nullis laboribus parceret, nec partem ullam quietis caperet: ex altera verò parte sexcenta ferret incommoda, quæ tentata per id tempus bello Gallico insula augebat, post incredibilem animorum messem frugúmque lætitiam, in gravissimum lapsus morbum, totos 25. dies præter aquam, & alimenti quod vix uncias sex conficeret, nihil gustavit. Ergo destitutus omnibus commodis & pharmacorum remedijs, admirabili patientiæ documento, dum continuè Christum in ore habet, die 3. Martij solutus est corporis vinculis in urbe Bastia, Anno 1554. ut in eo denique, pro quo tantopere desudaverat, conquiesceret.

Vir fuit prorsus Apostolicus raræque pietatis, & ad reparandos animos planè factus: cujus gesta singillatim si exponerentur, volumen ingens implerent. Illum Episcopus Fulginensis Isidorus *Angelum DEI* vocabat: Mutinensis autem Ægidius Foscararius Ignatio pro Sylvestro sibi concesso, gratias referens, in hæc verba scripsit: *Beneficium, quod per te mihi DEUS in concesso Sylvestro largitus est, videtur mihi omnium quæ consecutus sum maximum: ac proinde profiteor debere me tibi Societas Europæa quàmplurimùm, testificans virtutem ac pietatem ejus viri miraculo esse. Quæ verò DEUS per eum efficit, majora sunt, quàm cujusquam assequi possit cogitatio.* Idem tanti faciebat Sylvestrum, ut ei totum se regendum tradere, & obedientiam quoque vovere, certum ac fixum haberet. At P. Franciscus Palmius Bononiâ de eodem scribens, *venit huc*, inquit, *Sylvester, spiritu & virtute Eliæ. Vitiorum est insectator acerrimus, zeli vir flagrantissimi, parcus verborum, cibi parcior, laboris multi: mihi quidem prorsus admirandus. In dicendo superat expectationem, in audiendis confessionibus invictæ patientiæ: in summa, de omnibus studet bene mereri, quà alliciens, quà compellens intrare in Regnum DEI: tantáque est Fide & charitate, ut quidquid suscipit, cedat ei feliciter. Nuper in templum pariter descendimus, populo expectante concionem; genua fleximus ante SS. Eucharistiam. Ego qui credebam me illum præmonuisse ut ad dicendum se pararet, præstolabar donec exurgens ad suggestum accederet: ille, qui reipsâ non erat admonitus, me concionaturum rebatur: dúmque ità hæremus, æditus instante, apparet neutrum esse præmeditatum. Sed ille meo nutu rectà in suggestum ascendit, suo more ardens & ignem spirans: ingens indè commotio populi ardórque, & multus fletus, ut audirentur lachrymantium strepitus, & fluentes per ora lachrymæ cernerentur. Non pauci statim à concione ad confessarij pedes advoluti: multi virorum ac fœminarum nova vitæ, etiam religiosæ consilia suscepêre.* Ad sepulturam Sylvestri & exequias non Bastiensis modò civitas universa, sed & paganorum ingens multitudo pari cum veneratione & dolore confluxit, omnibus virum utì verè sanctum habentibus. Certatim rapta vestimentorum frusta, rescissi barbæ & capitis pili, & alia id genus in reliquias conservata, & deinceps per manus ad posteros lapsa, apud quos hodiéque viget viri memoria & admiratio. Multa eventura prædixit, in quibus & bellum illud Gallicum, & luem pestiferam, unde afflicta est insula: de pago nobili, cui ex amœnitate Belgodere nomen erat, funditus excidendo, quod evenit. In oratione, cui prolixè erat addictus, sæpè extra se rapi in extasim deprehensus est, miráque luce undique circumfusus coruscare. Itinera agens, cùm sæpe pluvijs & imbribus omnia inundarentur, ipse tamen siccis vestimentis, parcentibus illi aquis, pertransibat. Nec illa miranda minùs, inediam durissimam, contentionem laborum, viscera misericordiæ, sui contemptionem, mode-

modeſtiam, & alia Apoſtolici præconis ornamenta Corſi celebrant: quæ ùt meritas ejus virtuti laudes rependunt, ità ſtimulos ſucceſſoribus addunt, ut ad prælatam ſibi adeò illuſtrem facem decorè greſſum accommodent.

Ex Hiſtoria Societatis, & Tomo 2. Nierembergij de Viris Illuſtribus.



P. Quintinus Ciarlart Belga, è Canonico Tornacenſi, Religioſus Soc: Ieſu factus, poſt præclarè in Eccleſiæ augmentum geſta, lue à peſtiferorum obſequijs hauſtâ, extinctus Tornaci Anno 1556. 28 Iulij, Ætatis 49. 7.

P. QUINTINUS CIARLART.

Pater Quintinus Ciarlart in Belgij pago Baudon, altero à Montibus lapide natus, honeſtiſſimis & publico ibi munere (quod Majoris vocant) conſpicuis Parentibus, DEO priùs Matris ex voto, quàm mundo debitus, quæ uterum gerens DEUM frequentibus orabat jejunijs, ut eâ prole, quàm maximè gloriam ſuam amplificaret. Timorem Domini cum lacte hauſit, à tenera ætate delectatus longa ſpatia orando ducere, ſæpe tolerare inediam, ſæpe humi, aliàs duro ſuper aſſere cubare, in egenos omnia liberaliter, etiam domeſticam ſupellectilem profundere. Ex tibiæ fractura, cujus curam virili patientiâ pertulerat, ubi conſanuit, primis literis jam imbutus Lovanium, annos 15. natus tranſivit, & Magiſterij Philoſophici laureâ ſubinde inſignitus, etiam Licentiam Theologici Doctoratûs adeptus eſt: eâ virtutis & doctri-

doctrinæ famâ, quæ illi mox Canonicatum Tornacensem, unà cum Parochi munere conciliavit, præter aliud Sacerdotale beneficium, à Majoribus suæ familiæ fundatum. Quanquam ipse sui juris effectus, paulò post abdicatâ Parochiâ, ut irrumpenti Tornacum hæresi, & juventutem præcipuè corrumpenti, toto pectore sese opponeret, ibidem sedem fixit; & jam tum zelo & spiritu IGNATIANO impulsus, scholastici titulo publicis scholis præfectus, ad formandos institutis optimis pueritiæ mores operam convertit. In Collegio Capituli S. Pauli cœpit ipse primus Dominicis diebus familiariter enucleare Evangelium, quod in unamquamque incideret, & omnibus prælucere virtutum exemplo. Ter quaque hebdomade jejunare, nunquam cubare in strato, in calamitosos non alimenta solùm, sed vestes & culcitras, lodices & lintea, quoties deficeret pecunia, dispensare. Indè sæpe domum redibat sinè calceis; sæpe sinè pallio vel toga, quæ in pauperes obvios, ùt cuique penuria fuerat, contulisset. Obire certis diebus carceres & nosocomia: & per hyemem totis noctibus Urbem concursare, ut vitæ subsidia, quibus egerent, ad inopum tuguria comportaret: cúmque facultates ipsius numerus egentium superaret, locupletiorem opem implorabat. Domi nullius admittere servitium, dum sanus erat; neque ad stratum, neque ad cubiculum aliáve componenda. Si qua simultas in urbe vel dissidium glisceret, ipse componere; vocatis ad suum convivium, quò proniùs pax fieret, diffidentibus. Adolescentibus quibus abundè ingenium, fortuna tenuis erat, nè mendicitas eos & otium corrumperet, victum præbebat, dum artem condiscerent; quâ vitam tolerarent. Quærenti aliquando sorori germanæ, nihil ad se pervenire de indulgentia, quâ pauperes extraneos aspergeret, quamvìs & ipsa egeret, procumbens in genua DEO gratias egit, quòd sanctæ paupertatis suos etiam participes faceret: comperto tamen verè rem illi domi peranguftam esse, nummos aliquot ei dilargitus est, titulò indigentiæ. Auctor erat locupletioribus, ut afflictâ fortunâ propinquos & familiares præ alijs eleemosynâ, non tamen ultra necessitatem, sublevarent. Miserebatur impensè fæminarum, quas forma & inopia obnoxias aliorum libidini faciebant, eásque ab exitio vindicare non Tornaci duntaxat, sed totâ vicinitate, Insulis & Bruxellæ, omni ope nitebatur. Subducebat eas inhonesto quæstui per matronas, quibúscum ità convenerat, & tuto in perfugio suis habebat impendijs, quoad artem, quâ sustinerentur, didicissent. His aliísque officijs tantæ jam tum sanctitatis opinionem vel ipsos apud hæreticos collegerat, ut quamvìs cum ludibrio sponsam illum vel Bertam, propter insignem modestiam appellarent, eum tamen à sua secta abesse haud dissimulanter dolerent: qui si quando Catholicis, quòd degenerâssent à moribus priscis, insultando objicerent, hi sanctitatem Quintini opponebant, ecquem illi similem ipsi de suo promere numero possent? Et ajebat Ludovicus Blosius, vir pietate & doctrinâ notissimus, multos vel solâ sanctimoniæ ejus famâ ad meliorem frugem redire.

Inter hæc subijt animum ejus aliquando recordatio Societatis JESU, cujus Instituti speciem aliquam olim Anno 1542. perspexerat, cùm eò se Parisijs pulsi Sociorum aliquot ad prosequenda studia contulissent. Placuit penitiùs aliquid de illa cognoscere, quámque suis opportuna esset consilijs, experiri. Adscito igitur in itineris deliberationísque societatem Antonio Boucletto, viro sui simili & virtutum æmulo, Lovanium discessit; cúmque Sociorum vitæ ratio plurimùm utrique probaretur, Romam eundi, séque S. IGNATIO sistendi cœpere consilium. Ab eo copia utrique Societatis facta Anno 1552. & cùm Quintini virtus usu confirmata satìs se efferret, anno vertente illum Collegio Romano Rectorem præfecit, simúlque jussit Moralis Theologiæ quæstiones sacris ferijs primum omnium explicare. Sed ea tractatio diuturna non fuit: nam anno sequente unà cum Boucletto Tornacum, suppetias Bernardo Oliverio, qui jam tum ibi degebat è Societate, ire jussus est. Causa maturandi hæc fuit. Serpebat toto Belgio exitiosum Lutheri Calviníque venenum, & jam Tornaci viscera permeabat, manans indies latiùs ab uno civium, cui Taffinus occultus Calvini olim discipulus pestem hanc inderat: indè mentem hanc IGNATIO DEUS injecit, ut eò Quintinum, qui Templi præcipui Canonicatu etiam tùm potiebatur, destinaret, ut Sacerdotij sui proventu vitam ibi cum Boucletto degeret, & laboranti Patriæ subveniret. Tornacum delatus, aggressus est illico pomeridianis Dominicæ horis veritatis Catholicæ articulos explanare, concionante manè Oliverio, & alia omnia Societatis munia strenuè uterque obire: eò profectu, ut increbrescente quotidie ad eorum dictiones & sacra concursu, magna brevì compositio morum in civibus, nec minor hæ-

reticorum ad Catholicum dogma conversio sit consecuta. Nec se intrà Urbis continebant mœnia, sed vicina egressi in oppida, ubique pietatis causam diligenter prosperéq; tractabant. Singularem operam Quintinus revocandis ab impura conversatione mulieribus; iísque item, qui ad publicum supplicium ob sua flagitia damnarentur, adjuvandis conferebat. Quo in genere fuit illud insigne quòd cùm nullis artibus pertinacem hæreticum, qui raptam Natali Domini die sacram Hostiam pedibus proculcârat, posset ad pœnitentiam inflectere, pro ejus salute semetipse ad religiosum totius anni jejunium devoverit. Talibus distentum in perniciem suam laboribus ferre non poterant hæretici, qui varias ejus vitæ moliti insidias, per noctem sæpiùs domo evocari fecerunt, postulandæ stipis obtentu, reipsa ad necem: nunquam tamen commodè ad ictum habere potuerunt. Servabatur nimirum divinitus in aliam mortis gloriam, inter obsequia excellentissimæ in proximos charitatis obeundæ, dum pestilenti lue civitatem divexante, vitam suam post proximorum charitatem habens, omnium se confessionibus promiscuè audiendis objecit. Igitur ad ægrum quempiam accitus, accurrit illico citra omnem sui curam, vel investigationem in morbi genus; à quo lue conceptâ ùt revertit domum, séque ictum sensit, abdi foribus pessulum eodem charitatis zelo jussit, neque quenquam è domesticis in eandem intrò periculi societatem admitti. Pervicit tamen P. Bernardus Oliverius, eâdem horâ ab concione domum redux, qui dilectissimi Socij, ex eodem charitatis impetu magis quam sui studiosus, ingressum extorsit, & in mutuæ certamine charitatis eandem victoriam retulit, mortem à Quintino Sacramentis omnibus ab se proviso haustam. Obijt Quintinus sexto quàm cœperat languere die 28. Julij, Anno 1556. biduo duntaxat ante S. IGNATII excessum, cùm ageret annum ætatis 49. Societatis vix 5. Magno Patriæ, magno Religionis incommodo, vir planè excellentibus DEI donis, humilitate præsertim & charitate insignis, postquam ipse propediem se moriturum cuidam, eúmque brevì etiam secuturum, haud vanus augur prædixisset.

Ex Victimis Charitatis P. Alegambe.

P. BERNARDUS OLIVERIUS.



Nsonium Belgij oppidum haud procul Tornaco, Bernardum mundo dedit Anno 1523. cujus frater Germanus cum tribus filijs è matrimonio susceptis, à morte Conjugis eandem JESU Societatem postmodum complexus est, ad quam Bernardum miris & inusitatis vijs Dominus perduxit. Lovanij studijs à Parentibus addictus, destinabatur quidem ad Ecclesiastica munia, à quibus tamen ille animo & moribus alienus, ubi Magisterio ex Philosophia, 20. annorum adolescens inauguratus, Ansonium redijt, vagari liberiùs, & per licentiam bonum otium ità conterere cœpit, ut Parens indignatus, doléns que sumptus in vecordem filium malè collocatos, optionem illi fecerit, si Ecclesiasticum statum complecti nollet, aut fratrum exemplo victum opere aliquo exerceret, aut procul à suo conspectu, quoquò libido ferret, probrosum futurus mendicabulum, facesseret. Neque ille multùm moratus, sed in ipsum Patrem ex longa protervia contumacior; faxo, inquit, quod suades: si quo casu autem mendicandum fuerit, operam dabo, nè tuas ad fores mendicem. Datísque à matre nummis aliquot aureis, Romam iter cum sex æqualibus socijs intendit. Fortuna illi in Helvetijs oblata est miro modo. Bivium erat ad proximam Urbem, brevior via sylvis impedita, & infesta latronibus, quam inscientes, moræ impatientiâ, invadunt, & neque à fabro, ad ipsum sylvæ ingressum commorante periculi admoniti, obliquiorem alteram, sed securiorem arripere volunt, quamvis testaretur faber, ob latronum frequentiam ab annis jam septem teri eam semitam desijsse. Cùm ergo nihilominùs juvenili ferociâ consilium aspernarentur, ipse ultro & gratuitò ad cotem arma illis exacuere, & bene abeuntibus precari: illi autem in audaciam erecti, in saltum se injicere, strictis omnes gladijs cantillantes, & præfidenter securi. Altè in sylvam provectis, ecce in herbido prato se homo procerus attollit, póstque illum deinceps alter, & tertius, torvum intuentes, & oblongâ quisque hastâ præferratâ minas spirantes: indè viatores versùs gradum ciere, isti contra se ferre quà ducebat via, ceu metûs expertes. Igitur prædones conspecto nihil suum valere terrorem, nec justum ancipitis aleæ pretium ab armatis, sed prædæ nudis sperari posse, rursus procubuêre solo, & liberam gradientibus viam reliquêre. Cives eâ viâ ad se deferri in-



P. Bernardus Oliverius, Belga, miris vijs à Deo in Societatem, ab ipsis adeò Nuptijs vocatus, et in ea præclara ad salutem animarum operatus; in obseqvio contagionis veneno et ipse afflatus extingvitur Tornaci 22 Augusti Anno 1556. Ætatis 33. 8.

noxios ubi conspexêre, maximâ admiratione & benevolentiâ receperunt: at illi breviter captâ quiete, itineris reliquum securiùs confecerunt. Romæ Bernardus elegantis scripturæ beneficio celeriter herum nactus est Causarum Agentem, cui scribendo navaret; tantóque opere industriam suam & artem illi probavit, ut eum & ceteris Amanuensibus citò præfecerit, & filiam eidem suam unicam destinârit. Sed parabatur illi divinitus conditio potior, quam præclaro in PP. Franciscanos officio promeritus videri possit. Vetuerat Cardinalium quispiam Episcopus totâ suâ diœcesi populum ab illis ære campano ad Missam majorem evocari, quod ità præter fas Templis Parochialibus auditorem subtrahi contenderet. Illis obsistentibus, obtendentibúsque præter sua privilegia, res ad forum ejus Curiæ Romam delata est: ibi iniquissimâ conditione omnis causæ fortuna hærebat, quia scribarum nullus, potentiæ in adversario metu, Franciscanis dare operam scribendo agendóque audebat. Bernardus indignum ratus, ità causam honestam, quia pauperum Religiosorum, deseri, tabulas ipse conficiendas actáque scribenda in se assumpsit, adeóque naviter præstitit, ut Cardinalis ea in causa inferior discesserit. Hoc ille successu elatus, & Patrono suo jam commendatior, nuptias cum ejus filia adornare, per literas propinquos in Belgio hortari, ut in arte scribendi liberos exercerent suos, quibus ipse propediem accersendis fortunam esset suæ similem, scriptionis industriâ, creaturus: cùm ecce gravi longóque

morbo

morbo correptus fortè fortuna ab homine Societatis inviſitur,& per confeſſionem à criminibus expiatur. Ejus ſalutaribus alloquijs animo in alium penitus mutatus, mox profitetur, ſi conſaneſcat, daturum ſe in eandem Societatem nomen. Conſaneſcit celeriter, quóque ſe voto liberet, tametſi reſpectabat identidem ad nuptias, S. IGNATIO ſupplex ſe ſiſtit. Hic Juvenem bono animo juſſum eſſe, neque ſtatim admittere, neque repellere omnino; ſubitum conſilium, & metu mortis fortè ſuſceptum experiri velle, oſtentare ſpem, ſimúlque cunctari, aliàs languidè reſpondere. Sed Bernardus moræ jam pertæſus, Janitori deliberatâ ſententiâ profitetur die quodam, certum ſibi eſſe; domo noſtrâ nuſquam ampliùs pedem efferre: quâ conſtantiâ delectatus IGNATIUS, eum continuò ſuis annumeravit.

Indolem illius rebus quibuſvis gerendis IGNATIUS illico agnovit idoneam, ideóque ſacris initiatum Ordinibus, paucos poſt Tyrocinij menſes Romanæ Domûs Miniſtrum eſſe juſſit, ut eum per ſe ipſe in vita religioſa probaret, ínque modico illo Magiſtratu monitis opportunis imbueret, ad ampliores gubernandi gradus. Memorabile interim IGNATII æquè ac Bernardi evenit factum! Jacebat ex morbo domi quiſpiam, cui Medicus pharmacum mediâ nocte ſumendum præſcripſerat; id quod IGNATIUS, ut fieret, Bernardo accuratè commendârat, hic verò ægrorum Curatori ſeriò itidem injunxerat. Noctis dimidio ſurgit IGNATIUS, & ex ægroto, ecquid potionem hauſerit? ſciſcitatur: negat ille quidquam illius ſibi oblatum fuiſſe: tum IGNATIUS neglectum officium exeitato Bernardo ſeveriùs exprobrare, excuſantíque Infirmarij cunctationem, ut domo confeſtim excedat, edicere, haud pati ſe Sociorum in numero, qui obedientiæ ſocordes eſſent. Bernardus obtemperare continuò, ſed foribus exire duntaxat, & hærere in veſtibulo, quòd ulteriùs abire non juſſiſſet IGNATIUS: quâ conſtantiâ mirificè recreatus IGNATIUS, eum non admiſit tantummodo, ſed eâ deinceps exiſtimatione habuit, ut votis jam Societati adſtrictum, Romani RectoremCollegij haud longo intervallo Anno ſcilicet 1553. renunciârit. Verùm cùm ei valetudo minimè Romana in aura conſtaret, paucos poſt menſes translatus in Siciliam, primus in Monte Regali naſcenti Collegio præficitur: ſed & ibi infeſtum ſibi cœlum cum patrio denique mutare juſſus, cùm Tornacenſe in Belgio Collegium naſceretur, illò tum ſui curandi, tum ejus ordiendi gratiâ legatus eſt. Anſonium natale oppidum primùm delatus, pro foribus repertum patrem ſuum ignotus, & ùt erat morbo viáque pedeſtri deformatus, orat noctis unius hoſpitium: ille arbitratus hominem vagi generis & infidi ex fæce Zingarorum, repellere cum ſtomacho, negare, id genus perditis capitibus, apud ſe locum eſſe. Sciſcitatur ex eo Bernardus, ecquem haberet filium peregrè verſantem? ab illo ſe ipſi, ſi tecto recipiatur, nova renunciaturum. Admiſſus illico lautiore cœnâ excipitur, multáque inter veſcendum de Bernardo inaudita, inexpectata refert; quæ cùm omnia congruerent cum ijs, quæ pater ſparſim aliunde cognoverat, attonitus nempe ab ore narrantis pendebat cum domeſticis parens. Illud autem inculcabat ſtudioſius, Bernardum maximopere moleſtiarum aliquando patri per nimiam licentiam creatarum pœnitere, veniámque petere, ſéque pro illo ſpondere, poſthac omni officio indulgentiæ paternæ reſponſurum. Eò denique pedetentim deduxit ſeriem hiſtoriæ, dum parens conſtanti hominis obſervatione, ipſummet adeſſe Bernardum agnoſceret. Tum verò in filij ruere amplexus mater, domeſtici, oppidani ſenſim omnes, ut famâ vulgari cœpta eſt, concurſare. Ipſe de ſalutaribus animæ rebus ſerere ſermones, mox etiam pro concione dicere, tantis motibus animorum, ut nemo eſſet omnium, qui non avidè ſtuderet Jeſuitæ, novo ſcilicet nec ante viſo mortalium generi, arcana ſui pectoris concredere, & totius vitæ apud eum peccata deponere. Magni Hannoniæ Seneſcali filia Princeps Anſonienſis, verborum ac ſententiarum pondere, quibus pro concione ferventer utebatur, perterrita, non priùs eum ſuæ admovere menſæ, quod tamen ardenter cupiebat, eſt auſa, quàm comitatem ejus ſuavitatémque privato in aliorum congreſſu ipſa clàm obſervâſſet. Adeò dextrè noverat perculſa concionum veluti fulgetris reorum pectora, lenitate blandiſſimorum alloquiorum confovere. Contemplatus ibidem aliquando ſenos Fratris Henrici filios, cedo mihi, frater, inquit, unum ex his, qui meus poſthac ex integro ſit: illo annuente, natu ſecundum delegit ſibi agnominem Bernardum, eum ipſum, qui multo pòſt tempore Provincialis Societatis Belgicæ fuit. Magnum Anſonij Bernardus perbreviter quæſtũ fecit animorum: ſed maximum in una Virgine, Quinta ſeu Quintina Monnier, quæ concionum illius impulſu & conſilijs eum prima

ludum instituit, quo deinceps ab devotis Virginibus puellaris ætas ad muliebria pensa juxta ac pietatem, fructu admirabili, Tornaci præsertim inopes erudiuntur.

Tornacum indè transgressus, nè cui gravis esset, ad fratrem Germanum Jodocum, Theologiæ Licentiatum insignem, & ad S. Jacobi Curionem divertit : útque se minùs invidiæ & querelis objiceret,ad exercendaSocietatis ministeria ædem S. Mariæ Magdalenæ, lubente rogantéque Curione, procul extrema in urbe, neque amplam eam neque celebratam elegit. At postquam ibi dicere exorsus est, incredibile dictu, quanta celeriter multitudo affluxerit, quantis ad eum audiendum studijs, quantis animorum motibus universi convolârint. Sic Episcopo ejus urbis postulante,cœpta ibi SocietatisColonia est,ad quam promovendam S. IGNATIUS, ùt nuper retuli, Româ Quintinum & Bouclettum submisit Anno 1554. Ijs auctus Socijs, partitísque cum illis ministerijs, mirum dictu est, quàm suis concionibus commoveret omnia, non in urbe modò, verùm etiam foris, quacunque docendi gratiâ vagabatur ; cui tam densus dabat aurem ubique auditor, ut intermortui sæpiùs complures è concione,propter confertissimam opprimentium se multitudinem, ac semianimes efferrentur. Ad ejus voces multa facinora ponebantur, abjiciebantur hæreses, persuadebatur Sacramentorum frequentia : tantáque aviditate currebatur ad indicanda peccata,ut per dies sæpe aliquot constanter obsiderentur Patrum aures, nec discederetur à templis,dum copia fieret ritè pectoris expiandi. Inter hæc IGNATIUS, cùm læta Societatis in Belgio locis aliquot incrementa videret, novam ibi condere Provinciam,Germaniæ Inferioris nomine, statuit, eísque Bernardum præficere : sed antequam eam in rem patentes pervenissent literæ, vivis priùs Bernardus excessit, morte ex charitatis obsequio conscitâ, ùt in actis P. Quintini retulimus. supervixit quidem propè mensem integrum Bernardus, providâ Prioris Carthusianorum curâ (uti semper Ordini nostro sacra hæc Familia studuit, ibi nominatim, quot hebdomadis ad Religiosum prandium, & secundùm illud ad pia colloquia Socios adhibere solita) receptus in pagi sui à contagione adhuc immunis domicilium, cum duobus Socijs : sed gliscente sensim in præcordijs veneno(ex quo jam pariter præmortuus erat Nicolaus Gvisius, Coadjutor Novitius) victus impetu, naturæ concessit, Sacramentis omnibus munitus, ad diem 22. Augusti 1556. Anno, ætatis verò 33. Societatis quinto sextóve. Ajunt horum sepulchro, (nam eodem omnes conditi sunt) visa non semel civibus obscurâ nocte plurima imminere lumina splendoréque, cum magna spectantium admiratione, existimationéque Sociorum. Creditus pariter est intermortuâ jam voce Tornaco prædicere Bernardus eam morum temporúmque vicissitudinem, quæ annis aliquot illud exercuit. Matrem se videre, supremúmque affari cupientem, per internuncium securam vivere jussit: & se quidem eo die ad superos abiturum, Matris tamen salutandæ officium minimè neglecturum. Et quidem ipso mortis articulo duobus fratribus suis Henrico & Philippo procul absentibus se videndum præbuit, pérque illos Ansonium convenientes visus est promissam Matri à morte salutem expeditam voluisse.

Ex Victimis Charitatis P. Alegambe.

P. ALPHONSUS DE AVILA.

Hispalis, nobilissima Urbs Hispaniæ, Patria Alphonso fuit, & Parentes nobilitate & opibus insignes, qui post ingressum in Societatem pro Alphonso Basilij nomen assumpsit. Studijs Grammaticæ Hispali imbutus, Philosophiam anno ætatis 13. auspicatus est, ex eadem Magisterij Lauream adeptus : unde post triennium Salmanticam transmissus cùm Theologiæ daret operam, singularis ingenij & doctrinæ partâ opinione, unicè ad cathedras, & id genus opulenta literatorum prœmia aspirabat. Sed DEUS interim gratiâ suâ mentem ejus immutans, singularem ei affectum erga Societatem JESU indidit, ut relictis spebus omnibus, & calcatis honorum titulis eam reipsâ complecteretur Anno 1550. & toto animo crucem Christi summa cum humilitate amplecteretur,maximâ totius Universitatis admiratione, & dolore pauperum studiosorum, quibus ad prosequendas literas magnâ liberalitate subsidia suggerebat. Nec mora, vestes preciosas omnes, & mundum superbum, quo pro nobilitate abundè ipsi èPatria prospiciebatur,ad Parentes remisit, quibus ea filij mutatio subita majorem quàm dici possit dolorem & mœrorem creavit: cùm interim ipse conditione suâ

J. G. Heintsch del. W. P. Kilian Sc.

P. Alphonſus de Avila, S.I. Hiſpanus, indefeſsus Vineæ Dominicæ Operarius, in defectu alimoniæ Angelico miniſterio paſtus. Obijt Granatæ, 17 Octob: 1556 Ætat: 30. 9.

lætiſſimus, novos quotidie de mundo triumphos referre ſui contemptu & deſpicientiâ ſatageret, prodirétq; identidem in publicum veſtitu deſpicabili, per celebriores Salmanticæ plateas & fora ſarcinâ vel corbe onuſtus, inſtar mendici eleemoſynam corrogaturus. Quæ res tanto majore ſenſu & pudore Parentes affecit, ubi præſertim Salmanticâ nunciũ ab amicis accepêre, filium ſuum vitam aſſumpſiſſe quorundam Clericorum, de quorum origine vel inſtituto nildum conſtaret; & cùm priùs in tanta Univerſitatis luce verſatus eſſet magnâ virtutis & doctrinæ exiſtimatione, incedere nunc è contrà lacernâ inſtar mediaſtini veſtitum, onuſtum humeros mendicabulorum manticâ, in qua publicè in plateis exoratam ſtipem, & è macellis donata carnium fruſta, domum referat. His novis incredibiliter parentes exulcerati, non tam de amiſſo filio, quàm de dignitate Familiæ, & nomine ſuo dolebant proſtituto: quare ſinè mora hominem domeſticum Salmanticam ablegârunt, qui filium à Societate avelleret, perſuaderétque, ut ſi Religioſam vitam complecti pertinax vellet, aliam quamcunque deligeret ex antiquioribus, & ab Eccleſia approbatis. Cùm verò nihil eâ ratione impetrarent, magnis precibus exorârunt Virum Religioſum, eximiæ auctoritatis & virtutis è Prædicatorum familia, Martinum de Zamora Cognatum ſuum, ut negotium cum filio tractandum aſſumeret; qui ſæpiùs illi Salmanticæ collocutus, motúſque gravibus Alphonſi rationibus, ipſáque Societatis Inſtituti à Sede Apo-

Apoſtolicâ approbati ſanctitate, ſummopere illum in propoſito confirmavit, & parentibus errorem ità feliciter exemit, ut exinde non modicè de Filij gauderent ſtatu, cupidiſſimi Societatis Inſtituti cognoſcendi, cujus conſtanter deinceps manſêre ſtudioſiſſimi amatores & benefactores. Ipſe autem tot de ſe reportatis victorijs videbatur omnibus terrenis rebus penitus emori, & in cœleſtem quendam ſpiritum à DEO transformari: nam in ſui implacabile odium exardeſcens, ſtatuerat nullum genus corporis affligendi omittere, quod Superiores permiſiſſent; inde flagris illud ad uſque copioſum ſanguinem ſubigebat, flagellatione toties iteratâ, quoties elucubranda concio, ac rurſum cùm ad populum dicenda eſſet. Veſtem non admittebat nisì detritam & omnium viliſſimam; cubiculum inter reliqua minimè commodum, & injurijs cœli magìs expoſitum: lectus erat nuda tabula, ſomnus perparcus, prolixa oratio, noctibus præſertim, quæ diem concionis anteibant.

Ejus religioſa Obedientia, in rebus præcipuè ſpiritum concernentibus, erat omnino punctualis, omnibus relictis id aggrediens, ad quod vocabatur, ad quam veluti teſſerâ ſe & alios excitabat verbis illis: *hic & nunc*, ut nè vel momentum intervenire pateretur ad obſequium DEO exhibendum, neque vel puncto loci aut temporis differri ſervitium illi præſtandum. Et quamvis omnibus magnâ charitate ſeſe expenderet, magìs tamen pauperibus, ægris & miſerabilibus perſonis, quibus medicinas, cibum, veſtitum, ad cupedias uſque procurabat; ſíque ſubinde per alias occupationes illis adeſſe non poſſet, amicos & pœnitentes ſuos ſubmittebat, qui cibos pararent, edentibus ſervirent, cameras everrerent, lectos componerent; quod magnâ hominum ædificatione multi eo auctore promptè faciebant. Secundùm hæc maximum ejus ſtudium fuit in verbi divini prædicatione, quâ cauſâ concionatores vocabat Salvatores animarum, & Chriſti Succeſſores in mundi converſione: & licèt eo munere indignum ſe duceret, DEUS tamen tanto majore ſucceſſu, prodigioſis etiam eventibus conciones illius ornabat, in quibus loquebatur ùt poteſtatem habens, tanquam tuba DEI, & tonitru peccatorum corda percellens, & divini amoris flammâ omnes incendens. Primus è Societate fuit quem Hiſpalis vidit, maximo ſui ex ejus præcellenti virtute profectu & ædificatione: illuc juſſu S. IGNATII, Parentum magnis precibus id concedĕtis, cũ Patre Gonzalo Gonzalez veniens, neglectâ paternâ domo ſtipem publicè emendicare cœpit, ſub noctem in Xenodochium, quod Amoris DEI vocant, ſe recepturus. Verùm quia ſeriùs, clauſis jam ædium portis advenerant, hoſpitio excluſi, ibidem præ foribus, ſtratis nudâ humo corporibus quievêre, & quidem longè, ùt deinde referebant, jucundiùs, quàm ſi in molli culcitra jacuiſſent. Poſtridie agnitus à quodam ſuo olim condiſcipulo, & parentibus proditus, coactus eſt in domum eorum divertere: ſed protinus, Vicario ſummè volente, cœpit cum populo publicè agere, ac militiæ ſuæ adversùs Satanam arma expedire, eo fructu, ut mox de Collegio Societati iſtic fundando cogitationes ſuſceptæ ſint. Cùm enim per id tempus homines perverſi prava dogmata ſerere, & quæ caſtæ, orthodoxæque Religioni ſunt inimica, ſpargere ibi cœpiſſent, tanto fervore Alphonſus perorare de pulpito aggreſſus eſt, ut ejus audiendi deſiderio non tantùm urbs tota, Archi-Epiſcopus ipſe, & præter omnis ſtatûs homines, multi etiam Religioſi, ſed & de vicinia bene manè ingens hominum vis concurreret, cui capiendæ nullus locus ſufficiebat; quare non rarò in publicis campis & plateis, obvio lapide conſcenſo, ad confluentem populum perorabat, incredibili zelo & facundiæ mixtâ modeſtiâ & humilitate, ut omnes Apoſtolico ſpiritu plenum conclamarent & admirarentur. Dicentis autem vehementiâ tam Hiſpali, quàm Granatæ, Sanlucani, & alibi totum auditorium ſolvebatur in lachrymas, liqueſcebant indurata quantumlibet peccatorum corda, & miræ ſequebantur converſiones. Dum prædicaret amorem inimicorum, & injuriarum oblivionem ſuaderet, ſub ipſam concionem audiebantur palàm harum condonationes, alio quidem proclamante à ſe remitti parricidæ illatam patri ſuo mortem, alio matri, alijs denique graviſſimas quaſvis injurias & damna. Nec minùs inſuetum quàm jucundum nobiliſſimæ civitati erat, videre illum conquirentem undique mancipia, Mauros, & viliſſima quælibet ſervitia, ad doctrinam Chriſtianam audiendam, cum quibus deinde publicas ſupplicationes inſtituebat, ità ut civitas univerſa mirè ad DEI amorem & virtutum opera commoveretur, mulieres paſſim ornatum omnem & veſtes ſuperbas abjicerent, viri pravam jurandi conſvetudinem, & vitam licentioſam deponerent, totóſque ſe operibus miſericordiæ in Noſocomia præſertim largiſſimis eleemoſynis, impenderent, ac denique Magiſtratus ipſe

ipſe graviſſimas leges in ſcelera & juramenta ſanciret.

Præter innumerabiles quos à ſcelerum & vitiorum cæno extractos DEO lucratus eſt, quàm plurimos ad excellentem virtutem & ſanctitatem vitæ provexit, & præclariſſimis ſubjectis Religioſorum diverſas Familias dotavit. Ejus ſermonibus in virum alium mutatus præſtantiſſimæ ſcientiæ Doctor Salmanticenſis, unáque tum Profeſſor Theologiæ Granatæ, & Capellanus Regius, Societatem complexus eſt, atque in eximium & ipſe concionatorem evaſit. Ejuſdem Evangelico recti Societati captus eſt Franciſcus de Torre Canonicus Granatenſis, magnarum opum & nobilitatis Vir, delicijs, libertati & venationibus dedītiſſimus, cujus vanitatum conſcia civitas, ubi eum Societatem complecti vidit, prodigium quatriduani Lazari à mortuis ſuſcitati renovatum proclamavit. Hunc ſecutus eſt Jacobus de Bracamonte, in Regio Granatæ Conſilio Fiſcalis, magni ſpiritûs & elegantiæ adoleſcens, ſæculi vanitatibus, veſtium luxui, equorum agitationi, luſui ſummopere deditus, cujus ad Societatem acceſſus vix credibilis civibus fieri potuit. Adjunxit ſe & Petrus Bernal, Licentiatus Legum, & celebris Advocatus Regiæ Granatenſis Cancellariæ, Cathedraticus Canonum in Univerſitate Profeſſor, qui deinceps iteratò Societatis Provinciam Andaluciæ gubernavit. Similiter & Doctor Martinez, Cathedraticus Philoſophiæ in eadem Univerſitate Magiſter, ſobrinus Archi-Epiſcopi Petri de Gverrero. Hi verò tot fructus concionibus P. Alphonſi parti, effectus magìs erant divini in eo ſpiritûs loquentis, quàm artis alicujus & eloquentiæ, quos profundiſſimâ ſuâ humilitate & ſtudio mortificationis merebatur; quippe ſolitus poſt ſingulas conciones exigere à domeſticis, etiam dum ſimul Rector ijs præeſſet, ſibi dici errores in dictione obſervatos, quos humillimâ ſubmiſſione audiebat, & peculiari accuratione inſtar Novitij emendare ſtudebat. Quin & priuſquam è pulpito diceret, exhibebat ſæpe relegendas Novitio cuidam Adjutori Laico, magnæ orationis & ſpiritûs, ejúſque judicium deſuper & ſenſum anxiè inquirebat & ſequebatur. Neque ſolis urbibus zelum ſuum concludi vir DEI patiebatur, ſed in pagos etiam & oppida ſeſe effundebat, magno ſemper animarum proventu. Dixerat in horum quopiam, Alhama dicto, ardenter pro concione, & tam ante quàm poſt illam multos exceperat pœnitentes ad uſque altum meridiem, cùm ſenſim dilabentibus è templo omnibus, ſolum ſe cum Socio relictum vidit, quin ullus ad menſam invitaret, aut fruſtum panis famelicis offerret. Cúmque æditius valvas etiam templi occludere pararet, receperunt ſe ad ripam fluvij Alhamam alluentis ſubtus denſæ arboris umbram, horas Canonicas magnâ in DEUM fiduciâ recitare exorſi, cùm DEO placuit ſervis ſuis prandium Angelico miniſterio ſubmittere. Repentè ſiquidem oculis in ſilvulam conjectis, vident accedere juvenem ſpectabili formâ, amœno vultu, qui cum humaniſſima ſalute corbiculum eis tradidit candidiſſimo pane, & delicatiſſimis cupedijs refertum, nec plura locutus ab oculis evanuit. Quibus illi, tenerrimos intèr gratitudinis erga DEUM affectus, refecti, non ceſſabant ejus providentiam laudando demirari, quâ neceſſitatibus operariorum ſuorum, ſalutem animarum unicè eſurientium, tam paternè ſuccurreret.

Reverſus è miſſione ſua Granatam plenus triumphis & ſpolijs de Tartaro relatis, conſvetis concionibus, & charitatis operibus ſe reddidit, inter quæ eximium ſpecimen dedit Apoſtolici zeli, in tuenda Sacerdotali dignitate, & libertate Eccleſiaſtica. Comprehenderant Judices Curiæ ſæcularis hominem gravis criminis delatum, mortíque addixerant, de quo poſtea reſcitum eſt fuiſſe Religioſum & Sacerdotem; quod Judices non ignoraverant, cùm in unius ex ipſis ſuburbana domo ſæpius Miſſam dixerit. Graviter factum hoc tulit Pater, legibus divinis & humanis repugnans, & licèt conaretur ſententiæ fatalis executionem interdicti comminatione ſiſtere, nihilominus abſque ulla prævia degradatione, vel Eccleſiaſtici juris requiſitione, educebatur miſer vinculis & compedibus oneratus ad patibulum, laqueo collum implexus, inter armatorum cuſtodiam, carnifice lateri adjuncto. Cùm verò ponè Eccleſiam tranſeundum eſſet, tentavit ſaltu, in eadem aſylum reperturus, evadere; ſed facilè laqueo quem de collo geſtabat retractus, & in eodem veſtigio propè ſtrangulatus eſt. Movit Alphonſum ea in pauperem Religioſum adeò crudeliter exercita ſævities ad juſtiſſimum zelum, ut in medium armatorum & lictorum irrumperet, non tamen ſinè gravi iſtorum tumultu & renitentia, ac populi clamoribus, paraturus ſaltem beatæ imortalitati animam morituri, cujus vitam fruſtra ſervare conatus fuerat. Et hìc quidem ſacramentaliter à Patre abſolutus, è furca ſuſpenſus & necatus

eſt,

eſt: at Pater ſpiritu quodam & zelo Eliæ correptus, totâ quâ potuit vocis contentione cœlum & terram, Angelos & homines, in facinoris & ſpectaculi adeò indigni teſtes vocare, diem Judicibus præſumptuoſis ante tribunal DEI dicere, citare ad ejus judicium Prætorem, ceteróſque temerariæ ſententiæ & mortis auctores, ante quod comparendum illis eſſet, unà cum ſublato tam præpoſterè Religioſo, ad reddendam facinoris adeò ſcandaloſi rationem. Perculſi ſupra modum & conſternati fuêre his dictis juſtitiæ miniſtri, quæ tanto ardore, efficaciâ, & ſpiritûs fortitudine in eos torquebantur: ſed longè magìs, cùm proximâ Dominicâ, pulpito majoris Eccleſiæ conſcenſo, concione ſolidâ in facti indignitatem nervoſiſſimis rationibus & argumentis invectus, eam palàm demonſtravit, iterum iterúmque repetendo voce fulminante: *non egiſtis in patibulum hominem quempiam, ſed Chriſtum ipſum, cujus perſonam & vices in terris ille gerebat! ſiquidem verò tantùm delictum nequit pro merito plecti in terra, idcirco diem dico, vôſque ad divini Judicis tribunal evoco, ubi ego ipſe, qui ſuaſor hìc incaſſum fui emendationis, ibi ero accuſator veſtri delicti!* Et verò minas & dicta ſervi ſui effectu ipſo complevit mirabiliter divina Nemeſis, ſiquidem paucis diebus brevi ægritudine è vivis exceſſit P. Alphonſus, velut Advocatus pro læſo prior ad Divinum tribunal contra reos ſe ſiſtens, eadémque nocte deceſſit principalis indignæ ſententiæ author, & mox ſecutus eſt alter è Judicibus, ad reddendam DEO rationem, ac paulò pòſt omnes reliqui Judices, miniſtri, executores, & quolibet modo ſententiæ complices. Neque in his ſtitit vindex Numinis pœna, ſed ad totas illorum familias, poſteros, & rem familiarem tranſijt, nam facultatibus, domibus, universâ ſubſtantiâ paulò pòſt omnium ſtupore everſi, in tantam devenêre egeſtatem, ut viduæ unà cum prolibus ſolis eleemoſynis mendicato corrogatis vitam ſuſtinere cogerentur.

Sed redeamus ad P. Alphonſum, pauca de ejus ſuprema valetudine dicturi. Repentinâ ſubitò & ardente correptus febri, ante omnia SS. Sacramentis in viam munitus ingens præſetulit gaudium de propinquo tranſitu, tanquam laborum ſuorum termino, & felicitatis ſemper duraturæ principio, ad quam ſpe certâ anhelabat. Die poſtero cùm ægrotum inviſeret Archi Epiſcopus Petrus de Gverrero, vir eximiæ ſanctitatis, adfuit unà & Medicus, inſtanter ab Alphonſo rogatus, ediceret, quantum adhuc ſibi reſtare cenſeret vitæ? qui nonnihil tergiverſatus, poſtquam mirâ tranquillitate compoſitum Patris animũ advertit, clarè edixit, non ſupereſſe ultra quatuor horas. Quo reſponſo tanto exilijt gaudio, ut continuè lectulo ſe erigens, manum Medici arreptam oſculo petierit, exclamans, *bona nova à DEO mihi attuliſti, tam fauſtum nuncium dicendo!* conversúſque ad Archi-Præſulem, extremum ſibi ut bene precaretur humillimè expetijt, eámque apprecationem ſummâ reverentiâ, inter lachrymas copioſas adſtantium excepit, amiſſionem tam ferventis Operarij acerbè deplorantium. Obijt utì vixit pijſſimè 17. Octobris Anno 1556. cùm annos ætatis compleviſſet non ampliùs 30. Mors illius toti urbi, locíſque vicinis ingentem luctum peperit, elatúſque eſt magno omnium ordinum concurſu, deducente pompam funebrem ipſo urbis Archi-Epſcopo.

Ex Hiſtoria Societatis, & Tomo 1. Nierembergij de Viris Illuſtribus.

P. FRANCISCUS DE VILLANOVA.

PAter Franciſcus de Villanova (unde agnomen traxit) Placentini agri in Hiſpania natus Anno 1509. parentibus ex vili agreſtíque hominum ſorte, quorum facultates vix ſuffecêre in ſumptus, ut filius literas noſcere & pingere doceretur: à DEO tamen in exemplar toti mundo illuſtriſſimum aſſumptus, quo doceremur, quantò ad rem divinæ gloriæ bene gerendam donis humanis, naturæque præſidijs, divina adjumenta præſtent. Is Anno 41. ejus ſæculi, Romam ab loci Curato, apud quem ædituum agebat, litium quarundam causâ miſſus, cognitâ Societate, cujus tum recèns confirmatæ magna per urbem ferebatur fama, IGNATIO ſe adjungere magnopere cupiebat: quoties tamen eâ causâ Domum Societatis adiret, ingenti horrore retrò agebatur, non permiſſus à dæmone conſilium exequi, adeò rebus ſuis periculoſum. Ultimâ tamen aliquando conniſus violentiâ ubi IGNATIUM convenit, receptus in Sociorum numerum, Alphonſo Salmeroni datus eſt pijs commentationibus exercendus. Sed in his non levem ſpiritûs colluctationem perpeſſus, quoties de libertate abdicanda, déque ſub-



P. Franciscus de Villa nova Soc: Iesu, Hispanus, humili loco et origine natus, omni Virtutum genere, humilitatis præsertim conspicuus. Innumeros ad Deum, etiam ſapientiſſimos, ipſe idiota et rudis, adduxit. Obijt Compluti 6. Maij. Anno 1557. Ætatis 48.

ſubeundo obedientiæ jugo cogitabat, in magnas redigebatur anguſtias ; & quoniam fixum tamen & certum erat vitam divino obſequio mancipare, offerebant ſe eligendæ potiùs longinquæ & duræ peregrinationes, ægrorum in noſocomijs procuratio, aliáque ad ſpeciem Superis gratiora, in quibus tamen ſalva ſibi maneret ſua libertas. Quæ cùm obſervaret, haud difficilè tandem deprehendit, ubi vera hominis conſiſteret de ſe victoria ; ſtatuítque id quod ſibi cariſſimum eſſet, in Chriſti gratiam, qui pro nobis factus eſt obediens uſque ad mortem crucis, voluntatem libertatémque ſuam perpetuæ obedientiæ cruci ſuffigere. Hac nobili palmâ reportatâ, retulit paulò pòſt haud minùs inſignem, cùm jam domeſticus coco datus eſt adjutor, cæpítque miniſterij ejus tædio odióque tentari graviſſimo. Nam ante Chriſti è cruce pendentis effigiem humi procumbens, vovet ſe quàmdiu vivat, ſi per Moderatores liceat, eo in opere permanſurum. Et verò pernoſcebat IGNATIUS, quantum ad excellentem virtutem in tyrone indolis ac facultatis eſſet, indè alijs ſuper alia laborioſis exercens muneribus, coquinæ diſpenſatoris ſimul, obſonatoris, & excitatoris officia adjecit, quorum unum alteri cùm impedimento eſſet, ut ne ſingula legitimè ab eodem perficerentur, plectebat nihilominus velut inertem & reum publicis reprehenſionibus & pœnitentijs. Quibus ille vehementer afflictus, ferebat tamen omnia æquanimiter, neque alibi quàm ad pedes Crucifixi ſolatium implorabat, verba illa millies

pro-

profundo ſenſu repetens: *qui plaſmâſti me, miſerere mei.* Neque fugiebat IGNATIUM mutatus in triſtitiam & mœrorem in Villanova vultus, ſed ſecurus ejus magnanimitatis, cùm quidam Patrum levationem laborum illi precarentur, reſpondebat: *ſinite illum, affatim illi eſt virium, ut omnia ſuperet.* Et aliquando adjecit: *bene cum Societate actum iri, ſi è 60. Scholaſticis, qui tunc educabantur, vel viginti poſt eonſueta ſtudia Villanovæ ſimiles evaſiſſent.*

Fundaverat recens tum Conimbricæ Luſitanus Rex Societati Collegium cum Academia, & reditus copioſos alendis Scholaſticis addixerat, quorum multi ex Italia, Gallia, & Germania illuc ab IGNATIO miſſi ſunt. Hos inter fuit & Villanova, ad ſtudia literarum ab primis Grammaticæ rudimentis ordienda miſſus, licèt vir jam eſſet 32. annorum: ſed cùm à cœlo complexioni ſuæ adverſante perpetuos capitis dolores pateretur, juſſus eſt ſolum patrium experiri, ac deinceps Compluti medijs quibus poſſet Grammaticæ ſtudium proſequi. Huc ille admirabili DEI conſilio, ut ab eventu patuit, delatus, & neque tecto, neque ſumptu, neque re ullâ ad vitam ſuſtinendam proviſus, miſericordiâ duarum matronarum, olim in ipſum quoque IGNATIUM beneficarum, cubiculum obtinuit ſuis uſibus in domo Magiſtri Loſado, unius è Cathedraticis Academiæ. Hìc ille cœpit ex templo zelum quo ardebat depromere, & literarum penitus rudis, omnibus tamen virtutem ſuadere, exhortari cives, Academicos ipſos & Magiſtros ad divina excitare, & plurimos illorum, etiam Sacerdotijs inſignes, ſacris IGNATII commentationibus exercere, magnâ in omnibus vitæ & morum in melius mutatione, ut novum ad ſe in ipſo IGNATIUM acceſſiſſe Complutum agnoſceret. Ex his plurimi Societati nomen dedêre, centum enim & quadraginta quatuor lectiſſima capita, ínque ijs Sacerdotes & Facultatum Doctores in eam admiſit: alij poſtmodum fuêre Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & in primas cathedras ac dignitates evecti. Et tamen is etiamnum Grammaticæ annos natus 34. operam dabat, in ſumma rerum omnium egeſtate, quâ neque libros neceſſarios ſibi comparare ſufficiens, cujuslibet diei lectiones ex mutato codice in craſtinum deſcribebat: ut planè miraculo adſcribendum ſit, potuiſſe tantum apud Univerſitatem illam habere exiſtimationis, ut ad conſpectum ejus omnes ſeſe componerent, neque indecens aliquid agere vel loqui præſumerent. Illud verò permirum omnibus accidit, quòd ejus ſalutaribus monitis & conſuetudine duo præcipuè Academiæ Collegia uti ſolita, integrè quoad omnes perſonas in diverſas Religiones tranſierunt: in quibus & Jacobus de Yepes fuit ordinis S. Hieronymi, & Regis Philippi II. ac S. Tereſiæ Confeſſarius, & vitæ ſcriptor, Epiſcopus Tarazonæ, qui profectûs ſui in ſpiritu primordia ſemper Villanovæ adſcribebat. Tanto ſiquidem pondere & efficaciâ de amore DEI, de imitatione Chriſti, de reſignatione voluntatis noſtræ in divinam, de frequentatione Sacramentorum, ceteríſque rebus divinis loquebatur, ut nihil auctoritati dictorum detraheret ſive cognita hominis in humanis ſcientijs ruditas, ſive natalium & conditionis comperta vilitas. Auſus quin etiam eſt jam tum Societati Compluti moliri Collegium, & locum ſtabilem, coëmptíſque ædibus Socios complures ex eleemoſynis piorum alere, dum tandem plenam illi fundationem obtinuit, veriſſimus ejus parens & conditor; licèt & ad alia per Hiſpaniam erigenda Collegia, Cordubæ, Montillæ, Conchæ, Placentiæ, plurimùm momenti contulerit. Denique unus ipſe conſulebatur ab omnibus, & in rebus animæ ſalutem ac profectum ſpectantibus, oraculum erat primis etiã Univerſitatis & urbis capitibus, quo doctiorem nunquam Evangelij magiſtrum & interpretem ſe audiſſe fatebantur.

Porrò fundamentum tantæ ſanctitatis, & collectæ ad animarum ſalutem neceſſariæ auctoritatis, ſui victoria fuit, quæ adeò conſtans illi in toto vitæ curſu perſeveravit, ut faſſus fuerit, nihil unquam in via virtutis ſibi arduum & ſenſibus contrarium occurriſſe, quod non eò ipſò fortiter aggreſſus DEO juvante ſubegiſſet. Et verò jam Complutenſis Collegij Rector, & à ſanctitate notiſſimus, in culinæ officijs propè aſſiduè verſabatur; palàm teſtatus, eos qui Rectorem eſſe juſſerant, parum vidiſſe ad quod maximè eſſet factus, ſe potiùs ad coquinam curandam, quàm ad regendos homines natum atque aptum. Rudi tuniculâ attritáque & curtâ cùm aſſiduè uteretur, ſtaturáque puſillus, ore plus ſatìs fuſco, totus denique malè à natura tornatus, nihil haberet ſpectabile, quàm virtutem animi ſuíque contemptum, è culinæ aliíſque manuum operibus ad viros doctos & graves evocatus, ſæpe ità ùt ferebat miniſterium ſordidatus prodibat: nec principiò admirabantur hi ſolùm, ſed quodam etiam pudore ſuffundebantur. At ipſe excuſabat his occupationibus immorari ſe velut à puero aſſuetum, quòd nihil

nihil aptiùs sibi quadraret, cùm & parens, avus, & majores ità vixerint: nullam enim sui deprimendi vincendíque omittebat occasionem. Placentiæ Episcopus, qui Collegium extruebat, ad visendam structuram veniens, cùm advertisset, fabris non satìs calcis inopiâ aquæ suggeri, ad Franciscum versus, quæsivit, nónne esset ad manum aliquis, qui posset jumentum ad flumen agere, & aquam parandæ calci afferre? *Imò verò est*, respondet Villanova, *commodum siquidem frater meus advenit; is præ alijs huic exequendo idoneus erit.* Obstupuit Episcopus solidam humanæ auræ despicientiam: cúmque dixisset, non defuturum domi suæ alium, qui id exequatur: negavit Villanova, alium Fratri suo ad id præstare, utpote qui nulli alteri rei ferè idoneus sit; pervicítque ut publicè Martinus (hoc erat Fratri suo nomen) asellum per urbem agens diu cerneretur. Atque hunc non contemptum, sed verum fuisse germani amorem demonstravit eventus: brevi enim Martinus, DEO juvante, perfectionis amore captus, & in Societatem adscriptus, magno virtutum exemplo, añis in ea compluribus actis, decessit. Compluti ad populum de plano, vel in foris & plateis dicentem Villanovam, ingens semper hominum audiebat multitudo, ínque his etiam viri doctissimi, & Facultatum Magistri: ut his commotus vir gravissimus ex ordine Prædicatorum, primæ Cathedræ Valentiæ & Salmanticæ moderator, Pasqualis Mancius, cœperit & ipse dicentem audire: tantúmque spiritu ejus & sapientiâ cœlesti captus est, ut tres & quatuor continenter horas de rebus divinis colloqui perjucundum diceret. Itaque prolixiùs aliquando super his disserentem audiens, quæsivit, cur autem è celebri aliqua urbis cathedra populum non doceret, maximum utique in animabus fructum facturus? at ipse: *num fortè ignorat Paternitas vestra*, inquit, *me idiotam esse, & Grammaticæ condiscendæ etiamnum navare operam?*

Neque sponte solùm ad sui despicientiam intendebat, sed pari alacritate oblatas ab alijs injurias sustinebat. Cùm elementis Logicæ navaret operam, condiscipulus ex externis nescio quâ voce ejus offensus excanduit, atque, ùt erat ardens, nihil tale expectanti Villanovæ colaphum impegit. Hic repentinum factum admirans, ubi nihil aliud occurrit, in se causam convertit: provolvitur ad pedes adolescentis, & veniam submissè precatur, quòd imprudens ei causam iræ suggesserit. Post aliquot annos idem genus injuriæ pari constantiâ repulit. Homo nequam ad honestam domum, flagitij causâ, aditum captabat, quod cùm sensisset Villanova, in tempore egit, ut excluderetur. Non latuit res intemperantem, & inde exulceratus unde sanari debuerat, cùm primùm obvium Villanovam habuit, graviter impactâ palmâ percussit. At bonus Christi discipulus, non verbo, non vultu, non animo indignatus, genu flexo alteram percutienti genam offert: quam insignem ac publicam contumeliam severè cùm Episcopus vindicare moliretur, egit enixè, ut reo pœnæ omnis gratia fieret. Simili studio viliora & deteriora in rerum quarum libet usu sectabatur, feréque solis pauculis è mensa sociorum, quæ superfuerant frustulis victitabat: licèt in illis Collegij initijs tam arctæ Socijs obvenirent eleemosynæ, ut præter panem & vile decoctum legumen, vix aliud in cibum quotidianum suppeteret. Si quando eximium quodpiam afferri edulium vidisset, porrigentem rejiciebat, monens ne contumeliam sibi faceret: *viro enim Religioso probrum & ignominiam esse, quamdiu valetudo pateretur, quidpiam præter omnibus communia admittere.* Itinera Româ usque in Lusitaniam, & inde per Hispaniam, pedibus omnia, perraró asello, urgente necessitate confecit: nec in Hospitijs ad panem quidquam, nisì si quando pauxillum casei, adhibuit. His addebat perpetuam sui in rebus omnibus abnegationem, & corporis afflictiones gravissimas, quas edomandæ rebellioni (ità loquebatur ipse) in corde à peccato excitatæ necessarias esse asserebat. Curiositatem quoque ità domuerat, ut diceret, si nunciaretur Angelum è cœlo lapsum in via ante ædes Collegij concionari, se minimè ad audiendum accessurum, si alio, quàm unicè pio studio se allici sentiret. Quam quisque minùs in vita domaret passionem, ab ea ingruente morte molestias imminere graviores ajebat: ideóque congesserat quasdam tesseras, quibus se velut stimulis excitaret frequenter & increparet. Qualis excitaret frequenter & increparet. Quarum è numero erant: *Francisce ad quid venisti? veni ut crucifigerer, veni ut alienas noxas, & quosvis tolerarem angores: veni ut pacem animi reperirem. Ubi autem? in penuria, in calamitatibus, in alienorum tolerantia delictorum. Francisce, quod in te non sanâsti, perfer in alijs: à tuis ulceribus, usquedum ea persanâris, oculos ne removeto ad aliena: fine alios loqui; tu, quæ te tuorum oblitum, aliena curandi vitia libido urget, vide ut comprimas. Etsi enim omnes perfecti sint, tu vitiosus, quæ tibi vera*

bi vera sit pax apud DEUM? quæ res ad te non pertinent, quásve corrigere nequis, in ijs tace, ac DEUM pro emendatione roga.

Animi verò submissionem ostendit maximè, cùm jussus ab Ignatio necdum Sacerdos, imò neque humaniores scholas adhuc emensus, Socijs in Collegio Rectoris titulo præesse, omni conatu primùm restitit, tandem nihilominus non minùs laudabili obedientiâ acquiescens, ubi iterum novo præcepto jussus est sacris initiari ordinibus, & omnino vetitus repugnare; paruit quidem, sed dum ad faciendum primum Sacrum se comparat, indiésque attentiùs suam vilitatem, mysteriíque ponderat Majestatem, integri biennij tempus in apparatu traduxit: resolutus, nunquam ad aram sacrificaturus accedere, nisì severum adfuisset ab Ignatio præceptum: ex quo sacras primitias die Pentecostes Anno 1552. obtulit. Confluxerat ingens populi multitudo: novus Sacerdos inter sacrum quendam horrorem, & cogitationem dulcissimæ Christi charitatis, varijs motibus æstuabat: ubi verò ad ea symboli verba: *& homo factus est*: venit, lachrymis se perenni fonte superfundentibus, interclusâ voce diu retardatus, spectanti etiam populo vim lachrymarum elicuit. Atque hæ deinceps illi, quantumlibet invito, largissimè fluebant, quoties Sacrum diceret, vel officium divinum recitaret; quod tantâ attentione & pietatis sensu decurrebat, ut sensus in eo recitando concepti, essent abundantissima omnium illius sermocinationum, & spiritualium documentorum materia. Egit etiam sæpe cum Villanova Ignatius, ut fineret se inter Professos adscribi, licèt præter Logicam ex altioribus scientijs nihil in scholis degustârit: sed rem tam diu repugnando per literas ultro citróq; traxit Villanova, dum translato interim in cœlum Ignatio, humilitas Filij de Patris charitate victoriam tulit. Hoc sui contemptu ad agendum cum DEO, & excipienda largè dona cœlestia idoneus maximè reddebatur. Orationis item cùm esset studiosissimus, præter consuetum Societati illius tempus, horam quotidie, antequam alij surgerent, meditationi tribuebat, præmisâ acri corporis flagellatione: nam & somnum in angustias redactum sibi subdiderat; & quàm in sese durus, tam benignus in Socios, excitatoris matutini munus sibi, quoad vixit, perpetuò reservavit. Addebat Joannes Castaneda, quamdiu propter angustias domûs eodem dormiebat in cubiculo, se ferè quacunq; horâ noctu evigilâsset, sensisse ac vidisse in genua provolutum, supinis manibus orantem. Tantus verò in meditatione amoris & pietatis ignis in ejus corde exardescebat, ut ab ejus flamma toto corpore incensus, cogeretur illum frequentiùs adhibitâ frigidâ temperare. Durabátque idem animi in DEUM motus totum deinceps diem, ut nunquam ab ejus præsentia quibusvis in negotijs evagaretur; sed in perpetua quodammodo duraret oratione. Ex qua frequenti cœlestium meditatione facilè consequebatur, ut DEUM semper haberet in conspectu, ubique ad sui custodiam intentus ageret, sensúque dulci ac tenero pietatis afficeretur sic, ut lachrymæ promptissimæ essent. Fuítque, cùm sternentem ipsummet suâ manu silicibus aream domûs, nobilis Doctorum & gravium virorum corona nihil sentientem circumstetit: qui cùm spectant, & comiter subinde in divina abreptum frustra compellant, ille inter laborem divina ingressus colloquia, haud plures mittebat voces, quàm lachrymas: itáque manus quidem versabantur in opere, & lapides malleo aptabant, cor autem in DEO colliquescebat, & per oculos fluebat imber, blandissima vis cordibus oculísque adstantium. Ex eadem cum DEO agendi consuetudine ingens illa oriebatur magnanimitas & fortitudo, quâ rebus adversis se opponebat. Nam Anno 1548. cùm domesticorum nemo non tentaretur & confligaretur morbo, ipse vicariam omnibus præstabat operam: cúmque egentissimæ domui benignitatis alienæ simul ferè omnia remitterent subsidia, ut jam malevoli jactarent, brevì Societatem in urbe interituram: ac deniq; super omnia Societatis institutum per idem tempus ab Archi-Episcopo & Academicis impugnaretur, ipse nihil animo fractus, imò in spem erectus majorem, ità his omnibus strenuè obviam ivit, ut adversarios pigeret facti, tæderet susceptæ mentis.

Eodem ex fonte manavit excellens illa viri & cœlestis sapientia; licèt enim, ùt dixi, in disciplinis non erat ultra Dialecticæ limen progressus, tamen ad eum consulentium de officij rationibus, aliísque implicatis & gravissimis conscientiæ quæstionibus, multitudo innumera confluebat, sic ut accedentium perpetuò ex omni statu hominum copiâ Collegium pene obrueretur: unde in populo proverbij instar increbuerat, *cathedram Complutensium certissimam esse, cathedram Villanovæ.* Mansius Theologorum princeps (de quo paulò antè memini: (palàm fatebatur, *Theologiam Villanovæ omnium Complutensium Theologorum*

logorum ſapientiâ longè pluris apud ſe eſſe. Bartholomæus Torres, qui diu Segunti divinam ſcientiam docuit, móxque Epiſcopus Canarienſis inſignem de SS. Trinitate librum edidit, 30. annos ajebat ſe verſatum inter S. Thomam, Scotum, Durandum, & ejuſmodi ſubtilitatis Theologicæ Magiſtros; nec apud quenquam inveniſſe rationem, ex qua aliqua viâ expedire ſe nequiret: verùm Doctoris Villanovæ (ſic eum joco appellabat) rationibus & argumentis manus ſibi pedéſque vinciri, neque ullum effugij locum relinqui. Apertè etiam profitebatur, plus ſe ad utilem ſui cognitionem 30. diebus, quibus illum in Exercitijs ſpiritualibus præceptorem habuerat, quam 30. Annis, quos in Theologia contriverat, profeciſſe. At Alphonſus Ramirius Vergara, Doctor & ipſe percelebris, atque Univerſitatis Complutenſis Rector, morti proximus, duo ajebat ſibi à DEO præbita ſalutis æternæ pignora, unum, quòd non ſiviſſet Epiſcopum ſe fieri; alterum, quòd animæ ſuæ Magiſtrum Villanovam dediſſet, quem etiam Angelum ſuum Cuſtodem nuncupabat. Ipſe ejus in Logica Magiſter Velazquez, ſanctitate & ſapientiâ diſcipuli irretitus, Societatem ab eo efflictim expetebat; ſed divinâ illum providentiâ ad majus ſuum obſequium ſervante, receptus non eſt, factus poſtea multarum bono animarum ad S. Jacobi Archi-Epiſcopus: qui tamen ſemper fatebatur, Villanovam totius ſuæ virtutis eſſe Magiſtrum, & ſapientiſſimum ſpiritûs, ac Theologiæ myſticæ Doctorem. Cujus ſuæ cœleſtis ſapientiæ ſpecimina tum in alijs innumeris perſonis, in Eſpinoſa præcipuè viro præſtantiſſimo, poſtea Epiſcopo Complutenſi & Cardinali, Regiíque Præſide Conſilij, & quàm plurimis Canonicis, Doctoribus, atque ex omni Dignitatum & Tribunalium genere perſonis graviſſimis, quas ſpiritualibus exercitijs excoluit: tum in integro Monaſterio ad primævum ſpiritum à collapſa diſciplina reſtituendo, abundè monſtravit. Erat Cœnobium perfrequens Religioſorum ſecundæ Regulæ S. Hieronymi, è quibus vir apprimè doctus Petrus de Aragon, ſuaſu & directione Villanovæ ſacris Exercitijs excultus, ingentémque ab ijs animæ ſuæ profectum expertus, omnibus ſuis Fratribus magnopere ſuadebat, ut eadem periclitari vellent. Sed cùm negotium opinione ſuâ tetricum, & dubiæ utilitatis, averſarentur omnes; ſaltem ut Fratrem quendam Laicum Complutum à Villanova exercendum mitterent, inſtitit, experiendi causâ, ſi res ex voto illi cederet, ejus deinceps exemplum ſecuturi. Erat is ſtaturâ grandis, & feroci non minùs aſpectu, ac moribus, militi quàm Religioſo ſimilior, utpote quem ſæpius veluti incorrigibilem à ſe ejicere tentaverant, niſi natalium ſplendor è principali Aragonum ſanguine ductus, & copioſæ eleemoſynæ ejus intuitu ſubmitti ſolitæ obſtarent. Nec difficilis annutus fuit, ubi omnia alia remedia nil profuiſſe erant experti; licèt & hoc fruſtra adhibendum ſibi ità certò perſuaderent, ut ſponderent univerſi, ſi emendatus Compluto rediret, omnes ſe directioni Villanovæ permiſſuros. Perſuaſus Frater; non invitus iter, velut animi & oblectationis causâ, ingreſſus eſt, probaturus quidnam rei Exercitia tandem forent: rogatúſque per viam ab occurrentibus notis, quorſum pergeret? *mittor à Fratribus*, reſpondebat: *Complutum, neſcio qualium Exercitiorum faſcino incantandus.* Delato ad fores Collegij primus occurrit Villanova, Rector ſimul & Janitor, quem toto veſtitu loquebatur, tunicâ detritâ, plenâ calcis indutus (nam fortè inalbandæ domui operam dabat.) Igitur quærenti blandiſſimè quid vellet, quídve imperaret? Rectorem ille ſibi devocari poſtulat. At cùm Villanova ſibi negotium confidi humaniter peteret, negat ille alij, præterquam Rectori ſe poſſe confidere. Coactus ergo hic, ſe domûs Rectorem fatetur: quo conſternatus Frater, & Villanovam oculis à capite ad calcem emenſus, habitúque tam indigno offenſus, nullo dato reſponſo habenas abiturus vertit, cum dicto: *jam video, ad quem miſſus ſum!* Id animadvertens Villanova, apprehenſo amicè freno obteſtatur, ut mulâ deſcendere, & pauxillùm vires refecturus ſubſiſtere velit. Aliquandiu reſtitantem in domum tandem inducit, è paupere penu obſequiosè nonnulla apportat, accumbenti perhumaniter deſervit, de rebus interim cœleſtibus ſermonem ità profundum exorſus, ut Frater, cibo omiſſo, loquenti attonitus unicè intenderet. Finitâ cœnâ abitum nihilominus parantem, rogat Pater, cadente jam in noctem die, remanere velit & quieſcere, neq; enim ad reditum tempus ſufficere: dúmque jam faciliùs perſuaſum ad conclave inducit, reſumpto cœleſti ſermone ità hominis animum commovit, ut denique ultro ſacris commentationibus exerceri peteret. Pater negotium blandiſſimè aggreſſus, ſolis primæ hebdomadæ meditationibus hominem duodecim diebus exercuit, tam ubere DEI gratiâ animo illius ſe infundente, ut omne illud tempus

pus in lachrymis, ſingultibus, aſperrima pœnitentia tranſegerit. Tantáque fuit ad Cœnobium reverſi mutatio, & in omnium oculis ferventiſſima vitæ ſanctioris præbita exempla, ut omnes tam mirabile ad vitia extirpanda remedium experiri condicerent. Itaque bini & bini, dum omnes per ordinem abſolverentur, Complutum ſuccedentes (quorum multi in Religione 40. & 50. numerabant annos, præcipuis munijs, etiam ordinis Viſitatorum, & Doctorum titulis inſignes) ipſam ſanctitatem domum retulerunt, nihil ut illo Cœnobio religioſius, nihil ſilentij, obedientiæ, & diſciplinæ clauſtralis videretur obſervantius; ex quo deinceps ad omnia ejuſdem Religionis per Hiſpaniam reformanda Monaſteria norma tranſumpta fuit. Tantúſque ab hoc eventu Exercitijs valor & æſtimatio increvit, ut viri graviſſimi, atque in primis ejus Conventûs Prior, omnem moverint lapidem, ad procurandos ſtabiles Collegio cenſus in alimenta eorum, qui apud Patres Exercitiorum causâ ſeceſſum expeterent.

Jam verò quid de ejus animi inter rerum anguſtias æqualitate, ínque DEUM dicam fiducia? ſacris à Villanova exercitijs excultus Doctor Vergara, quia oculatus teſtis viderat extremam, quâ cum domeſticis conflictabatur, egeſtatem, paucis pòſt diebus crumenam ad illum miſit 800. aureis refertam, qui tum ejus totus erant theſaurus, ut illâ domum ſibi propriam (nam eatenus per varias ædes inquilini propriâ carebant) coëmerent. At Villanova pecuniam intactam per unum è domeſticis remiſit, juſſum humaniſſimas pro optima voluntate referre gratias, quòd eâ minùs indigerent ipſi, quàm is, cujus laborum hæc merces eſſet: ac ſinè dubio proviſurum DEUM, ſi è gloria ſua fuerit, & excitaturum corda potentiorùm, ut ad comparandas Societati Ædes ſubſidia conferant. Quæ animi magnitudo in ſummum ſtuporem Vergaram adduxit, & Villanovæ longè arctiori vinculo copulavit, itâ ut paulò pòſt Eccleſiaſticis quibuſdam proventibus auctus, mille pro illis aureos tranſmiſerit. Interim anno ſæculi ejuſdem 50. & 51. cùm Collegium, quo ſuſtineretur, penitus haberet nihil, niſi emendicatam indiem ſummo labore ſtipem; eámq; peranguſtam, fortes & paupertatis amantes Socij, quò ſolicitudinem Rectori conſveta alimenta comparandi levarent, obtulere paratos ſeſe gelidâ ſitim extinguere, & ſolo pane contentos vivere. Sed Franciſcus juſſit, ſtrenuè primùm quæ DEI ſunt DEO reddere, tum corpori, quæ poſtularet humana neceſſitas, non negare. Cœpit nihilominus, ut pleniùs ſuis provideret, humanâ quadam prudentiâ eos qui Societatem expetebant, quanquam idoneos, morari atque rejicere. Verùm contrà ac ſperârat evenit: ut primùm enim ad Societatem aditũ petitorib9 clauſit, viſus eſt pietatis fontem planè obſtruere, quãdo ne tenuia quidẽ illa ſubſidia, quamvis diligenti conquiſitione, impetrabantur, quibus jam admiſſos ſuſtineret. Hoc ùt Villanova, qui vias Domini diligenter obſervabat, advertit, ſui anguſtias animi incuſans, de DEI bonitate confidens, cancellos prudentiâ carnis fixos, prudentiâ Chriſti revulſit: prorſúſque uſu venit, ut quo anno plurimi recepti eſſent, is pariter è fidelium pietate annonam ferret uberrimam, quæ in poſteriores quoque annos redundaret. Hoc igitur experimento edoctus, dictitabat poſtea, *Rectoribus non tam inopiam formidandam eſſe, quàm ipſam inopiæ formidinem, quæ ex parva in DEO fiducia naſcatur.* Neque omittebat DEUS miris & inexpectatis modis anguſtias ejus ſublevare. Cùm ad eum Sacerdotio jam inſignitum innumeri quotidie affluerent confeſſionis gratiâ, quibus capiendis locus non ſufficiebat, ſtatuit templum Societati à fundamentis Compluti moliri; cœpítque opus unâ DEI providentiâ confiſus, non amplius in ære numerans quàm 50. reales. Cúmque nemo non illum temeritatis & præfidentiæ damnaret, reſpondebat: *idcirco ſe tam paucis numis fabricam aggreſſum, ut hi ad DEUM clamarent, multiplica Domine, multiplica Domine!* Nec ſervi ſui fiduciam fefellit DEUS: ſiquidem excitati ipſius inſtinctu piorum animi, tot ſubſidijs venêre in auxilium, ut celeriter templum ad faſtigium educi contigerit. Obierat Anno 1550. unicus, quem anno ſuperiore primùm Societati adjunxerat, Sacerdos, apud quem Socij omnes peccata expiabant; magno illorum dolore, tum quòd Confeſſario domeſtico deinceps carendum erat, tum quia nihil penitus illi tumulando, nec locus ſepulturæ, nec apparatus Sacerdotalis ornando de more cadaveri, ſuppetebat. Omnibus itâ mæſtâ ſolicitudine dejectis, inopinatus venit ad domum Sacerdos è Conventu PP. Franciſcanorum, & in vultibus omnium inſuetam advertens triſtitiam, cauſam percontatur: quâ intellectâ, bono animo eſſe juſſis, & locum ſepulturæ in ſuo S. Jacobi templo, & apparatum Sacrum, & Fratrum ſuorum ad deducendum funus comitatum prolixè defert. Socijs magnâ admiratione

tione divinæ pietatis, & propensissimæ sacri ordinis in ipsos charitatis, defixis.

Ornavit etiam servum suum DEUS eximio discretionis,& arcana cordium pervidendi spiritu, quo intima animorum facilè penetrabat. Sacerdos erat Ferdinandus Barrasas nomine, fictis quibusdam pietatis indicijs, & externâ significatione modestiæ, in magna apud omnes sanctitatis opinione: quo velut hamo captus muliebris sexus, frequens ad eum confessionis causâ concurrebat, cujus ille vicissim usu familiaritatéque pellectus, multa turpiter ac flagitiosè patravit. Tantáque fuit virtutis ipsius apud Academicos existimatio, ut scholares si fortè domum,in qua morabatur, præterirent, neque clamosiùs loqui, aut strepitum ciere, vel levitates ullas, aut plausus juveniles exercere, ob hominis reverentiam præsumerent. Ut verò tantò minùs scelerum suspectus haberetur, quia videbat Villanovam omnium famâ & sanctitate celebrari, amicitiam ejus & congressum omni sedulitate captabat, & quocunque loco occurreret sese adjungebat: invisebat frequens in Collegio, & sermonem illico de DEO rebúsque cœlestibus auspicabatur, in numerum adeò Sociorum recipi ausus efflictim per integrum biennium postulare.Patuit verò si unquam apertiùs, quàm certo & infallibili spiritu de animi secretis Villa nova sciret decernere: licèt enim hominem aliunde funditus ignoraret, nec esset nescius quâ sanctitatis famâ Compluti apud omnes floreret, ex altera verò parte tantâ laboraret Sacerdotum, & ipse tum ejus ordinis expers, penuriâ, ut ne Sacerdotem quidem Sociorum confessionibus excipiendis domi haberet, tamen nunquam adduci ullis suorum & externorum intercessionibus potuit, ut ejus postulatis concederet. Quin & colloquia ipsius ac consortium omne sollicitè declinare,ventitantem domo excludere,occupationes prætexere,domesticos omnes ab hominis congressu arcere perrexit. Videns itaque scelestus actum secum Villanova agere, quod re ipsâ non poterat, specie saltem & habitu, similem per omnia Societati vestitum adsciscens, cœpit præferre, & unum è numero Sociorum impudenter sese jactare, ut talis jam passim omnibus crederetur & coleretur. Ipsas adeò Societatis functiones orsus imitari, multas continenter horas dabat pœnitentibus, modos & materias meditandi præscribebat, visebat ægros & nosocomia, ac denique Sacramenta omnia gratuitò ministrabat. Verùm tam effusæ,occultissimæ licèt, in omni intemperantia libidines, & turpissima vita tot simulationum involucris tecta, latere constanter nequiverunt. Matronæ quædam perhonestæ de Societatis existimatione solicitæ, cùm contaminatos hominis mores non vano odore persensissent, ad Villanovam, tanquam ejusdem Religionis sodalem deferunt. Ille verò necdum criminibus ac sacrilegijs nebulonis in lucem editis, Barrasam amicè monet, quæ ad se certò & constanter delata sint; proinde caveat infamiam, consulat dignitati. Momordit admonitio Barrasam tam acriter, ut metuens ab illo pro sacro Quæsitorum tribunali traduci, de medio tollere statuerit. Redeuntem Madrito Complutum in itinere cum ferro adoritur: cujus subito incursu nihil Villanova perterritus, constante vultu & oratione ità hominem sideravit, ut nihil tum in eum posset committere. Novis verò indies scelesti criminibus in lucem prodeuntibus, constituit Villanova (quanquam in discrimen vocandum Societatis nomen famámque sentiret, si quem omnes ex grege nostro numeróque putabant, eum Inquisitoribus indicaret) ad Inquisitionis Toletanæ tribunal rem deferre. Itaque ejus indicio captus, atque post varia examina scelerum convictus, & carcere perpetuo damnatus est. Interim fama exoritur non modò Compluti, verùm etiam Madriti, totáque illâ viciniâ,Societatis hominem atrocia quædam ob crimina in custodiam Inquisitionis datum, itáque vapulabamus sermone omnium, nec deduci ab errore vulgus tam subitò poterat, ut tolerantiæ magis ad tempus aliquod, quàm defensionis essent arma sumenda. Donec multis ad DEUM precibus per Socios fusis, tum gravissimorum fide testium,tum propriâ convicti Barrasæ confessione, ac deinceps publicâ sacri Tribunalis sententiâ patuit, illum nunquam de Societate fuisse. Ad cujus aditum tantâ constantiâ obstinatè illi negandum, fatebatur Villanova nullâ certâ ratione se adductum, cùm forma Sanctitatis, & tota morum compositio recipiendum suaderent, sed interiore duntaxat instinctu permotum fuisse.

Omnium verò maximè id gratiæ cœlestis donum deprehendi potuit ex delectu, quem in recipiendis ad Societatem adhibebat, ut non solùm præsentem animæ ipsorum statum, sed & cujusmodi deinceps futuri essent, pernoscere videretur. Et quidem non raro eveniebat, ut quos domestici viri sapientes idoneos maximè judicabant, ipse rejiceret;

ret; ab omnibus verò reprobatos admitteret: cujus tamen optimum delectum fuisse probabat eventus, in viris omni postmodum exceptione majoribus, quales fuêre inter ceteros per ipsum Societati accensos, P. Martinus Guttierez vir sanctissimus, & multis prodigijs ac revelationibus clarus, odio Religionis in captivitate apud hæreticos extinctus: Christophorus Rodriquez, multis expeditionibus à Summo Pontifice, ingenti animarum fructu, adhibitus: omni sapientiâ clarus Ægidius Gonzalez: Apostolico plenus spiritu Joannes Ramirez: magnus spiritus Magister Joannes de la Placa: devotissimus P. Petrus de Saavedra: vir maximus Hieronymus Ripalda; & alij ex Academicis Complutensibus maximè insignes, quorum jacturam intimo dolore tulit Universitas, obtulítque Villanovæ liberales ad sustentandum Collegium proventus, dummodò ne quempiam ex Academicis, citra Rectoris reciperet assensum. Porrò in adlegendis pro Societate unicè attendebat indolem & genium naturæ, an tractabilis esset, & cum quadam vivacitate amplitudinem animi præferens; parum attendendo quid in præsenti scientiæ, virtutis, aut claritudinis, & splendoris, sive à natalibus, sive à gestis dignitatibus afferret: dicebátque, *præoptare se indolis egregiæ rudem adhuc & imbecillem puerum, quàm Theologiæ Doctorem.* Cùm verò sæpius Socij pro quibusdam, judicio suo immeritò rejectis, instarent, monebat ne sibi molesti esse vellent, specialem enim à DEO impulsum & sensum sibi imprimi solere, quos admittere vel repellere expediret. Ità cùm pro quodam eximijs planè talentis dotato impensiùs instarent, duos mêses præstolari jussit, visuros tum causam, cur eum rejecisset: quibus non integrè lapsis, ille simul in amentiam & furorem incidit. Persecutiones & difficultates gravissimas, quibus ab ejus obitu per Hispanias exercita fuit Societas, pridem antè prædixit: & aliquando è Fratribus cuidam Joanni Baptistæ collocutus, *fac bene*, inquit, *memoriæ imprimas quod dico; anno 1569. Hispania multos cœlo Martyres dabit*, *id quod tu intuebêre, sed non ego.* Et planè ità evenit, siquidem Villanovâ Anno 1557. demortuo, Mauri in rebellionem Anno 1569. in Regno Granatæ consurgentes, multorum sanguinem Fidei odio effuderunt. Sed & mortis suæ tempus pridem ante prædixit, suúmque in Rectoris officio successorem, P. Manuelem Lopez. Uni etiam è tyronibus tria per vitæ decursum eventura prænunciavit, quæ singula postea ità penitus evenisse, idem jam gravis, & à doctrina vitæque sanctimoniâ spectatus vir testatus est.

His tam præclarè pro DEI gloria gestis, Placentiâ, ubi novum Collegium feliciter molitus fuerat, Complutum redux, cœpit illico adversâ valetudine tentari: quam veluti certum felicitatis suæ nuncium interpretatus, singulari incedebat lætitiâ, gaudens quia velox immineret depositio tabernaculi sui. In lectulum verò doloris prostratus, & crescente indies malo è mentis potestate dejectus, nihil tamen nisi de DEO rebúsque cœlestibus proferebat, eodem spiritu & fervore, quo sanus disserere consueverat, ut ad eum veluti pro concione audiendum magnâ reverentiâ domestici omnes accurrerent, & Medicus fateretur, nunquam tam aptè & ferventer loquentem hominem audîsse. Ante supremam unctionem integrè judicio restitutus, cùm audisset domesticos pro sua incolumitate variarum devotionum & sacrificiorum vota facere, *Requiem* magìs pro se dicere jussit: certus videlicet eo morbo decessurum. Atque ità magìs virtutis quàm ætatis peracto curriculo, Anno ætatis 48. Societatis initæ 16. die 6. Maij, Anni 1557. animam DEO reddidit: cujus in cœlo gloria pluribus mox sanctitate inclytis personis revelata fuit: è quibus P. Martinus Guttierez, decimo post obitum die divinitus se cognovisse asseruit, eum beato DEI conspectu perfrui. Erat Franciscus virtutis excelsæ, adeóque robustæ, ut viri tum de Societate per Hispanias celeberrimi, Franciscus Borgia, Araozius, Strada, pumiliones & nanos, si ejus sanctitati componerentur, se compellarent. Quantum autem meritis suis apud DEUM valeret, patuit vel inde etiam, cùm ad puellam lethaliter ægram piè ad mortem instituendam, à matre evocatus est. Videns enim hanc filiæ periculo acerbissimè dolentem, positis genibus ardenter DEUM ponè ipsum lectulum pro salute puellæ precatus est; & ecce subitò ægra valetudini plenè restituta lectulo exilijt.

Ex Historia Societatis, Bibliotheca Alegambe, & Tomo 3. Nierembergij de Viris Illustribus.



P. Cornelius Vishaveus Soc. Iesu, Belga Mechliniensis, speciali gratiâ mortales à Vitijs, et à Sæculo ad Deum perducendi prædit⁹, animab⁹ è Purgatorio liberandis mirè addict⁹. Obijt Laureti 25. Aug. A°. 559.

11.

P. CORNELIUS VISHAVEUS.

Religiosissimus vir P. Cornelius patriam habuit Mechliniam, nobilem Belgij civitatem; non minùs pijs quàm honestis parentibus, parcè tamen ab re familiari instructis, in lucem editus, & ad annum usq; 22. non sinè peculiari DEI providentiâ, multis ærumnis & incommodis conflictatus, ut jam tum ad bajulandam Christi crucem, & religiosam disciplinam videretur institui. Etenim puer Parisijs vix literis tinctus, revocatur in patriam, in qua contra omnem animi propensionem, à literis ad opificium traductus, cùm robustior accessisset ætas, ad ingenuas artes, quò toto impetu ferebatur, Lovanium se retulit, eósque brevì habuit in doctrina progressus, ut ad Magisterij gradum, & Sacerdotij decus, præter spem omnem expectationémque, favore Doctorum Academiæ conscenderit. Hìc ille desiderio, totum se divino servitio consecrandi, incensus, vitam Apostolicam per omnia quantum posset sectari, pœnitentijs acerbissimis corpus edomare, asperum, & visu ipso horridum cilicium diu noctúque gestare, tempus omne, quod animarum procurationi superflueret, orationi impendere. Nam & confitentibus aures præbebat assiduè, & eos ad eximiam perfectionem educere laborabat: hortabatur omnes publicè & privatim ad sectandas virtutes christia-

Christianas, hæreticis capitaliter infensi, quorum falsa dogmata & fraudes ingenti zelo confutans, multis ipsorum ad veritatem redeundi causa fuit, & Catholicis in ea tantò firmiùs perseverandi author. Ex Sacerdotij sui reditibus liberales erogabat eleemosynas, nec animorum modò saluti, verùm etiam corporum, omni quâ posset ratione consulebat: puritatis Angelicæ & ipse observantissimus, & ad ejusdem complectendum decus plurimis factus incentor. Sanè illius concionibus quàm plurimæ commotæ virgines, & adolescentes, diversis Religionibus sese addixerunt, & nobilissimæ puellæ, ac viduæ non paucæ, DEO per votum dicatam continentiam, inter ipsas seculi fœces illibatam, ad usque obitum custodiêrunt. His tam præclarè in DEI gloriam gestis celebrabatur toto Belgio Cornelij nomen, & omnibus erat venerationi: illud tamen plerísque mirantibus, cur, qui tam multos ad Religiosa castra submitteret, vivere ipse cum populo ad sarcinas seculi mallet? quibus ipse satisfacturum se credebat respondendo, præstabiliùs sibi videri, si nullius ipse Religionis Institutis astrictus, Religionum claustra impleret, quàm si in eorum aliqua semel inclusus, paucos ad ea inposterum excitare posset. Ignarus videlicet tum, neque se diu in populo fore, sed ad eam Religionem à DEO vocandum, quæ in medijs hominum collocata cœtibus, ad eandem vitæ perfectionem ceteros inflammaret: ut divino planè consilio factum putes, ut dum ad nullam Religiosam disciplinam animum applicat, ei se reservaret, in qua suæ sitis ardorem in aliena perquirenda salute, tuendísque ab hæresum labe Catholicis, expleret.

Fuit tamen solenne ipsi, priusquam de recenter instituta Societate quidquam nôsset, precari ardenter DEUM, ut auxilia sibi aliqua piorum hominum demonstraret, quorum viribus junctis fruges in Ecclesiam DEI uberiores conferret. Quod dum ardentiùs, paucis antè diebus, quàm Lovanium primùm Socij aliquot Parisijs studiorum gratiâ migrarent, precari instituit, audijt intimâ voce sibi à DEO responderi: *Corneli, aderit propediem Lovanij Societas quædam Evangelicorum hominum, cui te ut adjungas, volo.* Hoc oraculo mirè exhilaratus, præstolabatur indies votorum suorum metam: & simul ac Patres appulisse Lovanium vidit, tanquam id quod quærebat reperisset, illico se eis conjungere, & vitæ instituta explorare solerter cœpit. Primus eum Franciscus Strada convenit, juvenis tum 24. annorum, Sacerdotij adhuc expers, & Metaphysicæ primùm dans operam: à quo de Societatis vivendi norma edoctus, inspectóque diplomate Pontificio, exultare gaudio cœpit, palmásque in cœlum tollere, ruere in amplexum Stradæ, & eam quam sibi narraverat Societatem ardenter expetere. Eodem prorsus tempore Petrus Canisius Exercitijs S. IGNATII Coloniæ excultus, & ingens ex ijs emolumentum ad animæ salutem expertus, auctor fuit per literas Nicolao Eschio, suo in sæculo animæ directori & Magistro, ijsdem ut animum exercere, modúmque mentalis orationis sub Francisci Stradæ directione edoceri vellet. Sed is magisterium juvenis imberbis, quem ipse tot annis ætatis & magisterij spiritûs præcedebat, suspectum habens, eundem ad Cornelium remisit, parem quidem virtutis & sanctimoniæ famâ, non tamen tot annis gravem; ut si vellet, Stradæ in tractando spiritu artem experiretur. Neque dubitavit Cornelius, vel ullatenus distulit, sese illi tractandum committere; sed relictâ sorori familiæ satìs amplæ procuratione, compositísque domesticis rebus, ad Exercitia magno animi ardore secessit. At enim in horum progressu, quantò majore conatu divinis meditandis animum applicabat, tantò minorem devotionis sensum, cum perpetua ariditate in ijs experiebatur; ut sibi congelari quodammodo videretur, expers omnis illius solatij & animi motuum, quibus tangi plerumque solent, qui has primò exercitationes attingunt: ut affirmaret Strada, frigidiorem se in ijs vidisse neminem, cùm tamen pernôsset, quanti candoris & innocentiæ Cornelius esset, qui tam ardenti studio corpus domuerat suum, ut 14. ipsis annis textum horrenti crine cilicium nunquam posuerit. Verùm DEUS tantam viri humilitatem & constantem patientiam, solido magìs animi fructu, & rationum æternarum perspicaciâ pensavit, quâ inter sacrificandum die quodam illustratus, voto se Christo in Eucharistia præsenti obstrinxit, Societatem JESU quantocyùs initurum. Maximam ea res toti urbi peperit admirationem, cùm viderent virum eâ sapientiâ & zelo præditum, tot animarum Magistrum peritissimum, ad unius peregrini juvenis arbitrium domi reclusum, mense integro hærentem, nihil nisi ex ejus nutu agere: quorum ille judicia aspernatus, Stradæ etiam cum duobus socijs auctor fuit, ut relictis quas conduxerant ædibus, migrarent in suas.

Hìc dum illi velut in Collegio quodam

ex Societatis disciplina vitam instituunt, & Cornelius sacrarum confessionum & concionum provinciam, acutiore jam multo fervore prosequens, novum vitæ genus ubique dictis & factis profitetur, plurimùm Societatis famæ in ea urbe & Academia accessit. Sub idem tempus Petrus Faber quoque Coloniâ venit Octobri ineunte Anno 1543. Socijs Lovanij expectatissimus, qui post jucundissimos singulorum amplexus conversus ad Cornelium, *satis*, inquit, *habeo Corneli, te de facie nôsse, quem etsi meis oculis antea non vidi, te tamen novi : nihil est quod de nobis vehementiùs angaris, postridie hinc in Lusitaniam obedientia nos auferet.* Cui Cornelius, *adversari*, inquit, *imperio isti & obedientiæ nec ausim mi Pater, nec omnino debeo. Ceterùm illum ipsum, qui & obedientibus frenum injicere novit, cùm usus est, Christum invoco, nè te hinc abire permittat, sed quamdiu huic populo usui fueris, remoretur.* Subrisit Faber, & ad providenda nihilominus navigia Antverpiam discessit : ubi omnibus ad navigandum paratis, dum Lovanium ad Socios deducendos recurrit, continuò febri tertianâ ità prosternitur, ut lecto affixus moveri loco non posset, & post bimestrem ejus pertinaciam, vitæ Fabri, Medici diffiderent. Venêre tunc ei in memoriam Cornelij preces, pro sui longiore Lovanij commoratione, cùm & Medici pronunciarent, nequaquam à natura videri tantam febri pertinaciam posse inesse : quare ad se accersitum rogat, jam vota vertat & argumenta precandi, & qui tam pertinacem febrim fusis precibus advocâsset, is denuò adhibitâ oratione discutiat. Fecit imperata simplici candidóque pectore, & exinde mox fieri cœpit meliùs laboranti, ut lecto consurgere, & suis sensim ingredi pedibus, Medico admirante, jam posset. Fructus longioris in urbe Fabri moræ in Cornelium præcipuè redundavit, quem in Societatem legitimè receptum multis periclitatus, ad firmitatem intendit. Quia enim periculum sentiebat Faber, nè viro bono, cujus tanta vox esset commendationis in vulgus, Angelus præstigiator illuderet, eò exquisitiùs toto trimestri, veluti rudem discipulum, quotidianis experimentis exercuit ; ídque non tam in umbra domestica, quàm in luce clarissimæ civitatis, cujus ille in honore habebatur ac pretio. Exercebat eum per Stradam necdum Sacerdotio initiatum, eidémque adjungebat concionaturo pedissequum, ut clepsydrâ in manus sumptâ, de suggestu coram populo dicenti spatia metiretur. Sæpe etiam increpabat, jure, injuriâ : sæpe domesticorum in auribus oculísque, quò majore perfunderetur rubore, incusabat : interdum jubebat quæpiam exscribere, quæ mox tanquam malè vitioséque descripta conscindebat, eadem iterum sæpiúsque describi imperans. Pugnantia quoque, & quæ fieri uno eodémque tempore ab illo minimè possent, injungere consueverat, ut quem afferret diversa inter imperia conatum ad obtemperandum, ex ipsâ animi pugna atque ancipiti cura perspiceret. Quibus experimentis contra ludibria callidissimi hostis præmunitus, & voluntate judicióque proprio spoliatus, altissimas humilitatis & obedientiæ radices egit, ut vel tenuissima Superiorum mandata instar recentissimi tyronis semper exhauriret. Expetebatur interim à primoribus etiam viris, & suis in spiritu filijs, ad consilium & colloquia, quibus tamen nisì ex nutu Fabri, nunquam sui copiam faciebat.

Sub hæc digresso Coloniam Fabro, legitimè pòst paulò per vota Societati auctoratus Cornelius, reliquis Lovanij Socijs præficitur : quibus ille præclaris ad omnem virtutem & perfectionem exemplis non tantùm præire, sed urbi etiam universæ munijs Sacerdotalibus, quà prædicando & confessiones audiendo, quà miseris & destitutis subveniendo, tantò impensiùs sese impendere. Potissima autem cura fuit, ut ad studium orandi, divináque meditandi, ac Sacramentorum frequentiam, omnes adduceret : quibus medijs cùm longè plurimi ex utroque sexu varijs Religionibus sese addicerent, & præclarissimi quique ex Academicis Societati nomina darent ; gravis in Cornelium procella à Doctoribus excitata est, & amor omnis & existimatio in acerbum odium & aversionem mutata : ut idcirco invidorum insectationibus subtrahendus, & Romam evocandus IGNATIO visus fuerit. Hìc brevì comperto IGNATIUS Apostolico viri zelo, eum Messanam in Siciliam misit ; ubi cùm modis omnibus cives ad pietatem excitare studet & promovere, paulò pòst omnibus palàm fuit, quantum orationibus & meritis suis apud DEUM valeret. Erat adolescentula, quam pertinax & impurus dœmon insederat, & in tantum subinde furorem agebat, ut à multis robustissimis viris, ne quo præceps rueret, aut in aliquem irrueret, continenda, & vinculis esset adstringenda. Post varias, quæ solent energumenis, frustra adhibitas curationes, ad Cornelium adducitur : hic datâ sibi à muliere fide, expiandi ritè animi cùm mens redijsset, usitatis orsus est exorcismis

nequam

nequam hospitem fatigare, & ut inde excederet urgere. Dæmon tam potentem nactus antagonistam, cùm suum facilè prævideret exilium, unum rogabat Patrem, nè se indè ad ignes inferni remitteret: omni interim pertinaciâ exire reluctatus, & diem ex die moras trahens. Advertit exinde Pater hoc genus dæmonij non exigendum nisi in oratione & jejunio: itáque multis susceptis corporis pœnis, & certo Sacrificiorum sibi proposito numero, dum post tertiam DEO oblatam Hostiam in pugnam redit, frendens ac fremens dæmon excessit, exanimi relictâ puellâ, & instar emortuæ: quæ ùt primùm sensum mentémque recepit, sui pectoris arcana, ex data sponsione, pœnitentiæ Sacramento purgavit. Per idem tempus exaudiebantur frequenter in Collegio per mediæ noctis silentia miserabiles gemitus animarum, in piacularibus flammis existentium, quæ auxilium à Cornelio, & Missas à Socijs flagitabant: quibus peractis siluêre nocturni illi & horrifici gemitus. Sed quantò gravior, tantò felicior magísque assiduus illi fuit labor, in liberandis à potestate diaboli animabus: quippe cùm gravissimi peccatores expiandi animi causâ illum ferè accederent, diversi penitus à se recedebant, & vitam plerumque sanctiorem, ad aliorum usque admirationem & exemplum, instituebant. Præfectus ibidem subinde regendis nostris tyronibus illud habuit præ ceteris admirabile, quòd cùm obedientiæ studium præ alijs omnibus assiduè inculcaret, tyronum quidam Joannes Antonius Apulus, Angelicæ innocentiæ, & exquisitissimæ obedientiæ adolescens, mori priùs nec voluerit, neque DEO ità permittente potuerit, quàm eidem vitâ excedendi potestas à Patre daretur. Fatali siquidem morbo prostratus, cùm post ultima Sacramenta in singula momenta moriturus crederetur, vitam nihilominus in plures dies stupentibus Medicis trahebat. Ergo rogatus à Fratribus, *ecquando tandem è vita cessurus esset? qui possim,* respondit, *illâ excedere, necdum datâ à Superiore moriendi veniâ?* Quod cùm idem percontanti Cornelio respondisset, illico se moriturum profitens, postquam ipse annuisset: *facio igitur*, inquit Pater, *potestatem, ut crastino manè tali horâ* (certámque præfixit) *à nobis migres:* Id quod ità penitus, ad commendandum omnibus S. Obedientiæ pretium, evenit. Acciderat autem, ut pridie felicissimi ejus obitûs dæmon visibili specie appareret, religiosum juvenem gravissimè percellens; cujus ejulatu excitus Pater, globum vidit igneum undique per cubiculum volutari, horribili fragore & strepitu; quem tamen ingenti fiduciâ in orationem provolutus, illico exegit.

Secundùm tyronum domi curam, nunquam tamen solenne suum omisit Cornelius in conducendis etiam extraneorum ad Deum animabus, cujus fructus fuit magnus numerus Virginum, quæ voto continentiæ concepto in varia Sanctimonialium claustra se receperunt: ità ut constans apud Messanenses esset opinio, nullam virginum aut viduarum cum illo agere posse, quin ad virtutis hujus Angelicæ complexum induceretur, stuperéntque omnes quàm maximè, quibus argumentis tam facilè, dyscolis antè puellis, rem tam arduam persuaderet. Impulit ea fama tres nubiles puellas, certis jam procis desponsas, & in proposito nuptiarum obfirmatas, quæ ex condicto Patrem alloqui & convenire decreverunt, eo solùm fine, ut exemplo suo palàm facerent, non omnes quibus Pater esset à confessionibus, illico terrenas nauseare nuptias, & cœlesti Sponso velle conjungi. Igitur earum prima cum pœnitentiæ gratiâ tribunal Cornelij accessisset, vix inchoatâ peccatorum enumeratione, ità repentè divino spiritu mutatam animo se persensit, ut interruptâ confessione exclamaret: *Pater mi, profiteor, me velle Virginem permanere, & spretis mundi illecebris totam divino obsequio consecrare!* simúlque ad pedes Cornelij accidens, perpetuum nuptijs omnibus repudium dedit, & soli Sponso cœlesti copulari cum lachrymis expetijt. Ignara hujus eventûs altera ex conjuratis, & paulò pòst tertia cùm advenissent, idem penitus utrique evenit, ut priora sua vota damnantes, carnales execrarentur amplexus, & ad virginitatis aureolam toto desiderio anhelarent. Quo exitu paulò pòst vulgato, magna omnes cœpit admiratio, cùm viderent miram spiritûs divini operam, non tantùm verba Cornelij in suadenda corporis & animæ puritate, sed vel ipsa interna desideria, adjuvantis. Erat alia nobilis virago raræ venustatis, capillitio suo non minùs ac olim Absolon superbiens, quibus oculos multorum irretiebat, & ad omnem elegantiam comebat, torquebat, & vanissimè exornabat: cúmque nihil sibi in mundo videretur reperiri, in cujus gratiam adduci posset ad crinem suum attondendum, vel ad solum Monasterij nomen contremiscebat, quòd sciret DEO dicandis virginibus tonderi. Huic aliquando collocutus Pater, admonuit; videret, ut ne

crinem ſuum DEO præponeret, pluríſque faceret: alioquin vereri ſe, nè DEUS in his ipſis pœnas ab illa exigat, & decalvatam contemptui omnium exponat. Vaticinium fuit quod Pater prædixit mulieri, vanitate ſuâ cœcatæ tum parùm cœleſtia advertenti. Siquidem oratione pro miſeræ ſalute ad DEUM fuſâ, paucis diebus illa capitis dolore corripitur, ex quo omnes illi capilli defluxêre, & quod tanto horrore amittere formidabat, magno DEI beneficio ſublatum eſt virginitatis impedimentum: ut jam optabilis etiam ipſi fieret ſecretus ab oculis amatorum mundi in Aſceterium ſeceſſus, quem antea morte acerbiorem credebat.

Ex Sicilia revocatus ſubinde Romam Cornelius, cùm non minora vel pauciora ibidem pro animarum ſalute, & in domeſticorum, quorum ſpiritum regebat, ædificationem egiſſet, ſpecialiter tamen P. Jacobo Ledeſma profuit, qui ex cathedra Theologica Lovanij Societatem complexus, atque in tyrocinium P. Cornelio datus, in excellentem illum, quem poſtea Societas ſuſpexit, virum formatus eſt. Juverit audire ſaluberrima è plurimis alijs documenta, quæ præclarus hic tyro ex ore Magiſtri hauſta in diarium ſuum retulit, valdéque uſui profitetur fuiſſe. Ad ſanctæ humilitatis comendationem dicebat, gaudere DEUM res ex nihilo facere, quòd is modus infinitæ ejus virtutis proprius ſit, & clariùs eam prodat. Ut igitur hanc rerum univerſitatem, & pulcherrimam ſpeciem ex nihilo procreavit, ità in animis hominum mundum ornatúmque virtutum ex nihilo, id eſt, ex humilitate, quâ ſuum quiſque nihilum profiteatur, efficere: ſuperbos infinitis tentationibus ſubjacere, quòd id DEUS permittat, ut diffidere ſibi diſcant. Perinde enim DEUM facere, atque magnanimus Rex, qui quàm diu fidentem ſibi hoſtem videt, oppugnare non ceſſat: proſtrato verò cadentíq; ac manus danti, clementer ignoſcit. Porrò viam ad radices imas humilitatis perveniendi eſſe obedientiam cæcam, per quam ſimpliciter, quæ ſpiritualis Pater præceperit, fiant. Hanc enim cæcam obedientiam quaſi inſtar talpæ, aptiſſimam eſſe ad cuniculos ſub terra agendos, qui ad radices imas humilitatis perducant. Item obedientiam genus teli eſſe adversùs omnes tentationes habile & opportunum; ídque Chriſtum Dominum docuiſſe, qui omnes diaboli tentationes ſemel, iterum ac tertiò eâdem voce, *ſcriptum eſt*, reſpondens, obedientiâ, quæ legi divinæ debetur, repulit. Ità nobis, quoquo modo oppugnemur, *ſcriptum eſt, præceptum eſt, juſſum eſt*, reſpondēdo, & inexploratè juſſis obtemperando, eſſe vincendum. Ut obedientiæ via quàm tuta eſſet, doceret, ajebat Angelos quoque cuſtodes eorum, qui diſciplinæ Patris ſpiritualis ritè ſubjecti ſunt, ejuſdem Patris parere juſſis, ut ad majorem utilitatem ſuæ fidei commiſſorum conſpirent. Quare ijs in rebus, quas ſpiritualis præcipit Magiſter, Angeli munus duntaxat eſſe, eas diſcipulo revocare in mentem, ad eáſque invitare atque allicere. Qua pro ſententia præclarè ſanè facit, quæ religioſæ magiſter ſubtilitatis facilè inter omnes primus, magnus Gregorius docet. Quippe DEUM animadvertit non antè Samueli, quem vocabat, cauſam cur evocaret aperuiſſe, quàm Heli Sacerdos ei poteſtatem audiendi feciſſet; & continuò ſubdit: *Opus namque ſubjecti divinitus inſpiratum, tunc DEO gratum eſſe cognoſcitur, ſi majoris imperio aut permiſſione peragatur. Vocat itaque Dominus, & vocationis cauſam tacet, ut permittente Magiſtro, ſemetipſum vocato ſubjecto inſinuet.* Ajebat præterea Vishaveus, benefacta quæ ab conſilio confeſſarij proficiſcuntur, quaſi tenui velo, ùt fit in liquoribus, percolari, eóque eſſe puriora. Dœmonem pugnare haſtâ, gladio, ſeipſo: haſtâ, cùm quaſi eminus externarum rerum ſpecie objecta ſollicitat: gladio, cùm per corpus noſtrum quaſi cominus nos aggreditur: ſeipſo, cum phantaſiam ipſam invadit, eámque variè movet: & id tertium certamen eſſe graviſſimum: & hôc maximè viros pietati deditos oppugnare; ſanèque eſſe non in ultimis cauſam, cur viros bonos è ſæculo DEUS ad Religionem vocet, ut Magiſtri, quorum hac in pugna inſtitutio rectióque eſt neceſſaria, ſuppetant; quorum ductu, à præſtigijs tacti dœmonum, expeditum in virtutis ſtadio teneant curſum. Hoc in genere fuit, quod ſe expertum refert Ledeſma: Is motus quoſdam interiores ſentiebat, quibus, ùt ſibi videbatur, magnopere ad laudem DEI ac Domini JESU provocabatur; hos Cornelio cùm aperuiſſet, ſubjecit ille: credere ſe eos ſenſus ab dœmonio meridiano eſſe. Quam vocem ità ægrè tulit Ledeſma, ut mortem mallet, quàm ità eſſe. *Atqui* (inquit Vishaveus) *iſta ipſa ægritudo dæmonis prodit veſtigia, indignantis ſuas illuſtrari atque diſſolvi fraudes.* Nec multò pòſt cogitanti ampliùs ea ſuper re Ledeſmæ, ità prorſus eſt viſum. Animadvertit enim eo ſenſu paulatim ſe ad ſpiritum blaſphemiæ pertrahi, atque

atque ad judicandum DEUM esse ingratum, quòd se tot tantáque ejus causâ facientem non ità respiceret, nec audiret, quemadmodum cupiebat. Angores mentis; & (ùt diximus) desolationes, maxima omnium, quæ subire DEI causâ homines queant, cruciamenta nominabat. Tres enim esse malorum, sive injuriarum gradus, facti, dicti, cogitati. Cogitata aliena, quia non lædant, despici à mortalibus: dicta, nempe contumelias ludibriáque, multò duci graviora: facta verò, gravissima, ùt verbera, vulnera, necem. Contraria his DEI famulis evenire. Verberari sui Domini causâ, vulnerari, occidi, levissima videri: Multò sæpe arduum magis maledicta, falsas criminationes, irrisiones bene perpeti: at verò longè difficillimum perferre constanter, quas dœmon injiciat menti angustias; præsertim cum longè abesse Christus Dominus dilectus videtur, ac planè suum famulum abjecisse. Qua de causa, qui ad necem pro Christo ferendam paratus est, haud magnum facere, nisì ad hunc quoque animi cruciatum perferendum sese obduret. Eos tamen, qui nimiùm & inconsideratè, quamvìs rectum ob finem, laborare semper atque torqueri appetunt, non liberales, sed prodigos appellabat. Et eos, qui objecto scrupulo, si fortè inter sacerdotales preces attentio interrupta est, eas à capite repetunt, similiter dicebat facere; atque si quis iter faciens equo, cui insidet, è via aberrante, ad iter repetendum, in eum locum, unde primum profectus sit, redeat. In rebus gerendis si alienæ se cogitationes, sive absurdæ, sive in speciem bonæ ingerant, haud cum ijs anxiè luctandum, sed quasi obstructis auribus, & aversis oculis porrò urgendum pacatè, quod est in manibus opus. Nam si famulus ab hero quopiam missus, dum fortè per forum transit, cum singulis, qui fiunt obvij & interpellant, intersistere, congredi, & conferere manum velit, haud functurum sedulò officio famuli: meliùs facturum, si mandato intentus Domini, nihil laborans, quid alij amici inimicíve dictitent aut moliantur, tacitus, quietúsque pergat. De peccatorum ac vitiorum cognitione sic disserebat: quemadmodum nocte pauca videntur, & magna duntaxat; interdiu verò plura, & minuta quoque; at in radio solis, qui fortè obscuram in domum per rimam permeet, minutissimorum corpusculorum multitudo innumerabilis cernitur. Quod si quis omnia illa ejusmodi corpuscula, quæ circumquaque per aërem volitant, conspiceret, circumfusum se undique & clausum quasi pulvereâ nebulâ videret, cuperétque ex ea quàm primùm educi. Ità quosdam mortalium versari tenebricosa in nocte, qui non nisì pauca quædam, & vastæ molis scelera dispiciunt: quosdam in luce divina, & hos multò plures ac leves etiam videre noxas: quibusdam denique peculiarem Christi JESU, divinique solis affulgere radium, hósque non videre solùm maculas leves, verùm etiam hominum opera, quàm rudia, inania, & imperfecta sint; taliúmque se imbecillitatum atque debilitatum densâ turbâ undique circumvallatos ac pressos. Quare etiam despicere sese, & cupere vehementer ex ea quasi nebula se quàm celerrimè liberari. Talia erant Vishavei monita, quæ non tradebat alijs accuratiùs, quàm in rem ipse, cùm tempus posceret, conferebat.

Ultimum vitæ biennium Laureti ad ædem divæ Matris Nazaretanam egit, maximo suo solatio; nec minore animarum in confessionali, & domesticorum etiam in temporalibus necessitatibus fructu, ut videatur beatissima Mater speciali tum curâ, ob dilectum adeò incolam, Collegio prospicere voluisse. Cùm enim sub ipsum Patris adventum anno 1557. multi domi decumberent ægroti, & rei penuariæ summa esset inopia, Oliverius Manaræus Rector in ea calamitate pauxillum farinæ & saccari, & aliquot ova cùm impetrâsset, ea misit ad honestam fœminam, ut in solamen ægrorum aliquid placentularum conficeret. Hanc opus aggressam filia cum nepte dum adjuvant, mirâ quadam inter laborem succendi pietate (uti juratæ, sumpto etiam ad fidem faciendam SS. Sacramento, testabantur) ac dulcedine impleri cœperunt, sentiréque, massam dum tractant, intrà manus augeri. Indè numerum ingentem bellariorum conficiunt; dúmque postremò reliquias farinæ colligunt, tantundem ferè, quantum missum fuerat reperiunt; ingenti tum suo, tum Rectoris stupore, ubi pro paucis placentulis, quas pro materiæ præbitæ quantitate expectabat, magnum canistrum plenum, ac de farina nihil pene detractum aspexit. Aliàs cùm domi in arca præter quinque panes nihil superesset, & obsonator nihilominus triclinium more consueto in prandium instruxisset, redux invenit mensas omnes, panibus, à consuetis nec magnitudine, nec specie, nec ullâ aliâ re discrepantibus, onustas; cùm tamen conquisitione diligentissimâ constaret, nihil ullius panis à quopiam illatum fuisse. Atq; hanc panum multiplicationem sæpius per id

tempus Collegium experiri contigit: DEIparâ nimirum per Angelos annonam servis suis ministrante, nè inediâ & angustijs conflictarentur, qui maximis laboribus audiendi juvandíque confluentes peregrinos assiduè occupabantur. Demum prostratus in morbum fatalem Cornelius, specietenus ità lenem & benignum, ut vitæ periculum nemo suspicaretur; receptis pijssimè Sacramentis placidè animam efflavit 25. Augusti Anno 1559. oculis à morte mirè exhilaratis & jucundis, colore vivido & rubore suffusis, totâ denique facie, quàm viventis fuerat, lætiore; ut vel indè signa acciperent intuentes vitæ potiùs quàm mortis. Quæ res conceptam priùs de viri sanctitate opinionem vehementer confirmavit auxítque.

Ex Historia Societatis, & Tomo 2. Nierembergij de Viris Illustribus.

P. PASCHASIUS BROETTUS.



POstremus hic natione Picardus, vel juxta alios Belga ex agro Cameracensi, è decem primis Societatis Patriarchis IGNATIO aggregatus est Parisijs, operâ & studio Petri Fabri, Magisterio Theologiæ & Sacerdotio jam insignis, Anno 1536. Sacrâ IGNATII ascesi primùm mense integro exercitus, totum triduum absque omni cibo & potu exegit: ac deinceps peregrinationes omnes, missiones per Italiam cum Socijs pari fervore & industriâ obivit, de quibus aliquoties in gestis reliquorum meminimus. A confirmata Societate jussu Pontificis cum Simone Rodriguez Senas missus, ad reformandam Parthenonis disciplinam vehementer collapsam, quam frustra cum Archi-Episcopo plures alij restituere tentaverant, feliciter reduxit. Concionabantur præterea ibidem festis omnibus, peccata condonabant, rudes Catechesi erudiebant, valetudinaria procurabant, magno civitatis motu & profectu. Sed nullum æquè idoneum ac efficax ad inveteratos consuetudine pravâ mores emendandos fuit remedium, quàm meditationum exercitationes, res ibi ùt nova & inaudita, ità experiendi cupiditate ad pauculos saltèm dies plurimis expetita. Ex his Sacerdos fuit urbis totius scandalum, qui scenicâ levitate notus omnibus, scribebat ingeniosè comœdias ad captandos duntaxat risus, ac semet in theatrum sæpe dabat mimum agens, tantò nequior actor, quantò poëta præstantior. Sed in exercitijs obortâ è cœlo luce pudor redijt, & semetipsum erubuit, odióq; sui rationem excogitavit, quemadmodum & in se superiores castigaret insanias, & offensæ multitudini satisfaceret. Igitur injecto cervicibus fune in frequentissimum venit templum, & suggestu conscenso cœpit à populo verbis ardentissimis, oculis humi dejectis veniam flagitare: quo spectaculo excussit illico multitudini lachrymas, qui risus & cachinnos solebat. Neque hìc stitit vehemens pœnitentis affectus, sed desiderio satisfaciendi pro tot erratis divinæ justitiæ, ad Religionē PP. Cappuccinorum transijt, ubi reliquam vitam in summa asperitate traduxit. Interea evocato Senis, ut in Indiam cum Xaverio mitteretur, Roderico, Paschasio onus totum juvandæ civitatis incubuit; quem tot laboribus unum sufficere non posse videns urbis Archi-Præsul, auxilium ei à S. IGNATIO, magnis Paschasij adjectis laudibus, expetijt. *Ea est, Paschasij,* scribebat, *vitæ integritas, & morum suavitas, ut omnibus gratus jucundúsque sit: & in eo munere, quo hìc fungitur, est adeò vehemens, ut summa sua cum laude oculos omnium in se converterit. Nam verbis hortatur, exemplis juvat, humilitate allicit, charitate ad bene vivendum inflammat.* Verùm in tanta Sociorum paucitate, & operam eorundem è contra expetentium multitudine, diu frui laboribus Paschasij Senensibus non licuit; revocatus enim à Pontifice Romam, & cùm Alphonso Salmerone tanquam Nuncius Apostolicus in Hiberniam missus est Anno 1541. cum amplissima potestate populos illos ab Henrico VIII. Angliæ Rege oppressos, juvandi. In qua missione pedibus Apostolorum more obita, quanta egerit passúsque sit, Lugduni etiam pro exploratore comprehensus, & in vincula conjectus, dicetur in actis Alphonsi Salmeronis.

A reditu ex Hibernia postulatu Episcopi Fulginium destinatus, religiosis fœminarum claustris veterem vivendi regulam Paschasius reddidit: plurimósque Sacerdotes, qui per summam inscitiam sustinere munus id non poterant (vix enim literarum apices nôrant) Grammaticâ tum instituit ipse, tum idoneos præceptores providit. Miro etiam artificio multos ex pellicatu, 12. & ampliùs annorum ad legitimi tori pudorem revocavit. Eo in genere



P. Paſchaſiꝰ Broëttꝰ, Picardꝰ, è primis 10. Sancti Ignatij Socijs, laboribꝰ Apoſtolicis per Italiam et Galliam clariſſimꝰ, plurimos ab Hæreſi, et omni Vitiorum genere, atq; etiam à Dæmone obſeſſos liberavit. Peſtilentiâ extinctꝰ Pariſijs obijt. 14. Sept: 1562. 12.

genere dum alia quædam non vulgaria, divinâ potiùs quàm humanâ gerit ope, ejuſdem Cardinalis rogatu in montem Politianum ſe transferre coactus, pari incolarum utilitate & gaudio munus Apoſtolicum geſſit, in tradenda præſertim quotidie rudi populo catecheſi. Sed & indè 30. dierum ſpatio retractus, Regium Galliæ Ciſalpinæ à Cardinali Carpenſi deſtinatur, ad reſtituendum veteri diſciplinæ, ad quod præcipuâ arte & induſtriâ pollebat, mulierum cœnobium. Quas initio admodum reluctantes expertus, proterviam tamen magnâ ſuavitate pervicit, juſſas die Pentecoſtes, ad impetrandam S. Spiritûs gratiam, preces in odæo peculiares diebus aliquot inſtituere, idem & ſe rogaturum pollicitus. Et verò flexit cœleſte Numen rigidas mentes, & teterrimo pulſo hoſte direxit errantes, ut ab ea oratione obſequentiſſimas illi ſe præberent, & medicamenta avidiſſimè reciperent. Nec parvo id illi ſtetit impendio: ægrotavit enim ex nimia laborum contentione uſque ad mortem: ex qua necdum viribus integrè recreatis Faventiam mittitur, eodem Cardinali rogante, quòd ea civitas mirum in modum cœleſtis egebat opis, & Chriſtiana morum probitas ac ſacrorum æſtimatio magna ex parte conciderat. Nullus pene Sacramentorum vigebat uſus, maledicendi verò, etiam in puerorum ætatulis, creberrimus: infamis concubinatus nè peccatum quidem numerabatur: inimicitiæ ætate diuturniores, à centeſimo anno in poſteris viridiſſimæ hærebant, per totam Provinciam propagatæ, per-

petuas inter rixas, nec paucas cœdes. Nec ab hæresi urbs erat intacta: irrepserant quippe Lutherani ministri & præceptores, Ochinus præsertim, celebre apud hæreticos ab eloquentia nomen, qui pestilente doctrinâ multorum animos ità fascinaverant, ut passim in tabernis officinísque venena Lutheri impunè tractarentur. Paschasius perspectâ civitatis lue, & Faventinorum pertentatis ingenijs, præstantissimum quemque primò & præ ceteris ad pietatem propensum blandissimè privatim alloqui, hortari, ut quoniam ingens miserorum ægrorúmque in urbe esset copia, Sodalitium inter se charitatis instituerent. Quibus consilijs cùm facilè annuerent, leges ipse condidit non tantùm miserorum utilitati, sed etiam Sodalium animis juvandis maximè proficuas; quorum exemplis sensim in urbem totam Sacramentorum frequentatio, & cœlestium æstimatio pervaderet. Progressio operis, ipsâ Paschasij opinione felicior, ubi famam aliquam & opinionem illi peperit, grandiora pro animis ausus, ad explananda publicè Christianæ legis principia se convertit: quæ res, ùt ibi nova atque insolens, sic ætatum est omnium & ordinum celebrata concursu: Quam eandem per hebdomadæ ferias in scholis quadringentis facilè pueris explanans, ità suam quemque docuit castigare & observare linguam, nullius ut ex ore excideret vel juramentum, vel maledictum. Adjecit solennes ad populum festis diebus omnibus conciones, & privatos quotidie domibus singulorum congressus: quibus sensim Faventinorum propè jam desperata religio, demum in integrum renovata est, profligatæ vagæ libidines, restituta moribus sanctimonia, extincta vatiniana odia, ut aliquando post unam Paschasij concionem homines ampliùs centum, principe ex æde, mutuas sibi injurias cœdésque donarent. Nec magni deinde negotij fuit, animi pravitatibus sublatis, pravas etiam mentibus opiniones evellere: hinc quidquid privatim veneni hæretici sparserant, compressum in ipso semine est, & errores ejurati, pulsísque novorum dogmatum propagatoribus, civitas in orthodoxæ religionis sinum integrè revolavit.

His curis adjecit quotidianas scholas de Christiano officio ad Sacerdotes, admodùm ejus opis indigos; sermones speciatim ad fœminas ab infami vitæ genere ad pœnitentiam conversas. Multis etiam locis per Diœcesim à Vicario invisente circumductus, ad ornatum cultúmque sacrorum, & morum correctionem, præclara edidit decreta & leges, quibus introducta semel pietas diu subsisteret: in quibus conatibus biennium propè integrũ Faventiæ consumpsit. Per idem tempus agitare apud Curiam Romanam cœpit Lusitaniæ Rex, de mittendo in Æthiopiam Patriarcha, quem è Societate assumi cupiebat, ad eripiendas è schismate illas nationes: quæ res IGNATIO non improbabatur, scienti infulas has non ad dignitatem & honorem, sed ad labores & ærumnas gravissimas conferri, ideóque cum Patribus, Lainio præsertim & Claudio Jaio, deliberare cœpit, quis ei muneri idoneus maximè è Socijs videretur. Sententia omnium fuit, Paschasium ob singularem morum sanctitatem, magnam experientiam, & corporis dispositionem aptissimum videri: fuissétque omnino à S. Patre Pontifici propositus, si porrò negotium Rex urgere perrexisset. Placet hìc adjicere judicium de eo S. IGNATII, quod Pontifici in ejus commendationem porrecturus erat, servatúrque etiamnum in Tabulario Romæ. *Paschasius ità ante omnia est vir bonus, ut à nobis quasi Angelus in Societate habeatur. Deinde præter scientiam quâ pollet, plurimùm in visendis reformandísque Episcopatibus & Monasterijs habet usûs: quippe qui præter alia, etiam Nuncius Apostolicus in Hybernia versatus est: adeò ut ejusmodi negotia nemo unus è Societate æquè tractârit: ille autem sic tractavit, ut ad quamcunque rem manum admoveret, operam suam mirabiliter probârit: nam & valde naturâ sedulus est, & quoniam adeò se obsessum Episcopalibus & conscientiæ causis videbat, magnam ijs studijs diligentiam & curam semper adhibuit, quæ res maximè in Æthiopia necessaria est, &c.* Interim Faventiâ Bononiam transgressus Paschasius, dum pari conatu, & laboribus nunquam intermissis etiam hìc in urbis emendationem insudat, ex horum assiduitate ità caput obtudit, ut è Cardinalis Sanctacrucij sententia, cui erat à confessionibus, balnea ei fuerint montis Politiani periclitanda. Sed & ibi, nè otiosus à juvando proximo esset, dum aliud non potest, quotquot ad balnei usum venirent, modnm meditandi & contemplandi edocebat, & quosdam ad orandi S. IGNATII præcepta exercebat: quos inter fuêre Cardinalis Sanctacrucij Germanus frater cum conjuge, & tres ejusdem sorores. Bononia reversus, cum renovatis integrè viribus renovare simul curarum impetus cœpit, totúmque ibi annum in suis tractandis armis telísque consumpsit. Fructus præter alios eximius fuit

fuit, virorum & fœminarum per ſacra exercitia ad inſignem & conſpicuam virtutem traductio: ex his enim matronæ facilè 30. ſpretis ſathanæ pompis, inſigni deinceps pietate, & pauperum in noſocomijs curâ civitati præluxerunt. Ut taceam Parochorum & Sacerdotum eodem remedio ad frugem meliorem reditum, quorum nonnulli tantâ erant intemperantiâ, ut lupas ſecum & ſcorta habere non erubeſcerent: ſed piâ orandi conſuetudine effectum eſt, ut à nefaria conſuetudine facili negotio & libenter disjungerentur. Neque paucos hæreſi Lutheranâ infectos peſtilentes errores dedocuit, & ad Eccleſiæ unitatem reduxit: & quidem tanto quotidie pœnitentium ad ſe concurſu, ut in ijs excipiendis partem etiam conſumeret noctis. Adhæc Sacerdotibus quotidie neceſſarias eorum muneri doctrinas, & conſcientiæ caſus explanabat, inimicitias componebat, quas longo tempore aſſiduis conatibus fruſtra alij extinguere tentaverant: Catecheſim pueris & rudibus non Bononiæ tantùm, ſed & vicinis in pagis & oppidis tradebat. Miſſus ſubinde Ferrariam, dum præter cetera aſſiduè adminiſtrata munia, Judex diebus totis ſedet in pœnitentes ac reos, pertinacem è mulieris corpore dœmonem, quem nulli exigere Sacerdotum conatus potuerant, ſolâ imperatâ peccatorum confeſſione fugavit. Conſimilis nequitiæ dœmonem ex alia, quam ſex ſeptémve homines regere ac continere vix poterant, ſacris de more carminibus & exorciſmis abegit.

Anno 1551. Cùm per Italiam Collegia jam non pauca eſſent conſtituta, & quædam nova inchoata, placuit Ignatio tot occupationibus preſſo, vigilias ſuas curáſque dividere, eámque in unam redactam Provinciam Paſchaſij curæ committere, quem etiam primum Italiæ Provincialem nominavit. Quo munere præclarè geſto miſſus in Galliam, reperit Pariſijs latiorem tolerantiæ exercendæ, quàm depromendæ in animis curandis induſtriæ campum. Non tamen intermiſit ad S. Germani præbere aures conſcientiæ onera ponentibus, & multis privatim exercendi ſpiritûs dictata proponere. Dum autem pro Societate ritè à Senatu Galliæ in Regum recipienda, adnitente etiam Cardinali Lotharingo, fruſtra laborat, quid dimicationum non adijt? quibus non convitijs os, etiam apud Epiſcopos & Eccleſiaſticos Senatus, obtulit? ſuâ illâ antiquâ bonitate omnia patienter concoquens & abſorbens. Ubi autem ab Epiſcopo, Privilegijs à Sede Apoſtolica Societati conceſſis (quòd ea juribus Epiſcoporum præjudicantia concedi potuiſſe negaret) offenſo, interdicti ſententia in Socios Pariſienſes promulgata eſt, & ſub anathemate Sacerdotum quævis munia inhibita: Paſchaſius rarâ modeſtiâ, cùm ad Pontificem provocare poſſet, jure ſuo tantiſper cedens, vacandum ſibi publicis Sacerdotum à muneribus cenſuit, privatámque ſolùm in æde S. Germani (quæ Antiſtiti non ſubjicitur) Sacramentorum adminiſtrationem retinendam. Quâ animi ſedati modeſtiâ & æquabilitate, tandem violentiam adverſariorum, juvante Româ Ignatio, fregit, & quinque brevi tempore diverſis per Galliam locis, Collegia fundari obtinuit: tantopere S. Patri ob innocentiſſimam illam mentis ſimplicitatem, quam caſibus retinebat omnibus, dilectus & æſtimatus, ut Angelus ab eo vocari ſoleret. Graviſſima interim poſt ceteras calamitates peſtilentia Pariſios invaſit, quâ ampliùs 80. hominum millia traduntur abſumpta, inque ijs etiam Paſchaſius cum tribus Socijs. Recipientibus namq; ſe ad tutiora Socijs, Paſchaſius quanquam multùm rogatus, domi maluit cum Adjutoribus duobus, veluti ad cuſtodiam remanere. Dum igitur peſtilentiâ domum etiam noſtram invadente, unum è Socijs carbunculo ſaucium ad ſupremum agonem Sacramentis ritè procurat, tactus & ipſe malo, 14. Septemb: Anno 1562. ætatis 55. victima charitatis, ipſo die Exaltatæ S. Crucis cecidit. Vide autem ipſius miram de aliorum ſalute, quàm de ſua, diligentiam. Perpurgatâ ignibus domo, cùm noſter Sacerdos rediiſſet, in cubiculo Paſchaſij ſuper menſa ſchedulam reperit, in qua cum cura admonebat, quid à ſe jam ægro contrectatum, quid ſecùs eſſet, ut caveretur. Erat Paſchaſius vir planè innocens & placidus, ità Societatis amplificandæ, Galliæque per illam juvandæ cupidus, ut ea fuerit cauſa ipſius mortis. Cùm enim initia Collegij contra tot adverſarios ſuſtinere cuperet, ceteris ad ſalubriora loca dimiſſis adduci non potuit, ut ipſe quoque fugâ ſibi conſuleret. Solebat affirmare, 20. annos ſe perſtitiſſe in petenda à DEO humilitate, quam tamen vir humillimus negabat adhuc perfectè ſe conſecutum. Quantopere verò ſuímet contemptu gauderet, patuit quàm maximè in itinere, quod pedes exigebat Billomo Lutetiam, per agrum, in quo demetendis frugibus ad 30. homines opus faciebant. Hi continuò pannoſum conſpicati ſenem ludibrio habere cœperunt, & onerare convitijs. Quem ad verbo-

rum

rum sonitum baculo suo innixus,ut avidis auribus convitia omnia exciperet, constitit Pater, nec gressum movit, quoad illi satietate, partímque pudore finem fecêre. Tum erigens se, placidissimóque vultu messores intuens, manu in crucis formam, bene precantis in modum, erectâ, *DEUS*, inquit, *vobis benignè faciat filij, ac benedicat*. Nec tulêre tam insolitam mansuetudinem quamvis rusticana pectora: circumfusi enim ad pedes, veniam precari, se iniquos conviciatores, illum virum reverâ sanctum prædicare & venerari. Fuit eidem in more itinera omnia pedes agere: cúmque ab Antistite Claromontano adactus quondam esset equum accipere, statim ùt egressus urbe est, eo remisso, viæ reliquum,Apostolorum more, perrexit. Cùm ad diversoria perveniebat, in secretum aliquem locum se abdens, flexis genibus ante omnia Sacerdotale officium tantâ pietate exequebatur, ut vultus ipse ardere videretur. Nec minor erat ardor juvandi proximos: quorum nec audiendis confessionibus, nec habendis pijs sermonibus, nec visendis ægris, sive interdiu sive noctu defatigabatur, totis frequenter diebus,studio ijsdem assistendi, penitus impastus.

Ex Historia Societatis, & Tomo 1. de Viris Illustribus Nierembergij.

P. ANTONIUS DE MADRITO.



Consuetum plerúmque est supremo Numini,mortales ad certos quosdam & sublimes fines disponenti, tales & eo tempore deligere, quo minimè idonei humano judicio videntur. Præpositurus populo suo Regem, qui ab inimicis undique vallatos, & servituti subjectos eriperet, & primus in Rempublicam Monarchicam formaret, Saulem agasonem à cura asinarum, & hujus successorem Davidem ab ovium caulis vocavit. Moysem liberando ab Ægyptiorum tyrannide Israëli non constituit ducem,cùm is in Aula Pharaonis inter Principes versaretur, sed cùm indè profugus & angustijs undique pressus ad pascendas Soceri sui oves redactus est. A simili penitus conditione vocavit DEUS Antonium ad grande munus Apostolicum, & plurimos mortalium ab inferni faucibus eripiendos, natum parentibus pauperrimis, cum quibus,pascendis gregibus, puerilem operam navabat. Verùm DEUS jam tum ejus animo indidit spiritum altiorem, quo incitatus, relictis caulis cum patria & parentibus,se subduxit, copiam alicubi in literas incumbendi quæsiturus. Complutum delatus, operam suam servitio addixit, quo tamen studijs vacare non impediretur, sensímque in ijs eximius supra omnes condiscipulos evasit,arte præsertim metricâ. Salmanticæ deinde altioribus disciplinis excultus, etiam Doctoris in Theologia gradum consecutus est, & cathedram in Collegio S. Bartholomæi, ex qua duplicem Philosophiæ cursum magno plausu docuit. Tum ausus Canonicatum Placentiæ appetere, illum ob singularem doctrinæ existimationem consecuturus erat, nisì factio quædam, æquitatis parũ memor, restitisset: non tamen præter DEI dispositionem, quæ expectatione suâ dejecto,sensim vanitatem rerum humanarum imprimebat. Neq; tamen continuè divino spiritui acquievit, sed veluti crucis Christi fugitans, in magistrale Capellæ Regiæ Collegium adscribi obtinuit Granadæ: ubi DEUS impulsibus tam validis quatere ejus animum ad Societatem amplectendam cœpit, nullam ut partem quietis capere posset, ingenti spiritûs luctâ conscientiam distrahente ob carnis resistentiam, sic ut vigore & solatio omni destitutus, vultu pallidò tristíque incederet, cogitationem ad quævis alia negotia avellere impotens. Exagitabat illum præcipuè vox illa DEI perpetuò auribus cordis insonans, damnandum omnino æternis supplicijs, si Societati adscribi contemneret. Tandem vincente carnem spiritu,vocanti Numini obsecutus, seriò Societatem expetijt, & licèt initio passus aliquam in admissione difficultatem, ob malum phtisicum quo laborabat, & demum eodem extinctus est; receptus tandem nihilominus: ubi primùm vestem tyrocinij induit, tantis à DEO solatijs inundatum se persensit, ut stupore attonitus,miratúsque errorem suum, quo vitam religiosam planè tetricam & horridam credebat, palàm diceret, nullam in universa vita parem huic voluptatem fuisse expertum,prioremque statum speciem habuisse inferni,religiosum autem nunc sibi videri formam quandam cœlestis paradisi.

Nec mora, periclitari virtutem fervidi tyronis cœpit illico Superior,jussítque vestitu curto & lacero indutum, aquam ollâ de fonte in-



P. Antonius de Madrito S. I. Hispanus, in lucrandis DEO animabus ferventissimus; Humilitatis, et afflictationum corporis studiosissimus. Obijt Compluti A.° 1563 Ætat: circiter 45. 12. Januarij.

13.

in foro publico afferre: ille mandatum cœcâ obedientiâ executus, prodijt in publicas Granatæ plateas, ubi erat notissimus, summéque æstimatus, accurrentibus ad inusitatum spectaculum Viri, paulò antè cum famulorum comitatu incedere soliti, nunc verò despicabili formâ instar mediastini aquam in publico haurientis, undique civibus, & alijs mente captum, sanctum alijs Doctorem appellantibus. Fuítque hic triumphati generosè mundani honoris actus in tyrone DEI servo tam efficax, ut nullo deinceps hominum respectu in ministerijs suis & Apostolicis laboribus titillaretur, nullam unquam repugnantiam ad ejusmodi heroicos sui despectus captandos expertus. Donum præterea excellentissimum à DEO consecutus est prædicandi divinum verbum, dicebátque etiamnum tyro ad populum in templis & plateis tantâ energiâ & spiritûs efficaciâ, ut columnas ab eo concuti, & petras scindi affirmarent auditores. Multas eâ vi dicendi è prostibulis suis extraxit mulierculas, & pudicitiæ restituit: atque ad eleemosynas talibus jam pœnitentibus in sustentationem contribuendas auditores aliquando exhortatus, tantum zelo ardenti profecit, ut 40. cives descendenti ex pulpito se stiterint paratos, singuli ad singulas sumptibus suis domi alendas. Peracto inter. continuum sui affligendi & deprimendi studium Novitiatu, totum se animarum saluti impendit, fuítque omnis illius occupatio prædicare Christum JESUM crucifixum, non minùs verbo quàm exemplo; sectando interim ubique sui

ſui humiliandi, vincendi & mortificandi occaſiones, licèt virium & valetudinis eſſet imbecillæ, à qua tamen plurimùm efficaciæ derivabatur in ſuos ſermones, qui nunquam expertes fuêre lachrymarum, copiosè inter dicendum per genas perorantis decurrentium, quoties præſertim thema dicentis erat Chriſti patientis tormenta. A concione pro pœnitentiæ tribunali conſidens, expiabat quotquot ex auditoribus ſuis peccata confiteri vellent, qui non rarò fuêre ad unum omnes. Atque his laboribus præcipuas quaſque Hiſpaniæ urbes percoluit, Cordubam, Valliſoletum, Salmanticam, Hiſpalim, Complutum, multis millibus animarum Orco ereptis, & clauſtris religioſis, magno numero concionibus ſuis ad DEI obſequium perſuaſorum, impletis. Ejus dicentis ardor & ſpiritus tam altè populi animis erat infixus, ut illius ſolus aſpectus, dum pulpitum conſcenderet, gemitus & lachrymas auditorio excîret, intuenti vultum phtiſi exhauſtum, oculos in lachrymis natantes, ſpeciem totam ad devotionem & compunctionem compoſitam. Quoties autem nominandum peccatum mortale incidebat, quæ frequentiſſima concionum ejus fuit materia, efferebat id tam ſacro horrore, tanto pondere, & ità notabili averſione, ut omnium animi horrore concuterentur, petris duriora pectora ſcinderentur, & terrore quantumvis inveterati peccatores percellerentur: quod longè magis accidebat, cùm dictioni ordinariè precationem ad Chriſtum ardentiſſimam ſubjiceret, cujus cruci affixi imaginem brachijs amplexam tollebat in altum, tunc maximè, cùm viribus & voce defectus progredi ultrà non poterat, (unde dicendo mediam horam nunquam excedebat) omnes enim in ſingultus & fletum effundebantur, cùm viderent ardore dicendi laſſum in pulpito concidere, neque ultrà procedere valere.

Neque prodigio abſimile fuit his, quibus extra Societatem notus erat; quòd, cùm gratiâ tunc dicendi nullâ polleret, tantóque auditori conciones ipſius tædio fuiſſent & nauſeæ, ut ſenſim ab eo audiendo omnes dilaberentur: poſt ingreſſum tamen religionis, extraordinario prorſus talento dicendi præditus apparebat, ut deſertis alijs Oratoribus certatim omnes ad eum audiendum, aut ſaltèm in cathedra videndum accurrerent. Vis tamen maxima Spiritûs ſancti in eo notabatur, quoties ad perditas mulierculas ſermonem habebat, quarum aliquando in concione 40. præſentes, omnes pedibus ejus accidêre, ſcelera ſua deflentes, maximâ omnium admiratione; atque ab eo honoratis perſonis commendatæ, dum honeſtis nuptijs, aut in alio congruente ſtatu elocarentur. Aliàs feriâ tertiâ Bacchanalium ingenti dolore tabeſcens ſuper graviſſimis ſceleribus, quæ his diebus à mortalibus committerentur, incitari ſe vehementer ſenſit ad eadem vel ad unam horam impedienda. Ergo Rectoris permiſſu in urbem Compluti egreſſus, rectà proſtibulorum receptacula, toto vultu & pectore inflammatus petit, tantúmque ſuaſionibus ſuis & lachrymis ſpatio horæ quadrantis apud illa dæmonis mancipia profeçit, ut omnes infami vitæ remiſſo nuncio in poteſtate Patris ſe futuras conclamarent, incredibili urbis attonitæ ſtupore, cujus cives certatim eas ſibi ſuſtentandas popoſcerunt. Pater verò gaudij vix compos, de triumphato tali die dæmone victor domum repetijt. Atque ejuſmodi impulſibus ſæpiſſimè divinitus agebatur Pater ad diverſa loca & perſonas adeundas, quas in peccatis obſtinatè hærere DEUS illi revelabat, pari ſemper eventu, & ipſarum ad meliora converſione. Evocatus aliquando peregrè ad confeſſionem præcipuæ Marchioniſſæ audiendam, cùm ad certum in via diverſorium perventum eſt, nullâ apparente causâ mulo deſcendit, mirantéſque famulos, qui ad ſe deducendum miſſi fuerant, ad dandum jumentis pabulum coëgit. Diverſorium ingreſſus, propè januam, quà omnium tranſitus erat, conſidens, totus in lachrymas & ſingultus magnâ omnium admiratione diſſolvi cœpit; ſiquidem nulla horum cauſa cuiquam apparebat. Cognovit interim divinitus Pater aliquot iſtic mulierculas agere, de queſtu corporis vivere aſſuetas, à quibus cauſam tanti doloris rogatus, *veſtra*, reſpondit, *ſcelera deploro, quæ inferno animas veſtras æternùm addicere properatis!* perrexítque eò ampliùs fletibus indulgere. Tantus autem indè metus in cordibus perditarum extitit, ut ipſæ longè magìs ad libidines ſuas deplorandas compunctæ, remedium à Patre ſuggeſtum, ſummâ conſtantiâ acceptârint: comites autem viæ, animadverſo tam mirabili eventu, cognoverunt mulierculárum perditum ſtatum cœlitus ei revelatum fuiſſe, ejúſque rei admiratione totam Marchionis aulam impleverunt. Cùm aliquando pro concione petiſſet ab auditoribus pro conſtitutis in peccato lethali eleemoſynæ & precum ſuffragia, duo primæ nobilitatis tum præſentes, vitio carnis, publico omnium ſcandalo, obſtinatè dediti, continuè

ejectis

ejectis concubinis vitam continentem vixerunt, ut optimo exemplo civitati deinceps fuerint. Alius ex simili nobilitate capitales diu gerens hostilitates, in necem adversarij cœcus jam ruebat; cùm in transitu propè Ecclesiam, in qua Pater concionem habebat, curiosè eundem auditurus intravit. Divino autem penitus instinctu Pater de inimicorum amore dicere aggressus, animum ejus ità concussit, ut odijs omnibus, quæ cum pluribus exercebat, positis, Patri supplex acciderit, séque in ejus futurum potestate, quidquid fieri jussisset, spoponderit.

Hi tam rari concionum ipsius successus, & vis divina pervellendi intimè corda peccatorum, generabat in ejus animo summam quandam confusionem, & delictorum suorum erubescentiam, quæ cùm illi ob oculos continuè versarentur, æstimabat illa nunquam congruè & sufficienter à se deplorari, ideóque Auditorum preces ad impetrandam illorum apud DEUM veniam assiduè exposcebat. Ex quo sui rubore nascebatur in eo profundissima quædam & sincerissima humilitas, quâ se omnibus in mundo deteriorem æstimabat, cupiebátque ab omnibus eo loco haberi, contemni, opprobrijs & injurijs affici: quod obtineri non posse videns, hostis ipse sibi factus, nullam sui affligendi & persequendi occasionem & praxim intermisit, vel ullam diem absque ea elabi passus est. Ad vilem de se opinionem ingenerandam solebat aliquamdiu omissis consultò idoneis ad materiam conceptibus, absona quædam, & minimè ad propositum facientia concionibus inspergere, quoad Superiores rem assecuti inhibuerunt. Aquâ ad lavandum asperrimâ hyeme utebatur gelidâ, perinde atque altâ æstate, quâ etiam partes corporis maximè sensitivas mergebat, & à cervice in collum & dorsum infundebat. Diligenter evitabat omne id, ex quo auctoritas ipsi & fama accrescere posset, in colloquis uti solitus verbis paganis more rudium, agrestes & rusticos mores simulans, quasi non satis foret animi compos, ídque maximè in congressibus eorum, quibus non erat notus & familiaris. Vestitus illi constanter fuit detritus & vilis, tanquam domesticorum postremo: conversatio & colloquium domesticum semper cum LaicisCoadjutoribus: patientia in doloribus & molestijs ex phtisi inconcussa, pro quibus tanquam certæ DEI beneficentiæ muneribus, assiduas gratias referebat; prout patuit ex responso familiari Sacerdoti, asthmati ejus & tussi condolenti, reddito; *mi Pater, minimè assequi videris, quantus thesaurus in hac ægritudine sit reconditus, & lucra meritorum quæ mihi confert!* Pulpitum ascensurus, acri priùs semper flagello in se sæviebat, præter ordinarias suas flagellationes, & singulis hebdomadis publicè in triclinio à se obiri solitas: quibus tandem à superioribus intuitu debilium ejus virium interdictis, institit tamen importunè, etiam apud S. Borgiam, Commissarium tunc Societatis per Hispanias Generalem, id ut sibi liceret: cui postulato respondit Sanctus verbis, lenitatem & moderationem Superiorum Societatis luculentè declarantibus: *id quod à me postulas, ut liceat spatio saltem unius Miserere concioni habendæ flagellatione corporis animum præparare, nimis multum mihi videtur, suffecturi videntur flagelli quindecim ictus; de quo ipso audiendi erunt Superiores, ne vires animarum saluti tantoperè necessariæ prosternantur. Publicam tui in triclinio quothebdomadis diverberationem obire poteris, sed nonnisi super vestem, quâ indutus incedis; quindecim illæ disciplinæ verbera non minùs accepta erunt DEO, quàm si plura fierent spatio Miserere, cùm sancta obedientia ità præscribat.*

Septem duntaxat decurrêre Patri Antonio in vita religiosa anni, quibus tamen plura egit, quàm alij septuagenarij Religiosi. Ultimas ejus conciones excepit Complutum, quo anno 1562. missus dixit ad mortem usque, eo animorum profectu, in literatis præcipuè, quem declarabat tot lectissimorum adolescẽtum in diversas Religiones ingressus. Ab ultimo sermone, quem incredibili omnium motu habuit, ut diceretur Angelus non homo fuisse locutus, veluti cygnus morti suæ præcinens, inter brachia deportari in cubiculum debuit, prævalente tabe phtisis: ubi ardente febri oppressus, & periculum vitæ conjectans, timore magno ad supremam reddendæ rationis horam se comparare cœpit, precésque & sacrificia domesticorum & aliorum invisentium postulans, omnia pro suis peccatis fieri rogabat. At ubi Medicus apertè certum vitæ discrimen annunciavit, incredibili solatio persusus, majore deinceps quiete & malaciâ omnium admiratione fruitus est, quàm unquam aliàs. A receptis SS. Sacramentis, cùm noctem illam apud se pervigilem transfigere vellent quidam Patres, negavit illâ se moriturum, sed eos in tempore de exitu suo moniturum. Quibus præter unum digressis, unus occultè, nè adverteretur, subsistens observavit, ad Crucifixum, qui propè

lectum erat, conversum, inter cetera dixisse : *Domine, migrare equidem vellem, sed meliùs jam mihi esse nunciant : tu de me id consule, quod in tuum majus obsequium cedit.* Die altero cùm matutinis horis situi mutando moveri petijsset, & Infirmarius candelam ardentem eo articulo fidelium manibus inseri solitam, offerret, negavit tempus adesse : sed unâ horâ pòst Patres convocari ad transitum suum DEO commendandum jussit ; qui cùm frequentes lectulum stipâssent, & sensibus omnibus destitutum, etiam animam egisse jam crederent, quòd nullum percontantibus responsum vel annutum daret, ipse repentè in verba solutus, ardentissimum ad divinas tres Personas alloquium exorsus est, voce tam forti & integrâ, quàm unquam valentissimum perorare audierant, affectu tenerrimo, quali pectus illius semper exundabat. Tum valere omnibus jussis, accepto in manus Christi cruci affixi simulachro, cum lachrymis precatus est, *Agnus DEI qui tollis peccata mundi, etiam hujus scelerati peccata tolle*; Et subjectis ad DEIparam illis Ecclesiæ verbis, *MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe*, animam placidissimè exhalavit, Anno 1563. 12. Januarij, ætatis circiter 45. Populum casus vehementer perculit, vulgóque pœnam ab irato DEO inflictam ob sua scelera interpretabantur, quòd is Vir sibi esset ereptus. Ad exequias concursus maximus fuit, passímque sanctum appellantium voces audiebantur; mansítque ejus memoria tam omnibus jucunda, ejúsq; ponderis, ut inter sacras conciones dicta illius & facta nominatim, instar summæ auctoritatis afferrentur.

Solebat is animum suum ad fervorem excitans, à tepore & superflua valetudinis cura diversis sententijs, veluti quibusdam tesseris avocare, inter quas præcipuæ erant : *nè erres stultè laborator, quasi unius jacturam temporis sarcire alio possis ! non enim ad delenda perfectè hujus diei peccata est satìs hic dies. Bene quidam Sapientum monet, non vivitur unus dies bene, nisi tanquam ultimus vivitur. Quid est quamobrem vitam expetis? nempe peccata ut vindices, strenuè ut labores, ut in DEI te laudem atque servitium impendas; atqui ecce vita suppetit, quid ultrà quæris? præstò est quod optas; an alterius erit conditionis id quod præstoláris? nunc te, nunc ad pœnitentiam erige, morere tibi: stude tuimet cognitioni, perpetua DEI laus vita tua sit, ora sinè intermissione: orationis tempore sic utere, quasi cœlesti pane ad animi nutrimentum.* His aliísque hujusmodi vocibus assiduè castigans ac stimulans se, addebat currenti calcaria, totúsque ardens, nec locum torpori relinquens, quemadmodum Valderavanus Provincialis ad Lainium scribens appellat: *carbo videbatur ignitus, qui & domesticos & alienos divini amoris igne succenderet.*

Ex Historia Societatis & Tomo 1. Nierembergij de Viris Illustribus.

P. PETRUS MARTINIUS cum Socijs circiter 30.



Ucronij Urbe Castellæ Anno 1564. invalescente lue, initio plurimi plebejorum destituti jacebant, nondum clarè comperto, pestilentiæ malum esse, quos Patres nostri ad Nosocomia conferebant, ibíque corporibus simul eorum atque animis medebantur. Cognitâ dein apertè contagione, cùm locupletissimi quique Urbem desererent, Martinius Collegij Rector bonam pecuniæ summam à migrantibus corrogavit, necessitatibus inopum remanentium, quos prævidebat fame simul cum lue colluctaturos. Verebantur initio peste attacti ad se Patres accersere, nè eos inficerent : quod Rector animadvertens, luce sacrâ DEIparæ Elisabetham salutantis conscenso pulpito, concionem mœstam discessu ab Urbe præcipuarum, cum potiore Clero, Familiarum, solari instituit, jussítque fidenter quemlibet è Collegij Socijs, quorum tres Sacerdotes & totidem fratres incolebant, in casum quemlibet evocare. Exinde vicatim ipse ac ceteri Sacerdotes Urbem obire, nè quis Sacramentorum expers decederet : Fratres verò stipem & corporis nutrimenta, atque obsequia omnia indigentibus exhibere. Præmium operæ fuit, concupita mors omnium trium Sacerdotum, & unius è fratrum numero, non sinè remanentium invidia, quorum alter bis, alter semel ex pestilentia consurgens, idem munus cum unico Sacerdote Ecclesiastico superstite, miseræ civitati præstare pergebat. Erat Martinius ex oppido Castellæ



P. Petrus Martinius Hiſpanus, ingenti naturæ violentiâ Societatem amplexus; ſed in eâ maximâ animi pace, et animarum zelo verſatus: Charitati peſtiferis exhibitæ immoritur Lucronij Anno 1564. ejus exemplum et mortem ſecuti alij circiter 30. Socij.

14.

læ Ribafreea, Vir acri pollens ingénio, pietati & orationi, potiſſimùm quæ mente decurritur, mirè addictus. Hic emenſo Philoſophiæ docendæ curriculo, interiore inſtinctu ad Societatem ſe impelli ſentiens, atrociſſimam in ea deliberatione expertus eſt luctam, ſic perſuaſum habens, Societatem ſibi pro gehenna fore; tantus erat refugientis ab ejus Inſtitutis horror! Indè verò manifeſtis adeò incitabatur vocantis DEI argumentis, ut tandem inter mortales luctas decreverit, ſatiùs eſſe infernum illum ſubire, quàm DEO fieri contumacem. Igitur ſub Annum 1556. poſtquam Archi-Epiſcopo Granatenſi, cui erat conſobrinus, ſummè annuente, ad Societatem cum uno è ſuis in Philoſophia diſcipulis tranſijt, mirum quantum ſuâ ſe falſum opinione deprehendit. Profitebatur enim, ſi DEUS optionem daret deligendi, imò & fingendi cogitatione ad ſuum arbitrium vitæ mortalis genus aut locum, eúmque ex univerſa rerum natura ſive in terra, ſive in cœlo combinandi, nè punctum quidem temporis alibi, quàm in Societate futurum. Omnem ſuam Chriſtianæ Philoſophiæ ex prolixo meditationum ſtudio collectam ſapientiam, in qua ſe Magiſtrum credebat, tenebras appellabat, in quibus ad cœptum uſque Societatis Tyrocinium iter veræ ſapientiæ cœco pede tenuiſſet; in hac autem clarum quendam ſibi obortum diem, repertámque virtutis exercitationem in ordinem & modum, & quaſi artem redactam. Cujus divino lumine utens, ità in ſui deſpicientia proficiebat, ut infra hominem

minem haberi vellet: solebatque dicere, cùm ad id temporis DEUM inter pulchras mente conceptas imagines, subliméſque contemplationes investigâſſet, jam demum comperiſſe, inveniri aliter haud poſſe, quàm ſi quis, id quod de ſe ait Pſalmiſta, fieret *ùt jumentum*. Supremum ad agonem ungendo, cùm ſacrum domi non adeſſet oleum, ídque Sacerdos Clericus Abecia nomine, è Principe templo afferret, próque ea, quâ Patrem amabat charitate, in lachrymas mœroris erumperet: *quid eſt*, rogat Pater, *quod fles? ſi nôſſes felicitatem, quâ propediem copulandi ſumus, profectò lachrymis abſtineres.* Sub hæc, mœſtitiâ totius Urbis, publicis exequijs, feretro undique floribus inſperſo decoratur, & utì prædixerat, triduo pòſt Abecia præeuntem in cœlum conſequitur.

Eandem charitatis palmam, adepti ſunt ab obſequio peſtiferorum per ea tempora ab Anno 1558. in Hiſpania demortui: P. Bernardus Geſti Collegij Rector Barcinonæ, cum omnibus, ſi unum fratrem excipias, domeſticis. Valentiæ, Jacobus Saravia, & Martinus Gaona Coadjutores. Murciæ P. Marcellus Salazar, P. Marcus Fontana, P. Gaſpar Lopez, & Petrus Cabrera. Gandiæ, P. Joannes Spina, P. Jacobus Garin, Joannes Foraxia, Michaël Bielſa. Cæſar-Auguſtæ, P. Joannes Fernandius, P. Joannes Garcias, P. Joannes Moxica, P. Alphonſus Lozanus, Jacobus Torrezilla, Jacobus Diaz, Antonius Aſſentius. Pater item Oriſcius, & duo Coadjutores. Hiſpali denique P. Alphonſus Velaſcus, qui ſub auditam peſtilentis homologeſim, cùm ad curandam miſeri ſalutem etiam ulceri manum appoſuiſſet, continuò ictus, intrà diem quartum deceſſit.

Ex victimis Charitatis Alegambe.

P. ANTONIUS MARTINEZ.

IN multarum animarum ſalutem natus factúſque videri poteſt P. Antonius, earum præſertim, quæ dœmonis fraudibus magìs irretitæ, in evidentiori ſalutis diſcrimine verſabantur. Lucem quam in Hiſpania primam accepit, eidem cumulatè in multis ſuis indigenis meliorem reſtituit, in Provincia Caſtellæ veteris ſaluberrimè operando, præcipuè cum Rector præeſſet Oviedi: neque enim contentus ſuam privatim operam offerre omnibus, diviſis latè per viciniam Socijs, ardore ſuo in munus Apoſtolicum vehementer accenſis, utiliſſimas miſſiones inſtituit. Indè miſſus ad Collegium S. Jacobi, rarum in paucis eventum habuit in homine peregrino, aliùnde ad Divi Apoſtoli ſepulchrum venerandum fortè advenæ; nam toto octennio Sacramentorum percipiendorum avidiſſimus, illis tamen perfrui, dœmone pertinaciter impediente, nequibat. Spectabilem hic ſæpius illi ſe offerebat, & obicem à ſe poni, quò minùs divina myſteria perciperet, fatebatur; DEO ità, ad probandam hominis ſeu fidem, ſeu patientiam, permittente. Elapſis jam octo annis, ſenſit interiùs animum incitari, ad Collegium Societatis confeſſionis causâ adeundum: cui obſecutus, in angulo atrij diu prope januam vultu dejecto, triſtitiâ penitus abſorptus hæſit, nemini cur adeſſet indicare auſus: donec illum in tranſitu conſpicatus Antonius, multámque in oculis conſcientiæ perplexitatem legens, quæſivit, num peccata confiteri vellet? perlibenter verò id ſe facturum reſpondit miſer, eáque ſola de cauſa veniſſe, paratum opperiri quouſque Patri placeret, dummodo Sacerdos reperiretur, qui aures ſibi dare vellet confeſſuro peccata, quæ horrorem & ſtuporem audituro eſſent allatura. Hìc Pater magnâ amoris & promptitudinis ſignificatione, ultro ſe ad excipiendum pœnitentem obtulit, nihil tam atrox & enorme dici poſſe confirmans, cujus remiſſionem conſequi nequiret, dummodo ſincerè & integrè omnia recenſere in animum inducat. Ergo priuſquàm homologeſim exordiretur, infelix, ante omnia recenſuit, *octo anni ſunt*, inquiens, *quòd à certo loco & civitate peregrinus diſceſſi, viámque legens in alium itidem ignotum peregrinum incidi, qui poſt multa alia de Religione & Lege, quámnam ſequerer, ex me ſciſcitatus eſt; cúmque reſpondiſſem, me Chriſtianum eſſe, omniáque quæ Fides Catholica credenda proponeret, firmiter admittere: denuo quæſivit, cui bono coronam precatoriam de cingulo circumferrem? & quid in conſecrata Hoſtia adorarem? reſpondi ad ſingula quod res erat. Tum ille, quid*, inquit, *mihi daturus es, ſi viam te legitimam & rectam ad ſalutem docuero? erras enim nimiopere, & omnes tecum Catholici. Ego his exterritus, & ſiniſtra omnia de homine ſuſpicatus, conabar me ab ejus ſocietate ſeparare; ſed fruſtra omnino, illo pertinaciter, quemcunque*



P. Antonius Martinez Soc. Iesu Hispanus; Dæmonum pellendis fascinis, et inveteratis peccatorib. convertendis à Deo destinatus. Vitam in obsequio pestiferorum amisit Lucronij 17 Iulij A° 1564.
15.

cunque inirem callem, adhærente, & materiam sermonum aliam inferentem, ad idem semper retrahente. Tandem disertè intulit, à DEO se missum, ut veritatem me edoceret; cœpitque Fidei articulos ex ordine impugnare, spondens fore, si animum inclinarem ad Religionem Catholicam deserendam, ut DEUS per me miracula operaretur. Hæsi ad hæc, fateor, dubius, & in Fide nutare cœpi: ille autem me secum abstractum duxit per loca infidelium Maurorum & hæreticorum: è quibus multos postea deprehensos Pater in S. Inquisitionis tribunali debitis supplicijs vidit affici. *Ego verò*, pergebat idem recensere, *ad mentem subinde redux, denuo conatus sum ab homine me expedire, sumque professus, singula à me credi, quæ Fides Romana doceret. Non ità fiet; subjecit personatus è Tartaro genius, ego enim in te operari volo miracula, quorum primum erit, ut intra octo annos nullum Sacramentum, estò velles, percipere possis. Et perlibenter integrè te veritatem edocerem, nisi ijs quæ penes te habes pessima amuleta, impedirer.* hæc autem erant; Crucifixus & Rosarium. Inde ad diversorium quoddam deductum, ad potum, cui priùs pulverem aliquem indiderat, coëgit; ex quo is deinceps effectus secutus est, quòd sumptus cibus & potus non stomachum, sed nares, cum periculo suffocationis peteret, ut idcirco totum octennium sacrâ Mensâ abstinere miser cogeretur. Et licèt diversis Confessarijs calamitatem suam aperiens remedium quæsivisset, omnibus tamen grave in eo scandalum & aversionem passis; rejectus est; ut

idcir-

idcirco ſe à DEO penitus reprobatum credens, parum à deſperatione abfuerit. Atque hoc alterum fuit prodigium, quod in eo exhibendum dæmon prædixit, ut omnibus eſſet horrori, ſcandalo, & formidini. Multas adhibuit pœnitentias & preces, ut DEUM ad ſolvendum faſcinum conciliaret. Tentavit aliquando citra præviam confeſſionem(quòd nemo audire pœnitentem vellet) Euchariſtiam percipere; ſed dum vicinior aræ accedit, omnia candelabra ab altari in ſolum decidêre, ipsúmque templi tabulatum contremiſcens ruinam minabatur. Magnâ igitur animi contritione peccata deinceps enumerantem, Pater ab illis, unâque à faſcino penitus ſolvit, & ad ſumendam Euchariſtiam ipſe deduxit: quâ multis cum lachrymis perceptâ, verſus adPatrem peregrinus DEO plenus, ejus nomine ſignificavit, gratum id DEO obſequium in ſui à dœmone liberatione accidiſſe; ideóque DEUM ad multos è barathro gravium ſcelerum eripiendos, & plurimos pauperes ac deſtitutos adjuvandos, ejus operâ uſurum eſſe: cujus vaticinij ab ore pauperis veritatem, Pater deinceps ex varijs eventibus abundè comperit, dum varias indefeſſus miſſiones conſtanter obiret.

In his aliquando in pauperem incidit ſuper ſterquilinio animam agentem, per 40. annos nunquam legitimâ confeſſione expiatum, reperítq; ultimâ de ſalutis deſperatione plenum, & horrendis dœmonum larvis circumſeptum, quæ tamen ad Patris acceſſum ſubitò receſſerunt. Dum verò Pater illum ad confeſſionem hortaretur, vidit mendicus lateri ejus juvenem gravi & ſpecioſâ formâ adſtantem, qui idipſum ſummopere ſuadebat. Itaque exorſus multis lachrymis, cùm ſubinde in clamoſas voces erumperet, iterúmque voce interruptâ hæſitaret; monuit Pater, ut ſubmiſsâ voce loqueretur, cui moribundus, vocem ſibi à dœmonibus, tantùm non præfocato gutture, intercipi dixit, atque minas, cum exprobratione tot ſcelerum eminus intentari, ſi ea aperiret. Finijt nihilominus conſtanter confeſſionem, & perceptâ ſacramentali abſolutione, vitam ſimul continuè abſolvit. Aliàs iter per expeditiones ſuas Apoſtolicas agens, amiſsâ viâ alioquin ſibi notiſſimâ, in ſemitam declinavit, deductúſque eſt in avia montium & vallium; donec diu per noctis tenebras exerrans in caſam incidit, ubi ſpiritum trahebat extremum mulier è fluxu ſanguinis, ab octo diebus inſtanter DEUM precata, ne abſque confeſſione vitâ excederet. Aderat & alia perſona, peccata quædam nulli hactenus Sacerdoti per nefarium ſacrilegium confeſſa. Igitur poſt utramque legitimè expiatam, gratus agnovit ſingularem DEI circa ſuos prædeſtinatos providentiam, à qua, nec cogitans, per inviſos errores eò deductus fuiſſet. Atque hujuſmodi plurimi caſus illi evenerunt, per ſimiles eventus, quem ipſe expertus erat, ejus occaſione ad Societatem complectendam impulſus. Nam morbi violentiâ in ætate juvenili ad ſuprema deductus, poſteaquam votum emiſit Societatis, ſi convaleſceret, ineundæ, extemplò vires cum plena valetudine recepit: atque idcirco expertus ipſe agonis mortalis anguſtias, libenter præ alijs, luctantibus cum morte, opitulari amavit. Solenne inter reliqua fuit P. Antonio, omnibus locis, quibus operam Euangelicam impenderet, ſuadere cultum & fiduciam in Virginem DEI Parentem: igitur cùm integrum aliquando pagum induxiſſet, ad dicendum Virgini deinceps Roſarium, viſa eſt per eos dies ingens fax ante illius imaginem collucere, quâ P. Antonij Parthenium zelum indicari DEUS ſignificavit, quo Virgineum honorem illuſtraret, & conſpicuum magìs redderet.

Revocatus ſubinde ad gubernationem Collegij Lucronienſis, anno 1564. cùm peſtilentia repentè urbem invadens acerbiſſimè graſſaretur, & civium potentiores quique velut ab incendio fugâ ſe proriperent; Pater conſcenſo pulpito, magnâ charitate ſolari conatus eſt reliquos, quò ſe ab infortunio reciperent, ignaros: ſecuros unâ eſſe jubens, neminem è ſuis (quorum tūc ſeni Collegium incolebant) civitate exceſſuros, ut diu noctúque promptâ operâ adeſſent peſte contactis: atque adeò in magna felicitate repoſituros, ſi tam ſancto obſequio immori concederetur. Móxque labori admotâ manu concurſare ſinguli plateas, peſtiferos in domibus ſcrutari, adeſſe animis & corporibus omni ope juvandis: cúmque multos reperirent pauperes malo proſtratos, fame magìs quàm peſte interire, quòd ditiores ab urbe annonam ſecum unâ aveherent; egit efficaci zelo Antonius cum Magiſtratu, effecítque, ne quid commeatûs efferri permitteretur; claves quin adeò à publico granario in poteſtatem accepit, unde quâvis occurrente neceſſitate, quantum ſublevandis egenis opus foret, petere poſſet. Ità multis in vita, Patrum induſtriâ charitate ſervatis, omnibus verò, quos peſtilentia mali ſuperaverat, ritè ad æternitatem paratis, remittente

tente jam æstu contagionis, Rector subitò veneno afflatur, dum Juvenis eodem infecti confessionem excipit; & quidem tam violento, ut solos sex dies viveret superstes, quibus mira quædam circa illum evenêre. Nam cùm festinari urgerent Medici Extremam Unctionem, negavit ejus adhuc necessitatem adesse, sed in tempore à se expetitum iri: septimóq; die illucescente petijt solus relinqui, & duas circiter horas ardentissimis cum Christo & Cœlitibus colloquijs in oratione transegit. Tum evocatum F. Joannem Sanchez, qui unus è Socijs mortem evaserat, & ægro tum deserviebat, extemplò Sacerdotem pro Extrema Unctione accersere jussit: adfuitque mox ex Ecclesiasticis Antonio addictissimus Sacerdos P. Abecia, qui cùm moribundum reperisset Crucifixo manus armatum, oculis in cœlum levatis toto vultu ad superna aspirantem, adeò commotus est, ut lachrymis in singultus desinentibus prosequi unctionem nullatenus posset. Illum proinde erecturus Antonius, ingenti collecto spiritu in hæc verba affatus est: *quid est, quod tantum ploras Abecia? si scires felicitatem, quæ me tecum unà præstolatur, certè nequaquam fleres!* simúlq; oculos tuendo Crucifixo restituit. Absolutâ subinde unctione, inter ardentissimos charitatis actus, & Crucifixi amplexus, paulò pòst felicem animam DEO Antonius reddidit 17. Julij Anno 1564. Mirum etiam omnibus visum est, faciem in mortuo longè amæniore formâ conserenâsse, quàm unquam in vivente apparuerit. Sepultus est totius Cleri, omniúmque Sodalitatum, qui superfuerant magno dolore & concursu: quem tertio post die, simili malo extinctus Abecia secutus est, ut ad fruendum eâdem felicitate, quam Antonius utrique prædixerat, perveniret. Multò etiam his plura referuntur vatidico ab Antonio spiritu prædicta, quæ singula suum designato tempore eventum consecuta sunt.

Ex Nierembergij Tomo 1. de Viris Illustribus, & Ludovico de Valdivia.

P. JACOBUS LAINES.



Pater Jacobus Laines tertius S. IGNATII in moliendo Religioso Ordine Socius, natus Almazani in Hispaniæ Regno Castellæ Anno 1512. honestæ & lautæ fortunæ Parentibus, in ipsa infantia à morte penè prodigiosè emersit, cùm Matre animi gratiâ Segontiam profectâ, lapsum in flumen cum infantis gerula jumentum, utrumque in aquas effudit. Et infans quidem secundo flumine rapiebatur in interitum, nisì avunculus viæ comes equo calcaribus adacto fascijs arreptum extraxisset, alterum velut Moysen, multis è captivitate dœmonis Ægyptiaca educendis futurum Salvatorem. Latinitate imbutus Segontiæ, Philosophiam Compluti audivit, in eadem Magisterij Laureâ publicè donatus: jam tum in egenos adeò beneficus, ut plus inopiæ alienæ sublevandæ, quàm victui quotidiano expensum tulisse, rationibus subductis compertum sit. Indè Parisios cùm discendi gratiâ, tum IGNATII videndi, cujus ingens Compluti fama vigebat, cum Alphonso Salmerone profectus, illum ipsum primò obvium in Urbis ingressu habuit, cujus in posterum consilijs studia & vitam omnem moderabatur. Eodem directore integrum mensem sacris meditationibus, ad deligendum certum vitæ statum exercitus, triduum totum cibo abstinuit, alios verò 15. dies solo pane & aquâ jejunus traduxit, perpetuâ interim oratione, lachrymis, cilicio, atque flagellis usus. Tertius itaque condendæ Societati IGNATIO se addixit, annorum circiter 22. adolescens, & Philosophiæ repetendæ studijs, antequam Theologiam auspicaretur, hortante illo, animum appulit. Emissis subinde cum reliquis Socijs in monte Martyrum votis, ubi tempus advenit Venetias ad IGNATIUM Anno 1536. proficiscendi, ut inde in Palæstinam simul omnes ad infidelium conversionem transmitterent, iter omne, imbecillâ quamvis valetudine pedes confecit, cilicio per totam viam indutus, scriptorúmque sarcinâ onustus; & sicubi flumen trajiciendum esset, vadum prior ipse tentavit, neque semel humeris suis Socios debiliores transvexit. Præter invia itinerum à nivibus obseptorum, militum, & prædonum pericula, præsentissimum fuit, quod in transitu per Germaniæ partem hæreticam à sectarijs imminebat, quorum ministelli in pagis & oppidis singulis lacessebant, & disputando semper inferiores, in furias scilicet & ultionem agebantur. Inter reliquos non procul à Constantia in pagum Lutheranorum inciderant, cujus Ministellus à Fide apostata ad diversorium ipsos secutus, primores pagi secum ad plausum præcocem adduxerat, ac prior audacter Socios ad certamen



P. Iacobus Laines S. I. Hispanus, ex primis decem S. Ignatij So-
cijs, et secundus Societatis IESV Generalis, Pontificius
in Concilio Tridentino Theologus, plurimis pro Ecclesia
DEI laboribus, et Missionibus perfunctus. Obijt Romæ
19 Januarij A° 1565. Ætat: 53.
28.

men provocârat. Conditionem loco omnium acceptavit solus Laines, sustinuítque tam feliciter horas aliquot, ut adversarius stringi se intelligens unde nullum reperiret exitum, *vicisti*, exclamaret, *nec quod possim opponere amplius suppetit! vis præterea aliquid aliud?* *Planè*, subdit noster, *aliud restaret, abjecto scilicet errore istos quoque eximeres, qui tuâ fide illi credunt; nam cur tueris & doces, quæ vides cum vero non posse consistere? & nôsti optimè, à Fide errantibus, multóque magis alios avertentibus, æternas pœnas esse comparatas.* His homo in furorem actus multa dictu fœda & barbara evomere, ac minari, rescituros postridie, ecquem haberet præter disputationem sui tuendi modum. Cum dicto ubi se proripuit, non defuit homo Catholicus ma-

gnopere suadens, quàm primùm aufugerent, hominem esse eo toto tractu potentem, pejora etiam quàm minatus fuerat ausurum. Sed tenuit cum Socijs in tam sancta causa fugam Laines, gratulatus sibi, si quam in Palæstina quæsitum ibant pro Fidei defensione mortem, magno compendio in Germania invenirent. Noctem igitur propè totam precando, invicémque animando ubi consumpserunt, vix dilucescebat, cum procerâ vir & eleganti formâ ingreditur, & ducem se viæ ultroneum offert, deducítque insolitis planè, transversis, neque ullo vestigio tritis semitis, per 8. circiter passuum millia in viam regiam ac militarem. Quódque admirationem omnem superabat, curiosiùs observantibus terræ solum quâ incedebant, nè vestigium

qui-

quidem viæ ullius apparebat: & tamen cùm reliqua omnia undique nivibus plena essent, sola illa, quâ ducebantur per ardua & invia, semita, nivis omnis penitus expers erat & sicca. unde & taciti repetebant subinde secum, qualis hic tandem est ductor, & à quo submissus, cui tam noti sunt adeò ignoti calles? Angelúmque à DEO submissum constanter credidêre, præsertim postquam in viam regiam & vestigijs tritam deductis, amœnissimo vultu & arrisu, vale dicto, digito quà eundum esset ostentans, mox aliò repentè discedens evanuit.

Venetias postquam cùm Socijs pervenit Laines, in Nosocomio ægrorum hospitium cœpit, non ad quietem suam, sed ad omnia miserorum corporis & animæ obsequia. Quadragenario verò anni insequentis jejunio Romam profectus, ut Pontifice benedicente felix iter Hierosolymitanum esset, jejunijs ex solo pane emendicato, pedestríque itinere fractus, tantísque cœli pluvijs, ut genuumtenus sæpe aquis & luto inambularent, nunquã tamen nisi in Xenodochijs divertebat, & quidem lecto, qui omnium esset immundissimus, & vermiculis refertus, ad majorem sui victoriam delecto. Romam nudis pedibus ingressi, & benignissimè à Pontifice recepti, ubi Venetias rediêre, Nosocomio denuo se reddidit Laines, donec Sacerdotio suscepto primùm rem divinam festo S. Joannis Baptistæ fecit. Vicentiam postmodum, Venetæ ditionis oppidum secedens, tugurium suburbanum desertum, sinè portis, sinè fenestris, 40. dies cum IGNATIO & Fabro incoluit, in sacræ Asceseos Exercitijs animum auspicandæ prædicationi parans. Et quia humi cubabant fame penè enecti (nec enim panis mendicatò corrogatus tribus satiandis sufficiebat) in morbum incidit Laines, ut ad Nosocomium curandus deponi debuerit: à quo recreatus, in foro Vicentino latinè (quia necdum italicè poterat) concionabatur, solo nihilominus corrogato pane constanter victitans. Profligata interim profectionis in Palæstinam spes omnis est, idcóque Socijs operam suam ad quemvis Pontificis nutum obsequiosè deferentibus, impositum Lainio primum onus est docendæ in Sapientiæ Academia Theologiæ Scholasticæ, præter cujus magnâ cum laude explicationem, in Salvatoris simul æde sacra frequens concionabatur. Anno deinde sequenti 1538. post 40. iterum dierum ascesim, perpetuo jejunio & multiplicibus pœnis continuatam, firmato communibus votis Societatis Instituto, jussus subinde est Laines & Faber comitari Cardinalem S. Angeli Parmam atque Placentiam, ubi tam severâ egit paupertate, ut nudus egénsque in medijs frigoribus, vestem tamen à pijs hominibus oblatam acceptare noluerit, nisi jussu IGNATII impulsus. Concionatus interim assiduè, catehesim meridianis horis per compita docebat pueros & rudes, IGNATII Exercitationibus, centum ampliùs, Parochos præsertim & Clericos, informabat: quibus omnibus instauratus jam tum est, qui in desuetudinem penitus abierat, frequens Pœnitentiæ & Eucharistiæ usus, eâ civitatis in meliorem pietatis formam mutatione, ut Parmenses & Placentini cœlo delapsum hominem jactârent, & 10. præstantissimæ indolis viri, odore virtutum ejus capti, Societati nomen darent. In his Hieronymus Domeneccus fuit Valentinæ Metropolitanæ Canonicus, qui ibidem è patrimonio suo Collegium Societati constituit: & Paulus Achilles jam tum Sacerdos, insignis postea animarum zelator: ac Benedictus Palmius, cui ad Medicorum desperationem ægrotanti, plenam sanitatem à DEO restituendam ex vero prædixit.

His Romam, & ad Pontificem Paulum III. delatis, eò libentius Societatem in Religiosum Ordinem erexit: revocatus autem ad Generalis electionem Laines, consentientibus in IGNATIUM universis, cùm ille constanter onus recusaret, ipse summo ardore præ reliquis illum urgens, inter reliqua inquit: *vel onus à DEO impositum libens suscipe; vel, per me licet, Societas recens inita dissolvatur.* Interea Frater illius Germanus, nomine Marcus, præstanti adolescens pietate ac formâ, cùm multa in Hispanijs de nova Lutheri secta, simúlque de novo vitæ genere à Lainio suscepto audîsset, credidit illum sectarijs fortè accessisse. Quare illum ad Ecclesiæ gremium revocaturus Romam contendit; cujus eximiæ pietatis hunc fructum tulit, ut captus ipse pijs à Jacobo Exercitijs, Societati se consecrârit, paucis mensibus eodem anno ad immortalitatem beatam evocatus, in quo gloriosus Lainio comparens, de salute suâ securos reddi Parentes expetijt. Assumptus per idem tempus à Margarita Austriaca Caroli V. Filia, ut sibi à confessionibus esset & concionibus, non diu à Pontifice in eo munere relictus est: nam ejus jussu Venetias, flagitante Republicâ, migravit, ut quædam ibi ad Fidei incolumitatem spectantia procuraret. Irrepserant illuc non pauci hæretici, qui virus quò tectiùs,

tectiùs, eò latiùs disseminabant, ut jam etiam secreta celebrarent conventicula. Sed eos Laines concionibus assiduis per plura templa insectatus, à meridie insuper in templo Salvatoris Evangelium S. Joannis maximo hominum & Senatorum concursu interpretatus est, detectísque eorum fraudibus, Senatum impulit, ut efficacia ijs expellendis media arriperet. Neque paucos ab hæresi ad Ecclesiam reduxit, longè verò plures à vitijs ad vitam castigatiorem; Andream etiam Lipomanum, Canonicum Venetijs & Paduæ opulentissimum, inter alios quàm plurimos Exercitijs S. IGNATII excoluit: qui exinde tanto affectu Societati agglutinatus est, ut primum ei in Italia Paduæ Collegium sumptu suo fundârit. Eo se conferre jussus ab IGNATIO Laines, primus è Societate celeberrimam Urbem concionibus illustravit, & ad majorem pietatem erudivit. Hinc excurrens Brixiam, quotidie per Quadragesimam in principe templo, Episcopi rogatu dixit, cùm tamen alijs simul in templis ternas per hebdomadam haberet conciones, & assiduus in sacro tribunali totis diebus esset. Tantúsque fuit dicentis fervor & doctrinæ efficacia, ut ex ijs, qui doctrinis hæreticorum seducti, vacillare in Fide inceperât, supra mille fuisse Episcop. asseruerit, qui ejus dictionibus permotos se & convictos apud illum fassi fuerint, paratos idcirco pro veritate Catholica sanguinem cum vita profundere; longè autem major aliorum ab hæresi reductorum fuit numerus. Firmato in Religione Orthodoxâ populo, nihil ferè negotij fuit divinum rursus instaurari cultum, & pietatis viriditatem revocari. Exusta magna vis librorum hæreticorum, redditus suus vigor Sanctimonialium multùm laxatis Cœnobijs, odia gravissima restincta, frequentia in usu Sacramentorum inducta, quorum nè ministri deforent, 12. è Clero sacrâ ascesi ab illo exerciti, operam in confessionibus audiendis gratuitam assiduámque collaturos sanctè spoponderunt. Ergo alia prorsus species paucis mensibus Brixiæ cùm inducta esset, Vicentiam indè atque Veronam falcem Evangelicam transtulit, ubique privatis publicísque alloquijs eosdem metens fructus.

Anno insequente Bassani Quadragesimâ concionibus quotidianis transactâ, non hæreses modò, quæ ex vicina Germania totâ Urbe irrepebant, discussit; verùm etiam incolarum animos in Religionis sententia ità confirmavit; ut deinceps contra latentes pestes acerrimè se defenderint. Tantáque de ejus doctrinâ ac sanctitate fama surrexerat, ut magnis conatibus ad Infulas & Pedum à diversis deposceretur, à Labacensi præcipuè Episcopo, qui eum in Coadjutorem assumere, successurum in Episcopali deinde Cathedra, contendebat; à Duce item Hetruriæ ad Pisanum, & iterum ad Florentinum Archi-Episcopatum. Interea Pontifex Paulus III. aperto Tridenti universali Concilio (ad quod Italia plures centum Episcopos & Archi-Episcopos, nec pauciores reliquus orbis Christianus submiserat, præter Regum & Principum omnium Oratores, Cleri totius, Religionum, & Academiarum Viros doctissimos) tribus Cardinalibus Legatis suo nomine Concilio præfuturis, adjunxit & Lainium nostrum cum P. Alphonso Salmerone, tanquam Theologos Pontificios. Ubi præclara utriusque gesta quia in Salmeronis vita damus, nè eadem ingratè recoquantur, sola quæ propriè personam Lainij concernunt, hìc pertexemus. Tanta autem illius erat apud Legatos & Concilij Patres existimatio, ut cùm ab IGNATIO, utiliorem alibi operam navaturum credente, revocaretur Florentiam, datis ad IGNATIUM literis, ejus revocationi graviter intercesserint, quòd ejus opera præ reliquis Concilio necessaria judicaretur. Hinc cùm ex Theologis alijs admodum paucis unius horæ spatium daretur ad dicendum, Lainio ternæ à Præsidibus horæ sunt concessæ: cùm tamen celebrarentur in dies singulos bini conventus, matutini de morum reformatione, pomeridiani de dogmatibus Catholicæ Fidei; & Lainius ab habendis per dies Festos, & Dominicos concionibus nunquam cessaret. Eundem occupationum tenorem observavit Bononiæ, translato illuc Concilio: cúmque illius ad S. Petronium frequentissimo concursu dictionibus, plurimæ ex scortis flagitiosísque fœminis resipiscerent, tutam eis Cœnobij proprij custodiam, ex corrogata à Concilij Præsulibus pecunia constituit. Suspenso verò deinde Concilio, Florentiam ex IGNATII præscripto accessit cum Petro Canisio, ac repudiatâ hospitij oblati liberalitate, in valetudinarium S. Pauli divertit, cœpítque urgente Episcopo & Capitulo quotidianis partim concionibus, partim meridianâ S. Scripturæ in maximo templo ad confertissimum populum explanatione rem Christianam promovere, nihil interim de assiduitate in audiendis confessionibus, alloquendis & reformandis Sanctimonialium contubernijs, remittens. Lustrato exinde missionibus Apostolicis Perusio,

rusio, Evgubio, Monte Politiano, constanter deinceps per anni decursum Florentiæ ex pulpito, & per Quadragesimam quotidie ad 8. vel 9. hominum millia peroravit, tantâ populi & ordinum omnium satisfactione, ut continuè de fundando Societati Collegio soliciti, sex septémve diversa loca ei erigendo ad delectum offerrent. Idem Pisis à se fundandum Ducis Florentini Conjunx, tot ex ejus laboribus emolumentis permota, prolixè illi detulit, cùm pari successu eam Urbem, & Senas, Lainius continuâ dictione, audiendis confessionibus, catechesi, ceterísque consuetis Societati laboribus excoluisset, ingenti ubique morum emendatione. Eadem pari constantiâ & assiduitate iterum Venetijs egit, & in Patavini insuper Collegij erectionem ab eo Senatu consensum, summopere antehac ab ea re averso, feliciter modestiâ suâ & patientiâ extorsit.

His ex sententia pro DEI gloria gestis Lainem Pontifex in Siciliam mittit, rogatu Siciliæ Prætoris, & Farnesij Cardinalis. Eo in itinere Neapolim delatus ad ferias Dominici adventûs, conciones adusque anni exitum habuit, tantâ hominum siti, ut eodem non raro die ter ipsi dicendum fuerit; tantis animorum motibus, ut de advocanda Societate confestim, parandísque illi ædibus deliberari sit cœptum. Appulsus in Siciliam anni principio, ante omnia Farnesij Cardinalis, & Montis Regalis Episcopi Diœcesim lustravit, conciones unà & catechesim ubique habendo, usque ad Quadragesimæ initia, per quam conciones quotidie Panormi, rogatu Pro-Regis habiturus, eò se contulit. Sed fractum tot támque diversis laboribus & curis corpus non sufficiebat indefatigabili animo, siquidem post alteram dictionem dum tertiò peroraturus suggestum conscendere parat, febri repentinâ corripitur. Ex qua tamen paulò pòst confirmatus, miraculum omnibus conclamantibus, cùm de vita propè desperatum esset, concionibus illico se restituit, eo animorum motu, ut flagitiorum apertè notaretur repressa licentia, & in egenos magna erogaretur benignitas. Insanabilium egentissimo Nosodochio quingenta aureorum millia suppeditata, orbísque pueris, & conversis ad pudorem fœminis abundè prospectum: ex quibus per conciones Lainij ad frugẽ reductis, in ædes ipsa suas Pro-Regis uxor, 16. interim recepit, dum conquisitâ dote de vitæ genere honesto unaquæque decerneret. Studuit insuper Laines & Panormi, & in Monte Regali sacrarum Virginum contubernia multùm laxata, auctoritate à Pontifice acceptâ, restituere, DEO sanctum conatum patenti prodigio firmante. Dum enim in Montis Regalis Parthenone ad Religiosam formam revocando laborat, visa est ab earum multis, celebrantis Missam capiti candidissima imminere columba. Atque his tot fructibus iterum permoti Panormitani, Collegium Societati sinè mora apud se statuerunt, fundationis sumptus ministrante Pro-Reginâ: Pro-Rex autem multis apud Carolum V. Cæsarem labores Lainij commendavit. Cùm verò Ann: 1550. demandata fuisset Pro-Regi ab eodem Cæsare expeditio in Africam, & in ea Urbis, quam Leptim vocant, expugnatio, quòd magna inde Siciliæ, & Neapolitano Regno à Turcicis piratis damna inferrentur, ante omnia ille Lainium sibi comitem adesse voluit, qui & animorum & ægrotorum curam gereret, & milites assiduè hortando in officio contineret. Neque expectationem fefellit, nam excitato extemporali ægrotorum Nosocomio, quorum in diuturna obsidione & torrido æstu magna vis erat, omne genus obsequij illis diu noctúque præstabat, & confessiones interim nihilominus totius quasi illius exercitûs, postquam reliqui Sacerdotes omnes contagio militum afflati sunt, unus ipse constanter incolumis cum socio excipiebat, & concionibus ad fortitudinem animabat. Postquam autem Urbi expugnandæ dies certus edictus est, Jubileum militibus à Julio III. submissum promulgavit, tanto illorum ad pœnitentiæ Sacramentum concursu, ut noctes integras insomnes traducere cogeretur, quibus mutati vulgo mores repentè è militia, quæ vitiorum plerumque est officina, virtutis scholam effecerunt: testatíque sunt multi è veteranis, nusquam militarem licentiam modestiorem justiorémque sese fuisse expertos. Expugnata tandem Urbs est, & Lainius in præcipuo Urbis fano Catholicis sacris lustrato, rem divinam & concionem habuit, & Turcarum quosdam sacro fonte lustravit. Duæ interim in ipso præ alijs animi dotes, mentes omnium in admirationem rapiebant; altera in bonorum fortunæ despicientia, altera in animi celsitudine sita. Eâ enim continentiâ in castris ditissimâ prædâ onustis se gessit, ut magnam sæpe vim pecuniæ oblatam constanter repudiârit, solis eleemosynis perpetuò victitans: cúmque postremâ Urbis oppugnatione gregatim milites sua ad illum bona conferrent, si quid illis accideret suo illius arbitratu impen-

denda, ipſe ex adverſo tantò ardentiùs pro illorum vita ſervanda DEUM oravit. Evenítque, ut cùm multi ex alijs in expugnatione cecidiſſent, nemo unus ex ijs deſideratus eſt qui fidem Patri habuerunt, ſed ne quidem vulnere accepto pugnâ exceſſit: quibus proinde ſingulis ſua reſtituit, fidémque liberavit. Nec minor animi celſitudo apparuit: per tela enim & ignes, glandéſque machinis emiſſas intrepidus ibat & ſecurus, trepidantibus tamen etiam fortiſſimis in exercitu viris; cujus ſecuritatis cauſam deinde rogatus, reſpondit: animi gratiâ, aut ſpectandi nunquam ſe prodijſſe, ſed neceſſitate duntaxat, ut laborantibus opem ferret. Reduces in Siciliam tempeſtas graviſſima triduo tenuit, onerarijs duabus diſſolutis & fractis, totidem cum aliquot triremibus merſis: cúmque exinde omnes de ſalute deſperarent, Laines tum maximè ſui ſecurus erigere omnes, ad placandum DEUM hortari, incolumitatem certam omnibus, uti reipſa evenit, polliceri. Drepanum Siciliæ portum revectâ claſſe, in terram deſilientes milites eam de Patre exiſtimationem omnibus indiderunt, ut non defuerint qui tunicæ laciniam, tanquam hominis verè ſancti & divini reſectam ſervârint.

Revocatus poſthæc Romam Laines ab IGNATIO eſt, animo, ùt apparebat, munus regendæ totius Societatis in ipſum derivandi, à quo, coactis undique ad conventum celebrandum Patribus, omnimodè liberari petebat: ſed magno rurſum Laines impetu víque dicendi impedivit, negans ab alio Societatem utiliùs adminiſtrari poſſe, quàm ab ejus principe & auctore. Habendis interea Romæ concionibus deditus, iterum invitatu Ducis Etruriæ à Pontifice Piſas ire jubetur: ubi præter fundandæ Societati domûs firmatum negotium, conciones publicas, reformatos ſacris Exercitijs aliquot Parthenones, illo maximè cives in admirationem rapuit, quòd vir ejus auctoritatis, pueros & rudes ad Catecheſim in plateis venaretur, crucem formare, precationes neceſſarias recitare doceret: quibus ut animos adderet, numulos quotidie bene meritis, de comeatu ſuo detractos, largiebatur. Reſumptum interea pacatis rebus iterum eſt celebrandi Tridenti Oecumenici Concilij negotium, & ad illud titulo Pontificij Theologi Laines cum Salmerone à Julio deſtinatus, *ut appareat* (ſcribebat ad illum Piſas P. Polancus ex Urbe) *tuas literas in Chriſti pauperibus erudiendis optimè collocatas, ſummóque Pontifici in ea opinione te eſſe, qui non orationem modò Dominicam edocere poſſis, eóſque Auditores, quos mercede conquiras.* Exceptus Tridenti magnâ Concilij Patrum gratulatione, in primo mox conventu (in quibus primum ſemper dicendi locum jam habebat, cùm antea ultimum extorſiſſet) præfatus eſt, magnâ omnium admiratione, quoniam in rebus Fidei Synodalibus non humano, ſed divino ſtandum eſſet judicio (quod ſacris in literis, prout eas SS. Patres interpretantur, apertiſſimè declaratur) nullum ſe pro ſua ſententia Patrem aut Doctorem allaturum, quem non à capite ad calcem pervolviſſet. Cùm tamen in proxima de SS. Euchariſtiæ Sacramento diſceptatione, ſex circiter ac triginta ad ea quæ dicebat confirmanda allegaverit, ínque ijs Alphonſum Toſtatum, ad cujus ſolius evolvenda monumenta ſatìs eſſe hominis ætas videretur. Excipiebatur autem ſummo omnium ſilentio & approbatione mirificâ, erátq; cunctis ſingulari ingenij & doctrinæ copiâ propè miraculo, cùm unus ipſe nonnunquam tres horas unum eundémque ſemper locum argumentis urgeret. Sed accidit perincommodè, quòd continuis fractum laboribus quartana invaderet, cujus depellendæ causâ vacationem aliquam à Concilio flagitanti, poſtulatio rejecta eſt; adeò neceſſaria ejus opera credebatur, quòd illius primo loco dicta ſententia, dux quædam reliquis omnibus eſſe poſſet ad diſceptandum! Verum ut ægrotanti conſulerent, communi conſilio caverunt, nè in eum unquam diem quo febris accederet, conſueti conventus indicerentur. Cùm verò certis de cauſis Concilij res iterum prolatæ eſſent, S. IGNATIUS Lainium Provinciam Italiæ gubernare juſſit, multùm licèt reluctantem, & humilitatis ſtudio deprecantem. Quo munere in ſalutem animarum plurimùm uſus, dum Provinciam obiret, totam ferè Italiam concionibus illuſtravit, de varijs ubique Fidei controverſijs, vitæq; officijs conſultus: Genuæ autem pacta, conventa, & Mercatorum fenora ſic dijudicare, ex Senatûs ipſius commiſſione ſolitus, ut jus & æquum ubique quæſîſſe, animóſque laqueis irretitos egregiè liberâſſe ſit creditus: tantúmque ibi concionando frequentiùs animorum motus concitavit, ut duo Societati apud ſe domicilia ſtatuere civitas concluſerit. Quadrageſimalibus autem dictionibus incitavit Civiũ miſericordiam præter ſolitũ in calamitoſos, cujus ea beneficentiæ vis fuit, ut aureos ſemel è concione mille, iterum 1300. tertiò autem bis mille in miſerorũ ſubſidia erogârit.

Acci-

Accidit ei in hoc Provincialis munere quidpiam, ex quo IGNATII summam cum moderatione prudentiam, Lainiíque eximiam humilitatem colligere licet. Expostulavit semel iterúmque Laines lenissimè cum IGNATIO, quòd Sociorum ex Provincia Romam accitu Collegia per Italiam necessarijs carerent operis: respondit IGNATIUS, dolere sibi quòd ità sentiret iteratò & scriberet, cùm præsertim priore responso monitus esset, communia anteponenda privatis. Proinde sensu suo diligenter expenso renunciaret, ánne erràsse se agnosceret? síque deprehenderet culpam, simul adjiceret, quid subire pœnæ paratus esset? Respondit Lainius Florentiâ, iterum ac sæpius se has IGNATII legisse literas, & in eis materiam erubescendi multam invenisse; quòd conatus fuisset supremæ providentiæ ordinem detorquere, cùm suo Præposito totam, ac certiùs gubernanti navim, accommodare suam partis gubernationem debuisset. Quod verò ad pœnæ attineret optionem, *habitâ ad DEUM precatione*, scribit, *multis cum lachrymis, elegi, & nunc ipsum haud sinè lachrymis eligo, ut R. V. (in quam totam hac in re conscientiam meam rejicio, æquissimo animo, quidquid jusserit, amplexurus) per viscera Domini nostri removeat me ab alijs regendis, & à concionibus habendis, & ab omni literarum tractatione, unico relicto Sacerdotali Breviario, jubeátque Romam mendicantem ire, ibíque in culina aut triclinio, vel horto: vel, si minùs ad hæc idoneus sum, in Grammaticæ infima scholâ contineat, exerceátque usque ad mortem, nunquam respiciens curánsque me, nisi ut quisquilias ac peripsema. Atque hæc pœna est, quam primo loco deposco ac eligo.* Secundo loco assignat pœnam eandem, sed in certum tempus, in biennium aut triennium, aut quamdiu S. Patri videretur. Tum adjecit tertiam, multa flagella, jejunia ad mensem; ut à Provinciæ cura removeatur; atque ut deinceps quoties ad IGNATIUM scripturus sit, priùs adhibeat ad DEUM preces, dein scribenda meditetur, tum scripta recognoscat, observans nè verbo aut sententiâ utatur, quæ subditum erga Superiorem non deceat. Anno postmodum 1555. comes datus est à Julio III. Pontifice, Cardinali Morono, Augustam ad Comitia Imperij Legato Apostolico; expertus enim erat Julius Lainis in rebus tractandis dexteritatem & sapientiam, cùm ante Pontificatum Legatus Concilio Tridenti præsideret. Ubi rebus præclarè gestis, nè quid Catholicæ rei contrarium fraude hæreticorum statueretur, Moronus Romam revolavit, Laines Florentiæ concionum gratiâ, & invisendæ Provinciæ substitit. Hoc ipso tempore sublato è vivis Julio, successit in sede Pontificia Marcellus II.; qui primis statim diebus suam de Laine existimationem Tridenti conceptam (ubi & ipse Legatus Synodo præerat) declaravit; dum eum in domesticum Theologum delegit, cujus consilio rem Ecclesiæ publicam difficillimis illis temporibus administraret. Et promanâsset omnino fructus exinde in Ecclesiam singularis, nisi præmatura mors, vigesimo mox ab inito Pontificatu die, Marcellum sustulisset.

Successor Marcelli Paulus IV. ex gente Caraffarum, & Familiæ PP. Theatinorum cum S. Cajetano, & aliquot alijs Sodalibus, Institutor, cùm Lainium semper magni fecisset, extemplò Cardinalium Collegio, licèt invitum adscribere animum induxerat. Qui ubi rem seriò à Pontifice in Cardinalium consessu agi sensit, non dies, non noctes à placando obsecrandóque DEO desistere, ut tantum à se & Societate discrimen averteret: prensare favores amicorum Cardinalium, ne Pontificis voluntati suffragari vellent: implorare Sociorum preces & sacrificia: & denique si cetera fallerent, fugâ periculum evitare omnino decrevit. Sed id ipsum præsentiens, modestiæ viri conscius Pontifex, ad aulam suam migrare illum voluit, futurum sibi ad negotia Ecclesiæ componenda consiliarium Theologum, vetuítque severo obedientiæ præcepto Urbe, absque scitu suo, exire. Nec minùs de periculo anxius IGNATIUS auditus est dicere: *nisi DEUS prohibeat, brevi Laines noster galero purpureo donabitur. Id tamen si, quod nolim, accidet, talem se ille præbebit, ut non quæsìsse Societatem honores, sed conatu omni fugisse appareat.* Itaque coactus Laines in Vaticanum Palatium se transferre, cùm ibi mansisset diem unum, postridie revertit ad suos; quòd diceret, sibi esse necesse super negotijs Papæ, & libros varios, & viros doctos consulere. Utque hac in re animi sui sensum Societati testatum faceret, in schedula conscripsit hæc verba suo chirographo signata: *quoniam comperi Pontificem Maximum nescio quid cogitare de me, testor ego DEUM, & in ejus conspectu candido pectore, sinceróque profiteor, minimè me esse ad id idoneum, ab eáque re totò animo abhorrere: & ridiculum duco, tale aliquid de me statui, & alienum prorsus ab ea cui me dicavi familia, in qua plus arbitror me Ecclesiæ DEI meis laboribus profuturum; id quod*

ei

ei ex Societatis Instituto spopondi, votóque firmavi; quàm si commutato vitæ genere, celsiore in gradu collocer. Denique his aliísque rationibus apud Cardinales amicos, & longè magìs suis, S. IGNATII, & Sociorum ad DEUM precibus effecit; ut pronus ille Pontificis ad conferendum ipsi honorem impetus ardórq; refrixerit. Quo depulso periculo Laines incredibili perfusus gaudio, nullum gratulandi DEO finem fecit, & ejus inter præcipua beneficia omnis suæ ætatis hoc principale numeravit.

Anno 1556. evocatô in cœlum S. IGNATIO, cùm de Vicario Generali constituendo deliberarent Romæ Socij, ad quos ea res pertinebat, donec ex Provincijs ritè convocatis Patribus, Generalis Præpositus eligeretur; rogatus Laines, gravissimè tum decumbens, quem nominaret, ad eum, respondit, se accedere, quem ceteri statuissent. Itáque omnium uno suffragio ipse electus est, postquam rogati Medici certæ sanitatis spem fecerunt. Biennio integro electione Generalis prolatâ, quòd ob bellum Papæ cum Hispano Congregatio legitimè cogi non posset; tandem Anno 1558. magnâ omnium Patrum gratulatione Laines Generalis edicitur, cùm toto eo biennio Vicarius constanter Festis & Dominicis omnibus, ac utrâque Quadragesimâ, ad populum ingenti motu & fructu dixisset. Neq; sinè divino arbitrio electio peracta est: nam & S. IGNATIUS sibi eum successorem fore clarè ante obitum prædixit; & Collegij Romani Rector Sebastianus Romæus, vir in opinione eminentis sanctitatis, uno ante electionem mense, illum sibi in visione Generalem ostensum testatus est. Magnâ gratulatione eventus hic à tota urbe exceptus fuit, nisì quòd dolerent cives, aliò curas ejus novo Magistratu avocante, publicâ ipsius doctrinâ & concionibus esse carituros. Verùm ille uti singularem à DEO facultatem dicendi acceperat, cùm necdum eo tempore Societas in eam, quæ hodie cernitur, molem excrevisset, continuò summè expetitus, suggestui se restituit: eo semper hominum affluxu, ut palàm diceretur, modò templum caperet, neminem fore Præsulum aut Primorum Urbis, qui ejus concionibus non adesset. Neque unquam aliàs Romæ populo Principibúsque tam grata fuit Societas: gaudebant enim boni omnes zelo dictionum Lainij, templis nitorem, Sacramentis adeundis frequentiam, misericordiam juvandis pauperibus & miseris restitutam; ut jam alia prorsus Romæ, ac superioribus annis, esset facies. Cùmque difficillima per id tempus esset annona, Sodalitatem Nobilium Laines, quæ hodiéque perdurat sub titulo SS. Apostolorum, instituit ad inopes sublevandos, præsertim quos pudor reddit magìs indigos. Ut verò in Socijs etiam missiones apud Barbaros obeuntibus ardorem excitaret, flagrantissimam ad eos in Brasiliam & Indiam dedit epistolam; quâ in Apostolicis eos laboribus confirmat, & ærumnas paternè solatur. Jam verò quanto in pretio apud omne genus hominum Lainius esset, difficile est dicere: clarorum & obscurorum virorum propè agmina, consilij vel auxilij gratiâ, sive in hujus vitæ caducæ, sive æviternæ negotijs, ad eum confugiebant: cùm tamen nihil idcirco in administratione Societatis ipse intermitteret; tanto illius integritatis conservandæ studio, ut Fratrem Germanum Christophorum Laines, disciplinæ Societatis minùs accommodum, ex ea ejecerit.

Mortuo inter hæc Paulo IV., dum Cardinales in Vaticano conclavi de creando Pontifice convenire non possunt, Otho Truchses Cardinalis Augustanus, Lainium ad se in Conclave per libellum evocat, ad diuturnam litem, si posset, dirimendam. Hic ùt conspectus intra septa illa est, aliquot Cardinales, quibus præstans viri in omni genere virtus cognita erat, agere inter se de eo in Sede S. Petri locando cœperunt; illum enim ad publicam morum correctionem, jugulandas hæreses, ingenio, sapientiâ, Tridentinæ Synodi experientiâ, aptissimum fore. At enim ubi, quanta res moveretur, humillimus Pater intellexit, inhorruit totus, bonáque petitâ veniâ raptim se oculis eorum subduxit, tanquam de se indignis modis accipiendo agi sensisset. Non tamen hæc fuga Cardinalium consilia repentè discussit; sed duodecim è præcipuis & gravissimis jam ad summum illi honorem deferendum consenserant, idémque Franciscus Varegas Philippi Regis Catholici in Urbe Legatus Lainio significaverat, & Otho Cardinalis Truchses inter funebres post fata de encomijs Lainij dictas à se laudes, publicè Dilingæ confirmavit. Nec facilè incepto destituri fuissent, nisì sanctiones vereriti essent, tot jam inveteratis exemplis firmatas, non aliunde Pontificem, quam è sacro Cardinalium Collegio eligendi. Electo igitur feliciter Pio IV., Lainius singulari apud eum gratiâ pollens, multa in Christianitatis commune egit, atque inprimis effecit, ut singularia certamina & duella severè prohiberet, latis etiam in eos

eos censuris, qui patrinos certantibus vel spectatores se exhiberent. Cùm verò ad Lainem quotidie majores hominum concursus fierent, & ipse tot inter muneris sui occupationes proximorum salutem inexplebiliter sitiret, non recusavit sæpe ad multam noctem confitentibus patientiam commodare, & cum hæretico quolibet in certamen venire. In his versutissimus erat è Calvini schola Minister Genevâ Romam irrepens, ipsam si posset venenatâ doctrinâ infecturus: sed illico detectus, captus, & ad rogum damnatus; nè animâ simul æternùm periret, Lainio committitur curandus. Desiderabat hic cum solo super Religione familiariter disceptare, quòd sinè arbitris (quorum præsentiâ tales ad pertinaciam magis, nè devicti videantur, quàm ad palinodiam moveri, expertus erat) faciliùs errores relicturum speraret. Verùm in custodiam veniens, reperit ibi plures Cardinales, Episcopos, multos præterea Viros primarios, & quosdam Pontificis agnatos, cupiditate spectandi certaminis allectos. Hoc conserto, non multis interrogationibus eò compulsus est miser, ut affirmaret pugnantia: mox evidentiùs convictus, cùm aliud effugium non pateret, exclamat, uno se stare Calvino, licèt demonstraretur adversa Christo, Apostolis, Patribus, & primævæ Ecclesiæ sentire. Atq; ita videns & volens (quod futurum prædixerat Laines) ipse quidem interijt, qui tamen disputationi adfuerant, non sapientiam magìs Catholici Doctoris admirati, quàm in orthodoxæ Fidei Sanctionibus confirmati, ut ejus veritatem oculis propè à se ex eo conflictu visam faterentur, læti recessêre.

Et jam tertius illi in munere Generalis fluebat annus, dum exemplo Ignatii toto conatu in id à se amoliendum incumbere cœpit: in eum finem Generalem Sociorum Conventum velle indicere, nisi Pontifex à Patribus imploratus in cœpto illum munere pergere jussisset. Inde porrò tantò magìs Viri tam humilis existimatio apud omnes augebatur, & ad ejus conciones, tanquam hominis palàm sancti, ingentes fiebant concursus, ut rarò pauciores decem vel duodecim Cardinales interessent. Cùm verò etiam ad Judæos in S. Petri Basilica eum verba facere S. Carolus Borromeus Papæ nepos voluisset, magnâ eorum admiratione & plausu peroravit, nec paucis inde mollescere ac nutare dura & obstinata mens cœpit. Ejusdem sententia in perplexis Christianæ Reipublicæ negotijs potissimùm exquirebatur ab omnibus, penès quos S. Ecclesiæ erant gubernacula, & habebatur quàm tutissima, eámque Principes & Pontifex ipse nunquam ferè non sequebantur. Inter hæc Anno 1561. tumultibus publicis gravissimè in Gallia laborabat res Catholica, hæreticis ad arma & bellum intestinum palàm erumpentibus: cui restinguendo incendio cùm Pontifex Legatum in Galliam destinâsset Hippolytum Cardinalem Estensem, Lainium ipsi addidit, ut hæreticorum calumnias in publico, qui ad Poisiacum prope S. Germanum indictus erat, Regni Conventu refelleret. Eo in itinere Laines per omnes ferè, quas transire contigerat, urbes & oppida Italiæ verba è suggestu fecit, totis ad audiendum effusis civitatibus: ex qua contentione laborum, æstûs & itineris (mense enim Augusto ferventissima urebat canicula) Ferrariæ in febrim incidit: quæ cùm diuturnior fore videretur quàm periculosior, continuato itinere, tametsi valetudo non sinebat suggestum conscendere, nunquam intermisit in hospitijs, oppidis, ubi ubi se daret occasio, privatis sermonibus hortari ad pietatem fideles, vacillantes in religione firmare, vel redarguere falsis dogmatibus corruptos. Ducem etiam Sabaudiæ Ripoli conveniens, vehementer cum ejus conjuge Margaretha inflammavit, ad Fidem orthodoxam sua in ditione tuendâ & restituendam: cui rei perficiendæ P. Antonium Possevinum illi addidit. Parisios ingressus, post bidui inter Socios moram, Poisiacum ad Conventum illum celeberrimum cum Cardinali discessit, in quo præter Reginam matrem, Regem & Reginam Navarræ, quinque Cardinales, 25. Episcopi assidebant: & præter Principem Condæum Duces aliquot, & Consilij Regij Principes, Sorbonici etiam Doctores supra 20. aderant: tandémque in Calvinistarum Ministrorum turba tres eorum antesignani, Petrus Martyr, Theodorus Beza, & Malroratus: agebatur enim præcipuè de invenienda concordiæ methodo in dissidijs Religionum. Laines ubi potestatem loquendi nactus est, gravissimè magnâ fiduciâ disseruit, quàm periculosè ejusmodi Convenrus politicâ authoritate celebrarentur ad Religionis dissidia componenda, quæ unicè ad Ecclesiasticam pertinerent jurisdictionem, & quibus componendis actu apertum esset Concilium Tridenti. Tum acriter & nervosè in hæreticorum artes invectus, vehementer Reginæ suasit, nè disputationibus & concionibus ipsorum unquam interesse vellet. Hæc cùm liberè & audacter magnâ

omnium Doctorum & Ecclesiasticorum approbatione dixisset, quæ dici oportere judicabant omnes, audebat nemo; fremere in eum & torvo figere vultu hæretici, laudare Catholici: ipse autem ab ea adhortatione ad stabilienda Fidei dogmata, quæ Petrus Martyr impugnaverat, oratione delabi. Dixerat hic inter reliqua, cùm Missa, fatentibus ipsis Catholicis, sit Sacrificij in cruce peracti quædam solùm imago & simulacrum, non posse ibi adesse ipsummet Christum, quin desinat simulacrum rei esse, ubi res ipsa adest. Ludicrum Sycophantæ argumentum Laines hoc simili revicit; fac Regem victoriæ de hostibus à se relatæ memoriam & simulachrum quotannis instaurari velle: id triplici modo fieri poterit. 1. Si narrari tantùm rei seriem jusserit: deinde si per actores simulacrum belli referri: postremò si ipsemet inter actores adesse velit, quámque in pugna olim verè personam obijt, eam postea in repræsentatione subeat. Hanc certè, cum vera licèt Regis præsentia, veram nihilominus victoriæ imaginem & repræsentationem fore nemo negabit: atque hanc ipsam talem in incruento Missæ Sacrificio fieri, ex S. Scriptura & SS. Patribus cumulatim demonstravit. Tandem adhortatus Principes, ac nominatim Reginam, ad Religionis Catholicæ defensionem, alioqui DEUM Regno & Regi Filio minimè affore: cùm hæc commotiùs diceret fusis interdum inter dicendum lachrymis, Auditores quoque vehementer commovit: ut adeò Cardinalis Legatus dictionem illam magnæ ad rem Catholicam tuendam efficaciæ futuram ratus, Gallicè versam typis vulgari curârit. Regina, quanquam non sine morsu aliquo animi, monitum boni consuluit, ex eóque die nunquam Conventui postea ac disputationibus Calvinistarum interfuit; cænas & conventicula ipsorum legibus interdixit; unde Catholicis summopere animi crevêre.

Post eum diem nocte jam cæcâ dum ad S. Germanum Posiaco redit, obtulit se in via Hispanus hæreticus, qui cùm aliquantum disputando certâsset, fremens se à Lainio convinci, repentè subditis equo calcaribus præcucurrit, viámque cum tribus equitibus insedit. Quæ res cùm Lainij comitibus curam injecisset, ut vererentur progredi, securus ipse perrexit, fundendi pro Christo cupidus sanguinis: at DEO vitam ejus plurium saluti servante, nemini insidiatorum observatus, per medios securus transivit. Neque autem sat habuit semel in publico Posiaci Conventu rem Catholicam propugnâsse; Reginam privatim sæpius convenit, adivit Principes, separatim voce, stylo, manu, quantum posset conniti, labantem sustinendo Religionem: pericula ex conniventia cum hæreticis, ipsámque Regni eversionem prædicens, quæ vix deinde evitata fuit, Hugonottis in apertum bellum erumpentibus; in quos ipse pro salute Galliæ preces & sacrificia per totam Societatem instituit. Secutus deinde Reginam & Legatum Parisios, cùm videret hæreticos impunè in propatulo ædium, ac publicè in hortis concionari, quibusdam etiam primorum aulæ palàm audientibus; zelo DEI & ultimæ necessitatis consideratione stimulatus, nihil non tentavit ad perniciem avertendam. Utque fidelibus animos adderet in majorum Fide retinenda, concionatus italicè per Adventum est in S. Augustini templo, in maximo Catholicorum concursu affluentibus etiã hæreticis, primùm quidem vel irrisuris, vel curiositatem capturis; sed tandem veritatis luce seriò convictis, & ad Ecclesiam reversis. Et quoniam videbat ad longè plures utilitatem fundi posse si gallicè diceret, improbo diu noctúque & pertinaci labore eam ità condidicit, ut suggestum conscendere in varijs Ecclesijs auderet: ex quo controversias ab hæreticis in Ecclesiam motas exponere, confutare, & revincere cœpit, piósque ardenter ad retinendam Fidem hortari. Idem omnia Academiæ Collegia, quæ multa sunt Parisijs, adijt; omnia item Cænobia Religiosorum; Concionatores Urbis viritim singulos, atque Doctores Sorbonicos; multos è Magistratibus virísque Principibus, & Senatum ipsum, urbíque Præfectos allocutus, quantâ potuit contentione, ad obsistendum pleno torrente irrumpenti hæresi, adhortatus est. Et Rectores quidem Gymnasiorum, quos omnes in Fide integros & ferventes reperit, ad quatuor potissimùm observanda induxit: 1. Ut Magistri juxta ac discipuli pietatem colerent, noxas vitarent, quibus ira DEI in nobilissimum Regnum provocaretur; & quia morum corruptio gradus proximus esset & via ad corruptelam opinionum. 2. Ut neminem paterentur ex suis adesse hæreticorum concionibus. 3. Ut si qui deprehenderentur in contubernio eâ peste infecti, segregarentur protinus & ejicerentur. 4. Collegæ unà omnes quotidie suppliciter DEUM rogarent, ut hanc hæresis omnium gravissimam pœnam à Regno dignaretur avertere. Quæ eadem Præpositis Cœnobiorum, Curionibus, Capitularibus, impen-

impensissimè inculcabat: Concionatores verò ad zelum, & ferventer tractandum DEI verbum excitabat. Nec sibi temperare potuit, quin Regem quoque & Reginam Navarræ, & Principem Condæum fratrem, ac propè singulos Galliarum Proceres seorsim adiret, adhortans maximè ad rem Concilij Tridentini promovendam, ex eóque controversiarum decisionem petendam. Quod ut nominatim Condæo, hæresis acerrimo propugnatori, & morum corrigendorum plausibilem speciem obtendenti persuaderet, orationem ad eum habuit ità appositis argumentis, ut persuasisse videretur, peterétque Condæus eadem sibi scripto dari. Neque his contentus Laines, Bezam quoque, Petrum Martyrem, & præcipuos quosque hæreticorum accessit, ac omni ope suasit, ut adirent Concilium, ibíq; studio veritatis cognoscendæ de placitis suis disputarent, spondens, securos fore, benéque acceptos humaniter auditum iri. Neque optimum consilium visi sunt in præsentia aspernari, nisì Dynastæ hæretici non tam studio novæ Religionis, cujus falsitatem facilè deprehendebant, quàm regnandi cupidine in transversum acti, ad arma provolare maluissent, quibus Regnum tantùm non eversum fuit. Neque Parisijs duntaxat Pater omnia concursabat, ut universorum corda in Fidei constantia solidaret, sed foris per Regnum discurrebat, medijs etiam noctibus per silvas cum solo P. Polanco iter pedibus agens: cúmque hic tantam Lainij præsidentiam miraretur, *pius mortem*, respondit, *non timet, quin exoptat potiùs: felix profectò, si ei pro DEI causa mortem oppetere detur.*

Atque in his conatibus anno integro insumpto, cùm postea ausi essent hæretici publicum in templis & exedris Religionis suæ exercitium in Regia deposcere, Lainius tanto discrimini obviaturus, Commentarium Reginæ efficacissimis rationibus tum ex Politica, tum ex divinis literis confectum obtulit, quibus evincebat, præter indignitatem rei, manifestam Regno eversionem inde imminere. His magnâ deliberatione Regina cum suo Consilio ponderatis, ità ex omnium consensu postulatum audax rejecit, ut etiam Castillonius, & quidam alij novorum dogmatum cetera cupidi, hac in re à sententia Catholicorum non discrepârint. Verùm non quievêre hæretici, sed ut novus ad S. Germanum Conventus coram Regina super controversijs Religionis haberetur, institerunt; quem Lainius cum Polanco frustra omni studio inhibere conatus, eodem se contulit. Aderant è Ministris Calvinistarum Beza, Malroratus, Perosellius, & alij quidam; cœptúmque est primùm agi de SS. Imaginum cultu. Bis Lainius inito certamine hæreticos in eas redegit angustias, ut cuperent ad plura ultrà capita non procedi: atque ità Conventus solutus est. Laines autem accuratam disquisitionem de veneratione SS. Imaginum scripto complexus, eam Regibus & Principibus tradidit, sedulóque eos de Religione allocutus, Parisios continuè se recepit, ad cives in Fidei constantia roborandos; dixítque deinceps in Æde S. Augustini quater in hebdomada. Quin & complures Doctores Sorbonicos ad suggestum conscendendum incitavit, nunc demum tempus esse ostendens, quô ad incendium restinguendum universi vires & zelum expromere deberent. Quorum laborum felicem successum Senatus Parisiensis observans, Societatem JESU tandem, in Poisiaco priùs Conventu ad Regni jura & inter status admissam, & ipse ad Collegia in Urbe habenda recepit. Interea Ministri Sectarij, eorúmque fautores & incentores quidam ex Aulæ Proceribus, cùm viderent frustra se conari disceptationibus, specie concordiæ quærendæ, sancta omnia proruere; ideóque in apertum furorem erumpere, vísque rerum summam tentare molirentur, ejecti omnes ab Regia sunt, magnâ Lainij gratulatione: Princeps inprimis Condæus, Admirantius Colignius & ejus fratres, Odettus Cardinalis Castillonius, Andalottus, Regina Navarræ: alíique eorum loco ferventer Catholici in Aulam rediere. Parisijs Gubernator præpositus Catholicus, omnes ministri Satanæ Urbe proscripti, Synagoga eorum exusta; exilium sectatoribus, nisì resipiscere mallent, decretoriè promulgatum. Ità impulsam in ruinam hæresim ut profligare è Regno juvaret Laines, huc cogitationes omnes retulit, nè pijs in Gallia laborantibus deesset. Collegia itaque per Regnum, tenui licèt origine & dote, ultro admisit, ad multiplicandos operarios; DEO ceterà, qui suos pascit perbenignè, committens. Socijs ad hæc lectissimis in diversas Urbium missiones divisis, Lugdunum destinavit P. Edmundum Augerium, & P. Possevinum, quorum operâ diligentiáque, ruente Republicâ, Religio majorum stetit, ac restitit perduellium furori, ùt in eorum gestis narrabitur.

Tandem pacato utcunque Regni statu, repressóque Sectariorum furore (qui tamen sequentibus annis atrociùs efferbuit) persua-

ſi fuêre plurimi Antiſtites Galli, ut ad Concilium ſe Tridentum conferrent, quod Pius IV. denuo inſtaurabat. Eòdem quantocyùs mimigrare juſſus à Pontifice Laines, Junio menſe anni 1562. per Belgium iter inſtituit, ejuſdémque Gubernatricem Margaritam Auſtriacam Parmæ Ducem ſalutaribus monitis ad Catholicam Fidem tuendam animavit, & Collegia Cameraci, Antverpiæ, atque Leodij fundanda recepit. Coloniam deinde, Treviros, atque Moguntiam tranſiens, Electores ſingulos convenit, ſummis honoribus & amoribus cultus: & tam ipſos, quàm alios omnes in tranſitu Præſules vehementer incitavit, ut ad Concilium irent. Nec ſolùm privatis alloquijs & conſilijs ſingulos in retinenda Fide adjuvit, ſed ſtudijs etiam, quibus vera Religio defenditur, fovendis, ubique ferè conciones in auguſtiſſimis templis habuit. Auguſtam ubi venit, negotio cum Fuggeris de fundando ibi Societati Collegio confecto, Ingolſtadium tenuit: at præter cetera ſubmovendum ab Academia Doctorem, qui hæreſim diſſeminabat, procuravit. Tandem Tridentum jam diu expectatus, & obviam miſſo nuncio feſtinare juſſus, inſigni omnium gratulatione ingreditur: in cujus abſentia licèt diſputari de rebus maximè arduis, ùt de Euchariſtiæ Sacramento, cœptum eſſet, ſententiam tamen illius de ſingulis audire exoptabant, quòd unum multorum inſtar eſſe dicerent. De loco ipſi in ſeſſionibus attribuendo non modica diſceptatio orta eſt, quòd non tantùm ùt Pontificis Theologus, ſed ùt Generalis Religionis Clericorum Synodo intereſſet. Et verò Rituum Magiſter primum illi idcirco locum in Generalium ſubſellijs, poſt Canonicorum Regularium Generalem aſſignaverat: ſed cùm Generales Monachorum & Fratrum graviſſimè ferrent, Societatem tum recentiſſimam ſibi præponi, Lainius Legatos Cardinales per DEUM eſt obteſtatus, modò teſtatum ſit Societatem eſſe de genere Clericorum & Presbyterorum, imum ſibi locum ad tollendas contentiones concederent. Tantam animi modeſtiam & æquitatem mirè omnes extulerunt: negârunt tamen Legati ſeſſionis delectum ex ipſius humilitate decidi poſſe, ſed ad ſe pertinere, qui tueri dignitatem Ordinum, vetuſtóſque Eccleſiæ mores deberent: planum autem eſſe Presbyterorum Ordinem, Monachorum Religionibus præferri ſolitum. Nè tamen longiore diſceptatione tractandis rebus mora injiceretur, extraordinarium ei locum aſſignârunt, ut in ſubſellijs Epiſcoporum aſſideret, verùm ſententiam poſt Generales ultimus diceret.

Sub hæc indicto Conſeſſu ad 24. diem Septembr: in quo agendum erat de SS. Miſſæ Sacrificio, totum matutinum tempus ad dicendum uni Lainio attributum fuit, cujus audiendi ſummum omnibus erat deſiderium, ſic ut eo die nullus è Cardinalibus Legatis, nullus è Principum Oratoribus, nullus denique ex omnibus Epiſcopis aliíſque Prælatis abeſſe ſuſtinuerit. Dicere è loco ſibi inter Epiſcopos aſſignato exorſus, cùm non ſatìs à Cardinalibus Legatis remotior audiretur, ad ſe accerſitum propè ſe locant: verùm inde viciſſim difficulter ab imis Epiſcopis quia percipiebatur, relictis hi ſubſellijs accedere propiùs alij ſuper alios cœperunt. Tum demum Legati afferri ſuggeſtum jubent, intérque ſe & Epiſcopos collocari, ex quo cùm duas horas & mediam conſtanter ſuam ſententiam argumentis ſolidiſſimis firmatam dixiſſet, ſelectiſſimus ille ex flore & apice humanæ gentis Conſeſſus propè attonitus hæſit. Nec diſſimili frequentiâ & approbatione deinceps ſæpius in Conventibus tres etiam continenter horas dixit, & nihilominus conſuetas in templis conciones obivit: ex quo communi conſenſione nata ea fama eſt; Lainis ſententiam, citra exceptionem controverſiámque, veram & certam videri. Eâ verò in tuendis Fidem attinentibus ſententijs erat conſtantiâ, ut ambiguam & incertam, quæque aliter exponi poſſet, nunquam admitteret, neque ejus aſſertoribus ut adhæreret, ullis argumentis adduci poſſet, licèt omni ope ac induſtriâ niterentur, ut vel unus ſubſcriberet Laines. In DEUM enim & integritatem Eccleſiæ unicè intentus, nullâ auctoritate, nullius gratiâ hominis ſuam frangi conſtantiam, flecti rectitudinem ferebat. Quare cùm Ferdinandus I. Cæſar, & Dux Bavariæ, ſummo ſtudio poſtularent à Concilio uſum Calicis populis ſuis permitti, Laines tamen, eſto binis his Principibus Societas omnium maximè obſtricta eſſet, omnium fortiſſimè reſtitit, argumentis ità validis & potentibus, quæ Patres omnes, multum jam in favorem Cæſari inclinatos, in eundem ſenſum pertraxerunt. Pari fiduciâ contra multorum Epiſcoporum ſententiam diſſeruit pro Pontificis ſuper omnes Antiſtites auctoritate, cùm diſceptaretur duplex controverſia: eſſétne Epiſcoporum poteſtas immediatè à DEO, abſque ullo Pontificiæ auctoritatis medio: &, num

rum divino jure præceptum, ut in suis Diœcesibus residerent: circa quam tanto pondere, támque felici exitu pro parte Vicarij Christi peroravit; ut tum maximè divinus illi Spiritus adesse visus sit; testatíque fuerint Consilij Præsides, non vulgare eo die unius hominis meritum in Sedem Apostolicam extitisse. Ex contrariæ verò sententiæ Episcopis, omnes uno excepto, post auditum Lainem, partim ingenuè & candidè suam sententiam retractârunt, aliter se fuisse sensuros, si eum priùs audissent; partim conati sunt quæ dixerant explicare, & ad sensum commodiorem trahere. Quibus rebus tantam apud omnes existimationem consecutus est; ut passim eum omnes vel ad se accerserent, vel eum ipsi frequentarent, consilium ac lumen ad suas res privatas & publicas petituri. Hercules inprimis Gonzaga Cardinalis Pontificiorum Legatorum primus ità consuetudine Lainij captus est, ut omnino decerneret Mantuæ, cujus erat Episcopus, Societati Collegium instituere. Quin etiam suæ Diœceseos statum rectè ordinare cupiens, tanto ab Lainio contendit opere, ut Mantuam excurreret, & cùm omnia circa Diœcesim suo arbitratu componeret, tum Collegio designaret locum, ut denegari non potuerit. Quibus legitimè magnâ Cardinalis approbatione perfectis, & aliquot concionibus ad populum, & quædam Cœnobia Virginum Mantuæ habitis, Tridentum redijt. Ubi iterum sapientiâ suâ eam recenti Societatis Familiæ existimationem apud augustissimum illum Senatum conciliavit, quam duabus rebus maximè, inclinante jam in finem Concilio, demonstravit. Altera est, quòd cùm S. Synodus instituenda juvenum Seminaria censuisset, ad idoneos Ecclesiæ Ministros formandos, jussisétque Magistros illis & Præceptores aptissimos deligi, S. Congregatio interpretum Tridentini mandavit, ut si eo loci reperiantur Jesuitæ, ceteris anteponantur. Et verò nemo ex Concilij Patribus ferè fuit, quin hujusmodi Provinciam Societati in sua quisque Diœcesi animo destinaret: quâ causâ permulti Collegia apud se institui à Laine flagitârunt, atque etiam paulò pòst constituta sunt Oeniponti in Tyroli à Ferdinando Cæsare; Brunsbergæ in Prussia à Cardinali Hosio, Tridenti Lainio persamiliari; Mediolani à S. Carolo Borromæo; Parmæ à Farnesio Duce; Rhegij in Calabria, Gadibus in Hispania, Calari in Sardinia. Altera, quòd cùm de Regularibus Religiosísque tractaretur, Legibus quibusdam adstringendis, sola Societas JESU cum honorifica sui mentione ab ijs excepta est his verbis, Sessione 25. c. 16. *Per hæc tamen Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU juxta pium eorum Institutum, à S. Sede Apostolica approbatum, Domino & ejus Ecclesiæ inservire possit.* Quod beneficium Lainij maximè authoritati & virtuti secundùm DEUM debetur, cujus opinionem tantam Cardinalis Lotharingus concepit, ut in digressu illi confirmârit, nihil se Lainio ipsi in amanda tuendáque Societate cessurum, suísque humeris eam in Gallia, & ubicunque gentium posset, sustentaturum.

Absoluto feliciter ad 4. Decembris anno 1563. sacro Concilio, Lainius cum Socijs Romam revertens, quascunque Italiæ Urbes transire contigisset, conciones ubique magnis hominum precibus & concursibus adactus habuit: ingenti discrimine in itinere defunctus, cùm ab cõsternato mulo in terram dejectus est, qui licèt stratum jam Patrem transilijsset, nihil tamen nocumenti attulit. Romam delatus accuratissimè ante omnia Societatis res, tamdiu per Vicarios gestas, inspexit, & aptissimè ordinavit: simúlque concionibus se publicis reddens, cùm tot ampliùs laboribus sufficere non posset, in morbum incidit, ex quo decessurus credebatur. Recreatus nihilominus ex illo jam meliusculè habere cœperat, cùm iterum concionari per Adventum incipiens, adeò juvandæ Ecclesiæ DEI flagrabat! post tertiam dictionem absistere coactus est, morbo supra modum invalescente prostratus. Inaudierat fortè pro incolumitate sua non domi solùm, sed & publicè vota concepta, supplicationésque ad templa Sanctorum & peregrinationes indictas: quâ re vehementer se dolere ostendit, non humilitatis studio duntaxat, quòd his indignum sese diceret; sed desiderio etiam vitæ beatioris, ad quam impensissimè anhelabat, identidem illa usurpans, *ut quid adhuc terram occupo?* inutilem se deinceps Societati, inutilem Ecclesiæ & proximis appellans: cùm reverà quamdiu spiritum duxit, vel sola ejus auctoritas omni hominum generi opportunitates permagnas afferret. Percepto Januarij die 16. in viaticum SS. Christi Corpore, benedictionem ab ejus Vicario supremam impetravit, diéque altero ad agonem unctus: postquam Societati universæ bene precatus est, rogatus à PP. Assistentibus, ut Vicarium pro se Generalem nominaret, sive humilitatis, sive imitandi S. IGNATII studio, recusavit. To-

to autem ægritudinis tempore inter ardentiſſima Patriæ cœleſtis deſideria, uberrimis pietatis lachrymia interpolata, ea patientiæ documenta dedit, ut quæ ſanus valénſque vitæ præcepta dictâſſet, ea ad extremum halitum opere tenuiſſe oſtenderit. Notârunt autem è Patribus curioſi, & ſcripto teſtatus eſt ipſe S. Franciſcus Borgia, à Lainio biduum ferè amiſsâ voce decumbente, Borgiam inter reliquos lectulo adſtantem fixis continenter oculis fuiſſe ſpectatum, adeò blandè & hilariter, ut vel eo intuitu Societatem illi commendare voluiſſe, & munus Præpoſiti Generalis prædixiſſe judicaretur. Nocte tandem Jan: 19. anno 1565. vitâ hac mortali deceſſit, ætatis 53. Vir de Chriſtiana Republica optimè meritus, ingens ſui deſiderium Urbi & Curiæ Romanæ, ipſíque Vicario Chriſti relinquens: teſtantibus nonnullis Cardinalium, multis retro annis nullius perinde mortem dolori toti Romæ fuiſſe. Cardinalis autem Alexandrinus è S. Dominici Familia (is qui poſtea in Pontificatu Pius V. dici voluit, hodie in numerum Beatorum relatus) accepto de morte Patris nuncio, *ô quàm meritò toti Eccleſiæ*, exclamavit, *lugendum eſt! quia hodie ſcuto & haſtâ adversùm hoſtes ſuos orbata eſt.* Poſtridie ad latus ſiniſtrum aræ maximæ in templo Profeſſorum, cùm ad dextrum Sancti IGNATII corpus jaceret, ſepultus eſt publico totius Urbis luctu, plurimis deoſculari, roſarijs contingere, & quidpiam ejus reliquiarum habere certantibus. Teſtatus autem eſt ſcripto S. Franciſcus Borgia Lainem obitûs ſui diem prædixiſſe: *affirmare queo*, ſcribit ipſe, *haud nos credidiſſe brevem adeò ejus diſceſſum futurum; & quidam Medicorum perbene ſperare jubebant. Sed ille, ùt qui certiores habebat nuncios præſtantioréſque auctores, cùm die S. Epiphaniæ vellent ei potionem medicam dare, diſtulit in diem poſterum, dixitque mihi: ego hodie volo Sacrum facere, quod ultimum pro viatico erit; ità fecit, ità evenit: ultimum illud ſacrificavit, quamvis eo tempore haud dum decumberet, & quantum opinor etiam domo exiret. Deinde morbo ingraveſcente cùm ego Sacra, quæ pro ipſo fiebant, referrem, quadam quaſi ægrè ferentis ſpecie dixit: nollem ità pro me fieri Sacra, retinent enim ac morantur me à tranſitu ad vitam Beatorum, uti & iſtorum benedictorum Fratrum preces.*

Neque Romæ ſolùm & per univerſam Societatem, ſed à quibuſdam etiam Principibus & Urbibus per diverſas Provincias illi parentatum fuit. Atque Otho Truchſes Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus in ijs, quas illi apparatu magnifico celebravit Dilingæ exequijs, cenotaphium non pullâ veſte, ùt moris eſt, ſed purpureâ inſterni voluit; quòd tanti viri memoriam, ùt ajebat, non luctu, ſed gaudio & gratulatione proſequi æquum eſſet. Cúmque laudationem funebrem adjici juſſiſſet, ubi Orator finem dicendi fecit, protinus ipſemet Cardinalis è ſuo ſolio fari exorſus in magna hominum frequentia, inter cetera, *veriſſima ſunt*, inquit, *quæ commemoravit Orator, ſed prætermiſit haud pauca. Tria ego ſuperaddam, quæ mecum ſunt acta. Diſceſſuro in Galliam cùm equum generoſum atque percommodum obtuliſſem, perpelli bonus Pater ut uteretur nunquam potuit: atque ejus verba hæc erant: equus quidem optimus eſt, ſed pauperi aptus non eſt. Deinde cùm crederetur à Paulo IV. in Cardinalium Collegium cooptandus, ad me adijt lachrymantibus oculis, inſtititque ut apud Summum Pontificem intercederem, & nihil intentatum relinquerem. Quod ſi illi certum eſſet perſtare in ſententia, ſibi quoque certum eſſe fugam arripere, atque abdere ſeſe. Tandem cùm mortuo Paulo IV. duodecim ſuffragia Cardinalium ad Pontificatum abſens Lainius tuliſſet, vocatus à me eâ gratiâ ad Conclave, ubi id reſcivit, fugâ ſe proripuit: ne, quod nollet, Pontifex renunciaretur.* His adjecit: *illum flocci facere ſolitum hæreticorum in ſe calumnias, convitia & blaſphemias, quâ erat animi celſitudine & Eccleſiæ zelo præditus.* Fuit enimvero Laines Vir naturæ & gratiæ donis inſtructiſſimus, cui ex decem primis Socijs plurimùm debere Societatem IGNATIUS ipſe aſſeruit. Ingenium illi vividum, ingens, excellens, acre, vehemens, ſubtile, clarum & firmum: animus item magnus & imperterritus, res propoſitas quæ in dubium vocarentur, citra meditationem apprehendere capax, & ad omnium ſtuporem diſtinctè, perſpicuè, atque ordinatè diſſolvere potens, ut eo audito nihil ampliùs dubij moveri à quopiam poſſe videretur. Legendi cupiditas in eo expleri non poterat, quâ inſuper ex lectis optima quæque in adverſaria & compendium redigebat. Hâc Artium omnium Scriptores exhauſerat, nihil ut ignorare, & quod diſceret deeſſe videretur: quod in admirationem rapiebat omnes, cùm tot actionibus, concionibus, & negotijs ſui ordinis, Eccleſiæ, Reíque publicæ diſtineretur. Nimirum DEUS gratiam divinitus ſapientiámque infuderat, ut quod legeret ſimul ferè addiſceret, & firmiter retineret. Patavij certè Collegium aliquamdiu gu-

gubernans, licèt concionibus & confessionali intentus, Alphonsum Tostatum non evolvit solùm, sed & manu suâ in epitomen redegit. Basenti item per vernum jejunium quotidie concionatus, tomos tamen Conciliorum omnes attentè pervolvit.

Ad has naturæ dotes accedebant singularia gratiæ & virtutum ornamenta: & inprimis ardens orandi & divina meditandi studium, medias etiam inter negotiorum occupationes, in quorum occurrentibus difficultatibus primum ad DEUM erat refugium. A puero usque ab vitijs omnibus abhorruit, præcipuè ab obscœnis, unde illibatum pudicitiæ florem ad supremum spiritum conservavit. Incesserat fortè adolescenti religio, cùm illa in templo verba recitari audisset: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*: quænam crux ceteris esset gravior? quam animo generoso post Christum ferendam tolleret; venítque in mentem, Conjugium videri: animum igitur ad illud tum appulerat, donec cum ætate crescente judicio, puduit illum consilij, séque ipsum postea ridebat. Corpus spiritui ità subjecerat, ut carere passionibus videretur, neque in eum caderet metus, aut rei creatæ ullius cupiditas. Apud quoscunque ageret, quod loquendum sentiebat, candido excelsóque animo pronunciabat: perindéque si quid peteretur, etiam à Principibus, quod minùs concedendum putabat, eâdem ingenuitate negabat. Rogatus à Comite Montis Acuti, ut puero, ipsímet Lainio cognato, aditum ad beneficium Sacerdotale & Curiam per Regressum, utì vocant, impetraret, absque ambagibus negavit, indignum id sibi præcipuè factu esse, qui ad annos 30. privatim ac publicè etiam in Concilio Tridenti docuisset, ejusmodi depravationes corrigi oportere: hinc nequaquam se commissurum, ut quos laqueos, DEO juvante, nunquam suâ causâ inciderat, in eos senex nepotum causâ indueretur. Duo crimina gravissimè oderat, unum eorum, qui per malas artes Sacerdotiorum reditus invadunt, & ex patrimonijs pauperum, ac pretio sanguinis Christi student, quocunque modo rem familiarem augere: alterum eorum, qui simulato zelo speciéque religionis pietatem oppugnant. Munus boni concionatoris tanti æstimabat, ut cùm ad P. Franciscum Strada scriberet, quem Provincialis munere, ut dare concionibus operam posset, absolvebat, illud quoque adscripserit: si copiam eorum, quos commodè regendis Provincijs posset sufficere, nactus esset, quicunque ad conciones apti essent Provinciales, eos omnes curâ Provinciæ exempturum, quò divini verbi spargendo semini toti vacarent. Ejus industriâ Societati sex Provinciæ additæ sunt, Neapolitana, Longobardica, Toletana, Aquitaniæ, Rheni, Austriæ, primíque eidem aditus in Galliam & Poloniam aperti.

Ex Historia Societatis, & ejus Vita Ribadeneiræ, & Tomo 2. Nierembergij de Viris Illustribus.

P. NICOLAUS GAUDANUS.

Natus in Hollandia Pater Nicolaus Gaudanus, doctrinas humanas divinásque Lovanij percepit, semper inter Condiscipulos ingenio doctrinâque primus. Creatus Sacerdos & in Theologia Baccalaureus, cùm præclaræ ex æquo scientiæ ac virtutis exempla præberet, ac forma ipsa, totiúsque oris habitus ad modestiam atque exemplum composita, miram binis animis gratiam geminarent, & propterea ad regendos pascendósque populos certatim expeteretur, ipse Societatem apud Canisium Lovanij tum agentem 1546. impetravit: emisśísque Religionis votis, Bergensibus Concionator datus est. Et erat in eo sanè facultas dicendi mirabilis, & instrumenta naturæ atque doctrinæ: itáque celebrabatur ubique, ut quoties resciebatur eum esse dicturum, occuparentur diu antè subsellia, proximísque curreretur è pagis. Ad ejus vocem plurimi hæreticorum errores suos posuêre, & vitia inveterata peccatores, & mysteria divina, quanto nunquam antea cives meminerant, accursu frequentabantur, ut primævæ Ecclesiæ tempora quodammodo reducta viderentur. Multa cum hæreticis, quibus audacter se opponebat, prælia sustinuit, & abductam à Religione Catholicam plebem in sinum Ecclesiæ, ipsis hostibus admiratione perculsis, integrè reduxit. Cùm verò ab Ignatio Romam, quò meliùs Societatis normam atque Institutum in fonte ipso combiberet, evocaretur, ægrè non modò Bergenses, sed & Lovanienses tulêre ab se abstrahi, & tam Marchio Bergensis iteratò, quàm Collegium Sacerdotum ad Ignatium literas dederunt, nè spoliare tali Pastore, qui se murum hæreticis unicus opponebat, gregem illum vellet: namque non tantùm simplicem po-



P. Nicolaus Gaudanus Holandus, Pontificius ad Mariã Stuartam Scotiæ Reginam Nuncius, continuis in Hæreticos prælijs, et victorijs clarus. Obijt Lovanij in Belgio 10 Novemb: A°. 1565. Ætat: 50.

17.

populum ab erroribus labore ejus defenſum, & hæreſes penitus extirpatas, ſed etiam correctos mores, conviviorum & veſtium luxum; arctiorem ſanctimoniæ cultum in virginibus viduíſque, atque etiam in conjugibus introductum. Verùm IGNATIUS in propoſito conſtans, cùm alium ei de Socijs æquè idoneum ſubſtitui juſſiſſet, virtutem ejus Romæ varijs experimentis periclitatus ità approbavit, ut non multò pòſt rurſum in lucem & ſuggeſtum productum, mox anno 1550. quatuor vota Profeſſis adnumerârit, & inſignia Doctoratûs Theologici ſolenniter Bononiæ recipere juſſerit. Eundem mox Collegio Veneto, hoc anno inchoato, primum Rectorem impoſuit; ac deinde Ingolſtadium, ad tuendam contra vicinas hæreſes Religionem orthodoxam, docendámque rogatu Ducis Bavariæ Theologiam, tranſmiſit. Cùm verò pòſt paulò Imperator Collegium Societati Viennæ Auſtriæ, quæ tum magnam partem hæreſi infecta ab Lutheranis Magiſtris erat, fundâſſet, ſupráque ceteros Socios Theologorum par à Pontifice poſtulâſſet, Gaudanus cum Petro Caniſio illuc abire juſſus eſt, ſummo Academiæ & populi Ingolſtadienſis dolore, ac Duce perinvito.

Ergo Viennæ S. Scripturæ atque Theologiæ arcanis explicandis admotus, ſuper ceteram pietatis induſtriam, Catecheſim rudibus explicandam ſummo ſtudio aſſumpſit: ad quam inopis turbæ & puerorum gregem ipſe colligere, paternâ curâ inſtituere, ſingulíſque prout cujus ferret neceſſitas, corrogatâ ex locuple-

cupletibus pecuniâ, cibaria, vestitum, medicamenta providere, itáque corporibus æquè ac animis geminatâ misericordiâ mederi. Anno 1557. cùm Romam ad electionem Lainij cum Canisio venisset, necdum finitâ Congregatione jubetur à Pontifice cum eodem Canisio, itâ postulante Ferdinando Cæsare, Wormatiam se conferre, ad tuendam contra hæreticos, qui ad certamen super Religionis capitibus Catholicos provocabant, Fidem orthodoxam. Aderant jam cum Philipo Melanchtone & Brentio hæreticorum Germaniæ prima capita; qui suorum Principum armati edictis conjurabant acerrimè, certi non discedere, nisi quà vi, quà dolo victores: & Gaudanus ipse censebat emolumenti vix aliquid ex eo colloquio in Religionem promanare posse. Nè tamen hæc desesi, & adversarijs triumphum canendi ansa daretur, initium colloquio datum est 12. Sept: ubi mox apparuit, quàm parum ipsimet inter se errorum Magistri in doctrina convenirent. Immisit in eos DEUS spiritum contradictionis, ut inter se acriùs quàm cum Catholicis digladiarentur, séque invicem in responsis damnarent errorum: & Melanchton consentaneâ ijs pœnâ, qui immanes bestias educant, à suis alumnis egregiè laceraretur. Eò denique altercatio processit, ut quinque è suo numero veluti hæreticis ejectis, reliqui argumentis pressi, dum aliter quàm convitijs & clamoribus evadere non possunt, negotium abruperint, pari cum gloria Catholicorum, & hæreticorum infamia. Illud præterea ad liquidum intellectum est, hujusmodi congressus viam non esse idoneam ad pacem conciliandam. Igitur Gaudanus ad firmandos in Fide cives, qui pauci incorrupti remanserant, conversus, Cleri etiam mores fœdè depravatos magna ex parte correxit: publica lustrabat Gymnasia, ibíque pueris castæ Religionis elementa instillabat. Ex quibus conatibus pertinaci tussi contractâ, judicio Medicorum, tabe conficiendus paulatim credebatur: sed in gravissimis diurnis nocturnísq; laboribus, qui vires enervare integras debuissent, singulari DEI munere propè est valetudini restitutus. Itaque resumptis DEI beneficio viribus ad unam DEI gloriam & animarum salutem utendum ratus, itâ deinceps inundanti omnem Germaniam hæresi concionando & agendo se opposuit, ut Pontifex secundis rumoribus in præclara viri opinione firmatus, eum in Scotiam Nuncium Apostolicum designârit.

Cùm enim Maria Stuarta Scotorum Regina, morte Francisci II. Gallorum Regis, cui nupta fuerat, in Scotiam se recepisset; & quanquam perturbata hæresi omnia reperiret, tamen constanter tueri avitam Religionem eniteretur: pijs conatibus ejus periculísque cognitis Pontifex Pius IV, simul consolandam & animandam per literas, & Nuncium ab se mittendum putavit. Delectus est, quò res tota minore motu transigeretur, P. Gaudanus, qui licèt valetudine omnino prostratus, plenam periculi legationem, præ studio boni publici & obedientiæ Pontifici debitæ, longè ante salutem suam habuit. Additi ei duo Nobiles Scoti, Edmundus Haius, & Guilielmus Crittonius, in ævi flore, pietate ac literis affatim instructi, qui recentissimè Societate recepti erant. Prægresso Crittonio in Scotiam, subsecutus est, Haio duce, cum Joanne Rivato item de Societate, Gaudanus. Verùm itâ cecidit; ut, cùm Antverpiæ cōscendissent, & ad Lethæ portum in Scotiam feliciter appulissent, exscendentibus Crittonius quodam nobili comitatus interveniret: cui Crittonius intempestivâ confidentiâ, quid Gaudanus, & cujus missu veniret aperiens, dum iste parum iterum cautè rem credit amicis, ad hæreticorum Ministrorum aures fama illico pervolavit. Extemplò tollunt è suggestibus vocem, adesse ab Antichristo Legatum, qui Reginam dolis, donísq; corrumperet, & Euangelium everteret, teterrimum Regni & Euangelij hostem, cujus in sanguine lavare manus pro sacrificio foret. Igitur Gaudan⁹ hominis Aulici assumpto cultu, summam tamen expertus est difficultatem, ut ad Reginam semel iterúmque penetraret. Dominatum hæretici, maximéque Spurius Reginæ frater, obtinebant in Regnum, atque Reginam ipsam; templis eversis, Reginæ solùm privatim domi Sacrificij usu concesso. Aditus ad eam itâ omnes interclusos & obseptos Proceres & Consiliarij habebant; ut non nisi per posticum admittendi Gaudani facultas fuerit, cùm ea suum fratrem reliquósque custodes de industria submovisset, ad concionem tabulæ ipsorum dimissos. Memoratu difficile est, quantum consolationis ex eo SS. Papæ officio præstantissimæ Heroinæ acciderit, animíque quantum accesserit. Renunciari Pontifici jussit (quod & per literas ipsa professa est) se omni studio sanctam Fidem tueri, próque ea mortem & extrema omnia paratam subire. Ut Episcopos etiam Gaudanus conveniret, ad quos item Pontifex

mandata dederat, nihil intentatum per media vadens pericula intermisit: sed nemo illorum est ausus coràm ipsi se credere, præter Dunkeliæ Episcopum: qui, cùm in ædes suas medio in lacu positas secessit, eò deduci Gaudanum permisit habitu servi, quasi Mercatori Italo, cui pecuniam quandam Præsul debebat, famularetur. Ubi verò secreto in conclavi Pontificiæ literæ prolatæ sunt, ambos ea vis lachrymarum oppressit, miserrimo Religionis id locorum statu animos subeunte; ut diu neuter erumpere in vocem potuerit. Interim ex vulgata fama diligenter Gaudanus ad necem conquirebatur, evenítque; ut Mercatorem Gallum, ex Aberdonia urbe in Dynastæ euntem castellum satellites nacti, ratíque ipsum esse, sub ementito habitu, Nuncium Apostolicum, verberibus malè mulctarent, omni licèt asseveratione pernegantem eum se esse, quem illi arbitrarentur: nec dubium quin confecissent, nisì in Urbem reductus, pro Mercatore, ùt erat, agnitus fuisset. Obsederant item portus hæretici, nè Nuncius acceptis à Regina literis exitum inveniret. Verùm Haius & Crittonius cum fideli nauta pacti, ut aliquot à portu millibus passuum opperiretur; eò per Scapham Gaudanum, comite ipso Crittonio, emisêre. Haius aliquamdiu substitit, móxque cum præclara adolescentium Catholicorum manu subsecutus est: ex quibus deinde datis Societati nominibus, in viros egregios evasêre, Jacobus Tyrius, Joannes Haius, Robertus Abercombæus, & Guilielmus Murdocæus, quibus plurimùm Scotia debet; ídque pretium ex ea peregrinatione princeps extitit.

Exposito Pontifici Scotiæ statu, & legationis successu, Gaudanus in Belgium secessit, & Lovanij ad Academicos, quod unum per vires ferè poterat, tum Conciones sacras, tum Catechismi explicationem, in Collegijs maximè Porcensi ac Liliensi, ad obitum usq; habere perrexit; eo successu, ut longè alios tum ad studia literarum, tum ad domesticam & civilem quietem, tum demum ad pietatis cultum, adolescentes se habere, Rectores Præsidésque Collegiorum & Magistri professi sint. Demum corpore morbis varijs exténuato fatiscens, annis minimè gravis, necdum enim 50. expleverat, immaturo decessu omnes afflixit. Ut verò in ipso quodammodo opere Apostolico expiraret, pridie quàm decederet, domesticos omnes convocatos præclarâ exhortatione ad omnem virtutem instituit incitare, quâ id temporis maximo sensu dictâ, lachrymas omnibus excussit. Eundem subinde severum DEI judicium considerantem timor ingens ac tremor invasit: sed cùm Franciscus Costerus Provincialis eum erexisset, in hæc verba erupit: *trajectus quidem nobis restat terribilis, sed vos ô Apostoli Domini, Martyres, Confessores & Virgines, poteritis vestris precibus imbecillem animam ex mari tam turbulento in cœlestem portum transvehere! poteritis sanè DEI clementiâ.* Ità recreatus, mysteriorúmque supremis munimentis roboratus, placidè animam exhalavit anno 1565. Nov: die 10. ut subridere in ipso obitu visus sit, eáque blanda species in cadavere ipso remansit.

Ex Historia Societatis.

P. GASPAR DE AZEVEDO.



EDitus in Urbem Vallisoleti, Societatē ætate jam maturus obtinuit, & gradibus Academicis conspicuus; in qua Vir præclaræ virtutis & pœnitentiæ evasit. Singulare à DEO munus orandi assecutus, 4. illi horas matutino tempore, duas sub vesperam tribuebat, genibus semper nudis duro solo affixus, quæ indè multo calle obduruerant. Cilicio magnam partem asperrimo induebatur, quod erat saccus ad modum vestis, à collo ad talos usque è setis hispidis contextus; huic ferream jungebat catenam, quam nunquam à corpore arctè adstricto demovebat. Somni cibíque parcissimus, super nudis cubabat asseribus; nempe qui non invitarent somnum, sed arcerent potiùs & cruciarent. Flagellis acriter quotidie artus concidebat: sæpiúsque post habitam feriâ 6. ad domesticos ex more Societatis, in Collegio Burgensi (quod novennio magnâ sanctitatis opinione rexit) exhortationem, cum omnibus in templum descendens, instituebat publicam flagellationem, dum ipse præorando decurreret 7. Psalmos pœnitentiales cum Litanijs de omnibus Sanctis: privatim verò ipse altero tanto prolixiùs in corpus sæviebat. Nunquam vinum gustavit: nec quidquam feriâ 6. & Sabbato, præter panem & aquam, extra alia crebra jejunia. Cùm solus absque teste versaretur in cubiculo, deprehensus est summis pedibus insistens, toto corporis pōdere in genua identidem humi procidere, ut dum inclinatione illâ pronus Divini-



P. Gaſpar de Azevedo S.I. Hiſp: Valliſoletan, poſt vitam in maximis corporis cruciatib, et Animarum lucris tra; ductam, contagione à poenitente contractâ extinct, Burgis 1565.

I.G. Heinſch del: 18. *Bal: v. westerhout ſculp: Pra:*

Divinitatem veneratur, malè ſimul corpori alliſione tibiarum faceret. Neque interim ſalutis proximorum negligebat curam, cujus ingenti zelo cùm eum flagrare viderent Superiores, deſtinaverunt in Indiam primâ navigatione ſoluturum, ingenti ipſius guſtu & ſolatio: cui tam longinquo itineri neceſſaria proſpecturus, eleemoſynam petijt ſoli novæ cilicinæ veſti, priori haud paulò aſperiori, curandæ, quam illico toti corpori induit. Fuit autem hæc adeò hirſuta & terrifica, ut à morte Patris à Socijs in ejus cubiculo inventa, ſolo aſpectu horrorem moverit, demirantibus, quâ ratione homo exanguis & jejunijs confectus tanto rigori ſufficere potuerit. Sed placuit DEO pro Indijs cœleſtem portum Patri aperire, ejúſque induſtriam ad multas animas ſecum in Paradiſum adducendas, Burgis in Apoſtolico zelo exercere. Cùm enim mox contagio irrepens Urbem atrociter depaſceretur, primus fuit P. Gaſpar, cui ſors deſiderata obtigit, mortis in eo obſequio optandæ. Dum enim nocte quadam, quo tempore primus ipſe, ſi quis evocaretur, adeſſe ſolebat, repentè accitur ad excipiendam moribundi ex plebe hominis confeſſionem, & properè accurrens in publico miſeri jacentis confeſſionem in genua ſubmiſſus excipit, peſtem ſimul, tam promptæ charitatis mercedem, ab ejus anhelitu hauſit, quæ illi iter ad Cœlum aperuit. Quâ felicitate mirè hilaris non ceſſabat vicos percurrere, paratam omnibus ferens operam: dum denique proſtratus, Medici etiam juſſu in lectum fatalem procubuit.

Neque tamen impediri potuit, quin lectulo identidem prorepens ad orandum in genua provolveretur, cupidus à morte in oratione eodem situ deprehendi: cui tandem felix succubuit Anno 1565. dignus profectò mortem in pace Martyribus affinem sortiri, qui vitam egerat asperitate sanctis proximam Anachoretis. Ejus exemplum & vestigia in obsequio pestiferorum secuti P. Alvarus Orisius Concionator, & duo Fratres Laici, pari beato fine vitam amisêre.

Ex Historia Societatis & Tomo 1. Nierembergij de Viris Illustribus.



P. Bartholomæus Bustamantius Hispanus Complutensis S.J., salutis proximorum, per omnē vitam zelantissimus, pueris, et Mauris docēdis addictus præcipuè. Obyt Trigveri 21 Jun: 1566. æt: 70.

19.

P. BARTHOLOMÆUS BUSTAMANTIUS.



Pater Batholomæus Bustamantius natione Hispanus, Patriâ Complutensis, quo tempore S. Franciscus Borgia nuncio rebus caducis remisso, Hispaniam prædicatione & sanctæ vitæ exemplis illustrabat, Joanni Taveræ Archi-Episcopo Toletano fuit à secretis, Sacerdos jam, Theologiæ Jurísque Pontificij Doctor, & Concionator insignis, Architecturâ quoque præstans, & multo sæculi limatus usu, vitæ jam tum ità probatæ; ùt cùm gravissima negotia pro Archi-Episcopo, cui ulterioris Hispaniæ simul procuratio erat commissa, ageret, ideóque multa opima illi Sacerdotia in præmium industriæ offerrentur; nun-

nunquam tamen persuaderi potuit, ut Beneficium plus quàm unum Ecclesiasticum admitteret. In eo seduli Pastoris munere multos annos cumulatè perfunctus, cùm studio flagraret ardentissimo omni ratione DEO se probandi, & ad illius unicè voluntatem vitæ cursum omnem dirigendi, dies ac noctes ei supplex erat, ut viam sibi, quæ eò ferret atque deduceret, commonstraret. Cùm verò aliquando inter sacrificandum idipsum magnâ vi lachrymarum atque singultuum ab Christo Domino, quem tenebat in manibus, precaretur, perpulit eum quodammodo, ut signum aliquod ederet voluntatis suæ, genúsque vitæ, quàm maximè sibi probatum & acceptum ostenderet. Continuè siquidem permotione quadam mentis insolitâ, & veluti voce interiore se moneri sensit, ut ad Borgiam sinè cunctatione profectus, quod ab eo fieri animadverteret, idem ipse suis vitæ moribus conaretur exprimere. Itaque è vestigio domo negotiísque posthabitis, Ognatam, ubi tum Borgia degebat, se confert, reperítque commodùm illum in cœmento & lapidibus ad ædificium Collegij convehendis occupatum. Quâ specie tanti viri veluti miraculo attonitus, consilium illi suum exponit, totum animum & pectus aperit: dimisísque illico famulis cum eo permanet, atque in Societatem anno 1552. receptus, complures annos Borgiæ in suis itineribus, ubique Verbum DEI prædicando, & sedulò omnes ad pietatem pertrahendo, comes adhæsit. Cum quo dum iter in Lusitaniam anno sequenti suscepisset, & Borgia per asperum saxísq; præruptum montem, ultra Mundæ fluminis ripam, in oratione & divinorum contemplatione defixus præiret, sequebatur Bustamantius, sertum Marianum DEIparæ honori recitans: & dum per angusto tramite, loco sanè lubrico & scopuloso equitat, mula cui insidebat repentè prolapsa, ruere in præceps per rupes altas & voragines cœpit, aspectu ipso formidabiles. Magnæ tum viro tenebræ, magnus ruenti horror, in eo tamen mens constanter fixa, quòd sacra JESU & MARIÆ Nomina magnis clamoribus implorabat. Borgia ùt clamantem Socium, & Pastores quoque vociferantes exaudijt, converso aspectu Bustamantium despicit volutabundum cum mula sursum deorsum per salebras præcipitem ferri, conjectísque in cœlum oculis, *JESUS*, exclamat, *tibi præsto sit! & tu Mater misericordiarum hominem protege!* Vix hæc dixerat, cùm ipso temporis momento mula constitit pedibus, loco tam arduo, támque ad imprimendum vestigium lubrico & impedito, ut admiratione propemodum obstupescerent, qui spectabant pastores. Auxit stuporem, & miraculum firmavit inventus illæsus, & integer unà cum jumento Bustamantius, suspensâ è manibus coronâ, quem jam fractum & comminutum nemo dubitabat: cúmque emergere tanto è barathro non posset, extrahitur funium adminiculis; qui mortis adeò certæ effugium Divæ Matris tutelæ potissimùm, deinde verò Borgiæ precibus semper assignabat.

Septimancæ postmodum Anno 1554. Tyronibus probandis datus à Borgia Magister, concionandi simul ad populum munus nunquam deseruit, etiam dum postea Boeticæ Provinciam gubernaret; rudium præsertim in Fidei rudimentis imbuendis studiosissimus. Incensus hìc aliquando ferventiore spiritu DEO serviendi, multis precibus à S. Borgia contendit, ut eandem sibi à DEO gratiam exoraret, quam pro se postulare ipse consuevisset. Spopondit facturum Vir sanctus: & continuè dolor tam acutus caput Bustamantij invasit; ut ex eo moriturum se, & de rationis potestate movendũ nihil dubitaret. Ergo superbiam suam multis incusans, quòd imbecillitatem suam viribus gygantæis Borgiæ comparare ausus esset, majoribus denuo precibus expetijt, ut immunitatem à doloribus vires suas excedentibus Borgia impetraret: quos etiam ad Sancti orationem continuè evanescere sensit. Accidit deinde, ut Hispali Collegium pro suo Provincialis munere invisens, hæreticos aliquot irrepsisse deprehenderet, unum præcipuè è schola Lutheri, qui magnâ comparatâ librorum pestilentium copiâ, eos per muros Urbis noctu inferens, clanculum inter cives venena spargebat. Igitur eorum nominibus ad S. Fidei Quæsitores delatis, prudenter ratꝰ ad præmuniendum populum, multò explicandam studiosiùs Catholicam doctrinam, aliquot è Socijs in diversa templa tradendæ Catechesi designatis, initium ipsemet Die CHRISTI Domini Natalis fecit, tam prospero successu; ut errorum semina in ipso sui principio feliciter eliserit. Advertit idem in ea Granatæ Urbis parte, cui nomen Albaizin, à solis Mauris, postquam à Regibus Hispanis debellati fuerant, habitata, nullam eorum ad Fidem Christianam adducendorum curam geri, cùm tamen in octingentis ampliùs domicilijs plura eorum millia censerentur. Causa erat hominum pertinacia in Mahometi cultu, ùt solent Turcæ, obfirmata, cum qui-

bus sæpe aliàs tentata ac tractata incassum recidisse remedia dicebant. At Bustamantius causam magis esse arbitratus, quòd infelix turba nimiùm premeretur, & contemptui esset omnibus, ideóque ab hominibus primò, tum etiam à ritibus Christianis abhorreret: idcirco statuit sinceri liberalísque in eos animi, ac veræ humanitatis & charitatis exempla edi oportere; ut cùm homines amare cœpissent, ad Religionem etiam sensim afficerentur. Quòd si grandiorum natu obdurati annis, inveteratóque odio ex scelere corrupti animi medicinam respuerent, at pueros quidem certè allici posse, quorum si puris ac teneris mentibus Christi amor cultúsque pedetentim & leniter instilletur, haud nihil profectum iri: patientiâ, constantiâ, longâ morâ opus esse, fore demum ut mutatio, quæ initio fallebat, postmodum appareat. Ergo culturam sacram aggressus (quam postea ternis Socijs prosequendam commisit) frequentissimas continuò in damibus, sub dio, ubi se daret occasio, habere concionculas, pietatem & verum amorem erga eam gentem spirantes: puerorum agmina per vias agere, preculas more Christiano, & doctrinam Catholicam concinentium: amico omnes alloquio excipere, convenire, quâ re cunque liceret juvare. Ad hæc rationem doctrinæ hujusmodi instituit: In ædem sacram quotidie pueri puellæque conveniebant; sub ipsum limen ùt primum quisque inferebat pedem, vernaculo carmine, *introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum*, modulatè inclamabant: similíque cantu, dum aquâ lustrali frontem aspergerent, SS. Trinitatem, ut sibi aqua illa salus esset ac vita, precabantur. Mox in genua provoluti, Orationem unà Dominicam & Salutationem Angelicam recitabant: divisíque seorsim pueri ac puellæ memoriter certam rudimentorum S. Fidei partem reddebant, & aliquandiu quæstiunculis exercebantur. Postremò virginibus, iísque puerorum, quos domesticæ difficultates & artificia exercebant, dimissis, remanebant circiter 200. qui noscitare & figurare literas ternis horis ante & post meridiem, docebantur, & antequam manè dimitterentur, Sacro intererant. Nec quidquam fuit quod æquè puerorum conciliaret parentes, atque hic gratuitus illorum proles instituendi labor, admirantes præsertim Patres, quos paulò ante in sæculo nôrant honoribus opibúsque pollentes, víxque ipsi ausi essent affari. Hoc Bustamantij instituto effectum est, ut jam passim inter Mauros SS. JESU CHRISTI Nomen in cantiunculis resonaret: precationibus omnibus pueri, *Laus JESU CHRISTO, ejúsque Matri MARIÆ Virgini*, adjungerent: salutandi quoque invicem formula vulgaris esset, *laus JESU CHRISTO*. Pendebant ijsdem ab latere precatoria Rosariola, ipsíq; in scholis discebant, suósque domi docebant ex ijs facere preces. Addidit his denique ingeniosa Bustamantij charitas Matronas duas, religione & auctoritate claras, quæ domicilio in eadem urbis regione posito, virginibus Mauricis per puellarium doctrinam operum, quam gratuitam exercebant, Christianam infunderent sanctimoniam. Et fructuosus quàm maximè fuit labor, nec paucæ ad cœnobium virgines ex earum disciplina transgressæ, aliæ viris Christianis nuptui datæ, aliæ inter suos ad ultimum piè vixerunt. Super hæc in tractum saltibus asperum, & torrentibus impeditum, cui Alpuxarræ nomen, missionem è Socijs Bustamantius instituit, ubi pagi quidam Maurorum erant: in his multi adultorum rectè instituti, & pueri indè parentum voluntate in Albaizinum pleniùs erudiendi deducti; quibus laboribus plurimarum factum est lucrum animarum, usque dum natio perfida rebellavit. Puerorum interim disciplina egregiè semper processit, cùm unius anni spatio numerus discentium ad 500. ascendisset: triumphante omnium maximè Bustamantio, & dolentibus vulgò hominibus, quòd non multis antè annis institutum id esset susceptum. Quantum is verò in puerorum institutione reponeret, ad Lainium Generalem scribens palàm fecit his verbis. *Superioribus*, inquit, *diebus P. Franciscus Borgia exemplum ejus epistolæ ad nos misit, per quam jussu Paternitatis Vestræ Polancus præ ceteris monitis jubet significare; si qui sint, quos ad pueros infimarum classium instituendos præcipua voluntatis propensio ferat, quòd id munus magni ad animorum utilitatem momenti sit, & gloriam Domini nostri. Laus illi æterna sit, qui tam pium Paternitati Vestræ animum largitus est in eam procurationem; quæ, nisi ego fallor, omnium quæ in Societate nostra sunt, maxima est. Equidem nequaquam in me eas pietatis ac prudentiæ partes agnosco, quæ necessariæ tam excelso sunt operi: tamen Paternitati Vestræ sic, tanquam ante Christi tribunal starem, significo; testórque rem nullam omnium esse, ad quam majore studio animus meus, quàm ad puerorum institutionem feratur. Quòd si vestra Paternitas Hispali, sive Granatæ (ubi si res ordine*

dine gemitur, parvulorum plures credo duobus millibus convenirent) ità me scholæ præficeret, ut quantum meæ vires ferunt, legere ac scribere docerem, ac de cetero mea præcipua cura esset in regendis puerulis, bonisque moribus imbuendis, sperem fore, ut divina Majestas mihi & illis in hujusmodi ministerio plurimum præstò esset. Neque idcirco ego intermitterem, si quando juberer, audire confessiones & concionari: tametsi non foret exiguum pro mea tenuitate, si audiendis modò exhortandisque illis parvulis tenerer. DEUS testis est, me vehementer id postulare, quod planè judico, plures fore idoneos ad Provincialis munus, quàm regendorum in his, quas dixi urbibus, puerorum, ubi tanta confluet multitudo. Præterquam quòd hæc occupatio, cùm sellularia & quieta sit, illa Provincialis tam vaga, perennisque cursus, multò est aptior ætati meæ, 59. jam annum ingressæ. Est etiam causa cur id cupiam, ut simul ijs, qui olim mihi adeò præter merita in sæculo aliquid tribuerunt, exempli aliquid præbeatur: simúlque ab errore vindicentur, si qui fortè in Societate negotium tam nobile nequaquam eo, quo debet numero habent. Per Christi JESU amorem quæso Paternitatem vestram, precórque, jubeat, hac super re preces ad DEUM fieri, mihíq; responsum det paucis. At Lainius collaudatâ viri modestiâ atque claritate, contentum esse jussit de cetero muneribus ab obedientia designandis.

Cùm verò per idem tempus S. Joannes DEI, Ordinis FF. Misericordiæ Fundator, Nosocomium Granatæ præ ceteris celebre instituisset, illúdque collatitiâ piorum stipe sustentaret; Bustamantius S. viro Sacerdotes aliquot de Societate in partem operæ addidit, qui ad ægros allocutione, manúque juvandos illi adessent. Quorum exemplis & ardenti dictione excitati cives, æmulationéque accensi, ex omnibus Ordinibus ad eadem obedeunda ministeria quàm plurimi confluebant. Unde S. Joannes tam utilem Sociorum operam Religionis suæ munijs expertus, totúsque sacer ejus Ordo, ubique Societatis auxilia hodiéque perlibenter adhibet, non tantùm ægrorum in suis nosocomijs, sed etiam ferè filiorum suorum animis dirigendis. Demum Provincialis munere, quod pridem multis votis ambiebat, expeditus, & Collegio Hispalensi Superior datus, ante omnia Scholis informandæ pueritiæ aperiendis curam intendit: quod ubi Quæsitorum S. Fidei ope perfecit, Trigverum ad ponenda Collegij initia Anno 1563. se contulit. Et quoniam parata necdum erat Collegio ædes (quanquam Franciscus Palma fundator cōtumeliam propè suam, quòd ad se non diverteret, interpretaretur) ad Xenodochium se recipit, magno civitatis universæ exemplo & approbatione. Itaque ubi cœpit manè ac vesperi è superiore loco ad officium quemque suum, ad scelerum fugam, vitæque mutationem hortari, animorum ardor ingens excitatus est, ísque ad commissa expianda concursus; ut nec Sacerdos Bustamantij comes, nec alij è civitate ipsi adjuncti Sacerdotes, quamvìs à prima luce ad multam noctem aures indicantibus se præberent, possent multitudini esse pares. Inter cetera vitia pravam jurandi consuetudinem ità exosam vulgo fecit, ut fossores quidam cùm herum audirent jurantem, primò admonerent modestè ut abstineret, deinde cùm perperam assvefacta lingua iterum prolapsa jurâsset, comminati sint, nisì diligentiùs caveret, protinùs se relicto opere abituros. Pari industriâ & fructu in vicina oppida excurrens, Huelvam, Veas, & cui à S. Joanne nomen, excoluit, inimicitias & inveterata ubiq; extinguens odia, & Christianas virtutes implantans. Trigveri aliquando suggestum in templo principe ascendens, voces quasdam tumultuosè rixantium audivit: quâ re commotus & conversus ad populum, *quid alia*, inquit, *vobis afferam? vos ipsi videtis quàm sit pius & patiens DEUS noster, qui domi hæc suæ fieri sustineat. Pronunciemus omnes Pater & Ave, ut pro sua immensa pietate istorum corda tangere, & hanc eis condonare injuriam velit.* Precatione absolutâ parabat descensum: sed Vicarius elatâ voce hortatus est, ut fraudare reliquam populi innocentis multitudinem paucorum culpâ nolit: ingeminant & alij preces; quibus Pater cedens, ità locutus est, ut vehementer omnes, sed eos præcipuè qui rixati fuerant, ad inimicitiam ibidem finiendam inflexerit. Quæ res & præter spem, & eò gratior vulgo accidit, quòd rixantes è Proceribus erant; ut nisì DEO placuisset eâ viâ ipso in semine odia elidere, gravis non ipsis modò, sed cuncto etiam populo calamitas immineret.

Vix Hispalim redierat, cùm ad eum portum quadriremes septem, solæ ex magna classe vi tempestatis disjectæ, 25. demersis, superstites applicuêre; vectoribus insuper morborum calamitate ità oppressis, ut miserandam in speciem jacerent animam agentes, omnibúsque nudi subsidijs pecudum instar morerentur. Id ubi cognovit Bustamantius, ægrè

ægre cohibitus eſt, quin eâdem horâ, quamvis nocturnæ tenebræ obſcurâſſent omnia, ad audiendas morientium noxas properaret. Proximo die ergo ſummo manè cùm ſex partim Sacerdotibus, partim Fratribus ad juvanda corpora egreſſus, ſuam ſingulis ſportulam cum pane, vino, caricis, uvis paſſis, aliíſque id genus xenijs ferentibus, ad quadriremes contendit, obfirmatus non regredi, quoad animas omnium, quantum conſequi fas eſſet, in tuto locaret. Tum Claſſis Præfecto perſuaſit, ut domos in quas ægri deportarentur conduceret, omnem de cetero illorum curam in ſe Sociósque aſſumens. Elati mox ad unam eorum fuêre 80. ad aliam verò alterum ferè tantum: quos Patres inſtanter adhortabantur ad patientiam, audiebant confitentes, ſupremis Sacramentis muniebant, & qui leviùs ægrotarent, bis quotidie Chriſtianis præceptis imbuebant. Ità vel optimè animati cum vita finiebant ærumnas; vel ad novas in remigio, ſi valetudo reſarciretur, pro ſuis noxis luendas pœnas animum comparabant. Mahometani quoque aliquot ad Chriſtum adjuncti, potentiſſimo illo charitatis argumento permoti. Tam inſigne charitatis exemplum admirati multi ex Nobilitate viri, multi ſacrorum Ordinum Religioſi & ipſi ſuam conjungere operam, & ægris miniſtrare gaudebant. Noſtrorum verò qui ei ſe miniſterio cum Buſtamantio dedicârant, graviſſimè complures decubuêre: quinque autem virtute inſignes, quos præſenti mercede divina clementia dignos exiſtimavit, contagioſo malo afflati, ſuaviter in Domino, eodem omnes menſe, obdormiverunt. Jam verò Trigveri apertum ab eo pueritiæ Gymnaſium, & docendi methodus Magiſtris (necdum enim tum Regulæ conditæ erant) præſcripta, exemplóque proprio in praxim deducta, omnium potentiſſimum ad emendandam civitatem habebatur remedium: cedebátque uſque eò proſpere; ut qui civium in ſcholis puerum haberent, ij ſibi perbonum domi Concionatorem exiſtimarent eſſe. Nam pueri ſi quos domi aut in vicis jurantes jurgantésve, aut convitiantes audirent, aut quidpiam parum chriſtianè agentes cernerent, demiſſis genibus ac ſublatis manibus per Chriſti ſanguinem, ut abſtinerent, obteſtabantur, ſimplicitate blandiſſimâ, potentiſſimáque. E ludo gregatim ſuam quique in oppidi regionem recedebant, per vias pia carmina concinentes; quæ res maximè pium vulgo, ac dulcem ſenioribus ingenerabat ſenſum; ut reſonante ubique SS. JESU nomine & laudibus, ipſum cœlum, quoties illi prodibant è ludo, immundis perpurgari ſpiritibus, adeóque conſerenare fieríque nitidius videretur. Diebus verò ſanctioribus, cuncti ſimul prælatâ cruce, duorum ductu Magiſtrorum, è Collegio ordinatim egreſſi, in foro conſiſtebant: eò plurimis ſpectatum auditúmque affluentibus, pueri de S. Legis rudimentis interrogati, ità piè ſcientérque reſpondebant; ut parentibus cæteræque multitudini admirationem pariter, & ingens ad pietatem incitamentum afferrent.

Creatus à Borgia Viſitator Bœticæ, ac mox Toletanæ Provinciæ, tum alia præclarè ad utilitatem in proximis per Societatis miniſteria capiendam, tum præcipuè ad pueritiam (quæ illi ſemper inter primas curas extitit) rectè imbuendam ſancivit, nunquam inter hæc dicendi ad populum laborem intermittens. Sed perfunctus utroque munere, cùm integre ſe concionibus & expeditionibus Apoſtolicis reſtituiſſet, Caravacam, Veanum, Seguram incredibili ſucceſſu excoluit; ità ut continuandis in ſua Seguræ Patria tam fructuoſis laboribus, catecheſi præſertim & puerorum inſtitutioni, Chriſtophorus Rodericius de Moia, vir opulentus, Tyrocinium Societati illico fundandum ſuſceperit, præter Domicilij & Templi fabricam, aſſignatis annuè reditibus 1500. aureis. In ejus Domûs explicanda exordia cùm totam hyemem anni 1566. in aſpero illo & perfrigido cœlo non levi cum valetudinis noxa exegiſſet, Trigverum ineunte Junio anno 1570. redijt, faſtigium templo impoſiturus. Hìc verò feſſum annis ærumníſque corpus ità labor itineris aggravavit, ut paucis poſt adventum diebus, magnis febribus & lateris dolore proſterneretur: quem certum mortis prænuncium interpretatus, Trigveri civibus continuè dixit, adeſſe ſe, ut ultimum apud eos ſpiritum exhalaret. Graviùs laborans, nullos niſi de divinis rebus fieri apud ſe ferebat ſermones, quòd ijs levari ſibi dolores diceret. Ubi verò perlatum eſt SS. Viaticum, lecto teneri nequijt, ſed velut juventæ vegetus robore, impetu exiliens, poſitis humi genibus Dominum ſuum animi ſummâ veneratione & corporis excepit: & licèt aliquot ante obitum horis uſum mentis ad cetera amiſiſſet, viſus tamen eſt divinitus conſtantem ad divina retinuiſſe: ità continenter aptéque vel Pſalmos, vel Roſarium recitabat, donec 21. Junij ejuſdem anni, ſeptuagenarius, plenus dierum bonorum deceſſit.

cessit. Intellectâ Patris morte, in ploratum ac lamentationem miserabilem Civitas omnis versa videbatur, magnum & sanctum Virum, ac suum præcipuâ charitate Parentem amissum querens. Nec ferè alius compluribus Hispaniæ, præsertim Boeticæ populis fuit doloris sensus: quippe eâ erat virtute, ut apud quoscunque fuisset, eorum animos DEO, sibi, Societati arctissimè copularet: optimi ubique exempli, prudentiæ excellentis, animi constantiâ nec laboribus unquam, nec annis, nec moribus fractâ. Consueta sua perfrequentia jejunia ad extremum usque non modò intermisit nunquam, sed ne de summo quidem rigore in ciborum delectu quidquam remisit. Preces Sacerdotales, & tres ipsas Rosarij quotidie partes, de genibus semper, & quandocunque facultas suppeditavit, coram SS. Eucharistia exegit. Diu exoptârat, formulam precandi nancisci, quâ Virginis observantiam ab ipsamet Virgine postularet, tandémque cùm in S. Bonaventura quandam invenisset, eam & ipse lætus arripuit, ac sæpissimè usurpans ceteris auctor erat ut frequentarent. *Dulcissime Domine JESU, dignare me infimum omnium peccatorum sacratissimæ Virgini Matri tuæ reverentiam debitam exhibere. Et tu clementissima Domina mea, mihi indignissimo peccatori impetra, ut perfectè sim deditus tuæ servituti, & tibi omni tempore obsequar purâ mente, ac devoto corde continuò tuæ benignitati assistam.* Et certum est uberrimos ex hoc Virginis cultu illum percepisse fructus, & à gravissimis servatum fuisse periculis.

Et quoniam satis utrumque cùm sæculi, tum Christi Domini servitium expertus erat, rerum mortalium vilitatem altissimè penetravit: de quarum fallacia si quando sermo nasceretur, vehementi solebat cum gemitu erumpere: *quid tot Proceribus, quid tot Principibus, quos ego ipse novi, actum est? Ego Carolum V. tanta cum majestate, ego hos illósq; Dynastas novi, quos videbatur nè ipsa quidem mors adire propiùs ausura. Ego tot Pontifices, Cardinales, Antistites, Doctores, Concionatores celeberrimos atque eminentissimos novi, & jam non sunt, perijt memoria eorum cum sonitu!* Hósque inter sermones incendebatur usque eò & commovebatur, ut singultiens ac flens ubertim, interclusâ voce eriperet se de medio, & fugâ in cubiculum abderet: acres ad sæculi contemptum in Auditorum animis relinquens aculeos. Ut erat impiger, industrius, & ardentissimæ charitatis, genus operæ nullum recusabat, unde commoda publica juvarentur: si suo tamen permitteretur arbitrio, vel pueros prima literarum rudimenta cum catechesi docendos, vel Novitios Societatis instituendos suscepisset: tantum existimabat interesse, quemadmodum initia ponerentur. Ob eam rem puerilem catechesim omni loco ac tempore pro virili provexit, conditis etiam vernaculo rhythmo versiculis, per quos teneræ mentes Religionis semina jucundiùs acciperent. Annum jam 67. agens, oblatâ spe numerosæ ad Fidem conversionis in Florida nuper Hispano imperio adjungi cœpta regione, summis votis eam expeditionem depoposcit, peritiam tam longâ ætate collectam, in Evangelij fundamentis ibi rectè ponendis optimè dicens collocatum iri: ídque prætendebat in orbis eo tractu idcirco libentiùs, quòd minimè illic agendum cum Europæis foret, ex quibus (quòd fermè pecuniæ lucra sectarentur) longè occupatio major, quàm solidus animarum fructus rediret. Illud verò maximè in laudibus ejus numeratur, cùm perfrequens apud Dynastas & magnas Potestates ageret, atque apud omnes gratiâ & auctoritate polleret, multùm semper illis bonitatis suæ indidisse, nihil verò de eorum ambitione & sæculi moribus traxisse, notatus sit. Petierat aliquando ex Comitissa Nieble, matre Alphonsi Petrij Gusman, Ducis Methymnæ, aureos mille in subsidium Collegij Trigverensis: quæ cùm principiò malignum ejus anni piscatum thymnorum, (princeps hic Dominæ erat reditus) cujus jam tempus propè omne exierat, excusaret; sed mox bonitate Patris & simplicitate delectata, totam continuò summam editâ syngraphâ præbuisset: Bustamantius ad eam benignitatem velut divinitus instinctus dixit: *atqui scito, quoniam ità liberalis DEO es, ipsum tibi hoc eodem anno centuplum redditurum.* Ac protinus res evenit, & prioribus & posterioribus annis inaudita; nam paucissimis qui residui piscationi apti erant diebus, adeò thymnorum exuberavit præda, ut centies mille aureorum, detractis impendijs, lucri sit factum. Quod pro miraculo celebravit inclyta Familia, & memoriam suis codicibus consignavit.

Ex Historia Societatis, & vita S. Francisci Borgiæ, & Tomo 4. Nierembergij de Viris Illustr.



P. Alphonsus Ægidius S.I. Lusitanus, et 12. alij Socij, Victimæ charitatis Deo in odorem suavitatis effecti, animas suas pro salute proximi contagionis tempore posuerunt Olyssipone et Porti. Anno 1569. 20.

P. ALPHONSUS ÆGIDIUS cum Socijs duodecim.



ANno 1569. Ulyssipone in Lusitania immanem stragem pestis edidit; ut per antonomasiam vulgò hodiéque pestis magna vocitetur. Sacerdotes qui pæne omnes remanserant, Novitijs & Scholaribus debilioribus in tutiora dimissis, partiti inter se regiones Urbis & operas, salutem suam pro publica devoverunt: efficaci ad alios quoque ad sanctum opus incitandos exemplo; nam Sacerdotes passim & Parochi, variíque Ordinum Religiosi alacriter ad eandem properârunt ærumnarum & charitatis spartam. Julio extremo ità funesta exuberavit lues, ut præter valetudinarium, quod extra Urbem PP. nostri duo constanter curabant, alij diversis Parœcijs per Urbem trecentis, alij quingentis inservirent: ità ut adulto Augusto indè ad Provincialem P. Cyprianus Soarius (is qui præcepta Rhetoricæ edidit) perscripserit, supra decem tunc ægrorum millia suæ, Sociorúmque duntaxat curæ subfuisse. Erátque simul inopum, ex fuga locupletiorum, & operarum cessatione, ea calamitas, ut jam PP. in eorum subsidia ad sacros calices divendendos converterentur:

rentur: cùm Rex admonitus providit, ut nihil ultrà desideraretur. Animadversum est in flagitiosos, atque impudicos magìs desævijsse malum: post quos pessima erat conditio infantium, quos inopes Parentes deserebant in Urbe, cùm vitæ cupidine foras profugerent. Horum Socij ingentem collectum numerum, additâ cuivis diversâ notâ, unde à Parentibus, si fortè redirent, internosci possent, sub cura & stipendio nutricum servârunt. Hæc aliaque cùm populus cerneret, ubicunque homo de Societate appareret, tanquam ipsa occurreret salus exhilarati, infinitis cum gratiarum actionibus, acclamationibus, & faustis precationibus excipiebatur. Cæterùm magnum hoc juvandæ civitatis opus magnô Societati stetit: multos & magnos sibi viros pignoratum est cœlum; & præter complures ex tam sancto obsequio peste afflatos, sed DEI beneficio consanatos, quibus funes ceciderunt in præclaris conatibus, fuêre sequentes.

P. Alphonsus Ægidius Lusitanus, tenui genere in pago Cadafaë natus, & ad Clericatum à puero educatus, Societatem jam Sacerdos complexus Anno 1549. posito Conimbricæ Tyrocinio, Ulyssipone ad obitum usque indefessi munus Operarij egit. Nunquam domi nisì cum DEO, vel propter DEUM foris cum proximis de DEO agere: uni sibi asper & implacabilis, in alios mitissimus: laboriosus diu noctúque extra modum, animarum cupidus ad miraculum, animo semper hilari, cujus jucunditas in oris perpetuâ serenitate emicabat. Neque urbe concludi zelum suum passus, excurrebat in pagos crebris dictionibus, miserrimum quemque studiosissimè complectens, barbarica mancipia, vinctos in carcere, ad remum damnatos, ultimo supplicio afficiendos, solatijs, eleemosynis undique corrogatis, vestibus, & tam animæ quàm corporis subsidijs propensiùs confovebat. Atque his vicissim amabatur ùt parens, quo etiam pervulgato jam nomine passim indigitabatur; & ipse vicissim fratrum nomine eos appellare amabat. Ut verò pestilentia incubuit, tum verò planè sese & omnia, præter unam charitatem oblitus, plenam discriminis aleam valetudinarij suburbani curam, cum P. Michaële Stephano, Domûs Professæ ibidem Procuratore, delegit, brevis lucis jacturâ mercatus æternitatem, quam adijt 22. Julij, Sanctæ Mariæ Magdalenæ sacro. Secutus illum est 8. Augusti P. Michaël, immobilem animi jucunditatem etiam supremo spiritu præferens, cùm pestilentiâ ibidem ictus inter maximos dolores enecaretur, ea extremùm verba profatus: *en omnia jam peracta sunt, veni Domine!* Assiduus erat in pœnitentibus expiandis, visendísque interdiu noctúque ægrotis, nihil se difficili domûs ex solis eleemosynis procuratione impediri passus: fertúrque Jubilæi tempore per 20. continuas horas confessionibus audiendis institisse.

P. Franciscus Consalvius 30. Julij pari infectione extinctus, post se in idem felicissimum fatum traxit 4. Augusti P. Emmanuelem Godinium, nobili genere satum. Versabatur hic in Aula Regia adolescens inter Cubicularios, cùm illuc Româ S. Franciscus Xaverius advenit, apud quem totius vitæ peccata expiavit, & ad virtutem vehementer incitatus, Societatem postea apud P. Simonem Rodericium impetravit. Rexit subinde Collegium Conimbricense, ac deinceps ad S. Antonij Ulyssiponense, Romam quoque Procuratoris nomine ab Lusitania legatus, vir inter primores illic Societatis habitus. Atque hic ille est Godinius, qui Rector Conimbricæ existens, ingentia illa pœnitentiæ prodigia in publico edidit, quæ sui magnitudine, quia super communem sunt usum, neque ad imitationem proponi possunt, ultrò missa facio. Videri possunt relata à nostris Historicis, quæ etiam S. Ignatio causa fuêre scribendi in Lusitaniam auream illam de obedientia epistolam. Ejusdem charitatis victima 12. Augusti, cecidit P. Gaspar Planus, è Belgio alioqui Antverpiâ oriundus: & post illum die sequenti P. Gaspar Alvarez Ulyssiponensis, ibidem ad S. Antonij Rector Collegij, quod in nonum tunc annum eximiâ approbatione gubernabat. Dederat jam antè luculentum specimen ardoris sui quàm parvô vitam duceret, exoratâ missione Castrensi, secutus militem in Africam, ad liberandum à barbarorum obsidione Massaganum, Lusitani Regis arcem. Natum sinè omni passione animi diceres, adeò omnes edomuerat. Pecuniæ summam pro Collegij egestate non levem Procurator amiserat, unde consternatum intuitus Alvarez Rector, subridens hoc solum dixit: *Nunc verò cave, nè etiam te perdas.* Ad ægrotos noctibus, ut Sociorum quieti parceret, ipse plurimùm itabat; & quæ alia poterat ex durioribus officijs in se derivabat. His accessit simili morte defunctus P. Joannes de Moura, Ulyssiponensis, cum tribus non Sacerdotibus Scholaribus, Consalvo Barreria, Jacobo Carvallio, & Stephano Nunnio: ac quatuor Adjutoribus Laicis, Gaspare Correa, Georgio Alva-

Alvarez, Cosmo Vasio, & Ludovico Bravo, qui sex annos in sæculo miles, quinque inter hostes captivus, multum orbis terrarum peragraverat.

Agmen clausit alia in Urbe Porti, pari contagiosorum obsequio extinctus, Henricus Nunnez de Govea, ibidem nobili & opulentâ domo oriundus, Joannis Nunnez Patriarchæ Æthiopiæ patruus. Hic rerum humanarum in principio, ùt lauta in fortuna solet, æquo studiosior, pietatem & divina ponebat in extremis, tanquam vitæ suæ rationibus & statui incongrua: sed auditis, jam Conjugio illigatus, nostri P. Francisci Stradæ concionibus, ità repentè permotus est; ut cùm illi totum se permisisset, spiritualibus ab hoc excultus exercitijs, in caput & ducem toti civitati evaserit (ùt erat ingenio & auctoritate permagnâ) ad omnem virtutem & pietatem. Societatis incredibile est quàm studiosus foret, factus ejusdem Generalis Præpositi auctoritate compos in mortis articulum, nisì Conjugem vitâ priùs defungi contingeret. Et cùm illi se continuè consecrare non posset, è senis liberis, totidem maribus ac fœminis (qui omnes religiosam vitam professi sunt) duos Societati tradidit, suámque deinceps domum transcripsit. Porrò cùm averet vel in illo vitæ suæ genere, quoad ejus fieri posset, Apostolicos Societatis æmulari labores & vitam, DEOq; & proximi saluti operam navare liberiùs, publico munere abdicato, domúsque curâ omni, fideli famulo commendatâ, domum suam effecit domum orationis, Religiosæ simillimam: distributis ità diurnis spatijs, ut sua orando DEO, sua examinandæ conscientiæ, lectioni, colloquio spirituali, ceterísque pietatis exercitationibus hora dicaretur; ut vel ipsi famuli in Cœnobitas veluti mutati, ubi ubi essent, nihil nisì de DEO agere vel loqui scirent. Ipse pauperibus affatim vel de suo, vel de corrogata stipe præsidio esse, ad humillima passim servitia sese in nosocomio demittere, reconciliare diffidētes, toti civitati & actione vitæ, & cohortationibus acres ad vitam Christianam stimulos admovere. Eandem industriam & zelum extendebat ad loca finitima; cui Societas debet IGNATIUM Azevedium, illustrem postea in itinere Brasilo Martyrem: hunc enim cùm resciviſſet sæcularia pertæsum, per 20. ferè passuum millia convenit, eóque perpulit, ut se Conimbricam ad Exercitia in Collegio obeunda conferret: ex quibus omnis ejus postmodum salus cum vocatione ad Societatem consecuta est. Cùm ità complures annos sancitam etiam Conjugis voto continentiam DEO servâsset, pestilentiâ ab Ulyssipone Portum propagatâ, contagiosorum servitio operam suam addixit: ex quo infectus, nuncupatis ex auctoritate P. Generalis, & Conjugis assensu, Religiosis Societatis votis, 21. Martij Anni 1570. occubuit: Supremo illo morbo Conjugi suæ Beatrici de Madureira, tria sibi divinitus significata aperuit: primum, adscriptum se numero prædestinatorum: alterum, proximo S. Benedicti die 21. Martij de vita migraturum: tertium, ipsam quoque decimo pòst anno, eodem die (quod ità prorsus evenit) morituram. Quo die verò uxore demortuâ tumulus ipsius eidem penès sepeliendæ patefactus est, corpus integrum illibatúmque & suavem aspirans fragrantiam repertum est, totáque ad ejus venerationem civitas convolavit.

Ex victimis Charitatis Alegambe.

P. ADALBERTUS BAUSECK.



NAtus est P. Adalbertus Pragæ, Metropoli & Sede Regum Boëmiæ, paucis ante adductam illuc, auspicijs Ferdin: I. Societatem annis, Socijs 12. ab ipso S. IGNATIO illuc Româ destinatis: quam Ferdinandus I. Hussij hæresi tum latè per Boëmiam dominanti, instinctu Venerabilis Capituli Metropolitani Pragæ, opponere disponebat. Neque spe suâ delusus est. Nam Anno 1556. 21. Aprilis Pragam introducti, Scholas mox 7. Julij aperuerunt, in Theologiam, Philosophiam, & quinque Humaniorum classes divisas: quæ utì non affluebant numero (nam altiores illæ pauculos censebant Auditores) ità exuberabant fructu: brevì ut toto Regno fama ferretur, pl. apud Jesuitas trimestri spatio, quàm apud Hussitas biennio profici; ingenti plausu (qui tum erant pusillus grex) Catholicorum, mœrore autem & pudore hæreticorum. Ex quorum scholis cùm indies plurimi in disciplinam Societatis transirent, Magistratus Hussitarum solicitus, nè sui Magistri penitus desererentur, edito super ea re decreto prohibuit, ullos deinceps à Parentibus suæ sectæ, ad scholas Jesuitarum traduci. Sed frustra fuêre omnia; nam adolescentum inge-



P. Adalbertus Bausech S.I. Boëmus Pragensis, ab ipso Christo D. in sacra Hostia sibi apparente, Societatem ingredi jussus; in eadem, insigni animarum zelo, hæreticorum conversionibus, et eminenti Theologiæ doctrinâ enituit. Obijt Viennæ 3. Maij Anno 1571.

21.

ingenia literarum amœnitate inescata, formantium manus ad virtutem, rectámque Fidem facilè sequebantur, símulque profectu eorum literario, & morum compositione palàm in oculos Civium incurrente, plurimi ipsorúmmet Hussitarum permovebantur; ut Magistros liberis suis è Societate præoptarent. Concionibus verò P. Henrici Blissemij, præter notabilem plebejorum Civium turbam, hoc ipso primo adventûs sui anno, duo è celeberrimis Hussitarum ministris ad Catholica castra traducti sunt. Verùm præ omnibus opima præda fuit, de quo nobis sermo, Adalbertus Bauseck, inter alios scholares Oratoriæ fortè Facultati dans operam, ab ipso DEI Filio in Societatem sub finem hujus Anni (qui S. IGNATIO supremus in vita fuit) prodigiosè vocatus. Huic enim in Collegij templo S. Clementis preces ad DEUM fundenti, pueri venustissimi specie in sacrosancta Hostia JESUS apparuit; cujus amabili veluti sibi blandientis aspectu in reciprocum ejusdem amorem raptus Adalbertus, dum quæreret, quid ab se fieri vellet? Dominus disertè respondit: *volo ut ibi sis, ubi es.* Quibus verbis nihil dubitans, se ad Societatem suam à Domino JESU vocari, ut eo loci & Religionis remaneret, in cujus templo preces effudisset, continuè Rectorem Collegij Ursmarum Gvisonium, & Petrum Canisium accessit, receptúsque omnium primus è natione Boëmica est; insigni planè & memorabili DEI ipsius, omnes in eo ex hac gente posteros ad se vocantis, auctoramento & solatio. Neque

tamen ipse divinum visum promiscuè statim aperuit, donec consolaturus propinquos, qui negotium ei facessebant, veluti coactus patefecit; veritatem illius satìs confirmans laudabili vitâ, quam præclaris facinoribus, & Apostolico zelo plenam, ac tantæ vocationi consentaneam, usque ad extremum peregit. Neque DEUS perficiendo tanto, quod in eo cœperat, operi manuum subtraxit; siquidem à Tyrocinio Philosophiæ & Theologiæ discipulus admotus, à condiscipulis jam audiebat Magister; quibus etiam docendis, præsertim Theologiæ, paulò pòst admotus est, eâ sacræ doctrinæ existimatione, ut ejus auctoritate inter omnes Socios emineret. Quæ res illi inter patrios homines maximo adjumento ad eorum conversionem fuit; cùm solus linguæ patriæ ex Socijs gnarus & pro concione diceret, & confitentibus atque consulentibus aures daret, omnibus omnia factus. Eundem literis Pragâ ad universam Societatem datis, laudare cumprimis voluisse videtur Collegij eô tempore post Gvisonium Rector, Henricus Blissemius, *Ecquid obsecro pulchrius*, inquiens, *ac nostræ quidem vocationi magìs consentaneum existimari potest, quàm quod hic non rarò cernitur, ut homo idem nunc verbi divini præconem in templo, mox in schola graviorum disciplinarum Professorem, deinde parvulorum in minima classe Doctorem, postea domi in culina coquum, in cœnaculo ministrum, vel apud ostium janitorem agat? nam cùm simus numero tantum 12. & nonnunquam duo decumbant ægroti, & scholæ postulent octo, & Collegium pauperum studiosorum item abstulerit duos, & pluræ sint domi alia munera, etiamsi tantùm graviora numerentur, quàm homines; quilibet officia plura subire contendit, éstque unus instar multorum.*

Atque ob hanc ipsam Sociorum paucitatem, cùm ob hæresim ubiq; ferociter grassantem deessent idonei è Catholicis athletæ; qui erroribus illorum confutandis in scholis opponerentur, Viennæ præsertim, ubi non tantùm Civitas à potiori hæreticis referta; sed ipsa Universitas Doctoribus hæreticis scatebat, adeóque omnium maxima necessitas premebat sanæ in Theologia doctrinæ; idcirco Boëmiæ ereptus Anno 1565. datus illi Academiæ est Adalbertus Bausek, jam tum Theologiæ Doctor, in ejusdem Facultatis Decanum, qui primus ex Societate, post eandem in jura Universitatis hoc anno admissam, Theologiam istic publicè, & domi eodem tempore privatim professus est. Et cùm triennio pòst, Antistes Olomucensis Synodum Diœcesanam, ab annis 49. intermissam coëgisset, ad eandem evocatus cum P. Laurentio Magio Provinciali, & Henrico Blissemio, magno adjumento & usui ad res Fidei rectè stabiliendas illi cœtui fuit, ducentis qui interfuêre Sacerdotibus, & Antistiti, concionibus privatísque simul alloquijs pro virili opem ferens. Ipse etiam postliminiò Viennam reversus, auctoritate Decani effecit, ut qui doctrinæ publicis donarentur insignibus, Catholicum priùs symbolum ex diplomate S. Pij V. Pontificis profiterentur: & nè libri parùm Fidei vel pietati congruentes, qui magno numero Typographis offerebantur, in lucem prodire, nisì recogniti & approbati, permitterentur. Atque in similibus augendæ Catholicæ Religionis, & expugnandæ hæresis assiduis conatibus, per omnes vitæ annos in Boëmia, Austria, & Moravia versatus, tandem viribus, magìs ex laborum magnitudine, quàm annorum ætate fractus, Viennæ occidit die 3. Maij Anno 1571. quàm acerbo Societati & Fidei Orthodoxæ, tam maturo virtuti sibíque funere. Sanè in tanta Colonorum illis Religionis nostræ primordijs penuria, Historia Societatis parte 3. libro 7. num. 58. vocat eum *maximè insignem*: utpote qui fuerit *vir mitis, innocens, candidissimâ animâ, humilitatis amabilissimæ, paratissimæ ad omnia obedientiæ: ad hæc doctus cumprimis, publicéq; in Academia Viennensi, temporéque simul eodem privatim in Collegio domi Theologiam interpretatus: impiger idem navúsque divinæ vineæ cultor: cujus in ore ac vultu innocentiam animi, charitatémque in DEUM & quoscunque hominum legeres. Quibus virtutibus ità domesticorum amores Civiúmq; rapuerat, ut ægro nullum omissum sit, certatim omnibus omnia conferentibus, divinum humanúmque remedium: & fuerint, qui vota pro salute ejus facerent, atque enixè Dominum DEUM precarentur, vicarios se offerentes, ut detractos sibi vitæ annos illi adjiceret, nè munimentum id Religioni Catholicæ alienissimo tempore demeretur. Quæ spes ubi fefellit, quod reliquum erat, de mortuo frequentiâ parentantiũ, dolore, lachrymis, ac lamentatione insigni justa funebria persolverunt.* Nemo tamen magìs jacturam viri persensit, magísque indoluit, quàm Laurentius Magius, Provinciæ tum Præpositus, ac postmodum universæ Societatis Romæ Assistens, qui Adalbertum intimè pernoverat, & talenta naturæ, gratiæque cumulatè expertus, damni ex ejus amissione magnitudinem optimè

optimè pensare sciebat. Itaque de ejus obitu Romam scribens, sensum suum sequentibus explicuit: *Tertio die Maij, migravit ad Dominum sanctus ille ac benedictus P. Adalbertus, dimidium animæ meæ, præter multas ejus virtutes: cujus mors ùt communi bono perincommoda accidit, & Academiæ & Collegio nostro, & Theologorum nostro Seminario, cùm esset ille vas omnium bonorum, & ad labores infractus; ità vulnus cordi meo tale inflixit, ut etiamnum perdoleam.*

Ex Historia Societatis, & Nadasi Anno dierum memorabilium, & Annalibus Provinciæ Bohemiæ Societatis JESU.



P. Iacobus Sotomajor Hispanus cum Socijs 27. per diversas contagiones in obseqvijs ægrorum in Hispania gloriosè vitâ positâ extincti, ab Anno 1571. usq; ad Annum 1598.
22.

P. JACOBUS SOTOMAJOR cum alijs septem & viginti.



ANno 1571. grassante Gadibus, & passim deinde pluseulis annis per Hispaniam pestiferâ febri, cum plerisque divitum cum Episcopo, Clero, Prætore, & Magistratibus ab Urbe ad tutiora digressis, multitudo destituta nullum haberet corporibus, nullum animis præsidium; Rector Collegij Petrus Bernardus, vir prodigæ in miseros charitatis, ità cum prioribus, qui remanserant

ſerant ex Magiſtratu civili, egit; ut de remedio agitarent. Confertur in commune numerus pecuniæ magnus, deſtinatur in agro domus excipiendis ægris, medicamenta, miniſtríque morbidorum, & Sacerdos Clericus ab Epiſcopo ad divinorum myſteriorum diſtributionem. Urbem & vicinam procurandam Rector cum Socijs aſſumpſit, aliquot ad ferendā corporibus æquè ac animabus opem addictis: quorum unus urbem & agrum eques obibat quotidie, circumferens medicata cruſtula, & ſaccharo conditos ſuccos, ægrorum ſolatia: quóſque inveniebat abjectos, ad noſocomium curabat deferendos. Rector toti negotio & dividendis eleemoſynis ab Urbe præpoſitus, ùt cujuſque requirebat inopia, cibos, veſtes, medicamenta comparabat, & partienda miniſtrabat: atque ſub veſperam egreſſus in forum, ad pœnitentiam populum, placandæ iræ cœleſti nervoſâ cohortatione compellebat. Pertinax interim malum cum charitate Patrum certans, duos ſubegit, Jacobum Lopium Coadjutorem, corporibus miſerorum curandis addictum, ad diem quintam Aprilis. Quem menſtruo ſecutus eſt intervallo ad quartam Maij P. Jacobus de Sotomajor, origine Hiſpalenſis, claris doctrinæ & virtutum ornamentis. Hic in Jure gradum Licentiæ conſecutus, domum Granatæ, Regio iſthic in foro Advocatum profeſſurus, quærebat; cùm ter divinâ voce juſſus eſt nullam præter Societatem JESU domum veſtigare. Acceſſit ad vocem impulſus adeò vehemens, ut hærentem & propè invitum, vi quaſi quadam pertraheret. In Tyrocinium recepto ità mens illuſtrata, & dilatata ſunt præcordia; ut ſorte ſuâ beatus nullum honorem licèt ampliſſimum, quàm inter DEI famulos coquum agere mallet; Sacerdotij gradum quantum poſſet, præ ſanctæ humilitatis ambitione deprecatus. Ardore deinde adverſa omnia pro DEO patiendi, mortem, labores, cruces, exquiſita tormenta, incendebatur flagrantiſſimo: eóque conſtanter exambiebat in Indias, ſeu Occidentem verſus, ſeu Orientem relegari. *Is, qui novit cor meum*, ſcribebat ipſe Anno 1566. ad S. Franciſcum Borgiam, *cor tuæ Paternitatis moveat, ut meis votis indulgeas: nam præter alia ego proſperâ ſum valetudine, quocunque cibatu proſperè utens. Mari diu ſum peregrinatus, ut qui Hiſpanicas Indias luſtravi: natare ſciens, & remum agere. Quòd ſi Dominus permitteret, ut in Indiam tendens ad ejus obſequium captivus fierem, verberibus conſcinderer, auribus, naribus, manibúſque mutilarer, aliíſque cruciamentis, quæcunq; fingi cogitatione queunt, afficerer, videor mihi (ùt nunc me quidem DEUS corroborat) ardentiùs quàm nunc expeto, reipſa tunc excepturus.* Ubi verò vulgata Gadibus peſtilentia eſt, continuè dandæ in diſcrimen pro ſalute proximorum vitæ occaſionem arripiens, fatigare Provincialem non deſtitit, ut ſe miniſterijs ægrorum addiceret. Fortè accidit, ut Sacerdotalibus ad ſacrificandum veſtibus jam eſſet indutus, cùm lætum accepit, voti ſe compotem factum, nuncium. Igitur eodem loco internuncium fratrem arctiſſimè, gaudióque immenſo amplexatus, ad Altare progreditur, ibíque tenerrimo cum ſenſu pietatis & fervoris ſeſe pariter cum SS. Hoſtia victimam offert. Ab ſacrificio rectâ mox ad Noſocomium accurrit; dúmque peſtiferos deinceps circumquaque in urbe & foris venatus, nullâ ſuimet, ſummâ illorum curâ, talentum charitatis aliquamdiu exercet, ingenti conflato in cœlis theſauro, ad ejus fructum capeſſendum tranſivit die 4 Maij.

Ex eodem charitatis opere pretioſam hoc ipſo anno mortem Toleti, ſub finem Aprilis, retulit P. Joannes Martinius, natus in oppido Pinto Novæ Caſtellæ, varijs quidem in Societate munijs, ſed in nullo propenſiùs, quàm Operarij, expiandis pœnitentibus, ac viſendis diu noctúque ægris occupatus. Nec verò dum mitteretur expectabat, ſomnum tunc & cibum momento abrumpere ſolitus; ſed Moderatorum nutum antevertens ſedulò inſtabat; ut præ alijs ad ejuſmodi operationes deſtinaretur. Venerant tunc fortè à bello Granatenſi Toletum multi ex genere Maurorum ægroti, eam Pater ſuam eſſe meſſem ratus, flagrantiſſimo ſtudio complectebatur miſeros, ijs lectos ſternere, potiones cibúmq; porrigere, obſequio omni ſive ad ſanitatem recuperandam, ſive ad mortem piè obeundam opitulari. Cùmque præ multitudine uno ſæpe in ſtrato bini ternive jacerent, ad noxas confitentium arcano audiendas inferebat ſe medium, & ad anhela miſerorum ora patientiâ & charitate admirabili aures applicabat. Vitio indè concepto, tanquam miles fortis in acie, quod ſemper optabat, lætiſſimus cecidit: cui fertur moribundo DEIpara, quàm mirè venerari ſolebat, apparuiſſe, & cœleſtis ſolatij plurimùm attuliſſe. Horum exemplum ſequentibus annis ſtrenuè ſecuti complures, eundem finem ſortiti ſunt: Monteregij P. Thomas Ordumna, & P. Petrus

Cuebas,

Cuebas, in Majo anni 1575. Compoſtellæ P. Petrus Velaſquez anno 1577. & P. Gonzalus de Fonte, cum Patre Balthaſare de Albuquerque ibidem, hic in Novembri, prior in Octobri ſequentis anni. Hiſpali P. Petrus Vaſquez. Corbubæ P. Ludovicus Eſcalante. Barcinone anno 1589. P. Joannes Servent 14. Auguſti. Jacobus Mauritius 1. Septemb: P. Matthæus Peliaccius eodem die, & ſequenti Martinus Aparicius. Joannes Lopez 8. Sept: ac poſtremus, Franciſcus Morey 13. Octobr: His acceſſere anno 1597. Sanctanderij quatuor, & anno inſequenti alibi per Hiſpaniam in eodem Charitatis Officio, octo extincti, quorum nomina & geſta leges apud Alegambe in Victimis Charitatis.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.



S. Franciscȩ Borgia, S.I. Generalis III. è Regio Hiſpan: ſangvine Dux Gandiæ, etc: In funere Augustæ Iſabellæ, aulam mundi exosȩ, vivere et ſervire Deo ſtatuit. Societatem complexȩ, verbo et opere ſalutē proximi, etiam Romæ in peste, cordi ſuo ſumpſit. Aliàs pro Viri Nobilis obſtinati anima, adusq; ſangvineū Crucifixi profluviū, licet fruſtra mira egit. à Pio V. ad Reges in Legatione miſsȩ in negotio contra Turcas, optimo ſucceſsu, Ioañe di Auſtria contra Turcas Victore. Obyt Romæ 1572. 23.

S. FRANCISCUS BORGIA.

Atus eſt P. Franciſcus Gandiæ in Hiſpania Anno 1510. die SS. Simoni & Judæ ſacro, Filius primogenitus Joannis Borgiæ Ducis Gandiæ, & Joannæ Aragoniæ, neptis Ferdinandi Aragonum Regis Catholici: familiâ apud Hiſpanos inprimis clarâ, ex qua duo Summi Pontifices, Cardinales & Duces plurimi, reliqui meri Principes prodierunt. Mater partum feliciter enixum S. Franciſci Seraphici, cui erat devotiſſima, pa-

trocinio adſcribens, filium ex ejus nomine appellavit, & educavit piiſſimè: jam tum ad eam devotionem, forte quot menſibus Patronum aliquem è Divis eligendi, aſſvefactum, quem ipſe deinde in totam Societatem & Mariana Sodalitia invexit. Undecimo ætatis anno, rebellium ſubditorum armis amiſſo Ducatu, à profugo cum tota Familia Parente, Cæſarauguſtæ apud Joannem Aragonium Urbis Archi-Epiſcopum, ſuúmque Avunculum relictus eſt, apud quem etiam poſt devictos internecione Rebelles remanſit, inſtruendus bonis Nobilium artibus Grammaticæ, Muſicæ, atque Equeſtris diſciplinæ, dum altiorum diſciplinarum capax, Philoſophiam quoq; ſingulari ſtudio condidicit: in omnem ſimul pietatem & virtutum exercitia intentus. Vigeſimo ætatis anno miſſu Parentis, Aulam Cæſaris Caroli V. ſecutus, ob eximias corporis & animi dotes, moréſque Chriſtiano Aulico inprimis dignos, totum ejus & Auguſtæ affectum occupavit. Nam ab omni ſuperfluo luxu, ignava ludendi conſvetudine, amatorijs artibus conſtanter abhorrens, cum altero ſexu non niſi hirſuto accinctus cilicio agebat: cùm interim equeſtribus artibus, haſtarum & gladiorum ludis, equorum curſibus, & id genus Nobilium artibus, cuivis parem aut ſuperiorem ſe oſtenderet. Non fefellit ea virtus Cæſarem, & cùm Franciſcus nullam Conjugij mentionem faceret, ipſæ curam Sociæ conſortio ejus dignæ deligendæ ſibi aſſumpſit: collatóque cum Auguſta conſilio ex ejus gynæceo Leonoram Caſtri, ſublimi in Luſitania loco natam, Franciſco minimè invito copulavit, & dignitate Præfecturæ Regij ſtabuli auxit; novóque titulo Marchionis Lombayæ decoravit. Ex eo Matrimonio octo liberos, quinque mares, & tres puellas ſuſcepit; favore Cæſaris & conſvetudine familiari conſtanter uſus: nam & Mathematicis diſciplinis, quæ militari arti deſerviunt, ſub eodem Magiſtro operam dedit, & ad jocos æquè ac ſeria, venationes & aucupia, bellúmque in Gallos urgendum adhibebatur. Donec ſub annum 1539. è vivis ſublatâ Cæſaris Auguſtâ Iſabellâ placuit DEO Franciſcum à ſæculi curis penitus abſtractum ad ſua unius obſequia traducere. Cùm enim commiſſum ſuæ curæ funus Auguſtæ eſſet Toleto Illiberim deducendum, ubi de more ante ſepulturam ad recognoſcendum, an revera ipſum ejus corpus foret, apertum eſt, adeò fœdum, deforme, fœtidúmque apparuit, ut ſpectantibus horrorem incuteret & fugam, nec qui juramento teſtari de more auderet, illam ipſam Auguſtam eſſe, ullus ex comitatu repertus ſit, nè quidem ipſe Franciſcus, niſi in quantum conſcius ſibi eſſet, de omni fide & cura in deducendo ejus cadavere adhibita. Atque eo ſpectaculo totus animo mutatus, in alium penitus à ſe abijt: neque ex illa hora ampliùs eô, quô antehac oculô terrena intueri, averſari Aulam cum ſuis favoribus, delicias, honores, clientelas faſtidire, ſolum DEUM & Cœleſtia anhelare. Siquidem eâ ipsâ horâ, à condito in Æde ſacra cadavere in hoſpitium redux, ſolus ſinè arbitris, peſſulo januæ ſubducto, in cubiculum ſe abdidit, humíque proſtratus, lacrymis & gemitibus fræna laxavit: certus deinceps, abjectâ corporis & terrenorum curâ, uni DEO & animæ ſaluti ſtudia omnia impendere: tam profundis in animo ſuo propoſiti hujus radicibus, ut paulò pòſt firmiter decreverit, quàm primùm expedire ſe terrenis liceret, ſi Conjugi ſuperſtes viveret, in aliquam Religioſorum Familiam ſe dare. Sub hæc à Cæſare Catalauniæ Pro-Rex, fruſtrà multis obnitens, declaratus, gubernationi Regni per quam exactè ſanctitatem vitæ, & cultûs Divini promovendi zelum conjunxit: novo iterum honore à Cæſare cumulatus, Ordinis Equeſtris S. Jacobi Hiſpaniæ Tutelaris, qui inter militares ibi Ordines Princeps eſt, Cruce donatus; additis etiam annuis opimis prædiorum fructibus & vectigalium. Prima cura fuit, vias publicas à latrocinijs, quibus omnia tunc ex Galliæ hoſtilis vicinia erant infeſta, tutas reddere, itáque ſecuritati & vitæ commeantium proſpicere: tum judiciorum & juſtitiæ adminiſtrandæ normam inſtaurare, jus ſuum cuique citra litium protelationem reddi curare, omniáque ſolerti vigilantiâ ad utilitatem, & commoda incolarum providere. Nam & frumentum undiq; importandum, quòd ex ſterilitate coorta annonæ caritas famem minaretur, curavit, viritímque diſtribuit; magnâ etiam pecuniæ vi in pauperum ſubſidia donatâ. Quo factum eſt, ut Reipublicæ bono natus, & Patriæ Parens à Civibus Barcinonæ vocaretur: nam & clam alebat, quos ex bonis fortunæ excidiſſe cognôrat; neque ullum abs ſe præſidio indigentem abire vacuum, aut triſtem à limine patiebatur.

Sui quoque inter hæc ad perfectiora promovendi non immemor, vacuas à publicis negotijs horas, pleraſque dabat lectioni piæ, orationi tam mentali, quàm vocali horarum Canonicarum, quas cum Roſario decurrebat quo-

quotidie: ut ſic diluculo quinas ſæpe horas flexis genibus orando tranſigeret. Ad hæc cænis ſibi perpetuò interdixit, prandio ità parcè utens; ut herbis & leguminibus coctis tantùm uteretur, pijs magìs ſermonibus convivarum, quales ſemper Menſæ inter Nobiles & Principes hoſpites, quos omittere honoris gratiâ non licebat, adhibebat, quàm exquiſitè conditis cibis oblectatus. Hâc abſtinentiâ factum, ut cùm obeſo admodum corpore ventréque eſſet, brevì laxæ nimìs tunicæ evaderent, duplicaríque circa corpus indumenta poſſent. Par auſteritas in vigilijs & cilicio, flagellis item & ſui contemptu atque victoria. Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ privatim quidem octavo quoque die, publicè verò anniverſarijs majoribus Feſtis, quò civibus exemplo eſſet, frequentabat. Sed cùm frequentior ille Sacramentorum, præter morem ejus temporis, uſus, ſermonem pleríſque dediſſet, doctioribus etiam Viris ſentientibus, è majori S. Evchariſtiæ dignitate eſſe, ſi raró admodum, vel ſemel quotannis manducaretur: Franciſcus Ignatium, de cujus Sanctitate mira audiebat, conſulendum ſtatuit. Reſpondit hìc varijs adductis rationibus, frequentiam Sacræ Menſæ per ſe quidem majoris utilitatis & Religionis eſſe; quia tamen non omnium conſcientiæ unâ amuſſi metiendæ forent, auctor fuit; ut prudentem piúmque Directorem animæ ſuæ è multis deligeret, cujus potiſſimùm conſilio in pietatis ejuſmodi exercitationibus uteretur. Paruit ſvadenti Franciſcus, atque ex eo tempore Societatis JESU Presbyteros ad excolendum animum, in arcanis conſcientiæ adhibere cœpit. Hæc dum maximè agit, triſte nuncium accipit de obitu Parentis, per cujus mortem Ducatus Gandiæ in eum devolvebatur. Ejus ergo adeundi poteſtatem, ſimúlque à Catalauniæ gubernatione miſſionem ab Cæſare, tum fortuitò Barcinonam tranſeunte poſtulat; non aliter hâc quidem impetratâ, quàm ut Filij Cæſarei Philippi, qui tum uxorem ducere parabat Mariam, Luſitaniæ Regis Joannis III. filiam, Curiæ Præfectus eſſet, Mariæ verò à cubiculis Leonora ejus uxor. Ea tamen res, immaturâ Mariæ morte effectu caruit, & Franciſcus magnâ omnium ſuorum expectatione, Gandiam ſub annum 1543. pervenit, longè majora pietatis & liberalitatis in proximos opera, cum ipſo ingreſſu ibi molitus. Sed DEO placuit, ipſum tandem impedimentis omnibus abſolutum plenè poſſidere, ut non jam ſua, ſed ipſum illi daret; dum Leonoram lectiſſimam, raræq; pietatis Conjugem, poſt 18. in matrimonio annos, brevì ad ſe evocavit anno 1546. Pro ejus graviter ægrotantis valetudine aliquando oraturus, ſolus cubiculum ingreſſus, lacrymis DEUM precabatur, cùm vocem quandam internam (ùt ipſe deinde retulit) clarè audivit: *Uxorem ſi diutiùs ſupereſſe vis, arbitratu tuo fiat; ſed tibi non expedit.* Quâ multùm perturbatus, minimè dubitavit DEI vocem eſſe; ideóque non ejus tantùm, ſed prolium omnium mortem in manibus & voluntate ejus conſtituit. Eſt verò animadverſum, ab ea oratione reverſo Duce, Conjugis morbum in deterius ſemper, qui eatenus inter ſpem & metum dubius hærebat, uſque dum deſperaretur, & pijſſimè decederet, vergere cœpiſſe; Commodùm per id tempus Petrus Faber, primus ex Ignatii Socijs, Gandiam, ex itinere Romam deſtinato, venit, incredibili Franciſci gaudio; ſub cujus directione ante omnia, ſacra ejusdem Ignatii Exercitia peregit; tantâ eorum æſtimatione, ex fructu indè experientiâ hauſto, conceptâ; ut eorundem Pontificiâ auctoritate, per ſpeciale Diploma approbationem à Paulo III. mox expetierit & impetrârit. Neque differendum ultrà ſuum propoſitum ratus, cùm ante triennium Lombagæ Cænobium S. Dominici Familiæ à fundamentis erexiſſet, quartâ Maij ejuſdem anni 1546. fundamenta Collegij Societatis Gandiæ, adjuvante Fabro, jecit; ut brevì Collegium cum omnibus Academiæ Scholis (quæ prima omnium Societati obvenit) ſteterit, Summi Pontificis & Cæſaris auctoritate, confirmata. Digreſſo in Italiam Fabro, totum ſe Franciſcus deliberationi de ſtatu vitæ, inter tot Religiones eligendo dedit, huc eleemoſynas, prolixiores orationes, afflictationes corporis, jejunia, Miſſæ Sacrificia adhibuit: in S. Franciſci ſtrictiorem obſervantiam affectûs ſui inclinatione, & ſtudio auſteritatum arctioris vitæ ſemper propenſior: quoties tamen ad conſulendum per orationem DEUM ſe daret, rationũ efficaciâ, & luminis Divini perſpicaciâ, quaſi violentè in Societatem rapiebatur. Ergo nè in negotio arduo ſimul & perplexo, ſibi uni confiſus erraret, rem ad eruditum piúmque S. Franciſci Sacerdotem, unà cum rationum utrinque momentis, retulit, ſententiam ejus, tanquam DEI oraculum, auditurus. Ille Sacris, implorando Divino lumini operatus, diſertè ad Franciſcum retulit, vocari illum ad Societatem JESU: ità DEO placitum.

Hìc verò nihil moratus Franciſcus, expedi-

pedito Romam curſore, recipi ad eandem ſummis ab IGNATIO precibus flagitat, & iſte perlibenter admittit, dummodo res Familiæ in bonum ſuarum prolium ſtatum ordinet ac componat. At Franciſcus, quòd ea res morâ longiore, quàm ipſe vellet, indigeret (quadriennium aſſignaverat cum Pontifice IGNATIUS) optabat jam tum Vota Religioſa concipere, & Societati, in veſte licèt ſæculari, intimè adſtringi: IGNATIUS literis ejus adductus, à Pontifice Maximo impetravit, ut año 1547. Vota Societatis emittere, paucis tamen conſcijs, licuerit. Totus ergo jam in id intentus, ut prolibus quàm optimè provideret, Filio primogenito, Familiæ Principi Conjugem lectiſſimam, nobiliſſimámque dedit; & binis filiabus pares maritos, nam tertia Chriſtum Sponſum in Cænobio S. Claræ elegerat: reliquis Filijs ad ſtudia adhuc proſequenda abundè proſpexit. His expeditus, ut alteram IGNATII mandati partem impleret; ſtudio Theologiæ & repetendæ Philoſophiæ, Doctore uſus Magiſtro Pereſio, triennium ſe impendit, eâ pertinaciâ, ut tribus horis manè ſurgendo, nè oratione tempus ſtudijs detraheret, ſolem anteverteret; eô profectu, ut publicè in Academia primùm Philoſophiæ, ac tum Theologiæ Magiſter ſit inauguratus. Poſthæc Romam, anno Jubilæo commodùm incidente 1550. Loca Sacra viſendi ſtudio profectus, cùm unquam amplius Gandiam reviſere in votis haberet, condito teſtamento, adminiſtrationem interim omnem, primogenito Carolo commiſit, inter comitatum ſuum tribus è Societate Sacerdotibus aſſumptis. Per viam orationi horas quotidie dabat complures; morémque, quem à votis emiſſis conſtanter tenuit, quotidie Sacramentis Pœnitentiæ & Evchariſtiæ utendi, flagríſq; in corpus ſæviendi, ſervavit. Romam honorificè, Cardinalibus aliquot ad portam, unà cum Cæſareo Legato obviam procedentibus, introductus, oblatum per Legatos à Julio III. in Pontificio Palatio hoſpitium deprecatus eſt, & in Domicilium Societatis ad IGNATIUM divertit, amiciſſimo illius amplexu ad januam exceptus. Hìc ſalutatione Pontificis, & quorundam Cardinalium viſitatione perfunctus, rationem totius vitæ IGNATIO reddidit, & ſimili Confeſſione expiatâ conſcientiâ Eccleſias Urbis, tot Martyrum ſacris exuvijs dotatas, humiliter inviſit: ac ſubinde prima Collegij Romani fundamenta jecit. Mox curâ omni ad rem ſuam agendam revocatâ, ut quantocyùs fortunæ bonis, titulíſque abdicare ſe liceat, è domeſticis unum ad Cæſarem Carolum, in Germania tunc agentem, cum ſupplici libello ablegat, bonâ illius veniâ, in Filium Carolum Gandiæ Ducatum, titulóſque abs ſe transferri rogans. A quo, dum reſponſum avidus expectat, ſubitò certis auctoribus reſcit, Summo Pontifici Julio deliberatum eſſe, ipſum ſacro Cardinalium Collegio adſcribere; quo triſti nuncio non minùs, quàm alius ultimi ſupplicij denuntiatione, exhorruit; qui hac maximè de cauſa Romam accedere, vivente adhuc Paulo III. cunctabatur, quòd metuerat, nè is beneficij à Borgia gente accepti memor, utpote ab Alexandro VI. Borgiæ Familiæ, purpurâ donatus, vicem quodamodo ſibi reddere vellet, prout nuper duos Franciſci Fratres Cardinales creaverat. Ergo bonâ IGNATII veniâ repente adornato diſceſſu, ut Pontificis oculis ſe ſubduceret, Româ properè diſceſſit; quamvis ibidem abdicatis Ducatûs Inſignibus, vitæ religioſæ Tyrocinium, ſub diſciplina S. IGNATII ponere, ſummis in votis haberet. In Hiſpaniam reverſus, rectà in Cantabriam ſe contulit, Patriámque IGNATII, Loyolam ingreſſus, domum & locum in quo nat, IGNATIUS primùm terram contigit, oſculo veneratus eſt; DEO grates referens, quòd tantum Virum eò loci mundo conceſſiſſet, séque tanti Magiſtri diſcipulum feciſſet. Unde Ognatum, tertio indè lapide diſſitum ſecedens, ibi Cæſaris annutum præſtolari, procul à ſuis & Gandiâ, decrevit. Et verò paulò pòſt, hunc per reducem diſpoſitis equis Villaſonium adeptus, confeſtim in publicum prodijt, accitíſque Actuarijs & Notarijs publicis, ditionis ſe Gandienſis jure, boníſque omnibus & honoribus exuens, univerſa in Carolum Primogenitum tranſcripſit. Mox detonsâ barbâ, raſóque vertice, veſtibus abjectis, talarem Sociorum togam, uſúque aliorum jam detritam induit, famulóſque ſimul omnes manu miſit: illis in lacrymas propè diffluentibus, ipſe præ gaudio vix ſui compos DEO decantans illud Pſalmi 115. *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis!*

Ità Religioni novus jam homo auctoratus, Sacris initiari primò omnium voluit, atq; ad primam DEO liturgiam offerendam, Loyolam, ex ea, quam de Sanctitate IGNATII conceperat æſtimatione, deligens, primitias Divini Sacrificij immolavit die 1. Febr: S. IGNATIO M. ſacrâ Anno 1551. Indulſerat jam ante Pontifex Julius Franciſco Jubilæum, primum Sacrificium oblaturo; ut quotquot illi

illi ritè confessi, & sacrâ Evcharistiâ refecti adessent, plenariam peccatorum veniam consequerentur. Igitur Vergaram Loyoleæ domûs Oppidum, tantus fuit hominum ad eam celebritatem undique concursus, ut templum spatiosum quidem, populum non caperet, sed aram sub dio erigi celebraturo necesse foret: Sacræ verò Evcharistiæ Communio diu post meridiem, accedentium multitudine produceretur. Factâ re Divinâ, ad populum maximo animorum motu primam similiter Concionem habuit: quorum plurimi rogati, cur eo dicente lacrymas profudissent, cujus aut sermonem, ob diversitatem idiomatis ignoraverint; aut, quòd longiùs à suggestu in tanta hominum corona abessent, percipere dicentem nequiverint? ingenuè confessi sunt, divinam in eo non humanam vocem audiri visam; satísque ad id fuisse, vel aspectum tam sancti Ducis, humana omnia proculcantis. Indè Tyrocinium vitæ Religiosæ, licèt pridem veteranus miles, auspicaturus, & quæ hactenus animo concepta desideria fovebat, nunc re ipsa periclitaturus; impetrato ab Ognatenis Sacello S. Magdalenæ, mille passibus ab Ognato sejuncto, domum exilem & perangustam, è rudi & impolita materia illi adjecit; in quam pauculis cum Socijs, Superiore Patre Michaële Navarro, se inclusit. Hìc ipse operâ Coquo juvando constanter addictâ, Sociorum communem servum, & Domûs mediastinum agere, ligna & aquam comportare, verrere pavimentum, lances & ollas mundare, & omnia Tyronis ex infima conditione munia exequi. Pedibus item singulorum exosculandis identidem advolvi, errata sua lapsúsque deprecari, flagitare publicas reprehensiones & pœnas, atque ad DEUM pro se fundendas preces & suffragia. Ad hæc excurrere in pagos vicinos, sacco mendicantium more onustus, panem ostiatim, stipémque mendicare: aliàs tintinnabulo pueros convocare, longo ordine eosdem ad templum vel forum publicum canentes ductare, ibíque explicare Fidei Rudimenta, & quà interrogando, quà sæpiùs eadem repetendo inculcare. Tandem longè latéque in remotiora quoque oppida, & Civitates, Victoriam, ad Sebastiani Cantabriæ portum, Pampelonam usque, pedes semper, & corrogatâ Christi nomine annonâ, excurrere, pueros ubique Catechesim docendo, & in Templis ad populum concionando. Quibus rebus per totam Hispaniam, famâ etiam progressu eas augente, brevì divulgatis, magni undique fiebant Ognatum concursus, Principum etiam Virorum, Regníq; Optimatum: qui veluti ex prodigiosi hominis aspectu, & sanctis in multas etiam horas, de officio Principum, & Christiani hominis colloquijs, meliores revertebantur. Neque Hispaniæ Regnis contineri secunda fama potuit, quin in Lusitaniam, ipsámque Regis Aulam pervaderet: unde Ludovicus Joannis III. Regis, & Isabellæ Augustæ Germanus frater, sæpius Franciscum per epistolas de rebus Divinis convenit, & responsa salutis plena magno suo solatio, fructúque recepit. Quin etiam tam altè exemplum insolens Francisci in animos hominum penetravit, ut quàm plurimi è prima Nobilitate, quà sangvine & dignitatibus jam gestis, quâ doctrinâ & sapientiâ toto Regno illustres, eodem permoti in varias Religiones, ac præcipuè Societatem se se abdiderunt: qualis inter alios fuit Antonius Corduba, Marchionum sangvine progenitus, & ex Universitatis Salmaticensis gesto Rectoris munere (qui non nisì primæ Nobilitatis Viris defertur) Cardinalium Purpuræ jam destinatus. Quam sibi invisam dignitatem ut ut feliciter iste effugerit, Franciscus tamen denuo ad eandem, conspirante cum Cæsare (qui illum ad Purpuram proponebat Pontifici) cúmq; toto Cardinaliũ Collegio Julio III. vel invitus adigendus, vix evasit: nisì IGNATIUS Consilium Societati Universæ tam noxium futurum, si dignitatibus ad eam porta aperiretur, lacrymis & precibus apud Julium interpositis, efficaciter evertisset: abundè satisfactum iri Carolo Cæsari, ut ne sperni se crederet, persvadens, si ad preces illius decreta Francisco dignitas huic quidem offerretur, quin tamen reluctanti præcepto Obedientiæ subeunda imponeretur: Itáque prorsus evenit: Franciscus enim, quid Romæ de se ageretur, penitus in sua illa solitudine ignarus, ad oblatam sibi Purpuram totus cohorrescens, grati animi epistolâ ad Pontificem datâ, efficacissimis rationibus eandem deprecatus est: apud DEUM verò precibus & votis adeo flagrantibus detestatus, ut vitam priùs eripi sibi tum, & quoties iterum is honor deferretur, postularet; quàm titulis iterum, bonísq; onerari. Nam & Julio adhuc sedente idem periculum illi ad postulationem Philippi Regis Hispaniarum repetitum est: & ab utroque Pio IV. & V. cùm Romæ degens Societatem universam gubernaret acriter intentatum, paríque semper & invictâ constantiâ rejectũ.

Ità Ognatensi in solitudine novum pugilem, velut adhuc in umbra vires & robur ad

justa prælia exercentem, jussit tandem IGNATIUS in campum & lucem publicam prodire, Apostolicis laboribus excolendam illi designans Hispaniam, cujus Regna & Civitates, cum pagis oppidísque percurrens, verbum DEI ubique disseminaret, & bellum vitijs quà publicis, quà privatis sermonibus inferret. Itaque in arenam progressus, initium fecit à Vico, quem Regiam Casam appellant, Ferdinandi Velasci Comitis, Regij stabuli Præfecti dictioni subjecto, quem omnibus gnavi Operarij Missionum laboribus excoluit: nunquam tamen uxoris ejus, suæque materteræ Julianæ Aragoniæ precibus induci se passus, ut ad ejus Aulam diverteret, humili tecto contentus. Indè Burgos in urbem progressus, in Æde summa, rogantibus cum Senatu Canonicis, dixit ad populum: idémque præstitit Pintiæ; & à Tauris dicto oppido, à Joanne Lusitaniæ Principe illuc evocatus, habitis per sanctiorem hebdomadam de Christi cruciatibus, non minore fructu, quàm audientium aviditate, sermonibus: nec illius postulantis auctoritati, seu his, seu Tordesillæ, quò iterum ad graviter ægrientem evocatus erat, concedens, ut in Aula diversorium caperet. Salmanticam quoque, Methymnam Campi, & diversis locis Bœticæ Provinciam lustravit, ubíq; flammas Spiritûs Divini spargens, & colloquijs de rebus divinis, corda, mortalium, certatim de rebus animæ suæ consulentium, incendens. In Bœticam venisse Franciscum, ubi in Lusitania percrebuit, magnis precibus interpellatum Rex ad se invisendum Olyssiponem evocavit. Illuc progressum cum socio P. Bustamantio, cujus imperijs Franciscum IGNATIUS, fervori illius in afflictando corpore metuens, subjecerat, & quolibet iter suscipienti perpetuum socium addixerat, istud prodigij simile excepit. Ventum erat ad rupem saxis asperam & impeditam, quam *septem Pallares* accolæ nominant, neq; nisi jumentis periculoso itineri ambulando jam assvetis superare solent: anteibat Franciscus, cælestium meditationi intentus; sequebatur ponè Bustamantius, B. Virginis preces orbiculis numerans; in crepidine, angustiísque loci in præcipitium vel aspectu formidabilis, jumentum cum Bustamantio in illud decidit, volutum tum in gyrum sursum, deorsum; ut iste, ceterà exanimatus, integram tamen vocem haberet inclamandis JESU & MARIÆ nominibus. Franciscus ad pastorum, qui ad spectaculum horribilis ruinæ inclamârant, vocem, reflectit oculos, DEI auxilium implorans: cùm ecce tibi, mirum dictu! lapidi continuò institit mulus: quódque incredibile videbatur, illæso etiam sessoris corpore, funibus dejectis, à viatoribus, tanquam ex abysso extractus: Virgini, cui tum preces fundebat, & Francisci votis, vitam referens acceptam. Conimbricæ in nostro Templo ex suggestu perorantem, tota Academia cum Nobilitate confluens audivit: Olyssipone autem Rex ipse cum Regina, concionantem pariter, & privatim maximè salutaria in colloquijs suggerentem, avidissimè auscultârunt: Ludovicus præcipuè Regis Frater, præsentis consvetudine plenè familiariter utens, qui & ipse cælibem agebat privatus, extra omnem Regiæ strepitum, vitam, uni DEO in assidua oratione, & Cælestium contemplatione acquiescens. Jam verò longiore præsentis Francisci usu usque eò inflammatus est, ut Societati se quoque dedicare constitutum haberet: verùm aditum ab IGNATIO flagitanti, negavit id fore è majore DEI gloria, quòd imbecillâ jam foret valetudine, ætatéque grandior: plus commodi publico allaturum, si in Regis Fratris consortio, re atque consilio, ùt adhuc, adjuvans cælebs permaneret; ceterà sanctæ vitæ intentus, degens velut unus de Societate. Nam humili domo contentus & ineleganti, absque Regio splendore & famulorum turba, vasa ipsa argentea & peristromata, mundúmque adeò omnem venum dedit, redactámq; pecuniam omnem in æs alienum dissolvendum, & pauperum eleemosynas convertit: votis adeò Continentiæ, Paupertatis & Obedientiæ spontè se obstringens. Humilitatis studio nullum à confessionibus, more Principum, stabilem & certum eligere sustinuit, quolibet, dummodo de Societate esset, contentus: hinc peccata expiaturus, puerum à pedibus in Domum Professam ad S. Rochi mittere consveverat, qui Sacerdotem aliquem, quisquis tandem is foret, expiandis culpis, quasi ad unum de vulgo hominem evocaret. Ceterùm pro incremento Societatis non minùs zelans & intentus, quàm si de membris ejus esset: nam & Fratri Henrico Cardinali (qui postea in Regno successit) auctor fuit, ut Socios amplecteretur foverétque, extructo Eboræ, cujus Præsul Ecclesiam regebat, Collegio & Gymnasio: quod dum ædificaretur, Ludovicus quotidie ipse Eboræ præsens, fabricam lustrabat, opus urgebat, & operis instabat. Socios item ægrotos, quasi fratrum locô ducens, invisebat, venam, arteriámq; & præcordia, Medicorum more tentabat, morbi originem statúmque

túmque explorabat, miniſtrabat, & alloquijs conſolabatur. Quæ omnis Ludovici in vitam adeò perfectam mutatio, ipſiuſmet confeſſione, uni Franciſco ob vim exempli tam ſublimis debetur. Sed & Rex affectum ſuum in Societatem, Franciſco declaraturus, ipſo præſente fundamenta Domûs Profeſſæ ad S. Rochi jecit, Franciſco de ſuperiore loco verba faciente. His ità magno animarum proventu Olyſſipone geſtis, in Caſtellam reverſurus, dare id Henrici Cardinalis, & Theodoſij Brigantini precibus debuit, & utrique per tranſitum præſentiam ſuam indulgere, illi Eboræ, huic verò Villavitioſæ, utrobique ingenti animorum motu pro concionibus auditus. Ex Luſitania reverſus Pintiam rectà contendit, ubi tum Regia erat Philippi, pro Cæſare Parente Hiſpaniam regentis: ubi conſtanter habitis concionibus, tum in Societatis ad D. Antonij, tum in Sanctimonialium Templo, magna morum in meliùs mutatione inductâ. Inter alia id etiam memorabile perfecit, quòd Cænobium ſacris Virginibus, quæ auſteram S. Claræ vitam normámque ſequuntur, in Caſtella fundari obtinuerit, eáſque evocatis Gandiâ colonijs, ubi unicum primitus habebant Monaſterium, Madritum quoq; traduxerit. Sub hæc Compluti eodem ſemper ardore & animorum profectu ſuſceptis concionibus, quibus Jeremiæ threnos explanabat, mandatum repentè ab IGNATIO accipit, quô Socijs per univerſam Hiſpaniam cum Præpoſiti poteſtate præeſſe jubebatur.

Hoc ille munus multis apud IGNATIUM humiliter deprecatus, nonnisì coactus ſuſcepit; eo maximè ſortem ſuam ſolatus, quòd legibus, cuivis alteri parendi, quaſi ſolutus, & inſpectore morum, actionúmque cuſtode carens, immoderatiùs & liberè in ſe ipſum animadvertere, vigilijs, jejunijs & flagris corpus edomare poſſet: Verùm in tempore admonitus IGNATIUS, eâ immoderatione brevì valetudinem ejus labefactatum iri, factum abſens reprehendit, & Sacerdotem illi primò ſenem addit, deinde verò augendo humilitatis merito Fratrem Laicum, Michaëlem Marcum nomine, cujus ſinè arbitratu nihil pœnitentiarũ aſſumeret, in omnibus ejuſmodi aſperitatibus uſurpandis, ipſius ſententiæ acquieſcere adſtrictus. Dici vix poteſt, quantum emolumenti ea Franciſci gubernatio Hiſpanicæ Societati adhuc recenti, & ùt ferè fit, multorum invidiæ & oppugnationibus expoſitæ, attulerit: nam Domicilia, Collegiáque multis quidem locis illi fundata, ſed tenuia admodum & imperfecta, illius curâ, & apud omnes gratiâ ad debitum ſtatum provecta ſunt, & nova alia adjecta, Hiſpali imprimis & Placentiæ, quæ ſuam originem vigilantiæ Franciſci debent, quorum neceſſitatibus DEUS etiam prodigioſè per illum ſubveniebat. Accidit namque cùm Hiſpali recèns occupatas futuro Collegio Ædes inviſeret, ut nec cibum domi, nec argentum coëmendo pani haberent, veniſſéntque improvisè plures de via hoſpites Socij, hora verò meridiei ad prandium vocaret. Joannes Suarez Domûs Superior Franciſcum admonet, nihil eſſe quod apponatur, dandúmne nihilominus prandij ſignum, ad vacuum triclinium acceſſuris? ille breviter DEUM precatus, dari jubet, & DEO fidere, cujus ſub cura & providentia eſſent. Dum omnes conveniunt, ecce tibi ad portam duo cum ſportis panis, ciborúmque in tanta copia ut ad pauperes etiam foris paſcendos redundârit. Tum Franciſcus Socios allocutus; *Diſcite*, ajebat, *filij DEO fidere, cujus ſi gloriam quærimus, animis, corporibúſq; nihil defuturum ſcitote.* Idem in ſimili extrema indigentia à DEO ſubſidium illi advenit, allato per homines penitus ignotos accumbentibus cibo, Pintiæ & Septimancæ. Et hìc quidem ipſe quoq; Societati pro Tyrocinio Domum à Civibus obtinuit, ad cujus ſtructuram laborans ipſe materiam, cœmentum & lapides operis comportabat. Neque unquam officij ſui curis ità abripi ferebat, ut animabus DEO lucrandis manum ſubtraheret: nam & per Compita publica, quocunq; adveniſſet, præeunte canentium puerorum choro, Catechiſtæ officio fungebatur, & de ſuperiore locò DEI Verbum explanabat: privatim quoque cujuslibet ſortis hominum in congreſſibus, non nisì de rebus ad ſalutem pertinentibus ſermones miſcebat. Ad Collegium quodpiam delatus, ſalutatâ in Templo SS. Evchariſtiâ, & viſitatis, ſi qui adeſſent, in valetudinario ægris, rectà culinam petebat, coquo operam ſuam deferens: Accidit fortè, ut Septimancam veniens reſciret, adeſſe ibi Novitium, qui à lancium ſordibus purgandis abhorreret: invitúſque hoc onus, cetera perlibenter ſuſciperet, quem ut inanem metum exueret, ſpectante illo Franciſcus ubi laborem hunc perfeciſſet, aquam ſordibus indè inquinatam toto ore hauſit: eo ſpectaculo fractus adoleſcens ad pedes illi accidit, veniáque exoratâ, horrorem nullum ampliùs aut nauſeam expertus eſt. Nobilis ibidem alius ex tyronibus adoleſcens, tædio vitæ, ac præſertim

pauper-

paupertatis Religiosæ, cùm suasionibus nullis, nè quidem Francisci alloquijs retineri posset, *finite illum abire*, vaticinans hic dicebat, *nondum enim maturuit: revertetur, mihi credite, & hanc ipsam judicij imbecillitatem post re ipsa corriget.* Factúmque est utì prædixit, nam dignitate Ecclesiasticâ sponte se abdicans in Societatem revertit, vixítque ad extremum usque diem piè sanctéque, ut cæteris omnibus exemplum esset singulare. Decesserat per idem ferè tempus Anno 1557. Joannes III. Lusitaniæ Rex, Societati cumprimis addictissimus, cujus primùm auspicijs Societas cum S. Xaverio Indijs invecta est. Franciscus Reginam viduam epistolâ primùm cōsolatus, mox Cæsaris Caroli jussu, & Reginæ ipsius accitu, adire per se statuit; nam & Lusitaniæ Societas eo tempore Francisci gubernationi subjecta erat. Priusquam Eboram teneret, ardentissimâ febri correptus, cùm jam in pestiferum delirium redigeretur, indictæ pro ejus salute preces sunt, supplicationésque publicæ, jussu Principis Cardinalis: sed negavit ille constanter Medicis, Sociísque ad lectulum plorantibus, eô morbo se decessurum: *Nondum*, inquiens, *maturuit hic fructus, ut summi Regis epulis apponatur, grandis adhuc nobis restat via: imò intrà quatriduum vivus, valénsque Olyssiponem pergam.* Tertio die, remittente morbo, adsunt à Regina submissi cum equis domestici, quibuscum postridie itineri se Olyssiponem versùs commisit: novo iterum vitæ discrimine in Tago flumine trajiciendo tantùm non obrutus, dum subitò exorta tempestas, non paucis alijs navigijs gurgite haustis, ipsum propè demersit. Regina adventu nunciato, Xobrigam Regiam in villā, amœnitate, aëríſq; salubritate claram, deferri valetudini firmandæ jubet, ubi dies aliquot moratus, vasa repentè colligi jubet, & Olyssiponem properari: tergiversantibus edicens, noctem illam ibi se nullatenus transacturum. Divino instinctu fuisse actum eventus aperuit: siquidem eâdem nocte ventorum procella ab extremis usque Indijs vehementiùs spirans, pestilentem morbum villæ, totíque latè viciniæ invexit, quô ijs ipsis horis multi ubiq; locorum mortales sunt enecti. Similis ferè & alibi prænotio, pari periculo illum cum Socijs exemit. Diverterat in idem fortuitò ex via hospitium cum Gvero Vega, Joannis Vega Hispaniæ Præsidis Filio, cùm subitò ab Oratione surgens, *fugiamus*, inclamat, *periculum præstò est.* Vix domo digressis, tectum decidit, omnes oppressurum, nî cavisset Franciscus. Rebus cum Regina, Regníque Proceribus ex Cæsaris mente compositis, in Hispaniam revertens, Cæsarem primò omnium convenit, gestæ in Lusitania rei rationem redditurus. Sed major illi labor in eodem consolando, & in misericordiam, clementiámque DEI erigendo fuit, qui tum vicinæ mortis veluti præsagus, vehementer laborabat rationes totius vitæ, gestíque cum tot Regnis Imperij, DEO supremo Judici probare. Neque illum fefellit vicinæ mortis augurium. Vix enim Cænobio Escuriali digressus Franciscus Pintiam attigit, cùm tristis nuncius attulit vitâ defunctum die 21. Septembris Anno 1558. nominato ultimæ suæ voluntatis tabularum Executore ipso Francisco: cui hic etiā funebrem concionem, in Aulicorum frequenti corona Pintiæ dixit. Posthæc Lusitaniæ Collegia sibi inspicienda existimans (nam hactenus negotiorū tantùm causâ illuc missus, præstare id non poterat) Eboram, invitatu Henrici Cardinalis contendit, qui per id tempus Collegium cum Academia, recèns ab se exstructum, Societati tradiderat. Ab eo omni officiorum genere exceptus, concionabatur Dominicis, & verni jejunij diebus omnibus in Æde sacra, audiente avidissimè Cardinali. Huic cùm quidam innuerent, dictionibus tot videri fessum de via Franciscum nimiùm onerari, respondit, *non postulo, ut disertè concionetur aut prolixè: abundè erit populo mihique, vel suggestum conscendisse eum, qui spontè propter* CHRISTI *amorem, omnibus se se bonis cum Ducatu abdicavit.* Lustrato deinceps Bracharensi Collegio, Portum devenit; ubi Urbis Episcopus cum Civibus, illum in Xenodochio S. Rochi divertentem convenientes, Socios illuc mitti aliquot postulārunt, locô etiam futuro Collegio attributô, quorum voluntatem Regina intelligens, ratam esse jussit. Hic quoque concionibus omnia inflammans, pueros simul & rudes ære campano vicatim ad Catechismum evocabat, serviebat in Hospitalibus, ægros procurabat, unus agebat omnia, ut velut hominem cælo lapsum cives suspicerent.

Talibus summo animi solatio occupatum, Pontificium Pij IV. diploma deprehendit, Romam actutum sese conferre imperans: cujus mandato ad Regem Philippum delato, confestim itineri se dedit, quamvìs urente etiamnum caniculâ. Anno 1561. Laureti salutatâ, quâ potuit devotione DEIparâ, Romam ingressus est die 7. Septembris, incredibili Sociorum omnium gaudio exceptus: quem ubi adesse

adesse Pius Pontifex intellexit, misso ad salutandum cubiculi intimi Præfecto, ut ad se migraret rogat, & hospitium in suo Palatio offert. Ille multis officiosè excusans, quòd facilè videret, quò favores hi tam insoliti spectarent; ad ipsum inter Cardinales referendum: primò, manè sequenti Pontificem adit, ingenti benevolentiâ & gratulatione acceptus, cujus conveniendi magno desiderio pridem se arsisse significabat. Præerat tum Societati universæ, post obitum IGNATII, Jacobus Laynez; cujus operâ quia placuit Pio uti in Concilio Tridentino, tum denuò instaurato, Franciscus Vicarij interim ejus locò munere fungi jussus est: multùm pro sua demissione renitens, donec obedientiæ imperio adactus tandem acquievit. Neque tamen etiam tunc Operarij in publicum munia deseruit, diebus festis in Æde sacra S Jacobi concionari pergens: ad quem audiendum purpurati Patres, Legati Principum, omnésque adeò Nobilitas confluebat. Gessit hoc munus annos aliquot, dum finitâ Synodo rediret Laynez: qui in gravem à reditu morbum mox incidens, cùm ex eo An. 1565. die 19. Januarij decessisset, Vicarij rursus tenuit locum Franciscus, communi omnium suffragio, re antea bene gestâ, probatus. Donec coactâ Generali Congregatione, magno omnium Patrum consensu atque lætitiâ, Præpositus Generalis electus est & renunciatus die 2 1. Julij. Ille, antequam Patres in suas Provincias dimitteret, habito ad illos efficaci sermone, pedibus singulorum humiliter advolutus, eosdem est exosculatus: tam retinens humilitatis & depressionis sui, quàm fuerat in Tyrocinio. Et quidem expertus ipse, quantum ad sanctitatem solido fundamento extruendam intersit, Tyrones Religionis legitimè in Novitiatu educari; primas in eo curas posuit, ut Provincia quælibet propriam haberet Domum Probationis, in qua omnes simul collecti, & à consortio veteranorum Religiosorum separati, tantò commodiùs & majore fructu instituerentur, ipsóque plurium consortio ad æmulationem provocati, essent invicem ad virtutem stimulo & exemplo. Itaque primus ipse Romæ Novitiatum in monte Quirinali erexit, cui fundando Episcopus Tiburtinus templum S. Andreæ, Joanna verò Aragonia, Ascanio Columnæ nupta, ædes habitationi annuósque reditus liberaliter obtulit. Exemplum Francisci certatim secutæ sunt Provinciæ omnes, ut nullam hodie reperire sit, quæ propriâ Domo Probationis sit destituta: quas ille favoribus singularibus prosecutus, Brunensis Provinciæ Boëmiæ Domui etiam effigiem Sanctæ MARIÆ Majoris à Sancto Luca depictæ (hodie istic multis beneficijs celebrem) submisit. Laborabat pariter Romæ Domus Professa angustijs Ecclesiæ, pro multitudine affluentium minimè capacis: sed subvenit Francisco Alexander Cardinalis Farnesius, & augustissimum Templum à fundamentis extruendum curavit. Nihil etiam omisit industriæ Franciscus de quovis hominum genere bene merendi, & per Socios Præfecturæ suæ commissos omnium necessitatibus subveniendi. Sublato è vivis Pio IV. successerat in Petri Sede è Dominicana Familia Pius V. in Beatorum numerum hodie relatus, Francisco perfamiliari & amico, dum Cardinalis adhuc esset, usus: ex quo affectu, & quam de Societatis integritate doctrinâque conceperat existimationem, onus Pœnitentiariæ Apostolicæ ad Divi Petri illi commisit, Collegiúmque cum perpetuis reditibus propè Vaticanam Ædem, pro Patribus ex quavis natione alendis, qui quotidie confitentibus istic aures darent, attribuit. Franciscus verò ingenti zelo negotium complexus, evocatis undique diversarum Lingvarum, Theologiæ, sacrorúmque Canonum peritis, utilitati omnium ità serviturus, prospexit. Cùm verò eodem anno 1566. gravis pestilentia Urbem invasisset, Franciscus submissis illico Socijs, qui vicatim ægrotos inviserent, Pontificem simul, Senatum, Primoréque, calamitatis publicæ admonuit: à quibus ingenti vi pecuniæ in eleemosynam, ægrotorum inopiæ sublevandæ, collatâ, Socij in quindecim Regiones Urbem partiti sunt, singulis officinâ medicamentariâ, & penuariâ attributâ. Ipsi bini singulis in Regionibus cum Medico ægrotos adire, ministrare animis & corporibus alimenta, nihílque eorum, quæ seu ad vitam conservandam, seu ad mortem sanctè obeundam conducerent, omittere: eâ Pontificis, Senatûs, populíque satisfactione, ut & gratijs Francisco amplissimis pro utili obsequio relatis, & biennio pòst ingravescente eodem malo, Societati iterum ægrorum curam demandârint. Multis alijs favoribus in gratiam Francisci Societatem idem Pius prosecutus est: nam & Concionatorem Pontificium ex Societate delegit; & examina ad sacros Ordines promovendorum Societati commisit: ejusdem operâ ad varias Missiones usus, in Regnum Neapolitanum ad extirpandas hæresis Valdensium reliquias; Avenionem, ad extingvendum gliscentis seditionis incendium: præter eas, quas in partes infidelium aut schismaticorum ordinavit. Neque ulla uspi-

ufpiam in Societatem mota eft tempeftas, quin illico advolaret paternâ ope Pontifex, commendaret Principibus Chriftianis tuendam fovendámque,obteftaretur,precibus minífque tanquam pro re maximè fua ageret. Idem Pontificatûs fui anno quinto editâ Bullâ Apoftolicâ declaravit, Religionem Societatis è numero Mendicantium effe, omnibúfque eorum privilegijs gaudere. Nec minùs Francifcus univerfum Orbem zelo Apoftolico complexus; cùm ipfe non poffet, per Socios in omnes gentium Regiones difpofitos, omnium neceffitatibus fubvenire ftudebat: primus enim ipfe mox gubernationis fuæ anno primo, in Indias Occidentales colonias ex Societate expedivit; quas illico rogatu Philippi Regis Catholici,majore operarum numero auxit: & biennio pòft Anno 1568. ac fingulis annis deinceps novis iterum fuppetijs roboravit: eo hodie incremento,ut Societas per eas Occidentis Regiones in quinque Provincias aucta excreverit:Mexicanam nempe, Peruanam, Paraquarienfem, Novi Regni, & Chinenfem. Voluit autem & Divinitas illum zeli fui præfentem fructum confeftim experiri, quando plurimi ab eo in varias ejus Indiæ partes tranfmiffi, fangvine fufo veritatem Evangelij Apoftolico fervore barbaris prædicatam confirmârunt, in Florida octo, in itinere verò Brafilo ad Infulam Palmam Socij primùm 40, mox alij 12, qui omnes cũ Ignatio Azevedio in Brafiliam à Francifco deftinati, à pyratis Calviniftis crudeliter necati funt.

Quid de emolumentis lucrífque innumerabilium animarum, ex propagata per eundem in Europa latè Societatem dicam? Ipfius aufpicijsSocietas auctoritateRegiâ primùm in Poloniam eft introducta à Sigifmundo Rege: qui cùm eatenus animi dubius hæreret, an illam Regno reciperet, de qua tot in vulgus rumores, hæreticorum fraude, famofis etiam libellis fpargerentur; ubi Francifcum Commendonum Apoftolicum apud fe Legatum audivit, mira de fanctitate Borgiæ, fingularia de Societatis Inftituto, & fructu in Ecclefiam ex ejus laboribus redundante recenfentem,ut cùm Regnis omnibus, tum ijs potiffimum neceffaria prorfus videatur, quæ fectarum labe, & opinionum monftris, qualis tum erat Polonia, infectæ effent: animo erectus, Socios ad fe deftinari à Pontifice Pio IV. & Francifco mox petijt, Collegium Vilnæ cum Academia illis deftinans, quòd ibi fectariorum peftis audaciâ & feditionibus Regno minaretur; erectis præterea Pultoviæ, Jaroslaviæ, Pofnaniæ, ac Rigæ Collegijs. Crevit & per Hifpaniam eorum numerus, acceffione Collegij Malacitani, Caravacæ, Baëzani, Huetæ, Legione, Ovetæ, Marchenæ, & Domûs Profeffæ Toleti ac Pintiæ: in Gallia Avenione, Burdigalæ, Camberij, Virduni: Muffiponti in Lotharingia: Calataieronæ in Sicilia: in Italia Aronæ, à S. Carolo Borromæo Domus Probationis; & Mediolani Profefforum fundata, unáque Collegium à Pio V. cum templo Ordinis Humiliatorum, quem recenter extinxerat, adjectum. In Boëmia Olomucij & Brunæ: Herbipoli, Fuldæ, in Rheno: Halæ in Tyroli, agentibus magno ftudio apud Francifcum duabus Auguftis Ferdinandi I. Filiabus, quæ in Parthenone ab fe Regali munificentiâ fundato virginitatem DEO devoverant, ut femper in promptu haberent DEO iftic facræ Virgines confcientiæ & fpiritûs fui directores. Auguftæ item Taurinorum in Sabaudia: Brixiæ in ditione Veneta, & Novillariæ. His fimilibúfque occupatus dum Societati folerter non minùs, quàm fanctè præeft, & colligendis ad Ecclefiam undique populis gnaviter invigilat, minimè tamen muneri ab fe fatisfieri humiliter fentiebat: ideóq; magiftratu abire, féque abdicare ità firmiter decrevit, ut nisì obftitiffent PP. Affiftentes, quòd fruftra id,& abfque obtinenda fpe liberationis futurum effet, Conventum generalem novo eligendo Præpofito indicturus jam Societati univerfæ fuerit. Quin tantùm abfuit,ut curis & laboribus folveretur,ut novo haud leviore illorum pondere per idem tempus à Pio V. Pontifice oppreffus fuerit,quibus & in publicum Chriftianitatis bonũ feliciter exantlatis fuccubuit. Juffus enim eft comitem fe dare Cardinali Alexandrino, Pontificio ad Reges Hifpaniæ, Galliæ, ac Lufitaniæ Nuncio, quòd ejus operâ confilióque, & quâ polleret Regum animos tractandi alloquendíque prudentiâ, maximè fperaret in armorum cum Venetis & Pontificia Claffe focietatem, illos induci poffe, contra Selimum Turcarum Tyrannum,qui recens expugnatâ in Cypro metropoli Famaguftâ & Nicofiâ, toti Chriftianitati arma inferre, & fædiffimæ fervituti fubjicere velle dicebatur. Caruit uti femper proniffimè Vicario Chrifti in re ardua Francifcus,licèt ea peregrinatio vitam fuam conftitura effet, erat enim fexagenario major, & corpore ex varijs morbis admodum fracto; itáque feliciter An. 1571. & infequenti, peragratâ Hifpaniâ, Lufitaniâ, Galliáque, cum Legato rem egit; ut perfuafis ad ineundum commune fœdus, naviúmque mittenda fubfidia Regibus, celebris illa,Duce

Joan-

Joanne Auſtriaco, reportata ſit victoria ad Echinadas Inſulas, cæſo ad internecionem Turcâ: debellatúmque eo die fuiſſet, ſi hoſtem cum paucis reſiduis navibus fugientem, concordibus animis perſequi perrexiſſent. Quantâ autem ubiq; Principum benevolentiâ, quo Sociorum deſiderio, quo omnium mortalium concurſu, & affectuum motibus exceptus fuerit, nihil attinet dicere. Ipſe Collegia, quæ ex via occurrêre, omnia inſpicere, ordinare, ad perfectionis ſtudium incitare ſingulos, publicè exhortari: ad populum in publico templo dicere, tanto hominum concurſu, & audiendi deſiderio, ut Valentiæ ægrè ad pulpitum penetraturo via perrumpi potuerit, cùm & à vicina Gandia (nam ut eò diverteret, exorari paſſus non eſt) ad illum audiendum videndúmque chariſſimi quondam ſubditi confluxerint. E Luſitania Hiſpaniáque per montes Pyrenæos Galliam cum Legato ingreſſus, omnia perturbata civilibus in Regem hæreticorum armis deprehendit, templa per Aquitaniam paſſim diruta, cœnobia ſolo æquata, profanata altaria: ut hæc ſpectanti, animóque quotidie verſanti Franciſco, intimũ dolorem, lachrymas, ac tandem ex tædio in corpus elangvidum redundante, quod tantis itineribus, & ipsâ hyemali aurâ multùm debilitabatur, morbum ſenſim creaverint. Ventum tandem eſt ineunte verno jejunio Bleſum, ubi Regem Carolum IX. cum Matre Catharina Medicea Legatus reperit: qui & Franciſcum pronis auribus familiariter ſæpius audiverunt, ad conſtantiam & defenſionem Catholicæ Religionis hortantem, & ſalutis æternæ monita impertientem: Rebus ex voto geſtis dum Italiam repetunt, in pagum mox inciderunt Feſto Purificatæ Virgini ſacro; cujus templum ingreſſi, tecto, feneſtris, parietibúſque nudum & deſolatum reperiunt, & aram duntaxat lapideam ſupereſſe. Franciſcus quòd Sacrificio carere nolet, ad aram hìc litando, graſſante licèt undique vento (quod & aliàs per iter in Galliam locis apertis fecit) eo frigore corpus ſenile læſit, ardente mox febri correptus, quam animus profundo & perpetuo mœrore oppreſſus fovebat, tantam Eccleſiæ & Religionis deſolatæ ſtragem dolentis: quam ante decennium datis ad Petrum Ribadaneiram literis prædixerat; at jam oculis ipſe ſuis multò dolentiùs cernebat. Ergò cùm pedibus ultrà inſiſtere non poſſet, in Allobrogũ fines propè delatus, Regulo illi magnæ curæ fuit, additóq; Medico Auguſtam Taurinorum deportatus. Hìc omni licèt pietate ad ſuam verecundiam habitus, miſſione tamen vel idcirco extortâ, vectus ſecundo Pado Ducis ſumptibus, rem divinam quotidie, lecto ipſe affixus audiebat, panéque cæleſti paſcebatur, dum octavo die Ferrariæ fines, eodem flumine attigit. In Urbem, Alphonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis mandato delatus, exceptus eſt ijs officijs, quæ & ſangvinis conjunctio, & ſanctitatis æſtimatio Principi ſuggerebant; publicis etiam ad omnia Urbis templa pro illius ſalute indictis votis. Diutiùs hìc quàm ipſe vellet ſub cura Medicorum detentus, cùm nil proficeretur, deportari tandem Romam conſtanter urget & extorquet, ut ibi in Profeſſorum domo, ubi ſui Anteceſſores S. IGNATIUS & Laynez, ſpiritum DEO, corpúſque terræ reddat. Laureti in Sacram Ædiculam illatus, commendato SS. Virgini multis lachrymis ſuo agone, Romam diu noctúque lecticæ incluſus feſtinavit: quam ubi ſe ingreſſum cognovit, tendens in Cœlum manus & oculos lætus exclamavit: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine!* exultans vitam ſibi in obſequio Sedis Apoſtolicæ, biduo ferè à reditu, amiſſam. Obierat jam B. Pius Papa; cui ſuccedens Gregorius XIII. Româ tunc Tiburi abſens ſexto ab Urbe lapide; de ſuprema Franciſci ægritudine certior factus, Pontificiam cum plenaria peccatorum Indulgentia benedictionem tranſmiſit. Poſt quam inviſentes ſe plures Cardinalium, & Oratores Regum Principúmque, non admiſit, officium hoc benevolentiæ eo articulo intempeſtivũ deprecatus; uni ſiquidem DEO vitæ mortíſque arbitro danda tum eſſet opera. Sacramentis Eccleſiæ ultimis munitus, cùm rogaretur Vicarium à ſua morte quempiam nominaret, conſtanter abnuit, quòd neuter ſuorum Deceſſorum id feciſſet. Ac deinceps orationi unicè intentus placidiſſimè expiravit 30. Sept: A. 1572. ætatis 62. ſepultus ibidem in Eccleſia Profeſſorum: poſtea tamen pietati & venerationi Hiſpanorum, in patriam translatum corpus, concedi debuit.

Fuit Franciſcus Vir excelſarum & heroicarum virtutum, quibus apud omnes exiſtimationem Sancti obtinuit, Romæ præſertim apud ſacrum Cardinalium Collegium eo loco habitus, ut quemadmodum Cardinalis Paleotus Thomæ Borgiæ, Franciſci germano Fratri & Archiepiſcopo Zaregozæ aſſeruit, multorum votum fuerit eum ad Sedem Pontificiam evehendi. Omnium tamen maximè eluxit humilitas, tantò admiratione dignior, quantò dignitati & auctoritati perſonæ minùs congruere mortalibus videri poterat: & ex ſui intima cognitione infra omnes abjectio & contemptus, quo ſe viliſſimum & dæmonibus deteri-

teriorem reputabat, infra pedes Judæ proditoris se collocans, neq; aliter in literis nomen suum subscribens, quàm: *Franciscus peccator.* Hinc feriâ 5. majoris hebdomadæ, quâ recolitur memoria Christi pedes Discipulorum lavantis, ad Novitios verba faciens, *nullum*, inquiebat, *hodie in mundo locum reperio; sextum enim jam annum ad Judæ pedes locum mihi fingebam: nunc dum Christum considero ijs advolutum lavare & osculari, nullum mihi indè expulso relictum video locum.* Precibus intentus, duas minimùm horas quotidie impendebat sui cognitioni, & omnia quæ legeret, audiret, viderétque, præsertim sibi honorando fieri, ad demissionem pudorémq; suum referebat. Abdicatis cum Ducatu titulis omnibus, cùm vicatim homines accurrerent hominem velut prodigiosum visuri, Bustamantio Comiti dixit: *feram credo à cavea emissam belluámque spectatum accurrunt. Equidem quavis belluâ immanior essem sinè ope DEI, qui me in Religiosam familiam suam accivit.* Orationi vacans, sensit cubiculũ, dæmonis operâ turbari, quem his dictis abegit: *nil mirum te à me nè latum quidem unguem abire; pridem enim communi mensâ usi cibóq; sumus.* Aliàs eundem sibi in Xenodochio servienti exprobrantem, *quid tibi hìc negotij? tantus cùm sis, inter scurras versari quomodo potes?* hisce repulit: *equidem miror magis, te tam superbo præditum ingenio, appellare dignari me miserum atq; peccatorem.* Cùm verò aliquando sacris ab eo carminibus expulsum dæmonem, quem frustra alij pellere tentabant, mirarentur adstantes: *quid mirum*, ajebat, *si dæmon me fugit? nam & veteri verbo dicitur, figulus figulũ odit.* Idem verò cũ plausu alibi referentibus, pudore suffusus addidit: *ecquid mirum, cùm ego sæpenumero dæmoni morem gesserim, semel illum mihi paruisse?* Dignitatem Ducalem vix ad aliud sibi profuisse dicebat, quàm ut facilem ad Societatem aditum obtineret: hinc cùm videret Candidatos ægrè quandoque admitti, illis condolens ajebat: *hoc mihi commodi Ducis titulus attulit, statim enim Socijs adscriptus sum. Cæteroquin ecquæ amabò in me ingenij, doctrinæq; dotes, quæ Societate dignum redderent?* Et cùm titulos suos nominari nunquam ferret, quoties tamen iter agenti Parochi detrectarent Missæ dicendæ copiam facere, nec pensi haberent literas Societatis in testimonium Sacerdotij exhibitas, tum verò Socium monebat: *nunc per me licet pristinos titulos nomines; civili hìc jure agendum est.* Dederat aliquando Prorex Sardiniæ Alvarus de Madrigal epistolam ad Franciscũ, Religioni jam auctoratum, hoc titulo inscriptam: *Illustrissimo D. D. Francisco de Borgia, Duci de Gandia &c.* quam ille, quòd ad se nihil pertineret, remisit. Porti in Collegio Lusitaniæ, Janitoris vices agens, oblatum eleemosynæ nomine jugulatum porcum in humeros sustulit, & in superiorem domûs partem per gradus portavit; mirantibus Socijs respondens: *quid mirum, si porcus porcum commodè ferat?* Aliàs ibidem in officio jam Provincialis agentem adolescens convenerat, Societatem exoraturus: cui Franciscus, proximum fortè cubiculum sordibus plenum videns, *age*, inquit, *nè otiemur, purgemus hoc conclave.* Sumptísque impigrè scopis, cum illo pariter cubiculum everrit, sordes extulit. Resciverat impostorem quendam triremibus esse adjudicatum, quòd se Franciscum Borgiam simulâsset: cujus vecordiã ex eo præcipuè miratus, quòd peccatoris omnium deterrimi personam induisset, ajebat: *si ille triremibus miserrimè addicitur, quòd solum nomen meum sibi vendicârit; quid me fiet, qui non inane nomen ferò peccatoris? sed & criminibus refertus sum, quæ æternam pœnam mereantur?* Occurrenti fortè in itinere nobilissimo Dynastæ Hispaniæ, querentíque vicem illius, quòd inops, attritâ veste, nullo commeatu provisus ambularet, séq; ipse & valetudinem affligeret: *in me recipio*, respondit, *fore ut mihi caveam; iter enim dum facio, prodromos duos præmittere soleo, tanquã exploratores, qui hospitium mensámq; adornent, nè quid venturo desit.* Rogatus verò quínam ij essent, quòd nusquam apparerent? *mei*, inquit, *cognitio, & pœnarum apud inferos, quas merui, contemplatio. Quò fit, ut quodcunq; tandem in diversorium deferar, tametsi desint omnia, in lucro reputem, & tanquam in immerentem collata beneficia interpreter.* Contigit aliquando in ejusmodi diversorium delato, ut noctem humi ad latus Socij P. Bustamantij super stramine (quod viatori totus erat lectus) decumbens ageret, qui gravi catarrho oppressus multâ pituitâ & phlegmate laborabat: quod cùm totâ nocte molesta cum tussi copiosè egereret, credens se sputa in humum ponè stratum ejicere, omnia interim in faciem & oculos Francisci conjiciebat. Illucescente jam die errorem suum & gravem incuriam animadvertens, dolore & rubore plenus facti veniam poscere: sed negare Franciscus erroris quidquam admissum, cùm toto diversorio locus nullus receptandis ejusmodi sputis æquè congruus reperiri posset. Nullum tamen æstimationis genus majore aversabatur horrore, quàm si adverteret se haberi in opinione Sancti, aut fidelis DEI servi; cujus causam rogatus,

tus, *quia sententiam divini judicij*, respondit, *morte obitâ valde reformido, quæ nimiùm quantùm à præposteris hominum judicijs discrepat.*

Simili in pretio Francisco fuit Evangelica Paupertas, cujus amore exardescens, nunquã à primo vitæ religiosæ ingressu pecuniam attrectavit, aut manibus contingere sustinuit. In omnibus ejus rebus summa relucebat inopia, & in necessarijs quoque ad usum extrema vilitas, in vestitu, cibo, cubiculo, lecto, & minutis quibusq; utensilibus; papyro, cujus non nisi segmentis, aut jam ab una parte conscriptis chartis utebatur ad conciones suas annotandas. Vestem, aut calceos novos ut admitteret, adduci nisi subinde imperio Superiorum non potuit: de pane, quem ostiatim sæpissimè emendicabat, libentius frusta ad sui refectionem adhibebat, quam panem integrum, & hunc ipsum, qui omnium esset vilissimus. In omnibus suis itineribus nunquam passus est pro se deferri indusium, necessariæ in sudore, vel alio simili eventu, mutationi: neque pallium viatorium; solum domi etiam consuetum secum deferens: sub quo si imbrium violentiâ, quod sæpe accidit, penitus complutus, nihil in vestitu siccum retinuisset, & in hospitium insuper rerum omniũ inops, nec foco instructum venisset, tum verò exilire gaudio, & fortunam sibi gratulari, quòd effectum aliquẽ sanctæ paupertatis experiri concederetur. Nec remissius fuit obedientiæ, cuivis Superiori exhibendæ, studium: & quidem erga S. IGNATIUM tam reverens & exactum, ut ejus literas non nisi flexis genibus evolveret, præmissâ ad DEUM precatione, quâ gratiam omnia ab eodem præscripta exequendi petebat. Comitem illi IGNATIUS aliquando in Lusitaniam profecturo addiderat è Coadjutorum numero, Michaëlem Marcum nomine, cum potestate moderandi nimiam illam in affligendo corpore severitatem, sinè cujus assensu nihil rigoris aut pœnitentiæ assumere illi liceret. Huic ille tam exactè in omnibus parebat, ut nè cibum quidem appositum degustaret, nisi rescivisset Marcum edi jussisse. Pari studio Coquo domi, etiam Provincialis & Superior, quoties illi operam addixisset, obedientiam præstabat, ùt nè à Regina quidem Lusitaniæ Catharina evocatus Aulam accederet, nisi Marcus, & Coquus annuerent: ab illo semel domi remanere, adductâ invaletudinis excusatione; ab isto verò tempestivè domum redire jussus, admonitâ Reginâ, quòd Coquo sua opera per id tempus esset necessaria. Quâ Francisci excusatione mirè ædificata Regina, nec ipsa Coci imperio obluctari voluit, Francisco actutum ab se dimisso. Dicere solebat, spare se fore, ut Societas in melius semper cresceret, tribus potissimùm ex causis, oratione, persecutionibus, & obedientiâ: quia oratio nos DEO conjungit: persecutio à sæculi amore, & fiducia in hominibus abducit: obedientia verò invicem colligatos, ùt membra capiti adstringit, & insuperabiles reddit. Et quidem ipse orationis cùm esset studiosissimus, sciretque nullâ re magìs quàm puritate cordis hanc adjuvari, bis quotidie sacrâ Confessione animum expiabat manè ante Sacrum, & vespere ante decubitum: horísque singulis conscientiam ad examen vocabat. Inde totus illi dies continua videbatur esse oratio, DEUM ubique præsentem circumferenti, & ex rebus omnibus ad ejus cognitionem & venerationem ascendenti. Tranquillius tamen & expeditè magìs post medium noctis meditationi vacabat, ut extra se rapi videretur, & quinque vel sex illius horas momenti instar judicaret. Hinc cùm alijs in rebus omnibus citrà excusationem Marco obtemperaret; monenti tamen orandi finem, valetudinis gratiâ facere, supplicabat, *plusculùm temporis indulge mi Frater.* In eadem porrò lachrymis ubertim diffluebat; sed maximè in Missæ Sacrificio, quod à suscepto Sacerdotio ad obitum usque nunquam intermisit, ad duo & plura milliaria decedere viâ, & diversorij omnia incommoda libenter ferre solitus, dum Sacris operari postridie liceret. Interpellare orantem, dæmoni sæpe studium fuit, nunc simij specie subsannando, nunc gygantis instar, spectríque territando: ad cujus formidandum aspectum, quòd semel metum prætulisset, vehementer erubuit, cùm nè capillo quidem capiti detracto nocere homini, nisi DEO concedente, queat. Sæpius etiam summis in tenebris, facies orantis, Solis instar radios emittere, & in cubiculo splendere omnia, pluribus est visa. Templa ubivis locorum Eucharistiæ adorandæ studio ingressus, arcanâ sagacitate noverat, an, & quo in altari illa asservaretur, licèt lampas alteri fortè aræ incensa præluceret. Pœnitentiæ, & vincendi sui studium orationi ità necessarium censebat, ut negaret sinè illis obtineri posse: hinc si quem commendari ab orationis & sanctitatis præcellentia audiret, inquirebat, an sui penitus edomandi vincendíq; conatu pariter emineret. Ipse autem in rebus omnibus continuam sui & appetitionum omnium sectabatur abnegationem, ut nihil penitus corpori indulgeret, sed ùt hostem capitalem persequeretur. Solis ardores, frigoris,

imbrium, ventorúmq; sævitiam, amicos suos vocabat, quibus per tot itinera exagitatus dicere solebat: *quàm bellè me juvant amici!* In morbis præter invictam patientiam, pharmaca acerbissima non nisi sorbillando cruciando tantò magis palato, sumebat, & catapotia dentibus prius commandebat: ciborum quoque sapore, quoad per Superiores liceret, corrupto. Neq; verum Religiosum agnoscebat, qui non quotidie saltèm vicies & quater moreretur: mæstam infelicémq; sibi mortem obventuram dicens, si nullâ sui sensuúmque victoriâ præparatum opprimeret. Et cùm peregrinanti per diversoria facultas deesset quotidie flagellandi sui; capillos vellere, puncturis & ungvium pressuris ad livorem usq;, ad sangvinem carnem vellicare deprehensus est. In oratione magnam partem pronus ore humo adhærebat, quo molares dentes amisit, & labia malo affecit, quo periclitatus parum abfuit, ut vitam amiserit: uti & ex dorso lumbísque per flagra adeò conscissis, ut putrescere viderentur. Quàm acerbis verò, à DEO instanter exoratis doloribus arcanè exerceretur, expertus est aliquando Bustamantius, cùm multis precibus obtinuisset sibi ab illo apud DEUM impetrari id, quod ipse pro se exposcere soleret. Siquidem trium horarum spatio ardentissimâ febri cum capitis dolore correptus, in rabiem se agendum credidit: nisi rogatus iterum Franciscus, malum quod accersiverat, precibus depulisset.

MIRACULA S. FRANC: BORGIÆ.

SAnctitatem Francisci, præ humilitate se *peccatoris* nomine appellare soliti, palàm facere volens mirabilis DEUS in Sanctis suis, magnâ patrandorum miraculorum gratiâ tam in vita, quàm in morte eum dignatus est exornare. Ex multis pauca in præsenti dabimus, præsertim ex Hispanico P. Eusebij Nierembergij, tum ex processu pro ejusdem Sancti Beatificatione, Romæ tum alibi impressis.

Cùm solitum tertianæ febris paroxysmum præstolaretur P. Franciscus Solier, infirmum iuvisit Sanctus Pater, quî se haberet, quærens: ùt DEO placet, respondit ille, tertianam expecto. Cur tu, interrogat Sanctus, eam expectas? dúmque infirmus rogat: mandet Reverentia Vestra huic tertianæ, nè redeat; atq; sic eam non expectabo: Sit ità, dicit S. Pater, in nomine Domini nostri noli ad hunc ægrum tertiana redire. Sicut Sanctus dixit, DEUS fecit, & infirmus de lecto sanus surrexit.

Zelo plenum P. Christophorum Rodriquez ad Cophtorum Patriarcham Nuncium Pontificium jussit S. Pater, tunc Generalis proficisci, qui perspectam habens sanctitatem iter imperantis, dum exponit se febribus laborare, petítque, imperet sibi primùm de lecto surgere, & ire, hócque mandato se velle obedientiam implere: ùt imperavit febri Franciscus, liber ab ea P. Christophorus, sanus se eò contulit, quò obedientia imperavit.

Non recessit, sed febris accessit ad magnũ virum, Nobilem Hispanum, qui filio pertinaciter inimicus, etiam postquam supplex Vir Sanctus iram ponere rogavit, nihil præter incondita verba multùm stomachatus reddidit, & se avertit. Tacuit Franciscus cum DEO locuturus, quem homo non audîsset: & ecce! subitò Virum Nobilem invasit febris vehemens, ut mortem vicinam timeret. Unde pœnam DEI advertens ob preces Servi sui contemptas, mox ad se invitato Francisco deprecatus culpam, se in manus ejus commisit, pro quo S. Pater Sacrificio Missæ oblato sanitatem perfectè restituit, sibi deinceps addicto Domino, nec ampliùs à filio dissentienti.

Franciscus de Brioves annis aliquot S. Francisci socius, cùm in morbo ejus saluti diffiderent Medici, visitatus à S. Patre solatium accepit: nè timeret, se illum Domino nostro commendaturum, neque hâc infirmitate moriturum, imò quantocyùs ex morbo surrecturum. Ità evenit, prout etiam jam antea bis id ipsum eidem contigerat.

Graviter ægrotavit Marchio de Alcannizas, Joanna de Aragon, Filia spiritualis S. Borgiæ, quem Viaticum æternitatis sibi daturum allocuta ait: Mi Pater, DEO meo me commenda, nè moriar. Ubi spopondit luxum vestium, cui summè dedita fecerat, seposituram cum vanorum librorum lectione; post factam orationem à Sancto, & citò ad ægram reverso, audivit sibi dictum: Nè timueris, hoc morbo non morieris, sed me supervives, tempore licèt non multo: nam biennio post Franciscum mortua fuit Joanna.

Madriti in hospitali pauperibus servivit, per hebdomadas aliquot Franciscus. ubi infirmæ Mariæ de Barrossa die crastino pes erat resecandus. Hæc Sanctum transeuntem lectum rogans sibi manus imponeret, postquam ab eo secundùm vestem contacto, audivit: Nihil tibi erit, soror: frusto ossis omnis mali causâ de fistula exiliente, convaluit, Chirurgis miraculum suspicientibus.

Proficiscenti cum S. Francisco Patri Concionatori, comedenti exciderunt dentes duo. quem ideo defectum in elocutione habiturũ videns Franciscus, dentes illos ori impositos suis locis firmavit, ut semper reliquis firmiores

res ſteterint. Idem accidit cuidam filiæ cum Patre ſuo prandenti, quam dens excidens afflixit ob gingivæ dolorem,& ampliùs ob manſuram ori deformitatem. S. Pater accepto in manum dente ſubridens, quaſi fœminarũ vanitatem notans,quòd tantùm in formæ ſtudio collocarent, inquit: quàm turpis tu remanebis ſinè hoc dente? triſti puellæ compaſſus, elevatos in Cœlum oculos demittens,dentem ori puellæ repoſuit,cibum reſumere juſſit,non defuturum officio dentem aſſeruit; quod totum factum ad ſtuporem aſſidentium. Poſt mortem quoque puellæ, ſicut Sanctus prædixit,calvariâ dentes reliqui exciderunt,hoc ſolo dente annis multis Calvariæ adhærente.

Caſus terribilis in quadam Hiſpaniæ Urbe, tranſeunte illac DEI Servo, cum viro nobiliſſimo, ſed vitioſiſſimo,ad mortem decumbente accidit. In extremis conſtitutus durus & immobilis, eos, qui ad pœnitentiam neceſſariam, & ſacramentalem confeſſionem hortabantur,viróſq; Religioſos averſabatur omnes. De hoc certior factus S. Franciſcus, DEUM pro more conſuluit, ante Crucifixi Domini imaginem procumbens, cujus caput erigi vidit,& loqui ità audivit: væ huic ægro! cui ipſe in Perſona aſſiſtam ùt Infirmarius & Medicus, dum interim tu illi Confeſſionem ſvadebis. Properavit ad ægrum S. Franciſcus, & ſpectabili præſente Chriſto multis Confeſſionem perſvadere annifus, adjuvante ipſomet ſpeciem Medici induto Salvatore noſtro Chriſto Domino. Poſtquam uterque laboraverat in vanum, diſſimulanter ſe Dominus DEUS ſubduxit, S. Franciſco in adhortando ægrum ad pœnitentiam perſeverante, donec creſcente obſtinatione ante Crucifixi imaginem proſtratus, novas uberiores huic animæ,nè damnaretur, gratias poſtularet. Ferventiſſimè igitur orantis, coram ſe proſtrati, affectum reſpiciens Chriſtus Dominus ei de cruce dixit: Ut videas, quantum ipſe ego ſalutem animæ hujus cupiam, accipe me, & oppone me oculis infirmi. Fecit S. Franciſcus,& acceptam Crucifixi effigiem,turbâ de cubili amandatâ,ſolus ſoli ægro oſtentans, eum fortiſſimis ad converſionem & fiduciam in crucifixum Salvatorem argumentis urgebat: ſed dum miſer ille reſpuit omnia dicta DEI Servi, tunc omnia Crucifixi vulnera ſangvinem manare cœperunt, & Chriſtus de cruce locutus, exprobravit dolores,quos pro hujus animæ ſalute ſubivit. Cúmque nec his moveretur obſtinatus, Chriſtus dexteram clavo ſolvit, vulneri lateris immerſit, pugnum ſangvine plenum in faciem peccatoris conjecit, ſententiam damnationis pronuncians: ut Sangvis iſte pro ejus ſalute fruſtra profuſus, nec in ſalutem receptus, eſſet in damnationem æternam. Quo facto æger inter blaſphemias infelicem animam Orco tranſmiſit.

Verſabatur Sanctus in Hiſpaniæ quodam Societatis Collegio tam paupere, ut quod menſis apponeretur,nihil eſſet omnino. Quæſitum ex Sancto: an ad prandium pulſandum? Reſpondit: omninò; ſimul in DEUM confiderent. Et ſubitò januam Collegij homines ignoti pulſantes, ciborum copiam apportaverunt, DEO miraculosè in gratiam ſui Servi providente.

Joanna Princeps, Caroli V. Imperatoris Filia,Valliſoleti decumbens ex tertiana, S. Franciſcum Borgiam ob famam ſanctitatis advocavit, eíque dixit, magnam ſe habere fiduciam, quòd ſi particula quædam de Cruce Domini(quam ab Imperatore Patre ſuo acceperat) in vas aquæ mitteretur,& indè biberet,à febri eſſet liberanda. Quare petijt à Sancto ſacrum Lignum aquis immergi; qui quantumvis pro humilitate ſolita detrectaret, Principi tamen obſequendum ratus, præmiſsâ oratione ſacram Crucis particulam aquæ immerſit, quæ mox in colorem ſangvinis verſa eſt, ut Princeps de illa bibere non præſumeret.

Eodem tempore particula de pelle S. Bartholomæi Apoſtoli (etiam à Patre ſuo Carolo V. accepta) à Principe illa Archi-Duciſſa S. Franciſco dono eſt oblata, quam ut Sanctus manu contrectavit, etſi exſucca omnino, & arida, in pañum Hollandicum ſubſtratum guttam ſangvinis dimiſit; quod velut prodigium,Franciſci ſanctitati Princeps Joanna attribuit.

Hieronyma de Cardona & Alagon, conjunx Alphonſi Cardona,& filia Marchionis de Villaſor,periculosè laborabat ex partu, quòd infans tranſverſo ſitu Matris uterum occuparet,pedunculum exangvem obſtetrici porrigens. Conſultatum,an fœtus fruſtatim eximendus. Matri Sanctorum Reliquias applicuerunt, donec rebus deſperatis ad Domum Profeſſam Societatis JESU Madriti mitteretur pro Reliquijs S. Franciſci Borgiæ, cum quibus illico advenit P. Petrus Eſpeio, qui alijs Reliquijs à pariente ablatis, has ex oſſibus S. Franciſci Borgiæ appoſuit, legens Evangelium ſuper eam cum Oratione: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in B. Franciſci Borgiæ, Confeſſoris tui, Patris noſtri commemoratione deferimus,&c.* Mirum mox nomine Sancti per Sacerdotem pronunciato, Mater in momento partu ſoluta exclamavit: ſana ſum,ſana. Cui acclamârunt omnes: miraculum! miraculum! Lætitia hæc miſta fuit mœrore, quòd proles puella eſſet mortua abſque Baptiſmo. Animatus hoc miraculo P. Petrus Eſpejo exclamavit: qui primam gratiam fecit, faciet ſecundam: Reliquias itaque ſacras de Matris corpore, ad puellam exanimem tranſtulit; quo ipſo momento infans mortua vitæ ſonum dedit ploratu, ùt baptizatæ in beneficij memoriam nomen: *Franciſca Borgia*,ſit impoſitum & publicatum in Regno prodigium cum magna Sancti æſtimatione.

In Monaſterio Monacharum ſub regula S. Benedicti in Civitate Recante, unâ leucâ à Domo Lauretana, loco Caſtelnovo nuncupato, Monacha nobilis Juſtina Andici, annorum viginti Virgo,virtutis ſpectabilis, ex lecta Vita S. Borgiæ, à Collegij Rectore,

&

& Confessario suo accepta, ipsum Sanctum specialissimum sibi Advocatum elegit, præcipuè in infirmitate per quindecim hebdomadas omni motu privata, à quatuor Sororibus quovìs levanda, membris quasi emortuis, pede uno contracta, & tumore sub genu continuò cruciata. Insolitis autem doloribus nocte D. Petri Martyris festum antecedente oppressa, dum suspirâsset: Sancte mi, Patrone mi: nisì tu DEúsque feratis auxilium, hos meos dolores confiteor tolerare me ultra non posse, vocem audijt: Justina surge, & vade ad chorum, ubi te præstolantur Sorores Matutinum cantantes. Hanc vocem mirata, & mandatum diutius meditata, vocem secundò percipit: cur nondum surgis, & abis ad chorum cum Sororibus ad Matutinum? sanata enim es. Tentat igitur, manus extendit, & sinè difficultate surgit sola, se vestit, integrè valens, læta ad chorum abit cum admiratione, DEI gloriam & S. Francisci honorem evulgando.

Licèt autem ex his, quæ compendiario sermone hucusque delibavimus, satìs constet, eximijs & admirandis virtutibus illustratum à DEO fuisse S. Franciscum adeò, ut publico cognomento: *Ducum miraculum*, & vir miraculosus appellaretur, déq; ipso aptissimè illud pronunciari valeat, quod de S. Præsule Malachia D. Bernardus ait: magnum miraculum quod ipse fecit, Ipse fuit; adhuc tamen præter ea, quæ fecit mirabilia in vita sua, & quæ in Processibus de ipso habitis adscribuntur, alia plurima & magna miracula suppetunt, quibus Divinæ Bonitati placuit sui famuli sanctitatem, ejúsque patrocinij potentiam declarare.

Ad extremum vitæ discrimen adducta erat Excellentissima Fœmina Domina Hieronyma de Cardona, Uzedæ Ducissa, Lermæ Ducis Nurus, eò quòd fœtus ex utero materno egredi non posset, & acerrimis per 20. horas vexata doloribus præ virium imbecillitate effundere ullum non valeret: deploratâ jam ejus *sa*lute, ipsísque Regijs Medicis nullam superesse vivendi spem asserentibus, Dux Lermæ, fœminæ jam ferè animam agenti S. Francisci Reliquias applicat, quas illa piè amplectitur, osculatur, & uterum illis tangit. Ad uteri attactum illicò fœtus emortuus, & ferè putrescens egreditur, omníque amoto dolore ipsa incolumis statim evadit. Vix tanti miraculi fama Hispaniam pervasit, cùm inexplicabile dictu sit, quanto cum venerationis ardore ubique S. Francisci nomen exciperetur; nam in Excellentissima Fœmina omnibus ferè Hispaniæ Magnatibus sangvine conjuncta, miraculis splendor amplissimè effulgebat.


E nobilibus puellis, quas in suo Palatio ad sui famulatum numerabat Esquilacij Principis conjux, quædam nomine Agnes Hurtado, sævissimis laterum doloribus afflicta, febríque immani correpta, magnū salutis discrimen subiverat, adhibitis remedijs nihil prorsus proficientibus: miserrimum puellæ statum triduo jam laborantis commiseratus Princeps, S. Francisci sui consangvinei Reliquijs arreptis, circumstantes deprecatur, ut miraculum S. Francisci oculati testes aspectent. Tum illis comitantibus ad ægram accedit, ipsíq; S. Francisci sanctitatem commemorans, ejus Reliquias illi porrigit, ut ei se ardenti cum fide commendet. Ejus ergo nomen puella invocat, ejusdémque Reliquias leviter tangit: cùm ad Reliquiarum attactum statim dolor cum febri evanuit, & pristinæ saluti fuit restituta.

Infantulum suum lactabat Maria Martinez; sed ubera tantus morbus invasit, ut cùm sugeret puer, acerrimo dolore cruciaretur Mater, & labia sangvine aspersa ferè semper filius referret. Eò brevi morbus devenit, ut dexteri uberis capitellum ferè totum avulsum vix ab exiguæ pelliculæ parte penderet. Humanis destituta præsidijs Marer ad S. Franciscum piissimè accedit, ejúsq; imaginem uberi, lectum ingressura, apponit, nunquam indè amovendam quoad usq; sanitati redderetur. Eâdem nocte ad pueri fletum expergefacta, lac illi ab uberibus sinè ullo vel levissimo dolore porrigit. Conjugi sciscitanti, cur de doloris acerbitate non conquereretur? miraculum aperit, & Benefactorem suum S. Franciscum enarrat. Tum ille è lecto se proripit, luménque propius admovens, ubera sana & integra, dextrúmque capitellum, uberi fortiter adhærere deprehendit.

Alia ejusdem Principis Esquilacij Conjugis famula, dicta Francisca de Milan, sævissimis angebatur laterum doloribus. Frustra fuêre plurima & maxima medicamenta, quibus morbi vim superare Medici præclarissimi contenderunt. Tandem sopore correpta, & paulò pòst expergefacta, Reliquias S. Francisci sibi dari postulavit, eò quòd à Patre quodam Societatis, quem quiescens aspexerat, affirmatum sibi fuerit, se illius patrocinio, doloribus, quos patiebatur, liberandam. Statim præstò fuit, qui à Principe acceptas Reliquias porrigeret, & illis latus, dolorum aculeis cruciatum attingeret. Statim dolor simul & febris evanuit. Tum interrogata, quinam fuerit ille Pater, quem vidisset in somnis, respondit ignotum sibi penitus illum esse, sed facilè cognoscendum, si S. Francisci imaginem conspexisset. Vix hanc sibi repræsentatam inspexit, protinus dixit: hic quidem ille ipse est, qui se mihi dormienti videndum dedit, mihíq; svasit, ut ad me à doloribus vindicandam ejus Reliquias postularem.

Octennis puer ex eadem Familia de Milan, nomine Christophorus, è tumore, quo dextrum genu mirum in modum intumuerat, eò periculi redactus erat, ut ex omnium Medicorum sententia, nisì ejus dexterum crus totum abscinderetur, desperata penitus ejus salus esset. Ad hæc ejus Mater mœstissima ad S. Francisci patrocinium conversa, ejusdem Sancti imaginem puero tradit, qui ipsam cum lachrymis osculatur, & affecto genu superimponens, hæc verba effatus est: ô! S. P. Francisce, fac ut sanus evadam, & à tanto periculo liber fiam. Ad hæc illicò dolor acerbissimus, tumor ingens, & febris abscessit.

Matriti triennis puer apud Franciscum Perez è domestica scala delapsus, & toto impetu per viginti gradus usque ad ultimum præceps devolutus, immane vulnus, latóque hiatu dehiscens in capite accepit. Hinc cranio fracto, secuta largissima sangvinis effusio, & totam faciem occupans fœdissimus tumor, ac demum & acris febris. Postero die periclitanti puero traditur imago S. Francisci Borgiæ, ut ejus opem piè reposcat. Paret puer, capitíq; imagine impositâ somno se dedit. Ut primo manè evigilavit, advocatis domesticis dixit se optimè habere, & ope S. Borgiæ sanitatem recepisse. Accedit Chirurgus, nullum in capite vulnus agnoscit, cicatricem videt obductā, pellem integram, nullam deformitatem in vultu, & omnem ardorem febris extinctum. Totum hoc tam miraculosè à S. Borgia patratum prodigium, Chirurgus exactâ totius rei narratione scripto confirmavit, cùm ad solam, quæ cranium iterum contegeret, pellem reparandam, juxta Chirurgicæ disciplinæ leges, triginta saltèm dies necessarij futuri fuissent.



P. Antonius Araosius S. J. Cantaber, Vir magnæ per Hispanias, etiam apud Regem, existimationis, singulari gratiâ animas tractandi, et ad mortem parandi divinitus præditus. Obÿt Madriti 13 Jan: 1573.
24.

P. ANTONIUS ARAOZIUS.

PAter Antonius Araozius, natione Cantaber ex oppido Vergara, S. IGNATIO sangvine propinquo junctus, magno animo atque ingenio adolescens, jámque Theologiæ Doctor, cùm Romam visendi IGNATII causâ accessisset, sacris meditationibus excultus, perspectâ rerum omnium, quæ sub aspectum cadunt, inanitate, sine cunctatione novæ Cognati Familiæ se adjunxit Año 1539. In Hispaniam Anno insequente ab IGNATIO missus, cùm geminâ tempestate jactatus Barcinonem pervenisset, magnos hominum ex omni statu habuit accursus, cupientium novæ Familiæ, & IGNATII, de quo multa jam audierant, discipulum videre: à quibus ex edito loco verba facere pene coactus est. Ille verò ùt vidit defugiendi muneris locum non esse, quamvis tum rudis in dicendo, & necdum sacris initiatus, agere ad populum tam ardenter instituit, ut exquisitos dicendi Magistros facilè superaret. Itaque ex Auditoribus pro se quisque ad omnia Christianæ pietatis Exercitia se promptum exhibere, & ad instituendam Societati apud se domum de suis etiam velle proferre copijs. Ille verò, quoniam per negotia hærere illic diu non licuit, in Castellam, magno sui relicto desiderio, transgressus, Vallisoleti, Burgis,

gis, atque ad Infantes (ùt vocant) Caroli V. Imperatoris Filias, pari cum fructu conciones habuit, & Turcas aliquot traduxit ad Christum. In Cantabriam perveniens, pluribus in locis auditus, tum Quipuzetæ præcipuè lætissimam messem Divini verbi prædicatione collegit: Vergaræ item, cùm totius Provinciæ Conventus celebraretur, Synodi rogatu conciones habuit, eâ dicendi copiâ in publica vitiorum probra & pravos mores invectus, ut vel hinc uberes in Provinciam universam fructus Synodus sibi polliceretur. Cùm verò deinceps Aspeithiam concessisset, tam multi undique ad eum audiendum finitimis ex oppidis convolabant, ut plura semper hominum millia numerarentur; translatóque ex Templi angustijs in patentem campum suggestu, ædificiorum insuper, arborúmque cacumina avidis Auditoribus complerentur. Emissâ posthæc Anno 1541. primus post 10. primos Societatis Patres, jam Sacerdos creatus, Professione, Barcinonem redux, tantam nactus est cum socio P. Hieronymo Domenecco è vestigio messem; ut nè minimæ quidem parti satis fuerint colligendæ, nec longiùs progredi ad alia oppida, urbésque hoc anno licuerit. Quippe omnium Principum benevolentiam egregiam, ac ad omnia pietatis officia voluntatem, Pro-Regis, Ducísq; Cardonæ, Episcopi, Præfecti Neapolitani maris, totiúsque Nobilitatis experti, ausi sunt certatim viros nobilissimos ex hominum turba, strepitúque rerum sæcularium, ad Exercitiorum otium sevocare: Præfectum maris imprimis, cujus secreti domicilij, ubi se ad colligendum magìs animum incluserat, Janitorem se velle agere, ne quis virum tali munere occupatum interpellaret, Pro-Rex ipse jactabat. Is erat Franciscus Borgia, tum Lombai Marchio, paulò pòst Joannis parentis sui obitu, Gandiæ Dux, interiora studia pietatis jam ingressus: qui audiens brevì Araozio Romam redeundum, perstudiosè ad IGNATIUM pro illo literas dedit, inter alia scribens: *tantùm hìc P. Antonius profuit, ut equidem pro magna duxerim infelicitate hujus Civitatis, si avocetur. Atque adeò pro injuncto mihi hujus Regni onere, putavi hoc tibi significandum, ùt Angelus Persarum fecit, cum pro filijs Israël ob recta exempla, aliósque inter Persas fructus retinendis contendit.* Confessionibus non dies, non noctes excipiendis erant satìs, ut interdum vix liberum Sacrificio Missæ spatium concederetur: Conciones diversis in locis, frequentissimo hominum cœtu, quotidianæ: post quarum primam in Æde S. MARIÆ à Pinu habitam, cùm pro consvetudine loci magnâ ei pecuniæ vis in futuram sustentationem offerretur, in ea repudianda ità Araozio certandum fuit, ut populus ad strepitum altercantium accurrerit; qui contentionis causâ cognitâ, non sinè secunda admurmuratione discessit: & Prior Dominicanæ Familiæ, vir pius ac doctus, sapienter advertit, Societatem hac gratuitâ verbi Divini evulgatione, magnum paulò pòst momentum ad morum ubique correctionem facturam. Sublatæ, quæ multorum annorum odijs occaluerant, in Nobilitate præsertim, inimicitiæ: Exercitia flagitantium vis tanta, ut ijs tradendis nè decem quidem Institutores suffecturi viderentur.

At enim Araozius, non sinè multorum lacrymis, Romam revocatus est; cujus absentis desiderium Civitas diu non ferens, de ejus reditu cum Pontifice Maximo per literas egit. Ille verò dum ad Urbem anno jam labente revertitur, haud inutiliter in ipsa triremi, quâ unà cum Turcis Maurísque, & ad transtra damnatis est vectus, navigationis tempus expendit, pluribus eorum ad Christum, vel frugem meliorem traductis. Vix Romam pervenerat, cùm Marcelli Cervini Cardinalis, qui deinde, eodem nomine Marcelli retento, Pontifex fuit, rogatu, Neapolim mittitur: quam ille Urbem, postquam ingenti Civium & Pro-Regis satisfactione aliquamdiu excoluisset, in Hispaniam denuo abire, cum sex Socijs Conimbricam Lusitaniæ destinatis, jubetur. Quo in itinere pedibus de more, & corrogandâ stipe, ad mare usque suscepto, nullam tutandi animos occasionem dimisit, seu cælestibus Sacramentis & Concionibus, ubicunque defatigati consisterent; seu familiaritate congresſûs, & pijs alloquijs; quibus reducti ad semitam salutis bene multi, Prato præsertim in oppido apud Hetruscos, Pistorij & Lucæ hæretici aliquot conversi. Saonâ priusquam navi descenderent, Araozius nautas dictionibus suis, quas communiter in Æde Civitatis habebat, ità permovit; ut omnes cum Præfecto in maris incerta animos Sacramentis expiarent; præclaro Civibus exemplo, qui per Natalis Domini Festa incredibili multitudine confitentium tantùm non illum obruerunt. Barcinonem summâ Civium gratulatione delatus, quanquam in Lusitaniam tum IGNATII jussu properabat; plurimos tamen coactus est dies, maximâ pietatis segete, subsistere: nam & duplicem ex utro-

utroque feorsim sexu Sodalitatem, ad usum Eucharistiæ crebriorem constituit;& Bacchanaliorum licentiam,devotionum varijs exercitijs, deinceps etiam usurpandis, repressit. Puerum ibidem quadrimum reperit optimis Parentibus natum; qui multa & diversa de Societate, Spiritu ùt apparebat Divino, prædicabat: nam & latinâ lingvâ præstantiùs quàm vernaculâ loquebatur, eáque efferebat, quæ humanis vijs sciri non poterant. Id vulgò prodigij instar habitum: haud facilè dictu est, quantopere Civitatem aliàs etiam Ignatii perstudiosam, ad Societatis amorem & æstimationem excitârit. Valentiam indè, Pro-Rege & Civitate perinvitâ profectus, cùm per Quadragesimæ primos dies aliquoties pro concione dixisset, coronâ Auditorum tam spissâ cingebatur; ut præ confertissima turba aditus in templum non pateret. Quâ celebritate, Dominicâ prima Quadragesimæ, in Æde summa concionatus, dum post meridiem ad Templum Conversarum dicturus accedit; non illud modò, sed & fenestras & viciniæ tecta, totámque aream obsessam multitudine reperit, ex qua multi impransi sedem occupâsse dicebantur. Ecce autem simul ac Concionator appropinquans apparuit, ab his qui Templo excludebantur, tollitur clamor, ut producatur suggestus in aream: quo facto, priùs dicentem vox & latera defecêre; quàm audiendi ardorem populus mitigaret. Eo die in gemina dictione 5. horas implevit: paulóque pòst cùm ad Cænobium idem se referret, suspicati Cives ad concionandum illum accedere; ità repentè undique convolârunt, Templúmque complêrunt: ut religioni sibi duxerit Pater, adeò esurientibus animis, quamvis ex tempore, panem vitæ non frangere. Denique summè paratos ad excipiendam Divinam culturam homines sentiens, quia statuendi ibidem Collegij copia offerebatur, Socios ab Ignatio, illi incolendo, per literas poposcit.

Rebus ità feliciter Valentiæ ac deinceps Gandiæ & Madriti pari successu gestis, Conimbricam eodem anno 1544. pervenit, à Rege Reginâq; magnâ humanitate exceptus; ad quos deinceps Almerini, Eboræ, Ulyssipone, ubicunque Aula ageret, publicos sermones habuit. Anno sequente in Castellam reversus cum Petro Fabro, Salmanticæ concionibus suis totam Civitatem incendere ac permiscere cœpit: ut continuè de advocanda in Urbem Societate, Domóque illi statuenda Salmanticenses deliberaverint. Verùm ipse Vallisoletum, eâ tempestate Regni sedem transgressus, quà concionibus suis, in Templis & foris publicis, quà catechesi rudium, obsequijs carcerum & hospitalium, ità Societatis ministeria Aulæ probavit; ut ejus fama totas Hispanias pervaderet, vocarentúrque Socij à multis, magni DEI Apostoli; qui ruentibus ad Tartara animabus tempestivas porrigerent dexteras. Fuit autem Aulæ miraculi instar, quòd cũ omni hominũ genere, sexúq; promiscuè Patres versarentur innoxij, volabátque fama, homines è Societate herbam quandam circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis, eóque velut antidoto tutò posse versari inter fœminas. Ea vox cùm ad aures Philippi Regis pervenisset, Joannem Zunniga misit ad Araozium, sciscitatum; quod genus herbæ illud esset tantæ potestatis ac virium? hìc indicaturum se illi nomen herbæ respondit, modò eam Principi accuratè, quemadmodùm à se acciperet, fidelitérque referret. Cui liberaliter spondenti, *verissimum*, inquit, *est, quod de hujus nostræ herbæ potestate narratur: tantarum quippe virium est, ut non modò nobis ad frangendas cupiditates, libidinésque sit antidoto; verùm etiam tutum adversùs omnia alia vitia præsidium: ut equidem vehementer vellim & Principi, & toti Aulæ ejus usum notum ac familiarem esse.* Quæ omnia cum Zunnigæ cupidinem resciendæ herbæ accenderent, rogarétque continuè ejus nomen sibi indicari: *hæc herba*, respondit Araozius, *communi sermone*, Timor Domini, *nuncupatur: cujus ruminatione, quotquot de Societate sumus, frequenter, in matutina præcipuè Meditatione utimur, ejúsque præsidio in medijs flammis, periculísque innoxij versamur.* Acquievit responso Zunniga; quod Principi relatum, & omnem Curiam pervagatum, secundissimis auribus exceptum est; miréque Araozio Regem conciliavit; cujus favore usus, admirandos fructus ex Aula & universa Civitate retulit. Interim Julio Mense, jussus Araozius Valentiam se referre, ex itinere Complutum & Barcinonem quadrimestri labore utilissimè excoluit; tum Valentiam & vicinam Gandiam: ubique lætissimis animarum lucris, certísque Domuum Societati fundandarum promissis ditatus. Præcipuum in stabiliendo Valentiæ Collegio Patronum expertus est S. Thomam de Villanova, Urbis tum Antistitem, quem in tuenda constanter adversùm calumniatores Societate, secuti sunt S. Fidei Inquisitores.

Verùm anno 1546. revocatus in Regiam, quà concionibus, quà alijs Societatis ministerijs,

rijs, plurimos ad recensenda universæ vitæ peccata in confessione adduxit: tantáque hominis fuit æstimatio, ut in vitæ discessu omnes certatim illum sibi adesse expetierint. Ex qua laborum contentione tandem & ipse graviore morbo prostratus, in eundem iterum ac tertiò recidit, ut ejus jam salus deponeretur à Medicis. Et tamen vel tum à Comite de Palamos mortaliter prostrata rogatus, festinus è lecto adfuit, & ad sanctè emigrandum animam disponens, totis duabus noctibus insomnis adstitit, donec illam feliciter tertio demum die cœlo transmitteret. Sedulâ nihilominus Medicorum manu, quos ei ab Aula quaternos Philippus Rex adesse constanter volebat, curâ supremâ ægroti Episcopo Pompejopolitano, & Gubernatori demandatâ, mortem evasit. Vix autem remiserat febrium ardor, cùm ad dicendum importunis precibus in Templum trahitur; tanta erat sitis Divini verbi! quanquam nec in ipsa morbi violentia quies ei permittebatur; ità visitabatur à multis, qui DEI verbum & de cœlestibus sermones ab ægro extorquebant. Anno 1547. primus Provincialis Hispaniæ declaratus Araozius, nihil tamen à dicendi assiduitate remisit, modò hìc, modò ibi, in Aula potissimùm, verbum DEI prædicando, cujus voce excitati plurimi, relicto sæculo varijs Ordinibus, etiam Societati nomina dedêre. Nec minimum laboris ei attulit commissa à Philippo, auctoritate Apostolicâ, cura, in visitandis ac reformandis Catalauniæ Monasterijs: cùm ille se nec curis Provincialibus, nec dicendi contentionibus relaxaret, ac plurimum simul laboris moribundis impenderet, ad quos opportunè importunè accersebatur. Etenim dum uni cuipiam aderat, adstantes dexteritate hominis eo in articulo visâ, adigebant propemodum, spondere ipsis quoque, si quid humanitus eveniret, quamvis invalidum adfuturum. Id inter illustris Viri suprema, cùm ejus uxori, & alteri illustri fœminæ Comiti promisisset, utrique tum bellè valenti, haud multò pòst utriq; morienti adfuit, & quidem Comiti vix quarto pòst die. Et Tortosæ Episcopo, multa aliquando de vitæ incertitudine, déque repentinis improvisæ vitæ casibus disserens, vix domum pervenerat, cùm trepidi adsunt famuli, & ad Episcopum ex apoplexia morientem evocant; quâ etiam paucis ab adventu Araozij horis decessit. Nec immeritò videri posset, speciali DEI providentiâ fuisse animabus eo articulo felici æternitati parandis destinatus: siquidem multis, qui horam vivendo superaturi vix putabantur, mortem DEUS ad usque Patris adventum differebat: ut patuit in virgine pia & honesta, quæ totam noctem in lacrymis, nixa genu transegit, summum vitæ Arbitrum orans, ut spiritum suo parenti, cui Medici illum vesperi vix ad horam unam prorogârant, in adventum Araozij sequenti luce produceret: & voti præter opinionem omnium est facta compos. In reformandis verò Cœnobijs tanta erat ejus industria, tam sancta, quæ inducebatur vivendi norma; ut Virgines Monasterij S. Claræ Barcinonæ, summo studio ab IGNATIO contenderent, ut Societas ipsarum Obedientiam admitteret: quod tamen postulatum IGNATIus, ùt ab Societatis Instituto penitus alienum, rejecit; reprehenso etiam Araozio, quòd ei avertendo non obviâsset.

Jam verò ex tot laboribus denuo valetudinarius redditus; cùm dicendi, quâ pollebat, facultate uti non posset, concionum jacturam quotidianis virtutum sarciebat exemplis. Nullam enim valetudinis suæ passus est haberi rationem, aut speciale aliquid præter communia omnibus, sibi in mensa ferebat apponi: crebrò mensis ministrabat, nec cibum antè capiebat, quàm eo sese reliqui refecisset. Tum divertebat in culinam, ut lances exergeret, & lebetes repurgaret. Eadem in cultu frugalitas: in quo nihil, nisì tritum; nihil, nisì vulgare & vetustum cerneres; ut interdum etiam calceos, si paulò meliores forent, cum aliorum deterioribus permutaret. Invisurus illum aliquando Dux Gandiæ S. Franciscus Borgia, in culinæ obsequijs occupatum invenit, ejúsque humilitatis odore illectus, pastum vicissim imbecillo Araozio paravit, & par ovorum suâ manu coxit: quibus ad Patrem missis monuit, ova illa, primum suum laboris coquinarij opus, sorberet. His virtutibus ad annum usque 1565. Provincijs Hispaniæ Araozius præfuit, Aulæ interim obsequijs, Regis Imperio, vehementer occupatus: cujus semel sacratiore eloquentiâ degustatâ, nunquam penitus Rex sustinuit privari. Cùm eodem anno in Comitijs Societatis Generalibus, absens licèt, in Assistentem Hispaniæ, sub Generali S. Francisco Borgia, eligitur; perculit improvisa Viri evocatio Regem & Curiam universam; dolentésque Viro tam eximio privari, apud Borgiam importunis precibus effecêre, ut in Hispania remanere sineretur: reliquum vitæ Regis & Curiæ obsequijs tam opportunæ, impensurus. Id quod magnâ Aulæ totius approbatione, & spirituali profectu præsti-

præſtitit ad mortem uſque, quâ Madriti anno 1573. 13. Januarij ſublatus eſt. Vir fuit præſtantiſſimâ prudentiâ, & vi dicendi planè Apoſtolicâ, virtutum excellentiſſimarum merito per univerſam Hiſpaniam, & apud Principes gratiâ, quàm poteſt optari maximâ florens: permagnæ in Societate exiſtimationis; cujus in Hiſpania ſtabiliendæ, & pluribus Collegijs propagandæ, è præcipuis Auctoribus extitit.

Ex Hiſtoria Societatis, & Nierembergij Tomo 4. de Viris Illuſtribus.



P. Ioañes Baptiſta Sanches S.J. Hiſpan9, pauperū et noſocomiorum obſequijs unicè deditus; multis animarum lucris, & adverſis toleratis dives, mortem Obijt Romæ ſub finem Menſis Novemb: A°. 1573. 25.

P. JOANNES BAPTISTA SANCHEZ.

Pater Joannes Baptiſta Sanchez, Toleti in Hiſpania natus, Parentibus honoratis & opulentis, juveniles annos inter mundanas vanitates cum æqualibus traduxit, vitæ ſæcularis licentiam ſectatus; donec ſubitaneæ mortis contemplatio oculos illi aperiret: quâ Patrem ſuum ſeu forti imaginatione, ſeu vero ſpectro exterritum, repentinè extinctum vidit. Salubri enim concuſſus timore, ne fatum idem aliquando experiretur, mores compoſuit, poſitóque ſuperfluo ornatu, totum ſe pietatis exercitijs, pœnitentiæ, & miſericordiæ operibus addixit: útque à ſæculo longiùs abeſſet, ſuſcepto Sacerdotio quinque Clericis in eodem Contubernio ſe adjunxit, magnâ Civitatis Toletanæ ædificatione

tione: assiduè cùm ijs occupatus in charitatis erga proximum operibus; tantâ humilitate, & commodorum omnium neglectu, ut jam tum ante initam Societatem ex ejus spiritu & instituto omnia agere viderentur. Et quia per id tempus multa per Hispaniam secundissimis rumoribus ferebantur, de Instituta per IGNATIUM Clericorum Religiosorum Societate, déque fructibus ab ea ex animarum cura per Italiam, & alias Christianitatis partes relatis; summo desiderio ferebantur, ejus Alumnos intra Hispaniam videndi, ut illis adjungerentur. Ubi verò intellexêre, quosdam è Socijs IGNATII illuc appulsos, sedem Compluti statuisse, ablegârunt illico anno 1547. unum ex suo numero, exploraturum, quid hominum essent? & quam vivendi, agendíque formam tenerent? Is in Patrem Villanova incidens, ad sacras IGNATII Exercitationes obeundas inductus est, tantúmque earum commentationibus profecit, ut Magistrum statim aliorum in spiritu agere posset. Toletum redux, lætissimis de norma vivendi Societatis nuncijs reliquos complevit, ante omnia spiritualium Exercitiorum usum commendans; quorum experiendorum cupidine illecti, mox terni sub ipsius directione eadem obiêre, noster Baptista Sanchez, Thomas de Soto, & Bernal Venegas, qui omnes non multò pòst Societati nomen dedêre. Non potuit ea res tam secretò agi, quin Aulæ Episcopali suboleret: nam ad Vicarium Episcopi delati, quòd arcanis quibusdam commentationibus vacaturi se inclusissent, quibus Spiritus sanctus devocaretur, in eos pari modo, ùt quondam in Apostolos descensurus; suspecti facti sunt, an non ex secta Illuminatorum forent, qui phantasticis suis illustrationibus delusi, undique ad Inquisitionem trahebantur. Verùm totâ re secretò priùs indagatâ, exploratísque per subordinatos Syndicos singulorum moribus & actionibus, demum in publico Tribunali ad examen vocati, ab omni errorum nota & suspicione absoluti sunt, & ipsæ Exercitiorum Meditationes ità approbatæ, ut plena eis facultas data sit, ijsdem quoscunque exercendi.

Tam læto exitu summopere animati DEI Servi, tantò majore zelo incubuerunt in emẽdandos Civium mores, & pietatem totâ Urbe plantandam: cúmque Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ gratuitò administrarent, ideóque plurimi ad eorum frequentationem excitati, Dominicis singulis eadem iterarent, multis ea pietas, tum penitus insveta, sermonibus populi ansam præbuit. Quibus minimè deterriti, omni insuper ratione necessitatibus pauperum & ægrotorum succurrere satagebant, serviendo in Hospitalibus, tempore præsertim contagiosæ infectionis, quæ per id tempus instar pestilentiæ Urbem depascebatur. Et quia recipiendis tot ægris Nosocomia minimè sufficiebant, novum erigendum suscepêre pij hi Clerici, Ædes suas peramplas in pium opus commodante, devotâ quapiam Matronâ: victum autem & medicinas omnes de suo suppediante nostro Baptistâ, cum summa Matris opulentæ approbatione. His addebant publicas sui confusiones & mortificationes, Baptista præcipuè, quotidie ferè diverso, ad sui vilipensionem procurandam, habitu personatus: quod in familiæ suæ contemptum interpretati Cognati, multùm negotij Viro facessivêre; sed DEUS ratum magnopere habuit, & paulò pòst militiæ suæ in Societate tam exercitatum pugilem auctoravit. Fortuitò namque Toletum transiens P. Michaël de Torres, visâ tam exemplari ipsorum conversatione, Salmanticam eos discedere jussit, in Tyrocinium Societatis recipiendos: in cujus ipsis primordijs clarè patuit, Baptistam nostrum divinitus ad magna agenda in illam vocatum, quando orationi, & passionibus omnibus edomandis tanto studio se applicuit; ut reliquis esset stimulo & exemplo. Missus ad peregrinationem de more Societatis obeundam, consvetis hujus experimenti molestijs (in quo præter alia incommoda, ex corrogata duntaxat annona vivitur) adjecit, ut nudis pedibus iter omne perficeret, pueros ubique ad Catechesim audiendam colligens, quam locis publicis, in foro, & plateis oppidorum, urbiúmque explicabat, & ad populum ardentissimas habebat conciones. Ea res, quia sinè exemplo illâ regione novitatem sapiebat, mandato Episcopi tentus est cum Socio P. Ferdinando Alvarez, & carceri mancipatus: ex quo tamen paulò pòst honorificè dimissus, tantum fervore in suis prædicationibus apud populum effecit; ut ex eo tempore, summo studio egerit pro Domicilio Societati apud se statuendo. Atque hoc prædicandi verbi Divini ardentissimum studium, tota per reliquam vitam ejus erat occupatio, quam per varias Hispaniarum Urbes Apostolico zelo exercuit, concionum materiam omnium ad duo capita revocando, ad ostendendam videlicet peccati turpitudinem, gravitatem, damna ejusdem temporalia & æterna: & declaranda bona, fructúsque, quos ex meritis Christi percipiunt Legi Divi-

næ

næ obtemperantes. Neque audire fuit ab ejus ore, in privatis etiam colloquijs, alios sermones, quàm de Æternitate, rebúsque Novissimis; quas tantâ affectuum vehementiâ sensúque proponebat, ut parietes Templorum contremiscere, & corda Auditorum disrumpi viderentur.

Jam verò tam incensum hominis ardorem, ingentes animorum motus, per Hispaniam secuti sunt; vix enim Civitas ulla fuit, locúsve nobilior, ubi non tubâ Evangelicâ personuisset, Granatæ præsertim & Hispali: à cujus sonitu innumeri peccatores ad seriam reducti pœnitentiam, & sæculi amatores ad arctam in cælum viam capessendam sunt persvasi. Paucula in specimen exempla afferam, nam omnia prosequi labor esset prolixi voluminis. Quo tempore conciones habebat Hispali, gravitas annonæ, plebem in ultimam penuriam redegerat, ut ex panis defectu, solis ferè radicibus & herbis victitarent, multíque ex earum cruditate, vel fame morerentur. Hac calamitate, intimis visceribus commotus Pater, cùm aliquando pulpitum conscendisset, eo Spiritu in comessationes, & abundantiam ditiorum invectus est, & supremam è contra miserorum necessitatem, quibus crudeliter subsidia negarentur, descripsit; ut ingens in toto Auditorio exortus planctus dicentem interruperit, & certatim eleemosynæ in ipso Templo ad eum deferrentur. Multò verò mirabilius deinceps fuit spectaculum, cùm Matronæ opulentæ ultra oblatam pecuniam, ipsa monilia & supellectilem distraherent, ingentíque copiâ cibaria coëmpta ad Patrem transmitterent, quibus abundè præsenti famentium necessitati succurri potuit. Similis effectus secutus est dicentem aliquando Granatæ ad populum: cùm enim gravem ægrorum in Nosocomijs penuriam descripsisset, & duritiam Christianorum in sublevanda Fratrum Christi inopia sugillâsset; è vestigio unus è Clero detractum humeris pallium ad pedes concionantis in eleemosynam abjecit, quem certatim innumeri de populo secuti sunt, nummos alij & anulos, monilia & inaures capiti detractas; alij vestes diversas, pileos, umbracula, flabella, omnémque direptum ornatum offerentes; id quod tam incenso animi motu & lacrymis faciebant, ut à clamoribus ejulantium omnia personarent. Neque remissior aliàs pro inopum vestitu perorantem secuta est in flagranti concionis liberalitas, quâ ex projectis undique à corpore vestibus, cùm ingens cumulus aggestus esset, necesse fuit à Patre plura adhuc congesturos inhiberi, & modum profusioni imponi. Idem penitus eventus secutus est, quando in vigilia Natalis Dominici, populum ad vestiendum nudum JESULUM adhortatus est, qui in pauperibus suis frigore interiret: & cùm rursus summam penuriam Hospitalis B. Joannis de DEO, misericordiæ ejusdem commendaret. Ea quin etiam multorum animos erga inopes & mendicos occupavit reverentia & veneratio; ut si fortè per plateas in obvios inciderent, proni in genua pedibus illorum acciderent, & magnâ humilitate oscula imprimerent. Neque ea duntaxat vis fuit, ad persvadendum opera misericordiæ in corpora derelictorum, sed in animorum quoque spiritualia subsidia: de quorum necessitatibus disserentis aliquando oratione ità commoti fuêre duo ex audientibus; ut in perpetuum se devoverint vestigandis & colligendis pueris derelictis & vagabundis, ad audiendam doctrinam Christianam; cui officio fundatum est proprium Hospitale, parvulis catechizandis.

Atque his admirandis gestis dici vix potest, quantam sui & Societatis existimationem apud omnes pepererit: certè eam solennitatem, quâ Pater quatuor vota Professorum Granatæ nuncupavit, suâ ipse concione honorare voluit Archi-Episcopus Granatensis Petrus Gverrerus. Quibus tamen nihil vilissimæ de se opinionis amittens Baptista, frequentissimus fuit in Hospitali B. Joannis DEI, dabátque operam everrendis cameris, eluendis secessuum vasis, parandis lectulis, mundâdis ulcerosis, atque ipse aquam usibus necessariam, ex novo foro humeris comportabat. Ejus exemplo primores omnes incitati, certam sibi diem alendis pauperibus per Nosocomia delegerunt, unum quidem Archi-Episcopus, alium Canonici; & deinceps præter Curias & Tribunalia, alium & alium Cives honoratiores & opulenti: ac tum ipsimet cibum sumpturis aderant ministri, non minore quàm si ad Regis mensam assisterent reverentiâ, capite discooperto, aquam manibus affundendo, & si necessum esset, ori cibum imponendo. Dum ità Civitas universa in operibus charitatis Christianæ fervet & distinetur; non potuit non invidiâ discruciari dæmon, à quo complures incitati, hæc veluti novitates & hypocrisim traducebant; & quidam magnæ ad populum auctoritatis Religiosus, etiam pro concione damnare ausus est. Non putavit aliter efficaciùs deceptum hominis zelum revincendum Baptista, quàm si oculis

si oculis ipse suis spectaret stupendam ægris servientium Procerum charitatem: quare nullo verbo vicissim pro concione refutatum ad Hospitale visendum amicè invitat, quo die præcipui ex utroque Ordine ægris obsequia impensuri erant. Quo spectaculo Cælitibus ipsis suspiciendo, totus extra se raptus, errorem suum & ipse damnavit, & dicta palàm in proxima ad populum concione revocavit. Die quodam procuratis jam ex ordine in eodem B. Joannis Nosocomio ægris omnibus, accinxit se Baptista ad eorum conclavia everrenda, cæpítque ulcerum ligaturas & emplastra, ùt erant tabo & sanie fluentia, & temerè humi abjecta, in pileum suum colligere. Id conspicatus unus è præcipuis Granatæ Advocatis, Vir magnæ in Curia existimationis; & admiratione tantæ charitatis, simul & humanitatis, non tantùm defixus, sed & ad imitandum salubriter commotus, ipse etiam in genua colligendis floccis provolvi, & scopis arreptis, verrentem adjuvare: tantúmque in hominis pectore Divini vis Spiritûs potuit, ut domum redux abdicato Causidici munere, vilem & pauperem vestitum indutus, vitam reliquam omnem ægrorum in Hospitalibus curæ addixerit, singulari totius Urbis ædificatione, & omnigenarum virtutum constanti exemplo.

Et verò speciali omnino gratiâ à DEO pollebat retrahendi à peccatis, & ad cælestia adducendi proximos, tam verbis & concionibus, quàm exemplis; neque raro singulari Numinis impulsu, ad eum attractis peccatoribus, ut emendarentur. Erat Granatæ mulier eleganti formâ, quam fucis & meretricio ornatu, ad virorum illicium ità excolebat, ut scandalo esset Urbi universæ; neque tamen aliunde impudicæ frenum injici posset, ob favorem & patrocinium Potentium & Magnatum. Hanc DEUS nec cogitanti Patri corrigendam submisit, cùm alia ex causa plateam adiret, cui domus fœminæ imminebat: casu enim de fenestra prospicientem conspicatus, restitit, multáque admirationi mixtâ gravitate, stuporem ex ejus aspectu suum demonstrare perrexit; ut adeò procaciter illa quæreret, *quid tam fixus in se aspiceret? aspicio*, respondit Pater, *& intimè commoveor, quòd infelix anima tua in corpore ità lascivè compto condemnanda sit ad supplicia inferni, & incendia nunquam extingvenda*: quibus dictis vultu in terram dejecto, nihil præterea elocutus, viam prosecutus est. At enim mulier infelix, velut acutissimo telo intimè icta, cùm eam noctem totam insomnis egisset in lacrymis, & planctu suorum criminum, primo manè ad Collegij januam Patrem Baptistam devocavit; & totius vitæ institutâ exomologesi, sæculo penitus valedixit; atque ad Parthenonem S. Ursulæ recepta, vivum pœnitentiæ, & virtutum Religiosarum exemplar Virginibus reliquis brevì evasit, ac morte Sanctorum decessit. Fuit alius adversis multis casibus, infortunijs, & odijs civium, in summam desperationem adductus, ut infernali quodam furore percitus, in DEUM ipsum insurgeret, ínque liberos campos evolans, post innumera in cælum, Divósque maledicta, ferrum demens in Numen distringeret, & casso verbere, scelerato DEUM feriendi animo, aërem interim, plantas & arbores impeteret. Hoc œstro impulsus, prolixum iter confecerat, certus si quem obvium nancisceretur, illum furori suo immolandi; cùm portis Granatæ appropinquans, vocem de nomine se appellantis audit: *vade ad Hospitale Joannis DEI, & require P. Baptistam.* Quâ tertiùm repetitâ undique circumspectans, licèt neminem ejus auctorem deprehenderet, neque vel nomen Baptistæ unquam audisset, Hospitale tamen rectâ petit; venítque tum penitus, cùm Pater in medio concionis æstu, infinitam DEI patientiam in tolerandis maleficis, blasphemis, & perditâ rabie in bonitatem suam peccantibus, summo fervore & eloquentiâ proponeret, & inexplicabilem ejusdem misericordiam, in ijs ipsis ad pœnitentiam vocandis, ínque gratiam suam & gloriam recipiendis, verissimè exaggeraret. Quot voces, tot in hominem fulmina jaciebantur, giganteos in animo spiritus prosternentia, & ingentem post se ab oculis imbrium tempestatem ferentia. Totus enim ab se jam alius damnare insaniam, detestari in Numen infinitè bonum maledicentiam, suspirare ab imo corde, gemere, nullam denique quietem capere, dum Patrem domum redeuntem secutus conveniret, & scelera vitæ universæ magnâ contritione deleret: fixus jam animo, casus quoscunque novercantis fortunæ, & injurias non tam ab hominibus malitiosè inferendas, quàm à DEI paternâ manu castigandis sceleribus immittendas, patienter ferre.

Præter hanc adultorum in salutem promovendorum curam, insudabat pari studio imbuendis Catechesi pueris: quorum turmis undique circumseptum tantum Concionatorem cùm Viri gravissimi intuerentur; sufficiebat vel solus is aspectus, ut intimè animo com-

compungerentur. Sanè Hiſpali parvulos erudientem contemplatus Vir in paucis literatus, ità in idem ſtudium commotus eſt; ut ſociatâ Patri operâ, Divinas laudes magnis vocibus prædicaret, contemptóq; hominum reſpectu, ubicunque in illorum cumulum incidiſſet, ſermonem de rebus Divinis ingereret, ſeculo demum penitus relicto, Religioſus effectus. Neque jucundius Civibus Hiſpalenſibus fuit ſpectaculum, quàm videre ab una parte Baſilium de Avila Nigritarum multitudinem in modum ſupplicantium deducentem: ab alia verò Baptiſtam vim maximam puerorum ſummè diſcolorum trahentem, quos extra Urbem, ut ſaxis invicem impeterent, & puerilibus armis hoſtiliter, non ſinè frequenti vulnere dimicarent, conſectatus, indicto armiſtitio munuſculis delinitos colligebat, & in ordinatam proceſſionem diſtributos, totâ Urbe cum cantu doctrinæ, & precum Chriſtianarum circumducebat. His autem in DEI honorem agendis ſolennitatibus eligebat dies majore licentiâ ſæcularibus agi ſolitos, ut pejus dœmoni faceret; qualis eſt dies S. Joanni ſacer, variâ petulantiâ & ludis conteri ſolitus: tum enim duplicatam ipſe habebat concionem, & Socios in varia Urbis loca, fluviíque ripas partitus, jubebat mortis & æternorum memoriam, concurrentibus ad ſpectacula, inculcare. Agebat per id tempus Hiſpali Conſtantinus quidam, ejus Eccleſiæ Canonicus, & Theologiæ Doctor, ſingulari vir eloquentiâ, humanitate, & gratiâ agendi, ſed vitæ contaminatæ, licèt eam magnâ ſagacitate & hypocriſi contegeret, ideóque paſſim honeſtiſſimus haberetur, amicitiâ primorum Urbis potens, & omnibus ob morum ſvavitatem acceptus. Hic erroribus Lutheri in Germania, ubi Concionatoris apud Carolum V. Imperatorem partes ſuſtinuerat, infectus, cautiſſimè eoſdem dictionibus ſuis inſpergebat, ut nihil ſiniſtri longo tempore notans concio, venenum imprudens combiberet: totus in prædicandis Chriſti meritis, & pretio ſangvinis & mortis illius infinito, nullâ unquam pœnitentiæ, bonorum operum, aut ſatisfactionis inſpersâ mentione. Seriùs ferè periculi magnitudo, quàm oportuerat, Baptiſtam advertit, qui in oppoſitum magno conatu tendendum ſibi ratus, unicè in horum commendationem, quæ hæreticus nunquam attingebat, ſuas omnes, & Sociorum Conciones direxit; eâ Conſtantini exinde, qui facilè doctrinam ſuam his peti advertebat, rabie & furore; ut palàm in noſtros veluti hypocritas, & ſub ovium pelle rapaces animarum lupos inveheretur, & doctrinam damnaret. Verùm nihil his à conſtantia dimotus ardens Baptiſtæ zelus, & ſcelerati Conſtantini mores in lucem tandem protracti, effecêre; ut à Fidei Inquiſitoribus ad ſacrum tribunal traheretur: in quo de hæreſi Lutherana convictus, vitam in carcere miſerè concluſit.

Atque hæc in agendo, dicendóque efficacia promanâſſe videtur ex ultima ſui nihili cognitione, & gratiæ Divinæ viciſſim, efficaciæque ſumma fiducia & æſtimatione, in qua credebat ſe omnia poſſe, ut nihil arduum & impervium reputaret; omnia in illo audens, qui ſe confortabat. Totus erat domi in viliſſimis obeundis munijs, adjuvando coquo, emundandis locis publicis: & quo tempore conciones habebat Medinæ Campi, proditurus in ſuggeſtum, accidebat priùs coqui pedibus, & humillimè exoſculabatur. Præſentem ſibi ubiq; DEUM, ut opera ſingula penſantem ſemper intuebatur, atque ad animum excitandum adhibebat hoc veluti ſymbolum: *DEUM conſidera, & pro DEO operare.* Unde fiebat, ut quemadmodum ipſe intus Divini amoris ardebat flammis, ita eaſdem foras ad proximos eructans, omnia pariter incenderet & inflammaret. Contemplationi rerum Divinarum, & orationi mirè acquieſcebat, tantos in ea Numinis favores & animæ delicias expertus; ut aliquando Patri Balthaſari Alvarez diceret: *ſi DEUS univerſa mundi gaudia, & lautitias ſæculi univerſas à ſe conditas in unum colligeret, & æternùm ſibi perfruendas offerret, non tamen his commutaturum, unum cælicæ jucunditatis quadrantem, quam DEUS ſibi & amatoribus ſuis in oratione impertiretur.* Aliàs eidem faſſus eſt, ſi certò ſciret mortem ſibi ad unum diem differendam, id omnino ſuffecturum ad vitam ſibi præ doloris magnitudine tollendam. Tantum fuit deſiderium & cupido fruendi ſummo illo Bono, cujus aliquem prægustum in vita mortali hauriebat! Atque idcirco fortè Dominus, qui ſervos ſuos ad meritorum augmentum eâ potiſſimùm parte, quâ ſenſus major eſt, affligere ſolet, multò antè Patri obitûs ſui diem & horam revelavit, prout in Breviario ab ejus morte propriâ manu conſignati dies & hora reperti ſunt. Huic ex dilata beatitudine dolori, adjecit graviſſimas ægritudines, podagræ, & membrorum pene omnium torturas, ut ſub poſtremos vitæ annos nihil in eo reſtaret va-

letudinis. Sed malis omnibus durior supervenit persecutio domestica, in confectum laboribus & senio concitata, quâ Romæ apud Superiores adductus in suspicionem est sequioris in modo orandi spiritûs, quasi de secta Illuminatorum mutuati. Cui quidem occasionem aliquam præbuisse videbatur rigidus hominis severi genius, perfectiora semper in alijs etiam requirentis, & mediocritatem omnem damnantis: ut adeò si quid festiviùs in consvetis colloquijs diceretur, blasphemiam vocaret, risum pro dissolutione haberet, eóque se magìs ac magìs à sociali consvetudine abduceret. Ad cujus sensum cùm in Collegio Placentino multi Juvenum adhærescerent, ídque veluti sectæ cujuspiam, à communi Societatis vivendi methodo abhorrentis conflandæ periculum timeretur, Romam delatus est, jussúsque eò se conferre. Et patuit illico mens ejus optima in alacritate obsequij, quâ Romanam peregrinationem morbis fractus, valetudine nullâ, continuò suscepit; ijs, qui mirabantur iter inceptari, quod planè videretur non posse perficere, pacatè respondens: *sibi non esse propositum pervenire Romam, sed obedire eatenus, dum mors obedientem inveniret.* Ibi post satisfactionem plenam, & spiritûs sui rationem datam, ardentissimas sæpius habuit conciones, magnâ audientium satisfactione & profectu, vivum domesticis & externis ad omnem virtutem exemplar; donec altero ab suo adventu anno, sæculi 1573. Sacramentis omnibus munitus, sub finem Novembris, sanctè ad Dominum, utì vixerat, migravit.

Ex Tomo 5. Hispanico P. Alphonsi de Andrade de Viris Illustribus, & Vita Patris Balthasaris Alvarez.

P. LEONARDUS KESELIUS.



INter eximios fructus, quos concionibus suis in Belgio P. Franciscus Strada Ecclesiæ attulit, fuit Leonardus Keselius, ad Societatem amplectendam permotus. Is Lovanij in Belgio natus, & Philosophicis eruditus disciplinis; eodem, quo receptus est à P. Fabro in Societatem anno 1544. jussu S. IGNATII, cum quibusdam Socijs in Lusitaniam migravit; sed paulò post susceptum Sacerdotium inde revocatus in Germaniam, cum duobus Socijs Coloniæ ad ponenda Collegij initia à Fabro relinquitur, ijsdem præesse jussus: tam felici rerum deinceps successu, ut adeò maturè illuc Conimbricâ redijsse, planè divinitus videretur. Neque explicari satìs potest ardentissimus zelus, quem in Civitatem illam contra hæreses undique irrumpentes exeruit, ut in Catholica servaretur Religione; concionando in Templis, docendo in Scholis, rudibus quovis loco rudimenta Fidei tradendo, adjuvando pauperes & ægros; & quod caput ex IGNATII disciplina esse noverat, Juvenes spectatæ indolis selectos in contubernio educando, sustentandóque ex meris eleemosynis; à Canisio & PP. Carthusianis suppeditari solitis; quorum ferè beneficio & ipse cum Socijs vivebat, nullo tum stabili reditu aut victu provisus. Adjuvabat fidelem hanc servi sui operam DEUS gratiâ curationum; quâ non raro ad sanandas mentes hominum, & corpora langvoribus diversis eripiebat. A Præposito cujusdam Cœnobij rogatus, ut ad Cœnobitam jam morti proximum, & supremè unctum accurreret, cùm paruisset, feliciter ægro persvasit, ut ab ultima pueritia peccata omnia confitendo repeteret. Vix inchoaverat, cùm vis morbi remittere, & quò ulteriùs procederet, magìs magísque levari; tandémque cum fine confessionis omni penitus morbo liberatus è lecto prosilire, & suis ingredi pedibus. Alius, quem occupato corpore nequam spiritus malè exercebat, cùm apud Patrem ritè noxas expiâsset, continuè dæmonem ab se excussit. Erat & matrona ob insaniam charissimi filij mœrore afflictissima, quâ biennium jam laborabat: sed cùm ad cōponendam adolescentis mentem impetrâsset à Keselio, ut apud eum diebus aliquot domi haberetur, ex eo tempore redire adolescenti mens cœpit. Cùm verò Anno 1553. gravissima exorta pestilentia hominũ supra 25000. demessuisset, Leonardus cum Socijs metu omni mortis deposito, præcellenti charitate adfuit diu noctúque malo tactis, singulari DEI beneficio, integer ipse atque intactus: quin imò compluribus ex eorum numero, quos expiandi causâ accessit, solo suo adventu curationem attulit; ut eæ passim exaudirentur voces in populo, quotquot sua Keselio peccata aperirent, eos protinus convalescere, & vitam instituere sanctiorem.

Quia verò incredibili ferebatur in S. IGNATIUM



P. Leonard9 Keseli9 S.J. Belga Lovaniensis, Signis varijs in animarum procuratione Conspicuus, cui S. Ignati9, Romæ adhuc vivens, Coloniæ se videndum præbuit. Coloniæ à fatuo confossus 26 Octob: A° 1574. Ætat: 56. 26... W.P. Kilian sc.

tium etiamnum viventem, ob mira, quæ de ejus ſanctitate & miraculis narrabantur, devotione,& videndi deſiderio, petijt ab eodem veniam accedendi Romam, & quæ votorum ſuorum eſſet ſumma, ipſum conveniendi & alloquendi. Reſpondit Ignatius, deſiderio quantumlibet pio ſuperſederet tantiſper, quando ejus labores & præſentia Coloniæ tam eſſet proficua & neceſſaria: ſuggerendum à DEO remedium aliud, quo Coloniâ minimè recedens, voti compos evaderet. Mirè tenuit ambiguum Leonardum Ignatii reſponſum, quî fieri poſſet, ut ejus videndi copia Coloniæ moranti concederetur? jámque voti ſui penitus immemor, cùm ſolitarius in cubiculo aliquando reſideret, videt repentè ingredientem S. Ignatium, & benevolâ ſalute ſeſe impertientem: cui poſt longam ſui contemplandi, & amiciſſimè colloquendi indultam moram, ſubitò tandem ab oculis evanuit; tanto in mente Keſelij relicto ſolatio, ut in omnem vitam adversùm quaslibet difficultates & tædia illi reficiendo ſuffecerit. An: 1554. Neomagum in ſpem fundandi Collegij profectus, tantos expertus eſt Civium ſeu conſilij, ſeu expiandi ritè pectoris gratiâ concurſus; ut quamvis à primo diluculo ad uſque tenebras ſui copiam omnibus faceret, ægrè tamen ſtudio multitudinis poſſet obſequi. Lachrymarum porrò ea vis erat in illis, qui cum eo ſermones conferebant, ea flagrans & gaudentis animi magnitudo; ut negaret Pater tale ſibi quidquam aliàs uſuveniſſe: nec in ijs audiendis ſe defatigari ſolitum, ſed tam re-

centibus fuisse viribus post impositum laboribus finem, quàm si tum primùm ad eos accederet. Negabat quoque hospes ejus Canonicus, annum ante centesimum tantos in Urbe fuisse conspectos, vel auditos ardores. Ergo collectâ frugis ubertate lætissimus Coloniam se recepit. Anno iterum insequente, cùm populus Neomagensis maximis votis domicilium apud se Societati stabile constitui expeteret, & soror duorum nostrorum Patrũ Petri & Theodorici Canisij in extremis agens, eam in rem domum suam & 800. aureos legaret, advolavit denuò Keselius. Verùm eâ re vulgatâ, quidam è primarijs hæresi infecti, quòd adversariam sibi fore Societatem intelligerent, ac Religiosorum nonnemo, qui rationibus suis suspicabatur incommodam, Senatum adeunt, & fictis criminationibus, variísque modis eò commovent; ut is turbas majores veritus, continuò Keselium Urbe excedere jusserit. Cessit iniquissimæ violentiæ Pater, sed æquissimum Numen injuriam celeri in auctores ultus est pœnâ. Nam & Consulis, qui Senatui fuerat auctor exigendi Sacerdotis, gemina proles in rixa mutuâ se cæde necavit; quorum necem illico parentis ipsius mors secuta est: & qui sententiam pronunciârat edicti, lentâ febri correptus, in diuturnæ tabis ærumnas atque langvorem cecidit, summa cum desperatione salutis. Pater verò quod Neomagi nõ potuit, id, Coloniam reversus, egregiè assecutus est; dum more suo continuam pœnitentibus navans operam, multis morbo vario implicitis, recisis Sacramento causis atque radicibus, plenam sanitatem in vestigio restituit.

Sed & arcanorum animi pervidendorum gratiâ cumulavit illum DEUS; nam cùm Doctor Jacobus Ledesma, ad tyrocinium Societatis è Belgio Romam discedens, Coloniam transiret, ac primùm aspectu Carthusiæ ejus loci, & vitæ solitariæ dulcedine captus, iterúmque de Castimoniæ & Perseverantiæ dono ambiguus, in proposito vacillaret: obvius illi ex improviso vice utrâque Keselius, ulcus pernovit: & stupore attonito, unde ea Viro foret cogitationis suæ notitia, aperuit, *certus esto*, inquiens, *absque dubio DEUS tibi Castitatis atque Perseverantiæ dona concedet*. Sub hæc ad electionem Jacobi Lainij in Generalem Romam profectus, ubi Coloniam redijt, juvenes plures centenis in contubernium adlectos, nullis etiamnum reditibus firmato Collegio, tantâ pietate in antagonistas contra hæresim educabat; ut Canisius Coloniam inspiciens, miraretur, uni homini tantum inesse divinitus seu facultatis, seu felicitatis, & præter Sociorum (plures enim jam numerabantur) gubernationem, tot rebus agendis unus sufficeret: nam neque à concionibus, neque à confessionum, & alloquendorum Civium labore vacabat unquam. Nempe vir erat Keselius incredibilis industriæ & patientiæ, qui domûs difficultates totos 26. annos, sinè ullo stabilis censûs adminiculo, tot inter adversa, hæreticorum impetus, & malevolorum insectationes, sustinere potuit. Sed ut Divinorum judiciorum abyssum venerari scias, exitum habuit sensu humano funestum prorsus, miserandúmque; cùm in horto Coloniensis Domûs inambulans, & literis fortè legendis intentus, ab irrumpente homine ex amentia furioso, unà cum Domûs Ministro, & alio Sacerdote, qui in auxilium accurrerant, cultro escario confossus inopinatè est, ut intestina diffluerent; oculis in cœlum & manibus elatis, sacra JESU & MARIÆ nomina invocans, 26. Oct: Anno 1574. ætatis 56. à professione 4. votorum 20. Funditur extemplò per Urbem tristis fama, concursus ingens omnium Ordinum fit ad Collegium; qui cùm tria talium Virorum congesta spectarent cadavera, nec lacrymis, nec gemitibus abstinentes, dirum prodigium, atque irati Coloniensibus Numinis ostentum interpretabantur. Erat siquidem Keselius longè ac latè sanctimoniâ inclytus, assiduus usu orandi, excellenti erga DEUM ac proximos charitate, singulari modestiâ ac submissione, rarâ in adversis constantiâ: ad hæc occulta & futura prænoscendi, & mira in ægris patrandi dono ornatus. Accurrebant sanctitatis opinione commoti juvenes quàm plurimi ex omnibus Gymnasijs, neque pauci hæresibus varijs & erroribus imbuti, ut cum eo de animi salute agerent, aut peccata in ejus aures deponerent: ac semel illi confessi, vix unquam ab eo divellebantur. Adeò S. Spiritûs flamma à Sacerdotis ore & pectore intimo emanans, ad se accedentium incendebat mentes, atque ad curam animæ sollicitè gerendam permovebat, quæ vagâ Medicorum curatione ferè elangvescit. Hinc maximus fuit numerus, ejus operâ ab hæresi reductorum, & in Fide cùm vacillarent confirmatorum: eorum verò, qui generali totius vitæ exomologesi peccata apud eũ expiabant, affluxus tam copiosus; ut 400. & 500. numerum annuè adæquaret: & hi potissimum erant in Fide vacillantes, dissoluti, & qui antea nunquam erant rectè confessi.

Cùm

Cùm verò in Gymnaſij cujuſdam Coloniæ Auditores, periculoſa irrepſiſſet licentia, illud remedio fuit, omnium confeſſiones (erant plus 600.) ut Keſelius exciperet: unde mira in omnibus conſecuta mutatio, mira modeſtia. Neque tam inſigni Magiſtro uſi conſiſtebant in medijs virtutibus, ſed permulti iter arripiebant ad ſumma. Certè ad Societatem ex ejus diſciplina, tam multi inſignéſque viri acceſsêre, ut PP. Romani ferrent, Romano excepto Collegio, nullum æquè ac Colonienſe de alienis Provincijs bene meritum, ob collocata eximiarum auxilia operarum, quibus ille non ſuam modò Provinciam, ſed & alias quoque complebat; licèt nullius ferè Collegij, per univerſam Societatem exordia tardiores habuerint progreſſus; quod ipſe à ſuo principio incredibili induſtriâ & pietate per annos 30. Rector ſuſtinuit. Ejus in Divino patrocinio fiduciam dicebant domeſtici longè ſe pluris æſtimare, quàm pecuniæ magnæ certum vectigal.

Ex Hiſtoria Societatis, & Nierembergij Tomo 1. de Viris Illuſtribus.

P. HERNANDUS GVILLEN.



Fuit Pater Hernandus natione Hiſpanus, patriâ Carmonenſis in Diœceſi Hiſpalenſi, Parentibus illuſtribus & opulentis natus: juvenilibus annis libertati multùm addictus, viribus valens, & ad omnem ſeculi cultum politus; donec placuit Divinæ bonitati, generoſis ejus animis ad obſequium ſuum traductis, impetus priſtinos & fluxarum rerum æſtimationem ità in eo extingvere, ut ſtudijs operam ſuam conſtanter addicens, poſt emenſum Theologiæ curſum, Sacerdotio initiari voluerit. Hoc autem nequaquam ad honores, & conſectandas Eccleſiæ dignitates abuſus, totum ſe confeſſionibus audiendis, prædicationi, & populo ad virtutes Chriſtianas adducendo addixit, magnâ omnium, qui juvenem antea noverant, admiratione, & laborum Evangelicorum in tam ſublimi perſona æſtimatione. Societatem anno ætatis 41. complexus, illius Inſtituto ità mores ſuos attemperavit; ut in ea natus videretur: utpote cui juventutis errores fuêre pro calcari, ad conſectandas tanto majore ſtudio virtutes, quantò ſeriùs ſanctitatis ſcholam fuiſſet ingreſſus. Tenerrimis de DEO ſenſibus, amoréque filiali plenus abundabat, ſic ut continuis maderet lacrymis, non minùs dolore anteactæ vitæ, quàm conſolatione præſentis elicitis. Ex profundiſſima, quam conſtanter ſecutus eſt humilitate, nihil erat in oculis tam vile & abjectum, quod ultro non ſubiret: locum, veſtitum, cubile, munus, ſemper ambiens maximè deſpicabile, & omnium poſtremum: dúmque ei deferrentur profeſſio emittenda 4. Votorum, tanquam ad rem ſibi minimè debitam cohorreſcens, multis cum lacrymis deprecatus, eáque indignum ſe conteſtatus eſt. Perpetuum illi fuit operam ſuam Coco, cellæ & penûs Curatori addicere, viliſſima quæque & abjectiſſima ſectari. Cubiculũ inhabitabat, nullâ, etiam neceſſariâ ſupellectili inſtructum, ſinè ſedili, abſque menſa, ſinè quovis libro non unicè neceſſario, præter pauculos detritos & vetuſtos, quibus ad conciones lucubrandas utebatur; has verò non aliter, quàm in chartis rejectitijs, papyri involucris, vel epiſtolis ab una parte jam conſcriptis, annotabat. Cibus illi parciſſimus & viliſſimus, quem ferè ex reliquijs aliorum colligebat aut emendicabat: dúmque viribus & annis fracto quidpiam delicatius apponeretur, mille rationibus contrà pugnabat; eaſdem allegare ſolitus, ſi veſtem novam induere, aut aliud quid melius in uſum accipere juberetur. Corpus enim ùt hoſtem habuit, affligens illud jejunijs, flagellis creberrimis, alíſque aſperitatibus, etiam decrepitum jam & laboribus fractum, proinde ac ſi mancipium eſſet robuſtiſſimum.

Ità roborato in carnem ſpiritu continuis occupabatur expeditionibus, per loca Chriſtianæ doctrinæ magìs indiga, & commodis ad vitam ſuſtinendam minùs proviſa; quæ concurſabat pedes, ſarcinâ cum libris & reliquo apparatu in humeros rejectâ: & quaſi adjunctus ſibi ſocius imbecillior foret, per vices & illius manticam deportabat: cui cùm ubique ſtuderet providere exquiſitiſſimâ ad omnem commoditatem charitate, ipſe decumbebat nudâ humo, vel in Eccleſiæ pavimento: veſcebatur ſolis panum fruſtis mendicato collectis, aut glandibus & ſilveſtribus per viam collectis fructibus, vel aliquot olivis ex arbore deciduis. Excurſurum aliquando ad iſtiuſmodi Apoſtolicam culturam, juſſit Superior iter ſolito longius equo perficere, quem ſincerâ humilitate diu multis fruſtra deprecatus, tandem conſcendit; ſed ad oppidi ingreſſum in pedes deſcendens, confuſionis ambitu per medium populi, qui ingenti undique



P.Hernandus Gvillen S.I. illustri ortu Hisp. rudium, & agricolarum assiduus instructor, mercedis omnis contemtor, ut ligna etiam vænum afferret, ad panem è pretio indè coëmendum. Obijt 1574.
27.

affluxu, ad eum tanquam Virum sanctum audiendum concurrere solebat, freno deduxit. In reditu pedes ingressurus, socium ad equitandum adegit, mandatum quidem sibi iter illuc fuisse equo peragendum, non item domum relegendum. Obvius tum illis factus Vir nobilis, magnâ reverentiâ Fratrem in equo sublimem salutavit, Patri verò humili gestu priùs eodem honore se prævenienti, fastuoso contemptu respondit: *bonum iter viator*. Vix capere potuit gaudium Pater ex hac sui contemptione partum: quod illi duplicatum iterum est, cùm aliàs post Divina prolixè peracta invitatus à pagi Curato ad mensam, foras in nemus se proripuit, & fasce lignorum in humeros sublato, ad pagum sub vesperam redijt, eum numo ad panem emendum distracturus. Nolebat siquidem ullam sui causâ cuipiam molestiam vel sumptum creari, aut mercedem ullam recipere, præter animarum lucra; quarum ità sitiens fuit, ut perlibenter ruri habitare, herbísque silvestribus victitare elegisset: quò mortalibus omni ope destitutis subveniret. Erátque tanta DEI per illum loquentis gratia, & sanctitatis ab eo emicantis tam clara specimina; ut animos & corda omnium raperet, & quocunque vellet inclinaret. Exundabat in [illegible]rim cœlestibus favoribus, & rerum Divina[illegible]um vivis gustibus, in oratione præsertim & Missæ Sacrificio, in quo lacrymis ubertim manantibus, visus est toto ore non semel supra humanum renidere, cùm aliàs vultu esset severo, miniméque amœno. Erga pœnitentes mitissimus fuit & blandissimus,

mus, etiam cùm reprehensionem adhibere cogeretur, sufferendo patientissimè rudium ignorantiam, condolendo, & magnâ charitate instituendo: in fœminarum tamen homologesibus serius semper, & à blandimentis procul sejunctus.

Postquàm verò diem resolutionis suæ instare præcognovit; ut, quemadmodum humilis vixit, ità & decederet: institit apud Superiores coquinæ munijs applicari, ità seriò atque ex animo; ut negari citra magnam animi ejus desolationem non posset: obiítque insigni spiritûs sui gustu & triumpho, mundando vasa culinaria & ollas, coquinam verrendo, & reliqua infima ejus munia obeundo, ità strenuè & totâ virium occupatione, quasi illi muneri unicè obeundo Societati nomen dedisset. Tandem voce Divinâ ad bravium evocatus, premi cœpit acerbissimâ urinæ difficultate, quæ nullam ipsi interdiu & de nocte quietis partem concedebat: quos tamen dolores, incredibili tolerantiâ sustinuit, animos illi addente DEI præsentiâ, & desiderio imitandi cruci affixi Salvatoris, cujus imitandi studio, nullam admittere voluit refocillationem, ut conformior Duci suo fieret. Quòd si hanc sorbere Superiorum jussu (qui eam titulo medicamenti, levandæ ægritudini necessarij imperabant) cogeretur, post humillimam, ne in debitam observantiam delinqueret, deprecationem, ità sumebat, ut magnam eâ re vim ipsi & tormentum inferri appareret. Instante animæ exitu rogatus à Rectore, num mortem, aut rationem DEO Judici reddendam (cujus in vita summum timorem præferebat) formidaret? respondit, nullo penitus se metu angi, quòd is sibi clementiâ DEI in malaciam, & ingentia solatia esset conversus. Atque ità receptis SS. Sacramentis, placidissimè animam DEO reddidit; ore post obitum ità venusto, & cœlestem quandam amœnitatem spirante, ut non tantùm admirationem omnibus, qui vultum ejus inamœnum & torvum noverant, excitaret: sed etiam intuentibus solatium, hilaritatem & devotionem imprimeret. Ad justa funebria demortuo persolvenda, ex omni statu & conditione, pauperum tamen & plebis potissimùm, infinita accurrit multitudo, virorum & mulierum, juvenum & senum, Patrem & Magistrum suum deplorantium: cujus obitus incidit in añum salutis 1574.


Ex Nierembergij Tomo 1. de Viris Illustribus, & Historia Assistentiæ Hispaniæ.

P. LUDOVICUS CONSALVIUS.



Pater Ludovicus Consalvius à Camara, etiam ipse Apostolico reti concionum Francisci Stradæ Societati captus, natione fuit Lusitanus, claro loco natus, filius Prætoris Materiæ Insulæ; nec ingenio minùs, doctrinæque raritate nobilis, græcis hebraicísque literis eruditus; ut qui Parisijs præstantissimis Doctoribus adhuc sæcularis operam dederat. Receptus in Societatem anno 1545. cùm ejus proposito tota se propinquorum, amicorúmque Nobilitas opposuisset, Valentiam Conimbricâ missus ad tyrocinium est: & Sacerdotio initiatus, quia ejus magnopere laudabantur & spiritûs incrementa, & Instituti Societatis notitia; Rector Collegio Conimbricensi, mox ab exacto tyrocinio datus est. Sed quia ingentem animo & ore spirabat ardorem, sperabatúrque maximos in animis dicendo motus excitaturus; placuit eum à Rectoratu, populis subsidio, in expeditiones Apostolicas varia in loca dimitti. Priùs tamen quàm discederet, eum Simon Rodericius eodem in Collegio, cui præfuerat, Coquo & culinæ subjecit; ut, ubi prudentis suæ sollicitudinis documenta præbuerat, ibidem daret & humilitatis. Cùm enim Collegium illud 200. facilè capitum de more Provincialis Simon inspiceret; convocatis omnibus dixit, velle se acrem uni ex eis notam pudoris ac mortificationis inurere: & duos PP. Ludovicos mox evocans, Granam jussit præesse Collegio, Consalvium verò Rectorem culinæ subesse; quo facto, magna utriq; omnibúsq; domesticis fuit disceptatio, uter de ipsis depressus magis notatúsque discederet: cùm sortem suam longè molestiùs Grana, quàm Consalvius ferret. Igitur in agrum foras ad prædicandum egressus, itinera omnia pedibus, sarcinulâ libris aliquot onustus, metiebatur, mendicato pane victitans, interímq; verbum Dei quotidie modò hoc, modò illo in oppido prædicans. Ea porrò ubique erat aviditas Divini sermonis à Patre (nam Gaspari Barzæo in Indiam eo anno transmisso successerat) audiendi; ut ubi Patrem dicturum esse innotuisset (noctu autem ferè dicebat, cùm ex agris universi reverterant) oppidani locis editioribus pyras incenderet, quo omnes

admo-



P. Ludovic9 Consalvi9 à Camara, S. J. Lusitanus, claro loco natus; Ioannis, et Sebastiani Regum Lusitaniæ Confessari9, indefessus Vineæ Domini in Europa et Africa Operari9. Obijt Olyssipone 15 Martij 1575.

28.

admoniti signo, ad audiendum vicinis è ruribus & pagis accurrebāt. Tanto viri zelo indies magìs clarescente, cùm per id tempus Joañes Rex è Patribus aliquot in Mauritaniam, ubi certas Urbes, præter Septam, primarias firmis cum præsidijs tenebat, mitti postularet; missus est Consalvius cum Joanne Nunnio, postea creato Æthiopiæ Patriarcha; qui primi de Societate in Mauritaniam penetrârunt. Septam ubi attigerunt, inchoare mox ingenti hominum concursu conciones, præbere confitentibus & ægris operam, agere cum Saracenis ardenter, & commune valetudinarium carcerésque constanter procurare: tantâ morum repentè conversione, ut Christianos cives, paulò antè Saracenis ipsis deteriores, scriberet Gubernator nunc Religiosos effectos videri. Tituanum indè, Saraceni dominatûs Urbem, transgressi, multos Christianorum corrogatis pecunijs, æternis vinculis exemerunt, plurimos ad Mahometem transfugas Fidei restituerunt, vel in eâ vacillantes firmârunt. Quocirca Consalvio visum, ut ad majora auxilia, pecuniásque redimendis captivis comparandas in Lusitaniam rediret ipse, relicto in Mauritania Nunnio: quoniam multa, eáque momenti permagni Lusitano Regi suggerenda, pro Religionis majore argumento conceperat.

Hæc dum magno studio apud Regem curat; ille prudentiâ Viri, atque virtute captus, cœpit illum ad confessiones suas adhibere: cúmque eundem conscientiæ suæ arbitrum constanter servare velle significâsset; ille

ille speciosum munus magnâ humilitate deprecatus; Aulæ quidem, modestiam religiosam prædicantis, secundam admurmurationem obtinuit: IGNATII tamen censuram non evasit, qui Regi tantopere de Societate merito censuit non debuisse ea in re obsisti. Anno 1553. ad præcipua quædam Societatis Lusitanæ tractanda cum S. IGNATIO negotia, Romam ablegatus, varijs & per quam asperis modis ab eo probatus fuit, prout is in more habebat virtutem suorum, quos præcipuè talentis excellere videbat, periclitari. Siquidem post primum Ludovici tanquam hospitis amplexum & salutationem, toto trimestri illum ad alloquium, vel tractatum aliquem de negotijs non admisit: sed è contra publicis in triclinio pœnitentijs, reprehensionibus, & id genus mortificationibus exercuit: jussum etiam aliquando totis septem horis, intra descriptum circulum, immotum consistere. Tandem profundissimâ ipsius compertâ humilitate, charissimum & confidentissimum habuit, & secreta universæ ferè suæ vitæ eidē enarravit. Remissus in Lusitaniam, Conimbricæ aliquamdiu vitam egit; quando Romā repetere coactus, postliminio in Congregatione Generali, pro Jacobo Lainio creando Præposito Societatis indicta, ipse electus est in Assistentem Lusitaniæ; jussus unà curam gerere Brasiliæ, Æthiopiæ, atque Indiarum. Quam dum studio singulari administrat, rogatu Lusitaniæ Reginæ, cogitur ad institutionem pupilli Regis Sebastiani in Lusitaniam redire. Vix autem munus Assistentis inchoaverat, cùm diuturno vexatus morbo, in eúmque non absque gravi periculo relapsus; satìs aperto miraculo, sacro pane S. Nicolai Tolentinatis gustato, eodem die febribus solutus est. Itaque viribus confirmatis, quantumvis ab Aulæ strepitu, & pueri Regis educatione summopere abhorrens, in Lusitaniam demum se contulit: ubi ex integro munus Aulicum omni studio apud Reginam, & Cardinalem Henricum à se amoliri conatus: cùm frustra ageret, institutionem pueri maximâ curâ aggressus est, totus & mente & animo in eam intentus; ut nonnisì summa quælibet ab optima Sebastiani indole boni omnes sibi pollicerentur. Cunctis in precibus & sacrificijs eam rem Domino commendabat: permulta ut tota in Societate fierent, à Generalibus impetravit: illud insuper precatus, ut permitteretur cuncta sua Sacrificia in eam duntaxat causam referre. Et is quidem abundè Reginæ Matri, Cardinali, & Sebastiano ipsi satisfecit; ab eodem susceptis jam Regni gubernaculis in Confessarium retentus: invidiam tamen, lingvas hominum, & sinistra judicia nō effugit, postquam Sebastianus nullis rationibus ad ducendam Conjugem perpelli se passus est; quod videlicet Institutori tribuebatur, licèt is nullum non movisset lapidem, ut id Regi persvaderet. Ceterùm ubi parum proficere se vidit, omni denuo conatu ab invidioso munere se eripere connisus, ità Sebastiani animum pertractavit, ac svaviter inflexit, ut demum missionē bonam concesserit. Itaque bonus senex in Eborense Collegium se recipiens, confessionibus in Templo audiendis indefesâ operâ deinceps insudavit. Cùm tamen Rex profectionem in Africam cogitaret, ad suas, ùt ajebat, arces recognoscendas; teneri Ludovicus non potuit, quin graviter ab eo consilio deterreret: & quia parùm profecit, incerta casuum reformidans, nullâ dum à Rege sobole relictâ, præ ægritudine in morbum lapsus, trahentem moras Regem in Africa rursus institit obtestari per literas, tanquam supremis verbis ac votis, ut primo quoque tempore se mœstissimæ Lusitaniæ ob ejus desiderium redderet. Tum Rex commotus animo, & in Lusitaniam continuò reversus, Ludovicum jam Ulyssiponem deportatum cum ijs literis invisit: *en,* inquit, *literæ tuæ: ecce me: vide, quo apud me loco sis.* Sed Pater ex eo morbo nunquam plenè convaluit.

Et quidem frequentibus Ludovicus, ex quo in Lusitaniam Româ redijt, totâ vitâ exercitus morbis, & oculis propè orbatus, non solùm patiendi captus tædio non est; sed cùm mortales consveverint facilem è vita exitum inter votorum prima expetere, ipse DEUM rogabat, ut diuturno se ac molesto langvore cruciaret: quod consecutus, longâ quartanâ, quæ tandem in hecticam desijt, consumptus est. Rogatus, num quid apud Regem, ad animi sui levamen, monendum aut dicendum haberet? nihil planè esse respondit: adjecitque, grates se DEO immensas agere præcipuè, quòd cùm duorum Regum, Joannis & Sebastiani, confessiones audîsset, multóque apud eos in honore, multa fuisset in gratia; nunquam tamen hinc sollicitatus esset, ut vel suis privatim commodis, vel consangvineorum serviret. Cum hac tranquillitate piè ultimum spiritum 15. Martij Anno 1575. magno Regis dolore, magno pauperum, quibus semper benignissimus pater fuerat, exhalavit. Neque levi Indiarum detrimento, quarum commoda, ut quàm plurimi Christianæ Religioni adjunge-

jungerentur, sibi habebat commendatissima: ipséque tum aliàs ab primo Societatis ingressu, tum supremis annis, Aulæ tædio, in Brasilicam missionem destinari, summis votis exoptavit. Fuit olim percarus & ipsi S. IGNATIO, sub quo aliquamdiu Romanæ Professorum Domui Minister præfuit: diligens ejus virtutum imitator & observator, ex cujus etiam ore multa de Sancti vita excepta, in commentarios retulit. Rex verò Sebastianus illum non amabat modò, sed etiam observabat, dum præcepta ejus & monita commentario exciperet, neque segniter obiret: sæpe quin facienti ad aram, etiam jam Rex, serviebat. Ejus accepto mortis nuncio, specimen præbuit insveti, & in privato funere plusquàm Regij luctûs: nam procul ab arbitris, tres ipsas horas in solitudine intimi conclavis, inaccessus omnibus, in mœsto silentio perseveravit. Mox atrâ veste fluxâque pullatus, capútque lugubri cucullo coopertus, per mediam Urbem incessit, ac rectà in Cœnobium Divæ Virginis, à Spineto dictæ, extra Urbem se abdidit, totúmque diem illum impransus, ac propè incœnatus, noctem verò insomnis transegit: neque ferè in colloquium ullum admisit, nisi post quinque dies in eo luctu exactos. Post quos Ulissiponem Eborâ veniens, Consalvi sepulchrum reverenter invisit, mortuale Sacrum, funúsque exequiale coram se celebrandum curavit, totámque simul Urbem in publicum ac insolitum luctum pertraxit.

Erat Ludovicus Vir excelsarum virtutum, & charitatis inprimis prorsus eximiæ, quâ proximi labores & ærumnas sentiebat ùt proprias, & de bonis alicujus gaudebat ùt suis, malis verò affligebatur propè ampliùs, quàm quibus ipse conflictabatur: prout multis patefecit, captivorum in Africa Christianorum redemptioni operam navando. Sæpe enim dum subterranea illorum ergastula inviseret, verberibus affectus, luto, aliísque sordibus à Barbaris & pueris impetitus; nihil tamen ad eos juvandos & solandos intermisit: lethali propè morbo indè contracto, cui curando Septam Tituano remitti debuit. Domi autem si suos alacres videret & hilares, gestiebat & ipse palàm & diffluebat gaudio: tristabatur autem omnium maximè, si mœstitiam in alijs & mœrorem observaret. Huc spectat singularis, quo in ægros ferebatur, amor & propensio, quibus curandis non tantum manus & operam adhibebat ipse, diebus & noctibus ad omne genus obsequij illis assistendo, sed ad proprium etiam, dum Rectoris munus ageret, conclave & cubile ipsos transferendo. Quam charitatem ità aliquando Eboræ pensavit DEUS, ut Frater quidam Coadjutor à Medicis, ex pertinaci phthisi jam conclamatus & depositus, cùm ei in suum cubiculum translato plures menses Curatoris vice deservîsset, ad plenam sanitatem redierit: domesticis omnibus miraculum, in hoc eventu agnoscentibus. Nec ferè aliud molestiùs ferebat, quàm si in cura ægrorum aliquid socordiæ vel negligentiæ admitti videret Hinc Ulyssipone Superintendentis nomine (quod in primordijs Societatis non infrequens erat) Collegio præsidens, videns unum ex ægris domesticis omnem cibum nauseare, jussit Rectorem curare afferri refocillando langventi aquam ex fonte Pimenteyra, mediam leucam ab Urbe dissito: cujus moniti oblitum Rectorem irà castigavit, ut præciperet ipsummet sumptâ amphorâ absque mora per Urbem & forum ad fontem decurrere, & aquam ægrienti afferre. Addens, alios defectus & errata dissimulari remittíque posse; non tamen illos qui charitati, præsertim erga infirmos, adversarentur.

Orationi & conversationi cum DEO mirè semper addictus fuit; neque unquam tempus illius, sive in Aula, sive in Missionibus ageret, intermisit aut detraxit: quod erat mentalis quidem trium horarum per diem, præter non minùs prolixas vocales preces: & quidem omnes constanter de genibus peragendo, continuatas non raro per totam noctem, si per negotia diurnum tempus impendere non licuisset. Quolibet anno recipiebat se in Villam suburbanam Valderosal dictam, ad unum, & duos non raro menses, Exercitijs S. P. IGNATII impendendos: nec unquam rem alicujus ponderis aggrediebatur, DEO in oratione priùs non consulto; unde fiebat, ut effectum in quibusvis negotijs optatum consequeretur, & hausto exinde altiori lumine, futura etiam non raro prænunciaret. Ità & Fratribus domesticis unum, defectionis ab Societate consilia secretò agitantem amicè allocutus, cùm ad omnia consilia & rationes adductas obstinatum reperisset, tandem severè vaticinatus est: abiret ergo ad desideratam sæculi libertatem; sciret tamen, se paucculis diebus violentâ morte decessurum. Nec aliter evenit: nam unus ex cognatis indignatus se habere amicum apostatam (ità enim exitum ejus interpretabatur) mox primis ab eo diebus aliquot vulneribus confossum intere-

teremit. Eboræ accesserat P. Ludovicum Adolescens studiosus, Bartholomæus Duarte, Societatem expetens; sed quia Matrem habebat Viduam & senem, & pauperem, svadebat Pater, ex majori DEI obsequio fore; si illi juvandæ & sustentandæ aliud vitæ genus deligeret. Sed cùm ille animo constans propositum urgeret, ad orationem paulisper secessit Pater: iterúmque reversus, confide, inquit, Fili; DEUS enim vult te in Societate sua vivere, in qua Professionem quatuor votorum emittes, & morieris altiores Scholas docendo. Atque ità prorsus evenit; siquidem post Philosophiam Bragæ prælectam, emissâ Professione quatuor votorum, dum Ulyssipone Theologiam Moralem explicaret, diem suum magno omnium dolore obijt.

Orandi studio adjunxit insatiabile sui in omnibus affligendi, & passiones edomandi desiderium; sentiebátque præ reliquis omnibus maximè necessariam esse Societatis hominibus Mortificationis virtutem, sinè qua nihil in perfectione promoturi, sed neque in Religione perseveraturi essent. In vestitu, rebúsque alijs quæ vilissima domi erant, pro se, etiam dum Rector, & Regum Confessarius esset, deligebat: in Missionibus verò hospitia & loca, in quibus liberaliter se habendum sciebat, studiosè evitabat, ad pauperrima tuguria & Nosocomia divertens. Verno autem vel æstivo tempore somnum capere amabat super paleis, aut fæno, in areis & horreis ruricolarū, etiam ob reverentiam palearū, quibus in Bethleem recèns natus Salvator incubuit: quæ res illi aliquando extremam ferè perniciem attulit. Contigit enim, ut furto sibi ablatis ex area quibusdam rebus, cautior rusticus fortè redituro furi invigilaret: hic ad lunæ splendentis radios Patrem super paleis ibidem recubantem cùm observâsset; furem ipsissimum credens, arrepto grandi fuste atrociter invasit, & graviter percussum, fors rabie cæcus penitus confecisset, nisì ex vicino accurrens Patris socius, errorem furenti detexisset. At Pater ex tanta injuria magìs quàm si opiparâ cænâ refectus esset, gestiens; cùm primo mane pulpitum in Ecclesia conscendisset, & invasor agricola ad pedes ejus accidēs delicti sui veniam petijsset, non veniam, sed gratias illi se debere professus est, qui graves suas in DEUM offensas expiare adjuvisset.

Ex Historia Societatis & Lusitaniæ P Balthasaris Tellez, & Tomo 5. Alphonsi Andrade de Viris Illustribus.

P. BLASIUS SANCHEZ cum Socijs 13.

TRiennium totum pestilentia, quæ credebatur cum mercibus è Turcia illata, ab Anno 1575. Siciliam infestam habuit, ab una in alias per intervalla Urbes sensim transgressa. Descendit in aciem adversùs id malum de more Societas, & complures diversis in locis Athletas in gloriosum certamen eduxit: è quibus victores oppetitâ morte evaserunt 14. Et quidem primo loco memorandus, qui omnium postremus cecidit, P. Blasius Sanchez venit, gente Hispanus, qui cùm de Familia Joannis de Vega Siciliæ Pro-Regis, apud quem erat inprimis gratiosus, ad Aulam Ducis Bibonæ cum filia Pro-Regis eidem Duci desponsa transijsset; indè non multò pòst animum ad Societatem convertit: in quam receptus anno 1555. in præmium fidelium obsequiorum, à Duce Prioratu S. Margaritæ donatus est. Eum ille, Ducis annutu, firmandis Collegij Bibonensis initijs transcripsit; quem paucis post annis in Tyrocinij & Scholastica sui cultura traductis, jussus est jam Sacerdos industriâ suâ excolere. Id ipse tam naviter & fructuosè præstitit; ut brevî tempore locum è receptaculo latrociniorū, in domicilium probitatis converterit. Et quidem tantâ erat apud omnes existimatione sanctitatis, ut à sicarijs projectissimísque mortalibus, non tantùm noxæ nihil acciperet, sed etiam venerationem extorqueret. Non semel illi mortem nefarij homines ex insidijs moliti sunt; quos ille cùm rescîsset; adeò non formidavit; ut etiam sponte quæsitos familiariter convenerit, & consvetudine captos, sceleris arguerit, represserit, revocârit ad frugem. Haud longè à Prioratu Polisium oppidum situm erat, alter Apostolicorum ipsius laborum campus, quod ille consvetis Societatis functionibus ità subegit; ut novos illi mores, novam faciem induxerit, fluxam laxatámque Monialium Cœnobijs disciplinam instaurârit: multa in his conatibus, & diurnis nocturnísque concursationibus aspera perpessus, nonnunquam & verbera. Sed quæ ipsius erat tolerantia, & incredibilis hostium dilectio, quâ eorum saxis duriora pectora subigere noverat, sitim hæc illi magìs acuebant, quàm restingverent. Erat illic Sacerdos, moribus a-



P. Blasius Sanchez cum 13. alijs è Socte Iesu; in præmium supremæ Charitatis per Siciliam lue contactis navatæ, ejusdem mali afflatu pretiosam mortem consecuti, ab Anno 1575. usq; ad 77.
29.

liunde non improbis, sed à Patre ità alienus, támque averso animo, ut ejus nè mentionem quidem, nedum occursum aut alloquium sustineret. Neque id Patrem latuit; qui de more Missionum labores in oppido instauraturus, prior ultro ad ejus convictum se invitat, futurus dierum aliquot hospes. Id officij cùm honestè defugere nequaquam posset, statuit in eum oculos intendere, nutus omnes & gestus observare, actiones & verba censoriâ severitate expendere. Sed tantus virtutum ejus fulgor emicuit; ut cùm nihil omnino carpendum deprehenderet, ex alieno factus sit summus Blasij æstimator & prædicator. Alterum item, à quo designari se sciebat ad necem, cùm se illi ad prandium convivam ultro addixisset, non tantùm à sententia ad sui amorem deduxit, sed DEO planè lucratus est. Fuit idem precationis cùm primis studiosus, & assiduæ cum DEO familiaritatis, cui partem noctis maximam, & multas diei horas tribueret. In seipsum, & corpus omni macerationis genere affligendum prorsus inclemens, nullam illi quietis partem, nisì arundineo in strato perparcè indulgebat. Tāta simul morum & totius corporis inerat cōpositio, ut alios vel solo suo conspectu componeret ad modestiam. Tandem hæc omnia decora coronavit heroica charitas, quâ se Civium pestilentiâ laborantium saluti, quamvis obnitente Magistratu, quòd nollet paucorum incolumitatem communis omnium parentis jacturâ redimi, capútque suum devovit: cúmque mortem suam toto antè octiduo præ-


prædixisset, fortissimè constantissiméq; occubuit die 17. Julij, anno 1577. in eodem ipso Polisij oppido. Magistratûs decreto funus pompâ præter morem aliorum elatum est, atque intrà mœnia in Ecclesia S. MARIÆ de Porta consepultum, nullo seu contagionis, seu cujusvis alterius periculi metu. Socium laborum habuit & Adjutorem Angelum Larosa Siculum, è Fratrum numero, qui prior occubuit ad 23. Junij.

Eodem anno exhibitæ in contagiosos charitati immortui sunt Messanæ, P. Gabriel Cocchius, Julius Nerius Siculi: P. Ludovicus Nunnez Hispanus. Is cùm Pocillator esset Ducis Bibonensis, rerum fluxarum & aleæ studio deditus, Sodales per jocum aliquando ad nostrum P. Hieronymum Otellum pro concione audiendum invitavit, re ipsâ ut dicentem risui & ludibrio haberet. Sed ipse risum de se haud paulò jucundiorem & gaudium Angelis fecit, efficaciâ ejus concionis ità commotus, ut nuncio rebus humanis remisso Societatem inierit: in ea sui apprimè despiciens, & ad summum charitatis apicem enisus, ut animam pro amicis suis & proximis poneret. Anno verò quo pestilentia in Insulam invecta grassari cœpit 1575; ijsdem charitatis operibus Messanæ exitium sibi consciverunt, mense Aprili, P. Oliverius Cominalis Siculus, Ramettæ oriundus: & Aloysius Calligares, cui subsidia morbidis è publico dispensandi negotium incumbebat. Panormi verò eadem beata sors cœlo intulit P. Paulum Mantuanum Venetum, ad diem 3. Julij. Hic in Societatem receptus in ordinem temporalium duntaxat Coadjutorum; à S. IGNATIO Divinæ majoris gloriæ studio ad Sacerdotium provectus est, quòd observâsset in eo Virum miræ humilitatis & patientiæ, tantæq; charitatis, ut quò Maurorum servitute Patrem quendam eriperet, ipse in captivitatem & vincula se offerre non dubitaret. P. Didacus Martinius, Hispanus ad 19. Julij. P. Franciscus Constantinus, Siculus Catanensis 3. Aug: & P. Gabriel Puteus, ex Insulis Balearibus; qui posteaquam rarescere in Urbe malum cœpit, in suburbanum cum tribus Socijs demigravit, expiandis solandísque ijs, quos ipsa charitas, nè plures inficerentur, segregaverat, intentus: ubi diu perseveravit incolumis, donec & illum generosis cumulatum laboribus mors sustulit in Septembri. Anno iterum 1576. Panormi recrudescente lue, dum ei sopiendæ strenuam navant operam Socij, duo charitatis incendio conflagrârunt, P. Joannes Balthasar Siculus Messanensis, & Joannes Oliverius Syracusanus. Hic duos olim filios suos Societati magno animi solatio consecratos, conjuge viduatus & ipse consecutus est, ínque cœlum prævenit ad diem 8. Maij. Ac demum Catanæ, patriâ suâ, agmen inter heroës minimè postremus clausit P. Erasmus Marchesius 13. Septembris.

Ex victimis Charitatis Alegambe.

P. JOANNES DE ALBOTODO.

DEcerpsit Divinum Numen velut rosam è spinis P. Joañem, Granatæ, Parentib, Mauris satum, plantavítque in Societatis horto tanquam futurum Patrem multarum gentium, quas cœlesti Paradiso inseruit. Cùm in ipsa pueritia singularem propensionem ad Sacra Christianorum præseferret; Archi-Episcopus Urbis Petrus de Gverrero, observatâ pueri indole, ingenij acumine & solertiâ, studijs eum applicuit; quibus unà cum Theologia feliciter combibitis, in eadem Doctoris gradu insignitus, Societatem impetravit, quòd fortè necdum Legibus cautum esset, neminem è gente Maurorum vel Judæorum in eam recipiendum. Et verò constanter eluxit in eo rara mansvetudo & humilitas, cum summa charitate proximi conjuncta, asperrima corporis tractatio, & mortificationis studium. Pro sacro Tribunali unicum fuit refugium pœnitentium ex statu Nobilitatis & plebejo, utrorumque magno profectu; hinc nemo, illum semel adire solitus, facilè deinceps deseruit. Tota illius solida diei occupatio fuit confitentibus aurem dare, dicere ex pulpito, Catechesim rudibus explicare, detegere fraudes, & confutare errores Maurorum, in quo speciali à DEO pollebat gratiâ. Eâ causâ omnibus habitus est pro Apostolo suæ nationis, Fideíque Magister in Regno Granatæ: singulari in pretio, amore & veneratione cultus ab ejus incolis, tanquam Vir sanctus; concurrentibus undique, quamcunque ejus regionem ingrederetur, pueris & adultis ad osculum manûs aut vestium. Ex tanto verò, quo tuendæ & propagandæ inter suos ardebat Fidei zelo, non unum vitæ adijt discrimen, siquidem nullam prætermittebat illius prædicandæ & instillandæ occasionem: cujus lucem, & emicantem sanctitatis in Patre splendorem non ferentes obstinati quidam è Mauris,



P. Ioannes de Albotodo S.I. ex Mauris oriundus, Granatæ; eorundem potissimùm conversioni, & laboribus Apostolicis immortuus Hispali. 14. Maij A° 1578. 30. W.P.Kilian sc.

ris, sæpius illum è vita exturbare connisi sunt. Nocte igitur quâdam ad januam Collegij excitum, ad ægroti cujuspiam exomologesim audiendam evocant, ducúntque per angusta viarum horrentibus tenebris ad destinatum neci secretum locum; ubi repentè à DEO consternati, nihil in ejus Servum moliri potuêre; sed intactum, nullo verbo dicto, deseruêre. Pater animadverso hinc suo periculo, dum nihil turbatus viam domum sedatè relegit, audit è quodam viæ flexu ab obscura valle gemitum & ejulatum tristem, petitóque ex obvia casa lumine, eò tendens, hominem reperit Maurum humi abjectum, absque omni remedio & solatio humano morientem. Hunc tenerrimo amore & condolentis affectu allocutus, rogat, num confiteri, DEOq; conciliari velit? & annuenti, aure præbitâ, animam in suis manibus morientis cœlo transmisit; vicinósque monuit, ut corpus linteo involutum die sequenti terræ mandarent. Ità magno gaudio domum revertens gratulabatur DEO, qui ex morte sibi à nefarijs intenta, salutem animæ in misero undequaq; deserto operatus fuisset: & invictam quandam in DEUM concepit fiduciam, animúmque laborandi & moriendi pro Fide dilatanda.

Neque ullum deinceps tantum fuit discrimen, cui non caput suum lubens, volénsque Fidei causâ objiceret: utì iterum illi accidit, cùm tabernam quandam ingressus, Mauros blasphemis fœdísque colloquijs vacantes liberiùs reprehendit: quorum unus furore amens minatus Patri est, nî continuò facesseret, nares se illi præcisurum. Cessit tum quidem Pater insanientis choleræ, sed cùm die sequen-

ſequenti idem Maurus cum quopiam rixam iniviſſet, juſtâ DEI vindictâ nares illi ab hoſte ictu gladij præciſæ ſunt. Tam luculenter comperto Patris zelo, non tantùm Archi-Epiſcopus Granatenſis ad converſionem Maurorum per ſuam Diœceſim naviter uſus eſt; ſed eundem ſacra Inquiſitio ad reducendos apoſtatas, & à Fide aberrantes adhibuit, Regiúmque Tribunal diſponendos ad mortem maleficos quoſvis commiſit. Nec defuit conatibus tam ſanctis Numen, cujus ope mirabiles paſſim in varijs perſonis effectus, remedijs omnibus jam deſperatis, patravit, maximo ſalutis animarum & gloriæ Divinæ augmento. Charitas ejus in pauperes & derelictos ea fuit, quâ eos viſceribus ſuis includere velle videbatur: idem captivorum erat procurator, ſollicitator & proviſor; quos eleemoſynis ſollicitè conquiſitis ſuſtentabat, ære alieno exolvebat, cauſas complanabat. Nec minora experiebantur ab eo infirmi, quibus diu noctúque promptus aderat, ſic; ut nullum calamitatis genus eſſet, cui non remedium inveniret, quaſi totum Regnum unus ſinu ſuo fovendum recepiſſet. In eam rem deſcriptas habuit è ſingulis ſeorſim Parochijs egentes & miſerabiles perſonas, quas præſertim mendicare puderet, ut beneficentiæ ipſius nulla expers eſſet. Exhibebat eandem peculiari curâ in egena Virginum cœnobia, multíſque & magnis animæ periculis hac arte eripiebat. Nec minore gratiâ pollebat ad componendas inimicitias quantumlibet inveteratas, ut non tantùm injurias & odia ponerent, ſed illa in ſincerum & conſtantem invicem amorem & confidentiam commutarent. Atque hos tam miros ſucceſſus meritus à DEO videretur profundiſſimâ quâdam ſui deſpicientiâ, quâ nequiſſimum & ultimum omnium ſe reputabat, & quantò magìs ab hominibus æſtimatus deprædicabatur, tantò infrà ſeſe demittebat. Hinc quoties à Viris primæ Nobilitatis honor ſibi exhiberetur, ad eum avertendum objiciebat: an neſcirent cujus ipſe originis, ex infami & perfidâ Maurorum gente foret? Morti jam proximum, dœmon, viſibiliter apparens, ſtratagemate & telo vanæ gloriæ aggreſſus, enumerabat tot ejus per omnem vitam in DEI & Eccleſiæ cauſa labores & merita: cui ille altâ, quam omnes adſtantes percepêre, voce: *quid ais miſer? cur non potiùs in memoriam revocas vilitatem mei generis? cur non inculcas parentes meos pauperes, fabrili vitam ſuſtinentes?* Quo audito, diſparuit tentator, & Pater placidiſſimâ morte defunctus eſt Hiſpali; Anno 1578. 14. Maij.

Ex Tomo 1. Nierembergij de Viris Illuſtribus.

P. GASPAR LOARTE.



Pater GaſparLoarte, natione Hiſpanus, patriâ Methymnenſis, Vir pius juxta ac doctus, grandis natu, & Doctor Theologiæ; priuſquàm in diſciplinam Societatis, ſub Magiſterium S. IGNATII tranſiret, diſcipulus fuit magni illius ſpiritûs Magiſtri Joannis Avila. Sub ejus Inſtitutione in pietatis officijs apprimè verſatus, & conſilia Domini Evangelica ſequi edoctus; petijt aliquando multis orationibus à DEO dolores ſibi mitti, patienti Chriſto quàm ſimillimos: quibus acerbiſſimis, utì cupiverat, obrutus; ut nullius membri uſum retineret, videns eos viribus ſuis penitus intolerabiles, & humanis majores; cùm ſupplex denuo oráſſet liberari, continuò exauditus eſt. Sacris Ordinibus ex Magiſtri ſui Avilæ conſilio initiatus, totum ſe laboribus Apoſtolicis in proximorum ſalute, per cōtinuas Miſſiones quærenda impendit, unà cū Jacobo de Guzman (cujus antè Præceptor fuerat) filio Comitis de Bailen, nunc verò pariter Sacerdote Theologo: obibántque pedites, perinde ac homines Societatis conſuevêre, pagos & oppida Epiſcopatûs Calahorrani, Operarijs Eccleſiaſticis magìs deſtituta, doctrinam Chriſtianam explicando, prædicando, Sacramentis ſanos æquè ac infirmos juvando, & pauperibus ſimul in hoſpitalibus omni obſequiorum genere ſubveniendo. Per idem tempus morabatur S. Franciſcus Borgia, ſepoſitis Ducalibus ſuis Gandiæ curis, velut in eremo Ognatæ, cujus ibi vita angelicè inſtituta, quia per omnem latè Hiſpaniam multâ famâ differebatur, non paucos primæ Nobilitatis & doctrinæ Viros ad imitationem excelſarum illius virtutum pertraxit: atque inter hos etiam nobile iſtud Avilæ diſcipulorum par, Loartem & Guzmanum, utrúmque idem Societatis JESU Inſtitutum anno 1552. complexos. Poſt biennium Tyrocinij Loarte Romam profectus, & ab ipſo S. IGNATIO probè ad ſublimiorem ſanctitatem inſtitutus, Collegiorum Genuenſis & Meſſanenſis regendorum provinciam egregiè ſuſtinuit, & Profeſſionem 4. Votorum edidit Romæ in manibus P. Jacobi Laines, II. Generalis Societatis



P. Gaspar Loarte Soc: Iesu, Hispanus, à Christo Domino crucem bajulante confortatus, et ad labores animatus, in Mauris præcipuè Christo per Hispaniam lucrandis operam posuit. Obijt Valentiæ 1578. 8 Oct: Ætat: 80.

31.

cietatis anno 1560. Quo tempore Collegium Genuæ Rector gubernavit, in gravi afflictione constituto visendum se obtulit Christus Dominus cruci affixus, jussítque hilari animo esse, quippe certum, nunquam suo auxilio in quibusvis adversis destituendum: id quod per totum vitæ decursum abundè expertus est. Præcipuam vitæ Religiosæ partem, quam in Italia exegit, varijs Missionibus per diversas ejus partes impendit, præcipuè cùm rogatu Episcopi Saulij, totam ejus Diœcesim Sazanensem, per aspera montium juga, magno incolarum emolumento lustravit: & alijs pluribus locis, præsertim Genuæ, seduli Operarij partes omnes implevit.

Ab Italia revertens in Hispaniam cum Patre Hieronymo Domenecco, stationem in Collegio Valentino jam decrepitus invenit, cupidus vitam illic in infidelium Maurorum conversione, quorum ingens adhuc eo in Regno multitudo habitabat, ponere: ad eos frequenter instituebat excursiones, licèt experiretur non magnum ex obstinatissima gente referri operæ pretium, quo tamen nemo alius majus reportabat. Id enim non tam indefessis extorquebat laboribus, quàm assiduis ad DEUM pro excæcata gente orationibus: quibus addebat quotidianam, adusq; sangvinem, flagellationem; ut indurata obstinatorum corda ad Fidem emollirentur. Atque hæc ipsa barbarorum ad omnem cœli sementem recipiendam durities, Operario octogenario dolorem primùm in animo ingentem, & ex eo mortiferam in corpore ægritudinem crea-

creavit: cujus acerbitatem cùm animo planè invicto perferret; quæsivit P. Domeneccus, an ejus dolores pares essent illis, quos sub disciplina Avilæ adhuc constitutus à DEO concedi postulâsset? sed respondit Loarte: *hi, quos modò persentisco, respectu priorum, quos tunc experiri datum est, veluti picti & umbratici censeri possunt.* Videbatur etiam in ipso morbi principio certum imminentis mortis à à DEO responsum accepisse; nam discedenti Valentiâ, ad quædam in Regia negotia expedienda, Rocho Ruiz apertè edixit: *ubi Madrito ad nos reverteris, non ampliùs inter vivos, sed vitâ functum me repertums es*; prorsúsque evenit, ut eâdem, quâ iste revertebatur horâ, Pater animam DEO redderet, anno 1578. ætatis 80. die 8. Octobr: Fuit Pater Loarte Vir magnæ orationis, & familiaritatis cum DEO, solitus jam indè ab educatione Avilæ, quaternas in die horas meditationi Divinorum tribuere: támque tenero sensu cruciatus Christi Servatoris recolebat, ut lacrymis se, ac locum, in quo constiterat, perfunderet; neque unquam Missæ Sacrificium, in quo potissimùm Ejus memoria recolitur, sinè illarum redundantia offerret. Orationi jungebatur continua sui in rebus omnibus mortificatio, quotidianus asperrimi cilicij & flagellorum usus; profundissima sui despectio; ex qua defectum rerum ad usum necessariarum ità constanter ferebat; ut invigilare solerter Præfectos & divinare oporteret, an re quapiam opus haberet, quòd ipse nullo indicio indigentiam proderet: deprehensus aliquando ægritudinis tempore, in defectu alterius vasis, ex eadem scutella in qua cibum sumpserat, haustum frigidæ sorbere.

Ex Bibliotheca Allegambe, Nierembergij Tomo 4. de Viris Illustrib: & Gabriele Alvarez.

P. SIMON RODRIQUEZ.

SExtus in fundanda Societate S. IGNATII socius P. Rodriquez, natione Lusitanus, satus est Parentibus honoratissimis, Ægidio Gonzalio, & Catharinâ Azevedia, atque sumptibus sui Regis ad Philosophiæ studia Parisios missus, ætate florens, indoléque præclarâ; post longam cum IGNATIO consvetudinem, cùm ad mutandam in obsequium DEI prioris vitæ rationem Divino raperetur instinctu, cogitationes has tacito diu premebat sinu, dum tandem IGNATIO penitus se addixit. Cui cùm sensa omnia pectúsque aperuisset; tum demum novo quodam splendore perfusus, Hierosolymam statuit petere, reliquámque ætatem in animarum tutela conterere; nondum gnarus, quòd idem priores Socij cum IGNATIO deliberarent. Editis in monte Martyrum votis, & studij Theologiæ cum laurea Doctoratûs absolutis, in Italiam, ut indè in Palæstinā trajiceret, cum Socijs pedestre iter prosequens, grave incommodum primò quidem corporis, tumore fœdum in modum ex laborum insvetudine inflati, expertus est; mox etiam animæ, ex fratris Germani tentationibus, illum à proposito omni conatu & arte dimovere molientis: quod tamen utrumque DEI ope mirabiliter superavit. Fervorem ejus in cruce Domini ferenda vel exinde agnoscas, quòd crucem sibi super pectus è regione cordis, dodrantali magnitudine, ac latitudine digitali, stylo ferreo in viva carne exsculpsit, quam nunquam deinde toto vitæ decursu obductam, ad sepulchrum secum unà portavit. Venetijs occasionem trajiciendi Hierosolymam præstolantes, cùm IGNATIUS in diversa lòca ad juvandum proximos divisisset, Simoni & Jaio Bassanum obvenit: ubi ille post 40. dies in meditationibus, solo interim pane emendicato & aquâ victitans, exactos, magno fervore, quà concionibus, quâ catechesi per publica compita & pagos plebem erudivit, tantâ contentione, ut febrim indè ardentem, & Medicorum sententiâ lethalem contraxerit: unico tamen IGNATII, illum à 30. passuum millibus invisentis, amplexu depulsam. Eâ morbi occasione, quo durante in solitaria quadam Anachoretæ, cōmuni opinione sancti, cella decūbebat, captus amore solitariæ ejusmodi & quietæ eremi vitæ, cœpit tædio activæ, in procuranda proximi salute tantopere distractæ, affici. Itaque clàm ab IGNATII & Sociorum consortio avulsus, vix iter ad Anachoretæ tugurium aggressus est, cùm obvium habuit armatum equitem, vultu terribili stricto ferro concitatè in se ruentem; quem effugiturus dum cursu effuso diversorium IGNATII repetit, iste è Sociorum consessu & domo repentè, mirantibus omnibus & causam ignorantibus, prosilit, passísque brachijs revolantem erraticam ovē, equite interim in auras vanescente, recipit, & unico dicto castigatum in proposito confirmat: *fili, quare dubitâsti?* Profligatâ demum omni trajiciendi in Palæstinam spe, postquam ope-



P. Simon Rodriquez, è primis 10. S. Ignatij Socijs, de Lusitania, et Indijs optime meritus, atq; à Deo multis beneficijs illustratus. Obijt Olyssipone 15 Julij A.° 1579.
W.P. Kilian sc.
32.

operam suam unanimiter omnes Christi Vicarij obsequio addixerunt, primam omnium in Societate missionem jussu Pontificis Senis obijt Rodriquez, in reformando quodam Virginum Parthenone, in quo frustra Archi-Episcopus Urbis, ceteríque diu laboraverant: quo negotio feliciter confecto Romam redux, cùm per id tempus Joannes III. Lusitaniæ Rex magnopere apud Pontificem contenderet, aliquot de Socijs pro Indijs Orientalibus ad se mitti, designatus ab IGNATIO est, tanquam maximè ad cõversionem tot Gentium idoneus, Rodriquez, & Bobadilla; sed huic repentinâ ægritudine implicito, suffectus mox fuit Xaverius. Venit in Lusitaniam prosperâ navigatione (nam Xaverius terrestre iter cum Legato tenuit) prior Rodriquez, & illico in Regiam, misso internuncio, Ulyssiponem, à Joanne invitatus, jubetur rebus omnibus liberaliter haberi: ille verò instituti sui tenax summè à Rege contendit, sibi ut liceret victum passim & ostiatim emendicare; id se cunctis Regiæ anteferre delicijs. Quo tandem ægrè impetrato, ad publicum Valetudinarium, quartanâ etiamnum laborans, divertit, cœpítque stipem ex instituto quærere, nihilóque interim segniùs peccatorum confessionibus audiendis, meditationibus tradendis, concionibus & catechesi peculiarem animarum curam gerere.

Trimestri elapso subsecutus est Xaverij adventus, faustus omnino laboranti Simoni; cujus quartana febris, quo die expectabatur, ùt in Xaverij venientis diem incidit, quasi quempiam-

ãm ſupra hominem reverens, non acceſſit, ſalutantis amplexu & voce diſcuſſâ. Dum tempus navigandi in Indiam expectatur, totos ſeſe puerorum inſtitutioni, adultis verò ex Regiâ & Clero aſceſi Ignatianâ exercendis, inviſendis noſocomijs, publicis cuſtodijs, præſertim Inquiſitionis carceribus, impenderunt; tantâ omnium, Regis præcipuè approbatione, ut de utroque in Luſitania retinendo deliberare cœperit, populus verò Apoſtolorum nomine eos appellare; unde in hodiernum uſq; diem Societati per Luſitaniam & Indias cognomen hoc conſtanter adhæſit. Appetente jam navigationis die Rex, poſt multa conſilia, Xaverio in Indias dimiſſo, Simonem in Luſitania retinuit, tanto ipſius dolore, ut ſuo illo ſpiritu vocandæ ad Fidem Indiæ incitante, conſtituerit clàm in Indiam ſolvere. Sed quia Rex fundandæ in ſuo Regno Societatis cupientiſſimus, Collegia illi aliquot moliebatur, coactus eſt regendis & multiplicandis Socijs remanere; majore ſanè fructu, cui innumeros præclariſſimos Operarios educavit & tranſmiſit, quàm ipſe operâ ſuâ illam coluiſſet. Totum ergo Luſitanorum ſaluti promovendæ ſe addicens, Cœnobia complura in ejus Urbibus extrui obtinuit, reſipiſcentium muliercularũ perfugia, in quibus juxta leges à ſe præſcriptas vitam agentes, poſſent continentiam ſuam tueri, & ad eximiam etiam pœnitentium ſanctitatem pervenire. Porrò vitæ illius ſanctimonia, prædicatio & converſatio Apoſtolica, moréſque inculpatiſſimi, perſtringere oculos Academicorum Conimbricæ & alibi ità continuè cœperunt, ut nobiliſſimi quique & lectiſſimi adoleſcentes ei ſe adjungere percuperent, Viri deinde ſub ejus diſciplina effecti prorſus Apoſtolici, ex quibus aliqui Æthyopiæ Patriarchæ, Epiſcopi Nicææ, plurimi Martyres evasêre, ſic ut paulò pòſt in Collegio Conimbricenſi centum Socij numerarentur. Inter reliqua cùm Nobilem Legatum à potentiſſimo ex Indijs Rege ad Luſitanum miſſum, paucis diebus ab Idolorum cultu ad Chriſtum convertiſſet, iterúmque alium ex Africa Nobilem Saracenum, equitum domi ſuæ Ducem, eáque re & cæteris geſtis, mirâ apud Regem & Aulam gratiâ polleret, non potuit improborum invidiam diu evitare, à quibus non contumelijs tantùm & famoſis libellis, verùm etiam inflictis verberibus exagitatus, nullam tamen unquam à Rege vindictam aut tutelam expetijt; ſed is aliunde re compertâ in improbos ſupplicio animadverſurus erat, niſi deprecatore Simone in leniorem exilij pœnam illud commutare perſvaſus fuiſſet. Igitur ſuam de Simone exiſtimationem palàm facturus, illum educando principi Filio præfecit, cùm paulò antè ejuſdem Inſtitutorem Joannem Suarium creâſſet Conimbricæ Epiſcopum. Eâ occaſione uſus Simon, primus jam etiam ab IGNATIO Luſitaniæ Provincialis creatus (quod munus totos 12. annos geſſit) & quâ valebat apud Regem auctoritate, ingentia in animarum commodum toto Regno perfecit, & pauperum egeſtati remedia copioſa proſpexit. Senſim tamen Aulæ tædio, per occaſionem novæ in Æthyopiam miſſionis, iterúmque in Braſiliam tentavit fugam, convertendi gentiles deſiderio: utrumque nihilominus fruſtra, DEO illum tantis Luſitaniæ profectibus retinente. Contigit interim Vincentium Rodericium, magnũ illum poſtea Braſiliæ operarium, & Gonſalvum Sylveriam etiam in Monotopa Martyrem, gravi ægritudine ad extrema deduci, quorum priori ſolus Simonis paternus amplexus, huic tamen Sacrum pro eodem dictum, plenam, durante adhuc Simonis Sacrificio, ſanitatem reſtituit.

Revocatus poſt hæc ab IGNATIO Romam, & Tarraconenſi in Hiſpania Provinciæ datus Præpoſitus, tentari ſubinde iterum cœpit ſolitudinis & vitæ Anachoreticæ deſiderio, atque ab Societatis & IGNATII obedientia, quem ſibi minùs æqvum eſſe impulſu Sathanæ perſvadebat, velle per Pontificem liberari. Sed IGNATII ſapientiâ in cœpta vocatione confirmatus, cùm gravem jam ætatem gubernationi & laboribus imparem ex vero prætenderet, DEO & ſibi annos poſtremos impendere permiſſus eſt, partim in Hiſpania, partim in Luſitania; ubi demum, uti dicemus, diem clauſit extremum Ulyſſipone. Eo ex tempore, quod à primis ſpiritûs incunabulis in conſvetudinem perpetuo uſu roboratam induxit, acriùs perrexit duriter, hoſtilitérque carnem accipere, rudi ac præparco cibatu, neque cubatu commodiore, quotidianâ & immiſericordi verberatione, ſetis ad nudum appreſſis, ceteríſque aſperitatibus utens. Earundem amorem, & nimiam propè frequentationem, in uſum Sociorum per Luſitaniam ità induxit, ut nullibi per Societatem majore numero, eæ præſertim, quæ in oculos publicè incurrunt, magíſque exoticæ uſurparentur, ac proinde freno quodam indigere S. Patri viderentur, coacto ad Luſitanos Patres & Fratres ſcribere auream illam de Obedientia Epiſtolam, quâ diſcerent aſperitates ejuſmodi ad Obedientiæ

Leges revocare, à qua pretium omne & valorem apud DEUM acciperent. Demiſſionis ſanctæ cultor eximius fuit, cujus præclara documenta ſemper quidem, ſed tum maximè edidit, cùm obijſſet Georgius Almeida Conimbricæ Epiſcopus. Joannes ſiquidem tertius Rex Luſitaniæ, optimum factu cenſens, ſi in eam ſedem Rodericium eveheret, certus neminem ſe habiturum adverſarium, præter unum ipſum cui acerrimè ſtudebat, rem apud Pontificem jam propè perfectam Rodericio inſinuat. Perculſus non improviſâ magìs, quàm exoſâ denunciatione Pater, repugnando, obteſtandóque cum lacrymis, uſque adeò conatus eſt, donec ſapientiſſimum Regem, ſuíque amantiſſimum ad deditionem coëgit: & tamen tunc dignitatum ejuſmodi Eccleſiaſticarum admiſſioni neque Legibus Societatis, neque voto Profeſſorum cautum erat. Præceptor educando Regis Filio datus, quotidie ad Aulam cum Socio itabat pedes, veſtem uſu detritam & vetuſtam ſemper indutus: exprobrantibus indignum Regis Magiſtro ornatum reſpondere ſolitus, nunquam audiſſe ſe ex cultu Præceptoris Inſtitutionem pendere diſcipuli, ex lacero viliq; pallio poſſe perinde aurea præcepta explicari. Ad iter conſectando Principi ex neceſſitate ſuſceptũ, remiſſis generoſis ac decenter inſtractis è ſtabulo Regis equis, clitellario aſello, eóque fortuito & conductitio utebatur. Accidit aliquando, ut per iter in magnum quendam Præſulem ità vectus incideret, is ad improviſum ſpectaculum ex equo deſiliens, & non ſinè benigna quâdam indignatione dequeſtus Regium hac ratione munus dehoneſtari, mulam phaleratam inſcendendam obtulit, quâ ſi non ſui, Regis certè ratione habitâ reliquũ iter decentiùs, honeſtiúſque conficeret. At Rodericius quàm comiter tam fortiter deprecatus, *te verò*, reſpondit, *ignorare non arbitror, quantum honoris in ipſo honoris neglectu poſuerit DEUS, quantáque celſitudine humilitatem ſanctam ornaverit: æqvum igitur eſt, ut Majeſtatem Regiam, quando prætera in me nihil eſt tanto faſtu atque faſtigio dignum, hâc unâ certè quâ poſſum demiſſionis ſublimitate cohoneſtem.* Porrò hanc ipſam in luce regalis Aulæ neceſſitatem commorandi, purgatorium ſuum merúmque carcerem vocitabat: duo ſibi in vita moleſtiſſima accidiſſe dicens, alterum, cùm excidit expeditionis Indicæ ſpe, proximum, cùm inter favorem Potentum, mundíque ſplendorem verſari coactus eſt. Quem ut ſui contemptu quomodolibet ludificare-tur, ſæpe per loca magìs publica ſordidatus incedere, ſublatâ in humeros ollâ, pulmenta ad eos qui carcere attinebantur deferre ſolebat. Cùm verò multò pòſt Sebaſtianus Rex, Rodericium ex Hiſpanico receſſu revertentem Uliſſiponem, miſſo ad eum Urbis Archi-Epiſcopo accerſeret, ut confeſſionibus Regijs aurem præberet, id ille munus ætatis, valetudiníſque prætextu efficaciter deprecatus planè excuſſit.

At non tantùm ambitionem à Simone non excivit honor, ſed nè cupiditatem quidem allexit aurum. Nunquam tanto Regum ac Principum favore & gratiâ ſibi, aut conſangvineis, quos in Luſitania habebat plurimos, quidquam à quoquam aut ultro petijt, aut oblatum acceptavit. Imò memoriam amicorum omnem tam procul habuit, ut cùm fortè Viſeum tendens, Bouxelam neceſſariò patrium ſolum raderet, nullis Sociorum precibus pervinci potuerit, ut illic deflecteret, quò ſororem agnatóſque alios, quos viderat nunquã ex quo primùm ad ſtudia Pariſios diſceſſerat, ſalute ac pio ſolatio impertiret. Verùm cùm aliquando Conimbricenſe Collegium ultimâ egeſtate premeretur, perſvaſit ipſe demum ſibi, quoniam DEI cogebat obſequium, ut illud ſubſidij alicujus causâ commendaret Regi. Hic quâ erat animi magnitudine, & in Societatem benevolentiâ, 100000. numorum, in eam rem ſtatim numerari juſſit: quam Regis liberalitatem quâ par erat gratiarum actione æſtimans Pater, ex ea 17. tantùm millia acceptavit, ſatìs id præſenti levandæ difficultati fore teſtatus. Cùm verò mox per eos dies increbuiſſet de Turcarum in ditiones Regias irruptione, & Pater adverteret Regem pecuniâ in ſuſtinendum bellum opus habere, eam ipſam nuper à Rege acceptam iterum repræſentavit, cauſatus publicis neceſſitatibus privatas poſthaberi decêre; ſe verò, ſi quid juvare poſſent, ſuorum non modò vivendi anguſtias; ſed vitas etiam ipſas oblaturum. Miratus Rex illam proprij compendij præ alieno negligentiam, uſus eſt in rem præſentem pecuniâ tam amanter oblatâ, mox tamen amplificatam rependit, jactis Collegij Conimbricenſis in ingentem amplitudinem fundamentis, collocatóque magnificè reditu annuo in perpetuum Religioſorum alimentum. Nec minùs purus Simoni, minúſque intactus turpium voluptatum animus fuit, ſed illibatus viguit ad occaſum uſque vitæ Virginitatis Angelicæ flos. Pariſijs, dum in primo ætatis fervore literis operam daret, procacem domi puellam

puellam non verbis modò sceleri palàm lenocinantibus, sed factis etiam impudicis ac vi nefariè lacessentem, ità rejecit, ut se veneno intactum ex impuris amplexibus expedierit. Aliàs per Gallias dum iter haberet, inverecũdæ frontis puellam pellicientem impotenter ad facinus, magnâ voce latrones imminere inclamans, injecto per pudicam ludificationem metu in fugam abegit. Ravennam in Italia cùm aliàs transiret, stipémque vicatim pauperum more corrogaret, incidit mendicando in ostium ignotæ domûs, jussúsq; conscendere, occurrentes ex insperato, vidit mulierculas tres meliore formâ, libidinem verbis ac vultu toto spirantes: ad earum conspectũ tanquam viperarum retrò resiliens, præcipitem sese de gradibus ad imum usque vestibulum dedit, ibíque subsistens cœpit tantâ Divini spiritûs copiâ de pudicitiæ bono dicere, ut petulantes fœminæ suismet retibus captæ, atque ad seriam criminum pœnitentiam reductæ sint. Una præcipuè tacta divinitus cùm lachrymarum vim ingentem profunderet, statuit non modò turpitudine, sed turpitudinis etiam sede relictâ, Romam cum Rodericio proficisci, ut novo sub cœlo novum ac sanctius institueret vitæ genus; nisi Rodericius solitariam mulieris comitivam cautè effugisset. Quod detractum Orco spolium quantopere dœmoni doleret, clarè prodidit, dum eo spiritûs impetu ad perditas perorantem Simonem, specie effœti & edentuli senecionis in atrium ingressus, à cœpta dictione omni conatu, non sinè stomacho & contumelijs injectis, avertere conatus est.

Et verò tantus illius fuit, alienæ salutis ardor, ut privata vitæ commoda omnia posthaberet, nihílque expeteret vehementiùs, quàm ut inter subducendos ab dœmonis servitute populos vitam ipsam sangvinémque profunderet. Terrarum totum orbem votis complectebatur: & quantùm se ad aulam, veluti carcerem infrenari obedientiâ dolebat, tantùm illuc animo, quo pluribus à Xaverio epistolis invitabatur, animo anhelabat. Neque tamen Aulâ se concludi, quam verbis & exemplis ad exactam Christianæ Legis observantiam adduxit, ità patiebatur, quin consvetudinem suam retineret ætate jam & famâ provectior, concionandi & catechisandi sub dio & in plateis, excurrendi ad rudes Evangelio imbuendos, excolendi nosocomia pauperum ac miserorum, omni obsequiorum genere illis inserviendi, atque eadem inter illos per vices incolendi. Hoc enim postremum illi præcipuum semper ac proprium ab initio fuerat, ità oculis Divinis acceptum, ut duplici simul miraculo aliquando repensum fuerit. Venetijs siquidem in Xenodochio SS. Joannis & Pauli solandis, curandísque ægris operam dante; nocte jam adultâ, leprosus ad fores ejulatu miserabili admissionem petijt, iterum ac tertiò à Præfecto rejectus, quòd nullus vacuus adesset recipiendo lectus. Extorsit tandem intercessione suâ Simon ut intromitteretur, & proprio cubiculo recepit, séque illi ad latus unà composuit. Mirum dictu, dilucescente die cùm evigilâsset, adeò videri leprosus desierat, ut neque in lecto, neque in reliqua domo appareret; affirmantibus cunctis, sibi illum neque visum fuisse: intelligerétque facilè Simon, altiori se hospiti cuipiam misericordiæ opus præstitisse. At vicissim Pater in ejus prœmium reperit se leprâ contactum, turpíque velut squamularum tabe toto corpore coopertum. Lætabatur ille quidem oblatâ occasione tolerandi aliquid obsequio charitatis; sed respectu Sociorum, quos suâ causâ mœstos videbat, contagione potiùs alieni doloris, quàm suamet ipse jactabatur. Cùm DEUS promptâ fidelis servi voluntate contentus, morbum sustulit: nam evanescentibus repentè sponte suâ pestiferis pustulis, postero die Socijs non mirantibus magìs, quàm gaudio gestientibus, incolumis ac valens lecto surrexit. Hoc porrò ardore in aliena cùm animæ, tum corporis salute curanda, non ipse modò flagrabat, sed ut eodem omnes simul Socij inflammarentur, spiritu eum suo ventilabat. Legem suis inviolabilem sanxit, ut si quis domum rediret, nemine externorum pijs alloquijs per diem excitato ad meliorem frugem, is ad mensam accedere nè priùs auderet, quàm culpâ Superiori nudatâ veniam impetraret cibi sumendi, quo se per eum zeli defectum indignum fecisset. Expeditiones Evangelicas in pagos, oppida & Urbes, crebrò suscipiebat ipse, & suis imperabat, eâdem quâ ipse obeundas ratione: ut nimirum pedites ingrederentur viatorio scipione, rejectâ in humeros scriptorum & sacri apparatûs sarcinulâ, receptu nonnisì apud hospitalium pauperum tecta quæsito, victu ostiatim emendicato.

Mittebat etiam non raro Socios nocte intempestâ in fora & Urbis plateas, qui sonorâ & terrificâ voce inclamarent: *infernus, infernus his, qui mortali obstringuntur crimine!* aliòs verò sub vesperam, ut medijs in trivijs compitísque magìs frequentibus voce elatâ incul-

inculcarent: *heu heu peccatores, à peccando jam desistite, cùm vobis moriendum sit!* Nonnullos eodem modo in mediam hominum turbam immittebat, qui contentis vocibus identidem ingeminarent: *terra, terra, ad forum adsis, auditura verbum salutis.* Cúmque ad dicendum unus aliquis è Collegis haud imparatus ad dicendum accederet, conscenso tumultuario pulpito sermonem instituebat de tremendo judicio, supremo vitæ die, vel reddenda ab unoquoque DEO ratione. Quibus tum sermonibus, tum clamoribus, multi intimo dolore saucij, ab inveterata peccandi consvetudine abducebantur, alij abdicato seculo Religiosis se abdebant claustris; denique Conimbrica & Olissipona tota frequentiâ Sacramentorum cuivis Urbi alteri proponi poterat in exemplum. Nec minora e spiritualium Exercitiorum secessu cernebantur in animis lucra, cùm ex eis tam commutati homines prodirent, ut miraculo pariter & excitamento ceteris viderentur: quippe tanto ardore animi magnalia DEI loquentes audiebantur, ut in eos aptè jactaretur à quibusdam: *musto pleni sunt isti*; & in vulgo pervasio esset, quæ valde toto regno percrebuit, qui apud Simonem & Patres semel exercerentur, eos sæpe miras visiones habere. Quæ fama ipsum quoque Cardinalem Henricum, eundémque supremum in hæreticos Inquisitorem tandem impulit, ut per hominem Fidelissimum, Rectorem Familiæ ex Familia S. Hieronymi, dissimulanter, & sinè Societatis nota, in eos qui exercerentur inquireret; Is dum facit imperata, inventus est, qui mira omnino visa in Exercitijs sibi objecta fuisse diceret, & quidem horrifica. *Inter quæ memetipsum,* inquit, *inprimis vidi, quem nunquam antea probè videram, monstrum terribile & horrendum.* Ità dum investigatur improbitas, probitas illustrata est. Neque hic ardor emicabat solùm in civibus, & communi hominum sorte, sed in Aula potissimùm ex primis ejus Ministris ac Nobilitate, quam Rodriguez per occasionem Regiæ educationis, quotidianis sermocinationibus & consilijs in eam virtutis provexit maturitatem, ut res omnibus, qui ante hac Curiæ mores noverant, summæ esset admirationi.

Hâc virtutum indole, collectáque ex ea apud Regnum & Proceres famâ & reverentiâ, ad vitæ metam, non ætate gravior quàm meritis tandem accessit. Jam per assiduos pro DEO & animarum salute susceptos labores fractus planè viribus erat, jam macerandæ carnis ac spiritûs domandi curâ per afflictiones immodicas, modicissimi; & incommodi somni, ad nihilum propè senilia membra redegerat; cùm in febrem incidit lentam & diuturnam, quâ debilitatos jam per se satis artus adeò extenuavit, ut mera nervorum ossiúmq; compages tenui inductâ cute videretur. Nunquam tamen toto illo valetudinis tempore, qui annum excessit, persvaderi passus est sibi, ut voluntariæ vexationis, pœnarúmque usum aliquâ indulgentiâ temperaret, vel saltèm depositis corpore vestibus quietem nocturnam caperet. Medicos morbi & cruciatuum cōscios, invicta Viri patientiâ in summam admirationem rapiebat; sed hos illi cœlestium dulcedinum abundantia, & pietatis liquidissimæ copia penitus hebetabat, ut insensibilis appareret. Svavissima cum DEO colloquia assiduè miscebat, neque parcebat gemitibus & lacrymis, quibus lacessebat beatam æternitatem, & moram omnem terrenæ habitationis deplorabat, illis identidem Prophetæ usus verbis: *hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Sæpe IGNATIUM, optatissimum vitæ Socium, ac verissimum parentem suum implorabat apud DEUM intercessorem: dum tandem ad expectatum obitûs imminentis nuncium velut reviviscere gaudio visus est, eáq; frontis fiduciâ, quâ ceteri recuperatam sibi valetudinem gratulantur, ipse nuncium desperatæ vitæ accipere. Sed comperto, superfuturam adhuc vitam ad recrescentem usque lunam, licèt proximè hæc abesset, inexplicabili tamen dolore dictum accepit, sublatísque in cœlum amarâ quadam dulcedine oculis, *itáne verò,* inquit, *Domine mecum agitur? tamdiúne quæsitissimo conspectu tuo carendum mihi est? veni age Domine, veni DEUS animæ meæ, neque cunctare diutiùs!* Tum domesticos omnes rogavit, nè ultimis his diebus se inviserent, sed solum cum DEO agere paterentur: quorum diu noctúque vix ullum momentum elabi permisit vacuum svavissimis alloquijs, quasi nullo dolorum sensu tangeretur. Atque inter hæc præsumpto cœlesti viatico, sacróque inunctus oleo animam exhalavit 15. Julij Anno 1579. justáque illi celebrata tanquam publico parenti publico luctu, magnâ hominum ac præcipuè Procerum utriusque Ordinis frequentiâ. Eo ipso noctis intempestæ puncto, quo spiritum DEO reddidit, vir quidam gravis in Urbe ac pius, inscius quid domi nostræ ageretur, conspexit lucidissimum radium illi imminere, ex cujus aspectu sensit in animo liquidissimam excita-

ri

ni voluptatem. Manè primo ad Ædem nostram, scitatum ex Patribus interpretamentum inexploratæ rei, accurrens; cùm & momentū visi splendoris, & locum tecti, cui imminere lumen apparuerat, designâsset, utrumque cum decessionis hora, & situ cubiculi morientis Simonis congruere deprehensum est; ut dubitari non posset, quin illustre prodigium argumento esset gloriæ, quam præclarus ille animus in cœlo sortiretur.

Plura ejusmodi supra naturam mira de Simone pervulgata sunt, atque inprimis vaticinio ab ipso prædicta; quæ uti prænunciata sunt, tandem evenêre. In Lusitaniæ oppido non incelebri, cui nomen à Comite, Vir gravis Dionysius Pintus, causísque orphanorum cū arbitrio & potestate judicandis Præfectus, persanctè testatus est, tria sibi à Rodericio quondam disertè prænunciata fuisse: quæ cùm nullam sui tunc spem speciémve præberent, omnia tamen non sine admiratione evenerint. 1. Sibi Conimbricæ Theologiæ, Sacerdotij recipiendi causâ, vacanti, apertè præcinuisse, nè se falsò deluderet, nunquam enim Ecclesiastico Ordini sese dicaturum. 2. Fore, ut non multò pòst in oppido Comitis (cujus ipse neque nativus erat, neque futurum se aliquando incolam præcogitabat) domum sibi à fundamentis extrueret, in qua vitam cum uxore & liberis honestè transigeret. 3. Eadem in domo se illum opportunè visurum, summáque utriusque animi voluptate conventurum. Addebat, duo priora tempestivè successum habuisse: postremi, cùm à prædictione multum jam ævi excessisset, non modò spem sibi omnem, sed etiam memoriam, præsertim in Italia & Hispania longè agente Simone, ità excidisse, ut hujus eventûs mora, duobus alijs apud se fidem, tanquam fortuitò ità evenientibus, abrogaret. Cùm 30. post annis, nec opinatò insperatóque apparentem, ea ipsa in domo repentè in conspectu suo stetisse, vix ut oculis suis, quod viderent, crederet satis. Aliquando per Urbem inambulanti primaria è Nobilitate puerulus fortè occurrit, quem ille Socijs comitantibus designans, *is quidem*, ait, *Societati nomen dabit; scitote nihilominus eundem gravissima Illi turbamenta publicæ quietis consciturum.* Ingressus Societatem aliquot pòst annis adolescens, annis plus quàm 30. laudatam in ea vitam egit; cùm 40. à prædictione anno, fœda tandem ab illo erupit in Societatem tempestas, & verbis, & scriptis infamibus ab eo conflata, quæ nonnisi illius ab Societate expulsione, delatione ad Inquisitionis Quæsitores nominis; publicatq; ab Judice pronunciatione sententiæ difflari potuit. Supremis jam vitæ annis rogatus Simon à ternis Novitijs, ad peregrinationis experimentum pro Societatis more discessuris, ut eis bene precaretur; duorum ex illis ab Societate defectionem, & tertij constantiam non falsus Vates præmonstravit. Plurimis etiam mentis illustrationibus sub vario schemate, modò florescentis una ex parte, ex alia verò silvescentis vineæ; modò arboris proceræ & pulcherrimæ, cujus ramis vitis fæcundissima racemos suos implicaret, docebatur præsentem Ecclesiæ statum, & Societatis profectum: nec minùs inter recitandum Sacerdotale officium abundantibus spontè lacrymis, per altum mentis excessum alienabatur à sensibus, ut intersistere diu cogeretur, donec illa cœlestium deliciarum quasi alluvio deflueret. Aliquando inter recitandum ea Psalmi verba, *adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* repentè per quandam extasin in ipsam Reginæ Virginum pulchritudinem videndam raptus, molem membrorum animo sublevante, pectorísque incendio vultum inflammante, erectis in cœlum oculis, in sublime subductus est à terra.

Neque donum curationis & sanitatum illi defuit in vita, & post mortem, qui tot animarum millibus salutem procuravit. Unum duntaxat à morte gestum pertexam. Vitus Linerus Societatis Sacerdos, erat è Provincia Superioris Germaniæ, qui veniâ Superiorum peregrinatus ad S. Jacobi sepulchrum in Hispanias, cùm Olyssiponem venisset, baculum, quo Rodericius ad missiones Evangelicas uti, & postmodum senilem gressum fulcire solebat, impetravit. Ventum est ad Lavarem oppidum ad Vaccæ fluminis ostia (Averum Indigenæ dicunt) conductúmque in eo diversorium, in quo puer jacebat ex ægritudine lethali à Medicis & Parentibus planè depositus. Hic ubi Vitum, inque ejus manu baculum conspexit, oculis, nutu, voce, totiúsque corporis gestu, ac porrectis extra cubile brachijs, dari actutum sibi ad manus scipionem flagitavit: quem Vito promptè tradente, atque ad spem pueri incendendam affirmante, usui quondam illum fuisse Viro sancto; puer avidissimè correptum novo ardore complecti, osculari, atque ad pectus & vultum applicandi finem nullum facere. Res non visu magis quàm auditu mirabilis. Ad baculi attactum puer, qui tum cùm accepit, propè animam agebat, momento velut revixit, atque in integrum

grum valetudinis restitutus cunctis cernentibus, ac præ rei novitate in stuporem actis, lecto se proripuit, cœpítque per cubiculum pedibus subsilire, perinde quasi nullo unquam morbo tactus esset. Igitur baculum tanti instrumentum prodigij noluit in futurum Vitus usui cuiquam, sed omnibus religioni esse, reverentérque ab humeris suspensum in Germaniam detulit; multáque alia in tam longo itinere divinitùs sibi collata beneficia, tam fido comiti accepta retulit: prodigij autem gesti legitimum documentum idoneis testibus, solenníque cetero juris apparatu, ac publici Notarij auctoritate confectum est.

Ex Historia Societatis & Lusitaniæ P. Balthasaris Tellez, & Tomo 5. Hispanico de Viris Illustribus P. Alphons. de Andrade.


P. Petrus Mascarenia, è prima Regni Nobilitate Lusitanus; Cum alijs è Societate 17. navatâ insigni contagiosis per Lusitaniam operâ, compendiosâ morte Vitam æternam lucratus. Ulyssipone Aº. 1579. 20. Septembris
J G Heinsch. del. 33. G.C. Insbr. sc.

P. PETRUS MASCARENIA cum Socijs 17.


RARò contingit magnum infortunium esse solitarium, sed veluti catena malorum invicem trahentium annulis contexta, motô unô, reliquos pariter excitat ad sequendum. Ceciderat infausto prælio contra Barbaros in Africa cum Nobilitatis flore, Sebastianus Lusitaniæ Rex; improlis, & Regiæ stirpis postremus, in Patruum Henricum Cardinalem devoluto Regno; cùm

cùm anno mox insequenti 1579. atrox coorta pestilentia graviter Lusitaniam biennio ità afflixit; ut in plures deinceps annos, velut à cineribus reviviscens, extingvi penitus haud potuerit. Primus in certamen contra hostem, à cervicibus Civium Ulyssiponensium depellendum, prosilijt P. Petrus Mascarenia, Lusitanus & ipse, atque è prima Regni Nobilitate; Societatem ingressus Anno 1559. 6. Sept: suo exemplo tres in eandem suos Fratres post se pertraxit, Franciscum immaturâ morte juvenem sublatum, Antonium, & Nunnium, præter alios in Provincia Magistratus, Assistentium Romæ pariter perfunctos muneribus. Quintus item Frater Martinus Algarbiorum Episcopus, & supremus Inquisitor, Societatem suo semper præsidio fovit, & doctissimo de Divina gratia & auxilijs commentario protexit. Petrus autem, cùm esset apprimè temperatis moribus, ingenio facili, mirabili comitate, mirificè amores omnium domi & foris sibi conciliabat, etiam in Materiam Insulam missus, ut eam consvetis Societatis munijs excoleret. Verùm domesticis in patria laboribus zelo suo, & ardentissimæ adversorum & miseriarum siti minimè satisfaciens, Missionem in Africam, ubi Mauros pareret Ecclesiæ, magnâ contentione flagitavit: jámque illi Algerium decretum erat, neque mora trajiciendi alia, quàm dum in eam provinciam necessaria compararet: cùm interim Ulyssiponem acerba pestis incessit. Hìc ipse, ut erat in omnem præclarè agendi occasionem intentus, non censuit in Africa sibi, quod domi hærebat in manibus, esse quærendum. Itaque primus Sociorum se Moderatoribus exhibuit, qui lue tactorum obsequio, ab aliorum consortio segregatus, exponeretur. Ibi quàm multa digna suo spiritu, digna DEO, bimestri spatio præstiterit, incredibile dictu est: nam & *domum salutis* (ità nosodochium contagiosorum vocabant) perlustrabat dies noctésque: scrutabatur Oliveta latè circùm Urbem arboribus consita, quibus advoluta passim reperiebantur opis egena ægra corpora, partim ab habitaculis metu contagij ejecta, partim improvisâ ulceris violentiâ, prout vis mali repentè quem oppresserat, humi prostrata. Quóque fœdior illuvie quisque, aut aspectu tetrior erat, eò familiariùs ipse assidere, solari, in hospitium commune, si posset, deducere, in spem & desiderium æternorum excitare. Admirationi fuit non tantùm Civitati & Aulæ, sed ipsi Regi Cardinali Henrico ejus animi firmitudo in ea adeunda procuratione, constantia in prosequenda: quem ubi oneri laboríque fractum succubuisse intellexit, eo ipso die Ulyssiponem suum amisisse præsidium edixit. Ad extremum, quando jam lue conceptâ propè novissimos reciprocabat anhelitus, rogatus ab adolescente Nobili Mauro, ex Regno Maroco Lerisij agnato; ut sese, quem antea jam Catechismo Fidei Christianæ paraverat, undâ salutari ante mortem ablueret: incredibili delibutus gaudio, semianimis, ùt erat sui negligens, totas illas, quæ reliquæ adhuc erant connisus in vires, juvenem baptismo expiavit, & cœlo confestim ante se transcripsit; neque longo intervallo secutus, die 20. Sept: è vita decessit. Ex socijs in sancto opere illi additis, P. Ferdinandus de Brado, Lusitanus Bracarensis, Vir salutis animarum cupidissimus, in eodem certamine vitam pariter honestissimè amisit ad diem 21. Augusti, anno ætatis 57. initæ Societatis 30.

Quia verò neque hyeme interrupta contagio labores Socijs in annum etiam sequentem 1580. continuavit; novem ex ijs, Ulyssipone duntaxat, gloriosâ morte decerpti sunt. Antonius de Abreo, ad diem 16. Januarij; Alexander Cælhus, ex oppido Arragolio, quē sibi DEUS à prima infantia mirabilibus modis ad hanc gloriam servâsse visus est. Patrio enim in vico mulier honesta molossum conspicata, grandius aliquid fascijs involutum faucibus portantem, abegit, prædam eripuit, & infantem ægrè jam ducentem animam deprehendit, quem ad baptismum illicò delatum educavit pro suo. Aliquantò pòst aheno bullientis aquæ tantùm non exustus est. Adolescens stipendia fecit militiæ per Evropam, & ad Echinadas in Turcas pugnavit: ubi puellæ pudicitiam à Commilitonum vitio, datis suis armis, redemit: cúmque alijs comparandis sumptus non adesset, relictâ militiâ domum reversus, Societati nomen dedit; ínque ea multis stipendijs & probatissimis moribus conspicuus, gloriosè cecidit 27. Febr: Secundùm hunc ad 30. Martij occubuit P. Petrus Correa: & mox ad 3. April: Andreas Annes, Coadjutor: cujus egregia virtus quanto fuerit dœmonibus odio, indè constitit, quòd eum multis diu dirísque vexavêre modis, feriendo, tundendo, sæpe in aëra sublimem jactando, quanquam virib9 & vastâ corporis mole prævalidum; ut prono lapsu affligeretur ad solū. Ipse principiò hisce turbari intemperijs, & velut alienatâ mente incedere: sed à Rectore Leone Henrico confirmatus, & hostem do-

ctus contemnere, atque oratione abigere: utì antea semper in lucta & tot lapsibus indemnis absque noxa evaserat; ità deinceps omni fuit infestantium spirituum molestiâ planè liber. Accidit aliquando, ut vinum ex officio in cella de vase promentem, impacto colapho dæmon prosterneret; cúmque Socij moram ipsius mirantes descendissent, ipsum quidem humi collapsum; sed vinum, quamvìs epistomio extracto, constitisse deprehenderunt, simul atque cantharus, quem ille foramini supposuerat, impletus fuisset. Eodem Aprili excessit P. Ludovicus Henricus, Hispanus, natalium & virtutum splendore illustris. Annum agebat vitæ 40. tria in Societate vota solennia professus, & toto semestri in contagiosorum obsequijs indemnis: haud alio utebatur antidoto, quàm aquæ lustralis aspersu, quam secum ubique gestabat in ampulla. Tandem autem contagione afflatus; cùm vespere, quia nullum in proximo instare videbatur periculum, solus esset relictus, manè mortuus repertus est; Crucifixum è vicino correptum, arcto stringens complexu. Denique mense Majo, sed æquè nullius comperto die extincti fuêre P. Michaël Vaz, P. Laurentius Fonseca, P. Balthasar Esteves, & Ruizius Gomez.

Sed & Eboræ hoc anno sæviens pestilitas, ausos se ad salutem proximi in murum opponere athletas, glorioso prostravit casu: primum quidem ineunte Junio, Martinum Alvarez, magnæ expectationis, & in virtute profectûs adolescentem, septimo vitæ Religiosæ anno. Quem ejusdem mensis die 7. consecutus est P. Franciscus Rodriquez, Ulyssiponensis. Et iterum ad diem 17. P. Gaspar Rodriquez, Eborensis; qui duo millenos ægros suâ curâ in suburbano Lazareto complexi, præclara edidêre facinora, donec triumphabundi concidêre. At è selectis ad suppetias intrà Urbem prostratis ferendas, Augusto mense desideratus est P. Laurentius Frestas Ulyssiponensis, qui post latinas literas annis 7. Philosophiam 8. doctas, Ecclesiastæ & Theologiæ moralis cathedrâ, magna cum laude fructúq; tum potiebatur: sed advertens miseros ferè omnes à suis desertos Pastoribus prosterni turmatim, & inexpiatas exhalare animas, salute suâ pro communi neglectâ, omnium ferè unus obibat partes: ipse corrogare sub portis & fenestris distribuenda in pauperes; idem delata dividere, infantibus & pupillis sedulò receptum prospicere; idem animas & corpora remedijs omnibus curare, extincta verò tumulis condere, operâ, alloquio, solatio omnibus præsto esse: meritus ut tantâ ejus charitate in stuporem adducta Civitas, funus ejus luctu propè publico grata decoraret. Nec inferiora Conimbricæ per idem tempus in sævientem mortalitatem egêre Socij, ubi è duobus in publico extra muros nosocomio magnâ voluntate deservientibus, unus consumptus est 2. Aug: P. Antonius Mendez Lusitanus Eborensis, ætatis anno 34. Societatis 19. Cùm verò neque tertio anno 1581. contagio plenè resedisset per Lusitaniam, & Porti etiãnum supra septem hominum millia octo mẽsium spatio messuisset: in his etiam Sacerdotes è nostris duos, qui suum studium affectorum animis corporibúsque juvandis dicaverant, abstulit. P. Joannem de Costa 15. Aprilis, & P. Joannem Perez 31. Maij: reliquis in vita, DEI benignitate servatis. Eos aliquando cùm inter lángventium turmas laboriosè discurrentes vidisset Urbis Tribunus, cùm reliquos ferè Sacerdotum ab Urbe expulisset contagij metus, ad Cives conversus, *en,* inquit, *ij, quibus in recipiendis ad Urbem tam difficiles sese majores nostri præbuerunt; ecquod aliud haberetis nunc in extrema miseria perfugium?*

Ex Victimis Charitatis P. Alegambe, & Anno Dierum memorabilium P. Joannis Nadasi.

P. RODERICUS GONZALEZ.



UT incomprehensibilia DEI judicia cum Apostolo gentium admiremur, & investigabiles ejus vias, quibus Electos suos ad salutem deducit, veneremur; tradendo eos quandoque exercendos dæmonum potestati: juvat hìc referre id, quod cum P. Roderico gestum est. Fuit is ortu Hispanus, ex Diœcesi Palentina, jámque altiorum disciplinarum Licentiatus, & in Universitate Complutensi trium lingvarum Professor, & Orator insignis, Societatem ibidem complexus est. Eandem Rhetoricæ facultatem deinde publicè Madriti professus, constantem simul operam navabat habendis ad populum concionibus, magno animarum, quas è cœno vitiorum extrahebat, proventu: unáque assiduus erat in audiendis confessionibus, unde illi occasio conscitæ à dæmone mortis. Accesserat



P. Rodericus Gõzalez Soc: Iesu, Hispanus, ardens Ecclesiastes, et magicarum præcipuè artium felix extirpator: Dæmonis idcirco odio sibi conscito, dirè confractis membris et costis propè ad mortem compressus, obijt Madriti 12. Iunij 1580.

34.

rat illum, pœnitentiæ causâ, mulier malefica, quæ præstigijs suis ingentia damna Regiæ, Aulicis inferebat: huic Pater cùm à tantis sceleribus absolutionis gratiam conferre sanctâ obstinatione abnueret, nisi nuncio malis artibus seriò remisso, magica simul amuleta & instrumenta omnia abdicaret. Et fuit potens adeò Patris persvasio, ut dœmonis commercij ex animo pertæsa, universa quæ illius usa magisterio domi habebat, in manus Patri traderet. Deliberaverat primùm hic flammis ultricibus omnia abolere; at postmodum ratus, pejùs dœmoni horum auctori se facturũ, si ejus spurcitias inter sordes in locum immundissimum abjiceret, in Collegij latrinam præcipitavit. Videbatur eo contemptu, tótque simul animabus è suis ungvibus operâ Patris ereptis, dœmon in furias actus; prout ex eventu, quo animam ipsi elisit, luculenter patuit. Die ascendenti in cœlum CHRISTO Domino sacrâ, quæ erat 13. Maij, A. 1580. dixerat pro concione in Angelorũ apud Sanctimoniales Parthenone, fervore & spiritu præter morem ad summum animorum motum incenso, quasi præsagiens dictionem illam postremam fore: domúmque circa meridiem redux, permittente ità ad patientiam servi sui coronandam Domino, à dœmone eo ipso loco, quo magicas ejus artes demerserat, furiosè arreptus, & duas inter tabulas veluti prælo inclusus, tantáque immanitate constrictus est; ut corpore toto gravissimè attrito ipsas costas distringeret, solo ex membris omnibus capite indemni relicto. In ea tortu-

tura gementem fortuitò unus domesticorum transiens audivit, secutúsque anhelantis vocem, deprehendit ipsum inter eas tabulas penitus contritum & quassatum: quem, plures domestici in auxilium evocati, indè semianimem sublatum, lectulo reposuêre.

Deprehensa tunc in confracto corpore sunt ingentia vulnera, ossáque omnia concussa, è quibus immanes cruciatus toto mense sustinuit, invictâ semper patientiâ, & cum voluntate DEI conformitate, cui nunquam desinebat gratias pro beneficio tam præclaræ mortis sibi indultæ referre, qualis erat nex à capitali omnis boni hoste, odio aboliti maleficij, crudelissimè illata; pro qua certam à DEO mercedem sperabat. Munitus ad optatam æternitatem omnibus Sacramentis, magnâ quiete & animi pace decessit 12. Junij, anno 1580. cum annos in Societate vixisset tantùm 12. Ejus meritis pia fide attribuit Collegium Madritense, quòd ab ejus inde obitu nullas mali genij, spectrorum, aut maleficiorum patiatur infestationes, prout aliàs sæpius experiebatur; adstringente nimirum Domino vim dæmonis, ne illam perindè ac alibi in DEI servos exerere possit. Et quidem hoc ipsum fassus est (si quæ tamen fides tam mendaci Genio haberi potest) uni Sociorum dæmon, quem in alijs Collegijs pessimè multis verberibus & illusionibus accipere solitus, Madriti tunc habitantem, extra Collegium præstolabatur, ut malè tractaret, dicens, non licere sibi intra eam domum quidquam noxæ alicui inferre, ex quo in ejus Templo ante annos 50. sepultus est Sacerdos, capitalis ipsorum hostis, qui erat P. Rodericus.

Ex Niercmbergio Tomo 4. Hispanico de Viris Illustribus.

P. ADRIANUS ADRIANI.



Religiosissimus Vir Pater Adrianus, natione Belga, Patriâ Antverpiensis fuit, mentis puritate, candore ingenij, prudenti simplicitate, & nullo prorsus in tot dotibus supercilio, spectabilis. Ad Societatem se adjunxit Lovanij anno 1544. ubi nostrorum deinceps curam per multos annos, licèt nullum tum adhuc Collegium, aut reditus ibi haberet Societas, gessit in summa paupertate, alimentis corrogato undique conquisitis eosdem, dum studia prosequuntur, sustentans. Calumnijs non semel acerbissimis impetitus, quin & carceres perpessus, tantâ animi constantiâ simul & moderatione, ut & æmulos Academicos puduerit detectâ falsitate criminationis: quorum nullus auctor injuriæ videri volebat; & ipse nihilominus tanquam offendisset, veniam facti demissè petierit. Ex eo tempore, præter insignem patientiæ coronã, quam Adriano DEUS in cœlo texuit, auctus deinceps confitentium est apud Patres numerus mirum in modum; sic, ut rogatu Parochi in Æde S. Petri, totius Urbis Principe, obire Sacerdotalia munera cœperint. Aucta quoque Societas ipsa multis ac præclaris adolescentium ingenijs, aucta amicorum studijs & benevolentiâ; longéque plura ac majora paucos intrà dies collata sunt Socijs beneficia, quàm multis annis antè in ea Urbe meminerint. Fuit tum primùm Vir ornatissimus quidam & opibus florens, qui invitato ad epulas cum Viris honestissimis Adriano, secundùm eas oratione ad ipsũ conversâ, nostíne, inquit, Adriane, cur ego ad has te epulas invitârim? nullam certè aliã ob causam, nisi quia me magnopere delectavit egregia tam in rebus asperis patientia: ea me planè cœpit, si verum quæris, & in mea sententia voluntatéque, de Collegij vestri fundandis rebus atque fortunis maximè confirmavit: ídque iterum tibi spondeo atque polliceor, quod & ad IGNATIUM vestrum meo nomine scribas censeo. A nuncupata votorum quatuor professione, cùm totum se alienæ saluti promovendæ dedisset, tantam DEUS vim facultatémque illi impertivit; ut sive concionaretur, secundissimis audiretur auribus; sive privatim ageret, omnem confitentium celebritatem atque frequentiam ad se raperet: neque ullus ferè ad eum accederet cõsilij causâ, quin novo gaudio cumulatus, animóque tranquilliore discederet. Placuit verò Numini famuli sui fidelem operam, miris etiam eventibus decorare, & potestate in dæmones & spectra exornare: à quibus molestas infestationes passi, dum ad illum recurrebant, semel oblato per ipsum Sacrificio in perpetuum liberabantur. Illud etiam memorabile illi evenit; cùm in audiendis potissimùm confessionibus mirà clareret laude prudentiæ & pietatis, sic ut quamplurimos ad perfectioris vitæ studia incenderet; in eo autem tam sancto opere cingulum, quo sustinebantur intestina propter herniam, ex qua laborabat, impedimento ipsi esset, illud abjecit, dicens:

sibi



P. Adrianus Adriani, Soc: Iesu, Belga Antverpiensis; magnæ in persecutionib, et carcerib, in cura Animarum toleratis, patientiæ: ac in depellendis Spectris et Dæmonib, efficaciæ. Obijt Lovanij Anno 1580. 18. Octobris. 35.

ſibi ægrotandi tempus non ſuppetere. Mirum dictu! declaraturus DEUS quàm accepta ſibi foret Patris indefeſſa in adjuvandis peccatoribus induſtria, eodem illum momento malo omni herniæ expedivit, & recentibus ſpontè viſceribus pellicula firmiter coaluit. Ità poſt multa per Belgium præclarè conſtantérque geſta, ſanctâ demum morte vitam finivit Lovanij 18. Octobris, A. 1580. totius AcademiæLovanienſis luctu & humeris elatus.

Ex Hiſtoria Societatis, & Bibliotheca Alegambe.

P. ANATOLIUS REGINALDUS cum Socijs 27.



GRavis DEI manus in Galliam extenta anno 1580. immiſſam Pariſios primùm peſtem, in alias deinde per aliquot conſequenter annos Regni partes propagari paſſa eſt, magnâ incolarum ſtrage, amiſſis pariter ex eorum numero, qui ſuppetias lue laborantibus advenerant, Socijs 27. Ut primùm Pariſijs cœpit ingraveſcere; Rector Collegij ſubſidiariam Magiſtratibus, ad obveniendum tantæ calamitati, ſuam ſuorúmque detulit operam.

 Illi



P. Anatolius Reginaldus, et alij 27. Socij, charitate proximi inflamati, contagione per Galliam graſsante, vitæ propriæ impendio, ſalutem miſerorum per omne genus obſequij redimere laborârunt ab Anno 1580 uſq; ad 85.
36.

Illi verò inuſitati hoc, & eatenus non viſi genus officij demirari, tum laudare & gratum habere. Quod ubi Rector domi promulgavit, & ſi qui ad tam ſanctum opus divino ſpiritu ſe impelli ſentirent, nomina ſua profiteri juſſit. Mirum dictu! nullus omnium è quinquaginta & pluribus fuit, qui non peſtilentem provinciam avidiùs, quàm plerique mortales ſplendidam & quæſtuoſam conditionem, exambiret. Ex eo numero delectis 12. ſex juſſit Rector domi ſubſiſtere, qui ſuccubituris in certamen ſuccederent; ſex reliquos ipſe primus in aciem duxit: tantâ populi gratulatione ac plauſu, ut ubi quiſque eorum appareret in publico, unà cum eo ſalus advenire videretur. Priùs tamen Rector coram Senatu Regio, beneficijs omnino omnibus, eleemoſynis, legatis, quæ fortè per id obſequij tempus Societati obvenirent, ultro ceſſit; profeſſus ſe nihil talium, nè ſi cogeretur quidem, admiſſurum. Ubi verò reipsâ multiplici intentos labori diu noctúque ſupra vires humanas conniti vidêre; tum verò univerſi illis benedicere, ad reficiendas vires domos, cibum, omnia libentiſſimis animis offerre; ijs liberos ſuos, quibus bene precarentur, mittere, veſtes ipſas ex pietate contingere, ſinguli vitam longævam & vires apprecari. Nunc demum Pariſijs fieri perſpectum, quid Societas foret; hâc unâ fortè charitate refelli omnes adverſariorum oppugnationes & inſectationes. Perſtringebantur nimirum omnium oculi, tot támque varijs in miſeros officijs, his allocutione ſolandis, illis per Sacramenta robo-

roborandis, curandâ alijs ſepulturâ, hoſpitio, ſtrato, viſendis & refocillandis, qui paſſim lethiferis ſaucij ulceribus jacebant: cùm paulò antè vidiſſent totas ſterni familias; nec tamen adfuiſſe aliquem ſolandis expiandíſque, etiam imploratum; inhumata jacere cadavera extra Urbem, quæ & canes lacerarent. Ex horum autem numero nunquam ſenis pauciorum, tres defecêre Sacerdotes: P. Anatolius Reginaldus mox ineunte Auguſto, Vir, teſtimonio ſui Provincialis Claudij Matthæi, planè ſanctus, à triennio illius Collegij Miniſter; ejus lenitatis, modeſtiæ, tranquillitatis, ut nunquam in moroſo illo munere commotiore obſervatus ſit animo, neque cuique moleſtiam aſperſiſſe. E demortui corpore tam ſvavis afflatus eſt, magnâ omnium admiratione, odor; ut planè cognoſceres vitam ejus, obitúmque tam ſancto in opere mortem, acceptam fuiſſe in odorem ſvavitatis. Porrò ſvavis ea fragrantia eò majorem fecit mirationem, quò celeriùs, fœdiúſque peſtilentium corpora naturaliter computreſcere conſtat. Huic in viam æternitatis comes acceſſit P. Emondus Orangius. Ac ſubinde ad 10. Sept: P. Franciſcus Bilques, eò gratior cœlo, quòd generoſæ charitatis impetu ſummis precibus hanc ſpartam competitoribus tot præreptam, exoravit.

Anno deinde 1582. Cùm Biturigibus idem malum ſæviret atrociùs, & è Noſtris in Sacramentorum, infectis perinde ac ſanis, adminiſtratione afflati quinque jam deceſſiſſent P. Claudius Vialon, & Deſiderius Ricardus, & Iſaac Torquoy, ignoto omnes die: Mauritius verò Cincus die 23. Auguſti, Coſmas Andromantius 5. Septembris, & P. Joannes Arnoldus 8. Sept:; eorum morte comoti Urbis Præſides, negârunt velle ſe tum quidem ultrà Noſtrorum uti operâ, quippe quam ad majora tempora reſervarent. Hanc eandem charitatem cùm in quandam Religioſorum Domum infectam noſtri exhibuiſſent, permotus eſt unus ex ijs Sacerdos, ut ſuam etiam ipſe operam affectis juvandis cum noſtro Patre conſecraret. Expoſitus enim nihilominus foris manebat unus Sacerdotum cum Fratre (cujus nomen quinque prioribus accenſuimus, ignari quodnam determinatè illius ſit) ad peſtiferorum obſequia ſegregatus P. Franciſcus Folinæus, & ipſe perinde beatâ morte, incerto, ùt plerique alij, die extinctus.

Ex Victimis Charitatis P. Alegambe.

Sed & Pariſijs, cùm ob pertinaciter etiamnũ anno 1584. hærentem contagionem, diſſipatum eſſet Gymnaſium; & nonnulli tamen Noſtrorum ad ægrorum relicti auxilium; Claudius Coiſſat, Coadjutor temporalis, ùt quempiam domeſticorum afflâſſet lues, ſuam illi Moderatorum licentiâ præſtabat operam; ex qua ad diem 7. Octobr: animam glorioſè edidit: & antè illum ex ſimili ibidem charitate in peſtiferi ſervitio, Joannes Lux Scholaſticus 19. Auguſti, 1583. Burdegalam indè propagata lues, ſupra viginti civium millia anno 1585. & è noſtris quatuor extinxit, uſibus miſerorum cum alijs aliquot ſuperſtitibus, deſtinatos; tam utiliter & opportunè: ut Burdegala à paſtoribus ſuis, aliíſque ſubſidijs derelicta, teſtata ſit, ſe tam opportunum in tanto animarum diſcrimine auxilium nunquam expertam eſſe; & plures ex heterodoxis, qui & ipſi charitatis hujus fuêre admiratores & præcones, exempli vi permoti, veritatem Catholicam receperunt. Quatuor mortis victores (nam reliquos in Collegio extra charitatis officia eodem veneno ſublatos, nolim his accenſeri) è campo ad triumphum abiêre, menſibus Auguſto & Septembri, ſed diebus incompertis: P. Oliverius Honore, quem ex zelo & fructibus Apoſtolicis apud Xantones relatis, Xantonum vocabant Apoſtolum; P. Stephanus Lamardai; Honoratus Oliverius, Scholaſticus; & Fr. Stephanus Baſè. Tandem Muſſipontum delata eodem anno mortalitas, tantâ ſimul inopiâ plebem oppreſſit, ut ei non minùs à fame, quàm à peſtilentia exitium timendum eſſet. Noſtri ad malum utrumque propulſandum diſtributi, tenuiſſimi cujuſque caſas obeundo, pane & vino quantum ſat eſſet (quòd miſeris ad ditiorum fores mendicaturis, contagionis metu, non daretur acceſſus) omnibus è corrogato & proprio ſubveniebant, incredibili totius Urbis commendatione. Suſtulit ex his miſericordiæ utriuſque Viris lues 11. partim Sacerdotes, partim Sacerdotij expertes (quorum tamen obitûs dies, unum ſi excipias, in Annalibus non ſunt adſcripti) Joannem Bernardum 15. Julij; P. Joannem Roulet; P. Petrum Fitanum; P. Joannem Blondel; Guilielmum Paſtor; Gilbertum Lanoy; Joannem Pelliſon; Philippum Dagnæum; Antonium du Pont; Damianum Grammaire; Bartholomæum Raphaël.

P. JOAN-



P. Joannes Maldonatus S. I. Hisp; magnus animarũ Zelator, expugnator hæresum, Scriptor Orbi notissimus: primus è Societate Parisijs publicus Theologiæ Professor. Extinctus Romæ Anno 1583. Ætatis 50. Die 6. Jan: 37.

P. JOANNES MALDONATUS.

Ater Joannes Maldonatus, natione Hiſpanus, natus genere Nobili, eâ Regni parte, quæ in Provincia Extremadura, dicitur Magiſtratus S. Jacobi; in Ædibus Reginæ; oppido, vulgò *las Caſſas de la Reyna*, appellato, anno 1534. Primam ætatem in Academia Salmanticenſi egit, celeberrimis uſus Præceptoribus, Dominico Soto, & Franciſco Toleto, poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinali. Profeſſus & ipſe aliquamdiu eſt Philoſophiam & Theologiam, literáſque Græcas; donec ibidem in Societatem receptus, ac Romam ad tyrocinium ſubeundum tranſmiſſus eſt anno 1562. ubi etiam anno ſequenti Sacerdotium ſuſcepit. Indè dum Collegij Societatis Pariſijs Scholæ primùm aperirentur, ſingulari DEI conſilio & inſtinctu illuc ire juſſus anno 1563. ſuperſtite etiam tum Calvino; ut magnis eloquentiæ, ingenij, doctrinæ viribus, exultantem, & quaſi triumphantem Calviniſmum, paucis adhuc reſiſtentibus, reprimeret. Igitur primus ille Sociorum ex illa celebris Academiæ Pariſienſis ſpecula bellicum cecinit, in campum deſcendit, manum cum hoſte conſeruit, & Philoſophiam primùm, ac deinde totos 10. annos Theologiam profeſſus eſt, magnâ celebritate, & incredibili Auditorum concurſu ac fructu: ut vox illius ex celebri

celebri illo theatro per universam Galliam quàm latissimè exaudiretur: & vix doctus esset quispiam Episcopus, Abbas, Concionator, Parochus, qui non ad ejus scholam frequentaret: næ ipsi quidem Calvinistæ, eorúmque Ministri, ipsius prælectionibus abstinerent. Duabus quotidie tribúsve horis antè, subsellia certatim implebant, quàm Scholam ille ingrederetur, nè multitudine excluderentur. Sæpe in aperto (quod de nullo alio facilè legitur) atque adeò in vijs publicis docere coactus est, ob copiam Auditorum, quos nullæ exedræ capiebant, frementibus hæreticis, obstupescentibus Catholicis. Interea apud Pictavos à 30. annis seminata à Calvinistis zizania fidelium semina propè suffocaverant; ut tandem hostes oram illam, cum vicino Sanctonum agro, aptissimam judicarent, ubi arcem & Regiam impietatis suæ statuerent. At Carolus IX. Rex post perduellium conatus, geminâ victoriâ anno 1569. fractos, (quia nequicquam expugnantur armis corpora, nisi exterminetur hæresis è mentibus) cùm suorum Concionatorum primario id negotij dedisset, ut adversùs corruptas opiniones tela Divini verbi capesseret: videns populos & animo & auribus ab eo aversos; ad Societatis experta auxilia cum Cardinali Lotharingo se convertit, quorum postulatu Maldonatus cum 9. Socijs Pictavium venit anno 1570. ac reliquis per diversa Pictavorum oppida distributis, ipse cum duobus Pictavium ipsum excolendum assumpsit. Horum duo P. Carolus Sagerius, & P. Petrus Loierius, in duobus primis Templis quotidie antè póstque meridiem concionibus & catechesi dabant operam; Maldonatus binas in die disputationes sumpsit, quibus locum ad docendum consultò profanum delegit, quòd nôrat hæreticorum deterrimos jurâsse, nunquam se limen Catholici Templi intraturos. Itaque in Scholis disputare manè & à meridie de Ecclesia latinè in Academia cœpit, ídque argumentum ità tractavit; ut multos, multorum annorum spatio hæresi infixos, vehementer cōcusserit: quos deinde, adjectis de SS. Evcharistia contra impietatem Calvini disputationibus, ad Fidem Catholicam planè retraxit. Ubi verò satis animos Auditorum conciliatos advertit; ad suggestum in maximo Templo ferijs Quadragesimæ sanctioribus transiens, dicere de Pœnitentia, déque convenienti ad suscipiendum Domini Corpus præparatione, cœpit. Quæ res ità Hugonottarum juratos non absterruit, ut primi ipsi properarent in Templum, & Orthodoxis loca præriperent: Ijdémque, & quotquot inter Hugonottas gravitate præstabant, suáque auctoritate in hæresi reliquos continebant, svavitate Maldonati citra ullos aculeos differentis capti, eidem catechesim in Collegio Picarræo florentissimo, majorem partem Calvinistis frequentato, explicanti, perstudiosè commodabant aures. Denique ità omnes veritatem edocti, atque ad eam impulsi sunt, nullus ut propè fuerit, quin seriò de mutanda sententiâ cogitârit, & mutaturus libenter fuerit, si jussum potestatis Regiæ accederet, quo videri posset coactus. Id eo maximè compertum, quòd Regius Provinciæ Legatus Joannes Hayus, cùm instante Paschâ viros graves ostiatim interrogari jussisset, velléntne Catholico ritu S. Synaxim obire? plurimi responderunt, tum libenter obituros, cùm Rex imperaret: interim, quam ille potestatem libertatis faceret, uti velle. Adeò præposterus pudor, & respectus suorum (quod & Donatistis olim evenisse S. Augustinus narrat, & hodie in hæreticis Boëmiæ, Silesiæ, Hungariæ experimur) obligatas tenebat miserorum mentes, erubescentium suo arbitratu, nè inconstantiæ apud suos arguerentur, & fateri viderentur antè errasse, ad rectum callem redire: & præoptantium pertinaciter perire, quàm videri abrupisse constantiam. Nempe utilissimus, planéque necessarius est, tempestivè admotus sufficienter veritatem edoctis terror, qui ad cœnam magni Regis intrare cunctantes compellat: quibus deinde vix alios constantiores & ardentiores in suscepta Religione deprehendas. Præpotuit tamen in multis veritatis amor & salutis, neq; de plebe modò, sed docti pleriq; ac primi in impietatis Schola subsellij, circiter 400. errorem pestiferum & pudorem vicêre. Ad hæc in corrigendis Catholicis, quibus præter nomen vix aliquid de orthodoxa pietate restabat, haud levius negotium fuit. Præceptores quotquot Collegijs præerant, itémque pædagogi hæretici, urbe exacti: in Bibliothecas diligenter inquisitum, & voluminum vis plurima corruptorum igni tradita: quæ ità Pictonum cœperunt animos; ut seriò agitarent, ipsorum Calvinianorum pleríſque optātibus, de instituendo apud se Societati Collegio, ob sapientiæ, quam de Patribus conceperant, opinionem.

Paulò pòst Lutetiam revocatus Maldonatus, auctâ ex intermissione, & rebus apud Pictavos gestis famâ, indéque Auditorum aviditate incensâ, Theologicam repetijt scholam:

lam: in qua tamen diu quieto hærere non licuit. Cùm enim anno 1572. Henricus Navarræ Rex, post promulgata cum Regia Caroli sorore sponsalia, singularem erga Catholicam Ecclesiam propensionem ostenderet, déque ea in suis terris restituenda laborare diceretur: Illi in Fide instituendo, voluntate Regis Christianissimi adhibitus est Maldonatus, cujus & doctrinæ & virtutis latè celebrabatur nomen. Eundem Dux Montispenserij ad suam Filiam, Bullionij Ducis uxorem, à Calvino abducendam, Sedanum destinavit; ubi seorsim cum illa priùs, dein præsente viro Duce, cum errorum Ministris decem dies disputans, magnopere omnes ad resipiscendum commovit, primúsque post 8. annorum lapsum, quibus nulla Catholici Concionatoris vox Sedani audita est, verba palàm è suggestu fecit, atque à Duce impetravit alijs Catholicis, è Parochi arbitrio, concionandi potestatem. Jussus etiam à Cardinali Borbonio, viduæ Condææ Principis animum pertentare, rem ità ex voto gessit; ut hæc auditis de orthodoxa Fide disputationibus, ad sanam reversa mentem, paulò pòst etiam Parisios ex Condensi oppido redierit. Excurrit & in Lotharingiam, eáque occasione rursus ad Sedanum cum hæreticis congressus, Capellum, Holmum, Loqueum, & 20. alios Ministros Calvinistas, primùm disputando, deinde declamitando prostravit: nam in declamationes disputationem commutandam Ministri censuerant, quòd ejus vim syllogisticam non possent depellere. Ex quibus certaminibus Launeus, & Henricus Pennetericus Ministri, agnitâ Ecclesiæ veritate, illi se restituerunt. Cùm ergo Maldonatus in Regno se versari videret, ubi hæreses vigerent plurimùm, variíque errores in dies increbescerent; priscos illos sanctósque PP. imitatus, in id maximè docendo, redux iterum ad Theologicas lucubrationes, incubuit, ut Lutheri, Zwinglij, Calvini, aliorúmque hujus seculi hæreticorum nefariam doctrinam convelleret, veram & Orthodoxā corroboraret. In quo sanè profecit plurimùm; nam ex ejus Schola prodierunt viri eruditi quàm plurimi: & vix quispiam postea fuit in Gallia; qui, cùm ejus auditor esse non potuisset, saltem quæ in Scholis dictaverat, sibi domi descripta non haberet: mittebántq; Episcopi, Præsules, varij Doctores, ipse Academiæ Sorbonicæ Pro-Decanus Pelletarius, Amanuenses ad ejus Scholam, qui dictata Maldonati in ipsorum usum exciperent. Tradidit ille primùm Theologiam compendio annis 4.; iterum eandem uberiùs dictare aggressus est, cùm invidiâ & præpostero malevolorum zelo exagitatus, animum à Scholis, ne suâ causâ infamiæ quidpiam Societas pateretur, ad privatas lucubrationes, & libros Ecclesiæ DEI haud paulò utiliores scribendos avertit.

Cùm enim tanta ejus doctrinæ & subtilissimi ingenij per universam Galliam fama esset, ut ab æmulis jam, tanquam rationibus suis maximè officiens, ferri non posset; varijs ipsorum calumnijs appetitus est: nam & Præsidem Montibrunensem S. Andreæ, moribundum circumvenisse, & posteros ejus fortunis evertisse, persvadendo illi ut sua omnia Societati legaret, dicebatur; seductor simul & prædo nuncupatus: & à nonnullis Lutetiæ hæresis est arcessitus. Verùm ab hac eum injuria vindicavit summi Pontificis Greg: 13. jussu & auctoritate Parisiensis Antistes: ab illa verò publico Senatûs consulto liberatus est, ubi palam constitit, præter modicam pecuniam Templo Societatis legatam, nihil prætereà illi à Præside testamento relictum. Quamvis ergo sic ejus iñocentia publicè satis testata foret, cujus inter alias utilitates princeps fructus fuit, Societatis Collegij cum Sorbonica Universitate conjunctio; satiùs tamen forè putavit, si paucorum æmulationi, quæ nunquam quiescere novit, cedens, lucem illam hominum fugeret, & non suo tantùm sæculo, sed futuris etiam scribendo serviret. Quamobrem in Collegio Bituricensi abditus, totum se ad S. Scripturæ expositionem transtulit; Divino prorsus, ùt vel uno ex hoc eventu patet, instinctu. Ut primùm enim constituit in quatuor Evangelia Commentarios scribere, per aliquot noctes visus est sibi videre quendam, ut strenuè cœptum opus prosequeretur, exhortantem; fore enim ut illud è sententia perficeret, sed operi parum supervivéret. Atque hæc cùm diceret, intento digito certam quandam illi ventris partem signabat: quasi indicans, illius loci doloribus & affectione moriturum. Hoc visum, quanquam pro somni ludibrio habitum, comprobavit suo tempore eventus. Scripsit & Commentarios in 4. Prophetas majores; præter alia minora ingenij sui monumenta: quæ omnia sæpius varijs locis typo vulgata prodierunt. Neque tamen chartis ità impallescere permissus est, quin identidem ad agendum cum proximis evocaretur; nam & conciones diu utilissimas habuit, & Provinciam Franciæ Visitator lustrare jussus, maxima quæque in animarum

marum emolumentum gessit. Mussiponti in Lotharingia, ubi Lotharingi ipsi Principes, Ducis filius, & duo Reginæ Galliarum fratres, Societatis scholas frequentabant; & Vadimontius Cardinalis Theologiæ Professoris dictata excipiebat, Leges Academiæ condidit, ac duas Sodalitates, Civium unam, Academicorum alteram, conflavit. Burdegalæ verò explicationemCatechismi, puerili ætati tribus in Parœcijs introduxit, cùm antè minùs apposité ad rudes annos, è superiore loco more concionatorio Catechismus explicaretur. Quosdam etiam Sociorum in Xantones, tractum culturâ gravissimè egentem, misit, Apostolico ritu Evangelio prædicando: qui Rupellæ, totáque illâ vicinitate Divinum faciendo præconium, supra quàm potuisset sperari, retulêre fructum, pluribus hominum millibus ab hæresi reductis & Catholicis in Religione ubique confirmatis.

Demum à Gregorio XIII. Pontifice è Gallia ad Urbem evocatus, ut operam suam præstaret (quoniam Græcæ peritissimus erat) ad editionem Græcam 70. Interpretum, quam Pontifex parabat, non diu Romæ superstes fuit. Nam post electionem Claudij Aquaviva in Generalem Societatis JESU Præpositum (ubi ad Patrum Congregatorum cætum præviam ipse adhortationem habuit) cùm lucubrationem illam suam in Evangelia paulò pòst absolvisset, & Claudio recèns electo eandem 21. Decembr: anno 1582. obtulisset; secundùm id mox dolor acerrimus illum incessit eâ ipsâ corporis parte, quæ tantò jam priùs illi fuerat per nocturnam signata visionem. Eo tamen indies magis invalescente, tandem utilissimorum in Ecclesia DEI laborũ prœmia à DEO consecutus, spatio dierum 14. Romæ cessit è vita; ab ægrorum Curatore, dum eum ad paratam excitaret cœnulam, mortuus in lectulo inventus, ætatis necdum 50. completo, salutis verò 1583. ineunte. Fuit verò is multis à DEO magnísque donis cumulatus, ingenij subtilis, judicij admirabilis, memoriæ & diligentiæ incredibilis, laboris & studij supra corporis vires assidui. Nullum enim probatum in Theologia latinum græcúmve Auctorem prætermisit, quin totum pervolutârit, legerítque diligenter ac notârit. Hinc reconditam ejus eruditionem, summam in docendo gravitatem, omnésque profundi Theologi dotes, quas Gallia atque Europa universa suspiciat, omnes passim Scriptores deprædicant. Nec virtus doctrinâ fuit inferior, ut sanctitas potiùs vocanda sit. Magna in eo rerum humanarum despicientia, maxima laudis & auræ popularis contemptio, humilitas & modestia incredibilis; ut tam doctus, doctum se nesciret; tam in ore hominum positus, homines sperneret; tam apud Reges, Cardinales, Principes, Præsules, summos Viros carus & honoratus; à Serenissimo Lotharingiæ Duce, ab ipsis Regibus Galliarum, Carolo & Henrico, ad conciones in Aula adhibitus, à Gregorio Pontifice summè æstimatus, majorem in modum eorum aditum conspectúmque declinaret, ut id etiam nonnulli tribuerent morositati, dum nè invitatus quidem eos accederet. Ad hæc ardens & juge orationis, & meditationis Divinarum rerum studium; quo fiebat, ut minimi etiam flosculi aspectus ità sublimes præstantésque ejus mẽti suppeditaret conceptiones: ut ijs non tantum ipse DEI amore incenderetur; sed Socios pariter, si qui fortè adessent, eodem igne correptos inflammaret. Summa in cibo potúq; parcitas, paupertatis Evangelicæ rigida observatio: ut qui ad expeditiones Apostolicas profecturus, offerentibus liberale viaticum administris Regijs, nè obulum quidem accipere voluerit; & de loco in locum abiturus, præter vestem, quam humeris gestabat, vilem potiùs quàm simplicem, & aliqua suarum lucubrationum scripta, nihil secum habere sustinuerit. Patientia & adversorum tolerantia inconcussa; neque, nisi ferendo, adversarios superare eligens; ut cùm pro ejus innocentia Gregorius Pontifex diploma quoddam in ejus, ob imputatam hæresim, detractores promulgare vellet; ipse humillimè deprecatus sit, nè sui causâ hostibus malè fieret. In summa, Vir fuit mundo & sibi crucifixus: & ut staret semper in procinctu quietus & securus, paratus ad mortem, eam sibi quinquies quotidie ponebat ob oculos, indagabátque num quid sibi esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere posset? & si quid reperisset, illico per exomologesim deponebat. Præclaro illum celebrat elogio Georgius Cardosus in suo Hagiologio ad diem 6. Januarij, existimans illum, per errorem, fuisse natione Lusitanum; cùm ipsiusmet Maldonati chirographo constet fuisse Hispanum.

Mirum & illud Maldonato cum Henrico Soriano accidit, quem ad Societatem ineundam exemplum Maldonati excitavit. Nã cum in Hispanijs & vitæ consvetudine, & studiorum similitudine jam ab adolescentia conjuncti fuissent: convenerat inter eos; ut qui prior perfectioris vitæ genus amplecteretur, is al-

is alterum ad sui imitationem traheret. Româ igitur Maldonatus veteris pactionis memor, à Soriano, quem in Hispanijs reliquerat, per literas promissa repetit: is de statu hominis amicissimi certior factus, nihil habuit antiquius, quàm ut eandem viam ingrederetur. Vixitque in Societate magnâ humilitatis, charitatis & ceterarum virtutum laude: tanto in B. Virginem studio ac fiduciâ, ut nihil non, quod illam rogâsset, impetraret. Docuit Neapoli cum summa approbatione Theologiam; tum Nolæ formandis Tyronibus præfuit; ac demum Cirinolano Collegio datus Rector, divino indubiè consilio Maldonatum, quem sequi non dubitavit in vita, eundem quoque secutus est in morte, paucis mensibus post ejus obitum, nempe 3. Julij, quasi amici monitis iterum ad meliorem vitam vocatus. Tantâ verò occubuit animi alacritate; ut videretur, cujus exemplo in terris sæcularem vitam cum religiosa mutârat, ejusdem in cœlo precibus religiosam cum cœlesti mutâsse.

Ex Historia Societatis, & Bibliotheca Alegambe.

GEORGIUS GILBERTUS.



PRæstantissimæ indolis Adolescens Georgius Gilbertus, Nobili & opulento genere in Anglia ortus, Protestantiũ hæresim cum vita & lacte ductam per 20. annos, quos primos in Patria exegit, culpâ magìs alienâ quàm propriâ, secutus est. Eo tempore, campestri armorum nobiliũ meditatione unicè delectabatur, quò illum suus agebat genius, & habilitas corporis ad omnem motum aptè compositi: cui accedens mira formæ gratia & agendi affabilitas, quâ nobilem animum claritudine sangvinis miscebat, faciebat illum Aulæ tunc sub Maria & Elisabetha florentissimæ delicium, & totum amabilem. Indè visendi séque ostentandi ambitu Parisios venit, ubi sui tam pulchrum specimen in omni elegantia Aulica & tractatione armorum præbuit; ut gentis suæ flos haberetur: animo tamen, rectæ licèt experte Fidei, vitiorum semper immuni inter hæc conservato; ut qui magno honestatis respectu duceretur, & per se honoris appetens, nollet foris etiam oculis aliorum degener apparere. Erat tunc Parisijs P. Thomas Dabishier (ùt in ejus gestis referam) virtutis & scientiæ famâ Gilberto in Anglia notissimus, Oxonij olim in Academia, & Londini in Sapientiæ Gymnasio Philosophiam professus, Doctor Legum Civilium, ac postmodum Ecclesiæ Londinensis Archi-Diaconus & Cancellarius: cum eo Gilbertus urbanitate primò patriâ agere, dehinc animi gratiâ, denique seriò & seria movere: quorum seu æternis rationibus permotus, seu sanctimoniâ vitæ, quam in Patre suspiciebat, excussit unà ex cerebro cuncta Calvini deliria, omnes ab animo consvetudinis Aulicæ amores & ambitus; susceptáque Romam peregrinatione, illic Personio fingendum se tradidit, qui tunc ad S. Petri confessiones audiebat: à quo ritè in gratiam cum Ecclesia restitutus, & præceptionibus optimis roboratus, in Angliam redijt, ab eo, qui exiverat, omnino alius. Juvenis erat in ætatis vere longè pulcherrimo, Parentibus suis unicus, & tunc ijs orbatus, patrimonij opulẽti hæres liber, & arbitrarius, quod ille non parcè in Ecclesiæ & pauperum Catholicorum necessitatem expendebat. Singularis illi fuit cum Thoma Pondo, Fidei causa carcere diuturno sepulto, necessitudo; quem sæpius revisens advertit aliquando, multos ibidem Catholicos malè in hyemem vestibus armatos plurimùm algere; quibus novas illico & honestas omnibus suo sumptu curavit. Commendârat illi Pondus è suo ergastulo, Monialium grandem familiam cœnobio suo depulsam, itáque egentem; ut magno numero cùm essent, duobus tantùm cogerentur Breviarijs Divini officij pensum exolvere, & quidem altero illorum tantùm manuscripto. Misit ad eas Gilbertus aureos sexcentos, pro trecentis quibus egebant; vicissim rogans, ut vetustum illud manu scriptum Breviarium sibi dono mitterent.

Interea temporis Personius Campianum prægressus Angliam subintrârat, & de hospitio Londini Pondum consulturus, primò omnium carcerem ejus petierat, cui melius vel securius nullum occurrebat, quàm apud Pondo: Divinâ certè providentiâ & adventum Personij in illum diem Londinum disponente, & Gilberti hospitalitatem memoriæ Pondi suggerente; ut qui confectis ritè matrimonij tabulis, eo ipso die sponsam in domum introducturus erat. Hujus enim illum, & terrenorum omnium, ex solo Personij aspectu tantum subijt tædium, ut abdicatâ lectissimâ sponsâ, castimoniam DEO voverit perpetuò colendam, ac deinceps individuus laborum

& iti-



Georgius Gilbertus S.I. Nobilissimæ Familiæ Anglus, totô Patrimoniô in Angliæ conversionem expensô, sanctè obijt Romæ; 6. Oct: Anno 1583. 38.

& itinerum Personio comes adhæserit: à quo tamen socij & comitis loco haberi recusabat: sed vice servi, famulam operam ad Apostolicum ministerium commodantis. Indè rei Catholicæ promovendæ studio non Personium modò rebus omnibus ad cultum, habitationem, itinera, atque ad sacra ministeria necessarijs liberaliter instruxit; sed earum rerum curam etiam erga Campianum, & Socios omnes sibi uni committi summis precibus impetravit. Ad quod studium cùm paris nobilitatis Juvenes complures ipse inflammâsset, domum suam de cetero omnibus Sacerdotibus & Catholicis commune voluit esse hospitium: fiebátque non raro, ut multis simul improvisò illuc concurrentibus, ipse suo lectulo illis cederet & humi cubaret. His vestiendis si aliquando sumptus deessent, suam ipse sibi detrahebat vestem, ut egenti daret: neque diutiùs penes illum bonorum suorum reditus morabantur, quam egeret aliquis, vel subveniri sibi peteret. Quâ incredibili in Catholicos, ac præcipuè Ministros Evangelij liberalitate, dici non potest quot animas ab exitij periculo servârit, & è lapsis Ecclesiæ restitui fecerit. Jam verò labores ejus in animarũ opẽ per se & proximè ab eo sudati fuerunt ejusmodi, ut facilè cujusvis Sacerdotis mensuram & meritum superârint. Quamobrem asserebat ex ejus intimis quidam, posse justum volumen conflari ex nominibus illorum, quos vacillantes firmavit, lapsos restituit, intepescentes generoso suo spiritu animavit, maximè juvenes pari secum ætate & nobilitate.

te. Extat hujus rei testis epistola à Personio ad Gregorium XIII. Pont:Max: data, quâ Gilbertum Romam sese ab Anglia recipientem commendabat: *Nobilis Georgius Gilbertus*, inquit, *Juvenis est, qui universæ Angliæ spectaculum factus est rarissimum. Hic enim cùm amplo esset patrimonio, magnáque apud aulam gratiâ, se suáque omnia pro Religionis Catholicæ defensione devovit. Primò enim ingredientibus nobis in Insulam, cùm ceteri vel timerent vel dubitarent; ipse solus nos recepit, fovit, vestivit, & aluit; pecunijs, equis, famulis juvit; deinde per Insulam suis sumptibus circumduxit, ipse simul nobiscum peragravit, libros ceteráque necessaria dedit, prælum & typos comparavit, possessiones quasdam vendidit, ex eísque bonam summam nobis ad omnes usus attribuit, quibus causa Catholica promoveri posset. Carcere etiam inclusos omnes pro fide Catholica, continuis eleemosynis adjuvit. Quibus rebus tam odiosus brevi tempore hæreticis factus est, ut ubique locorum eum persequerentur, acerbissimámque mortem minarentur, si capi posset. Quod licet ille parùm curaret; tamen cùm ampliùs illum Religioni servire non posse cernerem, nec in Anglia morari sinè manifesto vitæ periculo; majórque nobis esset labor & sollicitudo de illo, quàm de nobis protegendis; persvasi illi tandem, ut relictis omnibus mare transmitteret, & meliori tempori se servaret. Nos si quid boni unquam effecerimus, ejus magna pars huic Juveni tribuenda est, &c.*

Eludebat ille quidem vestigatorum insidias mutatione perpetuâ vestis & personæ, nunc schemate nobili, nunc pedissequo & servili, ubique de Personio tantùm sollicitus & anxiè trepidus; sui tam securus, ut diceret: nunquam à se insidiarum timore quidquam prætermissum, quod in DEI honorem cessurum videretur; nunquam sibi periculi ullius præsentiam ab oratione animum distraxisse: & erant tamen pericula nunquam extremis leviora, & indagatores tanto ubique numero sparsi, ut eum tandem latere posse Personius desperaret, & Regij Ministri intercipi non posse frementes, magnam partem illius bonorum Fisco addicerent. Expeditus in Galliam dum navim trajecturam opperitur, latitavit ad mare in solitaria & deserta spelunca valde incommodè, assvetus commodis Juvenis: sed eâ exuberantis lætitiæ voluptate, ut sibi aliquid gustare videretur de cœli delicijs, narrarétque postmodum, in vita nihil sensisse beatiùs. Majo exeunte anni 1581. trajecit in Galliam, relictis Personio ad necessarias excursiones Sacerdotum equis septem, & copiosâ pecuniâ edendis de Fide, cultúque pietatis libris quàm plurimis. Exceptus Rhemis ab Alano tanquam Angelus de cœlo lapsus, octingentis aureis præsentem Seminarij illius egestatem sublevavit, unde Romã transmisit ad Seminarium Anglorum, séque præsentem Societatis JESU Generali Claudio Aquaviva stitit: qui eum neque Societati tum statim aggregandum, neque in Seminario veste Alumnis communi induendum putavit, ut liberiùs agere posset cum Cardinalibus & Pontifice de negotijs Angliæ, quibus perquam erat utilis. Vitam nihilominus in vestitu Nobilis secularis egit in Seminario prorsus religiosam, jejunijs, vigilijs, acríque afflictatione corporis per flagella & cilicia, quæ ab ejus obitu detrita & cruenta reperta sunt: atque inprimis indefesso precandi studio, & modestissimâ humilitate, quâ infimum ubique in cœtibus locum, deterrima ex rebus communibus ambiebat, nec quidquam majore cum stomacho quàm laudes suas audiebat; quibus virtutibus ingenti incitamento fuit ad æmulationem toti contubernio. Quinque de die horas impendebat orationi, plures etiam dum non erat egrediendum ad negotia: legibus Seminarij, & Superiorum mandatis, perinde ac unus ex Alumnis obtemperabat, ídque eâ in minimis etiam severitate, ut cùm Latinâ lingvâ ipse non adeò promptè uteretur; quia tamen Collegij legibus ea præcipitur, si quando compellaretur Anglicè, non responderet nisì Latinè: ac planè ad ipsos Rectoris nutus & consilia ità morigerum se exhibebat, ut visus sit divinitus ad obedientiam institutus. Nam sub vitæ extrema cùm sibi quiddam ab illo porrectum, naturâ jam cuncta fastidiente respueret, simul Pater adjecit, obedientiæ amore ut susciperet: *non possum non*, inquit, *Pater tibi obtemperare, uti semper hoc studium cordi habui*, summáque alacritate suscepit. Invisenti se autem paulò pòst cuidam Patri, *proh quanto me*, inquit, *Pater delibutum offendis gaudio*! interrogatus ejus causam, *in præmium* respondit, *hujus promptæ, quâ mihi vim parvam intuli obedientiæ, se mihi spectabilem obtulit DEIpara, sed fronte quàm serenâ, quàm propitiâ & svavi! cùm tamen nuper eadem mihi severa apparuisset, quòd meo sensui paulò pertinacior adhæsissem.*

Pudicitiam pridem DEO suam voto sacrârat, erátque in ejus custodia tam solers, sibíque ipse suspectus; ut per Urbem à fœminis & gressum & oculos procul declinaret, suáq; illa

illa oris verecundi, & affatûs collectâ modestiâ conciliaret omnium animos & observantiam. Dum Contubernales nocturnâ quiete reficerentur, occultè ad Templum adrepebat, ibíque ante diviniſſimum Sacramentum perdiu orans, excubabat: dum vigilaret autem per diem, hora nulla elabebatur, quin ſublatâ in cœlum mente, præſertim inter agendas res, DEUM ſæpe alloqueretur, verſiculis ad hanc rem Pſalmorum delectis: ad hæc ſolenne B. V. Officium quotidie percurrebat, quamvis alioqui totus in oratione mentali, vocali non admodum uteretur. Singulis Dominicis ac Feſtis diviniſſimo Chriſti Corpore paſcebatur, non ſinè gemitibus ac lacrymis, quamvis conaretur premere, propalàm erumpentibus. Septem Urbis Baſilicas alternis minimùm viſitabat hebdomadis ſolus ſinè teſte, quò attentiùs cum DEO ageret & Cœlitibus. Solebat dicere: ità in oratione perſeverandum; ut quodammodo vis DEO fieret, quemadmodum Jacob dicebat Angelo: *non dimittam te, niſi benedixeris mihi*: ſéque ferè omnia impetrâſſe ſic orantem: *hinc ego Domine non recedam, niſi id quod poſtulo, vel certè niſi firmam impetrandi fiduciam dederis.* Meditationem non niſi in vita ac morte Chriſti Domini exercebat, profeſſus indè geminum ſibi votum exarſiſſe: alterum, quidquid ſupererat facultatum, itémque operam, ſangvinem ac vitam in S. Eccleſiæ & animarum commoda impendendi: alterum, ineundæ Societatis; quòd valde vitæ Chriſti, formam ejus convenientem cenſeret; cùm & ipſa in Eccleſiæ & animarum utilitates, vitâ etiam prodigêdâ, omnis intenta ſit. Plurimus illi cum Sodalibus ſermo de felicitate Martyrij, déque jucunditatibus, quæ in ſuſceptis DEI causâ ærumnis abundant: quarum ſe, illóſque dulci flammâ pariter incendebat. Se verò Martyrio tamdiu, tam propinquum, non valuiſſe palmam prehendere, dolens ac multùm ſpirans peccatis ſuis aſſignabat: hinc ejus in Martyres Sanctos affectus præcipuus, quos in Anglia agone defunctos in tabulis depingi fecit, quæ nunc etiam Seminarij Romæ Templum ornant. Alumnorum meditationes omnes in tribus hiſce capitibus verſari optabat: in vita, & morte Salvatoris: in præſentia boníſque Martyrij: & in exemplis à Sanctis decerpendis, hoc modo: In cœlum mente ingreſſus, volebat ad Divorum ſingulos cum veneratione accedere, & interrogare, unde ſuum quiſq; adeptus præmium ac decus eſſet? ut, in exemplo, ex S. Franciſco, unde Illi tantæ opes, ac ſolij celſitas? & audire reſpondentem: ex humilitate atq; paupertate. ex SS. Bartholomæo, Stephano, aliíſque, unde tam nobilis purpura, tot radiata gemmis corona? cúmque reſponſum ille dederit, quia pro Chriſto detrahi ſibi pellem paſſus ſit; hìc verò lapidibus obrui: indè ad conſimilia perpetiendi voluntatem incendi.

Interea SS. Pont: Greg: XIII. accito aliquando ad ſe, negotium ſecretò credidit momenti ad Fidem Catholicam gravis, ad quod peragendum neceſſe erat tranſire in Galliam: ſed vulgò credebatur is tranſitus tendere in Angliam. Hic ſe negotio dum parat celeritate omni exequendo; pridiè quàm equum inſcenderet, febri corripitur tam acutâ, ut ſeptimi acceſsûs violentia illum necaverit: quo brevi tempore, mira in eo notata ſunt. In cubiculum dum transfertur ſuo quod incolebat commodius, videns ſe prope Templum deportari, rogavit enixè à bajulis in illud inferri; quod ubi obtinuit, ità ſe illic DEO immerſit penitus, ut indè non poſſet auferri niſi Rectoris juſſu, qui propterea fuit advocandus. Lectulo compoſitus nihil in immatura hac morte tulit acerbiùs, quàm quòd in lecto, quaſi per ignaviam, vitâ abjiceret; hinc vitam ſibi produci ardenter optabat, verùm ad hoc ſolum, ut eam pro Fidei Catholicæ confirmatione violentè profunderet. Sed denuncianti Rectori aliud DEO viſum, & fore perbreve quod ſupererat vitæ reſiduum, ità acquievit; ut nullam deinceps cogitationem admiſerit de vita ulteriùs proroganda. Quin & flentes circùm aſpiciens Seminarij juvenes, à quibꝰ ſingulariter amabatur, *mittite has, oro, lachrymas: veſtrùm*, ait, *congruunt nemini, niſi tantùm mihi, ego ſolus inter omnes miſer:* compellánſque illos ſingillatim, & varia illorum decora, *tibi quid eſt quod fleas? qui pro Catholica ſanctitate catenam & carcerem? tibi quid*, dicebat alij, *qui plagas & compedes, tolerâſti? & quibus adhuc integra eſt expectatio martyrij? dum ego biennio illi anhelans & proximus, morte hìc ignavâ in lecto defungor?* Tum cruce in manus ſublatâ (quam ſibi P. Briantus Martyr in Anglia, auditurus ultimam ſententiam, elaborârat) cœpit ſuo quondam cum amiciſſimo Campiano veluti præſente colloqui, dolens magnopere, quòd comes ei non eſſet promeritus raptari in traha viminea ad patibulum. Sub hæc reverſus domum à Generali Aquaviva Rector Seminarij, ſignificavit illum ad Societatem legitimè receptum eſſe; facultatémque conceſſam edendi Religioſa

vota:

vota: ad quæ ille immensis DEO actis gratijs, velut omnium in terris votorum compos, pronunciatâ ardentissimo spiritu votorum formulâ, *ego peccator*, inquit, *voveo tibi DEO meo, coram Beatissima Virgine MARIA, & omnibus Sanctis, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam in Societate JESU, &c.* Post quæ continuans cum DEO colloquium, sub quartam noctis horam, 6. Oct: A. 1583. tam placidè animam efflavit, ut dormire adstantes crederent, quem adverterunt jam mortuum, salutârúntque fletu & manuum pedúmque osculis. Magnum sui Romæ desiderium reliquit, toti Urbi clarissimâ virtute notissimus: ipse adeò Pontifex morte ejus indoluit, magna illum Angliæ jacturâ decessisse pronuncians. Elatus est ad Templum S. Andreæ Novitiatûs Societatis, ibíque sepulchro conditus: cui legatos 800. aureos Aquaviva Remos ad Alanum transmisit, in subsidium illius Anglorum Seminarij.

Ex Historia Societatis, & Historia Angliæ P. Danielis Bartoli, ac Henrici Mori.

P. FRANCISCUS STRADA.



Admirabili dicendi dono, & singulari corda hominum penetrandi vi, à DEO prædítus Franciscus Strada (cui vix parem in ea re habuit Societas) ortu fuit Hispanus; in Societatem à S. IGNATIO ante ejus in Ordinem Religiosum erectionem susceptus. Juvenis in Familiam Joañis Petri Caraffæ, qui postea in summum Pontificem electus Paulus IV. appellari voluit, adscitus: quo tempore IGNATIUS sacrâ ascesi Ortizium, Cæsaris Oratorem, in Monte Cassino exercebat, eodem venit; sive Ortizium conventurus, cujus ope in Cardinalis Familiam pervenerat; sive militandi studio Neapolim petens: cùm Divino consilio in IGNATIUM incidit, cujus vel uno congressu colloquióque, ad nobiliorem repentè militiam animum convertit, & B. Patrem Romam secutus, Socijs adscriptus est An. 1535. In Tyrocinio sub ejusdem Viri S. disciplina eam Divini Spiritûs hausit abundantiam, & sacra Exercitia tractandi magisterium; ut utroque paulò pòst, quamvis latinis vix tinctus literis, admirandos sortitus sit effectus. Anno siquidem 1539. cùm jussu Pontificis mitterentur Senas Paschasius & Rodericius, tertium illis apposuit IGNATIUS Stradam; qui ardore tanto, tantáque vi dicendi agere ex suggestu cœpit; ut suo exemplo & sermonibus animos Senensium vehementer accenderit. Cujus permoti famâ Montis Politiani cives, qui diei iter non ampliùs absunt, eum ad se invitatum, peregrinum licèt hominem, quem nec ætas, nec rerum aut sermonis vernaculi usus, nec literæ commendabant, de superiore loco verba facere cogunt: quanquam tum adhuc non concionari se, sed clamare duntaxat Strada dicebat. Et verò respondit votis eventus: tunc enim primùm frequentandæ Eucharistiæ mos post tot sæcula renovatus; inusitata misericordiæ opera in egenos & miseros introducta, atque ad orborum orbarúmque educationem instituta Sodalitas; execrandi pejerandíque vitium toto jam vulgo famosum, gravi edicto repressum; ac fœminarum in cultu corporis castigatus est luxus, quæ, Stradâ audito, legem sibi ipsæ dixerunt, nè deinceps luxu exotico prodirent. Ad hæc permultos viros graves & eruditos, ad Exercitia S. IGNATII obeunda invitatos, ad optimam frugem & Urbis totius exemplum perduxit: quatuor inprimis Doctores & in Civitate primarios, è quibus, peractâ jam sub finem Exercitiorum apud Sacerdotem totius vitæ homologesi, cùm quæsivisset, paratíne essent in Christi gratiam toto oppido mendicare? & illi vehementer annuerent, oneratos illos manticis, vasculis & cophinis, cum quatuor alijs viris nobilibus per Urbem circumduxit, stipem ostiatim pro egenis & carceratis demissè atque humiliter rogantes. Ea res totam Civitatem ad spectaculum excivit in compita, domuum januas & fenestras; tantáque vis misericordiæ communis fuit, vinum alijs largè, panem, salem, ligna, pecuniam alijs, & quibus alia deerant, lebetes ipsos, ollas & cacabos congerentibus; ut sæpe exonerandæ manticæ fuerint, sæpe alia collecta onera deponenda: quæ demum toto jam oppido perlustrato, ad hospitale & carceres deportata sunt. Ejus verò de se victoriæ maximum tulêre fructum, ingentem animi tranquillitatem ac pacem, qualem nunquam antea sensisse fatebantur: unúsque è Doctoribus asseverabat, eâ se Divini æstûs dulcedine delibutum, ut præ gaudij magnitudine, quam animus non caperet, coactus sit in clamores erumpere, & eâ causâ cubiculo se abdere; ut quam cohibere nequîsset, vis spiritûs liberè pro-



P. Francisc9 Strada S.J. Hispan9, zelo, ardore dicendi secut9 Chrysostomū, incredibiles fruct9 in Belgio, Lusitania, Hispania, Italia, permotis ad publicè mendicandum Viris primoribus, peperit. Obyt Toleti 26. Octob: 1584.

J. G. Heinsch del. 39. J. Kilian sc.

prorumperet, & lacrymis habenæ laxarentur. Ubi verò discedendi tempus Stradæ adfuit, rorantibus genis universa nitebatur obstare Civitas: fueréque ampliùs 60. matronæ, quæ Exercitiorum eorundem periclitandorum studio iter Stradæ obsidebant, & quasi manu factâ discedentem remorabantur, quòd dicerent, se quoque animas, perinde ac Viros in corpore habere, ad cœlum creatas.

At enim Strada Brixiam transgressus, continuatis ad cupidissimam multitudinem dictionibus, haud paulò majores fecit animorum motus: ac præter ceteram frugem, centum & eò ampliùs in ea Urbe adolescentes ad DEI servitium in varijs Religionibus adduxit. E quibus Angelum Paradisium Societati partum, in patriam Parentibus valedicturum Gadium comitatus, continuò in suggestum progressus, incolarū animos ità permovit; ut qui Concionatores antea ridere, & lusui habere consveverant, risus in lacrymas & sonantes singultus verterent. Cúmque primarij Civium capitalibus odijs inter se ad cædes jam mutuas conversi, dissiderent; Stradæ concionibus ad pacem permoti, eodem sequestro & arbitro, non sinè lacrymis in mutuos ruêre amplexus: mirâ Urbis gratulatione plausúq; ut statim edito ad convocandum Senatum signo, ex consilij publici decreto, Consules & ceteri Magistratus, auctori pacis Stradæ gratias publicas retulerint. Inter hæc IGNATIUS revocatum ab expeditionibus Apostolicis Stradam, quò paratior à scientijs ad animorum lucra veniret (quoniam nullas adhuc scho-

ſcholas Societas habebat) Pariſios cum alijs 15. ſtudiorum causâ mittit Anno 1541. ubi omnibus in conducta domo, ſæculari habitu (neque enim aliter tum per leges Academiæ licebat) in ſumma paupertate vivendum fuit. Sed cùm anno inſequente Franciſcus Rex, ob bellum cum Cæſare Carolo V. exortum, ſeverè & publicè edixiſſet; ut qui ex Caroli ditione erant, omnes ad unum intra diem octavum Regno faceſſerent; Strada cum Socijs 7. Hiſpanis Lovanium demigravit, ad Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia in locato hoſpitio proſequenda. Et jam Metaphyſicis Anno 1543. operam dabat, cùm longioris veluti deſidiæ pertæſus, optavit ardentiore ſiti in animarum lucra etiam Lovanij rete Apoſtolicum extendere. Ac primùm Academiæ Cancellarium Ruardum Tapperum aggreſſus, ſuis ſermonibus impulit, ut ſacris Exercitijs imbui vellet: quorum fructum omni expectatione majorem expertus, Sacerdotem quendam Cornelium Vishavæum Artium Magiſtrum, & Theologicis ſatis imbutum, ijſdem meditationibus propiùs urget: mox & Petrum Fabrum de Hallis, Theologiæ Baccalaureum & Concionatorem, & utrumque Societati, primos omnium è Belgis lucratur. Opportunè ſub hæc, Divino planè miſſu, Lovanium venit Petrus Faber, unus è primis IGNATII Socijs; qui notato ingenti in Strada ſpiritûs ardore, & vi dicendi ingenitâ, excitavit tyronem vetus Magiſter ad conciones latinas in Falconis Collegio, ubi Strada Philoſophiam terminabat, habendas. Et ecce vix facere verba acer adoleſcens inſtituit: cùm repentè Academicorum tanta indies multitudo affluere cœpit; ut iterum ac tertiò fuerit laxiores in exedras, ac tandem rogatu omnium Magiſtrorum, in Templum S. Michaëlis, quæ de præcipuis Lovanij una ædibus eſt, emigrãdum. Ut verò Faber animos adderet in eo genere dicendi imperito; ne apparatus concionum, ſtudijs occupatum impediret; has ei ferè è lectulo (febribus enim æger attinebatur) dictabat: quibus feliciſſimæ memoriæ mandatis prodiens in publicum animoſus adoleſcens, ardorem addebat de ſuo; ſi tamen de ſuo ardebat, quem DEI ſpiritus incendebat, quo ille ſic æſtuabat, ut eodem igne tota concio conflagraret. Dabant ei operam præcipui Theologiæ Doctores, tantis motibus animorum, ut lachrymæ ex oculis uberrimè fluerent: Religioſi omnium Ordinum, quotquot Lovanij reſident: concurrebant cum Viris fœminæ, ut vel os & affectus ſpectarent agentis, & à ſancto ejus igne caleſcerent. Oliverius Manaræus, magnum illud Societatis lumen, ſemel tantùm audito Stradâ, ad ægrum continuè Fabrum accurrit confeſſionis gratiâ, & ſupplicibus verbis admitti in Societatem expetijt. His incendijs fervebant Lovanij omnia, multiq; ſepoſitis domeſticis curis, IGNATII commentationibus exerceri indies poſtulabant: repreſſa morum licentia; & quod mirum eſt, penetrante ad Virginum Cœnobia Stradæ famâ, vetus illis reddita diſciplina, & certa ſanctè vivendi norma volentibus præſcripta; Virgines complures ſpretis mundi illecebris Sponſo cœleſti in Cœnobijs adjunctæ; in varias Religiones quàm plurimi, & in Societatem ſupra 20. adſciti, plerique Juris & Theologiæ Doctores aut Profeſſores, vel Philoſophiæ Magiſtri; tanta denique in omni hominum genere facta converſio; ut jam tum de ordiendo Lovanij Collegio à Civibus apud Cæſarem agi cœperit.

Ubi verò anno 1544. juſſu IGNATII, Strada cum 11. Socijs, qui erant plerique flos Academiæ, in Luſitaniam diſceſſit, graviter Lovanienſis Schola commota fuit, Gymnaſiarchæ præſertim, tot Doctorum Academicorúmque ſimul repentino diſceſſu; quare ſi quem odorarentur deinde Societatem expetere, hunc Collegiorum clauſtris arctè concludebant. Corumnam in Gallæcia delati, cùm ad eos viſendos oppidani concurrerent, Strada velut advocatâ divinitus concione, uſitato cœpit ardore de DEO verba facere, fructu præſentiſſimo. Omnibus enim ad pœnitentiam & propenſiſſimos in DEUM affectus commotis, Joannes Beira Sacerdos & Canonicus Urbis, qui dein multa tulit, fecítque in India, unus ex Auditoribus, mundum exuens, illis ſe adjunxit; unáque die ſequenti jam pauper, pedeſtri itinere Conimbricã perrexit. Ibi Strada, quoniam hìc primùm Collegium 60. perſonarum in religioſam diſciplinam formatum incolere contigit, in ipſo pene adventu ad abjectiſſima quævis munera, tanquam ad ſplendidiſſimas epulas ingenti charitate & alacritate ſe applicuit: ut vel eâ re IGNATII diſcipulum poſſes agnoſcere, in verbi DEI præconibus majorem præ alijs perfectionem & humilitatem exigentis; ne dum alijs prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur. Quod plerumque in Concionatoribus vanis, & duratâ virtute deſtitutis advertere eſt: quorum non paucos videmus; poſtquam alios prædicando ad inſignem virtutem promoverunt, per-

permitti à DEO in scelera & abominabiles lapsus corruere; dum Pharisæorum more sublimia dicunt, sed non faciunt, imponentes hominibus svavia Christi, sed corpori importabilia onera, quæ interim ipsi nolunt digito attingere. Non ità Strada, qui ad recipiendam Divinam ad sanctè verbum DEI tractandum vim, impigrè se comparabat; dum multis añis, quoad per vires licuit, ter in die flagella repetijt, semel pro animabus defunctorum fidelium, iterum pro conversione in lethali noxa jacentium, tandem pro Ecclesia universa viventium. Alia præterea adhibebat cruciamenta corporis, cilicia, jejunia, summam ab omnibus perituris abstinentiam: ad hæc orandi assiduum studium, amorem secesśûs, rerum omnium humanarum contemptum: quarum virtutum præsidio illibatam ad extremum spiritum pudicitiam conservavit. Necdum autem ab itinere Conimbricæ respirârat, Theologiæ perdiscendæ studijs addictus; cùm à Simone Rodriquez jussus, per omnem Quadragesimam Festis, Dominicísque binas in die conciones instituit. Et quanquam egregij Concionatores in tam præclara Civitate non deerant, degustato tamen Stradâ, ad eum universa concurrit: ut cùm ædes multitudinem non caperet, advocanda deinceps concio fuerit ad Aulam Regiam. Fructus porrò omni expectatione superior, emendatio morum; ad participanda Sacramenta incredibiles etiam ex pagis accursus; ut Sacerdotes 15. expiandis continenter pœnitentibus designari necesse fuerit; vita Christiana in vulgus omne introducta; Nobilitatis de Societate judicia sancta: Academicorum præda, quorum mox 11. lectissimi adolescentes ex innumeris competitoribus in Societatem adscripti sunt: quasi eâ causâ DEI bonitas Virum Societati donâsset, ut eam tum recèns in lucem editam, numerosâ prole terris omnibus, Indiæ præsertim, ad conversionem totius Orbis fœcundaret. Itaque Simon, qui priùs ex Italia & Gallia Sociorum requirebat auxilia, rogare coactus est IGNATIUM, finem mittendi faceret; & paulò pòst qui ex alijs nationibus advenerant, in alias, ubi necessitas exigebat, Provincias dimisit; & non paucos ex ipsis Lusitanis donavit. Ex ijsdem omnes deinceps Indiæ, Brasiliæ, Æthiopiæ, Japoniæ regiones implebantur; tanta erat & ineuntium Societatem ubertas, & affectantium! Tandem cùm ædes nulla audituræ Stradam, jam Sacerdotio initiatum, multitudini sufficeret, prodeundum sæpe fuit in publicum, ubi is ardore cœlesti universa incendens, ut alijs etiam locis prodesset, post magni jejunij saluberrimos quotidie dicendi labores, Anno 1546. in Urbem Portum, cum socio item Sacerdote mittitur. Iter pedestre ex occasione Compostellam usque ad S. Jacobi, Superiorum annutu, facienti, subsidium vitæ obvia hominum misericordia, tectum xenodochia suppeditârunt; nec tamen à dicendo, ubi se facultas obtulit, & ab alijs Instituti sui muneribus cessavit unquam, & nobilem præcipuè plagam Durium inter ac Minium amnes, suæ opibus lingvæ ditavit.

Portum ubi pervenit, statim postero die, Apparitioni S. Michaëlis sacro, patenti in area ad populum dixit, adeóque animos & omnium aures tenuit; ut cùm ter quatérque in die diceret; terna tamen toties ampliùs hominum millia constanter accurrerent. Duos ibi retentus est menses, ingenti universorum, non populi modò, sed & Cœnobitarum bono, qui se novos animos induisse & impetus confitebantur, ad progressionem spiritûs & sanctitatis; plurimis è sæculo ad Religiosos Ordines confugientibus: ex quibus iterum præstantissimi aliquot Societati nomen dedêre; Vascus inprimis Ferras, ibidem Canonicus opulentus. Tantíque in omni genere hominum motus sunt excitati, ut quidam vitam in paupertate, alij in hospitalium & miserorum obsequijs traducere statuerent, alij vastis in eremis sese conderent, nonnulli etiam habitu inglorio & ignobili longas peregrinationes assumerent. Vis porrò confitentium ea fuit, ut cùm tertius in auxilium accitus Conimbricâ advenisset Sacerdos, quartúsque ex ejusdem Urbis Clero se adjunxisset, accedentibus à prima luce ad tenebras, morem gerere satis non possent. Odia præterea multorum annorum finita, alienum æs suis Dominis persolutum, adita & adjuta Sacramentis & copiosis eleemosynis valetudinaria, custodiæ, xenodochia. Ut verò carceribus detentis, qui pene instar ethnicorum ab omnibus deserti vivebant & interibant, non deesset in posterum Sacrorum copia; in areola dono in eum usum oblatâ, Sacellũ ex corrogato sumptu Strada custodiæ contiguum excitavit, & stipendium uni Sacerdoti perpetuum constituit. Discedens indè, Civibus summopere reluctantibus, quocunque progrederetur, Bracaræ præsertim, avidissimum reperiebat auditorem. Compostellam verò properantem fama præcucurrerat, & Redondellam appropinquanti tintinnabulo per oppidum plurimus parabatur auditor; útque fari pro more arden-

ardenter cœpit, omnia incendit, non tam orationis flumine, quàm lachrymarum. Clericum imprimis, apud quem divertit, à licentia vitæ notatum ità commovit, ut à se ipso discedens, fugam etiam è sæculo constituerit. Compostellâ redeuntem Conimbricam, mandata Simonis deprehenderunt, Portum regredi jubentis; id enim Civitas per graves adeò literas postulabat, ut diceret, à Summo Pontifice, si opus foret, flagitaturam. Hìc ille spatio sesquimensis iterum moratus, bene cœpta insigniter promovit, & Sodalitatem ad eadem exemplo suo & zelo tuenda, optimis monitis & regulis instituit; redúxque Conimbricam, postulatu Regis ad Curiam ipsam Regalem conciones exorsus est. Sed anno 1546. postulante Duce Gandiæ Borgiâ Vallisoletum à Rege concessus, cœpit verbum DEI, quo consveverat fervore, tractare. Conventus hominum ad audiendum nullo templo capi poterat, & audiebatur tam fructuosè, quàm avidè. Complures præter ingentes populi motus, iterum hìc ad Societatem animum appulêre; ad alios verò Ordines quàm plurimi: peccatorum relaxatio tanta, ut omnibus satisfieri nullatenus posset. Quibus rebus permota Civitas, Ædes Societati in Collegium continuò attribuit & dotavit, quas Nuncius Apostolicus Poggius, quò Religiosis usibus essent opportuniores, suis sumptibus auctas instruxit.

Salmanticam anno insequente vocatus, quòd ibi Societas per summam calumniam, quasi præcursorum Anti-Christi cœtus, in odium omnium adducta esset, ùt semel in Æde S. Martini auditus est, adeò populum ex ore suo suspendit; ut ad Quadragesimæ conciones continuò sit à Parochis postulatus. Eo dicente, excussæ sunt inanes è pectore, quas Melchior Canus excitârat, suspiciones, & odia in amorem novæ Religionis versa, in existimationem contemptus. Tam densa affluebat audientium turba, vix ut eam ullius Ædis amplitudo caperet, surgendúmque bene manè cuiq; esset, nè loco excluderetur. Excipiebatur dicentis oratio fletibus continuis atque singultibus, quos tanta excipiebat pœnitentiam flagitantium multitudo, ut satìs aurium præberi nullo modo potuerit. Jam verò centenis plures numerati sunt, qui rebus relictis humanis in varia Cœnobia discesserunt. Anno 1550. cùm S. IGNATIUS inspiciendis & expendendis Constitutionibus, priùs quam promulgarentur (quas firmandæ & legitimè gubernandæ Societati tandem absolverat) Patres omnes Professos ex tota Europa evocâsset, missus est cum reliquis ab Hispania etiam Strada, licèt necdum emisâ Professione, quam anno primùm sequenti 1. Febr: edidit. Quo labore perfunctus, missus est Burgos ad conciones in recèns excitato Collegio obeundas: quarum fructum tam ibi, quàm deinceps biennio in Hispania, eadem quæ antea constanter sequebantur animarum lucra, Sacramentorum frequentia, & Sociorum accessio: donec Anno 1554. Aragoniæ Provinciæ datus est ab S. IGNATIO Provincialis. In quo munere negotijs ferè omnibus in Socium derivatis, ipse magis in opus Evangelij ubique intendebat; de novis potiùs excitandis, quàm erectis jam, quæ paucula adhuc erant, gubernandis, & numero Sociorum implendis Collegijs sollicitus. Quare cùm Cæsaraugustæ statuendi Collegij spes non procederent, arbitratus Strada majus aliquod Civitati Societatis dandum specimen, eò per æstatem venit, & suâ illâ Evangelicâ tubâ è clarissimis suggestis, Ecclesiarum Præsidibus certatim illum ad se trahentibus, insonuit. Eventus inter aliàs sæpius memoratos admirabilis secutus est, ut Senatus, Proceres, Consiliúmq; Pro-Regis unanimiter statuerent, vel detractis suæ, suorúmque liberorum necessitati cibarijs, perficiendo Collegio se præsto fore: Pro-Rex autem enuntiaret, qui in tanta jam luce detrahere Societati conaretur, eum suæ potiùs existimationi & famæ propriæ detrahere. Itaque oblatis Collegio ædibus brevì Collegium stetit; cui præter alios incolam etiam novum Strada lucratus est, Canonicum Urbis, Jurisperitum; qui necessitates Collegij præclarè sublevavit. E quibus tam continuatis & irremissis laboribus ægritudinem tandem permolestam sibi conscivit, ut ad Congregationem Generalem Anno 1559. pro eligendo S. IGNATII successore venire Romam nequiverit, socio pro se Patre Baptistâ Barmâ, qui ferè Provinciam administrabat, ablegato. Anno tamen insequenti recuperatis viribus Romam discessit, corámque statum & necessitates Hispaniæ Provinciarum edocuit, quibus præsenti subsidio opus esset.

Et sanè opportunissimus eo tempore fuit Stradæ Romam adventus; cùm enim gravissimis dissensionibus scissa esset in factiones Urbs Montis Politiani; quarum tempestas in Collegium Societatis tandem maximè desævijt: Lainius Stradam, vetustissimâ Politianis caritate conjunctum, apud quos mira concionum suarum rudimenta adolescens posuerat, con-

continuò ire jussit, qui sedare tumultum, & auctoritatem Collegio sarcire conaretur. Primus hic locus fuit, in quo Divina ejus eloquentia in obstinatis quorundam animis parùm profecit; qui cùm pertinaciter, ingemiscente saniore Urbis parte, Collegium persequi non cessarent, soluto Collegio, ejúsque rebus omnibus his qui dotaverant restitutis, Florentiam discessit, & fructum centuplum, quem aliàs solebat, ex ministerijs suis retulit: Eleonorâ etiam Toletanâ Ducis Florentini Conjuge, ad sanctam à corpore migrationem legitimè dispositâ. Neque diu vindicta cœlestis Politiano abfuit; miserè extinctis, qui procellæ in Societatem Auctores fuerant: quorum coryphæus Civium aliquis, qui nostrum habitum, ad conflandam criminationi auctoritatem & fidem, ementitus, noctu meretriciam domum ingressus erat, cùm benè priùs à re domestica constitutus esset, post ingentem calamitatum triennij spatio seriem, eò demum adductus est; ut ægritudinis vi ad supremum agonem adactus, complures dies præter omnem naturæ vim trahens miserè animam, nullum inveniret sævissimæ mortis finem. Quo malo ad animi sui curam conversus, intelligénsque supplicium id divinitus sibi immissum, acciri jubet multos & primores è Civibus: quibus lecto circumfusis, moribundus summo cum doloris sensu intermortuis singultibus hæc palàm, ritè à præsentibus contestata, professus est: *Ego miser ac perditus is fui, qui habitu hominis Jesuitæ ementito, ad infamiam Patribus conflandam, ut cogerentur Monte Politiano abire, quod proh dolor accidit! quasi unus ex ijs furtim noctu meretricis domum ingressus sum, unde iniqua dissipata in Patres infamia est. Et propter hoc immane facinus evidenter sentio DEUM esse, qui tanto in angore, ùt videtis, detinet me, nec finit mori. Jam igitur vobis coram omnibus aperio, & confiteor indignissimum scelus meum; vósque obtestor, ut pro me DEUM precemini, ut tantam injuriam condonare mihi velit, damnúmque remittat, quod ego excessu illorum Patrum universæ huic Civitati peperi.* His dictis peccata Sacerdoti ritè confessus, mox omnibus admirantibus, tanquam solutis quæ eo usque tenerent vinculis, è vita migravit 18. Augusti anno 1566. Quibus perspectis rebus pia Civitas, incredibile memoratu est, quàm postea sæpe, quàm enixè Collegium repetierit: quod tamen nonnisi diu pòst à Claudio Aquaviva Generali anno 1605. impetravit. Restitutus postliminio Hispaniæ Strada anno 1566. Domum Professam Toleti recèns tum institutam incoluit: cúmque Patres ampliùs 12. Parœcias, in quibus dicerent, Nosocomia, custodias inter se partirentur, Strada Evangelij sonitu ità intonuit, ut Toletani commoti, nunc demum incipere sibi lucem oboriri dicerent, & palàm fieri quid Societas esset, fortunatam appellantes urbem suam, cui contigisset Professam habere Domum.

Demum laboribus Apostolicis fractus, cùm aliquot postremis vitæ annis salutarem illam facundiam exerere ampliùs non posset; voluntariâ quadam solitudine inter SS. Patrum volvenda monumenta, sibi uni, DEOq; vacans, illam mutavit; magno omnium luctu extinctus Toleti anno 1584. die 26. Octobr. Vir fuit inter prima Societatis columina meritò numerandus: cujus sacrâ eloquentiâ aliquot Provinciæ Collegijs, & Collegia quàm plurimis Operarijs impleta sunt. Interrogatus aliquando à Petro Ribadeneira, unde, eo dicente, tantus existeret ubivis locorum in Auditore motus? ingenuè respondit, sibi inter dicendum radium quendam & impulsum illabi cœlitus, quo totus præcordijs intimis commoveretur: indè fieri, ut motu eodem audientes afficeret, ex quo postea tantæ sequantur morum commutationes. Et verò impigrè ille se ad recipiendam divinam vim omni virtutum exercitatione comparabat, Vir multæ patientiæ, facilis ad alienas commoveri calamitates, ad opem ferendam egenis acer ac promptus, in rerum publicè administrandarum consilijs solers ac prudens. Mirum, quàm magnificè, id divinitus (ùt ipse ajebat) sæpius edoctus, de Societate sentiebat! ad eam perpaucos, nè se quidem, putabat satis idoneos; nec verbis quidem exprimi posse dicens, quid sanctitatis in ejus requiratur Alumnis. Neque tamen multa ad id verba necessaria esse, cùm ex ipso ejus nomine, si rectè intelligatur, constet; quid sit non tantùm nominetenus, sed reipsâ esse dignum Socium Christi JESU.

Ex Historia Societatis, & Nierembergij Tomo 4. de Viris Illustribus.



P. Georgius Alvarez Soc: Ieſu, Hiſpanus; humili loco natus; mirâ in animos hominum, qvantumvis obſtinatorum, poteſtate et efficaciâ à Deo præditus, quâ Peccatores induratos ad pœnitentiam adducebat. Obijt Hiſpali Anno 1584. 24. Decemb: 40.

P. GEORGIUS ALVAREZ.

INſignis ſpiritûs in Patre Georgio ardor, & efficacia ſermonum, quâ pervicaciam quantumvis obſtinatorum non tam ſvadendo, quàm pro poteſtate imperando edomabat, eximiæ conjuncta ſanctitati; dignum effecêre, qui inter Viros ſui ævi Apoſtolicos computaretur. Natione fuit Hiſpanus, tenuis fortunæ parentum filius; Societatem verò complexus eſt jam Sacerdos, præcipuo ſtudio orationi, humilitati, ſuíque in omnibus abnegationi deditus. Fervorem ejus in dicenda Miſſa, & cœleſtia cordis incendia, declarabant ſplendidiſſimi radij, quibus undique circumdari, ſacrificij & orationis tempore, non ſemel viſus eſt. Zelo animarum urebatur inexplicabili, quòd earum ſalus tanti DEUM conſtitiſſet; ideóque nullis parcebat laboribus, nullis abſterrebatur ærumnis; neque ullam diu noctúque habebat quietem, ſi nihil ad earum lucra contuliſſet: & Dominus, qui ſingulari curâ illum ſegregaverat in hoc munus, gratiâ ſuâ & ſpiritu fortitudinis illum imbuit, ut homines quantumlibet obſtinatos & incorrigibiles veluti cogeret à vitijs deſiſtere, & in lacrymas ſolveret petris duriora pectora. Videbatur enim obtinuiſſe à DEO, utì quondam Ezechiel, faciem ſilice & adamante duriorem, ut nullis precibus, pro-

promiſſis, minis, vel extremis vitæ periculis abſterreri poſſet ab eo, quod in bonũ animarum perficere deſignâſſet. Fuit in certa Andaluciæ civitate Vir potens & opulentus ex Ordine Eccleſiaſtico; cui magno populi ſcandalo erat domeſticis in amoribus concubina, perinde atque legitimo toro palàm & liberè cohabitans: monuit hominem officij jam tertiò Pater, ne alijs peſſimo exemplo viam præire ad ſcelera & infernum vellet; ſed expertus monita ultra aures non penetrare: obſervatâ temporis opportuni horâ; quâ menſæ cum ſcorto ſceleſtus accumbebat, improviſus domum irrupit, fruſtra famulis obnitentibus, & domo exturbare conantibus; ſolus enim Viri zelo divino incenſi aſpectus, terrore perculſos exarmabat. Itaque in Aulam, ubi prandebatur, ſe penetrans, adverſus confidenti Eccleſiaſtico conſtitit, vultúque ſevero & gravi illum intuitus, conſternatum veluti ſideravit: ſermone verò ad pellicem converſo, pro poteſtate Miniſtris DEI propria imperavit, ut confeſtim à menſâ ſe proriperet, ſumptóque pallio, ab ædibus, in quibus nefas eſſet mulierem morari, diſcederet. Neque mens, neque poteſtas vel audacia Domino adfuit, ullíve ſervorum, ut reſiſtere, aut manum in DEI Servum mittere præſumerent; qui mulierem domo eductam, loco ſecuro, quanto maximo potuit ſilentio, ad parcendum Eccleſiaſtici famæ, collocavit.

Pedes aliquò iter peregrè in Miſſionibus ſuis agentem conſecuti agazones, liberos oneribus equos aliquot ad manum ductantes, obtulêre fatigato unum conſcendendum, cùm idem utriſque terminus viæ præfixus eſſet; & ipſe cum gratijs acceptavit. Inter colloquendum narravêre Patri, tranſeundum illis montem eſſe, cujus declivia à latronibus inſiderentur, paſſim in viatores graſſantibus: ſed Pater ſinè metu illos eſſe, fiſos in divino auxilio, juſſit. Jámque montem ſubibant, cùm latrunculi erumpentes, ſtare in veſtigio equites imperant, extrema fugitivis cum morte minitantes: quo audito Pater jumento deſilit, & intrepidus contra prædatores procedit, móxque apprehenſo ductoris nebulonum brachio, vultu vocéque terribili increpans quærit: *dic mihi homo, nunquid tibi poteſtas à DEO facta eſt viatores per ſummam injuriam diripiendi, & deſpoliandi?* eâ voce conſternatus prædo, cum ſocijs ſcelerum toto corpore trementibus, animo viribúſque concidit; nec aliter quàm re, ante Judicem, inſtar agni cum ſuo grege macellum horrente ſtetit, humilli-mè veniam rogans, ultimámque pauperiem, quâ ad rapinas adigerentur, excuſans. Hìc Pater ſe intimè neceſſitati miſellorum compati declarans, quidquid recularum, nummorum, vel alimoniæ ſecum agazones habebant, magno affectu inter prædones diviſit, ſeriò hortatus ad pœnitentiam; quam exinde omnes ſinceram, vitâ in melius commutatâ, egerunt, Patríſque ſanctimoniam, & vim humanâ majorem ubique prædicârunt; qui tanquam poteſtatem habens, non jam ſvaderet tantùm, ſed imperaret vitia relinqui. Contigerat etiam hominem innocentem falsò ad Judices delatum, mendacio iniqui teſtimonij ad mortem condemnari: quod reſciens Pater, omnem movit lapidem ut falſum teſtem deprehenderet; inventúmque tantâ vi aggreſſus eſt, ut ad retractandum pro tribunali teſtimonium adduxerit. Ità ultimo diſcrimini, ſuæq; libertati reddito innocente, ut etiam periculo æterni ſupplicij iniquum ejus oppreſſorem ſubduceret; ad confeſſionem ſibi illico faciendam impulit: ſalubri prorſus & neceſſario conſilio, ſiquidem tridui ſpatio miſer, in pœnam fortaſſe perjuri teſtimonij, repentino fato extinctus concidit. Iterum alius, ſcelere falſarij delatoris, rogo addictus erat, quaſi nefandi criminis reus vir innocens, cùm Patri de teſtis unius falſitate conſtaret. Igitur impetratâ à Judicibus ſupplicij ad diem unicum prorogatione, quòd teſtem hunc interim reperiendum à ſe ſperaret, poſt multam conquiſitionem, in agro tandem deprehendit, multíſque precibus rogavit, hortatus eſt, atque etiam de genibus per ſacra omnia obteſtatus, ſuæ ut animæ miſereri, neque illam æternis inferni flammis addicere vellet, dum hominem criminis expertem, vitâ & famâ ſpoliaret. Sed cùm videret precibus actum ſe cum homine indurato agere; poſitâ deprecatoris perſonâ, vultum ſeveri Judicis aſſumens, reſolutione magnâ illum brachio arreptum, ſecum ad Judicem venire juſſit, hiſce affatus: *homo nequam, non pertimeſcis Divinam vindictam? illicò mecum venito, & hominem innocentem tuâ confeſſione à morte eripito:* tantámque DEUS paucis his verbis indidit efficaciam, ut veluti vinculis adſtrictus Patrem ſequeretur, & palinodiam pro tribunali caneret. Et quidem hac Patris arte innocens præſenti ſupplicio ereptus, nocénſque perjurus in ſalvo conſtitutus eſt: quia tamen gravius erat iſtius in opprimendo juſto facinus, quàm ut à DEO impune, ad terrorem aliorum, relinqueretur; paucis diebus veri ſceleris arceſ-

ſitus

ſitus apud eoſdem Judices eſt teſtis falſarius, & eodem rogi ſupplicio, quod alteri nefariè moliebatur, juſtè abolitus.

Atque ad hæc efficienda lucem copioſam hauriebat à DEO in oratione, quam non ſolùm declarabant ſplendores ab ejus ore totóque corpore evibrati, ſed & alij mirabiles effectus, arcana cordium, & res procul diſſitæ penetratæ, quarum conſcius fieri, niſi lumine altiori illuſtratus, nequibat. Die quodam primo manè petierat à Superiore copiam excurrendi ad ſuas delicias (ità enim capturam vocabat animarum ad DEUM retractaram) quem percontatus illi aſſignatus ad exitum ſocius: num moram tantiſper pati poſſet, dum certum laborem perficeret? tum quidem annuit; ſed paulò pòſt accurrens, citò accelerare juſſit, extremam quippe vocare neceſſitatem, nec moram ullam ferre. Domo profiliens, & pauculos paſſus progreſſus, in hominem ignotum, & nunquam antea viſum, obvius incidit, quem amantiſſimè prior affatus, domum perhumaniter invitavit, & conſiliorum deſperatorum cœlitus conſcius multis ſolatus eſt, dum reſtem ſuſpendio deſtinatam extorſit: ac tum demum excuſsâ triſtitiæ nube confeſſionem peccatorum perſvaſit, ſolatiíque plenum ab ſe dimiſit. Similis deſperatio alium invaſerat, adverſis fortunæ caſibus, & damnis temporalibus eo conſilij à dæmone adductum, ut vitam ſibi eripere omnino ſtatueret. Agebat tum fortè ſecus eum locum iter Georgius, ſtatúmque hominis miſeri divinitus edoctus, flexâ tantiſper viâ deambulantem conſpicatur, & ſubitò occurrens rogat, unde, vel quo gradiatur? tótque onerat quæſtionibus, donec ſævum animi vulnus expromat; tam profundè nihilominus cordi ſupremâ triſtitiâ abſorpto impreſſum, ut revocari ad vitæ amorem nullâ Patris arte poſſet. Ergo in re ultimi diſcriminis Pater ingenua provolvitur; idémque ſocium facere jubet, precaturus à DEO ſanam homini mentem & miſericordiam. Mirum dictu, conſtitit repentè immobilis ſtatuæ inſtar ſolo fixus, qui fugam à Patre obſtinatè capiebat, donec hic ab oratione conſurgeret: à qua hominem propiùs accedens, reperit animo penitus immutatum, & inſtar oviculæ tractabilem: quare ſecum ad domum vicinam deductum, confeſſioni faciendæ præparavit, & perturbatione omni ab animo depulsâ, lætum ad proprios lares dimiſit. In rebus tam miris perficiendis nulla prudentiæ humanæ attendebat ille dictamina, ſed contrarijs è cœlo rationibus agebatur: unde obtinuerat veluti dominium in voluntates hominum, etiam primæ Nobilitatis, Poteſtatis, & multarum opum, quos perrarò orabat, ſi quid ab ijs præſtari vellet; ſed mandabat imperativè, tali viduæ remedium afferrent, huic vel illi pauperi cibum miniſtrarent, eleemoſynam in carceres mitterent: parebatúrque his juſſis exactè, ſummo amore, ab omni ſtatu & genere hominum. Imò & in alijs multò difficilioribus, magíſque arduis, perinde jubenti obtemperabatur: ùt cùm non rarò in perſonas graves, penitúſque antehac ignotas incidens, jubebat, *veni mecum*, inquiens, *& peccata confitere*: quæ promptiſſimè imperantem ſequebantur, licèt de confeſſione inſtituenda nec in mentem quidquam veniſſet. Tanta erat Viri obſervantia, támque exacta in juvandis ad contritionem pœnitentibus, & examinandis peccatis, quæ aliunde in Divino ſpeculo intuebatur, induſtria! dum interim illa fatentibus intimo dolore compaſſus, lacrymis totus perfundebatur: quibus & ipſi ad dolorem, ſuíque erubeſcentiam permoti, vitam de cætero novam inſtituebant.

Præterea veriſſimus erat Pater pauperum, Advocatus viduarum, & deſtitutorum Auxiliator, quorum domos omnes perſpectas habebat, luſtrabátque aſſiduè, ut omnium neceſſitatibus ſuccurreret: tantáque fuit per ipſum à potentioribus corrogata, & in egenos Hiſpali erogata eleemoſyna, ut triginta millia aureorum ſuperâſſe feratur. Anno 1580. cum morbi ſpecies quædam contagioſa, quæ biennio ſequenti in peſtem formalem deſijt, Hiſpalim depopularetur, multíque egentiorum eâdem correpti, inopiâ medicamentorum & alimentorum interirent: Pater miſericordi charitate motus, non tantùm opitulatricem ipſe manum pro viribus admovit; ſed remedia ſimul à pharmacis, & quotidiano in ſingulos cibariorum dimenſo affatim providit, quatuor pharmacopolijs in diverſis Urbis regionibus mercede conductis, unde pauperibus ſingulis, quotquot medicamina nomine Patris poſtularent, gratuitò darentur. Ipſe autem unam ex quatuor Urbis partibus, niſi aliò neceſſitate repentinâ vocaretur, quotidie per ordinem inviſebat, habebátque ſingulorum peſtiferorum, ne quem incautus præteriret, conſignata in ſyllabo nomina, ut omnibus ſua quot diebus alimonia, & chirurgorum cura impenderetur: quâ providentiâ major illorum pars in vita ſervata eſt. Hâc ergo cùm in proximos omnes eſſet charitate,

non

non poterat unius Urbis ſpatijs, aut certo hominum genere zelus ipſius contineri;ſed porrigebat ſe latiſſimè in Regiones adſitas, quantum obedientia permiſiſſet; quas identidem pedibus luſtrabat, ſi quem uſpiam DEO lucrari poſſet, indagans; & modò ſe itinerantibus ſocium adjungebat, ut per otium cœleſtia inſpergeret; modò in agris laborantibus aſſiſtebat, Fidei rudimenta pro cujuſque capacitate tradens: omnibus autem præcipuè Pœnitentiæ Sacramenti partes & neceſſitatem inculcabat, ut rarò aliquem præteriret, quin peccata ritè confeſſum expiâſſet. Nulla verò cura fuit hoſpitij, cibi, quietis, vel aliarum corporis neceſſitatum: nam menſam præbebat mendicato collectus panis, cameram & lectum exhibebat obviæ cujuſcunque caſæ, vel pallearij ſolum, aut nuda tabula: neque ullas admittebat commoditates, aut Nobilium invitationes, pene importunè domos ſuas ad diverſorium illi offerentium. Tam impensè DEI honorem curanti non poterant deeſſe perſecutiones & obloquia, vera Servorum DEI nota: ſiquidem nunquam defecêre ex ijs ipſis, quibus plurimum boni exhibebat, calumniatores, adverſarij, & detractores; ad quorum tamen injurias immobilis patientiam nunquam deperdidit, tantóque magìs illorum commodis ſervire ſategit. Contigit aliquando in publica platea ipſum à Viro nobili mille opprobrijs excipi, & in faciem coram accurrente multitudine proſcindi: ſed Pater nullo pro ſe, vel contra hominem verbo oppoſito, conſtanti ſilentio omnia excepit, donec tot calumnijs gravida nubes penitus exoneraretur; ac tum ſedatè, velut ſi nihil interveniſſet, verba de DEO ad populum circumſtantem facere incepit, eâ animi tranquilli pace, vultúſque modeſtiâ; ut in ſummum ruborem adductus detractor, ſupplex veniam impudentiæ petierit.

Itâ in ſalutem animarum pervigilem, & in ſeipſo virtutibus omnibus excolendo occupatum, cùm annum in Societate ageret 28. mors pretioſa, & pro ſingulari favore à DEO exorata, occupavit. Degebat Hiſpali in Collegio Rodericus de Flores, Coadjutor temporalis, omnibus virtutibus ornatus, & æſtimatione communi ſanctus, Vir multæ orationis, in qua non rarò ſublimis à terra, aliàs verò multâ luce circumfuſus apparebat: & literarum expers tantam nihilominus à DEO doctrinam hauriebat, ut de myſterijs Fidei diſſerens, profundos Theologos in admirationem raperet. Commodorum omnium ſuíque hoſtis acerrimus, rogabat inſtanter Dominum, ut prolixâ & moleſtâ ægritudine affligeretur, quò purgatior ex attrito doloribus corpore ſpiritus emigraret: ídque liberaliter conſecutus eſt, ſemeſtribus febris hecticæ ardoribus excoctus, quos magnâ animi æquitate & hilaritate ſuſtinuit. Morti jam proximum anno 1584. inviſit P. Georgius, invidere ſe tam vicinum ſervo DEI tranſitum oſtendens, ideóque plenâ affectûs tenerrimi exprobratione obteſtatus eſt: *Frater mi, non impetrabis à Domino, ut tecum Feſta Natalis Dominici, in cœlo tranſigam?* Reſpondit, ille, ſe exoraturum: & eventus monſtravit, à DEO exauditum fuiſſe. Nam die 11. Decembris è confeſſionario redux, cœpit lethargo opprimi, & in vigilia Natalis Domini ad extrema deductus, poſt recepta ultima myſteria, inter ardentiſſimos in DEUM affectus, ſub primas noctis tenebras in cœlum, uti deſideraverat, migravit. Ingens hominum fuit ad ſupremos defuncto honores perſolvendos concurſus: cúmque univerſi, pedes ejus magnâ devotione ad oſculum peterent, & ad venerationem attacta corpori roſaria, imagines, ceteráque id genus auferrent, unus quidam Patri minùs in vita addictus reſiſtebat; cùm repentino, & validiore quàm contemni poſſet impulſus inſtinctu, & ipſe feretro factus propior, poſt pedum oſcula manus devotè preſſit, tantámque ſubitò fragrantiam odorum ſibi inhalari, & manibus adhærere ſenſit; ut multos dies eandem ſvavitatem redolerent. Duæ aliæ perſonæ diuturnâ ægritudine oppreſſæ, ſolo cinguli reſciſſi fruſto, quod corpori ſepeliendo circumdatum fuit, reverenti attactu, Patríſque poſtulatâ interceſſione, à malis ſuis liberæ evaſerunt.

Ex Nierembergij Tomo 3. de Viris Illuſtrib.

P. ALPHONSUS SALMERON.

ALphonſus Salmeron, natione Hiſpanus, patriâ Toletanus, Parentes habuit opibus quidem pauperes, ſed divites virtute; illorum curâ à puero literis admotus primùm Toleti, deinde Compluti; quibus latinè, græcè, & hebraicè ad elegantiam uſque excultus; Philoſophiam ibidem audivit, in eadem Magiſter creatus, cùm annum ætatis ageret 18. Cùm verò



P. Alphonsus Salmeron S.I. Hispanus, ex primis S. Ignatij Socijs unus, maximis laboribus pro Animarum salute per totam ferè Europam perfunctus; moritur Neapoli 13. Feb: 1585. Ætat: 69.
41.

verò maximâ famâ Compluti celebrarentur studia Universitatis Parisiensis, & simul admiranda referrentur de sanctitate IGNATII Loyolæ, Parisijs eo tempore literis operam dantis; desiderio & Theologiam ibidem absolvendi, & IGNATIUM conveniendi, iter in Galliam cum Jacobo Laines suscepit, & Parisios ingressus (quod mirum est) primò omnium in IGNATIUM incidit; quem licèt neuter de facie unquam vidisset, tam raro nihilominus modestiæ schemate composita Viri species, illum ipsum esse utrique persvasit. Post salutationis officia in familiaritatem & intimam consvetudinem ab IGNATIO admissi, excellentissimæ ipsius virtutis radijs perstricti, prior Laines, ideóque ordine tertius, quartus autem Salmeron, omnium maximè juvenis, 19. annis necdum expletis, Socios illius Instituto se adjunxêre; à quo sacris meditationibus dum ante omnia mensem integrum exercerentur, Salmeron inter reliquos edomandi corporis fervores, totum triduum absque omni cibo, & potu jejunus transegit. Post repetitam Philosophiam, Theologiæ studium ingressus, vota subinde, Duce IGNATIO, in Monte Martyrum cum reliquis nuncupavit, præcipuè de Palestina petenda, & cum ijs postmodum peregrinatione pedestri in Italiam Venetias ad IGNATIUM perrexit, ut indè transmarinum iter unà Hierosolymam susciperent. Ubi dum occasionem soluturæ navis præstolantur, in xenodochio interim miserabilium & leprosorum operam suam Alphonsus propè trimestri impendit: ac tum Ro-

Romæ Pontificis acceptâ benedictione, reliquis in diversas statûs Veneti Regiones, ad parandum diuturniore secessu laboribus Apostolicis animum ab IGNATIO dimissis, Alphonsus non procul Paduâ unà cum S. Xaverio locum solitarium delegit; in quo dies 40. in meditationibus, varijs afflictationibus, & perpetuo in pane & aqua jejunio traduxit. Mox in publicum indè erupit ingenti fervore, per varias Italiæ Urbes, oppida, & pagos prædicando, catechizando, DEUM & Divina omnibus imprimendo; vitam interim solo emendicato cibo in Nosocomijs sustentans, in quibus unà ægris omni charitatis genere deserviebat.

Postquam verò in Religiosum Ordinem à Christi Vicario Societas erecta & confirmata, & IGNATIUS voto etiam Alphonsi in primum Generalem electus fuit, retentus Romæ Alphonsus perrexit Apostolicum zelum constanter exerere, non in Templis duntaxat, sed per vicos etiam & plateas, quolibet lapide conscenso verbum DEI prædicare, atque ad DEI cognitionem & amorem omnes excitare. Et quia mirâ pollebat dexteritate in tradendis sanctis Exercitijs, meditationibus illorum erudiendos omnes ferè illi IGNATIUS committebat, quotquot sacrum secessum ex diverso hominum statu apud illum expetijssent. Inter alios hâc arte ad insignem perfectionem ab Alphonso provectos, fuit Franciscus de Villanova, quem Societati peperit, magnum in illa futurum excelsâ vitæ sanctimoniâ, & ardentissimo animarum zelo, vitæ Apostolicæ speculum. Itaque celebrabatur totâ Urbe Alphonsi nomen, non minus à ferventi zelo, & arte adducendi ad DEUM mortalium corda; sed etiam à Divina humanâq; sapientia, cujus specimen dabant prælectiones sacræ, in Academia Romana Sapientiæ, publicè ab eo traditæ; sic, ut ad Pontificem ipsum Paulum III. fama illius penetraret. Statuit proinde illius operâ, in gravi Ecclesiæ negotio uti, & auctoritate Nuncij Apostolici ornatum in Hyberniam mittere, ad Catholicorum auxilium & solatium, graviter illic ab Henrico VIII. Angliæ Rege oppressorum. Postquam enim hic contra omne humanũ & Divinum Jus, legitimâ Conjuge Catharinâ rejectâ, Annam Bolenam sacrilego toro sibi conjunxisset; indignatus eâ causâ, tanquam adulterum se à Christi Vicario Clemente VII. damnatum, repudio etiam Ecclesiæ Sponsæ Christi dato, hæresim palàm amplexus est, & se caput Ecclesiæ Britannicæ non tantùm ab Anglis, sed & Hybernis, arrogato in ipsos imperio, haberi & dici voluit. Cujus rei certior factus Pontifex, nè tot animabus per Hyberniam, in obedientia Ecclesiæ constantissimis deesset, consilium denique cœpit, maximè urgente Roberto, Armacano Antistite, ut eò de Societate aliquos, Nunciorum nomine, ampla cum potestate legaret. Itaque munus hoc Alphonso Salmeroni & Paschasio Broëto delegatur, proficisci à S. IGNATIO jussis sinè sacculo & pera Apostolorum more; quibus tamen Divina providentia nunquam defuit in itinere prolixo & periculoso, animas suas pro salute proximorum libentissimè exponentibus. Iter cum sodali suo Paschasio, & Francisco Zapata (qui è Scriba Pontificio ijs ipsis diebus Tyrocinium Societatis auspicatus fuerat) aggressus est per Galliam, inter mille prædonum & militum discrimina, quæ creabat fervens inter Cæsarem Carolum V. & Franciscum Francorum Regem bellum; unde mari transmittens in Scotiam, post gravissimos exantlatos labores & difficultates, Hyberniam ipso verni jejunij principio tenuit.

Magna Pontifici excitata erat spes felicis ex hac missione eventûs, magnâ Curiæ toti expectatio: verùm Alphonsus plena omnia vastitatis & trepidationis supra omnem opinionem reperit, non rei Catholicæ tantùm, sed etiam Politicæ supremo periculo. Genus inprimis hominum incultum & rude, Pastorum vigilijs planè destitutum, apud quos nulla Episcoporum, nulla Parochorum libera erat procuratio. Proceres universi, uno excepto, Regis libidini obsequentes; insuper juramento se adstrinxerant, concrematuros literas omnes, si quæ advenirent Pontificis, earúmque Nuncios ad Regem in vinculis perducturos. Non tamen idcirco animis concidit cum Paschasio, sed mutatis identidem latebris, captatísque temporibus, omnem laborem ac diligentiam in tutandis curandísque Catholicis impendit, modò privatis eos monitis in Fide corroborando, modò ignaros castum Religionis cultum perdocendo, sacra mysteria ministrando, indulgentias promulgando. Neque paucos, Regij edicti metu in hæresim lapsos, reconciliabant; alijs Apostolicæ Sedi reservata facinora condonabant; alios alijs Ecclesiasticarum pœnarum nexibus relaxabant: ex quibus ingens apud eos populos ubique lætitia & admiratio, Patrum præsertim continentiâ atque integritate perspectâ; qui pro potestate Nunciorum relaxationes,

tiones, exceptiones, immunitates, aut planè gratuitò, aut ære permodico ad ſacrarum Ædium per Hyberniam inſtaurationem, aliáque pia onera impendendo, indulgebant; nullo unquam teruncio in ſuos uſus & neceſſitates acceptato. Hunc in modum diebus 34. luſtratâ Provinciâ, ipſo vulgi rumore proditi, ab Anglis indigenis quæruntur ad necem, propoſito indicibus magno pretio. Ergo Alphonſus cùm moram diuturniorem non modò non animabus infrugiferam, ſed nè tutam quidem amicis & hoſpitibus ſuis futuram proſpiceret (nam & in receptatores eorum ac fautores pœna ſanciebatur) reverti in Italiam conſtituit, quia hoc ipſum in mandatis Romæ acceperat. In Scotiam reverſi, cum generoſo animo fruſtra Regem firmandæ Catholicæ rei accedere tentâſſent; eò quòd Procerum potentia, cum toto ferè Regno rebellem Angliam ſecuta, aditus omnes occluſerat; in Galliam re deſperatâ tranſmittunt: ſed Lutetiâ Lugdunum progreſſi, cùm ob bellum inter Carolum Cæſarem omnia ſuſpecta eſſent, ſimul ac comparuerunt duo iſtic Clerici, Gallus alter, alter Hiſpanus, inuſitato ſqualore ſordidi, & obſoletiore neglecti veſtitu, pro exploratoribus comprehenſi conjiciuntur in vincula. Verùm à Cardinalibus duobus, Lugduni tum fortè morantibus, tandem agniti, honorificè cum viatico & equis additis, Romam dimiſſi ſunt.

Alia ſub hæc Alphonſum excepit animarum haud paulò ærumnoſior procuratio. Joannes Moronus Cardinalis & Epiſcopus Mutinenſis, Salmeronem ab IGNATIO impetraverat, Diœceſi ſuæ ab erroribus & vitijs expurgandæ; in qua diabolo ſuperſeminante zizania ſic excreverant; ut bonum ſemen obruerent: cujus proinde excolendæ neceſſitas, biennium ferè Patris operam & laborem exegit. Ac ſanè quidam tam altè imbiberant falſi dogmatis virus; ut non modò ex vero redarguenti Alphonſo fidem non adjungerent: verùm etiam tanquam phrenetici in Medicum inſanirent. Auſi ſunt vice verſâ eundem de Fidei integritate, & vitæ caſtimonia flagitioſiſſimè criminari, mendacia in vulgus ſpargere, multa indigniſſimè cominiſci; ut dum flagrat infamiâ vir fortis, aliò vertat ſolum. Ille verò calumnijs infractus locum conſtanter tenuit, & quà privatis quà publicis ſermonibus omnia periclitatus eſt, vitia acerrimè carpendo, & hæreticorum inſanias arguendo, ut perditos ad ſalutem reduceret. Ergo illi nihil jactatis in vulgus, criminationib9, proficere ſe videntes, nequiſſimos ad Romanæ Curiæ Magiſtratus delatores ſubornant, qui innocenti ſtruant calumniam: quo cognito IGNATIUS Alphonſum ſinè mora in Urbem tantiſper revocat, ut accuſationes oblatas præſens diluat. Has ille, ùt Urbem ipſam attigit, ità depulit; ut magno adverſariorum probro repreſſa ſit impudentia, & innocentia Patris illuſtrata. Interea temporis conciliatâ inter Cæſarem & Gallum pace, Pontifex in Concilium generale Tridenti aperiendum intentus, cùm Theologos circumſpiceret, quos Legatis Cardinalibus ad Synodum illam in ſalutẽ totius Chriſtianitatis colligendam adjungeret, duos è Societate delegit, Alphonſum Salmeronem & Jacobum Lainez (quibus ſubinde Claudius Jaius acceſſit) notæ utrumque ſapientiæ & virtutis, eſto Alphonſus tum non numeraret annos ſupra 31. Tridentum delati, cùm tectum & commeatus liberaliter à Cardinalibus offerrentur, declinatâ ſplendidâ habitatione, quoties vacatio erat à ſeſſionibus, & tractatibus Concilij, publicum adibant valetudinarium, laborantibus æquè animis ac corporibus aures & manus commodaturi; puerulis in tradenda Catecheſi magiſtros; egenis, quorum ingens tum confluxerat Tridentum copia, in quærenda ſtipe tutores ſe dabant: operam navabant verbo DEI, & confeſſionibus audiendis: & ſi longior intercederet mora, in varias circumquaque urbes & regiones, ad piſcatum animarum excurrebant. Tum demum intellectum eſt, ſapientiam quandoq; ſordido latere ſub pallio: nam cùm initio pannoſi in illius ſacri theatri conſpectum ſe dediſſent, erant pleriſque deſpectui, præcipuè Civibus ſuis Hiſpanis: qui tamen ubi reconditos intus aſpexêre theſauros, & audivêre ſententiam ſuam publicè magno pondere argumentorum proferentes, maximam de ſapientia & virtute illorum concepêre exiſtimationem: & de Epiſcopis Præſulibus multi ſuam coràm, & ſcripto ſententiam, priuſquam in luce Concilij proferrent, cum ijs conferebant. Latinam quoque Salmeron Orationem habuit tanti Conventûs auribus dignam, quæ tot Præſulum judicio mox edita, ad noſtram uſque ſervaretur ætatem. In dicendis autem publicè intra Synodum ſententijs, inter Theologos omnes primo loco Salmeron, ultimo dicebat Lainez, ità ſapienter ſtatuentibus Legatis Pontificijs; ut ille veluti corticem ad propoſitam veritatem enucleandam aperiret: iſte verò poſt omnium audita ſenſa, eandem robuſtioribus argu-

argumentis partim firmaret, partim si quæ ex dictis refellenda essent, confutaret, vel exploratiora redderet. Atque hæc illorum quotidiana experimenta Legatos Apostolicos impulerunt; ut eorum sapientiâ & consilio ad faciendum de Justificatione, inter Fidei mysteria summè arduo, Decretum, & ad gravissima Concilij negotia plurimùm uterentur. Referebat postmodum Isidorus, Episcopus Fulginij, P. Sylvestro Landino, non fuisse in numero Theologorum è tot Provincijs illuc adductorum, qui majore claritate & soliditate sensa sua edicerent, atque Salmeron & Lainez. Jussi inter cetera, Lutheri hæreses omnes in compendium & summam redigere, unáque loca Conciliorum, SS. Patrum, & Doctorum illis opposita colligere, magno id laboris impendio, & summâ fide præstiterunt: quæ postea ad Theologorum privatos cœtus à Legatis relata sunt; déque singulis dicta à PP. magno cum assensu & approbatione sententia. Cúmque paucis admodum unius horæ spatium daretur ad dicendum, Lainio tamen ternas fuisse concessas scribit Canisius; qui cum Cardinale Augustano per id tempus Tridentum accesserat.

Atque hæc in conspectu Concilij totius gesta, vagari scilicet toto orbe celebri famâ cœperunt, omnísque Societati seu ab hæreticis, seu à malevolis intentata calumnia fidem deperdere. Nec defuêre ex Præsulibus, qui tum primùm rationem & instituta Societatis cognoscere docti, operas ex illa pro Diœcesibus suis certatim expeterent, domíque suæ, Collegia illis molirentur. Claromontanus certè Episcopus Guilielmus de Prato, duo Collegia, quibus postea tertium adjecit, in suo territorio Societati fundavit. Ut adeò verissimè ab Hispanijs ad S. IGNATIUM scripserit P. Araozius, Patres illos Tridenti plus per Hispanias Societati paucis mensibus nominis attulisse, quàm annis antehac omnibus, quotquot de Societate in Regno fuissent. Id quod non tam ab sapientiæ illorum æstimatione & reliquis dotibus proveniebat, quàm excellenti virtuti, sui despicientiæ, atque incredibili in proximum charitati tribuendum est; quæ in maximam admirationem Patres Synodi omnes rapiebat; cùm viderent eos novas semper artes juvandis miseris excogitare. Apostolicis quippe Legatis & Cardinali Tridentino consultis, Antistitum Oratorúmque omnium, qui Concilio aderant, sibi indicem confecerunt, stipémque à singulis, facto à Legatis initio, corrogârunt; tantúmque subito collectum est eleemosynæ, ut nudis egenorum corporibus 76. subministrata sit vestis. Qui cùm per Urbem composito agmine ad ædem, ubi concionem Patres habebant, convenissent; verbo DEI primùm, tum prandio omnes refecti sunt. Ea res ità probata est Principibus & Legatis, ut cùm Germanico ex bello contra hæreticos miles plurimus illac reverteretur, egestate & morbis prostratus; Cardinalis S. Crucis, Patrum eum pietati, fideíque commendandum putârit; cujus hi sedulam mox curam susceperunt, vestitu, cibatu, medicinis, viatico, providerunt, ut paulò pòst integrè omnes sibi restituti, in Italiam redire potuerint. Translatâ subinde ob pestilentiæ periculum aliásque causas Bononiam Synodo, jussi sunt & Patres nostri illam sequi: quo in itinere Salmeron ex tot laboribus in vitæ discrimen Patavij adductus, gravissimè decubuit, à Lainio peremptoriè ad consvetas Synodi sessiones Bononiam evocato deserendus; nisì sub ipsum ejus discessum repentè sanum se comperiens lecto erexisset, id quod omnes miraculo, precibus ac meritis S. IGNATII concesso, tribuebant. Bononiæ nihilo hebetior ex morbo factus Salmeron, dum de Sacrificio Missæ Theologorum conferentia haberetur, suam per biduum sententiam magnâ omnium approbatione & ingenij profunditate explicuit. Quidquid autem temporis à Concilij curis superesset, partim audiendis ad S. Luciæ populi confessionibus, partim concionibus, aliísque Sacerdotum ministerijs naviter impendebat, maximo omnium, quòd extraordinariâ à Pontifice potestate præditus esset, concursu; quâ etiam complures ab hæresi Lutherana absolvit. Suspensâ autem paulò pòst in commodiora tempora Synodo, habuit ad numerosissimum auditorem Quadragesimâ totâ matutinis horis conciones, sub vesperum autem ad Sanctimoniales; reliquis horis ità integrè accurrentium pœnitentium auditioni attributis; ut somno etiam tempus necessarium substrahi oportuerit. Neque paucos ex Civibus, Clericis, & Religiosis sacrâ Exercitiorum ascesi excoluit, ac præcipuè frequentiorem sacræ Confessionis & Comunionis usum introduxit, quæ ante hac rarissimè adibantur; quibus utilitatibus commota Civitas, Collegium Societati apud se fundare omnino decrevit, eodémque anno Templo S. Luciæ Societati oblato, duas illi adsitas ædes in Collegium coëmit, & suis sumptibus illico in habitationem stabilem accommodavit.

His præclarè Bononiæ gestis, Veronam cum Antistite Ludovico Lipomano discessit, ijsdémque docendi in Theologia, dicendi, & pœnitentes expiandi in æde sacra muneribus perfunctus, Civium animis multùm profuit. Nam & mentes in Fide nutantes, in Religione confirmavit, & quàm plurimos hæreticorum libros incendio abolere persvasit. Post brevem illic moram, ad preces Guilielmi Ducis Bavariæ, jussus est à Pontifice in Germaniam proficisci; quò priusquam digrederetur, Bellunum antiquam Venetæ ditionis in Carnis Urbem, rogatu ejus Episcopi divertit, tantúmque dictione sacrâ, & privatis colloquijs profecit; ut homines novum concionandi modum admirati, negarent jam indè à S. Bernardini Senensis temporibus fructus illis extitisse majores. Declarabant id odia flagrantissima restincta, positi errores & opiniones pravæ, Lutherani combusti codices, honor redditus Sacramentis, Quadragesimæ jejunia jam propè obsoleta, renovata, adstricta Virginum disciplina. Quia verò tres de Societate Viros Bavarus à Pontifice petierat, qui Catholica dogmata in Academia Ingolstadiensi tradendo, Provinciam suam à fremente circumquaque hæresi conservarent; adjuncti sunt Salmeroni Claudius Jaius, & Petrus Canisius; jussu IGNATII ad majorem inter Germanos, hæreticos præsertim auctoritatem conciliandam, publicè priùs Bononiæ gradu Doctorali ex Theologia insigniti, à Cardinale Joanne Maria de Monte, Legato Apostolico, qui postea ad summum Pontificatum evectus fuit. Iter per Tridentum ingressi, à Cardinale Urbis Episcopo primùm humanissimè, deinde ab Augustano Dilingæ, omni officio, ad eorum adventum illacrymante, excepti sunt; qui etiam Canisium pro regendo Collegio, quod ibi fundare meditabatur, retinere conatus est. Sed majore præ omnibus benevolentiâ, & summi amoris amplexibus exceptos Dux Guilielmus, Cancellario suo Leonardo Ecchio, Ingolstadium deducendos commendavit; ubi à tota Academia, Doctoribus & Magistris, ipso adeò Episcopo Aistetensi, Academiæ Cancellario, ad hospitium Patrum convolantibus, eleganti oratione salutati sunt. Nec mora, lectiones Theologicas auspicati; Salmeron in Cathedram Joannis Ecchij Viri maximæ doctrinæ, & pro re Catholicâ zeli, successit, explanavítque Epistolas S. Pauli; tantâ illico Societatis laude & famâ, ut continuè de condendo Societati Collegio, agitari ab Academicis apud Ducem cœperit, & Salmeron Facultatis Theologicæ Decanus renunciatus sit. Verùm quia utilior alibi, magísque necessaria ejus opera Pontifici fore videbatur, anno insequente Veronam redire jussus est, labores tanto proventu cœptos, ad profligandam penitus ab Italia hæresim, resumpturus. Quibus dum maximè distinetur, novis supervenientibus mandatis jubetur adire Neapolim, ubi Novatorum sparsi errores magnam animorum stragem edebant; receptúsque est magnâ omnium propensione, Pro-Regis inprimis Petri de Toleto, qui jam tum de fundando Societati in Urbe Collegio cum Nobilitate consilia agitabat. Venerat quidem Salmeron conciones per Quadragesimam habiturus: sed quia plures ei muneri per diversas Ecclesias sacri Oratores aderant, aliam refellendis erroribus magis idoneam occupationem assumpsit, orsúsque est horis pomeridianis ad B. MARIÆ Majoris explanare Epistolam ad Galatas, eâ doctrinæ copiâ, ardore animi atque vultûs; ut delitescentes hæreticos, qui clandestinis venenis multos jam infecerat, redargueret, & omnium per ora traduceret. Verùm in medio iterum laboris cursu, repentè ad Urbem revocatur, ut ad resumptum Conc: Tridentinum, Pontifice jubente, se conferat. Percutit ea res vehementer Pro-Regem & Regni Primores, qui fructum jam avertendæ hæresis, & importatæ errorum pestis percipere ex Alphonsi conatibus cœperant; qui nè cum Alphonsi discessu evanescerent, dedêre ad IGNATIUM literas, Socios aliquot Neapolim mitti postulantes, ad danda Collegio initia.

Tridentum attigit Salmeron cum Laine, Julio ferè exeunte, anno 1551. magnâ Legatorum, & Concilij Patrum gratulatione, jussíque sunt deinceps primi in Conventibus inter Theologos sententiam dicere, & gravissimum ferè quodque onus, in ijs quæ privato studio elucubranda erant, ad dandam Fidei mysterijs discutiendis lucem, utrique imponebatur; neque unquam sinebantur à Conventib, seu publicis, seu privatis abesse, etiam dum febri Lainius laboraret. Hinc videlicet rursus toto terrarum orbe nobilitata Societas, tanquam de Ecclesia & triumphatis hæresibus optimè merita; ità ut Ægidius Foscarius ex Prædicatorum Ordine, Mutinensis Episcopus scribere non dubitaverit hæc: *Lainius & Salmeron maximo cum splendore de SS. Eucharistiæ Sacramento contra Lutheranos disseruerunt: & revera me felicem duco, quòd in hæc tempora tam doctorum, quàm sanctorum Patrum*

trum inciderim. Abrupto poſtmodum iterum Concilio, Salmeron Neapolim redijt, & præter alia ubiq; antehac uſurpata animabus lucrandis munia, conciones per dies verni jejunij flagrantiſſimo ardore habuit, eo eventu, ut plurimis excuſſæ ſint hæreſes, nec paucioribus religio injecta jejunij. Duas etiam inter reliqua erexit Sodalitates, quas ſub diſceſſum Antiſtiti commendavit: alteram virorum; fœminarum alteram. Illi, ſub Auguſtiſſimo Evchariſtiæ nomine, ſolennia præ reliquis erant, decimo quinto quoque die Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ frequentare, idémque alijs diligenter ſvadere: puerorum & rudium inſtructionem in præcipua cura habere; pacem inter diſſidentes omni ſtudio procurare; denique ſuam xenodochijs operam, & ægrotis obſequium per intervalla præbere. Fœminarum verò Sodalitium, ſub titulo nominis JESU, quot menſibus SS. Sacramenta percipere tenebatur, & ſingularem in inſtruendis doctrinâ Chriſtianâ domeſticis curam gerere: emergentibus à flagitiorum cœno mulierculis tutum receptum providere, dum certo honeſtóque vitæ genere illigarentur: devitare in ſe omnem ambitioſum & ſuperfluum ornatum & oris pigmenta, & ad eandem moderationem alias inducere. His præclarè ex ſpiritu Apoſtolico Neapoli geſtis, Anno 1555. primus è Societate Regnum Poloniæ intravit, juſſus eò miſſum à Pontifice Legatum Ludovicum Lipomanum comitari; ubi rebus præclarè geſtis, & magnâ Societati partâ exiſtimatione, redeuntem cum Nuncio, Senas tranſire voluit Ignatius, Cardinalíque Franciſco de Mendoza, ac Civitati, dum per Pontificem liceret, quidquid in ſe eſſet navare operæ. Laboravítque tam impenſo zelo, ſatisfactione, & ſolatio incolarum calamitoſiſſimæ Urbis, recenti bello & oppugnatione, quâ in poteſtatem Hiſpani venerat, exhauſtæ, ut malorum pene oblivio Civibus inducta, & tanquam de integro renaſcens poſt martiales tumultus, Chriſtianæ forma pietatis reſtituta ſit. Iterum tamen paulò pòſt à Pontifice Romam accerſitus, Cardinalem de Motula in Belgium ſequi jubetur; ubi illud operâ ſuâ Societatis laborum ſpecimen dedit, ut eorum deſiderio excitatis incolis, uni Collegio principia poſuerit, & quatuor è Belgis Societati adjunctos ſecum Romam adduxerit.

In reditu è Belgio, contigit eum iter facientem per Helvetos, divertere cum Nuncio Baſileæ, Urbe nuper ab hæreſi depravatâ; ubi cùm aliquot dies morarentur, famâ ejus ad Magiſtratum delatâ, ſubornati ſunt pſeudo-miniſtri aliquot è doctioribus, qui eum diſputatione de Fide laceſſerent. Venientes ille ad certamen tam ſolido argumentorum & reſponſionum pondere excepit; ut palàm errorum convicti remanerent ingenti pudore & confuſione; & deſtituti opponendis rationibus, ad convitia & injurias verterentur. De horum impudentia queſtus apud Magiſtratum Nuncius inſtitit, ut tam improbos & malè feriatos ſuos miniſtros ad palinodiam cogerent, juſſos Salmeroni illatam injuriam deprecari. Sed horum culpæ excuſatio ea fuit, ut dicerent, ſe eo die, quo certatum fuerat, nuptiali convivio interfuiſſe; ex quo reduces, cum poculis liberalioribus immaduiſſent, non fuiſſe idoneos rationibus ſuæ doctrinæ depromendis, ideóque in eas inſolentias lapſos eſſe. Reverſus Romam, præter domeſticum ex obitu S. Ignatii luctum, reperit ſtatum publicum, ob Pontificis Pauli IV. cum Philippo Hiſpaniarum Rege diſcordias, vehementer perturbatum; cúmque obſidio à Regijs Urbi timeretur, juſſis ad publica munitionum opera manum commodare etiam Viris Religioſis, Salmeron inter primos ligone & palâ oneratus (ea erat Viri humilitas & promptitudo) comparuit, populo ad rem adeò novam & inſolitam illachrymante. Mox Neapolim redire juſſus, ſummóque omnium Ordinum plauſu exceptus eſt, ſtatímque Templi & Gymnaſij ſtructuram in Collegij uſum aggreſſus eſt; & cùm illi pertenues in fabricam ſumptus affluerent, terram ipſe primus cum ſocijs fodere, cœmentum, lateres, in oculis totius Urbis afferre, quæ non minùs ex hoc demiſſionis Viri tam præſtantis exemplo, quàm dicentis è pulpito ferventibus concionibus profecit. Iterum autem à Pontifice ſub autumnum avocatus, tanta erat Operarij tam gnavi ubique neceſſitas! Romam, cum Caraffa Cardinali ablegatur in Belgium, ad pacem Philippum inter Hiſpaniæ, in Belgio tunc commorantem; & Henricum Galliæ Reges conciliandam: quo cum P. Ribadeneira delatus, nè penes publica Aulæ pacíſque negotia ſaluti animarum deeſſet, conciones Italicas Bruxellis habere inſtituit, non minore hominum profectu, quàm affluxu. Redux cum Cardinali ad Urbem, Congregationi generali Societatis interfuit, in qua Anno 1558. electus eſt Succeſſor S. Ignatio Generalis P. Jacobus Laines: túmque Neapolim ad conſvetos labores repetijt, conſtanter ibidem uſque ad Annum 1561. moratus;

quò

quò Pius IV. Pauli IV. successor, cùm Generalem Laines misisset in Galliam cum Cardinali Legato Hippolyto Estensi, ad componendum & pacificandum illud Regnum miserrimè ab hæresi afflictum & ruinatum, necesse fuit Salmeronem Romam venire, ut interea Societati titulo Vicarij Generalis præesset.

Per eum Salmeronis ab Neapoli repentinum abscessum, ubi instar oraculi & hominis divini habebatur, occasionem sumpsêre sparsi per Urbem hæretici, atrociter ipsum publicè calumniandi, mendacio veritatis specie tam artificiosè involuto, ut calumnia toto Regno vulgata fidem apud omnes, etiam Religiosos, Clerum, Dynastas, & Nobilitatem, invenerit. Nihil illo Neapoli notius, nihil doctrinæ & sanctitatis famâ celebrius; siquidem per triennium constanter diebus quibusque Festis & Dominicis, & in Quadragesima quotidie, maximo cum fructu & plausu, concionem ad confertissimum populum in celeberrimis suggestis habebat: ubi tamen præter opinionem repentè disparuit ab Urbe, vulgatur primo rumore ipsum in vincula conjectum esse; mox autem crescente pejore famâ adjicitur, publico rogo exustum: erántq; qui oculis suis deflagrantem vidisse testabantur: postremò novus rumor cooritur, descivisse à Fide Catholica, & magnâ pecuniâ suffarcinatum, Genevam, hæreseos nidum, aufugisse. Proferebantur falsæ & supposititiæ literæ Cardinalium, quibus ea defectio nunciabatur: adducebatur ad fucum mendacio faciendum alia pudendè conficta fabella; cùm scilicet Salmeron Matronam opulentam noluisset absolvere decumbentem, nisì quatuor sibi aureorum dedisset millia; id à Pontifice rescitum, & Salmeronem ad Urbem excitum; at eum, quo supplicium eluderet, cum tota ea pecunia Genevam maturâsse fugam. Nulla de re alia in circulis, super mensas, in foris sermo erat, neque contrarium asserentibus socijs fides habebatur: adolescentes qui Gymnasium nostrum frequentabant, ab æqualibus hæretici vocabantur: accedentibus adPatres pœnitentibus, à malevolis insusurrabatur, istísne animas committetis, quorum princeps hæreticus est? pueri carmen sibi confecerant, & occurrentibus socijs occinebant per vicos gregatim: *Salmeron apostata & fur improbus, hæreticus aufugit Genevam subdolus, cum quatuor aureorum millibus.* Sed quod omnium erat maximè exitiale, incipiebant plerique vulgò minùs abhorrere ab hæreticorum nomine, ità secum ratiocinati: si Salmeron tantæ Vir sapientiæ Genevensium Ecclesiam veram agnovit; fortasse haud vanum est, quod in suis dogmatis illa asserit. Quare passim judicabatur à prudentibus Romæ, oportere Salmeronem ire Neapolim, & aliquot saltem dies spectandum se populo præbere. Sed cùm ratio officij id tum non pateretur, negotium summus Pontifex aliquot Cardinalibus commisit, jussis suo nomine Pro-Regi & Primoribus ex Clero atque Nobilitate veritatem rei perscribere. Eorúmque operam juvante tempore, cùm & ipsa per se monstrosior infamia esset, quàm ut diu vivere posset, paulatim emortua atque sepulta est.

Ad reditum Patris Generalis ex Gallia, posito Vicarij munere, nulla tamen quies Salmeroni concessa est; quòd illum Sabaudiæ Dux summis precibus ad se mitti flagitaret, ejusdem petitionem urgentibus Cardinali Michaële Gisserio (qui postea fuit Pius V. summus Pontifex) & Cardinali Ferrariensi, sperantibus, ejus præcipuè operâ, irrumpentem pleno torrente in eum Ducatum hæresim reprimi posse. Idem expetebat S. Cardinalis Borromæus, & Pontifici Pio IV. avunculo suo jam persvaserat, nisì repentè tertiùm aperto Concilio Tridentino, magìs ibi necessariam illius fore operam judicâsset. Missus itaque tertiò ad Concilium, tanquam Theologus Pontificius Salmeron, paulò ante P. Jacobum Laines Tridentum intravit, summâ totius Concilij gratulatione; auditus in ejusdem Conventibus & Sessionibus eâdem quâ priùs gratiâ & applausu, cùm primus inter Theologos iterum dissereret, Lainius autem ultimus inter Ordinum Generales peroraret; ille semina jaceret; hic fruges demeteret. Finito tandem Concilio priusquam in Provinciam Neapolitanam rediret, Venetias divertere jussus, totam Urbem concionibus in sui admirationem, & ad novum pietatis studium excitavit. Præcipui Senatorum ac Civium cum Duce assidui erant Auditores; cæterorum verò frequentia, quantam summam poterat capere templum. Vix licebat Viro, verbis & re Evangelistæ, apparere in vicis & publico; adeò occursantium ad venerationem sui officijs, & puerorum laudes acclamantium vocibus confundebatur. Eloquentiæ efficacis ac fructuosæ duo præ cœteris argumenta fuêre: quòd cùm invectus in habitum fœminarum indecorè nudantium pectus fuisset; decem è primarijs matronis eo ipso die, quas multæ dein secutæ sunt, vestitum decen-

decentiorem, qui collotenus nihil intectum relinqueret, assumpserunt. Alterum, quòd cùm paulò impuniùs hæreticos tolerari dixisset, Decretum confestim in eos severum Respublica promulgavit, quo ditione suâ totâ omnes excedere jubebantur, quorum multi absque mora fugâ sibi consuluerunt. Per Romam, indè Neapolim redeunti, concio in S. Petri Basilica imposita fuit altero Pentecostes die; quam coram ingenti Nobilitate & 14. Cardinalibus eo fervore per duas propè horas habuit; ut ejus famâ Pontifex motus, Salmeroni successum ejusdem gratulatus sit, & commeatum in Neapolitanum iter submini strârit: jam tum Pro-Rege Neapolitano, & Ferrariensi Duce, ut eum in Quadragesimam Oratorem haberent, certantibus. Vixit deinceps constanter Neapoli, illi Provinciæ Præpositus Provincialis, nisì dum cogebatur negotiorum Societatis gravissimorum causâ Romam ad tempus excurrere: inter quæ erant terni Generales Conventus pro electione Præpositorum Generalium, in quibus electus est post Lainium S. Franciscus Borgia anno 1565, P. Everardus Mercurianus anno 1573. P. Claudius Aquaviva anno 1581. Præterea anno 1569, evocatus à Pio V. ad conciones in Palatio Apostolico per Quadragesimam habendas, dixit mirabili spiritu, doctrinâ, & summâ Pontificis, Cardinalium, & Principum satisfactione. Cúmque Pontifex retineri illum Romæ cuperet tum ad conciones suas, tum ad graviora Ecclesiæ negotia tractanda; ipse, ùt erat vitæ Aulicæ hostis, & Religiosæ amantissimus, valetudinis tot laboribus fractæ obtentu missionem impetravit, ac Neapolim redux, quia ob virium defectum dicere pro suggestu ultrà non poterat, totum se scribendis libris (nam & Pontifex cupiebat ipsum in hæreticos stylum sumere) deinceps dedit; ut, cùm voce non posset, calamo saluti animarum atque Ecclesiæ prodesset. Scripsit autem doctissimos juxta ac utilissimos commentarios in Evangelia Tomis 11. & in reliquam Scripturam Tomis 5.

Toto autem illo restantis vitæ tempore, ingentia virtutum & consummatæ sanctitatis præbuit Neapoli specimina, ardentissimæ inprimis in proximos charitatis, erga quos semper aperta gerebat viscera misericordiæ, cum rara humilitate, simplicitate, & apertissimo animi candore: erroribus omnibus & hæreticibus constanter infensus, cujus potissimùm studio Regnum illud suam ab his conservationem debet. Dixit per 18. Quadragesimas quotidie, maximo fervore & fructu, nihil interim remittendo de assiduitate audiendi confessiones, & observandi Ecclesiastici jejunij: & cùm auctoritate plurimùm posset apud Dynastas atque Pro-Reges, gratiam omnem ad calamitosorum levamentum conferebat; nec semel magno usui fuit ad concordiam sacræ inter profanæq; Jurisdictionis administros. Nullam sui fovebat existimationem, omnibus se postponens, & virtutum quarumlibet exempla in alijs ità suspiciens, ut ea ad imitandum, in libellum secretum annotaret. Cúmque esset literaturâ omni, & sapientiâ excultissimus, aliorum tamen sensum & consilia avidissimè exquirebat, etiam multò se juniorum, minúsque expertorum, & perlibenter sequebatur. Revidendis illius Tomis, missus erat Censor Neapolim à Generali Præposito, P. Robertus Bellarminus, qui testatus est, se quinque totis mensibus illi labori insudantem, annotare solitum quotidie Salmeroni, quæ sibi in Operum ejus lectione minùs probarentur, eáque illum omnia postridie emendata exhibuisse, etsi non rarò rationes ijs tuendis idoneas habere potuisset: & tamen Bellarminus longè erat ipso ætate & experientiâ junior. Passioni Christi tenerrimè erat addictus, túmque præcipuè emicabat ejus in DEUM religio, cùm de Christo Domino, de SS^ma^ ejus Parente, de cœlesti deniq; Beatitudine loquebatur. De horum trium aliquo ubi sermo incideret, extra sese rapi diceres, adeò afficiebatur, & verba ex pleno, redundantíque fundebat pectore. Tandem ætate, annis & laboribus gravis, modico primùm catarrho tentari cœpit, cui superveniens febricula ardentior eum admonuit, tempus esse, ut ad migrationem ex hac vita se compararet; unde etiam aliquot ante obitum hebdomadis hilari vultu prædixit, velocem adventare depositionem tabernaculi sui, esto Medici nihil periculi subesse affirmarent. Dum sacra Unctio afferretur, quia ipse præcipuo cultu S. Agatham venerabatur, quidam adstantium, *memineris*, inquit, *supremum Sacrificium te die Festo S. Agathæ obtulisse*; & Salmeron: *quàm mox erit dies Festi ipsius octavus?* cúmque responsum esset: *postridie futurum*: *proindè*, inquit, *crastinus dies est vitæ meæ terminus*; neque aliter cecidit: nam horâ 10. noctis 13. Februarij anno 1585. expiravit, cùm eam totam dulcibus cum DEO colloquijs exegisset, animo tranquillissimo, & ad beatam illam lucem avidè aspirante. Nam cùm sæpius exclamâsset: *lætatur anima mea*,

lætatur! quærenti cur lætaretur? *quia*, inquit, *incipit DEUS misericordiæ suæ mihi vias ostendere*! post quæ, oculis à Crucifixo & DEIparæ imagine nunquam retortis, placidissimè expiravit. Postquam Viri pretiosi mors Urbi innotuit, tota quodammodo ad Collegij januam concurrit, ejus corporis videndi, & manus pedésque basiandi gratiâ. Funeri deducendo adfuit Archi-Episcopus Neapolitanus cum Capitulo & toto Clero, in Pontificiali vestitu: dúmque officium perficeret, tantus fuit hominum prementium ex omni genere & statu confluxus, ut tumulo inferri nequiverit; alij capillos & barbam, alij vestium frusta abscindebant, ut vix magnâ industriâ caveri potuerit, nè corpus ipsum discerperetur. Noctem igitur præstolari oportuit, quâ valvis Templi occlusis tumulatus est, cùm annos ætatis complêsset 69.

Ex Histor: Societatis & Nierembergij Tomo I.



P. Ioannes Gonzalez S: I: Hispanus, animarum supra propriam vitam Zelator insignis; ut obstinatum moribundum ad pœnitentiam reduceret, ad mortem temporalem Deo se obtulit, et exauditus est Hurtæ 16 Iunij Aº 1583 æt: 30

42.

P. JOANNES GONZALEZ.



Ingulare exemplum altissimæ charitatis, & mortis accersitæ ex zelo unius duntaxat animæ salvandæ, habemus in Patre Joanne Gonzalez, quam subijt ætate quidem minimè provectâ, sed meritis & virtutibus superadultâ. Et quidem vel unius animæ lucrum, tanti sibi esse declarant multi SS. Patrum, ut illud ipsi Martyrio præoptent; quemadmodum legere

legere eſt de S. Tereſia in Chronico Carmelitarum lib: 2. c. 1. quæ occaſione quâdam intelligens multas animas æternùm perire, tanto ſenſu doloris repleta eſt; ut in hæc ferè verba exclamaret: *Tantâ miſeratione affecta ſum ſuper perditione tot animarum, ut me ipſam non capiam. Cùmque recepiſſem me in quandam ſolitudinem, cum multis lacrymis clamavi ad Dominum, ſupplicando ut modum aliquem mihi ſuggereret, quo poſſem lucrifacere vel unam animam pro ſuo ſervitio, cùm tot pro ſe lucretur dæmon: ſenſi etiam magnam invidiam erga illos, quibus liceret ex DEI amore huic muneri ſeſe impendere, licèt eis mille mortes forent ſubeundæ. Unde mihi contingit, ut, quando in vitis Sanctorum lego, quòd animas ad DEUM converterint, majorem indè devotionem ſentiam, teneritudinem, invidiam, quàm ex omnibus martyrijs, quæ ſubierunt. Et quia ſenſum hunc DEUS mihi indidit, exiſtimo pluris ab illo fieri unam animam, quam orationibus noſtris, mediante ipſius miſericordiâ, lucramur, quàm omnia obſequia, quæ illi exhibere poſſemus.* Feliciſſimus idcircò fuit Gonzalez, qui vitam pro unius animæ ſalute aſſerenda ultro poſuit, copulando in unum duo ſummi meriti opera, zelum Apoſtolicum, & tolerantiam. Ortu fuit Hiſpanus, Societatem JESU anno 1572. complexus; unde Romam ad ſtudia altiora tranſmiſſus, cum famâ ſubtilis Theologi in patriam redijſſet, Curſum Philoſophicum docendo abſolvit. Verùm ſanctiore deſiderio animis potiùs proximorum opitulandi incitatus, nuncio ſcholis remiſſo, totum ſe Apoſtolico Operariorum muneri addixit, cum quadam inſatiabili & indefeſſa charitate & deſiderio ipſorum ſalutis: ad quam impetrandam plurima offerebat Sacrificia, orationes omnes dirigebat, adjutas quotidianis flagellationibus; & alijs ſponte ſuſceptis pœnitentijs. Et vero ſingulare à DEO experiebatur auxilium, plurimáſque è faucibus inferni tam in Pœnitentiæ tribunali, quàm alijs Societati conſvetis miniſterijs animas eripuit. Ex his adoleſcens fuit dæmonis infeſtationibus mirè exagitatus, non internis duntaxat ſuggeſtionibus & tentationibus, ſed aſpectabili etiam formâ, partim blandientis, partim terroribus ad illicita compellentis vexatus. Præcipuè verò perſvadere nitebatur, nè Collegium Societatis Madriti, ubi tum P. Gonzalez morabatur, adiret, vel ei conſcientiam ſuam detegeret, quòd ipſum haberet ſuper omnes maximè exoſum. Nihilominus boni Genij inſtinctu adoleſcens Patrem convenit, & quæ ab orco pateretur, confidenter aperuit; à quo ſolatio ſingulari & conſilio ad fortiter ſuſtinendam luctam animatus, totius ſimul vitæ exomologeſi conſcientiam expiavit. Non potuit non graviſſimè eo facto inimicus commoveri: quare mox terribili formâ Juveni comparens, magnam furiam præſetulit, quaſi mox eundem in fruſta eâ cauſâ diſcerpturus: niſi efficaciores apud DEUM Patris orationes vires repreſſiſſent, ut deinceps liberum ab omni moleſtia Juvenem deſerere cogeretur.

Idem poſtea Operarij munus pari animorum proventu in Collegio Huetenſi proſecutus, evocatus aliquando fuit ad confeſſionem hominis moribundi excipiendam, quem peſſimo in ſtatu verſantem deprehendit, quippe in ipſo agone confiteri pertinaciter recuſantem, neque periculi atrocitatem ad animum vel aures admittentem. Laborabat modis omnibus Pater, ut ſupremum vitæ utriuſque amittendæ diſcrimen homini quàm vivaciſſimè proponeret; obſecrabat, hortabatur, & minas demum diſtricti à DEO judicij intentabat: ſed aliud non obtinuit, quàm faceſſeret à ſuo conſpectu in malam crucem, quem nunquam ad ſe venire deſideraverit, neque reconciliatore cum DEO opus habeat. Afflictus ſupra modum Pater, ubi domum redijt, ad Sacrificium Miſſæ pro deſperato litandum continuè ſe accinxit, ſupplicando per Chriſti ſanguinem, ut gratia veræ pœnitentiæ miſero concederetur: demum etiam vitam ſuam Divinæ Majeſtati, ſi ità ipſi placitum eſſet, pro animæ ipſius ſalute offerendo. Vix ità ad moriendum temporaliter, nè proximus æternùm periret, Sacrificium de ſe gratiſſimum immolaverat; cùm reſponſum è cœlo ſub eadem adhuc Miſſa accepit, ratam in Divino Tribunali haberi ſuam optionem. Et ecce vix ab Altari ad Sacrarium redux, evocatur ab anhelo nuncio, rogatu ejuſdem moribundi ſubmiſſo; ad quem accurrens, alium penitus à ſe reperit, multíſque lacrymis peccata confitentem audivit. Neque ultra horam, æternitati optimè præparatus, ſupervixit æger, ingenti ſuo, Patríſque ſolatio vitâ functus. Simúlque Patrem febrilis æſtus occupavit, arbitrio Medicorum minimè pericoloſus, quem tamen ipſe oraculo Divino præmonitus, fatalem ſibi conſtanter affirmavit. Igitur Confeſſione generali de tota vita multis cum lacrymis tempeſtivè peractâ, Sacramentis reliquis muniri à Rectore diu reluctante obtinuit, magnóque omnium ſtupore, cùm nihil lethalis mali notaretur, è vita migravit 16. Junij, anno 1585. ætatis 30.

Ex Nierembergij Tomo 4.



P. Franciſc9 Adorn9 S.I. Ital9, è Senatorum Genuenſium Ordine S. Caroli Borromæi Confeſſarius, cuius operâ præcipuè Mediolanum, et vicinæ Italiæ Diœceſes ab Hæreſi conſervatæ ſunt. Obijt Genuæ 13 Jan: 1586 Ætat: 54. 43.

P. FRANCISCUS ADORNUS.

Franciſcus Adornus, natione Italus, patriâ Genuenſis, ex Ordine in ea Republica nobiliſſimo & Patricio, à prima adoleſcentia Societatem adamavit, in eámque vivo adhuc S. IGNATIO ex Luſitania, quo adoleſcentulus patrem ſecutus erat, admiſſus eſt, anno ætatis 17. ſæculi 1549. atque omnibus ibi diſciplinis feliciter eruditus. Erat enim in eo magna vis ingenij, rara memoria, prudentia ſingularis. Cùm aliquamdiu Luſitaniam ſacris prædicationibus maximo zelo excoluiſſet, per Quadrageſimam etiam in Monte Majore Evangelicâ facundiâ concionatus; Romam evocatus, in Theologia docenda ſpecimen ingenij dedit, ſimúlque concionibus ad populum habendis Chriſtiani Oratoris partes diu, inter primos ejus artis computatus, ſuſtinuit. Profeſſione emiſsâ Patavij Anno 1560, Collegium Mediolani primus rexit, tum alias domos, & ipſam Longobardiæ Provinciam, excellentis prudentiæ ac modeſtiæ temperamento. Eminebat in eo cum dignitate corporis, & nobilitate generis, humaniſſima gravitas, recondita rerum Eccleſiaſticarum ſcientia, & indefeſſus animarum zelus: quibus DEI donis multis Eccleſiæ Antiſtitibus, quorum Diœceſes maximo animarum proventu, concionibus, aliíſque uſitatis miniſte-

nisterijs lustrabat; atque inprimis S. Carolo Borromæo erat charissimus. Hic cùm illum sibi delegisset à confessionibus, & in rebus spiritualibus à consilijs, nactus eam occasionem Pater, totum conatum & zelum exeruit, in optimè componenda S. Cardinalis Diœcesi Mediolanensi, arcendis procul hæreticis, erroribus & vitijs, neque desistebat S. Præsuli modos suggerere omnia aptissimè perficiendi, quæ effectui maximo innumerabilium animarum fructu data, in gestis S. Caroli legimus. Ipsius rogatu ad restituendam Cleri disciplinam libros duos edidit de Ecclesiastica disciplina, eidémque comes fuit in peregrinationibus & lustrationibus Diœcesis omnibus, Institutor & Magister in rebus spiritualibus, & Exercitijs pietatis; in laboribus denique adjutor & socius ad usque sanctissimum Cardinalis obitum. Sub ejus directione idem S. Carolus Ignatianam obibat ascesim, quam ei uno ante mortem mense in monte Veralo tradidit: tanto illius dictis suis obsequendi studio, quasi obedientiæ voto ad parendum se obstrinxisset. Quanta porrò in opinione sanctitatis, & veneratione Franciscum S. Carolus haberet, vel indè patebat; quòd cubiculi fores, ubi Pater quiescebat, transiens, profundâ semper corporis inclinatione venerabatur; dicere solitus, venerari se illum, ùt templum Spiritûs sancti; imò tanti illum ejusque consilia fecit S. Cardinalis, ut pro magnitudine ejusdem zeli, æstimaret totius Ecclesiæ bono fore summè proficua & necessaria. Quare defuncto Societatis Præposito Generali Everardo Mercuriano, literas dedit ad Pontif: Greg: XIII. quibus illi proposuit Adornum, tanquam dignissimum, qui in Everardi locum surrogaretur.

Demortuo S. Carolo, cui ipse primus nuncium imminentis obitûs attulerat, atque ad eum per omnia morientium Sacramenta, & virtutum maximè heroicarum actus dispoſuerat; Franciscus tot missionum laboribus in ætate minimè gravi fractus, Genuam se recepit. Ubi cùm spiritu mirè affligeretur, & dolore intimo torqueretur, ob jacturam intempestivam tam sancti Præsulis, Ecclesiæ tum maximè necessarij; nocte quadam visendum se ei per quietem S. Carolus gloriosum obtulit, vestitu Pontificio, ingenti splendore relucens: cui cùm Pater admirabundus diceret: *quid hoc rerum est? credebam te esse mortuum*: reposuit sanctus: *Dominus mortificat, & Dominus vivificat.* Percunctanti verò iterum Patri: *quid sibi vellet tanta pulchritudo?* respondit idem: *bene mecum agitur, tu quoque brevi post me accerseris.* Relatum mox domesticis, & publicè pro concione, à Francisco visum, verum fuisse eventus comprobavit; paucis enim mensibus superstes, cùm corpore esset ità laboribus perpetuis extenuato, ut vix animum foveret, quo subveniret hominibus, vel cœlestia meditaretur: datis tamen singularibus constanter sublimatæ virtutis indicijs, pijssimè decessit. Præcipuum fuit, quòd paulò ante mortem magnâ admiratione omnium edidit, prodigiosæ obedientiæ exemplum. Cùm enim durante tractu & lentitudine mortis, ad revocandos semianimo sensus sorbitiuncula porrigeretur, defectísque jam viribus non perciperet, neque sentiret; simul infirmarius insusurravit ad aurem, ità jussum à P. Rectore: sustulit semimortuum caput, haustóque poculo, pòst paulò tenuem spiritum efflavit 13. Januarii, anno 1586. ætatis 54. Afflatus in demortuo corpore honor fronti, svavísque diffusus ori color, testabatur sanctæ domicilium animæ, ejúsque lætitiam ad Superos evolantis. Et aspectabatur ejus forma à confluente populo humanâ pulchrior, insatiabilibus oculis, & lacrymas solatij omnibus eliciebat; dum interim corpus ejus & vestes venerarentur osculis, & attactu rerum piarum veluti Sancti.

Ex Historia Societatis, & Nierembergij Tomo 1. & Bibliotheca Alegambe.

P. JOANNES RAMIREZ.

PAter Joannes Ramirez, Apostolicus Orator, facundiâ clarus, Cordubæ in Hispania stirpe nobili ortus est, atque à puero in literis ac pietate enutritus, Juvenis sub Magistri Joannis Avilæ institutione ad omnem virtutem egregiè profecit. Sub annum ætatis 16. vehementi quodam motu sensit se divinitùs ad Apostolicam vitam ac verbi Divini prædicationem impelli; ísque motus adeò fuit manifestus, adeò deinceps perennis ac tenax; ut cùm jam grandis natu ex multorum Prædicatorum haud bono exitu tanti muneris discrimen animadvertens, optaret ab eo desistere, nunquam tamen id à DEO petere ausus sit, religione impeditus, nè S. Spiritui resisteret. Itaque cùm jam eo tempore flagraret



P. Joannes Ramirez Hispan, Cordubensis, S. J.
Concionator verè Apostolic, miserorum Pater,
innumeros à vitijs, et sæculo, ad Deum traduxit.
Extinct, Compluti 4. Apr. 1586. Ætatis 66.
44.

graret concionandi studio, donum hoc ab S. Paulo, Conversionis ejus die, per ingenuam simplicitatem enixè postulavit, statímque precantis menti objectæ sunt Hispaniæ Civitates plurimæ, in quibus omnibus indicabatur divinum semen ab se spargendum: ídque postea senex profitebatur planè evenisse, ut cunctis ijs in Urbibus conciones haberet. Vovit pudicitiam adolescens; nec solùm eam ab omni labe integram, sed omni alio crimine mortiferô intactam animam conservavit. Ut primùm Sacerdos, DoctórqueTheologiæ creatus est; vitam ad quam dudum divinitùs vocabatur exorsus, multas Urbes, ferme septennium cœlestia spargens semina, & confessiones audiens, peragravit; eò messem animarum uberiorem colligens, quòd voluntariam colens paupertatem, quod serebat vocibus, rigabat exemplis. Indè cogitans quemadmodum optimè fungi Apostolico posset munere, vidénsque omnino Societatis vitam suæ indoli, vocationíque congruere, & pellectus Francisci Borgiæ exemplo & auctoritate, ad eam animum appulit: non tamen ausus rem omnino statuere, quàm Joannis Avilæ sententiam exploraret. Ille autem cùm sine ulla dubitatione auctor ei esset, affirmans in Societate bene ipsi futurum: anno ineunte 1556. Murciæ tyrocinium auspicatus est. Indè Valentiam, mox Cæsaraugustam transmissus, habitis ubique magno populorum assensu ac fructu concionibus; vix dictu facilè est, quàm multos à vitijs abstraxerit; quàm multa Cœnobia viris religiosis implêrit; quantum levârit

levârit calamitatum. Nam votis religiosis ritè nuncupatis, visus sibi novo quodam cœlitus spiritu imbui: cùm ad suggestum continuò remigrâsset, majore vi, ùt ipse magìs ardebat, vibrare faces, & populos incendere; carceribus, nosocomijs, aliísque per urbem Valentiam calamitosis non modò subvenire ipse, sed & alios efficaciter ad humilia ejusmodi obsequia incitare; stupente Civitate, ubi vidit præcipuos Nobilium stipem pauperibus per domorum ostia emendicare, & ad publicas deferre custodias. Ibidem impudicitiam in suis castris adortus, concione unicâ ex 30. circiter famosis mulierculis, 22. ab fœdo & exitiali quæstu abstraxit, & collocavit in tuto.

Eodem ardore & proventu alijs locis pro suggestu differens, anno 1561. Toleti dicebat, ubi tunc adeò desævijt hyems, ut gelu concreti, extinctique reperti sint inopum quidam. Hoc ùt rescivit Pater; locupletium malignitatem, quasi immanitatem barbaram pro concione detestatus, quòd plenis vestium receptaculis mallent tineas pascere, quàm Christo Domino, in suis pauperibus animam præ gelu agenti, subvenire: duos Viros nobiles, spectatæque virtutis nominatim designavit; ad quos reliqui, qui ultimæ illi necessitati Christiano animo ire obviam vellent, quod videretur, deferrent. Et mox tantum pecuniæ, tantum collatum est vestimentorum; ut indigentibus totâ Urbe diligenter ostiatim conquisitis, exploratis etiam quorum pudor inopiam occultabat, nemini non sit abundè consultum. Ipse Ramirez pauperum adibat domos (quos amœnissimos suos hortos appellabat) tum ut miseros solaretur, tum ut perspectam calamitatem pro concione referens, acriùs Auditores ad misericordiam inflammaret. Eodem procurante, decretum est, nè novis ex Mauro Christianis jus esset Æthiopica mancipia comparare; cùm animadversum esset, à plerisque talium speciete-nus Christianis, simplices homunciones dominos suos ad fœdam Mohometi superstitionem traduci. Barcinonem indè transiens, ibi quoque rem præclarè gessit: iterúmque Valentiæ, ubi cùm rescivisset multos egentium & ægrorum vitæ subsidijs, necessariísque hominum ministerijs destitutos, in summa solitudine ac miseria tandem expirare, eâ gravitate necessitatem ipsorum è pulpito commendavit; ut Viri nobiles quàm plurimi nomina in album dederint, itâ inter se curationem miserorum partiti; ut bini singulis noctibus ijs vigiles præsto essent, opportuno animæ corporísque levamento. Setabim postea profectus, cùm Pastoribus populos destitutos, pérque culturæ neglectum omnem jam Domini vineam vastatam, spinísque & venenatis obsitam stirpibus invenisset; omnem cum divina gratia, publicis vitijs odiísque gravibus sublatis, & studio Divini cultûs inducto, purgavit, renovavítque. Et tamen interim Vir humillimus de se itâ modestè sentiebat, ut nequaquam idoneum se censeret, qui in majoribus locis, ubi ad Viros eruditos dicendum esset, verba faceret. Hinc anno 1564. Cæsaraugustâ, ubi permiro audiebatur successu, Salmanticam missus, parum aberat, quin prudentiam Superiorum ea in missione desideraret, qui huc se inde à certis lucris ad incerta transtulissent: verebatur enim nè Urbis adeò doctrinâ & Sapientum numero florentis, & subtilissimis assvetæ dictionibus aures, simplicitatem eloquentiæ popularis, quæ vi maximè animi motúque valet (qualem ipse sectabatur) propemodum fastidirent. Verùm adeò & expectationem ejus & vota, dum cœco paret obsequio, superavit eventus, ut obedientiæ efficacitatem agnosceret: discerétq; experimento, nullam esse frequentandæ concionis aptiorem viam, quàm eam concionandi rationem, quæ ad Auditorum unicè accõmodata profectum, pietate dicentis acuitur: ut qui viâ aliâ gradiuntur, bis peccent, dum non modò, quam unam sequi deberent, Auditorum utilitatem non assequuntur; sed nè id quidem obtinent quod venantur, ut solidè ac verè placeant. Hìc ergo Pater quà concionibus, quà doctrinæ Christianæ quotidianâ explicatione, Divinæ gratiæ planè miracula edidit. Ducenti fuêre per solum quadragenarium jejunium, qui Apostolicâ ejus voce permoti (Academici plerique Auditores) Religiosorum Cœtibus diversis sese adjunxêre: nec pauci, nec vulgaris indolis, nostræ Societati; in quibus & Franciscus Suarez, cujus tam multa & præclara extant humanæ, divinæque Sapientiæ monumenta. Diebus Festis, atque Dominicis ea circa sacra Tribunalia, Mensámque Divinam cernebantur convivantium examina; ut perpetui Jubilæi tempus repræsentarent. Neque tamen tanto ex plausu, qui è renovata Urbis totius existebat facie, quidquam sibi Apostolicus Orator sumẽs, ad infirmorum etiam, & puerorum doctrinam alacriter operam proferebat: primúsque in Hispania illorum captui, in breves interrogationes, ac responsa distinxit institu-

tionis

tionis Chriſtianæ capita. Tanta porrò Scholaſticorum animos, audiendi ex Ramirio Divini verbi, cœperat ſitis; ut codicillis oblatis inſtarent apud Profeſſores, cùm Doctor Ramirez eſſet verba facturus, ut omiſſis pauliſper ſcholis, audiendi veræ Sapientiæ Doctorem ſpatium darent. Atque ità fiebat, ut cum diſcipulis, etiam nobilis Magiſtrorum ferè omnium ac literatorum corona, à ſacro dicentis ore penderet.

Sed operæ pretium eſt referre, quas tanto rei Chriſtianæ bono, transfigurans ſe in Angelum lucis tenebrarum pater, inſidias molitus ſit. Quòd necdum ad emittenda Profeſſionis vota admitteretur (& cauſa dilationis unica erat, quòd ultra modum ſeverè cultum muliebrem, & alia quædam vitia è ſuggeſtu inceſſeret) cœpit eam rem ægriùs ferre; dúmque incautiùs ægritudinem fovet, eò paulatim prolabitur, ut à Societate ad Carthuſianos adjiceret animum. Nutabat, in omnem partem deliberans angebatur; cùm famulo ſuo miſericors DEUS in tempore opẽ tulit, & luce inſolitâ ipſummet ſibi ante oculos ſtatuit. Qui ubi ſe tam præcipiti vidit loco, velut ex altiſſimo experrectus ſomno, horrore perfuſus, ità ſecum reputare cœpit. *Proh miſerum! ubi es? vigiláſne? éſne tui compos? tu quidem quantum in te eſt, DEI conſilia pervertiſti; vocationis gratiam proculcâſti, ſanctum Spiritum abjeciſti! Tu auſus es cogitare complexionem eam perfectarum virtutum, quæ Societatis Profeſſis ineſſe debet, eſſe in te? ergo quid tibi propriè, quid Societati publicè expediat, tu miſer vel curas ſtudioſiùs quàm Præpoſiti, vel acutiùs vides? audéſque tot ſanctiſſimorum Virorum, ac prudentiſſimorum, qui hanc Societatem fundârunt, & uſque adhuc rexêre, judicio præferre tuum, in cauſa tua? tu ſcilicet profeſſione es dignus, qui eam ambis, qui humilium præmia ſuperbè appetis, támque turpiter tibi ſinis illudi. Nam quid eſt, quod emittendâ profeſſione petis? vota, quæ Religioſum efficiunt virum; quæ totum hominem DEO dedicant, obligántque, tria emiſiſti, Religioſus planè conditione es (utinam vitâ ſis!) materiam exercendæ virtutis ampliſſimam habes, adjumenta præſto ſunt omnia, per quæ fieri vel ſanctiſſimus poſſis. Quid eſt, quod profeſſione petis? ô indignitatem, ô probrum! Neſcio quid plus auctoritatis, quod videtur in ordine illo ineſſe, perſtringit miſero oculos! non ſanctitas, ſed fœdiſſima levitas & ambitio iſta eſt. In ſchola modeſtiæ, contumaciam didiciſti! Quò redactus infelix ſum? qui ſæculum, ut imperium crucis Domini mei portarem, reliqui, jam religionem propè deſerui, evocante ſuperbiâ! Hiccíne meus eſt ſenſus ille priſtinus, cùm poſtremum me haberi omnium; cùm deſpici abjicique & proculcari ab omnibus, ut Domini mei dignarer inſignibus, erat in votis? Hæc ſolida Religioſi hominis, hæc profeſſio eſt velle ignorari, pro nihilo duci, tanquam purgamentum, & quiſquilias ſub mortalium cunctorum pedes ſubjici? Quantum ô bone JESU, quantum intereſt inter te, & me! Tu in cauſa capitali, & infami, poſthaberi te auctorem vitæ latroni & homicidæ non indignum majeſtate putâſti tuâ. Ego domi tua, atque adeò jam tecum in cruce confixus, inanes gloriolæ umbras ſector! Quid porrò? unúſne ego hoc in Ordine ſum, qui ſolennia hauddum emiſerim vota? Franciſcus Villanova nunquam ſe ijs dignum putavit, quamvìs ab* IGNATIO *cenſeretur, reſtitítque propè cogenti. Antonius Madridius num ideo minùs jucundè, ſanctéque eſt mortuus, quòd nondum erat profeſſus? Quàm multos tu nôſti ætate ac virtute magìs te idoneos, qui non modò non ambiunt, ſed etiam tanquam virtute ſuâ celſiorem gradum refugiunt? At tu veſane, tantùm non æterno ſilentio, æternáque ſolitudine, ac ceterâ aſperitate, quæ ſolùm DEO placendi, ſervandæq; animæ gratiâ bene ſuſcipitur, damnâſti te, Satanæ ut placeres, eúmque imitarêre; propterea te præcipitans, quòd non ſupra tua merita æſtimareris, quòd non, melioribus te, anteferreris. Diſce obedire mancipium nequam: diſce jugum pati terra & cinis, Religioſe ſimulator, bonus populo ſvaſor, tui deceptor & everſor. Nónne nôſti, & prædicas, optimum eſſe gratiâ ſtabilire cor? Quid ergo adeò leviter circumageris? crucem inſcendiſti, noli deſcendere. Vero DEI ſervo, & Chriſti imitatori ibi optimè eſt, ubi minimè eſt. Huc à DEO vocatus es, hìc moriendum eſt tibi. Num certiora Divinæ vocationis habere argumenta potes? Hîc, quibus inſveveras, quærendarum DEO animarum, quæq; ſemper antè tractaveras, tractas munera. Hunc tibi locum, ùt maximè tuo ingenio doníſque à DEO in te collatis aptum atq; accommodatum, maximus ille DEI præco & amicus Magiſter tuus Avila aſſignavit. Multos ad te audiendum Divina bonitas vocat; vociſque tuæ miniſterio ad multorum ſalutem utitur. Quæ te ergo tanta cœpit vecordia, ut putaveris, vel ad punctum temporis quietum tibi, ac tranquillum uſquam alibi futurum animum, reclamante conſcientiâ, DEO pœnas defoſſi talenti exigente, cognitis ſerò diaboli, ſuperbiæq; tuæ ludibrijs? Quid? exciditne eſſe te mortalem?*

Infixum

Infixum jugulo gladium geris: jamjam Divinum te manet tribunal, ubi res ex vero penditur, & nugas agis? cras moriêre, fortè hodie; quid tum proderit Professio, si carueris virtutibus Professorum? Has si habueris, illâ quid oberit caruisse? Eheu miser, eheu oblitus primum vocationis tuæ propositum, oblitus Societatem JESU, oblitus te Christianum, atque adeò hominem esse! Contumax, inquietus, censor, contemptórque eorum, quos loco habere DEI debes, corruptor Religiosæ disciplinæ, perturbator pacis domesticæ, cæcus, nudus, gravis tibimet, aliísque, tepidus jamjam evomendus, & forsitan à facie DEI jam projectus. Talia Ramirius, atq; hujusmodi multa dum ad prælatam è cœlo facem attentè animo versat, tantus ex meditatione ignis exarsit, ut magno liberalíque pectore duo sanctè voverit: Primum, se nunquam primam suam vocationem, quàm ad majorem DEI gloriam pertinere intelligebat, deserturum. Deinde, nunquam postulaturum, ut inter Professos adscriberetur. Ex qua nobili victoria tum mira ad obediendum alacritas subijt, tum etiam unà cum beatissima pace conscientiæ novus ardor, ad redemptas Christi sangvine, juvandas pro virili animas, vísque & efficacia solito major accedere visa est. Itaque Cives pariter Salmanticenses, & studiosos literarum advenas, quocunque pietatis ferebat impetus, facillimè adducebat, tantò tractabilem magìs ei populum reddente DEO, quantò se Moderatoribus suis obsequentiorem ipse præbebat.

Accidit interea anno 1565. ut Salmanticæ Synodus è Concilij Tridentini Decretis Provincialis haberetur, in qua præter alios Ecclesiarum Prælatos, Virósque sapientissimos, Episcopi 13. convenerant, & cùm alia Societatis ministeria, tum libellum & usum Exercitiorum ante omnia suspectum, in examen vocare tentabant. Verùm DEO nunquam causam suam deserente, Ramirius vices Rectoris tum agens, ultrò postulatâ impetratáque in Conventu dicendi copiâ, de fine Societatis, déque vijs per quas ad eum graditur (inter quas Exercitia spiritûs præcipuam esse ostendit) multa spatio duarum horarum magno omnium assensu disseruit, támque multas atque absurdas ex malevolorum haustas sermonibus opiniones ex animis Episcoporum absterfit; ut optanda & emenda fuerit, ea occasio, ad tales viros dedocendos. Nam non benignitate modò responsi factum sibi satis, sed & Sociorum operâ in disceptandis Concilij rebus & componendis, deinceps utendo, præclarè docuerunt. Atque hæc eadem vis in dicendo perpetuò illum comitabatur, neque ulla ferè celebrior Urbs fuit, in Toletana præsertim Provincia, quam non prædicatione suâ illustraret, & meliorem redderet, constans in munere Evangelici prædicatoris minister ad añum ferè vitæ postremum 1586. Asperior omnino erat in vitijs castigandis, non tamen fervidioris naturæ impulsu, sed certo judicio: censebat enim audendum, neque offensionem improborum, si nollent corrigi, curandam: id Prophetis, id Joanni Baptistæ, id Chrysostomo, id Christo ipsi evenisse. Quare nihil metuendum magìs Divino præconi, quàm nè, dum per indulgentiam nimiam omnia fieri omnibus studet, non tam salvet omnes, quàm perdat. Lubricum esse illum prætextum; *cavendam offensionem, ut major tempore suo fructus respondeat*: quem an ex vero afferatur, temporis experimento deprehendi, si conversio tandem in his, quibus indulgebas, sequatur. Verùm si populus in ijsdem vitijs veterascit, nec agendi tamen rationem Concionator commutat; satìs apparet timeri ab eo offensionem, quò ipse in pretio & gratia sit, non ut animas Christo lucretur. Idem censebat de his, qui cùm proximis, Magnatibus præsertim, diu versantur, nec tamen eos meliores efficiunt: id enim ajebat indicium esse, te ad ejus mores paulatim transgressum; nam diu bonum cum malo pacatè esse non posse, quin alterutrum in alterius migret naturam. Cùm aliquando cognovisset virum Nobilem ex aula Regia obstinatè inimico exitium moliri, frustráque multos in eo placando sudâsse, comiter conventum his allocutus est: *Ego te Domine non multis hortabor, ut inimicitias tandem finias; nec argumenta quibus id svadeam habeo graviora ulla, quàm Christi Domini veneranda verba illa*: diligite inimicos vestros. *Hoc Christus dixit; tuum jam sit consilium, num æquum censeas hac in re Christo gratificari.* Quâ simplicitate & svavitate gravis admonitionis, ità Divina vox descendit in ferocem Nobilis animum, ut in hæc verba responderit: *Hactenus Pater cùm mihi svaderetur humanis verbis, ut ab incepto desisterem, humanis item verbis respondebam: nunc verò ubi Christus loquitur, æquum est ut ei obtemperem: age, advocetur ille, jam nunc ei quidquid de me meritus est condono.* Absque mora accitur, & ambo irruunt in amplexus.

Exercuit autem ejus patientiam multifariàm DEUS: nam 8. primos Societatis años in

in magnis animi angoribus, omnis cœlestis dulcedinis expertes, tanquam sterilitatis annos exegit; quo tempore & gravissimam, quam retuli, transeundi ad Carthusienses tentationem passus, nobilem victoriam tulit. Successêre deinceps ab ea beatæ perennísque fœcunditatis anni, etiam in his quæ animum ejus attinebant: quem inter alia donum lacrymarum, præsertim inter sacrificandum, uberrimâ irrigatione saginabat. Ac nè deficeret virtuti materia, cœpit corpus doloribus acerbissimis ex calculo laborare. Quæ vexatio cùm esset intoleranda; nec, prudentium sententiâ, ulla uspiam humanitus, nisi in sectione, spes salutis restaret, sæpius PP. cum Superiore deliberârunt, sempérque tam sævâ carnificinâ, periculosóque remedio abstinendum decreverunt. At Pater tum suâ causâ, tum publicâ, aliquod levamentum cupiens, cùm sævius nihil existimaret sibi posse fieri doloribus à calculo dies noctésque toleratis, ante imaginem DEI Matris prostratus, supplicare vehementer instititit, ac nominatim petere, ut declararet, tentarínе genus illud curationis deberet? quæ dum rogat, videt in sua effigie DEIparam capite inflexo annuere. Cúmque mirabundus ac dubitans, nè fortè oculorum ludibrium foret, propiùs accessisset, idémque de integro peteret; iterum Virgo demisso magìs antrorsum capite annuit. Tum verò fretus tanto pignore, modestè à Rectore petit (nullâ tamen mentione visionis factâ) ut grave nè duceret de valetudine sua rursus PP. consulere. Mirum dictu! rogati sententiam, repentino quodam instinctu moti, sectionem quanto omnes antè consensu damnarânt, tantò in præsens planè experiendam censuêre. Nec destituit pia vota, rectéque consulta successus. Post multas ad DEUM preces, constanter lanienam ferente Ramirio, duos ei calculos anno 1575, alterum ovi gallinacei magnitudine Chirurgus extraxit, vitâ superstite. Expetijsse autem illum valetudinem non tœdio dolorum, sed laborum desiderio, colligitur tum ex ferventissimè continuatis ab eo deinceps concionibus, & sudoribus Apostolicis; tum quòd anno 1586. Compluti propinquum sibi supremum diem præsentiens, Christum Dominum duo rogavit: primum, ut magnam sibi aliquam patientiæ materiam largiretur: deinde ut eâdem die & horâ, quâ ipse Dominus excesserat è vita, evocare se vellet: ac voti utriusque planè compos est factus. Nam doloribus excruciatus acerrimis, feriâ 6. majoris hebdomadæ post meridiem, præmunitus divinis, lenissimè expiravit 4. Aprilis, ætatis 66. Mansit in demortuo vultus adeò amœnus ac spirans, ut meritò diceretur à quopiam astantium, videri sacris illis vocibus insultare morti, *ubi est mors victoria tua? ubi stimulus tuus?* Ad ejus cadaver, & concursus, & exosculatio, & sacrarum rerum applicatio, & reliquiarum petitio, & alia consveta in Sanctorum funeribus facta. Inter suprema verba cùm petijsset à DEO veniam, quòd quædam in sacri præconis officio curiosiùs dixisse sibi videretur; mirantibus circumstantibus, quibus nota Viri in dicendo gravitas erat: differtè adjecit, id se dixisse, quòd persvasum haberet, multos Concionatores damnatum iri, quòd cùm DEUS ab ijs pendere voluisset salutem animarum; hujus tantæ rei obliti, magìs ad commoda sua, suíq; nominis existimationem, quàm ad fructum salutémque animarum conciones accommodarent.

Ex Historia Societatis, & Nierembergij Tomo 3.

P. GUILIELMUS GOOD.



Glasconia nobilis Angliæ Urbs, Josephi ab Arimathæa olim hospitio celebris, Patria fuit Guilielmo, claris nobilitate & virtute genito Parentibus, atque ab ijs in orthodoxa Religione ab infantia enutrito. Adultior ad studia literarum transmissus, Oxonij Philosophiæ & Theologiæ dedit operam, & gradu Magistri insignitus, præmia studiorum cum laude collocatorum obtinuit duo Ecclesiastica beneficia, præter Canonicatum. Hæc quàm integrè administrârit, & religiosè proventibus illorum magìs in usus pauperum, quàm proprium emolumentum fruitus sit, luculentissimè demonstravit tunc, cùm Henricus VIII. ruptis matrimonij cum Catharina Regina vinculis, divortium etiam cum Ecclesia fecit, & schismate in Angliam inducto, Ecclesiasticos repudium dare vel Christo, vel Beneficijs coëgit. Nec pauci fuêre ex his aut viles, qui terrenorum dulcedine inescati, nè Beneficia amitterent; ex pastoribus lupi effecti, Christum exuere maluerunt: quos execratus Guilielmus, nè Fidem in scelerata Patria amitteret, desertis Benefi-

cijs



P. Guilielmus Good Soc: IESU, Nobili sangvine Anglus, laboribus Apostolicis per Angliam, Hyberniam, Moschoviam exantlatis, Obijt Neapoli 5 Julij A° 1686.
45.
W.P.Kilian sc.

cijs extorris solum vertit, & opulentos reditus cum Christi paupertate commutavit. Tornacum fortè delatus in Belgium, & hominum de Societate conversatione captus, spiritualibus excoli Exercitijs petijt; in quorum decursu, lumine cœlestis gratiæ ad perfectiora vocatus, Societati adjungi à Mercuriano Provinciali impetravit, annum agens ætatis 35. Peractis Probationis annis, cùm ingenti fervore & zelo ageretur ad Patriam ab hæresi vindicandam, adjunctus est cum socio interim Præsuli Armachano in Hyberniam proficiscenti, Viro Societatis studiosissimo, qui nullum non movebat lapidem, ut Regnum illud in Fide Catholica & Sedis Apostolicæ obedientia retineret, quod Sociorum præcipuè operâ fieri posse sperabat. Sex totos annos ea in Insula laboravit Guilielmus, magnas inter ærumnas & vitæ pericula, pedibus eam quaquaversum concursans, onustus sarcinâ, in qua sacram supellectilem circumferebat, ad quæstum duntaxat animarum. Accidit aliquando, ut certam prædam secutus, incideret in latrones, quos silvestres vocant Hyberni; à quibus sarcinâ suâ despoliatus, dum iter, nè quid deteriùs pateretur, tranquillô prosequitur; illi quid sarcinâ involutum contineretur perscrutati, Sacerdotem ex eo sacro apparatu esse conjectant. Itaque festino concursu rursus hominem assecuti provolvuntur omnes in genua (ex quo Catholicos esse apparebat, quantumvis sceleratos) manibus in cœlum, velut deprecabundi & pœnitentes, protensis. Eo corporis habitu quid vellent, cùm non caperet Pater; neque illi se, ignotum quiddam frementes, satis explicarent: unus prehensâ Pa-

tris manu signum crucis super socios eâ producit, quasi reliquos à scelere absoluturus: genibus se vicissim nixum, curat per socium ejusdem Patris manu, pari cerimonia absolvi. Quæ nuda sanè fuit & inanis cerimonia, stolidè sibi persvadentium, sceleratam rapinam eâ expiari: illico enim profugientes è conspectu, de restituenda sarcina nihil cogitârunt.

Neque rudibus tantùm & plebejis Christo lucrandis idoneam navabat operam; sed eximia etiam ingenia, mirè postmodum Ecclesiæ proficua, hæresi & sæculo abstraxit. Ejus præcipuè post DEUM industriæ debet Societas Robertum Personium, sidus illud Angliæ fulgentissimum, quem ipse Lovanium ab Hybernia redux, ad sacras commentationes ex præscripto Exercitiorum S. IGNATII obeundas induxit, & danti eis operam, primus rerum terrenarum nauseam injecit. Indè Romam Anno 1577. ad solennem quatuor votorum Professionem vocatus, in Sveciam, & deinde Poloniam missus est, Antonij Possevini ad eas nationes à Christi Vicario ablegati comes. Unde rursum Romam à Poloniæ Provincia ad electionem novi Societatis Generalis cum jure suffragij destinatus, interfuit electioni Claudij Aquaviva. Et quia per id tempus novum in Urbe Seminarium educandis adolescentulis Anglis, ex Hospitali SS. Trinitatis erexerat Pontifex Greg: XIII. ejusdémque administrationem Societatis curæ commiserat; jussus est Guilielmus ijs in spiritu Apostolico, & ad Martyrium formandis, esse à Confessionibus; quo munere ea cum laude functus est, quam testantur eorum temporum accensa in Alumnis arctioris vitæ desideria, & ad labores mortémque, conservandæ Religionis causâ subeundam, indefessa vota. Neque sermo illis erat quàm de Martyrio dulcior, nullus auditu jucundior: cujus ardentissimâ siti flagrans inprimis ipse Guilielmus, facilè ejusdem orexin Filijs suis aspergebat, ùt verè diceretur tunc: *Collegia cetera, Philosophorum, Theologorum, Oratorum, Canonum esse Seminaria; at verò Anglorum Collegium, Seminarium esse Martyrum.* Tandem cùm Neapolim ab Urbe commigrâsset, quam hìc non habuerat manentem civitatem, in altera vita invenit, Anno sæculi 1586. 5. Julij. Vir fuit probatissimæ virtutis & doctrinæ, 25. annis quos in Societate vixit, prudentis & sapientis Viri nomen consecutus: quarum virtutum monumentum etiam post se reliquit nimirum res gestas Sanctorum Angliæ à se conscriptas: quorum ut etiam aspectu juvenum animi ad æmulationem accenderentur, in Templo Seminarij Anglicani coloribus eos exprimi fecit, deinceps æri etiam incisos, sub titulo: *Ecclesiæ Anglicanæ Trophæa.*

Ex Historia Angliæ Henrici Mori, & Danielis Bartoli.

P. FERDINANDUS CAPICIUS
cum Socijs viginti sex.



Laudiopolis in Transylvania (olim Dacia dicta) Civitas princeps est; sed hæresum & variorum errorum colluvie infecta, in quâ Principes Battorei, desiderio reducendæ totius Provinciæ ad Fidem Catholicam, Societati Collegium præclarum, unà cum frequenti Gymnasio condiderant, ad tradendas Humaniores & Philosophicas, unáque Theologicas, quà capita potissimùm in Fide controversa pertractant, disciplinas: adjecto duplici peramplo, quorum unum nobili, alterum civili numerosæ juventuti sustinendæ sufficeret, Seminario. Apertis jam Scholis, prospera initia intervertit repentinus exortæ pestilitatis Anno 1586. turbo: cui, dimisso Gymnasio, fortiter obviam itum est à nostris, nemine periculum commune declinante, sed singulis in acie pro salute omnium communiter tuenda stantibus, ut eâ re daretur etiam sectarijs, exemplum Catholici gregis Pastorum, animas suas pro salute oviū ponentium. Trium supra ceteros Sacerdotum virtus enituit, Ferdinandi Capicij, qui erat Collegij Rector, Joannis Ardulphi, & Hieronymi Famsonij, qui erat Præfectus Studiorum. Hi enim primi stadium ingressi, ità inter se exercendæ in proximos pietatis partiti sunt provinciam, ut Capicius Ungaros, Germanos Ardulphus; reliquos præcipuè Scholares externos & nostros, curæ haberet Famsonius. Sed neque domi interim quibusvis advenientibus, remedio & auxilio socij deerant, patentibus semper omnium accessui perinde ac sanis temporibus Templi valvis, pœnitentiæ tribunalibus, & in Collegio alloquijs, aut capiendis consilijs, quemcunque exciri placuisset. Indè factum, ut qui alijs in quemlibet casum Templo devocandis serviebat Æditus, primus veneno afflatus conciderit; ut & plures Fratrum, qui scilicet succedaneæ ... cha-



P. Ferdinand9 Capici9 S.I. Neapolitan9; prim9 Collegij Anglorum in Urbe Rector; fruſtra petitâ à Gregorio XIII in Angliam Miſsione, Claudiopoli in Tranſylvania Collegio præeſse juſs9, in arduo peſtiferorũ obſequio ibi extinct9 cum Socys 26. Anno 1586. 31 Iuly.
46.
I. C. Hafner sc.

charitatis officia pro demortuis in ſe tranſumebant, & corpora peſtiferorum propiùs varijs obſequijs, vel ad ſepulturam pertractabant. Itaque dierum 30. ſpatio extincti ſunt in ſancto opere omnino 20. ſocij: ex reſiduis autem pauculis nemo fuit, qui non graviſſimè eodem malo laborârit. Primus omnium Julio menſe obijt Georgius Hamman Æditus, die 17. Paulus Kinisko 19. 20. Albertus Wolucky. 28. Albertus Brandmajer. 29. Joannes Burman. 29. Urbanus Schipperus. 31. Ferdinandus Capicius Rector; eodémque die P. Joannes Ardulphus. Auguſti porrò die 1. Michaël Villerius. 3. Joannes Elbingus. 4. Jonas Kredik. 5. Adamus Tenſier. 6. Joannes Pſarsky. 7. Mathias Zalisky. 8. Caſimirus Lovicienſis. 14. P. Michaël Ripinenſis. 17. P. Hieronymus Famſonius. Et præter hos, tres Novitij eodem menſe, ſed die non annotato, eâdem clade charitatis, cœlo demeſſi ſunt.

Fuit P. Ferdinandus Capicius ex vetuſta & prænobili Familia Neapoli oriundus, Mutij Capicij filius; tanto à pueritia ingenio, ut perbrevi ſpatio in egregium evaſerit Poëtam ſimul & Oratorem, omnéſque propemodum ſcientias anno ætatis 18. ità fuerit animo complexus, ut haberetur alter Picus Mirandulanus. Sed hæc & terrena omnia deſpiciens, Societatem Romæ amplexus eſt; & poſt Tyrocinium docendis in Collegio Romano ſcholis, moderandóque Parthenio ſcholarum cœtui admotus. Ubi integerrimæ probitatis omnibus de ſe præbuit exemplum, nec minùs profundæ humilitatis, omnium viliſſimum ſe, & ad mediaſtini ſubeunda natum

 munia.

munia seriò reputans, & factis id genus ostendens. Nam ut taceam alia id genus quàm plurima, cùm per illa Collegij initia habitaretur à nostris peranguste in cubiculis, è lignea tantùm materia contabulatis; per æstatem non à calore tantùm, sed ab infestis etiam cimicibus, qui magno numero concipiebantur, ingens creabatur inquilinis molestia; ut neque diebus, studijs vacare; neque noctibus, quieti possent. Ergo Ferdinandus observatâ Sociorum à suis cubiculis absentiâ, eadem clàm subiens emundabat, lectos ipsos suis humeris ad balneum elatos aquâ ferventi perluebat, expurgatósque suo loco reponebat: nec, deprehensus demum, absterreri se passus est à vili opere, gavisus idcirco se promiscuè vocari communem Collegij bajulum. Inter hæc cùm videret complures ab Anglia adolescentes ob Christi fidem extorres, identidem Romam accurrere, & egenos omnium adversa quæque cum gaudio sustinere; cœpit eorum commiseratione de remedio, quo illis subveniri posset, seriò cogitare. Optimum factu visum est, si de instituendo illis in Urbe Collegio tractaretur. Res ab eo tentata, satìs ex voto cecidit: nam à Gregorio XIII. conditum, ejusdémque voluntate Societatis administrationi commissum est: atque tum Ferdinandus illi Moderator datus, ingenti curâ & charitate conscriptos lectissimos juvenes fovit, instituit, & ad mortem, quam plerique deinde in Anglia in Fidei odium obiêre, sapienter excoluit. Hujus & ipse cupidine missionem in Angliam apud Præpositum Generalem diu mirum in modum expetijt: cúmq; aliquando Philosophiam explicanti, in cathedram redderetur ab Generali responsum, quô eâ spe dejiciebatur, magnitudine doloris propemodum exanimatus est. Necdum tamen adhuc destitit spes illas alto animo sustentare, donec ab eodem Pontifice, cùm illi nonnullos suorum Alumnorum in patriam profecturos stitisset, sibíque cum illis proficiscendi facultatem fieri postularet, responsum instar oraculi accepit, facturum, longè gratius DEO sacrificium, si quotannis ejusmodi juvenes aliquot in eam Christi messem aptaret, quàm si suam eò operam ipse conferret. Eò denique responso conquievit impposterum, & omnem adeundæ Angliæ cogitationem deposuit. Nimirum alteri illum parabat DEUS regioni, laborum & ærumnarum haud minùs feraci, mortíque post Martyrium optatissimæ; dum paucis indè annis missus est in Transylvaniam Collegio Claudiopolitano Rector, vices simul in eo Principatu acturus Provincialis. Per viam, cùm nonnihil Cracoviæ substitisset, in hæreticum magni nominis & lautarum opum incidit, qui pravis erroribus inclytum illud Regnum perverso zelo corrumpebat, & lectissimos ejusdem sectæ adolescentes suo sumptu in Italiam mittebat; qui studiorum prætextu & juventutem Italicam erroribus inficerent, & reduces domum captis ibi disciplinis abuterentur ad Patriæ perniciem, ac hæreses proseminandas. Cum hoc Ferdinandus ità attemperatè aptéque tractavit, ut tridui disceptatione pertinaciam hominis infregerit, veritatem Catholicam demonstrârit, & Ecclesiæ aggregaverit. In Transylvaniam ùt venit, persvasit Battoreo Principi, ut educandæ erudiendæq; Nobilium juventuti insigne Claudiopoli Seminarium, & alterum civili statui conderet. Sublatus demum est magno Catholicorum luctu, vixdum 40. annos natus: famáque fuit, eum aliquot Regni Proceribus eâdem illâ, quâ excessit horâ, fuisse conspicuum, visúmque in Angelorum comitiva in cœlum ferri; tam certâ constantíque etiam hæreticorum fide & opinione, ut olim consortes illi fieri & ipsi peroptarent.

Propagata, ùt solet, eodem anno in alia quoque Transylvaniæ & Ungariæ loca contagio, etiam Varadinum incendit, & Albam Juliam. Varadini, quod limitaneum Ungariæ est munimentum, duo Sacerdotes cum Fratre Laico morbidis juvandis erant destinati, è quibus duo in tam sancto opere vitam amisêre. Valentinus Sardensis 23. Aprilis, & P. Petrus Sidlowsky 19. Junij; quibus extinctis, tertius qui superfuit P. Stephanus Szántó, destitutus spe subsidij (tribus enim solis constabat ea Residentia) explebat munia omnium, erudiendo vivos, ægros in anima & corpore juvando, sepeliendo defunctos, incolumis adusque exitum pestis: etiamsi (quæ laborum merces erat amplissima) ejus fama laceraretur maledictis, etiam de pulpito à sectarijs, & vita insidijs ubivis appeteretur. Albæ Juliæ cùm Sacerdotibus ad opitulandum ægris, æquè promptis mors pepercisset, quatuor tamen demiscuit laboris ejusdem Coadjutores, in Julio: Urbanum Helwingum die 8. Paulum Waicieckewiz eodem die. Stanislaum Javicky 17. Petrum Sylvanum decimo octavo.

Ex Victimis Charitatis Alegambe, & Nadasi Anno dierum memorabilium.

P. JOAN-



P. Joannes Hartus, S. J. Nobilis Angl., ob Hæresim impugnatam, carcere, eqvuleo, bis tortus, capitis damnatus; tandem proscriptus, obijt Jaroslaviæ in Polonia 19 Julij, 1588.

G. Kilian Sc.

P. JOANNES HARTUS.

INgenti Patriæ juvandæ desiderio incensus P. Hartus, cùm incolumis ex ejus procellosis tempestatibus evasisset Romam, ac deinceps veluti in securo portu Rhemis versatus, Sacerdotio initiatus esset, remeavit in Angliam Anno 1580. jam tum quidem voce divinâ incitatus ad Societatem amplectendam; sed (ùt ipse de se refert) secum plures annos pugnans altercatus est, volens, nolens, prout illum in DEUM amor tepidiùs aut ardentiùs agebat. Trajecit illuc cum P. Cottamo, ipsóque statim sui appulsûs die captus: Londini publicum subijt tribunal, pro se suóque adventu dicturus; itáque pro Apostolico animarum piscatu copiosam ærumnarum messem invenit. Erat is tunc præstanti formâ, & vivida ætate, nobili genere, & jam olim in Oxoniensi Academia Theologiæ Baccalaureus, vivacis doctiq; ingenij: quæ causa fuit Consiliarijs Regijs sperandi, posse illum in partes Protestantium adduci, ideóq; remittendi Oxonium, ubi inter solutioris vitæ socios & amicos Catholicam severitatem exueret. Sed deceptâ Consiliariornm fiduciâ, cùm trimestri toto Oxonij versatus, Catholicæ Fidei vitæque exemplis quotidie clarior evaderet; Londinum ad Carcerem à *Martio equite* nominatum translatus est, & ergastulo omnium pessimo inclusus, ac post bidui famem, eqvuleo (cujus tormenti formam alibi in-

bi in Societate militante explicuimus) crudeliter tortus. Sed egregium athletam corroboraverat Spiritus Divinus, & tormentorum victorem effecit: cujus triumphi partem non minimam obtinet ejus Mater, nobili & heroico spiritu fœmina, quæ impetratâ agendi libertate cum Filio, cupiditate martyrij calentem incendit penitus, & ad constantiam obfirmavit. Post annuum carcerem cum Campiano & Brianto pœnâ damnatus est læsæ Majestatis, eodem supplicij genere necandus; quod tamen ei dilatum est, sperantibus Ministris, ut Campiani spectaculo, ad patibulum raptandi, terreretur. Verùm eventu planè contrario factum est, ut Campiano in cratem vimineam colligato, ipse in carcere relictus, magno cum dolore ferret moras dilati sibi supplicij, cùm Carnifex seriò finxisset illum quoque eidem plaustro cratitio alligare velle.

Hâc firmitate efferati Judices, inaudito, & nuspiam gentium usitato more, damnatum jam morte, neque ullius novi criminis reum, tormentis eqvulei denuo subjiciunt, ut Fidei ejurationem extorqueant: sicque excarnificatum in caveam demittunt 20. pedes sub terra profundam, aëre humido, pædore, & tenebris horridam. Post novem dies extractum, & ad disceptandum scilicet paratiorem committunt cum Raynaldo, hæreticorum Prædicante & Doctore; quo non difficulter debellato, perseverantem in sententia onerant duplici compede ferreâ, & dies 20. in eandem caveam demissum fame macerant: & per alios 44. dies (semestri in mitiore carcere transacto) suâ illâ iterum specu sepulchrali & fœtidâ recondunt, interjectâ semper inter has tormentorum vices novâ mortis denunciatione, hoc aut illo die, perduellium supplicio, obeundæ. Quibus DEI servus felicibus nuncijs ità gestiebat, ut ferre Optonus ordinarius ejus tortor illam animi celsitatem & hilaritatem oris non valeret. In his cruciatibus biennium persistentem, ad ineundam tandem Societatem DEUS ità cœlitus animavit: Videbat in somnis Campianum gravi admonitione idipsum sibi svadentem; quâ excitatus, & mox in genua projectus, vacillantis diu propositi fluctuationem firmavit hoc voto, quod ante SS. JESU nomen suâ manu in carceris pariete depictum exaravit verbis sequentibus ad Haywodum, Sociorum in Anglia Superiorem: *sanctissimè promitto ac voveo coram omnipotenti DEO trino & uno, in præsentia SS. DEI Genitricis MARIÆ, & S. Joannis Evangelistæ, S. Mariæ Magdalenæ, Angeli mei Custodis, S. Bonifacij, & denique omnium Sanctorum & Sanctarum, me velle in posterum sub moderatione & instituto Sanctorum Patrum in Societate vivere, atque adeò Christo optimo maximo, quantum possum studiosissimè inservire. Quibus præterea omnibus & singulis promitto obedientiam, ad finem usque vitæ meæ præstandam.* His ad Generalem Aquaviva, Doctore Alano mediatore, perlatis, cooptatus est Hartus in Societatem: & paulò pòst cum 12. Sacerdotibus, revocatâ injustâ mortis sententiâ, in exilium ejectus, Virduni Gallorum Tyrocinium ingressus est: unde Romam accitus, Jaroslaviam in Poloniam mittitur; ubi novis insudans Sanctorum laborum initijs, evocatus est ad palmam cœlestem, anno post Societatis ingressum tertio, sæculi 1588. die 19. Julij. Septem post annos cùm aperiretur sepulchrum, ut honoratiore loco tumularetur, repertum cadaver integrum est, & corruptionis omnis expers: DEO servi sui nobile spolium eâ gloriâ decorante, quod toties supremis objectâsset periculis, in perpetua & forti mortis violentæ suspensum expectatione.

Ex Historia Angliæ Bartoli & Mori, & Anno dierum memorabilium Nadasi.

P. LEO ENRIQUEZ.



Nter principes nascentis Societatis, & fulgentiores stellas, computandus meritò venit Pater Leo Enriquez, seu sanguinis nobilitatem, seu virtutum, doctrinæ, prudentiæque spectes eminentiam, quibus toti Lusitaniæ diu præluxit. Natus fuit in Insula Tertia, Parentibus illustrissimis, familiâ primis apud Reges Lusitaniæ muneribus gestis conspicuâ, utpote originem suam ad Henricum Castellæ Regem referente: atque ab ijs singulari solicitudine educatus, quantæ curæ Cœlitibus etiam foret, ex mirabili eventu patuit. Adrepserat fortè etiamnum infans, nutricis incuriâ, ad aconiti vasculum, necandis muscis, & id genus molestis animalculis temperatum; quod infantum more illicò labijs admotum exorbere, in certissimum vitæ exitium parabat: cùm ipso illo momento vox ad sororis illius, non procul inde morantis, aures (cujus auctor alius præter Genium tutelarem esse non potuit) allabitur; iret confestim, & vitam fraterculi supremo discrimini eriperet.

Surgit

J G Heinsch. del.
Gl. Insbr. sc.

P. Leo Enriquez S: I: clarissimo sanguine Lusitan⁹, Henrici Regis Lusitaniæ Confessari⁹, pauperum Advocat⁹, et animarum Venator prodigios⁹. Extinctus Olyssipone, ex lue à pestifero pœnitente contracta, 8. Aprilis A. 1589 æt: 74.

48.

Surgit illico festina, accurrit, toxicum à labijs removet, vitámque infantis ad innumerabilium animarum salutem conservat. Pueritiæ annos ingressus, acceptus est educandus, bonísque artibus imbuendus Eboram, ab avunculo suo Ferdinando Enriquez Comite de Alcacevas: & quia excellentis ingenij mox dabat specimina, tredecennis pusio missus est Parisios ad studia prosequenda, unà cùm cognato suo Gonzalez de Camara (cujus vitam suprà recensuimus) ubi aliquot annos magnâ doctrinæ opinione versatus, quòd ad Academiam Conimbricæ recèns ab Rege Lusitano Joanne III. fundatam, omnes ab externis Universitatibus Lusitani revocabantur, & ipse cum Ludovico redijt. Contigit interim Ludovicum Societati JESU nomen dare, tantâ Leonis nostri indignatione, & in Societatem (quòd eum recepisset) odio; ut non tantùm injuriosis verbis famam ejus laceraret, sed intentatis etiam minis varijs, gravis apud DEUM & homines noxæ illam argueret, quòd hominem adeò debilis valetudinis, cum maximo Illustrissimæ Familiæ damno admisisset. Unum annum transegerat in obstinato odio pertinax adolescens, ut neque Collegium adire, neque Societatis hominem in conspectum venire sustineret; cùm DEUS ferocem Leonem in oviculam mutaturus, urgere illum motionibus internis potenter cœpit ad sæculi contemptum, & Religionis complexum, sic, ut nullam animo quietem capere posset. Itaque gravissimâ luctâ exagitatus, ambulabat attonito similis, vix sui aliquando compos; donec feriâ quintâ majoris hebdomadæ, in visitatione Stationum patien-

patientis Domini solitò potentiùs oppugnatus, abjecit se ad pedes Christi Crucifixi, intérque copiosas lacrymas voto obstrinxit, ad ingressum Religionis, solâ Societate JESU exceptâ. Verùm audijt continuò vocem Domini intus in corde suo loquentis, non posse hoc votum sibi gratum accidere, nisi conditio illa omitteretur: cui demum generosè obsequens, ubi primùm votum absolutum de amplectenda Religione, quæcunque DEO magìs cordi esset, emisit, omnis illa pugna momentò desinens, in summam animi tranquillitatem transijt.

Hac de se relatâ victoriâ incertus aliquamdiu fluctuabat, quam Religionem potissimùm sequeretur; cùm absoluto Valentiæ in Hispania Societatis Tyrocinio, Conimbricam redijt Cognatus ejus Ludovicus Gonzalez de Camara: Hunc, officij causâ ad Collegium venientem Leonem (quod tam diu non adiverat) ut Cognatum salutaret, videns Janitor, *quid hoc rei est*, quærit, *Illustrissime Domine, quòd Collegium nostrum accedat? an fortè unus etiam ex nobis esse desiderat*? Interim verò dum Ludovicus evocatur, Leo Ecclesiam Collegij ingressus, oculos fortuitò conjicit in Imaginem, quâ Christus universum mundum judicans repræsentabatur: notátque vultum ejus in se conversum, torvè admodùm & severè intueri, ità ut eo obtutu perterrefactus, toto corpore contremisceret. Simul autem sentit in animo sibi dici, si iram supremi Judicis effugere velit, Societatem JESU ingrediatur. Tantúsque fuit & tam potens ille animi impulsus, ut in vestigio superatâ quavis carnis resistentiâ propositum id arriperet, & mox Ludovico aperiret: à quo Superioribus Societatis oblatus, gratiam petitam sinè mora obtinuit. In Tyrocinio ædificium altissimæ sanctitatis, ad quam eùm provehere DEUS disponebat, à fundamento exorsus humilitatis, vilissima quæque domi aucupabatur, ibátque ad forum cum emptore manticâ onustus, instar mediastini, ut domum referret quæ ille coëmisset: & captabat tunc ex proposito ad majorem sui victoriam, horam & tempus, quo Studiosi & Professores ibant redibántque ex Academia, per quorum medium, ipsis paulò antè summè æstimatus, viam arripiebat. Quâ occasione multas sæpe confusionum occasiones à petulante juventute nactus est; speciatim autem à quodam Episcopi famulo, qui Leoni corbem lactucâ plenum è foro domum portanti obvius, partem ejus sibi donari poposcerat: hanc enim liberalis genij adolescens quàm promptè petenti impertijt, ità mox (Tyronum more) anxio violatæ paupertatis scrupulo exagitatus, factum suum Magistro Novitiorum aperuit. At ille probaturus ejus virtutem, graviter increpito imposuit, Aulam ut Episcopi adiret, aulicóque illi temeritatem suam in donanda citrà Superioris facultatem lactuca confessus, eam Collegio reddi postularet. Nihil moratus Leo, cæcè obediens domo se proripit, rectáque ad Curiam Præsulis properat, mandatum executurus: ubi tamen jam alius à Magistro præmissus venturum opperiebatur, redire ipsum ad Collegium jubens, quòd satis eâ promptitudine virtutem illius expertus esset.

Illud verò planè singulare, nec temerè imitandum, fuit vincendi sui exemplum, quod tyronum more peregrinatum missus, de se præbuit. Reputanti enim secum, quânam re posset insignem de se ferre victoriam? illud venit in mentem, ut nudato (quantum pateretur modestia) corpore, per oppidum, quod primum occurreret, mendicaret. Id cùm placuisset, simul ac in oppidum venit, quia frigidior afflabat aura, timens valetudini, aliquamdiu anceps hæsit: tum animi illâ sui excelsitate, & pudoris, timorísque victor, exuit vestes, oppidúmque nudus propè mendiculus totum obit, staturâ etiam perpusillâ opportunior contemptui & probris, quorum longè plus quàm stipis collegit. Ad locum peregrinationi præscriptum delatus, petulantem in templo hominum turbam invenit, quæ lascivis id canticis & amatorijs saltationibus funestabat: hanc ille proterviam indignatus, silentio de superiore loco indicto, de his ipsis Domini verbis: *Domus mea, domus orationis vocabitur*, differere ardènter instituit. At enim ex saltatoribus unus impudentior, dicere nihilominus pergenti, colaphos ad convitium adjungit. Hic Leo seipso fortior in genua provolutus, DEO primùm pro illata injuria gratias agit, deinde humi provolutus, pedésque percussoris osculatus, dexteram etiam, quâ probrum intulerat, ad osculum petijt. Sed derisit velut insanam pij Tyronis humilitatem obstinatus à dæmone saltator, & ebrium eundem, temulentus ipse, proclamavit. Ille verò sobriè & ferventer concionem prosequutus, eò plus fidei nactus est apud populum, quò magìs orationis pietatem spectata oculis sanctitas actionis commendabat. Accidit aliàs, ut eleemosynam, quâ solâ in peregrinatione victitabat, ostiatim corrogans, in Viros incideret Nobiles; à quibus dum sti-

pem

pem petit, audit ex ijs unum procaciter jurantem: ad cujus proinde pedes in genua provolutus, rogat per DEI amorem à juramentis abstineat, quibus gravissimè Numen læderetur. At iste monitione tam piâ irritatus, non probra duntaxat & scommata reddere; sed pugnis etiam & colaphis appetere, quin & humi prostrato calces illidere: summâ Leonis patientiâ & gaudio, quòd Christi causâ tam ignominiosè tractaretur. Sed non defuit in flagranti vindicis DEI pœna; eodem siquidem momento artuum omnium dolore scelestus correptus, humi prolabitur, & ante pedes Leonis, horrendùm ejulans, volutatur. Atque ità manifestam in se DEI vindictam expertus, Leoni supplex, & facti veniam, & preces ad DEUM exposcere coactus est: qui etiam fusâ confestim pro misero oratione malum omne dispulit. Nec minùs ardentem jam tum in præcordijs animarum zelum palàm fecit, cùm propositâ à Provinciali Simone Rodericio Missione Indicâ ad Regnum Congo, tanto fervore illam expetijt, ut ab Rectore Collegij Conimbricensis negari illi non potuerit. Ergo ex spe consequendi inter barbaros Martyrij plenus gaudiorum, cùm quatuor ejusdem Missionis Candidatis Olyssiponem properat: unde tamen à Simone Conimbricam redire jussus, pari promptitudine, nihil contradicens, neque turbatâ animi pace, iter relegit.

Tyrocinio absoluto, quòd jam ante Juri Canonico studuisset, totum se Morali Theologiæ applicuit; eo profectu, ut mox ejusdem factus in Conimbricensi Academia Professor, in gravissimis conscientiæ casibus consuleretur: cujus auctoritatem non dubitavit celeberrimus Doctor Navarrus Martinus Azpilqueta in suo Manuali Confessario, sub nomine Leonis de Noronna (ità enim in sæculo vocabatur) allegare. Quia verò ad munus id Academici Professoris cum dignitate sustinendum necesse videbatur Sacerdotio illum ornari; factâ ab summo Pontifice potestate initiatus est, anno ætatis 23. statímque illius numerosissimi Collegij Confessarium egit, & spiritûs Præfectum, simúlque totius Urbis indefessum Operarium, assumptâ ægrorum, carcerum, & hospitalium curâ: planè ut stupendum videretur, unum hominem tot agendis rebus posse sufficere. Contigit inter hæc anno 1553. Constitutiones Societatis per universam Societatem observandas publicari, quibus in morem adducendis cùm singulari curâ S. IGNATIUS maximè idoneos Superiores ubique constitueret, Conimbricensi Collegio Rectorem dedit Leonem, qui exemplo suo ad exactissimam illarum observantiā omnibus prælucens, dici vix potest, quantùm ad fervorem ejus Collegij, in Historia Societatis adeò celebratum, contulerit. Neque tamen ob munus Rectoris lectionem Casuum, vel Operarij curas dimisit; insatiabili zelo ad mortales omnes, si posset, juvandos conatum extendens, quem miris quandoque eventis Divinæ Majestati placuit adjuvare. Civis erat fortunæ adversantis casibus in eam desperationem adductus, ut nullo exitu ijs evadendis reperto, statuerit illis simul & vitæ finem spontaneâ nece imponere. Itaque nocte obscurâ trans flumen egressus, ad quoddam olivetum cum laqueo properabat, ex una olearum se suspensurus; cùm repentè videt ante se obvium stantem Rectorem Enriquez, increpantémque: *quò vadis miser, ut vitam æternam simul cum temporali perdas? quæ ista est amentia, post amissa bona temporalia, ultroneo furore velle prodigere etiam æterna, & in caput suum accersere inferni supplicia?* Ad quæ verba supra modum cohorrescens, stupénsque unde sua consilia Viro, horâ tam importunâ sibi obvio, patuissent, muto similis hærebat: quem Pater manu prehensum peramicè consolatus, domum repetere jubet, Deíque misericordiam eâ nocte implorare; *manè autem,* inquit, *Collegium Societatis accede, ejúsque Rectorem accerse, à quo remedium tuis malis accipies.* Paret ille salubriter monenti, Collegiúmque ingressus, ùt primùm Rectorem videt & audit, novo stupore advertit, & vultum, & vocem ipsissimam ejusdem esse, qui nocte intempestâ sibi apparuerat. A quo salutaribus consilijs instructus, & totius vitæ peccata ingenti dolore confessus, didicit in DEO, à quo solo remedium consequi posset, spem reponere: nec cessabat DEI benignitatem, tam mirabiliter Leonis operâ sibi opitulantem, palàm prædicare; demirantibus omnibus Patris sanctitatem, neque aliter deinceps quàm Virum sanctum, & arcanorum DEI conscium intuentibus. Auxit autem summopere eam opinionem eventus alius, quo hominem non quidem de misericordia DEI desperantem, sed ex nimia illius præsumptione in peccatis imperterritè volutatum, ad frugem reduxit. Nocte siquidem intempestâ procul ab Urbe habitanti comparens, vultúque infesto minax, *homo perdite & ingrate,* inquit, *credisne tua scelera DEUM latere, neque ab ejus justitia severè vindicanda esse? aperi tandem oculos, & vide perditionis tuæ præ foribus instans discrimen, nisi confestim seriò resipiscas;* & his dictis ab oculis evanuit. Miser ille toto corpore tremens

tremens & stupens, ductâ insomni nocte, primo mane ad Leonem accurrit, & cui sua omnia jam antè cognita peccata nimiùm expertus erat, tantò fidentiùs confessus, vitam imposterum castigatissimam, ad omnium exemplum, instituit.

Neque defuit illi donum prophetiæ, & futurorum certa prænotio, quam luculentè malo suo expertus est Sacerdos Societatis, Vocationis suæ desertor, eo pertinaciæ delapsus, ut neque confiteri ampliùs, neque Sacrum dicere vellet. Illum ergo multis ad frugem reducere, & in Religione firmare conatus Pater, ejus tunc Conimbricæ Rector, ubi frustra omnia esse advertit, ardentiore commotus zelo, *scito*, inquit, *Pater* (*id quod tibi DEI nomine prædico*) *si modò, cùm potes, dicere Missam obstinatè nolis, veniet tempus, cùm eam dicere quàm maximè voles, nec tamen poteris.* Atque ità planè ab Societate dimisso evenit: siquidem pòst paulò fœdo correptus cancro, ne in totum corpus serperet, pedem rescindere coactus est, & stipe vicatim corrogatâ miserrimam vitam trahere: summis tum votis exoptans posse ad aras litare, quò medijs vivendi omnibus destitutus, saltèm de altari, stipendio Sacrorum adjutus, honestiùs viveret. Ità pro DEO & salute animarum gloriosa agenti, non defuêre contemptus, vexationes, & multa adversa, quæ toleraret. Solùm referam è crucibus domesticis, quod ei cum Visitatore Lusitaniæ, ad invictam ejus virtutem omnibus comprobandam, in visitatione Collegij, & alterum cum Provinciali, evenit. Curaverat Enriquez murum non grandem domi educi ad coërcendam aquam, judicio suo planè necessarium, sed arbitratu Visitatoris omnino superfluum: & quia id citra petitum suum consensum fecerat, publicam in triclinio & peracerbam reprehensionem Rectori dici curavit, adjectâ hac pœnâ, ut per totam horam communis recreationis super eum murum, in omnium domesticorum conspectu qui ibidem ad colloquendum convenire solebant, novus Stylites consisteret; quod ille promptissimâ obedientiâ, quâ majorem in puerulo erga præceptorem errata sua castigantem non requireret, perfecit, stetitque hilaris horam integram, vultu ad omnem amœnitatem sereno, oculis suorum subditorum expositus, non tanquam in loco supplicij & confusionis, sed velut in throno suæ gloriæ & honoris. Necdum triennium gubernationis Collegij Conimbricensis expleverat, cùm à S. IGNATIO jubetur Provincialis illum Collegio Eboræ, tum primùm ab Henrico Cardinali Infante ejus Urbis Episcopo, erigi cœpto, primum Rectorem præficere. Provincialis mox Leonem omnium ignarum Ulyssiponem evocat, promptissiméque venientem, vivum humilitatis & obedientiæ exemplum in eo præbiturus, (licèt nesciret quâ causâ accerseretur, aut regendi munere privaretur) jubet vestem alijs curtiorem, detritam, & vetustâ induere, Cocóq; operam navare: quam ille maximâ promptitudine & alacritate per integram hebdomadam, in quibusvis vilissimis culinæ obsequijs exhibuit, nihil inquirendo quâ causâ, vel culpâ suâ, pœna publica sibi imponeretur; neque pensi habens, quid alij cogitaturi dicturíve essent, videndo Rectorem Collegij Conimbricensis in alio Collegio Coquinæ ministerijs addici. Elapso octiduo, tum demum Provincialis advocato Leoni mandatum S. IGNATII aperit, & Collegio Eborensi præesse jubet, ad inexpectatum nuncium penitus exhorrescenti: ut haud facilè dixerim, an majore tristitiâ humeros ei muneri subjecerit, quàm lætitiâ Coqui imperijs paruerit.

Eboram profectus, cubiculum omnium in Collegio deterrimum inhabitandum elegit, sicut & supellectilem, vestitum, & utensilia vilissima: operam addicebat per intervalla promptissimam Coquo, Janitori, Obsonatori, tanquam Coadjutorum minimus, & omnium communis servus. Nam & ægris diu noctúque Curator aderat assiduus, sternebat lectulos, everrebat conclave, mundabat vasa, cibúmque ori manibus suis imponebat: cubitum discedebat postremus, & primus lectulo consurgebat. Orationi mentali septem horas dabat quotidie: preces Canonicas semper recitabat de genibus: agendis post Missam DEO gratijs solidam horam impendebat: totóque die reliquo cœlestia ruminans, singularia à DEO lumina & gratias consequebatur, ad rectè domesticos gubernandum, & juvandum extraneos. Erat inter domesticos Sacerdos gravi dœmonis tentatione pænè ad deserendam suam vocationem adductus, cujus præter unum nemo è Collegis erat conscius, qui tamen hoc ipsum (ut ex regula tenebatur) Superiori non aperiebat. Igitur aliquando Leoni in sede quietem capienti vox allabitur: *Surge, & auxiliare tuæ oviculæ ab infernali lupo periclitanti, de qua tibi talis Sacerdos* (nominavítque tentationis illius conscium) *notitiam dabit.* Experrectus ad ea verba Pater, & somni ludibrium ea interpretatus, denuo ad somnum se composuit: sed iterum simili voce excitatus, & nihilominus somniantis phantasmate illudi se ratus; cùm tertiò indormisset

ſet, majore clamore excitur: *quid agis? necdum expergiſceris? neque toties monitus ſuccurris periclitanti oviculæ? vade ad periculi conſcium, & tam illi, quàm tentato remedium adhibe.* Ergo ſubitò, Pater ſe proripiens, conſcium tentati Sacerdotem aggreditur, aceptóque indicio, miſerum in eo ſtatu deprehendit, ut de fuga jam circumſpiceret: quem verbis divino Spiritu & dulcedine plenis ità in gradu firmavit, ut totâ deinceps vitâ conſtans in Religionis propoſito, non ſinè maximo animæ ſolatio perſtiterit. Simili monito, orationis tempore, juſſus fuit certam domum Civis cujuſdam, animam multis ſceleribus inquinatam agentis, adire, quæ nunquam in Confeſſione per ſacrilegam verecundiam aperuerat. Adſtitit morientis lectulo improviſus Pater, cæpítque torpentem ad ſeriam pœnitentiam hortari, inſtantem mortem, Deíque ſeverum judicium prædicere, & inferni denique pœnas, nisi integrè peccata confiteretur, minari. Sed nihilominus ægrum tergiverſari videns, exprobrat peccata ſcelerato ſilentio apud Sacerdotem celata, & ſingula ſeorſim attonito enumerat: ut is arcana ſui cordis, jam antè Leoni perſpecta advertens, mox generalem de tota vita exomologeſim multis cum lacrymis inſtituerit. Priuſquam tamen ad Collegium Pater abiret, quæſivit ex ejus Socio æger, quiſnam hic eſſet Sacerdos, omnium ſuorum peccatorum divinitus conſcius? audiénſque Leonem Enriquez eſſe Rectorem Collegij, juratum teſtimonium, antequam decederet, de tota hac re, quæ ſibi acciderat, reliquit.

Longè plus mirabilitatis habuit id, quod Patri Eboræ agenti, cum Cardinali Infante Henrico Olyſſipone infirmo evenit. Indictis enim pro ejus ſalute varijs inter domeſticos ſuffragijs, pœnitentijs, & ſacrificijs, inter ardentes, quas pro ejuſdem incolumitate fundebat preces, reſponſum cœlitus accepit, Cardinalem priſtinæ valetudini reſtitutum iri. Igitur lætus aſſumpto ſocio in campum exit, modicúmque viâ, quæ ducit Olyſſiponem, progreſſus, Socium in abdito vicinæ ſylvæ præſtolari jubet, dum ipſe aliquantùm digreſſus orationem abſolveret. Tum ſubitò ab oculis evaneſcens, eodem temporis puncto conclave Cardinalis Infantis Olyſſipone, Urbe 20. leucis diſſitâ, ingreditur; qui tunc penitus ardentiſſimo febris paroxiſmo æſtuabat; magnáque oris hilaritate & verborum humanitate ipſum affatus, ſpem certiſſimam in DEI bonitate reponere jubet, à quo brevì ſanandus eſſet. *Dicat mihi veſtra Serenitas,* adjecit, *quo loco præcipuè dolor in corpus ſævit? in corde,* reſpondit Cardinalis: at Pater, protenſâ dextrâ crucem ſuper illud ducens, dolorem omnem momento diſpulit, ſomnúmque ſimul ſvaviſſimum conciliavit. Dum autem Cardinalis indormit, Pater repentè ab conclavi amiſſus, ſocio ſe in ſylvula prope Eboram ſiſtit, domúmque regreditur: ſed Cardinalis à ſomno experrectus, dum omnimode ſanum ſe deprehendit, gratijs DEO cumulatè redditis (quò eaſdem ſoſpitatori ſuo P. Leoni referat) Camerarium evocat, Collegium iſtic Societatis accedere jubet, & P. Leonem Enriquez, jamjam ab ſe digreſſum, revocare. Mirari Camerarius & ſtupere, ſi quidem nec ipſe, nec alius quiſquam conclave Principis obſervantium, Patrem intrare vel egredi adverterat: quando tamen Cardinalis conſtanter urgebat, Collegium adit, & P. Leonis præſentiam à Cardinali deſiderari ſignificat. Verùm hìc mirari longè magìs inſolens poſtulatum Janitor, negare domeſtici omnes Patrem Olyſſipone adeſſe, ſed Eboræ conſtanter morari; ídque ipſum prolatâ epiſtolâ, quam paulò antè Eborâ ab Leone ſibi inſcriptam acceperat, Rector firmare. Id ubi Cardinali renunciatum eſt, ſatíſque etiam Eborâ compertum, Patrem ſummo prodigio ad ſe tranſlatum fuiſſe, conceptâ ingenti de ſanctitate Viri opinione, illum ſibi in Arbitrum conſcientiæ concedi, datis illico ad Societatis Generalem Lainium literis, popoſcit, conſtantérque ad obitum uſque Confeſſarium retinuit.

Fuit autem Enriquez vir altiſſimæ contemplationis, & velut continuæ orationis, à qua nullis externis occupationibus & negotijs avellebatur: ſæpius in ejus decurſu extaſes & raptus cœleſtes pati ſolitus, ut difficulter ad ſenſus multâ vellicatione revocaretur ab eis, qui oranti fortuitò ſuperveniebant. Conimbricæ feſto SS. Petri & Pauli renovaturis ex Societatis more vota domeſticis Sacrum lecturus erat; ſed cùm horâ deſignatâ omnibus in Oratorio collectis non compareret, èvocaturus illũ Æditu us, pulſatâ ſæpius januâ cubiculi, quòd nihil reſponderet, tandem ingreditur, reperítque ùt erat genibus nixus, in altum à terra levatum, manibus in crucem ante pectus decuſſatis, ore toto incenſum, & ab ſenſibus in divina abſorptum. Cùm verò neque inclamatus extaſi ſolveretur, reverſus ad Oratorium Æditu us, Socios omnes ad id ſpectaculum evocat, ex quo omnes vehementer in DEUM excitati, mirabilem in ſervis & ſanctis ſuis prædicabant. Poſt aliquam moram ad Oratorium venientis facies tota ardens, ut flam-

flammas spargere videretur, omnibus apparuit: dúmque vestes sacras induit, dum Missam ad altare orditur, velut necdum à divino consortio integre sibi redditus, hæsitare propè ad singula, neque satis progredi, aut ordinem tenere posse; ut sæpiùs cerimoniarum commoneri, & ad ordinem illum revocari necesse fuerit. Huc etiam pertinet, quod ibidem Patri anno 1580. agenti contigit, quo Regis Henrici è vita cedentis mors gravissimas Regno calamitates invexit: Nam cùm ad eas avertendas publicæ ubique supplicationes, preces, & pœnitentiæ indicerentur, & privatim etiam in Collegio Conimbricensi, coram exposito SS. Sacramento, diu noctúq; orationes ab Socijs funderentur, quo die illud in Sacrarium domesticum è templo ab Socijs ampliùs ducentis solenni supplicatione deferebatur; Pater ob vires decrepitas comitari processionem impotens, genuflexus interim in Sacello præstolabatur, dum inferretur, ardentissimis precibus DEI misericordiam, & veniam toti Regno exorans. Jámque in portam Sacelli SS. Eucharistia inferebatur, cùm ab ea distincta vox ad aures Leonis deprecantis allabitur: *non fiet, non fiet; sine me, ô Leo, neq; morare, quin pro merito pœnas infligam.* Pergenti verò tantò impensiùs Divinam Clementiam implorare, eadem renuentis Domini verba sæpius audita sunt, quoad in Ara SS. Sacramentum collocatum est. Ex quo collegit facilè Leo, gravissimas Lusitaniæ impendêre calamitates, quibus posthac involutum est, prorsus utì ipse P. IGNATIO Martinez prædixit, ex cujus testimonio hæc innotuêre.

Tam exquisitos DEI favores paria comitabantur à dœmonibus odia & impugnationes, quibus eum primùm quidem horrendis sub larvis exterrebant, mox autem ad verbera descendentes, colaphis, pugnis, fustibus excipiebant. Dicenti quadam vice Divinum officiúm cum P. Ludovico Cerqueira (qui postea Episcopus Japoniæ decessit) illusurus dæmon, lucernam, quæ sub tenebras orantibus lumen præbebat, abstulit, ac veluti lusitabundus modò sursum, modò deorsum, partes in omnes circumegit: donec severiore Leonis mandato coactus est illam suo loco reponere. Conimbricæ Rector existens, dato ad quiescendum signo cubiculum intraverat, cùm dæmonem intus reperit formâ teterrimi & ingentis molossi: cujus aspectu nihil externatus, neque illum conclavi abigere sollicitus, ipse abire, & hospitium novo inquilino relinquere parabat, inquiens: *remane intus, remane, magis enim tibi hoc debetur quàm mihi, qui semel duntaxat in DEUM peccâsti, cùm ego sæpius gravissimè offenderim! Proh quanta tua humilitas!* reposuit dæmon, in superbiam si posset præcipitaturus, quem terrore non vicerat, *qui infra me, quamvis reprobatum, te demittere, & ipsis damnatis spiritibus deteriorem reputare potes? Quin imò,* subjecit iterum Pater, *longè ego superbior te sum!* solísque his verbis hostem in fugam conjecit. Aliàs Eboræ cùm dæmonem graviter cum illo expostularet super publico quodam peccatore, tanquam suo mancipio, quòd eum potestati suæ substrahere, Deóque reconciliare laboraret, multa horrenda Patri comminatus, nisì cæptis absisteret: *quin imò,* respondit Pater, *tantò majore ad miserum illum à peccato & servitute tua liberandum studio impendar, quantò acerbiùs id tibi dolere video: nam minas tuas flocci facio, qui nihil in me potes, nisì quod DEUS permiserit.* Atque his dictis dæmonem in perpetuum abegit. Neque omnino terriculamenta eorum ampliùs formidabat, quàm imbellium catellorum cassos latratus, multóque magìs ab illis metuebatur ipse, quos è corporibus obsessorum nullo negotio exigebat, & à domibus personísque, si eas lemuribus & spectris infestarent; unicâ jussione depellebat. Santareni cùm missione Apostolicâ distineretur, die quodam advertit ejus socius tumultum ingentem in Patris cubiculo cieri, sæpiúsque inter agonias sacra JESU & MARIÆ nomina ab oppresso inclamari: simúlque turbo insolentissimus intra domum coortus, cùm cælum planè sudum & serenum esset, portas cubiculi unà cum fenestris perrupit, & socium magnopere consternavit. Accurrit illico intrepidus Pater, & metum omnem ponere jussit; inanes enim hos esse dæmonis conatus, terrere, & quietem ipsorum turbare molientis: quare illo jusso facessere, ad quietem mox se composuit, & perinde quasi nihil intervenisset, securè dormivit.

Ex ardentissimâ, quâ in proximos ferebatur, charitate, primus erat in confessionali expiandis pœnitentibus, adjuvandis ægrotis, pauperibus per urbem colligendis, etiam dum Collegijs præesset. Quo tempore autem Regalem Aulam sequi coactus est, Infantis Cardinalis, postea Regis etiam Confessarius; non minore promptitudine aures commodabat mendicis & mancipijs confitentibus, quàm ipsi Regi: & quoties poterat, ab Aula procurrebat ad prædicandum rudibus per plateas & fora, aut paganis per vicos & villas, non minore animarum proventu, quàm ædificatione omni-

omnium, cùm intuerentur Virum tantæ auctoritatis, & in Regali Curia æstimationis, cum tintinnabulo compita obire, ad colligendos pueros & mendicos catechesi imbuendos, ijsdémque non raró expiandis à primo mane ad seram usque vesperam Confessionali assidere. Eâdem charitate incitatus, cùm rescivisset duos Nobiles Viros in campum prosilijsse ad duellum, positis domi vestibus saccum induit, quo pœnitentes ad flagellandum corpus uti solent, solóque pallio superinjecto ad eundem campum procurrens, medium inter ipsorum gladios, ad congrediendum jam expeditos, se injecit, pallióque abjecto, crudeliter in dorsum sævire incepit, voce lamentabili simul per Christi patientis vulnera obtestans, ùt à scelerato certamine abstisterent. Nec cessit in vanum pius Patris zelus, siquidem ambo ad genua illius provoluti, arma ponere spoponderunt, dummodo flagellis ipse parceret: ínque vestigio redintegratâ amicitiâ, læti ad Urbem redierunt. Tam profusæ in animas charitati par fuit corporum cura; ut quidquid ad miserorum sublevationem posset, affectu planè materno liberaliter semper conferret: nec quidquam domi ipso Rectore fuit, quod non prodigè expenderet, quoties necessitas proximi exigere videbatur. Imò observatum curiosè à domesticis est, nunquam ipsum lætiorem incedere solitum fuisse, quàm quo die plurimis hospitibus aut pauperibus obruebatur, quibus pedes abluebat ipse, & modis omnibus serviebat, & quidquid ad commoditatem eorum faceret, profusè suppeditabat, sibimet non raró cum valetudinis dispendio subtrahens, ut alijs prodesset. Contigit illum ætate jam senem medio hyemis, Superiorum jussu, Eborâ migrare Olyssiponem, dato in socium itineris Fratre quodam infirmo: delati ad hospitium, nullum reperêre lectum, præter nudum solum, in quo Pater sui prorsus incurius, stratum è proprijs vestibus Fratri composuit, ipse seminudus remanens, ut gelidos ægrientis pedes calefaceret. Sed cùm id ad calorem frigenti inducendum non sufficeret; focum, charitatis igne incensissimum miro ingenio providit, dum Fratris plantas pectori suo denudato applicuit, & calore cordis nativo confovit; ultimum illud, quod modicum in senili corpore supererat spiritûs, in Fratrem libentissimè transfusurus; nihil pensi habens, si frigore vicissim ex ejus pedibus in viscera hausto, tormina & dolores cholicos in præmium reciperet.

Totis 24. annis, quibus Confessarij Regij munus apud Henricum Cardinalem, & eundem postea Regem creatum gessit, nihil unquam pro se suísque cognatis expetijt, licèt nullo negotio posset illos, utpote primæ in Regno Nobilitatis, ad splendidiora Aulæ munia provehere: pauperum tamen è contrà & miserorum perpetuum egit Advocatum, neq; ulli ipsorum operam suam deposcentium negavit, nihil reformidans, ut ne importunus & molestus interpellator haberetur. Et quia pijssimus Rex mirâ liberalitate postulanti Patri omnia concedebat, copiosásque pecunias largiebatur, ipse omnia fidelissimè dispertiebat dotandis orphanis & viduis, redimendis captivis, liberandis incarceratis, debitoribus exolvendis, restaurandis templis & monasterijs: ídque eâ fide exequebatur, ut nunquam Rex ab eo impetrare posset, quò partem aliquam sumptuum in usus suos & necessitates derivaret. Nam paupertatis rigidissimæ tenax constanter vixit, neque unquam persvaderi potuit, ut rhedam admitteret, etiam tunc, cùm Palatium à Collegio S. Rochi (quod Pater inhabitabat) admodum remotum Rex incoleret: sed pedibus semper, instar mendicabuli, iter illud unius leucæ ad Aulam metiebatur, quoties seu confessionis, seu negotij alterius causâ Regiam accederet. Delatum sibi ab Inquisitoribus sacri Consilij Qualificatoris munus acceptare diu renuit, donec à Superioribus rescivit id nequaquam è dignitatibus, à S. IGNATIO prohibitis esse; ac tum illud ipsum in majoris humilitatis occasionem convertit. Nam quoties publicum judicium de reis celebrandum erat, nequaquam inter Qualificatores sessum capiebat, sed reorum turbæ se immiscens, eos interim ad ferendam patienter sententiam animabat, & ad mortem disponebat. Pari humilitate & adnisu obluctatus est, nè officium Præpositi Provincialis à S. Borgia delatum subiret, ad quod tamen illius præcepto adactus est; obiitque integro septennio magnâ omnium satisfactione, & virtutis exemplo: siquidem commodorum omnium fugitans, neque Fratrem Coadjutorem ad sua obsequia, neque mulos, aut rhedam certam ad agenda itinera admisit, sed obvios quosvis agasones & paganos, de loco in locum fortè jumenta agentes conducebat, nullo viatico, commeatu, apparatúve instructus; túmque præcipuè gaudio gestiens, si neque in diversorio quidquam ad esum & lectum commodi reperiret.

Provincialis munere paulò ante mortem S. Borgiæ defunctus, vix ad confessiones Cardinalis Eboram redierat, cùm in Congregatione

tione Provinciali ad novum Generalem Societati pro Borgia dandum, Elector Romam destinatur: quâ occasione permisit DEUS humanum quiddam illi evenire; ut disceremus, perfectos etiam comuni fragilitati subjectos, in judicijs suis errare posse. Triginta duobus annis steterat tum à sua confirmatione JESU Societas, quemadmodum à S. IGNATIO gente Hispano fundata, ita hactenus à Generalibus, ex sola ea natione assumptis gubernata: ex qua etiam plerique Visitatores & Commissarij, nec pauci Provinciales & Rectores deligebantur: & hi quidem sapienter æquè ac sanctè gubernationis munia obibant: quia tamen Societate per multas alias nationes jam propagatâ, non deerant ex illis Viri talentis ad regendum instructissimi, factum est idem, quod de primitiva Ecclesia legitur in Actis Apostolorum c. 6. dum exortum est murmur Græcorum in Hebræos, quòd hi veluti Ecclesiæ fundatores, & primi lapides, primas etiam partes, alijs veluti despectis, in ea sibi vendicarent. Itaque videbatur nationibus nonnullis æquitati consonum, ut ex alijs etiam subinde, si æquè aut magìs idonei essent, ad moderandam Societatem quidam assumerentur; qui earum sensus in Lusitaniam delatus, in eandem opinionem primarios quosdam Patres cum Leone pertraxit; cum quibus, inito consilio, unanimiter decretum est, providendum omni ratione, ut in præsentiarum alius quispiam è diversa ab Hispanis natione, Præpositus Generalis eligeretur; ídq; ea solùm de causa; nè, si penes unicam gentem Societatis gubernatio, veluti hæreditario jure remaneret, digniores quandoque eo gradu, & virtute præstantiores præteriri contingeret. Quia verò negotium tanti momenti magnopere ad DEI gloriam & Societatis bonum pertinere Leo ducebat, epistolas ad Pontificem Gregorium XIII. obtinuit à Cardinali Henrico, & Sebastiano Lusitaniæ, ac Philippo secundo Hispaniæ Regibus, quibus id ipsum à Vicario Christi flagitabant, nè pateretur hac vice Generalem Societati ex Hispanis præfici. Nec parum in proposito per viæ decursum firmatus est, quando non paucos è Socijs in Gallia & Italia ejusdem sententiæ reperit: à quibus animatus, ubi Romam pervenit, eum favorem ex commendatione Infantis Cardinalis apud Gregorium consecutus est, ut liberum ad se accessum, quoties vellet, à Cubicularijs suis ipsi concedi mandaverit. Igitur captâ occasione facilè idem, rationibus diu antè præconceptis, Pontifici persvasit; literis verò tantorum Principum id ipsum flagitantium exhibitis, planè evicit: ut idcirco Patri Polanco, Societatis interim Vicario Generali, Apostolicam benedictionem pro inchoandis Comitijs humiliter flagitanti, Gregorius disertè edixerit, velle se pro hac vice ex alia quapiam natione, ab Hispanis diversa, Præpositum eligi, idémque iterum per Cardinalem à suis secretis, toti Patrum Conventui, principiô Congregationis significârit.

Non facilè dictu est, quanto dolore & perturbatione animos Patrum ea Pontificis optimi, & Societati aliàs addictissimi, denunciatio confuderit, quâ manus sibi constringi videbant, ereptâ libertate eligendi quemcunq; eo munere dignissimum censuissent; unáque januam aperiri ad ambiendas in Societate per patrocinia Principum dignitates: aliáque id genus non levia damna, quæ ex hac novitate sequi natum erat. Quibus Patrum rationibus auditis Leo, vidénsque eundem universalem omnium sensum esse, serò tandem advertit judicij sui, licèt optimæ intentionis specie seducti, errorem; in quem DEUS suos labi non rarò patitur, ad majorem ipsorum in humilitate, suíque despicientia profectum. Ideóque nihil moratus Vir antiqui candoris, è loco suo consurgens prodit in medium, humíque prostratus, lacrymis magìs, quàm voce culpam suam ingenuè fatetur, ingentíque dolore aperit, solùm se ejus decreti Pontifici auctorem & incitatorem fuisse, obtentis ad eundem finem Principum intercessionibus, quia reverà id ad majus DEI obsequium fore judicârit. At enim modò luce meridianâ clariùs deceptionem sui errorémque agnoscere, pœnámque pro culpæ enormitate quamcunque gravissimam exposcere; & demum ad Pontificem ipsum adeundum se offerre, ut declarato suo errore, contrarijs rationibus à proposito illum abduceret. Respiravêre Patres ad eam Leonis confessionem, miréque ex tanta humilitate ædificati, propositum ipsius in adeundo Pontifice approbârunt, additis qui eum comitarentur è suo gremio quatuor Patribus. Cum quibus Tusculum ad Pontificem profectus, adeò nervosè & efficaciter negotium egit, ut is restitutâ Congregationi ad electionem ex quacunque natione ineundam libertate, solum hoc reservârit, ut si fortè in Hispanum hominem plura vota convenirent, ante promulgationem id sibi significaretur. Verùm id minimè necessum fuit, siquidem primo scrutinio in Præpositum electus est Everardus Mercurianus, natione Belga, & Germaniæ Assistens: à quo, & tota simul Congregatione, non destitit Leo gravem sibi

ſibi pœnam pro tam enormi exceſſu poſtulare; inter alia petens, ut juberetur integro biennio in culinæ miniſterijs famularem Coquo operam navare. Et quia ex animo pæne importunus id flagitabat, adeò ut contriſtandū, ſi totū negaretur, plures cenſerent; ſex menſes agendæ in coquinæ officio pœnitentiæ indulti ſunt; quam ille mox in Urbe auſpicaturus, vilem & detritam veſtem ante reditum in Luſitaniam induit, & exacto in viliſſimo illo miniſterio ſemeſtri, tres alios menſes inſuper adjecit, quanto ſuo ſolatio, tantâ aliorum ædificatione & exemplo.

Reducem in Luſitaniam pari affectu Rex Sebaſtianus & Cardinalis Henricus excepit; iſte quidem Eboram evocatum, ad ſuas confeſſiones adhibere conſtanter perrexit, etiam poſtquam ad Regium ſolium defuncto Sebaſtiano evectus fuit. Sed minimè diuturnum Henrico imperium fuit, anno 1580. poſt biennium in eo exactum vitâ functo: à cujus morte liber ab Aulæ negotijs Pater, cupidúſq; totum ſe orationi & quieti Religioſæ tradendi, Bragam mitti, Urbem 60. leucis Ulyſſipone diſtantem, impetravit. Parum tamen quiete deſideratâ illi frui licuit, delato ipſi ejuſdem Collegij recèns fundati, neque integre ædificati aut inſtructi Rectoratu: unde coactus eſt Rectoris ſimul & Concionatoris, Magiſtri & Converſatoris, Janitoris & Diſpenſatoris, Sacriſtæ & non rarò Murarij ac Operarij munia implere, in afferenda calce, lapidibus, arena, ceteráque fabricæ promovendæ neceſſaria materia: ad quæ tot ſimul agenda DEUS illi vires ſubminiſtrabat, quas ætas negabat. Et quidem ternas ſubinde per diem habebat conciones, ſimul pœnitentes quotquot adeſſent audiebat, vel ægros expiari cupientes adibat. Cui obſequio uſque eò fuit addictus, ut etiam in Provincialis munere ad Collegium quodpiam veniens, primò omnium, necdum poſito pallio, Templum aut Collegij januam accederet, exploraturus, an quis adeſſet peccata confiteri deſiderans. Idem faciebat in diverſorijs per viam & hoſpitijs, ſedulóque inculcabat emolumenta frequentis Confeſſionis & Communionis, ac praxes utriuſque docebat. Trienniô Rectoratûs finito, ſperabat bonus Pater ſe ab hominum memoria penitus obliteratum, ínque eo angulo relinquendum, ut totum ſe uni DEO addiceret: ſed quia plurimùm conſilio & auctoritate ſuâ profuturus Societati videbatur in Curia Regali, revocatus Olyſſiponem eſt, aſſumpsítque laborioſiſſimum Operarij munus, cùm annum ætatis ageret ſeptuageſimū, fractus ætate & viribus, ſed ſpiritu vividus & robuſtus. Itaque aſſidebat pœnitentibus audiendis conſtantiſſimè, procurabat Hoſpitale pauperum, luſtrabat cuſtodias & carceres, inviſebat ægros: & ut externis etiam nationibus opem ferret, quòd copioſi è Gallia Inſtitores illuc commearent, eorum linguam, quam puer olim Pariſijs didicerat, & jam penitus oblitus erat, magno conatu repetere cœpit, comparato Vocabulario gentis, & Grammaticâ, conductóque Magiſtro, à quo doceretur; DEUM viciſſim & cœleſtia ejus animo inſtillaturus. Utque nemo illi effugeret opis alicujus causâ Domum Profeſſorum accedens; multis precibus impetravit, ut Janitori in cura portæ ſocius daretur, & abſentis vices integre ſuppleret: quod bono ſeni ad ſingulare ipſius ſolatium negari non potuit.

Dum ità indefeſſus animabus DEO lucrandis invigilat; evocatur die quodam in carceres, ad confeſſionem pauperis Galli ex peſtilenti apoſtemate morientis audiendam: quò alacer abſque mora provolans, dum ſui omnino incurius, jacenti aurem vicinam, perinde ac ſi ſanus foret, admovet, & prolixè peccata recenſentem audit, ac prolixiùs etiam ſolatur, mortíque ſanctè obeundæ præparat; virus & ipſe in viſcera hauſit, ex quo mortis certæ nuncium die mox ſequenti à Medicis accepit. Hoc verò ille ſummâ gaudij liquidiſſimi ſignificatione excepit, ut clarè appareret, nihil gratiùs illi nunciari potuiſſe: quare Sacramentis Eccleſiæ omnibus perceptis, exoravit ſolus deinceps relinqui; quem ad januam relicti cuſtodes obſervârunt, nunquam à tenerrimis cum DEO & Cœlitibus deſtitiſſe colloquijs, quoad uſum linguæ retinuit; ex cujus ſilentio non vanè colligentes, animam ipſum agere, convocatis domeſticis ingreſſi, dum agonem morientis Domino commendant, ille placidiſſimè expiravit die 8. Aprilis, Anno 1589. ætatis 74. Religionis 53. Ad ejus ſepulturam præter innumerabilem populum, defuncti corpus venerari cupidum, accurrit etiam cum toto Clero Urbis Epiſcopus, & cum omnibus Religionibus ſacra Inquiſitio in forma Tribunalis, ac denique cum univerſa Nobilitate Regalis Curia, ſinguli ex ejus veſtitu, rebúſve utenſilibus, quidpiam ſibi ad piam memoriam donari flagitantes, ut cuſtodiam armatam tuendo funeri adhiberi oportuerit, quò ab direptione defenſum ſecurè tumulo mandari poſſet.

Ex Hiſtoria Societatis, & Luſitania Balthaſ. Tellez, & Andrade Tomo 5. de Viris Illuſtribus.



P. Nicola9 Bobadilla Hisp: S.I. è primis 10. S. Ignatij Socijs, à
Ferdin: I° summè æstimat9, oblatum ab eo Episcopatũ constan,
ter respuit, et in oibus ferè Imperij Comitijs ad negotia Re,
ligionis adhibit9, et per 77. Episcopat9 Apostolicô zelo operat9,
maximos Animarum fructus retulit. Obijt Laureti 23
Sept: 1590. Ætatis ferè 80. 49.
W.P. Kilian sc.

P. NICOLAUS BOBADILLA.

PAter Nicolaus, natione Hiſpanus, patriâ ex oppido Bobadilla, Palentinæ Diœceſis, unde nomen accepit, dictus alioqui Nicolaus Alphonſus, unus fuit è primis decem Societatis noſtræ Patriarchis, qui ſe IGNATIO, ordine quintus, Pariſijs adjunxit. Parentes habuit tenues; ſed pietati Chriſtianæ inprimis addictos, à quibus novennis ſtudio Grammaticæ applicatus; abſoluto deinceps Artium, Philoſophiæ, & Theologiæ, diverſis Hiſpaniæ in Academijs curriculo, gradum ex illis literarium conſecutus, Valliſoleti Philoſophiam publicè docuit. Verùm incenſus cupiditate plura diſcendi, lingvas præſertim Hebræam & Græcam, Lutetiam Pariſiorum, à multitudine Sapientum tunc celeberrimam, profectus eſt, & delatam ſibi Philoſophiæ Cathedram in Collegio Calviaco occupavit. Verùm cùm ipſius conatibus adverſaretur egeſtas, confugit ad ſanctum IGNATIUM, qui multis in ea Academia adoleſcentibus, re domeſticâ deſtitutis, honeſtè & cum dignitate, è corrogatis eleemoſynis ſubveniebat. Adjutus ſancti Patris auxilio, non dubitavit, cujus expertus erat benignitatem, etiam Inſtituta complecti. Exinde quadraginta dierum ſeceſſu arctè probato, communia illi, quæ Socijs omnibus acciderunt, donec Venetias Romámque venêre: ubi, poſteaquam deſperato in Palæſtinam tranſitu, operam omnes ſuam Ponti-

Pontifici Paulo III. detulissent, Bobadilla ab eodem Anno 1538. in Ænariam missus est, Regni Neapolitani Insulam, quæ Ischia dicitur hodie, ad conciliandam pacem inter Joannam Aragoniam, ejúsque Conjugem Ascanium Columnam, Tagliacotij Duces, cujus profectionis fructus fuêre uberrimi. Cùm enim Vir ardens loco uno contineri non posset, Cajetæ pro concione Dominicis omnibus simul perorabat, in xenodochio victitans è corrogata stipe. Cùm verò gravis ex contentione laborum febris eum incessisset, Neapolim ad commune nosodochium Annunciatæ Virginis se recepit; unde adeò confectus rediit ad Urbem, ut quæ à S. IGNATIO destinata illi erat in Indiam profectio, eam S. Francisco Xaverio committere compulsus fuerit. Nec ipse tamen ab opere diu vacavit: confirmatâ enim valetudine, rursum à Paulo Pontifice Bisinianum in Regnum Neapolitanum ablegatus est, ut vicariam ageret operam ejus Urbis Episcopi, quem suum Neapoli Nuncium esse jusserat: indè post annum, rebus præclarè gestis, revocatus Romam, jubetur à Pontifice in Germaniam cum Jaio abire, turbatissimum ejus per hæresim statum pro virili adjuturus. Interim autem, dum Nuncius Cardinalis Moronus, quem comitari oportebat, in Germaniam expeditur, Reginaldo Polo Cardinali, Viterbij Legato tantisper datus est, editâ priùs in Urbe professione soleñi quatuor votorum.

Jam verò ex itinere, quod in Germaniam habuit, morbi vi oppressus, & Oeniponti subsistere coactus, cum Ferdinando I. Romanorum Rege, qui cum liberis suis tunc ibi agebat, de rebus salutaribus multa contulit, rémque animorum, & privatis cum Nobilitate colloquijs, & ceteris ex Instituto muneribus impigre provexit. Sed Curiâ mox Viennam translatâ, eandem secutus, identidem varijs à Ferdinando colloquijs de promovendo Religionis statu consulebatur, simúlque publicas conciones italicè, latinéque, & sacras lectiones habuit, confessionibus audiendis, convertendis hæreticis ità intentus, ut simul aliquot è Turcis, & Judæis laboriosâ institutione Christianos fecerit. Nobilem verò cumprimis victoriam de Lutherano viro illustri, & Regi à consilijs, coram Rege ipso plurimísque Proceribus retulit, à quo fuit superbâ præfidentiâ in certamen vocatus, pactus solenni promisso, se Catholicorum partibus accessurum, si falsitatis convinceretur. Sed licèt omnium calculis, & Regis ipsius sententiâ victus pronunciatus, pertinaci tamen furore contestabatur, eundem se mansurum qui fuerat novorum dogmatum sectatorem: quâ hominis impudentiâ offensus Ferdinandus, perpetuis eum carceribus condemnavit. Hìc miser inclusus ignominiæ dedecore in rabiem versus, cùm sibi ipse manus lethali vulnere attulisset, repente oborta è cœlo luce, scelus agnovit, Catholicè expiari magnis vocibus postulavit, susceptísque ritè mysterijs, in ejusdem Ecclesiæ complexu spiritum DEO reddidit. Quo eventu non solùm Viennæ, ínque alijs Germaniæ partibus, verùm etiam in ipsa Romana Curia vulgato, magnâ existimatione nomen Bobadillæ celebrabatur. Instabat per id tempus Norimbergæ Conventus Imperij, ubi nè quid contra Religionem decerneretur, Nuncius Apostolicus Bobadillam sibi auxiliarem adjunxit; cujus sanè opera fuit multis brevi illo tempore salutaris. Nec minùs in novo Spiræ, & iterum Wormatiæ indicto Côventu præstitit, additus à Rege, Passaviensi Episcopo; qui suo nomine Spiram mittebatur; adhibitus postea ab eodem universæ Diœcesi suæ lustrandæ. Præter cetera cum laude gesta, complures in carcerem Sacerdotes sacrilegis nuptijs, hæresibúsq; conjectos, frequenti collocutione permovit, ut prava dogmata publicè ejurantes rejicerent, & digna scelerum immanitate supplicia in arctis luenda cœnobijs sibi ipsi deposcerent. Quia verò Spiræ Catholicam rem tum prædicatione verbi DEI, tum saluberrimis consilijs sustentatam ab illo experti erant Catholici Principes, dimissis Comitijs certatim eum secum quisq; abducere tentârunt: sed ipse Passaviensem secutus, nec multò pòst à Ferdinando Viennam revocatus, præter concionum labores curavit etiam Pastorum, Doctorúmque mores ad veterem Ecclesiæ disciplinam Regiâ auctoritate fingendos; ad plerásque super Religionis negotijs deliberationes adhiberi à Rege solitus.

Profecturus ad nova Comitia Spiram Ferdinandus, quibus & Imperator Carolus frater interesse volebat, Bobadillam secum domestici Theologi nomine assumpsit: cujus fidelissimam operam contra Lutheranorum fraudes expertus, charissimum deinceps habuit, & tota Aulæ Regiæ, Cæsareæque nobilitas, virtutem sapientiámque suspexit, & pleraque sibi à confessionibus eundem delegit. Quod cum Coloniensis Ecclesia notâsset, partes illi Oratoris commisit, suóque nomine Cæsarem & totum Principum Conventum alloqui voluit. Id ille valde ex animo & cumulatè præstitit: nec præsentem tantùm apud Cæsarem, sed absentem etiam apud Pontificem patronum

num se illi per literas exhibuit: collaudatus à Pontifice ob indefessum zelum responsorijs literis, útque de Germania bene mereri pergeret animatus. Præter alia piè ac salutariter in Comitijs, Ratisbonam pòst paulò translatis, gesta, librum à se de Christiana conscientia conscriptum, exponendum latinè certis diebus pro concione suscepit, maximâ Principum & Antistitum coronâ, varijs intermistâ nationibus, Germanis, Gallis, Italis, Hispanis, Catholicis æquè ac Protestantibus. Cùm verò frangendæ Sectariorum contumaciæ, apud quos nihil proderat lenitas & majestas Cæsarea, Carolus exercitum validum coëgisset, cui copias fortissimas Pontifex quoque adjecerat; Bobadilla, nè quid ijs deesset spiritualis auxilij, castra secutus, roborando & adjuvando milite suas egregiè partes implebat. Aderat enim assiduus vulneribus & morbo affectis, & in medio præliorum fervore, sui oblitus, animando militi, & saucijs procurandis discurrebat; unde capite aliquando vulnus ab hoste retulit, nisì plagæ impetum crassitudo pilei retudisset, haud dubiè lethale. Cùm verò procuratione simul nosocomij militaris, quo identidem læsi & ægri deportabantur, diu noctúque distineretur, non poterat animi robori par esse corpus: tentari & ipse cœpit morbis, pestilentiâ tandem afflatus, à qua tamen, DEI bonitate, paulò pòst convaluit. Quanquam autem æger & imbecillis, ut vix hæreret vestigio, nihil tamen de laboris contentione propemodum detraxit; somnũ perinde nudâ humo, ùt erat vestitus, citrà ullum stragulum decerpens. E castris Ratisbonam aliquando excurrere coacto, repentè grassatores occurrunt, spoliant, & acerbis plagis afficiunt: inhumaniùs forsitan tractaturi, nisì illis contra ternos Italos subitò apparentes conversis, ipse nudus cum solo aufugisset indusio. His tot Viri meritis, sub oculis Cæsaris, bello partis permotus Ferdinandus, omni ratione connisus est illum ad acceptandas Episcopales Infulas inducere: sed constanter ille non minùs toto conatu restitit, testatus se à DEO, non ad honores & dignitates, sed ad paupertatis humilem obscuritatem vocatum esse.

Confecto bello, Ducéque Saxonico unà cum Landgravio Hassiæ à Cæsare capto, Bobadilla modò hanc, modò illam curaturus Germaniæ partem, nunquam eodem loco cõsistens, sed *tanquam verus Apostolus* (ùt de eo scripsit Viennensis Antistes) *cunctaperernans*, iterum anno 1547. nimijs ex laboribus ægrotavit. Nam stylo & voce Catholica dogmata tutatus, Passavij per Quadragesimam, aliàs verò Ratisbonæ in concionibus operam suam posuit. Sanè magni ponderis apud Germaniæ Proceres & Antistites vox ejus erat; sed apud Regem Romanorum longè maxima, cujus denique Curiam iterum sequi compulsus est. Anno insequente, cùm in Augustanis Comitijs libellus vulgaretur de Catholicæ Fidei doctrina & ritibus, quæ Germania tantisper, dum Concilium Tridenti coactum stateret, sequeretur, unde nomen libello factum est, *Interim*: Bobadilla & dictis pariter & scriptis sese constanter opposuit, cùm nec Catholicis ea moribus congruerent, nec Cæsaris possent auctoritate constitui: qua ex Viri resistentia, nè nova turbationum ansa Protestantibus daretur, jussus est Bobadilla, quamvis Curijs Catholicorum Principum percarus, è Germania se subducere. Quod ille sanè numeravit in lucris, cùm pro se causa gloriosè apud Curiam Ecclesiasticam staret, & honestissimum duceret, magìs DEO placere quàm hominibus. Ergo in Italiam regressus anno 1549. quòd Jacobus Laines in Siciliam discessisset, ejus ipse partes Neapoli suscepit habendis concionibus, præsertim Quadragesimæ singulis ferijs, implendas. Minorensem quoque Diœcesim, rogatu Antistitis, vicinósque Episcopatus, Policastrum item, Bisinianum, Rossanum, biennio lustravit, inflammando concionibus ubique populo, pueris Christianâ doctrinâ imbuendis, ministrandis indefessè Sacramentis ità strenuus, ut neque inter febrium recidivos ardores quidquam remitteret, semper sui similis. Et Rossani quidem venenum ei à perditis hominibus propinatum est: ut prodigij sit instar habitũ, potuisse perniciem extremam effugere. Verùm ùt malum expulit, eâdem alacritate atq; constantiâ ad castigandos improbos redijt. Sed & Phaliscorum Episcopatui lustrando adhibitus; postea in Picenum ab S. Inquisitione, Commissarij titulo, missus est; ut omni conquisitione Hæreticorum, Judæorúmque libros infami concremaret incendio: & Cardinali Carpensi auctore, Lauretanum quoque Clerum inspexit. Quæ omnia haud exigua cum laude perfecit, seu pijs habendis sermonibus, seu inquirendis voluminibus improbis, præsertim ex eo genere plurimis, quæ Lusitanicè edita pestilentes homines in Indiam usque transmittere, totóque Oriente spargere occultâ fraude decreverant.

In vallem Tellinam ad capturam hominum demortuo jam S. IGNATIO missus, purgandis animis, aure ac voce, religioni excolendæ, & contra

contra Hæreticos, qui plurimi è Germania irrepſerant, tuendæ intentus, haud rarò bis in die ad concionem dicens, nec uno fixus loco; ſed alia atque alia luſtrans oppida, magnum apud omnes Catholicos Societatis deſiderium excivit. Nec ſolùm illi cum fame & ſiti, cum frigore & alijs incommodis luctandum fuit, ſed cùm hæreſi etiam, propè jam ibi regnante, acriter pugnandum: quando ab hæretico Prætore citatus, interrogatúſque, quid feriâ ſecundâ majoris hebdomadæ pro concione fuiſſet auſus de Euchariſtia dicere? quanquam diſſvadentibus amicis, & certum exitium fugâ evitare ſvadentibus, promptè ſe non ſolùm ſtitit; ſed eôdem coram illo, quo in concione ſpiritu omnia repetivit: tempus id profitendæ palàm Fidei, & ſi ſors ferret, ſangvine obſignandæ ratus. Hæreticus admiratus fiduciam humanâ, ùt ſibi videbatur, majorem, ubi attentè audivit omnia, nîl auſus in DEI ſervum moliri, indemnem, neque ſinè obſervantiæ ſignificatione, ab ſe dimiſit. His pro Fide Bobadillæ certaminibus longè latéque divulgatis, Jaderæ & Epidauri (Zaram & Raguſam hodie appellant) Antiſtites ità pro illo in Illyricum mittendo apud Lainium Generalem inſtitêre, ut negari non potuerit. Alacríſque Bobadilla Illyricas quoque rupes, magnam partem Turcis vel tributarias, vel tyrannicè ſubjectas, Græcóque ſchiſmate & varijs erroribus infectas, excultum abijt: adeò nullô, quod ad commoda corporis attinet, domiciliorum noſtrorum ad degendum reſpectu; ut cùm Venetijs ad Illyricos navigaturus à quodam rogaretur, eſſéntne in Illyrico Collegia Societatis? jucundè, ùt ſolebat, reſponderit, ſe Collegia ſecum ferre in manica: ſimul fortaſſe ſignificaturus, promptum ſibi eſſe Collegia, ubi vellet nova condere. Prorſus enim eveniebat, ut quocunq; pedem tuliſſet, ſtatim motus & cupido in populis excitaretur habendi apud ſe Societatis domicilij: utì reipsâ mox in valle Tellina Ponti fundatum eſt, cùm Bobadillæ diſceſſum Tellinenſes, perinde quaſi Parente orbarentur, mœrore ac lacrymis honeſtarent. Incredibile dictu eſt, quàm indefeſsè rupes illas Raguſanas incultas biennio circumcursârit, quàm indefeſsè operi incubuerit per aſſiduas conciones, lectiones, catecheſes, aliáque omnia Societatis miniſteria. Sanè Raguſæ non multis ejus dictionibus auditis, & ceterâ juvandi proximos ratione ac dexteritate perſpectâ, Collegium Societati apud ſe condere inclyta illa Reſpublica decrevit, eáque de re ad Lainium literas dedit. Sed Bobadilla ex laborum contentione febri quartanâ oppreſſus, cùm nihilominus conſtanter ad populum, & ter in hebdomade ad totidem Benedictinorum cœnobia (quibus ſimul Theologiam, poſt ſingulos aſceſi Ignatianâ excultos, tradebat) peroraret; creſcente morbi violentiâ in Italiam redire compulſus eſt.

Non tamen licuit viribus utcunqne reſtituto diu in Italia eſſe otioſo, qui totus ardebat ſtudio laborandi: ſiquidem à Gvidone Sfortia Cardinali in Calabriam miſſus eſt, ut eam quoque Patriam operâ Evangelicâ excoleret. Id quod tantâ incolarum egit ſatisfactione, ut magnâ Melliti & Cantazarij, Collegiorum Societatis cupiditatem excitaverit. In ſumma, ſequentibus annis totam propè Italiam atque Siciliam crebris excurſionibus pervagatus, ubique reliquit luculenta ardoris ſui veſtigia, ab omnibus paſſim cultus ùt Pater, propter ſanctitatis & eruditionis exiſtimationem, ac venerandam canitiem. Quibus in laboribus aliquando ardentiſſimâ denuo febri proſtratus, magnâ fiduciâ ad patrocinium S. IGNATII pridem vitâ functi recurrit; & ecce ab oratione vix conſurgens, ſenſit ſibi momentô non tantùm valetudinem, ſed & vires priſtinas integre rediviſſe. Tandem fatiſcentibus per ætatem crebróſque morbos corporis viribus, Lauretanam ſibi quietis mortíſque ſedem, amore atque obſervantiâ in DEIparam Virginem elegit; ut, quo loco inchoaverat vitam ipſe DEUS in terris, ille ſuam terminaret. Ibi poſtremus Sociorum S. IGNATII, cùm jam quintum Generalem Societatis ſuo etiam voto electum vidiſſet, 23. Septem: Anno ſalutis 1580. à confirmata Societate 50, propè octogenarius deceſſit. Poſt obitum ex illius manuſcriptis compertum eſt, ipſum conciones habuiſſe in 77. Archi-Epiſcopatibus & Epiſcopatibus per Italiam, Siciliam & Dalmatiam: in locis verò 158. diverſis. Inter tot ejus virtutes eminebat inprimis Evangelicæ ſtudiū paupertatis, veſtes enim præſertim interiores geſtabat viliſſimas, plurimíſque locis interpolatas ſuíſmet manibus; quas cùm indueret exuerétque, quâdam ſingulari ſvavitate ſæpius oſculabatur. Prædixit ſæpe ultimum ſe è decem primis PP. exiturum è vita: ac joco interrogantibus, quid ità ſemper in Pontificijs diplomatis, quibus Inſtituta Societatis confirmabantur, poſtremus ipſe inter decem nominaretur? id ipſum cauſæ dabat, quod poſtremus eſſet moriturus.

Ex Hiſtoria Societatis, & Tomo 1. Nierembergij de Viris Illuſtribus.



P. Edmund⁹ Augeri⁹ S.J. Gall⁹ Trecensis, Henrici Regis Galliæ Confessarius et Concionator, Catholicæ Religionis contra Calvinistas, etiam sub furca, invictus Athleta. Decessit exul Novocomi, 19. Junij, 1591, propè sexagenarius.
50

P. EDMUNDUS AUGERIUS.

Ræstantissimus Fidei Catholicæ Athleta, ejusdémque contra Sectarios per Galliam Propugnator, Edmundus Augerius, fuit sæculo superiore tam celebris Concionator, ut eum Florimundus Remundus de origine hæresum lib: 5. c. 2. *excellentissimum* appellet *omnium, quos unquam Francia habuit, Divini verbi præconem, Philosophum & Theologum doctissimum.* Ludovicus verò Richeomus in præfatione de animæ immortalitate, *torrentem eloquentiæ Gallicanæ, Doctorem & Confessorem Ecclesiæ* : & Theophilus Raynaudus de martyrio per pestem, p. 3. c. 4. n. 12. *Christianorum sui temporis Oratorum in Gallia principem.* Natione fuit Gallus, patriâ Trecensis, víxque pueritiam egressus, cùm Romam anno 1550. venisset, in Societatem à S. IGNATIO receptus est; in qua primùm literas humaniores docuit, Poëta & Orator excellens, tum & Philosophiam ac Theologiam, ingenio, memoriâ, & judicio valens. Anno 1559. Appamias in Galliam cum tribus Societatis Sacerdotibus, invitatu Episcopi, contra invalescentem ibi hæresim missus, à Senatu magna ex parte hæretico tantùm non ejectus est : sed ubi suggestum conscendit, ità animi Civium in Fide adhuc constantium mutati sunt, ut paulò pòst domum amplam inchoando Collegio adepti, Gymnasium etiam docendæ Juventuti aperire potuerint,

rint, frementibus hæreticis, & vias omnes exturbandis ab se Jesuitis indagantibus. Jámq; famâ vicinas egresſâ in oras, Fuxum Navarræ Regni urbem Augerius evocatur, habuítque Christo duce, ingenti proventu per Quadragesimæ ferias ad populum conciones: quas cùm ibidem anno sequente repetijsset, dictione suâ in Parasceve ità populum concitavit, ut omnes sublato inter lacrymas clamore, Calvinum, & omnium hæreticorum impia inventa detestarentur. Apamijs easdem conciones anno 1561. aggressus, quanquam frementibus adversarijs, ampliùs mille eo tempore vel à ruina cohibuit, vel jam stratos erexit, civitatémque omnem, nè rebellaret, in fide continuit. Hæretici interim libellos contumeliarum plenos affigere ac dissipare, saxis Collegij fenestras noctu ferire, necem & carnificinam Edmundo minari: etiam rumorem spargere, eum mente captum; adeò ut populus anxius ad Collegium accurrerit, quæsitum, quid acciderit concionatori, quod eum de statu mentis emoverit? sed paulò pòst ubi ille in suggestum redijt, non Catholici modò liberati curâ sunt, sed etiam hostes intellexerunt, plus, quàm vellent, sapere sacrum athletam: adeò fidenter eos & acriter divexavit. Sed captâ demum ab hæreticis Urbe, & primùm omnium nominatim Jesuitis exterminatis, Edmundus Turnonem, Rector Collegij datus, recessit, & tam ibi, quàm Valentiæ acerrimè in hæreticos depugnavit. Et quidem hìc virum primarium, cujus exemplum alij quàm plurimi secuti sunt, Ecclesiæ restituit: atque hæreticum declamatorem ità cõfudit, ut clanculum ad vitandam infamiam oculis se hominum furatus, Valentiâ profugerit.

Cùm verò iterum anno 1562. Valentiæ per Quadragesimam diceret, & plurimi etiam ex hæreticis ad eum audiendum affluerent; consternati horum duces, assiduas ad DEUM preces suis indixerunt, ut eum ad ipsorum Evangelium converteret; dolentes, tantum quotidie à se numerum ad sacra Catholica transire. Ab circumjectis oppidis alij 6, alij 14, exciti leveis Edmundi famâ, Valentiam eâ tantùm causâ viri fœminæq; migrârunt nobiles, ut sinceram ex eo doctrinam audirent: qui ad sua remigrantes, domesticos suos & populares inflammare cœperunt. Ad Edmundum verò legationes multarum circà urbium, aliæ super alias certatim ad se evocantium veniebant, Valentinis Collegium jam Societati molientibus. Aderat apertè famulo suo divina vis, ut inter assiduos dicendi labores, cùm diebus singulis 6. horas audiendis confessionibus, colloquijs aliàs privatis ac disputationibus daret, modicæ vir valetudinis; pondus tamen diei & æstûs non incommodè ferret. Conscripsit præterea tum perutilem adversùs hæreticorum dogmata & versutias librum, ad confirmandos fidelium animos sanè apprimè efficacem. Turnonem indè ad inspiciendas pro munere Rectoris Collegij res digressus, brevì maximis Catholicorum precibus, quòd hæretici insolentiores indies evaderent, Valentiam revocatur. Ergo celeriter reversus, more suo imperterritum se atq; prudentem Ecclesiæ custodem præbebat, cùm dolo ab Hugonottis Valentia quoque occupatur. Prætor Urbis Catholicus ex unâ ædium suarum fenestra cervicibus fractis suspenditur: nec dissimili supplicio damnatur Edmundus: statuitur in foro patibulum, ad ídque rapitur, illico, nisì quæ pro Catholica prædicaverat Fide recantaret, inserto jam in laqueum collo suspendendus. Hìc verò Evangelicus præco non modò non revocare dicta, sed clarâ & constanti voce DEO gratias agere infinitas, qui eâ se felicitate donaret, ut Religionis veritatem non modò voce, sed vitâ ipsâ & sangvine contestari posset. Quæ cùm eo diceret spiritu ac sensu, ut passim Catholicis & hæreticorum non paucis exciret lacrymas; Ministrorum quidam familiarissimâ illius consvetudine olim capti, hæreticum ducem adeunt, docéntque quanti ingenij, quantæ facultatis Vir ille sit, quantum accedere rebus Hugonottorum momentum queat, si is Calvino adjungatur: differat paulisper necem corporis, dum tentent ipsi, si possint, animum expugnare. Hoc consilio dilatum suspendium: Edmundus in custodiam reducitur, & omnis alea ad hominem pervertendum tentatur: quorum ille & illecebrosa omnia, & formidolosa tormenta non modò contempsit, sed ipsos præterea veris argumentis ità implicuit, ut qui capturi venerant, capti ipsi hærerent, nisì improbæ vitæ pertinaciâ in erroribus suis attinerentur. Itaque Duci renunciant, perstare quidem illum in sententia, sed tamen non videri occidendum, quòd spes sit fore, ut veluti S.Paulus, nullo svadente resipiscat. Ille interim piâ Catholici hominis industriâ opportunum eqvum, & evadendi viam nactus, spes & manum impiorum elusit, séque & Christi præcepto, & Apostolico exemplo ad nova certamina reservavit.

Sub hæc capto ab Hugonottis etiam Lugduno & Turnone, Edmundus toto Delphinatu

tu exclusus, in Arverniam se convertit; ubi quos fructus fecerit, quæ lucra animarum reportârit, optimè explicat P. Annibal Codrettus in sua ad Lainium anno 1562. epistola. *De Patre*, inquit, *Edmundo Rectore nostro multa haberem quæ dicerem, si vellem singula persequi. In universum plerique illud jure dixerunt, divinâ erga Arvernates benignitate factum, ut ereptus hæreticis, nec ultra inter Delphinates locum habens, in has se regiones transtulerit, quarum salutem & tranquillitatem defenderet. Nam præter spirituales fructus & confessionibus, concionibus, familiarique consvetudine collectos, quos recensere nemo possit, in ipsis etiam hostibus repellendis, qui Arverniam circumstabant, & jam propè in eam sese infuderant, vix dici queat, quantum laboraverit ac profecerit, tum Principibus viris Magistratibúsque monendis & cohortandis, tum precationibus publicè privatímque ac supplicationibus instituendis. Ubi primùm huc venimus* (Billomum intelligit) *post transactos hic aliquot dies, Claromontem Arverniæ metropolim concionandi gratiâ petijt: magnáque illic frequentiâ & applausu dies multos conciones habuit. Deinde furentibus circùm hostibus, cùm in metu ac trepidatione esset omnis hæc regio, huc reversus populum Billomæum ad quadraginta horarum precationem invitat: qui etsi eum precandi modum nondum erat expertus, mirum tamen quanto consensu accepit, quantâ pietate frequentiáque transegit. His absolutis, publica supplicatio decreta est: & incredibile dictu est, quantis suspirijs ac lacrymis devota plebs, (quod equidem minimè credidissem, nisi vidissem) Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cùm in locum suum reponeretur, comitata sit. In Claromontem Edmundus redijt, & post non multos dies, quibus conciones habuit, eandem ibi & orandi & supplicandi rationem instituit. Post Riomi (quæ Urbs est nobilium virorum frequentiâ & Senatu insignis) idem effecit; atque ùt hæ sunt urbes multò ampliores Billomo, non dubium, quin ad conciones ac preces & supplicationes frequentia populi major convenerit, & uberior fructus extiterit. Ille præcipuus fuit, quòd plerique ab hæresi ad fidem Catholicam sunt conversi, & magnâ habendi Collegia Societatis incensi cupiditate. Diu Riomi commoratus est, quotidianis concionibus & confessionibus intentus: vixque indè extricare poterat, ità eum tum civitas omnis, tum summus Præses amabant pariter, & magnifaciebant. Interim Isidorum (quæ civitas jam indè à viginti quinque, & ampliùs annis receptaculum fuerat hæreticorum, & tanquam altera Geneva; nec longiùs quàm leucis quatuor Billomo distat) à Catholicis obsessum, & in deditionem acceptum est. Eò tum à vices Regis agente evocatus Pater Edmundus, tantùm intrà quinque propè hebdomadas concionibus, aliísque, quibus potuit, rationibus effecit, ut mille circiter & quingenti abjuratâ hæresi Catholicam fidem professi sint; cùmque nonnulli morti essent adjudicati, tantum hortando monendóque apud ipsos valuit, usque ad extremum spiritum eos comitatus, ut palàm dari se sepulturæ, pro séque orari jamjam morituri obnixè precarentur. Oratio quoque publica, & supplicatio illic instituta; ac tota propè civitas sacrâ Communione SS. Eucharistiæ donata est. Dum supplicatio duceretur, in platea civitatis libri hæreticorum quàm plurimi combusti sunt. Quæ eâ devotione fiebant, ut mirarentur omnes, unde tanta tam repentè mutatio contigisset. At Edmundo occupationibus presso nè reficiendo quidem corpori otium suppetebat. Nec facilè dixerim quanto populi dolore, quàm propè invitis Ducibus ac Magistratibus indè discesserit, orantibus ut se reviseret, maximè verò, ut Adventûs & Quadragesimæ tempore illis concionaretur. Quod idem & cæteræ, quarum antè mentionem feci, urbes summopere contenderunt. Invisit præterea, præbitáque sibi à DEO dicendi facultate juvit alias aliquot urbes, Montem Ferratum, Curtam Petram, & Maregas, unde & Ministrum quendam verbi Satanæ solo suo adventu fugavit. Ex his rebus magnum & huic Collegio, & cunctæ Societati nomen accrevit, non his modò regionibus, sed in aula etiam Regia. Sunt enim hæc ad Mareschalum sancti Andreæ, qui toti Arverniæ præest, à Ducibus perscripta diligenter. Hic verò nullus est eorum, qui rebus præsunt vel sacris vel profanis, apud quem non plurimùm valeat Pater Edmundus. Illud quoque constitutum est, & recens introductum eodem auctore tum hic, tum alijs in urbibus præcipuis, ut post Vesperas diei Dominicæ Sanctissimum Christi corpus ad altare maximum maximi templi solenni ceremoniâ populo ostendatur, ac per Templum supplicationis in modum circumlatum, in sedem referatur suam. Quod quidem magnâ celebritate fit, canente interim Clero, próque Rege, pro Gallia, pro Ecclesia tota comprecante; campanis festo tinnitu sonantibus: populo verò quàm plurimo, quantáque dici possit maximâ pietate adstante. Denique ut semel dicam, vix quidquam vel inter Catholicos, vel apud hæreticos tentavit, quod non facillimè perfecerit. Nunc demum cum Catholicorum copias Delphinatium fines esse ingressas, jámque Viennam ac Valentiam receptas à Catholicis esse (inter quas*

quas sita est Turno) frequens fama attulisset ; Edmundus ad sextum Nonas Octobris Turnonem versùs abijt, simul ut Valentinos consolaretur, simul etiam ut ea prospiceret, quæ ad reditum Collegij Turnonem spectant.

Post receptum à Rege Christianissimo anno insequente Lugdunum, illico accurrens Edmundus, cùm ad primum Catholico denuo ritu celebrandum Missæ Sacrificium, maxima hominum vis ad princeps amplissimum Templum concurrisset, pro concione incredibili motu universum populum affecit; ut Principes & Duces, qui ab Rege aderant, arctissimè illum complexi sinè fine & modo gratularentur, ijdémque præcipuos admonerent Hugonottorum, ut modestiam ex Edmundo discentes, apud suos ejus generis adhortationibus uterentur. Quis deinde, finitô Sacrô, populi ad contingendas Sacerdotum vestes accursus fuerit, quis ad exosculandum Altare, qui gemitus, quæ manuum in cœlum sublatio, quæ lacrymæ, negat Edmundus fingere sibi animo posse, qui oculis non acceperit. Interfuêre multi ex Hugonottis, quorum qui simpliciùs errabant, non poterant in tam communi sensu non commoveri: ceteri quamvìs odio rumperentur, & plurimùm antè minarum jactâssent; nihil tamen ausi novare. Bina deinceps Sacra singulis diebus peracta, additâ quotidie Edmundi concione: quem magno militum præsidio deduci, reducíque Principes volebant, quamvis haud magnopere opus esset, cùm hoc accepisset singulare à DEO donum, ut ferè etiam adversarijs gratus esset. Ad 20. millia hominum ad illum audiendum, plerumq; confluebant: quem sinè ulla requie huc assiduè atque illuc, (vi cujus Templo & Paræciæ Divinus cultus restituebatur) ad ornanda initia religionis revertentis accersebant. Humilis & gratus Pater non desinebat mirari Divinam misericordiam, cui placeret suam unius homuli operam ità respicere, eâque ad tot hominum millia ab errore deducenda uti. Ajebat experimentis sibi deprehensum, Christianam modestiam ad hæreticos revocandos viam esse aptissimam, ejúsque rei causas videri præcipuè duas: primam, quòd hæreticorum magistri cùm intemperantissimâ & linguâ & manu fuissent, invidiam sibi eâ petulantiâ & importunitate & apud Catholicos, & apud suos conflârant; nam verbum DEI tametsi ardens est, zelum tamen habere, sapientiâ temperatum, oportêre: alteram, quòd hæretici fermè superbi sint, & despici nolunt: quare concioni modestæ ac doctæ, non difficulter adduxeris, ut patientes afferant aures; sin despicere videaris; vel fugiant audire, vel audiant aversi, frustráque pulsent verba animos, quos irâ & odio obseptos teneant. Ut verò teneræ ætati rudibúsque consuleret, cùm plena omnia hæreticis catechismis essent, evulgavit Catechismum gallicè, quem postea latinè & græcè edidit; cujus exempla 40. millia Parisijs solùm distracta fuêre: extátque etiamnum multorum tritus manibus, cujus lectione innumeri vel in Fide Catholica firmati, vel ad eam ab hæresi reducti sunt. Quibus rebus tantam sibi per universum Regnum famam comparavit; ut, cùm falsò de illius ab hæreticis nece rumor sparsus esset, Catholici ubique summo indè dolore afficerentur: *adeò ut honesti magníque Viri* (scribit P. Oliverius Manaræus) *qui nos planè ignorabant, post 400. annos nunquam audîsse hominem, sicut ille ubique audit, affirmarent. Incredibilis est odor, qui circumquaque per omnem Galliam ejus optimi Patris spargitur, plena est Lutetia, plenus Senatus Parisiensis, pleni Ordines alij.*

Igitur Lugduni Oliverius Edmundum conveniens admonuit, ut labores temperaret: videbantur enim humanis intoleranda viribus, quæ vir non admodum robustus corpore, ferreus animo exantlabat. Diebus festis bis, ceteris semel contentione magnâ perdiúque dicebat, præter alias nunquam interruptas confessionum, respondendi, consolandi, disputandi, scribendíque occupationes. De Professione item solenni 4. votorum edenda commonitus, eâ se vir humillimus minus dignum, nec virtutibus satìs ad eum gradum ornatum existimans, etiam literis ad Generalem Lainium deprecatus est: mox tamen ingenti suo solatio & promptitudine emisit, illico ab ea Provinciæ Aquitaniæ Præpositus Provincialis renunciatus. Cùm verò Anno 1564 Rex Carolus ad res Lugduni statuendas venisset, ubi salutatus ab Edmundo fuit, non dubitavit Christianissimus Rex de susceptis pro Religione laboribus agens gratias, & ad novos incitans, Patris ruere in amplexum; nec solùm publico Regni, sed etiam propriè Societatis bono consulturum se perbenignè recepit, quod ipsum etiam Regina Mater præstitit. Interim pestifera lues urbem invasit, non absque suspicione veneficij hæreticorum, qui ferre non poterant totam eam civitatem adeò feliciter ab erroribus perpurgari. Sanè strages edita dira & immanis est, ut quosdam, cùm colloquerentur, peste repentè ictos, & concidisse extinctos ferant. Nequaquam tamen ùt hæretici volebant evenit: quippe

quippe animadversum est, in ipsos potissimùm bacchatam luem desævijsse. Eo tempore Edmundi virtus supra modum enituit: sustinere unus omnia putabatur, non Divina modò ægris, sed humana quoque auxilia ex piorum liberalitate subministrans: idem confirmans consolánsque incolumes, idem ægros docens & expians, mortuósque sepeliens, cum incredibili omnium approbatione & admiratione; Edmundum passim Catholicis animarum suarum parentem, conservatorem Fidei, salutis restitutorem, millies bene precando, divulgantibus. Ergo cùm de Collegio Societati ibidem statuendo seriò deliberaretur, resistentibus licèt quatuor è Senatorum numero Hugonottis, res tamen Anno 1565. perfecta est, & Gymnasium hæreticis magistris ereptum, Societati traditum; cui Archi-Episcopus Seminarium, ex Concilij Tridentini norma, Clericorum adjecit. Quibus omnibus legitimè Edmundus receptis, ad Generalem Romam Conventum, in quo sanctus Franciscus Borgia Præpositus universæ Societatis creatus est, contendit: à quo Edmundus in Provincialis munere confirmatus, gravissimis Galliæ advocantibus necessitatibus, necdum finito Conventu, redire coactus est.

Vix Tolosam attigerat, cùm de suggestu dicere pro more exorsus, totam civitatem, summos æquè & infimos ad se convertit: inverno præsertim jejunio plura diebus singulis quàm sena promiscuæ multitudinis millia, præter copiosissimam nobilitatem, & Academicorum juvenum supra mille numerans. Multi in his hæretici, quorum plerique præsertim adolescentes, Fidei se orthodoxæ reddiderunt. Reliquo anni tempore, ter in hebdomade continuavit conciones, interjectâ binis quoque diebus à meridie explicatione catechismi, haud minore auditorum conventu. Porrò ab hujus explanatione, puerorum aliquot statuebat in conspectu, qui dialogi in modum de capitibus ijsdem interrogarent vicissim ac responderent: quæ res tum primùm usurpata Tolosæ, ingenti solatio & plausu excepta est, excitatíque Pastores, idem ut in suis quique Parœcijs factitarent. Interim Apamijs Hugonottorum fraude occupatis, timebantur Tolosam quoque attentaturi: sed ità excubabat Edmundus, ità Magistratus, Nobilitas, populus omnis, classico divino Edmundi oratoris ad patriorum rituum tutelam excitati; ut aditum, quà aspiraret, nullum impius furor invenerit. Hinc ad versùs Edmundum studia civium ex omni ordine nullum habere modum: Academici verò coacto super ea re concilio, communi omnium consensu illum in suum cooptare numerum, & solennia Doctorum insignia per duos è Regentibus primarijs, splendido gravium personarum comitatu, illi nec cogitanti deferre; quæ illi suâ magìs, quàm Edmundi causâ offerri dicebant, quòd ingens, ipso adjuncto, addendum Tolosanæ Universitati decus existimarent. Sed Edmundus, ùt erat demissionis & Instituti sui amans, gratijs cumulatè redditis, excusavit non licere sibi injussu Præpositi Generalis similia honoris insignia admittere: vehementer rogans, ut tam promptam voluntatem ab se in totam Societatem, in qua postremus ipse esset, transferrent. Quæ eâ ingenuitate, sensúque animi tam vero & vehementi protulit, ut ejus modestiam non ultrà contristare perrexerint, ac beneficij remissionem universa Academia pro beneficio duxerit. At Senatus & Civitas angusto incommodóque domicilio Augerium cum suis habitare dolens, collatâ pecuniâ sanè grandi, domum illis perutilem & magnificam, totâ Galliâ celebrem in Collegium coëmit, nihil æquè se optare professa, quàm ut plurimis cum socijs apud se Edmundus habitaret. Fremere inter hæc hæretici, atque jactare, dilapidari ab Senatu communia; adeóque apud Regem ipsum instare, nè in domûs Societati traditionem consentiat. Et hæc fuit causa, cur Edmundus Parisios usque ad obsistendum hæreticis se ferret: contra quorum conatus dum feliciter negotium apud Regem promovet, volente Episcopo, dicere & hìc ad concionem instituit. Ad eum audiendum, pro accepta pridem fama, cùm ingens, quanta nunquam aliàs, afflueret multitudo, populi totius Parisiensis studia commovit; in ipsa etiam Regia dicere jussus, cùm ipse priùs custodias omnes & Nosocomia dictionibus suis illustrâsset. Causam tandem contra hæreticorum molitiones, insigni Regis Reginæque Matris favore obtinuit, quam Cardinalis Borbonius in ipso Senatu coram Rege Reginâque tanto studio promovit; ut hæreticum quendam è Consiliarijs gravissimis palàm castigârit verbis, adjiciens: *indè constare Jesuitarum causæ æquitatem, quòd ab hæreticis impugnaretur.*

Tolosam reversus, concionibus per magni jejunij ferias anno 1567. summo in Templo maximâ fructuum ubertate habitis, Lugdunum peremptoriè transijt, Urbémque suâ maximè operâ ab Hugonottorum violentia conservavit. Cùm enim conspirationis Hugonottorum in Galliæ universæ exitium mox erupturæ,

rupturæ, notitiam secretam accepisset, Lugdunum properè accurrit, Regiúmque Prætorem, Archi-Episcopum & Magistratus, cùm periculi magnitudinem vix animo & fide caperent, admonuit ut arma caperent, portas milite, vicos omnes excubijs communirent. Nec quidquam seu provisum seu properatum est frustra: cognitum enim est paulò pòst, si quatuor tantùm horas dilatum foret, Urbem in hostium manus venturam fuisse; cùm qui intra mœnia colebant hæretici, portas eâdem nocte occupaturi, atque Hugonottorum Ducem cum exercitu ex composito admissuri essent: quibus id convenisse ferebatur, ut Urbe potiti, Edmundum igne vivum torrerent. Interim nihilominus Viennam, Valentiam, Matisconam, aliáque circùm oppida occupârunt, Nemausi in Catholicos non barbarici modò, sed etiam satanici furoris supergressi modum. Turnonem similiter sibi tradi postulantes, inviolata spondebant servanda cetera; unis Jesuitis, quósque in eorum Collegio reperissent, mortem decernentes. Edmundus feliciter deluso hoste, Lugdunum interim suâ industriâ servatum perpurgare pergens, assiduè vel in Templis, vel custodijs publicis, vel in privatis colloquijs patrocinium veritatis exercuit, ampliùs 2000. ad rectam Fidei doctrinam iterum revocatis. Jussus cum aliquot Doctoribus Bibliopolarum tabernas recognoscere, infinitã secrevit librorum pestilentium vim, ex nutu Regio igne abolendorum: quorum ingentibus acervis incendium nocte Natalis Domini inchoatum, tres ipsos dies lætissimum bonis spectaculum præbuit. Æquata ibidem solo Hugonottorum templa omnia, Ministellorum pars in vincula conjecti, quidam necati, alij Regno proscripti: pædagogi 19. exterminati, qui vel palàm vel clanculum adolescentibus venena instillabant impietatis. Cùm verò Nosocomium ibidem neglectum jaceret, commendatione Edmundi excitatæ amplius 200. Matronæ nobiles; ad ejus procurationem, sodalitate conflatâ, suâ obtulêre nomina, & bis quâque hebdomadâ aliquot ex ipsis ægris servierunt. Anno insequenti, Cardinalis Lotharingi rogatu, Parisios accersitus, singulis Quadragesimæ diebus ad Regiam dixit, ingenti Catholicæ rei commodo: decretóque in perduelles Hugonottos bello, Henricum Regis fratrem exercitui Ducem præpositum sequi jussus est. Hìc tenuissimæ valetudinis vir, totos dies affixus equo, ac fermè jejunus obiens, humi noctu cubans, inter circumvolitantes pervadens globos, nullius militaris expers ærumnæ, nullum periculi genus declinans, concionando, consilia dando, Sacramenta ministrando, DEUM precibus propitiando, plurimùm de hæreticis ad victoriam contulisse creditus est; Provinciæ administratione intereà temporis P. Annibali Codretto commissâ. Debellati duplici cruentissimo prælio ad Clarentiam & Jarnacium Hugonotti, & duo eorum Duces, Condæus & Borbonius interfecti: eámque victoriam etiam vates prædixisse Edmundus visus est. Nam quo die ad Jarnicium feliciter pugnatum est, peractô rite Sacrificiô, præbitáque Regis fratri Henrico, & Duci Montepensierio, ceterísq; chiliarchis SS. Evcha+ristiâ, dum Henricum ipsum loricam sibi induentem juvat, magno eum ardore ad viriliter pugnandum pro DEO, próq; Religione adhortans; *itò*, inquit, *bono animo, haud dubiè victor redibis.*

Partâ ad Jarnacium victoriâ Edmundus, bonâ Henrici veniâ Lemovicum tantisper & publicas ob res, & valetudinis causâ digressus, ibidémque per majoris hebdomadæ ferias concionatus, hæreticorum 360. ad Catholicos revocavit: & Cœnobium Virginum instituit, rebus curatis omnibus, unde 25. Virgines alerentur. Atque ut absentibus etiam inter tot calamitates levamento esset, ad Tolosates cives gallicè conscriptum à se libellum misit; quem illi typis vulgârunt, inscriptum: *Spirituale saccarum, ad condiendam bellorum præsentium amaritiem.* Apud eosdem cùm per anni 1570. Jejunium verba fecisset, nullam quietis capiebat partem, circumfremente undique per viciniam hoste iterum collecto; quem ut arceret, noctes atque dies excubans, idem ac dimicans, animos addebat abjectis, excitabat torpentes, omnes ad propitiandum Numen alliciebat, tum concionibus, tum alloquijs, omni denique genere Sacerdotalis vigoris atque sagacitatis. Cùm verò in custodijs quinque publicis multitudo ingens clauderetur, quos intoleranda omnia conficiebant; Edmundus, qui Nosocomijs antè prospexerat, miseriarum hanc qnoque partem levaturus, sodalitatem conflavit, quæ sua studia sancto huic muneri dedicaret: & continuò in eam viri fœminæq; certatim, ùt nobilitate opibúsque præstabant, ità libentissimè convenerunt. Lugdunum indè transgressus, dum indefessè concionibus populum in Religione confirmat, à Lotharingo Cardinali, Isabellæ Maximiliani Cæsaris filiæ (quam Carolus Rex in matrimonium ducebat) obviam eun-

cunti, Remos, sibi futurus comes, accersitur: eáque in Urbe per adventum, coram Cardinali ac multitudine ingenti Nobilium, successu, quo solebat, optimo verba fecit. Anno sequenti versatus Metis in Lotharingia per Quadragesimam, neminem ex primarijs reliquit, quem non revocârit ab hæresi. Conciones in summo Templo, quæ antè Dominicis tantùm habebantur, ut frequentiæ auditorum faceret satis, quotidianas habebat: tum aliàs ad milites in arce, aliàs ad Virgines in cœnobio. Ter in hebdomada Catechismum exponebat, sæpe ergastula & nosocomia invisebat: cùm interim nullum diem non multas horas in pœnitentiæ sella perseveraret. Inde compositis Camberij, quæ fundando illic Collegio exponebantur, rebus, Provincialatu jam liber, Mauriacum sibi ad quietem legit in montibus Arvernis. Sed quies hæc nimirum fuit, unicè concionibus & animarum quærendæ saluti se impendere: nam Aureliacum mox excurrens, ubi ad concionem dicere pro more cœpit, ità populum pia viri eloquentia concitavit, ut nullo templo hominum capiente multitudinem, in foro necesse esset sub dio verba facere. Nec requies, à negotijs etiam, longa permissa est: ad juvanda Collegia Rhutenense & Tolosanum, quæ magnopere rerum inopiâ laborabant, magno studio accitus, difficultates utriusque feliciter expedivit.

Anno 1572. fundato Burdigalæ Collegio advocatur illico Edmundus, qui per Adventum & Quadragesimam concionatus, non modò Catholicis constantiam attulit, sed ab errorum quoque abruptis complures avertit. Quadringentis plures patresfamilias cum universis domesticis, unà cum Antesignano errorum uno ex Ministris, veritatis callem repetierunt. In solennijs Paschalibus cùm superioribus annis vix sena hominum millia ad Divinam mensam censerentur, 17. millia numeravit hic annus. Hæreticis indè lupis is timor incussus dolórque, ut collocatis ad Templi januam, ubi Augerius perorabat, suo de grege exploratoribus, notarent sedulò, an quis è civibus jam à se fascinatis, auditum accederet: ac si quem deprehendissent, anathemate scilicet formidando à suis cœtibus arcebant. Nec quievêre, quoad tam præclara initia vafris suis apud Regem insimulationibus in summum vocavêre discrimen, exturbato propè iterum indè Collegio; nisi meliùs à Civibus Catholicis instructus Rex, illius sedem novo edicto firmâsset. Anno vix à debellatis Hugonottis lapso, cùm arma denuo ob hæreticorum perfidiam omnia spectarent, Henricus Regis frater ad Rupellæ obsidionem expeditus, Edmundum secum habere voluit: in cujus castris pari quâ antea sedulitate ministeriorum Sacerdotalium, erga summos & imos versatus, multorum præter alia, qui clanculũ fovebant errores, animos sanavit. Ubi verò Henrico dedita Urbs est, & pax quædam cum seditiosis inita, ejus jussu Augerius Romam, Gregorio Pontifici gestarum rerum rationem redditurus, & ad limina Apostolorum, ac Lauretanam Virginem, vota quæ initio belli Henricus conceperat, exoluturus perrexit. Quâ peregrinatione perfunctus, ad Bituriges Evangelicâ prædicatione excolendos profectus, magno in Civitate pietatis ardore excitato, Collegij quoque fundandi studia mirum in modum inflammavit. Indè per alias atq; alias Galliæ Urbes sacris expeditionibus susceptis, cùm omnia ubique perpetuis hæreticorum damnis, incenderet ac inflammaret, tum Dolæ præsertim Sequanorum Urbe præcipuâ, & vicinis ejus oppidis messem uberrimam legit. Inter alia præclarè hìc gesta Sodalitatem Misericordiæ instituit; tum ad alia pietatis, tum ad hominum extremo supplicio afficiendorum curam. Ex quo Dolani miro Collegij desiderio succensi, idoneâ Urbis, ampláque regione, domum areámque ad extruendum Templum magno statim pretio coëmerunt. Cùm verò per annum 1581. gravis denuo pestilentia Lugdunum premeret, Edmundus antè omnia duplex recipiendis extra Urbem lue infectis (ùt vocant) Lazaretum ædificavit, emendicatâ in id vicatim pecuniâ: quibus & cibaria, medicamenta, lectos ac vestes ex eadem stipe constanter suppeditabat. Ipse autem totum se miserorum obsequijs addicens, coram ægrorum turba diebus festis Sacra facere, Panem vitæ porrigere, Urbem totam, si quos destitutos abjectósque reperiret, pervisere: per quam occasionem sæpe demissos per funem è fenestris infantes sacro baptismate expiavit. Neque tot in laboribus cursúsque ordinariam ad cives dictionem unquam intermisit; ad quam (observatum est) eorum, qui accederẽt, neminem lue contactum esse: Eodem auctore publicum civitas votum B.V. Lauretanæ edidit: ex quo tempore cùm cœpisset dira mali vis frangi, idem ad exolvendum votum insequenti anno Lauretum est missus.

Interim Rex Henricus Caroli successor, Edmundum Dolani Collegij primordia à reditu

Lauretano Anno 1583. condentem, datis manu suâ bis literis Lutetiam ad se evocavit, ejus ut operâ in condenda, quam moliebatur, Sodalitate Pœnitentium uteretur, cui mense Martio factum est initium admodum speciosum. Nam præter plures 200. è prima nobilitate, Rex ipse, 12. Principes, 6. Cardinales, 3. Duces, 16. Episcopi, Abbates plurimi in eam dedêre nomina, indutíque saccis, populo mirante, conspecti sunt. Ad Nobilium corrigendos mores, & conservandam Catholicam in Gallia Fidem is cœtus institutus est: quem quidam Doctorum Sorbonicorum initiò cùm improbarent, & Fraticellorum affinem hæresi vocarent; invidiam ejus rei in Edmundum & Jesuitas, ùt in rerum inventores novarum, conjiciebant. Sed is brevì evanuit sermo, tum palàm facto studio Regis, tum cœtu comprobato ornatóque spiritualibus beneficijs à summo Pontifice. Edmundus interim gratiâ & favore apud Regem pollens, plurima diversis in locis ad DEI gloriam salutémque animarum moliebatur, licèt majorem partem in Regia hæreret, quòd eo Henricus, totus eo tempore in pœnitentiarum, afflictationum corporis, & orationis studio, ad conscientiæ arcana uteretur. Hanc Regis pietatem cùm varij variè acciperent, & plerique Principum & Aulicorum improbarent, rerum publicarum administrationem ijs studijs negligi querentes; tota nimirum invidia redundavit in Edmundum & Societatem, Monachum, ejus institutione, Regem fieri clamantium; & gravissimas Edmundo insectationes odiáque excitavit. Ut demum coactus sit missionem ab Aula, ne sui causâ Societas detrimenti aliquid pateretur, apud Regem post triennium flagitare: quam etiam magno suo gaudio impetravit, licèt paulò antè Henricus diploma à Pontifice obtinuerit, quo potestas fiebat Edmundum ad sua obsequia, quoad Regi libuisset, retinendi, ejusdémque ab Aula removendi facultas Societati adimebatur. Verùm non magnopere ad mitiganda hominum in se odia Edmundum juvit hic ab Regia recessus; quæ cùm eò usque increscerent, ut rebellione totius ferè Galliæ in Henricum, ob Gvisiorum Principum cædem, anno 1589. concitatâ; Edmundus, quòd partibus Regis affici videretur, prodire in publicum citra vitæ periculum non posset, avocandus ab Claudio Aquaviva Generali in Italiam fuit, quò tam illius vitæ, quàm Societatis famæ, passim ejus causâ libellis famosis traductæ, consuleretur. Sed non diu exilio suo superstes vixit in Italia Edmundus: dum enim intestinis & plùs quàm civilibus bellis universa conflagrat Gallia, occiso per summum nefas proditoriè Henrico Rege, moritur etiam Novocomi Edmundus Anno 1591. die 19. Junij, propè sexagenarius. Ejus animam mox ab obitu videre sibi visa est pia persona à circumstantibus Angelis in cœlum deduci, pulcherrimo puerorum sodalitio, quale olim ipse instituerat in Gallia, celebrem pompam prosequente. Vir fuit Edmundus inter principes Societatis operarios meritò adnumerandus, qui tot inter domesticorum munerum operosissima negotia, tanta nihilominus in proximorum salutem gerebat, ut nihil prætere agere videretur. Rexit Collegia Turnonense, Tolosanum, Lugdunense, eorundem præcipuus auctor, utì & Dolani, Camberiensis ac Burdigalensis: Provinciam Aquitaniæ primus septennio gubernavit; omnem blandientis & adversantis Fortunæ aleam expertus, semper tamen sui similis, & virtutum heroicarum tenax cultor, donec multorum millium animarum prædâ onustus (nam supra 40. millia hæreticorum, præter vacillantes tantô adhuc plures in Fide servatos, & supra 40. Ministellos verbi convertisse fertur) migravit in cœlum.

Ex historia Societatis, & Nierenbergij Tomo 4. & Historia Joannis Rho.

P. PETRUS PECQUETUS.



PAter Petrus Pecquetus, vulgò Pegvetus dictus, natione Gallus, gente Allobrox, speciali DEI vocatione & Pontificiâ dispensatione, cùm annos aliquot in Ordine PP. Franciscanorum Religiosus transegisset, filijs S. Ignatii annumerari ex Mianensi ad Camberium Cœnobio, obtinuit: magno animarum bono, & eximio Societatis Gallicæ ornamento: in qua post vitam in omni sanctitate exactam, 34. annis à pio excessu, divinâ luce refulgens apparuit. Vir erat excelsæ pietatis, orationi & consvetudini cum DEO mirè addictus, crucis autem unà amantissimus, cujus illi ferendæ copiam DEUS affluenter, pro suo erga electos usu, suppeditabat, insignibus patientiæ, ac conformitatis cum Divina voluntate exemplis mirificans servum suum. Temperantiæ studiosissimus,



P. Petrus Pecqvetus S.I. Gallus, post varia in salutem Animarum proficuè gesta, ex servitio contagiosorum lue afflat9, decessit in Oppido Mormoyrono 11. Iulij A° 1591. et locum sepeliendo corpori suo, ipse jam defunctus, mirabiliter designavit.

51

simus, cibi admodum parci fuit; & è gravi morbo, qui socios decem vel undecim absumpserat, utcunque restitutus, totâ reliquâ vitâ carnium esu abstinuit. Dexteritate in tractandis, & ad optimam frugem stabiliter reducendis pœnitentibus, fuit admirabili: certis siquidem experimentis comprobatum est, quorum ille vel semel confessionem excepisset, eos reliquâ vitâ (quæ in plerisque ad multos & longævos annos est propagata) in frequentatione Sacramentorum, & animi collectione fuisse assiduos: nam & solo suo conspectu afflabat pietatem. Afflictos solabatur efficacissimè, & ad consentiendum DEO omnia sapienter, in queîscunque adversis disponenti, quàm prudentissimè adducebat: ità ut nihil optatiùs esset, quibusvis seu desiderio vel amissione suorum lugentibus, seu calamitate repentinâ gravatis, quàm optimum Patrem convenire vel accersere (quod ex vicinis quoque pagis locísque non raro accidebat) ut melle piorum alloquiorum, quibus valebat plurimùm, abstergeret amarorem animi, & piâ svavitate commutaret. Partus ejus est ævi nostri didymus P. Cæsar de Bus, patientiæ miraculum, & virtutum omnium insigne exemplar; cui & in studijs pietatis, & privatim in Grammaticis minutijs prospiciens, ad quæ & quanta vocaretur, magister fuit, ùt in Viri illius præclarissimi gestis videre est. Atque ex his gratiâ apud omnes fuit tantâ, ut in turbine illo vehementissimo, qui Avenionense Societatis Collegium propè evertit, solus prodire foras, & socijs necessaria conquirere, innoxius & indemnis potuerit. Hæretici enim clancularij magno numero in

Urbem

Urbem degentes, ut præsidium Catholicæ Fidei per PP. Societatis adhibitum excluderent, & facilem sibi viam ad Urbem occupandam, alterámque in Pontificio solo Genevam constituendam, quod pridem moliebantur, munirent, gravem in populo invidiam adversùs PP. concitârunt, disseminato rumore, quôd P. Antonius Possevinus Collegij Avenionensis tunc Rector, Romam Procurator Provinciæ Lugdunensis à Cœtu Patrum de more ablegatus, egisset cum Pontifice, ut Tribunal Inquisitorum de Fide Avenione statueretur, ijsdem legibus ac severitate, quâ Romæ & in Hispania exercetur. Quâ invidiosissimâ calumniâ pressi Patres, & de vita periclitati sunt, tormentis bellicis ad Collegij eversionem ex publico armamentario jam eductis, & odio incensissimo profani vulgi ac optimatum patuêre: ità ut nisì auctoritas Georgij Cardinalis Armeniaci, qui Cardinalis Caroli Borbonij Legati Avenionensis Collega Urbem cum summa potestate moderabatur, gravibus minis civicum Magistratum deterruisset, extrema omnia Patribus subeunda fuissent, ac ùt minimùm omnes Urbe exturbati aliò migrare adacti essent. Per illius ergo procellæ tempus, quod non fuit prorsus exiguum, solus Pecquetus, quâ erat apud omnes veneratione, à nemine unquam verbo aut facto injurioso violatus, prodire domô & socijs prospicere potuit.

Nec mirum valuisse gratiâ apud mortales hominem cum DEO conjunctissimum, & cœlo quoque gratiosum. Orationi enim addictissimus eximios à DEO percipiebat favores, ad intimam ejus familiaritatem per frequentes raptus & extases admissus: qui Divinæ benignitatis erga eos sunt argumenta, qui verè pauperes spiritu sunt, nec amant ambulare in magnis & mirabilibus super se. Expertus id est P. Fabricius Pallavicinus, navus rerum spiritualium Curator, qui accitum ad se, ùt ex internuncio rescivit, ad vocantis vocem hærere in contemplatione immotum, vetuit ulteriùs interpellari, quòd sciret, id illi ex perspecta cum DEO consvetudine usuvenire. Ità cum DEO & proximis propter DEUM juvandis assiduâ contentione fatigatum, novus excepit labor, submissis ex Italia à Gregorio XIV. Pontifice copijs, quibus Avenionem & Comitatum Venayssinum ei continentem tutaretur, per tempora illa Galliæ turbulentissima: harum enim copiarum pars major ex pestilente morbo prostrata, Nosocomium amplissimum opplebat, quo ex Christiana charitate Collegij Rector Franciscus Gormius cum alijs tribus socijs, inter quos Pecquetus, ad ægrorum ministerium advolavit. Ipse Gormius haustâ ex pio officio lue paulò pòst obijt: ceteri gravissimè tentati sunt ex pannis, ab ægrorum attactu & cura pestilentibus, contactis. Pecquetus post longam cum pestilenti febre colluctationem nihilo meliùs habens, ad Prioratum Metamyensem in Montanis Cavarum missus est, tentaturus, num cœli mutatio commodatura esset valetudini. Sed cùm pertinax morbus ægrum penitiùs indies exederet, nec præ infectione Urbis Avenionensis, ex tot ægrorum colluvie, tutus ad Collegium esset regressus; jussus est ad oppidum propinqvum, cui Mormoxirsono nomen, secedere, urgente præsertim D. Coleto oppidi Parocho, qui ex optimi Patris dictaminibus & informatione in Rectorem animarum, eo nomine dignum evaserat. Apud illum Anno 1591. 11. Julij placidissimè & sanctissimè efflavit animam, non absque argumentis compluribus Divinæ erga eum beneficentiæ. Nam & cubiculum in quo decessit, quàm diu in eo corpus exanime hæsit, multâ luce est collustratum, & svavissimam omnibus afflabat fragrantiam: dúmq; tumulo conderetur, Crux de cœlo super eum conspicua apparuit. Hæsit corpus in eo tumulo per annos 34. ad añum videlicet 1626. quô, de illo in vicinum Societatis Collegium Carpentoractense deportando, moliente Patre Carolo Marthodo, qui superstitis sanctimoniam perspexerat, cogitari est cœptum. Dúmque, ùt assolet, moræ nectuntur, & languidè pium consilium promovetur, accidit ut Rectore Collegij P. Claudio Maillardo, die 13. Mart: dicti anni sub horam 8. Sacris operante in ara principe, scholares interessent è duabus inferioribus Grammaticæ classibus: è quibus duo pueri intrà circumjectos sacræ aræ clathros ministrorum munus obibant. Super sacrum ergo ministerium species objecta est hominis è nostris in ea intercapedine, quæ aram maximam à vicina, reponendis urceis erecta mensula distinguit: ibi inquam, ad secundum altaris gradum visus est Pater junctis manibus nixus in genua, & Christum venerabundus inspiciens, à prima majoris cerei sub elevationis Evcharistiæ tempus accensione, ad peractam usque synaxim, & collatam de more à Sacerdote benedictionem in fine Missæ. Caput calanticâ vestitum erat, barbæ & capitis capilli rufi, jámque canitie aspersi, facies ità micabat, ut vix splendorem ferret intuentium acies. Undecim duntaxat adolescentulis conspicua fuit ea species, ministris


nistris nimirum, & aliquot ex ijs, qui septis ligneis adgeniculati Sacro intererant. Leo Bouchet Aptensis, qui de ea parte Sacerdoti ministrabat, cùm abluendis sacris speciebus vinum, celebrans, porrecto calice exposceret, accedere aliquamdiu cunctatus est horrore sacro perculsus: quo ægre depulso, accedens denique ad mensulam pro urceolis, ubi species Patris extabat, vix sui compos vinum super altare timidæ manûs errore profudit. Eadem species sequenti luce in ijsdem circumstantijs est observata, ità ut scholares per vices in eum locum, unde Pater apparebat, succederent, eum sibi mutuo gratulabundi indicantes, nec absque jucundis multorum lacrymis. Cúmque finito jam Sacro, & Benedictione populo datâ, species Patris evanuisset, & jam parantem abscedere Sacerdotem mulier de porrigenda sibi Eucharistiâ interpellâsset, denuò umbra Patris exhibita est Christum venerantis, donec sacra pixis Tabernaculo esset illata. Ex rite perpensis & accuratè notatis felicis umbræ adjunctis omnibus, qui hominem noverant liquidò confirmârunt, speciem fuisse P. Pecqueti: de cujus proinde exuvijs afferendis actum seriò est, recisis omnibus moris. Relatum ergo est, consulto Antistite, & exoratâ Majorum veniâ corpus, & eo ipso in loco, ubi se videndum exhibuerat, conditum, secreto quidem & privatim, nè vendicatio Ecclesiastica anteoccupari privatâ pietate videretur; sed DEUS non uno suffragio servi sui memoriam honestavit. Inventa est intrà capsam, quâ corpus condebatur, corolla precatoria, quam Pater superstes piè decurrere solebat. Ejus unum granum admotum matronæ primariæ, quæ 10. diebus continuis morbo cardiaco gravata fuerat, illico invaletudinem depulit. Alij alijs divinis beneficijs de cœlo cumulati feruntur. Quæ in vivis patrâsse proditur, nec pauca sunt, nec modica, cùm etiam mortuum infantem antequam sacro latice perfunderetur, ad vitam revocâsse feratur; quod spectatæ Vir probitatis & doctrinæ Thomas Caulicæ Canonicus confirmavit se præsente gestum; & collato baptismo jam securam vitæ beatæ animulam iterũ evolâsse.

Ex Theophili Raynaudi Tomo 17. Prati spiritualis cap. 83. & Andrade Tomo 6. de Viris Illustr:

P. STANISLAUS WARSZAVICIUS. & alij 54.



Ui primus è gente Polona Societati nomen bedit, Pater Lucas Krassowsky, primus quoque gloriosam mortem, dum obvias pœnitentibus lue grassante expiandis aures præbet, veneno afflatus oppetijt, Vilnæ 21. Octobr: Anno 1571. Hujus præclaro exemplo insistens P. Stanislaus Warszavicius, eximium Gentis ejusdem decus, parem mortis heroicæ sortem elegit, postquam maximis meritis & rebus gestis Societatem exornâsset. Hic Senatoria Regni nobilitate, quæ prima illic est, editus, cùm ingenio, doctrinâ, opibus, græcis literis, auctoritate floreret, singulari apud Regem pollebat gratiâ, Regiæ Cancellariæ (ùt vocant) factus Præses, & subinde Legationibus ad Turcam obeundis adhibitus. Et quia Ecclesiasticum complexus statum, cum vita intaminata rarâ in paucis pollebat dicendi gratiâ, auctus etiam fuit Sacerdotijs, Gnesnensis Ecclesiæ jam tum Scholasticus, & ad Episcopatum ab Rege designatus, nisì ipse vanitatem honorum omnium proterens, DEI gloriam in Societate majorem quærere statuisset. Eâ causâ Romam profectus, secum aliquot è sua Familia, quos ad idem consilium voce & exemplis adduxerat, Societati stitit: cui antequam adscriberetur, visum est, ut rem Pontifici priùs significaret. Responsum hujus fuit, quanquam maximè cuperet Viros tales ad regendam Ecclesiam provehi, tamen laudare se, quòd ad vitæ genus longè tutius vocantem sequeretur DEUM, eò maximè, cùm Societas nullam in rem, nisì in subsidium Ecclesiæ & animarum salutem ex Instituto suo incumberet. Itaque admissus cum suis anno ætatis circiter 40. Socios in Tyrocinio maximi nominis habuit, Claudium & Rudolphum Aquavivas, illum Societatis postea Generalem; alterum verò inter Indos, Fidei gloriosâ morte defensorem: B. Stanislaum Kostkam, Franciscum Turrianum, Fabium de Fabijs, &c. quorum utì suspiciebat & æmulabatur virtutes; ità ipse Christianâ humilitate & simplicitate, parendi studio, sui despicientiâ, illis pariter non incitamento solùm, sed etiam admirationi fuit. Quâ nocte B. Stanislaus obijt ad S. Andreæ, degenti in Domo Professa Warszavicio, qui statuerat primâ luce Stanislaum invisere, visus est semisomni quidam de Societate, admonens,



P. Stanisla9 Warſzavici9, S.I. e prima Nobilitate Polonus, Sigismundum III. Poloniæ Regem Catholice in Svecia educavit; in ſervitio peſtiferorum extinctus Cracoviæ A° 1591. 3. Oct: cum alijs 54. Socijs in eodem Charitatis opere per Poloniā ſublatis.

52.

monens, fruſtrà iturum ut videret ægrotum, qui jam eſſet in cœlo, nominavítque obitûs horam. Retulit hic primò diluculô viſum quibuſdam domi ſodalibus, & nihilominus ad S. Andreæ inviſens, reperit Beatum eô ipsô temporis articulô, quô ſibi prædictum fuerat, vitâ ceſſiſſe: & nullâ interjectâ morâ, primus omnium illius vitam literis conſignavit. Anno 1570. reverſus in Poloniam, varijs in muneribus magnâ prudentiâ & zelo ſalutem animarum curabat; in pulpito præcipuè mirâ facundiâ & actionis efficaciâ præpollens, ut in admirationem raperet univerſos. De quo ad Urbem ſcribens P. Stanislaus Rozdrazow, *audivi*, inquit, *P. Warſzavicium concionantem ad populum, exhortantem domeſticos, agentem cum Proceribus. DEUS bone! quàm beatam puto Societatem, cui tantum Virum his inpartibus dedit DEUS! quàm beatam Poloniam, quæ nunc eo fruitur Viro!* Erecto per id tempus Societati Collegio Vilnæ primus Rector datus, egregiâ ſapientiâ per octennium illi præfuit, ſimúlque in S. Joannis Eccleſia conciones magnâ ſacræ facundiæ famâ habuit. Parùm libenter tum quidem ejus Templi uſum Societati favebat loci Præpoſitus Petrus Ruicius, nedum ut illud abſolutè concedere vellet: ad novum autem condendum nec locus, nec ſumptus ex fundatione Collegij Epiſcopalis ſuppetebant. Ergo Warſzavicius ſecum reputans, nihil ſolidi ad populum pro Fidei incremento, ad extirpandas hæreſes, ſinè Templo ab Societate poſſe confici, ad DEI opem implorandam ſe totum convertit: à quo mens ei cum certa ſpe injecta eſt, ſi peteretur à Rege ipſum S. Joannis Templum,

omnino impetratum iri. Probavit consilium Episcopus; postulato subscripsit Rex; Pontifex confirmavit; & DEUS planè ratum habuit, sublato paucis pòst diebus è vivis Præposito, qui ad primum ejus negotij rumorem, nullâ conditione assensurum se, quoad viveret, declarabat. Atque ità Templum Societati obvenit maximum atque pulcherrimum, obstantibus nequidquam hæreticis, & seditionem molientibus: in quo Warszavicium constanter Polonicè perorantem terna & quaterna millia frequentabant, maximis animorum à vitijs & hæresi conversionibus. Cúmque subinde lues Urbem invasisset, sociorum plerisque in tutum locum ab Episcopo sevocatis, undecim domi in solatium & auxilium Civium cum Warszavicio remanserunt; omnes tamen DEI beneficio, sublatô pestilentiâ unicô Sacerdote, incolumes.

Anno 1572. demortuo Rege Sigismundo, indictis de more pro novi electione Comitijs, Cardinalis Commendonus Pontificis Legatus, ducere secum cupiebat Warszavicium: sed ipse religiosâ modestiâ excusavit imisceri negotio ab Societatis ratione tam alieno, & turbationibus invidiosis plurimùm obnoxio: sed magís animarum lucris intentus, habuit per ejus anni Quadragesimam quotidianas domi conciones, de solo Pœnitentiæ Sacramento, incredibili proventu. Nam permultæ revocatæ à multis etiam sexagenarijs, à puero usque confessiones, tanto concursu, ut cùm expiandis domestici non sufficerent, extranei assumendi fuerint in auxilium Sacerdotes. Neque pauci, ejus auctoritate & curâ, Ecclesiæ tunc restituti, atque in ijs Nobilium multi: Ulricus inprimis Hosius, Cardinalis Hosij Germanus frater, quod hic jam diu votis, & omnium opum impendijs, sed casso labore optabat. Idem præstitit in Regij sigilli Præfecto, Capitaneo Bistricensi & Lavarscіensi, qui ultra 20. annos non modò Sacramentis, sed & quolibet Catholicorum æquè ac hæreticorum conventu abstinuerat, 15 diebus à peracta Patri exomologesi, magno pietatis sensu extinctus. Sed longè majus Catholicæ rei momentum attulit, revocatus ad eam Joannes Chotkewicius, Archi-Mareschalcus Generalis magni Ducatûs Lithvaniæ, Capitaneus Samogitiæ, idémque Livoniæ Administrator, Patri à puero Wirtembergæ, dum unà Philippo Melanchtoni daret operam, familiariter notus. Hic evocatum ad se, audivit super dubijs suis in corona Nobilitatis & Doctorum, per horas continuas aliquot disserentem, & singula testimonijs veterum SS. PP. confirmantem: quæ deinde primario Calvinistarum Ministro ad refellendum proposita, cùm is nullatenus confutare posset, solis ferè in Jesuitas convitijs ad rationum momenta respondens: Joannes exinde cū Warszavicio sæpiùs agere instititit, dum DEO plenè reconciliatus, & in manibus Cardinalis Commendoni hæreses execratus; interroganti Palatino Vilnensi hæretico, cur à fide sua defecisset? negavit se defecisse, sed ad primam redijsse, in quam per ipsum baptismum receptum Sacramento condixisset. Vilnensi Rectoratu octennio defunctus, aliud octennium Lublinensi Collegio, sexennium verò in Missione Svecica, nostris apud Reginam Catharinam degentibus, præfuit; quo tempore sapienter atque feliciter in Catholica piáq; Regij Principis, qui postea Poloniæ Rex Sigismundi nomine tertius fuit, educatione operam collocavit. Fuit enimvero Divini honoris, & salutis hominum studio ingenti zelóque; neque per conciones eis modò & congressus familiares, sed conscriptis etiam libris diligentissimè consuluit. Tantâ Divinitatis contemplandæ assiduitate, ut in eam videretur semper esse defixus: tantâ sui despiciendi curâ, ut se post omnes crederet, & infra omnes putari vellet. Romam demum ab sua Provincia Procurator ablegatus; ubi rebus confectis, Cracoviam redijt: Socijs ob luem diversè dissipatis, multis precibus obtinuit, in Urbe, ad proximorum opem, remanendi potestatem sibi fieri. Sed brevì peste conceptâ, ubi dœmonis importunas de Fide per solidum diem infestationes devicisset, 3 Octobr: anno 1591. placidè conquievit. Anno post mortem 15. spectabilem se stitit P. Petro Scarga, Viro multis laudibus claro, & ex periculosa febri tum decumbenti: cúmque facto ad DEUM voto unum duntaxat vitæ annum insuper concedi deposceret, decem petere jussit; quos & impetrâsse eventus docuit, dum præter illum, novem alios annos pervixit.

In simili contagiosorum charitatis obsequio, plures Sociorum ejusdem nationis per illos annos diversis locis animas posuêre. Vilnæ inprimis biennio ante, nempe 1589. exortâ pestilitate quatuor Sacerdotes subsidio juxta & solatio Civium expositi, totidem in partes sibi Urbem descripserunt, atque in suam quisque regionem manè peracto Sacro digressi, non nisì vespere revertebantur: quorum conatibus DEUS ipse assistens, non tantùm in medio ægrorum, intérque cadavera servabat illæsos; sed vel eorum attactu, & impositione manuū, vel aquæ lustralis asper-

sio-

sione, multi dirupta effluxisse ulcera, atque indubitatam mortem à se depulsam testabantur. Et quidem PP. tantos sub manibus labores cernentes, unum illud orabant DEUM; ut si quidem moriendum sibi esset, ultimi morerentur, quò cœlo plures inferrent, neque suo obitu Sacerdotalis opis expertes relinquerent. Neque irritæ penitus fuere preces: nam ubi ingravescens mali vis quàm maximas edidisset strages, ut mortalium funeribus jam posset obsaturata videri; duo ex quatuor PP. lue comprehensi animas exhalârunt, ut inter utrumque vix biduum intercesserit: P. Jacobus Goslikius 28. Sept: annos natus 38. & P. Jacobus Gregorij 30. ejusdem, annorum 36. Anno iterum 1592. Lublinum depasta contagio, tres Sacerdotes Societatis, miseris omni genere obsequiorum procurandis distentos, cùm sustulisset; mox anno insequente 1593. sæviùs ibidem invalescens, tres alios pari charitate ad opitulandum afflictæ Civitati provolantes eripuit. Joannem Wissemierski die 16. Aug: Georgium Karg 18. ejusdem; & P. Martinum Borowsky, 3. Sept: His annumerandi veniunt 44. Socij, partim Sacerdotes, partim Coadjutores, ejusdem Nationis, varijs per Poloniam locis in simili obsequio, ad annum usque 1629. extincti; quos suo quemque tempore & loco nominatos reperies apud Alegambe inter victimas Charitatis.

Ex Victimis Charitatis Alegambe, & Nadasi Anno dierum memorabilium.

P. BENEDICTUS HERBESTUS.



Lucidissimum Poloniæ, & Provinciarum illi adnexarum sidus P. Benedictus Herbestus, natione fuit Roxolanus, patriâ Novomiastensis. Is cùm ingenio multùm polleret, & indole vivaci honorum & gloriæ gradus sibi non vanè sponderet; absolutis disciplinarum omnium studijs, Magisterij laureâ in Academia Cracoviensi donatus, in eadem non modico tempore altiores disciplinas tradidit. Unde famâ sapientiæ & doctrinæ partâ, postulatus est ad Canonicatum Posnaniæ; cujus ne dignitatem & nomen solum inane otiosúmque ferret, Concionatoris munere simul functus, tantùm auctoritate suâ zelóque, dicendi efficaciâ, & vitæ inculpatæ exemplo valuit ad coërcendam hæreticorum, per id tempus miserè Poloniam corrumpentium, audaciam: ut magnus ille Cardinalis Stanislaus Hosius, verissimus Poloniæ Apostolus, peculiari, quæ extat, epistolâ illum hortaretur, ne Civitatem illam desereret, quoniam ab ipsius unius opera salus Ecclesiæ Catholicæ universa illic penderet. Verùm ille Divino instinctu ad altiorem sectandam perfectionem impulsus, cùm annum ætatis ageret 40. relicto quem gerebat Canonicatu, & cum eo spebus ad majores in Ecclesia dignitates omnibus, Romam concessit anno 1571. & Societati adscribi impetravit. Emicuit illico in eo virtutum omnium splendor admirabilis, & consummata Viri perfecti sanctitas, sicut solo illius exemplo & vitæ integritate perspectâ, Princeps fœmina Palatina Elisabetha Radzivilia, primùm Calviniana, deinde Arriana, tandem Judaismum complexa, peritiâ S. Scripturæ, quam memoriter tenebat comprehensam, vanè Doctoribus Catholicis illudere solita, ab ea insania, Fidei orthodoxæ sit restituta. Cujus ubique celebris fœminæ victoria Benedicto reservata, oculos in se omnium animóque pellexit, & gloriosum hæresum omnium victoris & domitoris nomen peperit. Ejus enim exemplo, uti antehàc permultæ nobiles personæ, & subditorum magna pars errorum tenebris pertinaciter adhærebant; ità nunc salubri ejusdem ab hæresi defectione permoti, & ipsi lucem veritatis amplexi sunt.

Ipse autem auspicijs tam felicibus ad majora incitatus, potiorem vitæ partem in missionibus & expeditionibus Apostolicis, maximo animarum fructu consumpsit, verbum DEI disseminando, catechizando, hæreticos redarguendo, audiendo confessiones, per Russiam, Podoliam, Voliniam, Lithuaniam, Pocutiam, & reliqua Regni confinia. Idem unicè ab Episcopis, apud quos plurimùm auctoritate valebat & existimatione, ambiebatur ad lustrandas suas Diœceses, & juvandos populos; dicíque non potest, quàm multorum bonorum ijs auctor fuerit. Multis cum hæreticis congressus certaminibus, nunquam sinè victoria, quamvis argumentorum cum summa moderatione conjuncta, adversarijs vel maximè insolentibus extorquebat. Neque his contentus: scriptis etiam diversis tractatibus hæreses insectatus, illarum errores felicissimè detexit & confutavit: multarum animarum bono, quas partim à schismate Ruthenico, partim à Luthero, Calvino, Arrio, cæterísque hære-




P.Benedict⁹ Herbest⁹ S.I. Roxolanus, è Canonico Pos,
naniensi Iesuita fact⁹, inter Apostolicos labores Deo
per Orationem conjunctissimus; in eadem flexis ge,
nibus mortu⁹ est repert⁹ Iaroslaviæ 4 Martij 1593.
53.

hæresiarcharum monstris ad ovile Christi revocavit. Hinc passim Vir potens opere & sermone, Apostolus Russiæ, Podoliæ, vicinarúmque terrarum appellabatur. Humilitatis, obedientiæ, paupertatis virtutibus, omnibus facem præferebat: tranquillissimâ mentis cum DEO conjunctione tot inter distractiones continuè fruebatur, ut ab ea nullis occupationibus divelli posse videretur: duabus ante solis ortum horis ad orationem producendam constanter assurgebat. Postquam 22. annos in Societate, nullâ unquam graviore tentatus ægritudine, tam utiliter impendisset, nè in prolixiore morbo extremo, quo demum sublatus est, otio indulgeret, cùm aliud agere nil posset, Moderatores suos exoravit, ut Fratres nostros tam Scholasticos quàm Coadjutores sibi committerent, spirituali institutione formandos: quibus etiam quotidianæ meditationis capita explicabat. Ubi verò subrepentem sibi mortem ex virium imbecillitate persensit, consvetis Ecclesiæ Sacramentis se communivit, nunquam decumbens: ac demum jusso abscedere infirmorum curatore, quòd paulisper orare vellet, ut ne ante elapsam horam ad se ingrederetur; inventus ab illo est medio in conclavi flexis genibus in terram inclinatus, spiritum DEO reddidisse, libro ex quo oraverat penes ipsum jacente. Id quod accidit Jaroslaviæ 4. Martij Anno 1593. Atque ità Vir DEI & proximi charitate plenus, mortem simillimam S. Paulo Eremitæ consecutus est, non minùs in medio laborum Apostolicorum Creatori suo per contemplationis studiũ, quàm ille solitarius in eremo deditus.

Ex Bibl: Alegambe, & Nierembergij Tomo 1.

P. MAR-



P. Martin, à S. Dominico, S. J. Hispan, à propagato cultu SS. Eucharistiæ, qvotidiano usu Rosarij, et maximis peccatorum conversionibus celebratus. Obijt in Vrbe S. Jacobi, 1 Maij 1593. Ætat: 58. 54.

P. MARTINUS DE S. DOMINICO.

MAgnus animarum zelotes P. Martinus, natus est in Hispania propè Salmanticam nobilibus & honoratis Parentibus, Patriæ suæ & nobilis parentelæ ità deinde ncurius; ut de his sæpius à nonnullis curiosè ogatus, aliud non responderet, quàm de nundo se esse, natum ad peregrinandum ex no loco in alium. Studia Theologiæ Salnanticæ prosecutus est eâ morum honestate, : modestiæ exemplo, ut non sæculares tanim, sed & Religiosos plerosque in sui rapet admirationem. Ubi autem vocari se à EO in Societatem sensit, mox eandem solcitè expetens, receptus in tyrocinium est Medinæ Campi Anno 1570. unde Monteregium jam Sacerdos translatus, totum se in eo Collegio laboribus Apostolicis impendit, excurrendo latè in omnem viciniam, & salutem animarum per consveta Societatis ministeria ità procurando, ut interim nihil omitteret de consvetis sibi & Religioni devotionibus & exercitijs. Missus postea ad S. Jacobi, vela omnia desiderijs suis Evangelicis expandit, multos annos in Missionibus, & rudibus in eo Archi-Episcopatu populis erudiendis occupatus; partim concionibus & confessionibus audiendis; partim catechesi & privatis congressibus, universos ad DEI cognitionem & amorem provocando; ut adeò meritus sit censeri per Hispaniam inter præcipuos, quos

DEUS ad salutem animarum destinare dignatus est, Operarios. Porrò antequam Missionem quampiam aggrederetur, sedulò indagabat, quæ regio magis cultoribus destituta, & auxilij esset indigentior? ad quam illico procurrebat, ídque tantò propensiùs; si incolæ essent egentes, & locus commodis omnibus destitutus: asseverare experientiâ longâ solitus, ubicunque minùs adesset de temporalibus, ibi tantò ampliùs suppetere à DEO liberalissimo de spiritualibus, tum solatijs animi privatis, tum animarum copiosioribus lucris. Constitutâ ad hunc modum Missione, præparabat animum, priusquam Collegio exiret, longis plurium in die horarum orationibus, ad excitandum in animo ferventissimum salutis proximi desiderium, adhibebat cruentas flagellationes, cilicia, jejunia, Sacrificia, eadémque ab amicis mendicabat, utpote cui decertandum esset contra multos & fortes animarum ex tartaro inimicos. Sic instructus & in dæmonem munitus, prodibat cum socio Sacerdote, veniénsque ad locum destinatum, deligebat in hospitium casam Templo viciniorem, atque in hac recessum à ceteris habitationibus magis sejunctum, in quo componebat duplicem paupertinum lectum è saccis paleâ impletis, neque unquam personam alterius sexûs eo ingredi patiebatur. Die sequenti, (semper enim adventum suum in Sabbatum, aut pridianum Festi disponebat) pulpitum ascendens, magno spiritu declarabat populo beneficium DEI, quod ab eo veluti legatus ipsis afferret, ad conciliandam inter ipsos & DEUM pacem, ultro ipsis è cœlo oblatam; quantíque momenti esset, conscientiam habere à peccatis puram, & animam DEO amicam. Dabátque DEUS verbis ejus efficaciam, & cordibus hominum tam validum motum, ut accurrentium deinceps undique tota latè viciniâ, à quatuor & ampliùs leucis populorum multitudo impediret, nè aditus ullus ad confessionale Patribus relinqueretur, esséntque humeris pœnitentium illuc levandi: sed neque exitus de templo pateret, ob multitudinem equorum, curruum, cibarijs, commeatu, ægris & debilibus refertorum, ídque diebus etiam pluviâ, luto, frigore vel æstu impeditis: tantúmque erat se DEO reconciliandi desiderium, ut patienter triduum, sex & subinde 8. dies præstolarentur, dum accessus ad Confessionale pateret: esto Pater interim dolore & compassione consumeretur, quòd nequiret omnibus pro voluntate sua citò satisfacere, quamvis à primo manè ad noctem usque sede suâ non exiret, totâ die cibi nihil degustans. Inclinante autem die mulieres omnes in domos se recipere jubebat, neque ullum præter viros ad exomologesim tum admittebat. Inter hos labores tantis cor illius liquescebat solatijs, dum intueretur pœnitentes suos lacrymis, singultibus peccata deplorare, totóque animo ad DEUM converti; ut neque cibi, neque alicujus quietis capiendæ memor esset, nisi dum tenebris ingruentibus in hospitium repelleretur.

Sic totâ hebdomade in peccatoribus DEO conciliandis impensâ, nemini tamen Evcharistiam impertiebatur, nisi primùm Dominicâ: ajebat enim mundum idcirco tam improbum evasisse, quòd homines amisissent respectum divinissimæ Evcharistiæ debitum, eámq; vel ut ex consvetudine perciperent, tam modicâ reverentiâ, ut minimè mirum sit non experiri ex ejus sumptione illos effectus, quos consequuntur magnâ præparatione eam accedentes. Eâ causâ instituebat Communionem tantâ solennitate & apparatu, ad devotionem in populo rudi excitandam; ut major excogitari vix possit. Accersebat è Collegio Socios quotquot poterat, elegantiorem Missæ adhibebat apparatum, cereos sumebat mutuos à Sodalitatib, quàm plurimos, incensum & thus copiosum providebat. Ipsâ autem Dominicâ conscenso pulpito, declarabat ordinem quo procedendum esset ad S. mensam: ac tum Seraphico quodam spiritu, inchoatâ Missâ, sub concionis tempus statuebat binos thuriferarios ad latera Sacerdotis Evcharistiam populo dispensantis, qui illam absque intermissione incensarent; jubebat campanas omnes sonare: quibus rebus tantum templo conciliabat silentium, attentionem & venerationem, ut nihil videretur vel audiretur præter gemitus, suspiria & lacrymas. Absolutâ concione ex loco altiore præorabat toti populo ardentissimo affectu formas diversas gratiarum actionis, inculcabat vivos actus Fidei, Spei & Charitatis erga divinissimum, quem præsentem in se receperant, hospitem, gratitudinémque quam pro tanto beneficio illi deberent: & cùm advertisset ardentiùs commotos, depromebat Crucifixi simulachrũ, cum lacrymis adhortans, ut peccata sua præterita Cruci Dominicæ affigerent, neque illis deinceps tam bonum Dominum offenderent; unáque peccati gravitatem & fœditatem quantâ poterat energiâ depingebat.

Inter reliqua peculiari studio mentibus hominum ab eo imprimi solita, erat specialis cultus erga SS. Virginem, & Rosarij precatorij usus, quòd expertum se diceret ingentes ex ea-

ea pietate in populum utilitates, tum ſpirituales tum temporales derivari ſolitas, donum præcipuè continentiæ in aſſvetos libidini, appetitûs & paſſionum inveteratarum ſubjectionem, & pravarum conſvetudinum ab integris communitatibus extirpationem: deferebátque ſecum aliquot jumentis copioſa ubique, adversùs hæc, arma & munitionem (ità enim vocabat) magnum ſcilicet Coronarum B. V. numerum, quas in ſingulos pœnitentes unà cum icone DEIparæ dividebat; ut ſub Patris è Miſſione diſceſſum, nemo eſſet abſque Roſario, quod ingenti devotione receptum conſtanter deinde quotidie domi, in agris, quoſvis inter labores decurrebant. Ut verò ejus myſteria aptiùs rudis populus perciperet, impetrabat ab amicis, multis in tabulis ea depingi vel deſcribi, quas in Templis ſingulis loco maximè patenti viſendas affigebat: docuítque experientia, quantum indè ad mutandos populorum mores, & conciliandum Divæ Virginis favorem, profluxerit emolumenti. Siquidem non raro accedebant Patrem peccato mortali obſtricti, ſuæ ſalutis penitus antehàc immemores & incurij, qui ſe à DEIpara vel Angelo monitos fatebantur de confeſſione apud illum facienda: hos ille benignitate prorſus maternâ receptos inſtruebat medijs ad vitanda peccata opportuniſſimis; eáque felicitate inducti veniebant innumeri maximâ confidentiâ inveterati peccatores, qui ejus pedibus advoluti animas ſuas in manibus illius deponebant, omnia quæ impoſuiſſet facere parati, recedebántque pleni ſolatijs, quod è faucibus inferni ejus operâ eſſent erepti. Nec parùm conferebat ad tantum animarum fructum referendum vera exiſtimatio de illo apud omnes concepta, tanquam Viro ſancto, & cœlitus delapſo; fuit enim vita illius omnino perfecta & Apoſtolica, in laboribus diu noctúque continuis, ſinè cibi potúſque, aut ullius quietis commodis; qui dum ſub noctem bolos aliquot panis ſumeret, non admittebat obſonium præterea ullum ſive carnis, ſive ovorum, vel leguminum etiam agricolis conſvetorum: unde non poterant ſatìs admirari, amare, revereri, obſervaréque dicta ità mellita, ex incenſo ejus corde profluentia. Charitas ejus erga DEUM & proximum erat tanta, ut nihil unquam occurreret ad DEI honorem, vel ſalutem animarum pertinens, quod non continuè aggrederetur ſiti quâdam inſatiabili, & fervore ità conſtante, ut laſſari non poſſe videretur. Rogatus aliquando à nonnemine, quî poſſet adeò graves & intolerabiles ſubire in audiendis homologeſibus labores, & tractare cum populo ità rudi & agreſti? cui ipſe: *penſa, mi Pater, an ſal, animarum nihili habenda ſit, aut nullo pretio conſtet? interroga Chriſtum Jeſum cui hæc ipsâ vitâ, ſangvine, tantis tormentis, & animâ ipsâ conſtitit: & quid horum reſpectu eſt id quod ego ſubeo, ſubierúntque ejus exemplo tot Sancti?*

Nec minor ejus fuit humilitas, propria Viris Apoſtolicis virtus & teſſera, quâ merum ſe nihilum, totúmque quod agebat nihili ducebat: & ſi vel minimum ſui reſpectum aut exiſtimationem haberi notaret, totus rubore & dolore perfundi videbatur, ſolatij impotens, nisì vidiſſet opinionem de ſe mutatam. Quò vilius quidpiam ſibi in Collegio & pejus aſſignaretur, hoc gratius ejus animo accidebat; veſtitu ſemper uſus pauperrimo & detrito, calceis vetuſtis, & identidem refectis, pileo antiquo & undique pendulo, ſupellectili demum omni, lecto & cubiculo omnium viliſſimo. Omnis ejus occupatio & converſatio fuit cum ſimplicibus & rudibus, licèt talento polleret dicendi etiam primis cathedris pari; dicere ſolitus, his nunquam Concionatores & Operarios defore. De ſe, rebúſque ſuis nonnisì viliſſimè loquebatur, præcipuo viſus ſolatio affici, ſi idem de his ſentirent alij. In Collegij triclinio cibum non nisì humi ſumebat, accumbentium pedes exoſculabatur, vel ſub eis conſidens edebat. Quid de orationis, mortificationis, & pœnitentiarum ſtudio dicam? quoties ſolitario eſſe domi, in itineribus contingebat, totum tempus uni dabat orationi, mentali præcipuè; medijs in laboribus animo ſemper & corde Superis junctus. Devotiſſimus erat SS. Humanitati Chriſti Domini, in cujus vita majorem partem anni meditando inſumebat, neque videbatur eâ orandi methodo ſatiari poſſe. Divæ Virgini à puero in mancipium addictus, nihil in ſe boni & gratiarum è cœlo derivatum, nisì per illam fatebatur; cujus honori coronam recitare nullo per omnem vitam die intermiſit, ſolidâ horâ illi decurrendæ ſemper inſumptâ. Addebat ſeverum ſabbato quovis, & in ejus feſtorum pervigilijs jejunium: feſto autem ipſo horas aliquot præſentis myſterij meditationi, & prolixiori Roſario: tantâ alacritate, & ſolatijs per eos dies incedens, ut alius à ſe videretur, paterétque eum novâ ſemper aliquâ gratiâ Virginis patrocinio è cœlis cumulari. Fiduciâ erga illam fuit omnino filiali, ut nihil eſſe crederet, quod ejus interventu obtinere poſſe diffideret: nec minor Virginis in illum fuit favor, ut certâſſe invicem

vicem viderentur, hícne illam obſequijs, an Illa favoribus & donis ipſum ſuperaret. Itaq; ejus certus patrocinij, res aggrediebatur ſummè arduas, & judicio aliorum effectu impoſſibiles, quas nullo propè negotio conficiebat. Sæpe rebus omnibus ad vitam neceſſarijs in locis incultis deſtituto, miraculosè has Virgo ſuppeditavit. Si quando inſurgerent perſecutiones, aut excluderetur domo vel pagis, non ſinè contumelijs & maledictis; implorata Virgo momento animos hoſtiles immutabat, ac optimos ibi potiſſimùm ſucceſſus Patri conciliabat.

Nec credi facilè poteſt, quas converſiones animorum ope Virginis Pater perfecerit, neceſſitates corporales quas ſuſtulerit, viduas & pauperes queis ſuccurrerit, quot Virgines elocârit, quot ægrotos conſanârit. Eidem gratus tribuebat Pater Angelicum puritatis decus, tot inter occaſiones illibatè conſervatum; de quo teſtati ſunt, qui eum de tota vita confitentem audierunt, nullo unquam peccato veniali hanc in virtutem deliquiſſe; cujus gradum ità ſublimem obtinebat, ut inſenſibilis inſtar Angeli appareret, neque ullos motus pravos aut fomitem peccati experiretur in tot auditis confeſſionibus, tam multa libidinum monſtra tractando & evellendo. Contra idem vitium concionando tonabat potiùs quàm loquebatur; atque ad id ubivis locorum extirpandum, providebat in quavis Miſſione certam domum aſſignari educationi & conſervationi puellarum, ut à lubrico ejus ætatis eriperentur. Et hæc ipſa illi cauſa fuit tam impensè ubique ſvadendi cultum Reginæ Angelorum; cúmque defectu virium impotens fieret Miſſiones ampliùs obeundi, imagines DEIparæ devotiſſimè expictas quaquaverſum mittebat, ſuper Ara locandas, quòd earum aſpectu & veneratione cenſeret donũ continentiæ omnibus ejus cultoribus concedendum. In his indefeſsè occupatum ægritudo invaſit, quam fatalem ſibi fore divinitus cognoſcens, ipſo ejus principio fidelem Miſſionum ſocium P. Gaſparem de Avila compellans, *Pater mi*, inquit, *hora mea jam adeſt, Dominus noſter liberare me vult de corpore mortis hujus!* petiítque paucos illos, qui ſupererant dies, legitimæ ad mortẽ præparationi ſibi ſoli concedi, neque ullum præterea ad ſe admitti. A peracta inter copioſas lacrymas confeſſione, & communione percepta, poſt horæ circiter ſpatium redux ad illum P. Gaſpar, vidit faciem ejus inſtar Angeli reſplendentem, audiítque ingeminantem: *Dominus meus JESUS & Virgo Sanctiſſima! Dominus meus JESUS & Virgo Sanctiſſima!* quos ſcilicet præſentes videbat, ſibi conſolãdo & juvando, ſupremâ horâ advenire. Decimo quarto ægritudinis die, qui erat 1. Maij SS. Philippo & Jacobo ſacer, percepto extremæ unctionis Sacramento, oculis in cœlum & manibus mirâ lætitiâ ſublatis, pijſſimè deceſſit, anno ætatis 58. ſæculi 1593. Ejus obitus magno dolore & lacrymis exceptus fuit non à domeſticis tantùm, verùm etiam ſæcularibus ex omni ſtatu, quibus ſemper Sancti locô habitus eſt, & amantiſſimi Patris. Durante morbo cùm ei vena incideretur, prodirétque ſangvis omnino corruptus & putridus, miranti eam rem infirmorum Curatori reſpondit Pater: *peccata & ſcelera hominum corruptionem hanc effecerunt, ſunt enim venenum & virus nocentiſſimum, quæ necem afferunt non tantùm ijs quos occupârunt, ſed etiam toxico afflant & inficiunt Curatores & Medicos ſuos!* Mox à ſuo obitu comparuit in magna gloria & ſplendore devotæ ſibi perſonæ, & ſolatio impletam animavit ad ferendos pro DEO labores & adverſitates. Iterúmque alteri in peccatis hærenti; ex quibus operâ Patris extracta, denuo in eadem relapſa fuerat; ſeveréque increpitam juſſit ea ſacramentaliter expiare: ex quo tempore mirè compuncta, relicto priore ſtatu, vitam in obſequio Divino ſanctè concluſit.

Ex Tomo 1. Nierembergij de Viris Illuſtribus.

P. PETRUS ESPIGA.



Ater Petrus Eſpiga, natione Sardus, Patriâ Calaritanus, natus eſt parentibus opulentis, & Chriſtianâ pietate conſpicuis Anno 1527. Grammaticis puer inſtructus, admoveri cœpit à parente mercibus in officina (nam & ipſe mercaturam exercebat) dividendis; ſed cùm leviſſimo pretio omnia diſtraheret, increpitus à parente, excuſationem prætexuit, ex qua facilè colligas eũ pauperum & calamitoſorum patrem, cujus viſcera poſtea induit, futurum. Reſpondit enim, emptoribus quidem pretium à parente deſignatum ſe proponere; ſed quia his nimium ſupra mercium valorem eſſe videretur, ſe miſeratione motum, quòd pleroſque indigos & pauperes adverteret, deſignationem pretij illis



P. Petrus Espiga Soc. Iesu, Sardus, Pauperum, Miserorum et Captivorum Pater; habitus Sardiniæ Apostolus; cujus pro animarum salute Zelum multis Deus juvabat signis et miraculis. Obijt ibidem Cala . . Decembris A.° 1594. Ætat: 74.
55.

illis permittere, neque ut ultrà quidpiam exigeret, impetrare ab sese posse. Ergo Parens velut suis intentionibus ineptum, ad scholas remisit in Hispaniam, ubi triennio Philosophiæ absoluto migravit Parisios, ut Doctoris ibidem Theologiæ insignia olim perciperet. Sed Francisci Gallorum Regis, Hispanos omnes Regno exigentis, mandato, coactus Lovanium demigrare, familiaritate Sociorum ibidem studia prosequentium captus, Societatem ipsius S. IGNATII jussu obtinuit, licèt alijs ob pumili ferè hominis staturam minùs idoneus videretur. Sacratus in Sacerdotem, Operarij mun, illico tanto fervore assumpsit, ut zelo suo in admirationem omnes adduceret: nam quia per id tempus Carolus Cæsar cum exercitu in Belgio versabatur, curam Hispanorum Pater totis viribus assumpsit, concionibus habendis, audiendis confessionibus, & necessitatibus omnium supremo studio levandis, quasi Patrem ageret singulorum. Idem aderat indefessus ægris in hospitalibus, ergastulis, domibus privatis, novas indies artes & praxes rimatus, quò nemo calamitosorum auxilij ipsius & solatij expers fieret; ut jam tum apud omnes Viri sancti, & Patris pauperum nomen obtineret. Ea fama cùm totam Cæsaris Aulam pervasisset, oblatus illi magno favore Ministrorum fuit Archi-Episcopatus in Sardinia, dummodo animum illi acceptando induceret: cui Principum favori heroico animo ità renisus est; ut omnes intelligerent Evangelicam ab ipso paupertatem & humilitatem omnibus dignitatibus & honoribus Ecclesiasticis anteponi: idémque præstitit iterum multis post annis ad Insulas Urbis

Urbis Calaritanæ in eadem Sardinia postulatus. His laboribus, & auræ frigidioris inclementiâ cœpit valetudo Patri, cœlo mitiori assveta, in discrimen extremum adduci; coactíque sunt Superiores illum ad instaurandas nativo aëre vires in Sardiniam transmittere: quò ille iter omne ad portum usque in Italia pedibus, & corrogato ostiatim victu exegit. Hìc cùm duo sese offerrent transmissuro navigia in Sardiniam, neque causa ulla subesset unum alteri præponendi, facto signo crucis, & brevi ad DEUM præmissâ oratione, alterum vetustate & carie debilitatum conscendit, omisso recenti & robustiore. Neque sinè manifesto DEI instinctu: istud enim in progressu, tempestatis violentiâ penitus demersum interijt: alterum verò fluctus omnes feliciter eluctatum, ovanti simile, Calaritanum portum subijt.

Navigationem porrò Vir Apostolicus eâ pietate, & fructu vectorum exegit, ut navis Religiosæ domûs speciem referret: unum si ejus Præfectum excipias, ob atrocia scelera Ecclesiastico anathemati subjectum; cujus causâ videbatur Numen, non tantùm atroci tempestate omnes exercuisse; verùm etiam contrarijs ventis in manus pyratarum Gallorum, qui Hispanis infesti ea maria frequentes sulcabant, velle impellere, nisi Patris merita & preces malum avertissent. Dum enim venti atrocissimè furerent, Pater ad pœnitentiam & vota efficacissimè vectores hortatus, confessiones omnium excepit: sed neque tum adhuc ponente procellâ, loco secreto se abdens in preces, atroci flagello in corpus tam diu desævijt, dum secunda afflaret aura; quâ tandem feliciter Sardiniam tenuêre, A. 1557. mense Majo. Quia verò tot itineribus Patris vestitus prorsus detritus erat & lacer; ut Sacerdotali habitu excendere Calarim posset, vestem illi cum pallio Clericali submisit quidam è Canonicis: Frater verò natu major, Ecclesiæ Decanus copiosorum proventuum, hospitium apud se prolixè obtulit, quod tamen ipse ut subiret, aut domicilium apud quempiam amicorum figeret, induci nunquam potuit, sed in Nosocomium publicum S. Antonij divertit. Imò nè victum quidem aut vestitum à quopiam ipsorum unquam admisit, solâ ab illis impetratâ stipe vitam sustinens; eò majore Urbis admiratione & exemplo, quòd nunquam ullus ante ipsum de Societate in Sardinia visus esset, de cujus Instituto nihil dum etiam famâ acceperant. Primam igitur, quam Patriæ suæ præstitit operam, fuit ægris in Nosocomio assiduis adesse obsequijs, tum animas sacris ministerijs concionum, & Sacramentorum adjuvando, tum corporibus usque ad mediastini vilitatem serviendo in cameris everrendis, purgandis ulceribus, mundandis sordium vasculis. Charitas hæc tam profundæ conjuncta humilitati Civitatem totam in stuporem rapuit, eámque Viro sanctitatis opinionem præstitit, ut certatim universi illum conscientiæ suæ expeterent arbitrum: Pro-Rex inprimis ipse, Archi-Episcopus, Curiæ utriusque Proceres, Senatores Urbis, nobiles juxta & ignobiles, consilijs ejus in animæ suæ negotijs uti; ut jam ab hominis unius arbitrio Urbs frequentissima pendere videretur. Atque ità ab Hospitalis cura sensim operam suam ad totius Urbis, Operarijs Evangelicis summè destitutæ, emolumenta extendit, concionibus creberrimè per diversas Ecclesias habendis, audiendis confessionibus, civibus privatim domi suæ conveniendis, lustrandis carceribus, ægris ubique solandis, ut miraculi instar videretur, unius hominis vires tot simul agendis sufficere. Nam & Hospitale novis auxit percommodis ædificijs, & in carceribus elegans struxit Sacellum, in quo ut Festis & Dominicis omnibus captivi audiendæ Missæ copiam haberent, Sacerdoti stipendium annuum providit. Ijsdem, & pauperibus in Urbe, quotidianam ex ditiorum eleemosynis prospiciebat eleemosynam; calamitosis & oppressis certum erat perfugium, quorum causas Judicibus aut Tribunali recommendanti, nemo erat qui negare vel tergiversari præsumeret; tanta erat de Viri sanctitate concepta opinio! quam multò auctiorem reddidit Cœnobium Virginum, hactenus toti Urbi non modicum scandalum, cujus disciplinam penitus profligatam, vigori pristino paucis diebus feliciter restituit.

His rebus permotus Vir Nobilis Alexius Fontana, Societatem rerum suarum hæredem, ad fundandum Sassari Collegium, testamento constituit: quâ causâ illico Sassarim provolans P. Espiga, ut tres è Socijs Collegio inchoando submissos, cum Rectore Balthasare Pinna, exciperet, more suo ad Hospitale divertit, omnia illa ægrorum animis & corporibus exhibens ministeria, quæ Calari impenderat. Offenderat illum fortuitò everrendis ægrorū cameris, lectulísque componendis distentum, juvenis Sacerdos Lucas Zampello; lusibus, musicis instrumentis, & vanitatibus sæculi deditus, hærebâtque admiratione plenus, ex consideratione vilis adeò operæ, in expurgandis locis putore & sanie fœdissimis, à Sacerdote impensæ, quorum solus aspectus nauseam ejus

ejus ſtomacho faciebat. Advertit illum Pater Eſpiga, & ore blandiſſimo ad manum labori jungendam invitans, *Eja Domine*, inquit, *nè pudeat pigeátve operam unà impendere mundandis iſtorum pauperum cameris, quam DEUS magnâ mercede rependet in die judicij.* Mirum dictu! ſola hæc verba ſuffecêre perſvadendo Clerico, ut pallium illico poneret, & ſcopis arreptis labori accingeretur: firmo ſimul vitæ melioris, & pauperum unicè obſequijs impendendæ propoſito; quod ut meliùs exequeretur, relicto paterno lare in noſocomiũ demigravit, magnâ totius Urbis admiratione & exemplo; inde poſtmodum Societati adſcriptus, in qua vitam ſanctè, & in ijſdem ferè pauperum obſequijs occupatam finivit. Idem penitus evenit ibidem Juveni ſæculari, rixarum & pugnarum avidiſſimo, ut nemo ferè ſecurus ab ejus manibus eſſet, velut communi totius Urbis perturbatore: hunc tamen brevi allocutione Pater de lupo in agnum mitiſſimum convertit, ut Societatem magnis precibus exorans, ínque ea Coadjutorum temporalium gradum adeptus, vitam omnibus virtutibus conſpicuam ſancto fine concluſerit. Nec ferè repertus eſt Saſſari Clericorum ullus, quin exemplo & adhortatione Patris, noſocomij ſervitijs operam addiceret, diſtributis inter ſe hebdomadæ diebus, dum alij interim totâ Urbe eleemoſynas eorundem commodis corrogarent: è quibus non pauci ſæculo penitus abjecto, vitam deinceps Hoſpitalibus curandis tranſcripſerunt. Tantus exinde fuit pœnitentium ad Patrem quotidie accurſus, ut quandoque totâ die vix reſpirandi mora concederetur; cùm idem, nullâ ſibi indultâ quiete, ægros totâ Urbe conquireret, ſolaretur, medicinas animæ & corpori curaret, odia & inimicitias, quibus tunc acerbiſſimis Cives invicem uſque ad cædes & homicidia diſſidebant, componeret; omnia deniq; biennij ferè ſpatio ageret, quæ ad vitia extirpanda opportuna viderentur. Neque urbanis laboribus contentus, viciniam undique, per pagos & villas, pedes oberrabat, catecheſim explanando, concionando, Sacramenta impertiendo, eo fervore & animarum proventu, ut ab omnibus tanquam Angelus cœlo delapſus haberetur. Erátque hæc non tantùm ſæcularium de Viro perſvaſio, ſed ſociorum etiam Saſſari morantium: cúmq; die quodam panis nullus totâ domo haberetur, neque pecuniæ quidquam illi emendo adeſſet; fiſus ipſius meritis deſignatus Collegij Rector Balthaſar Pinnas, dato ad prandium ſigno, juſſit illum menſæ benedicere; & ecce ſub ipſa oratione pulſantur Domûs fores, & caniſtrum recentiſſimo pane plenum, qui omnibus ſufficeret, reperitur.

Non potuit diutiùs abſentiam Apoſtolici operarij ferre Calaris, in cujus Diœceſi vix Parochus lingvæ latinæ peritus inveniebatur, & perverſiſſimi mores omnia corruperant: quare ad preces Vice-Regis coactus redire, totis viribus labores priſtinos reſumpſit; quorum utilitate commota Civitas, nè his aliquando cum morte ipſius privaretur, Collegium & ipſa Societati fundavit, impetratis ad ejus exordia anno 1564. decem ab Roma ſocijs. Ab his aperto quatuor primùm claſſium Gymnaſio, ità ſenſim piorum dote increvit Collegium, ut paucis annis ſeptuaginta alendis ſocijs ſuffecerit. Dici non poteſt quantis Pater ex adventu ſociorum inceſſerit lætitijs; in quos munijs omnibus, quæ ſpectabilia videri poſſent, derivatis, ipſe impoſterum docendi, concionandi, imperandi, & quidlibet diſponendi munere abſtinuit, ſolâ pauperum, ægrotorum, Hoſpitalium, carcerum curâ ſibi reſervatâ, excipiendis conſtanter, quotquot ex quavis hominum ſorte audiri vellent, confeſſionibus intentus: quorum ingens omnino vel ex ſolis agreſtibus, ad illum veluti communem Patrem è pagis accurrentium, erat numerus. Neque ullum fuit indigentiæ miſerorum genus, cui remedia ſollicitus non provideret: nam tempori opportuno, quo in futurum annona parari poſſet, invigilans, quantam poſſet coëmebat frumenti copiam, aliáque reficiendis famelicis neceſſaria; pannos item & telam nudis veſtiendis, corium calceis, ligna cibis parandis, & calefaciendis hyeme pauperibus; & hæc omnia piorum hominum cuſtodiæ committens, ſollicitè mandabat, nulli omnino quidpiam ex his egeſtati ſuæ in remedium poſtulanti denegari. Eodèm ſuas cuilibet proſpiciebat ollas, ſcutellas, infirmis verò refocillandis ſaccharo condita, ex roſis, citrijs, aureíſque pomis, & quovis genere fructuum bellaria: captivis item in ergaſtulo cubiculum unum ſalubrius delegit, quod lectulis aliquot cum ſuis culcitris & tegumentis inſtruxit, ubi ægriùs valentes quieſcerent; nam graviore morbo proſtratos, Magiſtratûs aſſenſu, transferebat ad noſocomium, meliore ibi curâ confovendos. Omnem item conatum & monita adhibebat, nè à cuſtodibus carcerum duriùs haberentur, aut aſperioribus verbis factíſve tractarentur, magìs eâ injuriâ ſe lædi, quàm ſi in ipſumet exerceretur, oſtendens. Quæ omnia eò potiſſimùm ſpectabant, ut ad ſinceram

ram peccatorum confeſſionem, vitæque emendationem omnes adduceret. Ad hæc multam in carceribus habebat ſupellectilem; & diverſam in Collegio: in domibus quoque Civium capſas & ciſtas varias, reponendis panibus, farinæ, aliíſque eſculentis: ollas item & cacabos, cibis ad carcerem, & pauperes deferendis; nam nullo non die ſuum carceratis ciborum dimenſum afferebat, ídque communiter liberalius, & lautius, quàm plerique domi ſuæ habere conſveviſſent: & ſi ipſe morbo vel aliter impediretur, deſcriptos habebat è Civibus & Nobilibus, qui ſtatis diebus hos illis ſubmitterent, nè ullo unquam die paſtu conſveto defraudarentur. Atque his tot ſumptibus faciendis, facilè colligitur, quâ diligentiâ & aſſiduitate oportuerit intentum eſſe colligendis piorum eleemoſynis: cui rei locis publicis, & in capite platearum, poſitas habebat arculas ferratas, recipiendæ pro indigentibus ſtipi, in quas liberaliter à tranſeuntibus pecuniæ mittebantur, quas tantâ fidelitate videbant in eos expendi. Nam Pater de miſerorum commodis, tanquam chariſſimorum filiorum, uſque ad minutias ſollicitus, ſingulis in Hoſpitali, ægris in carcere, domibúſque privatis, fultas providebat crepidas; nè hyeme lectulo levati nudas plantas frigidâ læderent humo: mitras item & pileos capiti pellibus munitos; quibus parandis conſidebat ipſe inter Sartores, ut ad pium laborem, Chriſto in ſuis pauperibus commodandum, ipſos animaret.

Demum cum veritate dici poteſt, nullam matrem tantâ ſollicitudine agere potuiſſe in cura amantiſſimæ prolis, quantâ Pater occupabatur circa ſuos pauperes; ut hæc ſumma ipſius videretur conſolatio, neque ullam alia in re quietem inveniret. Ejus cubiculum exile quidem & paupertinum, plenum erat, inſtar apothecariæ cellæ, omnis generis medicamentis & fomentis, ut vix locus, quo pedem moveret, vacuus daretur, unde liberaliter omnibus gratuitò remedia præbebantur; quæ annis ſingulis cum veſtitu & ſuſtentatione aliquot millia ſumptuum exhauriebant. Nemo quidem fuit Procerum in Regno, qui hos Patri uſque ad munificentiam ultro non ſuppeditaret; Pro-Rex inprimis & Archi-Epiſcopus, ceteríque Magiſtratus: ut modum aliquando liberalitati à Patre poni neceſſe fuerit. Et quidem Pro-Rex Marchio Gaſton de Moncada, nè unquam Patri in ſubito caſu deeſſent ſumptus, vadem ſe illi perpetuum conſtituit pro aureis trecẽtis, quoties his egeret, vice qualibet ad Rationes ſuas unde unde mutuò ſumendis. Nec minor fuit liberalitas ejus cognatæ Catharinæ, quæ cùm die quodam reſciviſſet Patrem à Marchione eleemoſynam petijſſe titulo cambij, in cœlo refundendi; delectata ingenioſo Patris, veriſſimóque commento, duplum aureorum numerum Patri ad ejuſdem cambij cœleſtis ſyngrapham tranſmiſit. Neque his contenta: ipſa manus cum toto gynecæo ægrorum ſervitijs in noſocomio frequenter commodabat, eâ exempli ad reliquam matronarum nobilitatem efficaciâ, ut pleræque ad eadem obſequia deſcendere amarent. Verbo, omnia tunc ferventiſſimo Patris zelo per Sardiniam excitata, perpetuis miſericordiæ operibus flagrabant, quorum multa in totius Inſulæ emolumentum, & infinitarum animarum ſalutem redũdabant. Ejus ſiquidem hortamentis excitatus Michaël Marchio de Moncada, qui toto decennio Pro-Regis nomine Sardiniam gubernavit; munitiones & propugnacula fortiſſima ad portus maritimos, cum perpetuo militum præſidio, excitavit; contra Mauros Africanos, qui prædatorijs navibus Inſulam frequentiſſimè incurſabant, mariáque infeſtabant, non ſinè grandi hominum ſtrage, in miſerrimam identidem ſervitutem interceptorũ. Quibus tot præclaris de patria ſua meritis, nomen Patris Eſpiga ubique tanquam ſancti ferebatur; & in animo Catharinæ de Moncada, Michaëlis Marchionis filiæ, excelſam de virtute illius opinionem ità profundè impreſſit, ut deinde Marchioni de Aytona nupta, quo tempore is Legati Catholici Regis munere in Urbe functus eſt, magno conatu apud Chriſti Vicarium egerit, vellet juberétq; Inquiſitionem Juridicam de geſtis ejus in Sardinia apud Eccleſiaſticum Tribunal fieri, tanquam jure optimo meriti, qui oraculo Pontificio in ſyllabum Divorum referretur.

Ad hæc tam mira in proximorum ſubſidiũ perficienda dedit illi Dominus cor ampliſſimum, implevítque fiduciâ animum ita copioſè, ut illâ cum DEI liberalitate certare videretur: dubiúmque eſſet, an plus ille poſſet erogare, quàm DEUS ſubmittere vellet. Cùm enim nulli unquam auxilium petenti quidquam denegaret, & ſi largitione vota precantium non excederet, certè ſemper æquaret, contrahebat non raròingentia nomina, quæ tamen mirè prorſus ſuccurente DEI providentiâ brevì expungebat. Contigit die quodam in veſperum jam inclinante, omni pecuniâ deſtitutum interpellari à nobili Familia in extrema neceſſitate conſtituta: quam nè vacuam dimitteret, Procuratorem Regium accedit,

cedit, & necessarios sibi eâ adhuc nocte mille aureos mutuò dari petit; quos cùm iste negaret ad manus esse, petijt suam interim auream & argenteam supellectilem in pignus alicubi, ad colligendam eam pecuniam, deponeret, quantocyùs à se restituendam. Neque fidem vel in minimo fefellit, sed paucis diebus tantundem æris Procuratori, quantum commodato acceperat, retulit. Habebat idem arcam bene magnam asservandis panibus in ipsa custodia, sub cura viri honesti & devoti Hieronymi Melis, Custodiæ Præfecti, ex qua diebus singulis dimensum captivis distribuebatur: sed quia multi alij pauperes vice quadam inde stipem acceperant, contigit panem solitò citiùs penitus absumi, ut nè frustulum quidem remaneret. Veniens sub prandij tempus ad captivos Pater, jussit de more panem singulis distribui; sed negante Hieronymo quidquam in arca superesse, redire nihilominus, & diligentiùs arcam inspicere jubet: & ecce reperit eam pane ad summum usque impletam, qui trecentis hominibus satiandis sufficeret. Atque id prodigium sæpius accidisse, juratus idem carcerum Præfectus asseruit, quando annona vix in diem suffectura, ità divinitus multiplicata succrevit, ut ex ea perplures dies ducentis & trecentis pauperibus libra panis in singulos distribui potuerit. Aliàs cùm idem captivorum custos ad Patrem veniret, nihil sibi panis in eorum alimenta superesse dicens, offendit illum ad januam Collegij Nobili Viro colloquentem: ergo clavim illi ad aliam arcam, quam in Collegio panibus item condendis servabat, tradit, ut inde præsenti necessitati subsidium petat. Verùm continuò redijt, etiam hanc penitus inanem significans. Bono animo illum jubet esse Pater, neque enim DEUM improvisæ necessitati defuturum: quæ dum loquitur, ecce tibi magnam panum copiam juvenis quispiam Collegio infert, Patri Espiga illam mitti nuncians; quâ abundè in præsens captivi refici potuêre. In eo morbo quo Vir DEI decessit, anxius Collegij Rector, nè quid æris alieni Collegio in magnis tum difficultatibus existenti, ab ejus morte exolvendum relinqueretur; petijt, quantum mutui contraxisset? respondit Pater, mille quingentarum librarum se debitorem esse. Videns autem Rectorem magnopere indè contristatum, *nè timeas Pater*, addidit, *nam mutuum hoc DEO contractum est, cui incumbit, id sinè nobis restituere, & facturum omnino non dubita.* Vulgatum illico id Patris responsum fuit per urbem, eodémque die ægrum invisens Pro-Rex Marchio de Aytona, unà cum Archi-Episcopo, ante omnia, debita quæ P. Espiga contraxisset expungenda in se transumpsit, & magnâ charitate paulò pòst exolvit. Aliàs colloquens custodiæ Præfecto, *multum*, inquit, *æris alieni contraximus! quo igitur carceris loco me positurus es, si hujus causâ à creditoribus custodiæ manciper? claves carcerum*, respondit Hieronymus, *optimè tibi commisero, & plenum in captivos Dominium.* Quæsivit tum Pater, *quantum ergo mutui acceptum esset*? respondit Hieronymus, *duo ferè millia librarum*: magna profectò summa pro homine, omni censu vel stabili reditu destituto; quô tamen tantùm abfuit ut à benefaciendo retraheretur, ut è contrà ingruente mox totâ Insulâ fame, supra 300. pauperes urbanos, exceptis agricolis cumulatim accurrentibus, quotidiè paverit, omnibus eam rem manifesto miraculo adscribentibus.

Multò verò mirabilior ejus fuit in ægros totâ Urbe providentia & charitas, quos diebus singulis ante omnia adibat, graviùs verò laborantes iteratò revisebat, nè quid eorum sive animis, sive corporibus deesset: ex illorum totâ Urbe conquisitione ità frequenter lassatus, ut sæpiùs in plateis super saxo quopiam residere cogeretur. Licebat enim illi per Superiores quoties vellet domo, etiam absque socio exire; cui tamen nunquam defuêre ex Clero, vel Nobilitate comites, in præcipua felicitate computantes, ad opera adeò salutaria manum illi commodare. Ante omnia verò providebat, ut peccata confessione expiarent; quibus audiendis sæpius in ergastulis facinorosorum deprehensus est ægro accubare, suóque unà pallio pœnitentem, ne à vicinis audiretur, contegere, expurgare ulcera, sudorem abstergere, brachijs amanter complecti afflictos, oscula vinculis figere, & longè magìs ea criminibus suis debita profiteri; tantis maternorum viscerum incendijs, ut attoniti captivi amore divino penitus incenderentur. Plures aliquando in carcere numerabat ægros, quibus manè consveto solatio cùm adfuisset, totum deinceps diem in Urbe apud infirmos occupatus, non potuit ante noctem illos revisere. Et ecce tertiâ noctis horâ, januis undique ferro & vectibus occlusis, divino prodigio penetravit: cui domum redituro, excitatus Custos, ut januam panderet, visis seris & repagulis, prout ea vespere foribus singulis diligenter obduxerat, intactis, sacro quodam horrore perfusus nè verbum profari potuit: ídque juratus à morte Patris, in processu de ejus sanctitate Instituto, apud Tribunal

nal Ecclesiasticum confirmavit. Aliàs grassante pestilentiâ, cùm tot pauperibus eâ correptis medicinas providere unus non posset, obtinuit à Pharmacopola sibi devoto certum ungventum, quod Pater ipse præscripserat, confici, cujus grandes ollas undique per homines pios jussit inter inopes distribui, ut illo totum corpus perungerent: & sanè, mirùm dictu! quotquot eo remedio uti voluêre, mortem & pestem evasisse deprehensi sunt. Inde fiebat, ut nemo totâ Urbe in lectulum doloris sterneretur, qui non illico solatia à P. Espiga postularet: pauperes potissimùm & destituti, quibus ille Medicum simul continuè & Chirurgum adducebat, cibum, pharmaca, & curatores constituebat, eâ solertiâ & accuratione, quasi curam omnium à DEO sibi commissam haberet. Quod charitatis genus mortem tandem illi conscivit, evocato ad infirmum nocte hyemis frigidissimâ, à cujus rigore domum redux morbum contraxit, ex quo etiam paulò pòst decessit. Et licèt ægri subinde ulceribus putidissimis oppleti, & morbis fædissimis ac sordibus mephitim intolerandam halarent; ipse tamen citra omnem nauseam ad usque ultimam horam illis assistebat, pituitam ab ore, saniem ab ulceribus sudario suo abstergebat; & cùm se non observari putaret, ita infectum tabo ori suo admovebat, & præ teneritudine basiabat. Condemnatis ad ultima supplicia assidebat totis noctibus in ergastulo, solatia & animos dejectis addendo; à quibus redibat plerumque vermiculis & sordibus oppletus, ut nullam toto corpore quietem ab eorum morsibus haberet: eâ tamen in his sentinis gestiens animi lætitiâ, quasi in horto amænissimo versaretur. Quos autem sordibus & pediculis penitus oppletos subinde reperiret, pallio suo interim operiebat, dum indumenta illorum proprijs manibus expurgaret. Infirmos quotquot reperiebat, ante omnia per Sacramentorum susceptionem Numini reconciliatos, erigebat ad conformandam Divino beneplacito voluntatem, & fiduciam in DEIparam studiosè imprimebat; utque eam in remedium malorum suorum implorarent, omnibus Coronam Ipsius precatoriam providebat, cujus etiã recitationem publicam quot diebus in ergastula & nosocomia induxit. Ne verò otio sani in custodijs marcerent, magnam viminis & virgultorum copiam coëmebat, texendis corbibus aut storeis, ex quibus distractis pretium eorundem commodis impendebatur.

Quia verò qui in alios tam mitis fuit & benignus, dici vix potest, quàm in se durus extiterit & austerus. Varijs & ipse morbis sæpius prostratus, nihil præter omnibus comunia admisit, nisì imperio Superiorum adactus. Cubiculum ejus pauperrimum, præter penum pauperum usibus instructam, nil habebat nisì lectulum simplici culcitrâ instructum, quo tamen vix unquam ad quietem, sed nudâ humo, vel tabulâ usus est, vestitus constanter decumbens: mensulam in quadrum quatuor vel quinque palmos longam & latam, cum humili sedicula; Effigiem chartaceam Christi Domini cruci affixi, & duos trésve usu attritos libros. Vestitum novum ut acceptaret, adduci nunquam potuit, nisì obedientiâ semel iterúmque jubente: & thoracem interiorem ex tela duplici per annos 24. nunquam permutavit. Cùm verò occupationum pressus multitudine ùt plurimùm serus ad mensam rediret, solis ferè ciborum & panis reliquijs vescebatur, quod illi dapsilis instar convivij fuit: in Missionibus autem præter panem & aquam, vix obsonium ullum admittebat. Oculos & sensus omnes arctissimâ sepivit custodiâ, ut nullam in Urbe fœminam de facie nôsset; neque unquam illos in faciem etiam sociorum domi intenderet: unde non raro accidit, ut pluribus jam mensibus ejusdem Collegij incolas, pro advenis hospitibus in occursu salutaret. Hyeme, majori perpetiendo frigori, simplici veste utebatur, quam in maximis caniculæ æstibus duplicabat: perpetuus corporis sui hostis & insectator, quod modis omnibus, occasione qualibet affligebat, inediâ, flagellis, vigilijs, neque aliquid unquam commodi indulgebat. Sassari aliquando Rectorem Collegij comitatus est ad scholas Gymnasij invisendas, ubi deprehensum unum è discipulis Magistro suo refractarium Rector redarguens, jussit eum alterius condiscipuli pedes exosculari: illo autem pœnam detrectante, versus ad P. Espiga Rector, *quando juvenis hic*, inquit, *refractarius tantillum humilitatis actum exercere recusat, tu Pater illum obi*. Ille mox in genua provolutus, magnâ omnium ædificatione, & refractarij confusione, pedibus ejus accidit, & oscula fixit. Ex eadem humilitate magnopere studebat occultandis operibus, misericordiæ & eleemosynis, quas liberalissimas clandestinè, imitatus S. Nicolaum Episcopum, suppeditabat personis nobilioribus, ideóque mendicare erubescentibus, ut nè vel illæ adverterent, unde subsidia paupertati suæ advenirent. Quòd si aliquando causam offensæ, etiam perlevis, verbo factóve à se datam suspicaretur, flexis illico genibus culpam depre-

precabatur, illísque osculandis, licèt sæcularis & de vulgo foret persona, pronus advolvebatur. Neque rarò actiones exercebat hominis agrestis & inculti, dum præsertim cum Proceribus Regni, & Viris primoribus ageret, ut vilem de se opinionem alijs imprimeret: quibus tamen tantùm absuit, ut contemptum aliquem sui obtineret, ut etiam tantò majori loco virtus & sanctitas ipsius duceretur. Ità vocatus aliquoties ad ægrotos, vel pauperes juvandos, cùm fortè capillis aut barbæ suæ attondendæ operam daret, procurrit illico in publicum, mento ad dimidium duntaxat raso: aliàs verò ante diluculum ad confessionem ægri audiendam evocatus, ità ùt decubuerat in vestitu solo interiore, absque togâ, in solo pallio superinjecto prodijt: tantus erat Viri seu mundi & humanorum judiciorum contemptus, seu animarum cœlo lucrandarum zelus!

Atque inde fieri non poterat, quin homo tantæ pœnitentiæ & humilitatis, maximæ simul esset orationis, ut nunquam in medio laborum & occupationum DEUM ab animo amitteret: sub Missæ verò quotidiano Sacrificio, lacrymis semper largissimè difflueret. Quoties studiosos, alióſque in expediendis ad pauperes eleemosynis internuncios, ad januam Collegij præstolabatur, moram illam in angulum cubiculi vicini ad genua abjectus in oratione consumebat: à qua subitò quandoque ad portam accitus, visus est toto ore cœlestem quendam splendorem emittere. Ad ægrotos juvandos quoties accedebat, ante omnia positis prope lectulum genibus impensè pro illis precabatur: ac tum solatio cœlesti in fiduciam erectis Evangelium prælegebat, cujus solius antidoto multis sanitas confestim restituebatur. Evocatus à Parentibus nobilibus, ut filio unico Simoni Dixar, à Medicis jam deposito, & post loquelæ sensuúmque destitutionem animam agenti bene precaretur; accedens ad lectulum, aliquamdiu seorsim in genua abjectus DEUM oravit, ac subitò nulli verbo dicto, neque Evangelio de more super moribundum recitato, domo se proripuit, soli socio in reditu innuens, puerum eo morbo non decessurum. Ut primùm verò pedem domo extulit, puer velut à profundo somno experrectus ad sensus redijt, nec multò pòst integre sanus assurrexit: omnibus miraculo valetudinem subitò restitutam, & Patris meritis adscribentibus. Idem eventus secutus est unigenitum divitum parentum, Antonium Gavinum Rubi, ad quem similiter in extremis constitutum evocatus, post brevem ad DEUM precationem, nequaquam moriturum prædixit; & consecuta mox perfecta sanitas vaticinium confirmavit. Fuit & in rebus secretis diffitísque, & in futuris eventibus aperiendis vates veridicus, prout in duobus Societatis Coadjutoribus accidit, quibus dimissionem ab Religione olim secuturam prænunciavit, & alterum quidem ob gravem fraternæ charitatis læsionem, post novennium ejiciendum è Societate verissimè asseruit, quòd in idem peccatum tunc relapsurus esset. Pari eventu mortem præsensit Aviæ maternæ Domini Monserrate Rosello, Regni Sardiniæ Visitatoris & Auditoris Regalis Audientiæ, cui ex morbo minimè periculoso certam salutem, & longam vitam spondebāt Medici: sed Pater auditâ ejus confessione, cùm de more ferventer aliquamdiu pro ægra preces fudisset, advocatum seorsim Dominum Monserrate admonuit, ut absque mora sacro Oleo juberet morituram inungi: qui cùm Medicorum judicium opponeret, approperare nihilominus quantocyùs ultimum hoc Sacramentum jussit, nisì vellet quâvis interpositâ morâ absque illo Aviam decedere. Et ecce eodem propè momento completæ sacræ Unctionis, animam ipsa DEO reddidit.

Ubi verò placuit supremæ Majestati fidelem servum evocare ad mercedem æternæ beatitudinis; non aliam morti causam præberi permisit, quàm eam ipsam, toto vitæ decursu tantopere cultam charitatem proximorum. Contigit illum ad pauperem morti colluctantem evocari nocte intempestâ, hyeme perfrigidâ; à quo redux ità corpore toto diriguit, ut cùm excitari ad nativum calorem vestium adjumentis non posset, carbones ignitos adhiberi oportuerit ad illum in lectulo confovendum. Illos autem seu incuriâ obliti Fratres, seu malignitatis ab ipsorum nidore imminentis ignari, quia nocte residuâ in Patris cubiculo reliquerant, adeò caput illi pestilentiâ vaporum turbatum est; ut prorumpere cubiculo volentem, vertigo humi dejecerit, ubi prostratus jacuit ad usque diluculum; sub quod pauperum aliquis ad januam Patris alloquium flagitans, illum certæ morti eripuit. Janitor enim Patrem evocaturus, licèt fores pulsanti nemo intus responderet, suspicatus indè ægriùs fortè Patri esse, cubiculum ingressus est, reperítque Patrem solo allisum, sensûs omnis expertem, mortuo simillimum: quem, evocati domestici, ubi lectulo reposuêre, adhibitis varijs remedijs ad sensum postliminiò redijt, & anxijs de suo morbo socijs, mensem integrum se adhuc supervicturum prædixit. Atq; hunc

hunc sancto ad mortem apparatui ità integre expendit, ut nullum illi verbum erumperet vitæ longioris, aut cujusvis rei mortalis cupidum: quin è contrà desiderijs ardentissimis precabatur dolores & pœnas sibi augeri, quibus ad similitudinem Redemptoris sui probatus & purgatus, tantò mundior in ejus oculis compareret. Ceterùm totus erat in rebus æternis, animo & oculis semper in cœlum erectis, in perpetua veluti contemplatione absorptus: neque unquam ultro quempiam affatus est, vel quærentibus responsum, nisi brevissimũ, etsi necessaria præcisè rogaretur, reddidit: curam tamen pauperum, in carceribus maximè, nunquam ad ultimum vitæ diem deposuit, jusso ad se bis quotidie redire internuncio, vel carcerum custode, ut resciret, num quid penuriæ paterentur? & an consvetum in dies cibum nanciscerentur? invisêre sæpius ægrum Archi-Episcopus & Insulæ Pro-Rex, cum præcipua Regni nobilitate, quibus tamen ipse vix etiam ad quæsita respõdebat, oculis & animo semper in cœlum intentus, quasi in perpetua extasi versaretur: & quia locus in cubiculo, ob angustias, unius solùm sediculæ ponendæ capax erat, translatus est ad conclave patentius, ut commodo invisentium Procerum serviretur, licèt id maximo Patri mœrori cederet, cupienti in suo spelæo emori. Cùm verò Pro-Regis Conjunx ad eum misisset rogatum, aliquóne subsidio egeret? & quî valeret? Pater nullo dato responso, quæri ex eadem jussit, an non in Hospitali fortè pauperes auxilio opus haberent? omnésne à morbis suis revaluissent? ex quo facilè Illa collegit, Patrem malorum suorum penitus incurium, pauperibus magis Illam subsidio venire cupere. Paucis ante obitum diebus rogavit ægrorum Curatorem, patienter molestias in suis adhuc obsequijs aliquantisper ferret, paucis enim diebus se corpore, & illum molestiâ absolvendum: ex quo nuncio cùm hic deliberâsset obtestariPatrem, ut oratorem pro se in cœlis ante divinum Tribunal agere vellet, & cubile accedẽs, in eam postulationem verba pararet; præoccupavit Pater præter suum morem, velut cœlitus Fratris desiderij conscius, & *certus sis*, inquit, *Frater mi, tibíque polliceor, ubi ad cœlum gratiâ divinâ pervenero, me assiduè DEUM pro te oraturum.*

Et jam loquelæ sensuúmque expers, ultimis diebus jacebat, oculis à cœli aspectu nunquam retortis, quando adstantes Socij advertêre pedes ægroti fortiter invicem hærere adstrictos, uno alteri superposito, velut si invicem clavati forent: quare experiendi causâ aliquoties magnâ vi connisi eos sejunxêre; notavêre tamen sponte suâ ad priorem sensim constanter redire situm, quasi non aliâ corporis formâ emori servus DEI vellet, quàm specie Christi in cruce elevati, quod magnâ omnes admiratione implevit. Nec parum eandem auxit, quòd Pater jam jam acturus animam, brachia similiter ultimo conatu ad pectus in crucem collegit, retinuítq; immotas, dum spiritum DEO redderet, 8. die Decembris, Anno 1594. ætatis 74. Religionis 43. A cujus in cœlum transitu continuò facies emortui amœnissimam induta speciem, miro splendore radiare cœpit: & ubi decenter induto corpore, ut sacrum Calicem de more manibus ejus insererent, eas divaricârunt, ipse utrâque palmâ apprehensum illius pedem compressit, & retinuit, ac si etiamnum in vivis ageret. Certatim indè laboratum est ab omni statu & conditione hominum, ut aliquid ex ejus corpore, vestitu, aut utensilibus occuparent, in sacrum suæ devotionis pignus; ut penitus nihil de illius rebus, ipsísque chartis remaneret, & quidam piâ crudelitate etiam digitos è manibus secarent. Mors ejus comuni quidem totius Urbis planctu excepta est, sed captivorum in ergastulis luctu quàm credi possit majore: neque ibi toto triduo audire fuit aliud, quàm ejulatus & lacrymas, dolore propè reboantium: quorũ resonantibus latè singultibus omnes ad fletum & misericordiam movebantur, prædicabántque Petrum Espiga *verum Patrem pauperum, Virum misericordiæ, cujus pietates nulli defuerunt.*

Ex Tomo 3. Nierembergij.

P. FRANCISCUS DE MORALES.



ANte ingressum Societatis administrabat P. Franciscus, Curati officio, Parochiam S. Vincentij primariam Avilæ, charus & acceptus omnibus, sed maximè Nobilitati. Varijs autem modis declaravit tunc DEUS destinari illum à se veluti instrumentum ad multarum animarum salutem: siquidem inter reliqua contigit, ut iter faceret hyemali tempore nivibus constanter depluis, agens mulam per semitam, quæ undique altâ nive sepeliebatur.

Et licèt



P. Franciscus de Morales S. J. Hispanus, miris peccatorum, et facinorosorum conversionibus clarus. Obijt Vallisoleti. 20. Febr. 1595.

G.G. Heinsch del. 56. G. Kilian Sc.

Et licèt hæc trita admodùm esset & communis; mula nihilominus deserto calle ibat transversùm per nives pertinaci gressu ventrem tenùs, neque ullis stimulis in viam reduci ferebat, donec in mulierem inter medias nives incidit doloribus partûs, jamjam effuso fœtu, solutam, qui ex nimio frigore expiraturus momentò videbatur. Hunc posteaquam expressâ de nivibus aquâ baptizâsset, sponte illico mula semitam legitimam repetijt; ut manifestè appareret, ab Angelo infantis custode, ipsam eò deductam fuisse. Societatem postmodùm amplexus, commune fuit refugium omnium afflictorum & desolatorum; quibus magno fervore in anima & corpore subveniebat, nullum unquam tœdium vel defatigationem præferendo, estò ingenti semper pœnitentium turmâ obsessus; post unam expiatam, novis iterum ac novis continuè circumdaretur. Et quidem plerumque matutinum tempus omne usque ad meridiem exigebat in Pœnitentiæ tribunali, quod primus ingrediebatur, & postremus exibat: reliquum autem à prandio, nisi à pœnitentibus iterum posceretur, in ergastulis & hospitalibus quotidie invisendis, usque ad solis occubitum; quæ hortos suarum deliciarum vocitabat. Incesserat illum non raro nausea & horror graveolentiæ, & intolerabilium fœtorum, quos tot corpora leprosorum, carcinomata & ulcera contagiosorum ac sanie diffluentium inhalabant: sed ipse victoriam de se gloriosam relaturus, primò omnium hos accedebat, illis viciniffimum se patulo ore & naribus applicabat, avidissimè hausturus fœtorum cupedias: cujus heroicæ virtutis intuitu DEUS omnem ab illo nause-

antis naturæ horrorem ità abſtulit; ut perinde verſaretur inter illos, tanquam in medio fragrantium roſarum & ungventorum; neque ullâ contagione afflaretur, licèt aures confitentium ori penitus applicaret, & omnem fœtidiſſimum putorem intra viſcera attraheret.

Et videbatur omnino DEUS aſylum quoddam miſeris mortalibus in Patre conſtituiſſe, ad quem maximè deſtituti,& perditæ vitæ refugiebant, quaſi hos potiſſimùm DEUS ad illum ſubmitteret, prout non ſemel patuit in facinoroſis extremo ſupplicio addictis; qui cùm apparerent in ſceleribus non minùs ipſis dœmonibus obſtinatè indurati, illos tamen blandiſſimo ſuo agendi modo lucrabatur, & ad deploranda etiam lacrymis peccata adducebat. Neque ad hæc perficienda multis utebatur rationibus,aut longis diſcurſibus; ſed proſtratus in oratione, accidebat SS. Sacramento multis cum lacrymis, & animo contrito ſupplex, adhibita etiam cruentâ flagellatione, & id genus pœnitentijs: ac tum veluti auxilij cœleſtis ſecurus, magno ſpiritu aggrediebatur ejuſmodi obſtinatos, Crucifixo plerumque armatus; quem tandem perſvadebat, ut & ipſi in manus ſumerent, & flexo humi poplite,brevi ſecum oratione,deprecarentur; quam tot lacrymis tantóque ardore decurrebat ipſe, ut impoſſibile diutiùs eſſet reum repugnare, quin & ille in uberes fletus ſolveretur, paratúmque ſe offerret ad agenda omnia, quæ Pater imperâſſet. Jam verò ab ejuſmodi conflictibus remanebat Pater ità defatigatus, & viribus proſtratus,quaſi ex diuturna & gravi ægritudine recèns laborâſſet: eos enim aggrediebatur totis artubus tremens, præ horrore periculi, in quod miſeri ruituri eſſent, ſi obſtinatè reſiſterent; contra quem metum cùm robur omne mentis & fortitudinem ad agendum evocaret, indè naſcebatur gravis illa animi & corporis lucta. Cujus occaſionem abrupturi Superiores, aliquoties eum Operarij munere abſolvere tentârunt,niſi ipſe animarum juvandarum ſtudiô reſtitiſſet.

Anno 1581.cùm degeret in Collegio Avilæ, periculoſi morbi totâ Hiſpaniâ graſſabantur, tollebántque è vivis quàm plurimos: ex his, quia & domeſtici laborabant univerſi,ſolus P. Franciſcus ſanus ſerviebat omnibus; & quò utilius toti civitati ſubveniret, poteſtate ab Epiſcopo quibuſque ſacrum Viaticum & Unctionem extremam miniſtrandi conceſſâ, plurimorum ſaluti profuit. Accidit, ut inviſenti per id tempus carceres, occurreret homo ſani inſtar obambulans, cujus tentatâ arteriâ, *videris mihi*, inquit Pater,*non bene valere; bene faceres,ſi confeſſione peccata in tempore expiares*. Secutus conſilium, eodem adhuc die ſanctum Viaticum & Unctionem accepit, & continuò vitâ exceſſit. Cujuſmodi plures admirandi eventus illi acciderunt. Aliàs in via publica pauperem ægrotum deprehendens, communi noſoconio recipi impetraverat, cùm domum reduci ſub noctem occurrit, illum confeſſione expiatum non eſſe. Igitur bona Superioris veniâ ad illum redux, etiam ſancto Viatico & Unctione communit, & continuò expirantem cœlo tranſmittit. Ex zelo Divini honoris quo æſtuabat, maximo dolore cruciabatur, biennio præcipuè vitæ poſtremo, ob peccata quibus hunc offendi videbat; ideóque mortem oppetere magìs, quàm illa intueri optabat. Huic animæ cruciatui acceſſit grave tormentum à ſtrangurie & urinæ difficultate;quâ ſolitò graviùs exagitatus quatriduo feſtum Purificatæ Virginis antecedente anno 1595. audivit nihilominus quàm plurimos pœnitentes, deſiderio juvandi proximi dolorem ſuperante:unde circa meridiem ad cubiculum redux coact, eſt decumbere. Hic inviſenti ſe Confeſſario animo alacri,*bene veniſti*,inquit,*Pater,nō enim hoc lectulo conſurgā, niſì ad ineundum in cœlos iter,ideóq; non me deſeras in tam ancipiti diſcrimine*. Id quod dicebat partim ex ingenti fiducia erga illum, quem ſui loco DEUS ipſi in Directorem animæ conſtituiſſet; partim ex profunda humilitate, minimè ſufficientem ſe ſolum exiſtimans ad ultimum cum dœmone certamen. Totis autem illis 26. ægritudinis diebus, exercitus à DEO eſt tanquam vir perfectus, gravibus inprimis toto corpore tormentis, ut nè unius quidem horæ quies aut ſomnus concederetur: ac longè ſuper hæc moleſtioribus animi deſolationibus, quaſi penitus à DEO foret abjectus. Voluit nimirum potentiam gratiæ ſuæ palàm in eo facere, dum quò acerbiùs torquebatur, eò majore fortitudine conſtantiam & patientiam declarabat, illo in DEUM amoris & gratitudinis affectu, quo filius morigerus tantò magis amplexum Matris chariſſimæ exambit, quantò hæc alieniorem ab illo ſe oſtendit: unde & meritus eſt extraordinarios è cœlo favores.

Præbuit ſe illi durante hac ægritudine viſendum identidem Chriſtus Dominus, & SS. Mater, cui erat devotiſſimus, & à multis annis quotidie Coronam flexo ante SS. Sacramentum poplite dicebat; animúmque ad tolerandos dolores,quos magna gloria exceptura eſſet, addebant. Itaque totum tempus in ſola ferè oratione tranſigebat, & colloquijs

cum SS. Trinitate, Christo Domino, ejúsque purissima Matre, ut quicunque cubiculum ægrientis intraret, locum orationis sibi ingredi videretur. Cùm verò filij ejus pœnitentes dolentissimè ferrent amantissimum Patrem à se auferri, multísque lacrymis deplorarent, solabatur eos eâ spe & promissione, quòd longè majori ipsis futurus esset auxilio de cœlo, ubi multò plures eum expectarent sui quondam pœnitentes, quàm quos relinquebat in terris, omnes unà secum DEUM pro ipsis deprecaturi. Quam ejus sponsionem voluit DEUS mirabili eventu exolvere. Cùm enim pia Matrona illi jam in extremis constituto impensè commendari, tanquam suo in spiritu Patri petijsset, paucis ab ejus obitu diebus in morbum incidit, cum quo septem propè menses conflictata est, usque ad Septembris initium, quem nihil addubitans precibus sui Patris à DEO immissum, Curatoribus suis & Medicis dicere solebat: *Causa hujus ægritudinis est meus sanctus senex! meus sanctus vocat me ad se!* patuítque manifestè paucorum illorum mensium spatio Patris sui directione destitutam, plùs illius de cœlo illustrationibus & impetratis auxilijs in spiritu profecisse, quàm omnibus vitæ hactenus exactæ annis, quibus infantiam tantùm virtutis egisse videri potuit, respectu ultimæ illius adultæ & gyganteæ. Et verò mortua est, prout è cœlo vocabatur, prorsus sanctè, illo etiam prodigio à DEO honorata, quòd licèt ex morbi violentia putrescente corpore, gravissimum, dum ægrotavit, exhalaret odorem; à morte nihilominus cœlestem quandam spirabat fragrantiam, quæ omnes cubiculum ejus ingressos, ínq; feretrum ad tumulum corpus componentes, mirè afficiebat.

Interim P.Franciscus ad extrema deductus, esto biduo ante obitum mente nonnihil erraret, illa tamen quæ loquebatur, non erant nisi monita salutaria & documenta, quæ pœnitentibus, velut actu confitentibus, impertiebatur. Restitutus autem sibi, erumpebat in ardentissima moriendi desideria; cùm ei apparens Christus Dominus figuram mortis ostendit horribilem & terrificam, *scisne*, inquiens, *quid petas? intuere id quod desideras*; ad quem ingenti amoris affectu Pater, *ô Domine! hæccine mihi eveniat de tua manu?* Etiam hæc, reposuit Dominus: *Igitur non est quod me terreat hæc larva*, subjungit Pater, *non enim metuendum mihi est, quod per tuam venit manum.* Atque ità Sacramentis omnibus munitus, purissimam animam DEO reddidit Vallisoleti 20. Febr: Anno 1595. Magni continuò fuêre hominum concursus ad venerandum defuncti corpus, osculandos pedes, & sacranda ejus contactu Rosaria, donec communi omnium luctu terræ mandatum est. Constat autem nullo unquam peccato lethali baptismalem innocentiam ab ipso fuisse contaminatam, quâ promeritus est singulares à DEO gratias, quas inter fuit rerum longè dissitarum & arcanorum cordis, tanquam si coràm in oculis agerentur, cognitio & manifestatio, quæ citra revelationem innotescere non poterant.

Ex Tomo 1. Nierembergij de Viris Illustribus.

P. JOANNES FERNANDEZ.



Pater Joannes Fernandez, sæculi sui Viris primarijs meritò annumerandus, sive doctrinam, & in Theologiæ, Scripturæq; arcanis subtilitatem; in qua eximius Doctor Scripturam profundè libris editis interpretatus est; sive prædicandi Evangelij talentum, sive sanctitatem vitæ, & altissimæ donum orationis spectes. Editus in lucem est Toleti in Hispania, parentibus inter cives honoratis, anno 1538. non sinè divino præsagio, quo ejus matri uterum gerenti futura filij sanctitas & magnitudo divinitus significabatur. Visa namque sibi est utero ferre arborem miræ viriditatis & proceritatis mali citrei, è qua innumeri pomorum fructus germinabant. Anno secundo ætatis, periculoso oppressus morbo, matrem novo fœtu gravidam tanto dolore implevit, ut precaretur ardenter DEUM, vitam potiùs proli præcoce partu effundendæ auferri, modò viveret Joannes: cujus votum liberaliùs quàm optabat adimplens DEUS, concessit ut & prolem vividam feliciter pareret, & puer biennis sanitatem pristinam recuperaret. Pueritiam ingressus nullâ re magìs delectabatur, quàm concionibus audiendis, neque unquam à matre, Templum adeunte, domi relinqui patiebatur: unde redux, balbutiente lingvâ, domesticis audita enarrabat. Et quidem à concione aliquando reversus, quâ Ecclesiastes mundum præcipuè muliebrem & pigmenta damnabat, cùm aliquot ejusmodi fœminæ domum paternam eodem die venissent, repentino zelo percitus & ipse cœpit sententijs & gestibus Conciona-



P. Ioannes Fernandez Soc: Iesu, Hispan9, Missionarius in Castris, et Concionator præfervid9, Comentarÿs in S: Scripturam, Animarum lucris, familiaritate et favoribus Coelitum conspicuus. Obÿt Palentiæ 9. Martÿ A° 1595. Ætatis 58.

cionatoris in earum ornatum invehi, & pœnas æternas seriò, nisì resipiscerent, comminari. Scholis deinceps frequentandis admotus, incredibili discendi flagrabat desiderio: & cùm post annos aliquot ab his abstrahendum se, parentum voluntate, intellexisset; ad prodigiosam DEIparæ Imaginem, de Pilar dictam, recurrit pro auxilio, tantâ devotione & precum instantiâ, ut lassitudine fracto somnus obrepserit. In eo visendam se illi misericordiæ Mater obtulit, & securum de prosequendis scientijs esse jussit, foréque prædixit, ut Societatem filij sui ingrederetur. Quo eximio DEIparæ favore recreatus, votum illico perpetuæ castitatis concepit, & studia majore diligentiâ prosecutus, virtutibus simul eximio fervore incubuit. Contulerat enim jam tum illi Dominus singulare & tenerrimum orationis donum, cui ut vacaret liberiùs, prosiliebat solus in campos & nemora; vel si aura adversa prohiberet, recipiebat se in Templum, ubi plures horas in prolixa contemplatione moratus, arcanissimis de rebus cœlestibus implebatur sensibus; ex quibus tantum DEI amorem & æstimationem concepit, ut terrena omnia illi sordium instar vilescerent. Philosophiæ & Theologiæ disciplinis magnâ doctrinæ opinione absolutis, ut omnia Divi Thomæ opera memoriâ tenere existimaretur, sacras lingvas Hebræam & Græcam in Universitate Toletana decimo octavo ætatis anno professus est: innocentiâ vitæ inter studiorum labores ità cautè conservatâ, ut virginalem pudicitiæ nitorem in Societatem intulerit, quam anno 1556. Divino planè consilio complexus est. Cùm enim pro suo mo-

re inambulans per campos Divina meditaretur, & gratiam à DEO impensiùs ad deligendum ipsi gratissimum vitæ genus precaretur; jussus est cœlesti voce majus urbis Templum intrare, auditurus illic quid ipso DEUS fieri vellet. Huic responso obtemperans, audijt ex Evangelio cantari verba illa: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: simúlque intimo sensu à DEO percepit, partem hanc Societatem JESU esse, quam idcirco eligere nè dubitaret, si salvus fieri vellet.

Receptus in Societatem hæsit aliquamdiu Compluti: indè Placentiam evocatus, cœpit magno fervore & animarum fructu Evangelicâ tubâ pro suggestu personare; ut verissimè de eo vaticinatus esse S. Franciscus Borgia deprehenderetur, dum specialiter à DEO ad prædicandum Divinum verbum electum esse pronunciavit. Mox Theologiam professus Vallisoleti, iterúmque, S. Borgiæ accitu, Romæ, conciones simul Italicas constanter habuit; ad eximium istic sanctitatis gradum à DEO evectus, occasione mirabilis, quam in spiritu passus est, visionis. Namque materiam in Theologia de SS. Trinitate pertractans, magno cœpit desiderio intuendæ Divinitatis æstuare; quô solitò frequentiùs nocte quadam exardescens, raptus est spiritu in extasim, à tribus repente formæ cœlestis Virginibus circumseptus, svavissimè illum ad se sequendum invitantibus, si Divinitatis, quam tantopere ardebat, videndæ compos effici vellet. Tum subitò deductum se ab illis deprehendit ad portas cœlestis civitatis, qualem S. Evangelista in Apocalypsi depingit: cujus fores una ex tribus comitibus pulsans, quærenti Janitrici quid vellent? respondit, animam se adducere avidissimam videndæ Sanctissimæ Trinitatis, ideóque petere intromitti. Patefactâ mox januâ, introducitur à suarum una comite in amœnissimum Palatium, ubi ex Angelis quidam factus obvius, jussit Patrem eodem loci subsistere, visurum priùs se cum Virgine ejus comite, num admitti posset ad videndum, quod tantopere averet. Solus ità relictus, admirabatur aream & vestibulum Palatij, quod gradibus quaternis magnificè subibatur, tam exquisitâ materiâ & arte constructis, ut eorum admiratione extra se raperetur. Atque impatiens ejus cupidinis, quâ ad ingrediendum urgebatur, cœpit per illos ascendere, donec ad aulam amplissimam perveniret: in cujus ingressu repentè seni deformes Æthiopes abreptum, super suggestu quodam constituunt, & concionari jubent; interímque crudeliter vellicatum, pugnis & verberibus affectum, è pulpito tandem dant præcipitem. Hìc ille calamitatem suam deplorans, repentè sanum & incolumem se deprehendit; ideóque novo ardore incitatus, ultrà in Palatij aditu progreditur: cùm alij totidem illum atri genij excipiunt, & in sedili locato tres ab uno latere, totidémque ab altero, magnis & dissonis clamoribus in aures vociferantur, ut ab ijs moriturum se credens denuò exclamaret: *ô me infelicem! nam his clamoribus me prorsus enecatis!* cui responderunt: *si infelix & perditus esses, aliter te tractaremus*; simúlque ab oculis evanuerunt. Ille desiderij magnitudine animos addente ausus ultrà penetrare, subitò à pluribus alijs Æthiopibus circumdatur, qui in terram prostratum ubi pedibus proculcâssent, ardente pice & resinâ circa renes & lumbos perfuderunt. In ea tortura cùm infelicitatem suam quàm maximè deploraret; pernegare illi, infelicem esse, aliàs haud paulò diriùs ab se habendum. Cùm igitur & his disparentibus in pedes assurrexisset, pervenit in hortum maximæ amœnitatis, ex quo cœlestis auribus musica, & svavissimi naribus odores inhalabantur: vidénsque animam solis instar radiantem sibi occurrere, arbitrabatur eo fortasse loci latere quod quærebat. Igitur magnâ reverentiâ illam allocutus, quæsivit quænam esset? *Frater sum*, respondit, *de Societate JESU, in qua septennium vixi. Magnam profectò*, subjecit Pater, *gloriam tenes! imo*, reponit alter, *inexplicabilem dolorem! hic enim locus purgatorium meum est, in quo excrucior insatiabilis desiderij flammis videndæ SS. Trinitatis, eò quòd in vita parùm ejus amore, & intuendæ cupiditate flagraverim, licèt ejus beneficio puritatem Angelicam illibatè conservârim.* Hæc inter unus ex Angelis accedens severè Patrem reprehendit, quòd eò usque penetrare ausus esset: addidítque, jubere DEUM, ut in mundum rediret, quòd necdum idoneus esset ad intuendum SS. Trinitatem. Cùm verò hìc multis lacrymis & precibus reditum deprecaretur; respondit Angelus, hanc omnino DEI esse voluntatem, cui parendum foret. *Ergo saltèm priùs quàm discedam*, rogat Pater, *doce amabò, quænam sint tres illæ formosissimæ Charites, à quibus adductus sum? sunt* reponit Angelus, *Fides, Spes, & Charitas, quæ ubique te comitantur, licèt eas non videas. Qui autem sunt illi*, roganti ultrà Patri, *à quibus tam malè habitus sum?* respondit Angelus: *illi, qui te in pulpito malè exceptum ex eodem præcipitem dederunt, sunt defectus à te in concionibus admitti soliti, dum prædicas teipsum, ambiendo*

humanas laudes, neque solam purè DEI gloriam & profectum animarum intendendo. Qui verò tam inconditis vociferationibus aures afflixerunt, sunt defectus in quotidiano colloquio sub relaxationis horam à te frequentati; dum aliorum sermonem interrumpis, solus ab alijs audiri volens. Demum, qui renes ardente balneo excruciârunt, sunt tuæ negligentiæ infrenandæ sensualitate. Posthæc sibi & mundo restitutus Fernandez, nè putaret somnij duntaxat hæc ludibria fuisse, multis diebus acres dolores in renibus ab ignito balneo sustinuit: faciléque inde colligens exprobratos sibi defectus causam esse, ut minùs fruitione DEI dignus esset, totus in eorum extirpationem conversus, impetravit à Patre Generali, ut sibi liceret à colloquijs horâ relaxationi concessâ abesse; sensibúsque suis penitus mortuus, conciones ità unicè ad DEI gloriam direxit, ut cùm ex Angelo suo Tutelari (cujus familiari alloquio crebriùs fruebatur) aliquot pòst annis quæsîsset, num dictiones suæ DEO placerent? audierit, illas omnino DEO probari.

Româ Lauretum, nec multò pòst in Belgium anno 1576. missus, ut Hispanæ militiæ unà cum P. Antonio de Salazar à spiritualibus esset auxilijs, quinquennio munus illud inter summos labores & difficultates naviter obijt, Principi Joanni de Austria tanto amore æstimatus, ut quandam Patris venerationem præferens, consilia sua omnia cum eo conferret, & plerumque sequeretur. Habebat quidem à confessionibus Virum gravem & doctum è Familia S. Francisci, apud quem præcipuis anni solennitatibus peccata deponebat; particulares tamen & ordinarias exomologeses peragebat Patri Fernandez, quem conscientiæ suæ arbitrum in omnibus adhibebat, intima quæque instar Religiosi Tyronis illi aperiens, cujus directione diebus singulis, quantumcunque negotia & vicinus hostis imminerent, unam horam mentali orationi magno profectu impendebat. Mortem sibi instare advertens, confessionem de tota vita Patri fecit, atque ab eo pro beatæ æternitatis ingressu disponi voluit: quâ etiam DEI beneficio, post felicem obitum, potitus, paucis diebus Patri in quodam Collegio agenti comparuit, & quomodo tam citò amici oblivisceretur, expostulavit. Respondit Pater, *non sum tui Domine oblitus; sed nunquid eges in aliquo meâ operâ?* Qui cùm egere se maximè Patris suffragijs asseruisset, Pater magno studio Sacrificia, preces, opera pœnitentiæ obtulit: donec paulò pòst cœlesti jam luce gloriosus redijsset Princeps, & gratijs Patri pro beneficijs actis, nunc demum sedes Beatorum se petere confirmâsset. Ceterùm Pater incommodis & ærumnis militiæ necessariò occurrentibus minimè contentus, in nullo penitus corpori indulgebat, sed modis omnibus illud persequebatur; victûs inprimis & vestitûs tantâ parsimoniâ, ut mirarentur socij illum fame non emori; nam macies & pallor ori inhærens vix hominis vivi similitudinem relinquebat. Illum Princeps de Austria ità macilentum aliquando intuitus, per jocum in maciem ejus ludens, *hoc nimirum est*, inquit, *quod de Societate spargitur, ejus alumnos paleis faciem fumigare consvêsse, ut videantur jejunijs exhausti & tabidi*: ad quæ Pater diductâ veste & indusio, thoracem è setis asperrimũ, quo erat indutus, ostendit, dicens: *hæ sunt Domine paleæ, quarum fumo facies nostras exterminamus.* A morte Austriaci, gubernando Belgio præpositus Dux Parmensis, obsidione quadrimestri cinxerat Trajectum, in qua fervoris Apostolici admiranda Pater præbuit specimina. Nam diebus singulis conciones in diversis legionibus habebat ternas aut quaternas, nullo alio præter Breviarium & S. Scripturam libro instructus, tanto nihilominus fervore & sensuum sublimitate plenas, ut omnium nationum ab militibus libentissimè audiretur. Cúmque ea dicturum semper multitudo circumsisteret, ad quam impossibile naturaliter erat perorantis vocem attingere, tympanis extrema auditorij campestris undique sepiebant, & ex asseribus superstratis theatra moliebantur, quò dicentis vultum saltem & gestus perciperent. Fiebat tamen virtute Divinâ, ut latissimè ad omnes distinctè vox ejus pertingeret, & à singulis probè intelligeretur. Tandem assultu in mœnia Urbis decreto, immissus miles est, quâ parte profundior fossa muros ambiebat: sed ea fuit obsessorum fortitudo & alacritas, ut perpetuis tormentorum & sclopporum fulminibus supra mille gregariorum cœsi fossam impleverint, præter 23. cohortium ductores, & Fabium Farnesium primâ post Ducem militiæ Præfecturâ insignem. Eâ clade tantus dolor Patrem incessit, quòd tot homines interirent auxilij omnis expertes, ut sub vesperam ejus diei cadente sole quadrupes ad fatalem fossam adrepserit, maximo totius exercitûs stupore, cùm nullus è castris Regijs impunè prodire posset, quin illico hostilibus glandibus à mœnibus impeteretur. Ibi vulneribus veluti confectum corpus, ex simulatis doloribus volutans, è marginè præceps in fossam se dedit, jacuítque aliquamdiu mortui instar super

cada-

vera, plaudentibus è pinnis murorum hæreticis (clarè enim ruentem obſervabant) quòd unus etiam Sacerdotum in aſſultu necatus occubuiſſet. Ubi autem cœcâ jam nocte per tenebras obſervari non potuit, per cadavera illa inambulans vellicabat hunc quidem per pedes, alium per manus, aut caput, alios ſub congeſtis cadaveribus ſpirantes advertens, illis devolutis protrahebat, auribus ſingulorum inſuſurrans an viverent? ſe enim P. Joannem Fernandez eſſe, qui adveniſſet ut eos à peccatis expiatos cœlo aſſereret. Et verò 42. adhuc animam trahentes reperit, omnibúſque ſacramentaliter abſolutis, ante auroram ad caſtra reptando evaſit, totus ſangvine tot cadaverum cruentus, Crucifixum manu præferens.

Tanto labore, & tabo fluentium cadaverum proſtratus viribus, cœpit ardentiſſimâ febri æſtuare, ex qua de ejus vita jam conclamabatur: cùm vix triduo elapſo reſcivit, cuniculo quodam partim ejectos in auras, partim eruptione hoſtium cœſos jacere ampliùs mille Hiſpanos. Ergo precibus aggreſſus Fratrem Socium Vincentium de Zelandre, juvenem viribus & ſtaturâ prævalidum, & adultæ virtutis, rogat, ut cùm ipſe pedibus niti non poſſet, vellet ſe in humeros ſublatum ad ſaucios deferre. Ille obtemperandi in tam ſancta cauſa non impiger, in humeros alacriter ſublatum, ab uno ſauciatorum militum ad alterum defert, dum ad unum omnes peccata confeſſi expiarentur. Non longè poſt receptâ valetudine, cùm obſidio, hoſtium pertinaciâ, diutiùs traheretur, & maximo rerum omnium defectu miles laborare cœpiſſet, Pater pro ea, quâ apud omnes exercitûs Duces valebat auctoritate & exiſtimatione, copioſam collegit ſtipem, cujus in neceſſaria expenſis, nè à majoris momenti occupationibus diſtineretur, fidum hominem præfecit, qui eâ pannos, telam, calceamenta, & reliqua corporibus miſerorum neceſſaria coëmeret, & in ſingulos pro cujuſque neceſſitate divideret. Qui verò tam ſedulam levandorum corporum curam habebat, longè majorem gerebat animarum, vitiáque omnia & ſcandala procul à caſtris proſcribere ſatagebat, liberis reprehenſionibus non vulgus duntaxat militare, ſed ipſa exercitûs capita redarguens. Venerat ad Ducem Parmenſem, miſſu quorundam amicorum, homo necromanticus, qui magicis ſuis artibus Principi rebus ſerijs perpetuò occupato, ludum ſubinde faceret: id ubi Pater reſcivit, miſit ad eum ſocium ſuum Vincentium, obteſtatum Principem, ut hominem adeò pernicioſum, in ſcandalum & opprobrium Chriſtiani exercitûs, detinere nè vellet. Accepit monitum Parmenſis, pro ea quam de Patre fovebat exiſtimatione, perlibenter, & cupiebat homine minimè ſibi grato aulam liberare; inhumanum tamen factu fore credens, ex eorum, qui hominem ad ſe miſerant reſpectu, ſi continuè vix appulſum ejiceret, perrexit aliquamdiu penes ſe retinere. Non latuit id Patrem, ideóque iteratò ablegatum ad Principem ſocium dicere diſertè jubet, aut magum à caſtris Chriſtianis ejiciat, aut ſe ab exercitûs obſequijs diſceſſurum. Perculit ea denunciatio heroicum pectus; & nè tam charo capite militiam privaret, magum extemplò, urbanè tamen & liberaliter, Magnatum à quibus venerat intuitu, dimiſit, torque aureo, generoſo equo, aliíſq; donis bis mille aureos æquantibus, muneratum. Quod ubi Pater intellexit, indicari Principi conſtanter curavit, quandoquidem duo millia dœmonis mancipio elargiri potuerit, poſſe magìs DEO duplum conſecrare; quod nisì ad abolendum datum ſcandalum fecerit, vale ſe perpetuum militiæ dicturum. Et fuit tanta vis Patris, in puſillo licèt, & contemptibili corpore, auctoritatis; ut quatuor millia confeſtim Princeps illi numerari juſſerit; quæ ille abſque mora in egentiſſimorum militum neceſſitates ad poſtremum numum expendit; eâ conditione, ut ſinguli priùs animum confeſſione & S. Communione expiarent. Eadem illi fuit libertas in reliquis militiæ Ducibus & Chiliarchis corrigendis.

Teſtabatur comes illius idem Vincentius, Patrem totis, quos inter armatos egit annis, nunquam nisì ſemel per diem cibo viliſſimo uti ſolitum, ſolo aquæ potu contentum: nunquam ſimiliter omiſiſſe mediâ nocte ſtrato conſurgere; ac tum ſubitò flagellis ità crudeliter in corpus ſævijſſe, ut qualibet vice ſangvinolentum reperiretur induſium. Mox ſecedebat in mapale ſtramineum, ad ſecretam unius vel ſeſquihoræ orationem. Manè verò primo divinum recitabat Officium, ac deinceps Miſſam in publico dicebat: nisì cum ſemel vel bis in hebdomade in vicinum aliquod clauſtrum ſe recipiens, ſacrificabat privatim in ſecreto; tum enim ſpiritui & fervori indulgens producebat illam ad tres & quatuor horas, lacrymarum imbribus, ſub Memento præſertim, tantùm non diffluens. Porrò cibum ſumenti quoties interveniret aliquis, operam ejus ſive ad confeſſionem, ſive aliud pium obſequium depoſcens, conſurgebat illico morem geſturus; quòd cudendum

mox diceret ferrū dum calet, quippe apud sæculares, milites præsertim, pios motus,& cœlestem calorem,plerumq; non diu durare,sed facilè extingvi, nunquam fortè resuscitandos. Venerant aliquando ad Patris tentorium, absente socio, egentes stipem postulatum; his ille quidquid erat in penu domestica divisit, præferente indignationem socio, quòd nihil penitus in proximum prandium superesset. Cui exprobranti id esse contra paupertatem, respondit, si omnes pauperes ità egestatis patientes essent, tótque medijs necessaria comparandi abundarent quot ego,neutiquam tam prodigus essem. Idem faciebat, quoties à socio non se observari videbat, infirmus præsertim: nam in penum prout poterat adrepens, sublatas, quas illi commodiùs habendo Frater providerat, aves & carnes, & quidquid aliud reperiret, egenis distribuebat.Quare coactus est,certior de his factus,P. Generalis, illum socij Coadjutoris, nè penitus vitam sui tantâ incuriâ enecaret, imperijs subjicere, in ijs, quæ suam personam & valetudinem concernerent. Tantâ enim salutis suæ agebat negligentiâ, ut nullâ morbi violentiâ detineri se passus, dicere pergeret sedens bis térve quotidie, aures exinde continenter pœnitentibus præbens, tót quot audiri voluissent. Recepto Parmensis auspicijs Trajecto, cùm nemo esset qui Gallis, quorum permulti in exercitu censebantur, per Adventum prædicaret, petijt à socio Fratre (ipse enim nullum verbū Gallicè noverat)conciones suas exHispano in Gallicum sermonem verti, eásque memoriæ laboriosè puerorum more mandatas, tanto fervore, & bellâ adeò pronunciatione deprombat, ut admiratione capti ex primoribus Gallorum, è pulpito descendentem circumsisterent, neque ullum finem gratulandi, dilaudandi proprietatem lingvæ facerent, quam ipsi nativam credebant, cùm tamen is nequidem hæc eorum præconia & urbanitates perciperet.

Neque unum fuit vitæ interim discrimen, ex quo mirabiliter DEUS servum suum servavit. Deprehensus aliquando solitarius in medio campo ab erumpente hoste hæretico, cùm fractus viribus non posset in equum ad fugam conniti; breviter, sed magno fervore, Angelum Tutelarem invocans, sensit se à quopiam brachijs in equum, nè contactis quidem stapedibus attolli, quo beneficio vitam ab hoste eripuit. Aliàs dum similiter solus iter quopiam suscepisset, repentè hæreticus ab hostibus miles illi obvius, magno furore in adversum ferri, arma expedire, ferociter exquirere, num Jesuita esset? quo animosè talem se profitente, ità divinitus animo immutatus est, ut manum blandè velut amicissimo porrigeret, & humanissimè dimitteret. Pari providentiâ & supellectilem Patris servabat DEUS, ne quid ex ea perderetur. Agenti aliquando festinàter, timore hostium, iter, deciderat ab equo mantica, cujus jacturam primùm in Collegio, ad quod festinaverat, advertit: & quia in illa reclusas habebat conciones suas, & id genus opportuna adversaria, instanter ab Angelo petijt, eam sibi in reditum custodiri. Mirum dictu! primo manè adest ad portam venustus adolescens, manticam amissam referens, quam Janitori reddens, disertè significavit, spectare ad P. Joannem Fernandez. E Belgio missus Parisios, comparato jam usu lingvæ Gallicæ, aliquamdiu pro concione dixit tam expeditè, ac si ei innutritus esset. Donec postliminiò in Provinciam Castellæ regressus, constanter tum ad populum incredibili proventu & applausu dixit, tum Catechesim rudioribus in Templo & plateis explanavit, zelo tam ardente gloriæ Divinæ flagrans, ut ab eo tabescere videretur & exuri; postremis maximè vitæ diebus conatum viribus majorem exerens, quo etiam consumptus est: dicere solitus, non se ambire vitam ut viveret, sed ut eam unicè in animarum salutem expenderet; quare desideratissimum sibi fore, si in earum obsequio concideret, de pulpito rectà illatus in sepulchrum. Et licèt corpore senio,& mortificationibus adeò esset exhausto, ut pulpitum conscendere nisi alieno auxilio nequiret, sub dictionem tamen viribus invalescebat, ut alius omnino à se videretur. Neque mirum; singulari namque DEI fovebatur adjutorio,& præsentiâ assistentium sibi Cælitûm animabatur. Sic vice quadam prodeunti è domo ad Ecclesiam comparens Gentium Apostolus, dixit: *Eja Joannes,bono animo esto! ambo enim hac horâ simul concionabimur.* Et quidem integram tum horam præter morem in pulpito constitit, & singulare id beneficium in secretorum suorum libello annotavit: *hac die Apostolus Paulus, & ego ex eodem suggestu totam unam horam concionati sumus.* Aliàs verò comparebat illi S. Teresia, & alij diversi Cœlites. Atque is zelus nascebatur ex intimo DEI amore & æstimatione, quem alijs omnibus cum perfecta DEI cognitione implantari summopere avebat; eóque laborem omnem & conatum intendebat, ut modos & praxes maximè congruas doceret illum colendi & venerandi, institutâ in eum finem Vallisoleti Sodali-

Sodalitate Amoris Divini, cui regulas condidit, unicè in rebus & actionibus omnibus DEI amorem spectandum præfigentes. Pari solertiâ in avertendas Numinis offensas intentus, Toleti Domum Hospitalem erexit, quò se noctibus reciperent mulieres proprio lare destitutæ, ideóque sub dio in compitis, & sub porticibus jacere coactæ, unde multis sceleribus fiebat occasio: cui rei procurandæ certos designavit è Clero, qui noctibus omnibus cum laternis plateas scrutarentur, & personas ejusmodi in domum colligerent. Ad hoc autem pium opus impulsus fuit imperio Christi, in quodam raptu sibi manifestato. Constitutus enim ante illius tribunal, audijt Dominum dicentem, cupere se domum pœnitentiæ ab aliquo institui, in receptaculum mulieribus proprio lare destitutis. Ad quod opus cum Pater se pronissimè obtulisset; Dominus vultu amœnissimo illum respiciens, bono & alacri animo esse jussit: & Pater mirè hinc animatus, spatio unius mensis rem effectui dedit. Ipse interim sex ultimis vitæ annis nunquam aliter decubuit, quàm vestitus in nudo solo vel assere; & si ægriùs haberet, unâ storeâ simplici substratâ: mediâ nocte constanter flagellationem & orationem adhibens, cui etiam totum à studijs, aliísque laboribus liberum tempus impendebat. Ex continua DEI in actionibus, & locis omnibus præsentia, multis abundabat solatijs, & altissimis de DEO replebatur sensis, quorum exundantiâ in medio sæpe studiorum exiliebat velut mentis impos de sella, plaudebat manibus, & in clamores erumpere cogebatur.

Paupertatem filiali prorsus amore diligebat ùt bonorum omnium matrem, quem in eo auctiorem fecit visio mirabilis, quam die quodam sub oratione habuit in extasim raptus. Videbatur sibi ingredi per viam admodùm angustam, in cujus termino apparebat Ecclesia multo lumine conspicua, cui appropinquans, sensit à tergo strepitum cujuspiam insequentis, & volentis se à progressu detinere: & circumspiciens vidit Æthiopem ferocissimum vestigijs suis inhærere, cujus horrore incitatus ad cursum, in Ecclesiam illam confugit. Verùm nequaquam hìc securum se existimans, dum post aram majorem se abscondere laborat, deprehendit pretiosissimo velo aditum quempiam ad ulteriora contegi; quo tantisper remoto, videt latè diffusos amœnissimos, instar Paradisi, campos Elisios, inque ijs per varias turmas ordinatè distributos Sanctorum choros, singulos certis insignibus, ex quibus facilè dignosci possent, ornatos. Et parte quidem ab una conspexit sanctissimam DEI Matrem, in comitatu innumerabilium Angelorum, ex alia SS. Apostolos, hìc Martyres, ibi Confessores, alibi Virgines, & demum singulos Religiosos Ordines: inter quos & Societatis cætum dignovit, cujus Alumni splendebant in pretiosissimis ac fulgentissimis vestibus, palmas in manibus præferentes, & laudes Domino concinentes. Ex his unus Patrem blandissimè intuitus, itâ affatus est: *bene potes absque ullo metu nobis adjungi, paupertas enim, quam toto vestitu præfers, satis probat te de JESU Societate esse, ideóque dignum nostro consortio.* Igitur magno gaudio illis se adjungens, continuò sensit pannosam suam vestem in amictum splendore & gloriâ alijs simillimum transire, & palmam in dextera sua deprehendit. Ab eo raptu sibi restitutus, tenerrimo affectu exarsit in detritum & humilem vestitum, atque impostерum togam & pallium, omniáque indumenta sibi vendicabat maximè obsoleta, ut à vetustate vix colorem ampliùs retinerent: nec poterat tristiùs accidere quidpiam, quàm si ad hæc melioribus commutanda urgeretur. Et quidem ea, quæ post demortuum remanserunt, adeò fuêre detrita; ut nulli pauperum servire possent: consveverat enim si quid lacerum in se adverteret, frusta aliquot rejectitia telæ vel panni, à præfecto vestiarij exorare, quibus ipse foramina resarciret; ut tandem vestes ejus interiores non nisi merus essent cento. Venerat aliquando Toletum adeò pannosus, ut cognatos hominis tam laceri planè puderet, à quibus interpellatus Superior Domûs, togam illi novam dormienti (solam enim hanc decubiturus ponebat) subtractâ vetere, supponi jussit: quod ubi manè advertit, flexis genibus vetustam à Superiore repetijt, non tamen aliâ conditione impetravit, quàm ut inter domesticos quidem parietes illâ incederet; foras tamen proditurus novâ indueretur. Salmanticæ autem cùm Minister Domûs adverteret interiora ejus indumenta, vetustate jam penitus exoleta esse & putrida, nec tamen ut alia admitteret persvadere posset; ex condicto cum duobus alijs Sacerdotibus, quo tempore Pater Fernandez ad Missam se comparabat, in Sacrarium descendit, ac velut aliquid graviter ex putredine istic olere adverteret, horrorem ostendit: cujus materiam ubique indagatam cùm nuspiam deprehenderent, tandem ex putrido Patris Fernandez vestitu illum inhalari unanimiter contendunt. Neque ille negare poterat; solùm causatus, fœtorem hunc non ex corru-

ptione

ptione veſtium, ſed à peccatis ſuis dimanare: perſvaſus nihilominus, ut ob reverentiam tanti Sacrificij meliores indueret.

Paupertatis ſtudio par erat Humilitas, quâ ſe infra omnes ex animo deprimebat: ſi tamen aliquid ageretur contra DEUM ejúſque honorem, aſſumebat animos excelſos, & ſpiritum Eliæ. Vice quadam concionem habebat ad populum confertum Valliſoleti in foro; cùm contigit rhedâ illac vehi Dominam ex Primoribus, magno Nobilium in equis comitatu: auriga per obſtantem concionem penetrare conatus, indignationem toti Auditorio, & juſtum in Patre zelum excitavit; nam verbis gravibus & auctoritate plenis imperavit, ne ultra progredi, concionémq; turbare præſumeret. Hìc impatientior unus è comitatu Nobilis in Patrem inſurgere, minas intentare, inhumanum, & de trivio hominem compellare, aurigam denique progredi jubere. Sed hìc inhibitione Patris velut fulgetro externatus hærebat in veſtigio, equos urgere impotens: Nobilis verò tantò ardentiùs commoveri, & in Patrem inſanire. Tum verò ad illum converſus Pater, *& noſtine*, inquit, *me? ſcito me Sacerdotem eſſe DEI, quem hiſce manibus tractare & tenere ſoleo. Ità quidem eſt*, reſpondit Nobilis: *Quare decet te*, ſubjicit Pater, *ingenua procidere, & manus has oſculari.* Quibus velut ore Divino prolatis homo exterritus, quod jubebatur mox præſtitit: faſſus deinde, ſe velut fulmine perſtrictum nihil contrà dicere vel agere potuiſſe. Sed Pater illico pœnitentem ab humo in pedes erexit, dicens: *hæc ego pro reſpectu, qui mihi tanquam DEI Sacerdoti debetur, feci; nam in reliquis ſum homuncio miſerabilis, pauper, plenus imprudentiâ, & mille erroribus obnoxius: ideóque peto, ut mihi ignoſcas*; quo dicto dexteram Nobili porrexit, hic verò eandem humili oſculo libavit: magnâ totius multitudinis approbatione, & ædificatione. Idem illi accidit cum prædone, per viam publicam iter agenti, dum Patrem ſpoliare niteretur: ſimilibus enim ferè verbis illum aggreſſus, ſeverè monuit, an neſciret Sacerdotem ſe & DEI Miniſtrum eſſe, cui manum oſculari pro gratia computare deberet? ſimúlque manu illi porrectâ ità hominem immutavit, ut magnâ reverentiâ & tremore oſculum illi impreſſerit, & ſalubri documento Patris emendatus, pacificè diſceſſerit. Nonnunquam tamen contemptus longè graviſſimos heroicâ ſcivit concoquere patientiâ, nullo verbo, injuriam afferentibus, reddito. Contigit illum Palentiæ pro more in Eccleſiam majorem ad concionem venire aliquantò ſeriùs; quem conſpicatus unus è Clero ejus Templi præcipuus, & Patri ob quandam ſui reprehenſionem offenſus, ut eum à concione impediret, juſſit Sacrum productiùs ad finem uſque decantari, & mox deinde Nonam à Choro dici. Sed cùm nihilominus Auditor avidus in Templo perſiſteret, Pater ùt aliàs pulpitum conſcendit: ſed illum furentis inſtar alter conſecutus, brachio arreptum detrahit, & dicere ad populum magno clamore prohibet. Pater magnâ humilitate, demiſſo capite, nullum verbum opponens, trahentem ſequitur, magnâ omnium, qui zelum Patris in occaſionibus DEI gloriam concernentibus noverant, admiratione. Rogatus deinde, cur tam gravem DEI injuriam nullo ſaltem verbo vindicâſſet? reſpondit, id fieri nequijſſe, quòd nocte præviâ Dominus totum hunc eventum ſibi oſtendens, vetuerit quidpiam adverſario reſponderi, aut contradici.

Jam verò extaſes & revelationes frequentes admodum patiebatur, orationis præcipuè tempore à ſenſibus omnino abſtractus, & non rarò deprehenſus corpore ſupra humum in aëra elevato. Cantus etiam Cœlitum & Angelorum in ejus cubiculo ſæpius audiri cõtigit, quibus & ipſe vocem ſuam in laudes DEI ac DEIparæ adjungebat. Quo tempore Lovanij extremo morbo decubuit P. Antonius de Salazar, ſocius Patri in caſtrenſi miſſione, inviſit illum Pater Fernandez; cujus aſpectu mirè recreatus æger, poſtulavit ultimum amplexum, deprecando tenerrimè multas eidem factas moleſtias & oppoſitiones, contradicendo præſertim & improbando tot ejus aſperitates, & corporis afflictationes; petendo ut à DEO veniam ſibi horum & aliorum erratorum impetraret. Solutus à brachijs amplexantis Pater Fernandez, in eodem ad lectum veſtigio ſtetit in extaſim abreptus circiter ſeſqui horâ, ore alacri, planéq; renidenti; donec ſub finem cœpit totus amoroſis diffluere lacrymis, inter ardentiſſima ſuſpiria nullum diu verbum prolocutus. Tandem oculis, velut ſi tum evigilaret à ſomno, diductis, *ô bone JESU!* exclamavit: Patrémq; Salazar blandiſſimo riſu intuitus, & blandientis more perlevi alapâ genam ejus demulcens, *bono animo ſis*, adjecit, *mi Pater! in cœlo indubiè nos unà reviſemus.* Toleti exiſtens die quodam ad conſvetam menſam non comparuerat, ideóque à Fratre triclinij curatore inquiſitus, repertus eſt in ſuo cubiculo ſublimè à terra elevatus, oculis in crucis ſignum, quod ante ſe habebat, irretortè defixis. Cùm verò

rò inclamatus nil responderet, ratus Frater illum fortè mortuum, P. Joannem de Mariana advocavit: qui cubiculum ingressus, frustra similiter & strepitu, & voce illum ad sensus revocare laboravit, donec postliminiò sponte veluti evigilans ad se redijt. Ut autem cognoscatur, quæ causa esse DEO potuerit, cujus sermocinatio cum simplicibus & rectis corde potissimùm esse solet, favoribus tam extraordinarijs servum suum prosequendi, tum per seipsum, tum per Angelos & Sanctos; sciendum est in Patre Fernandez, resplenduisse admirabilem quendam candorem, & innocentissimam simplicitatem, qualis in puerulis reperitur, (licèt in rebus servitium DEI attinentibus prudentissimus esset, ùt doctissimi ejus in Scripturam Commentarij testantur) unde credebat nihil sibi inesse singulare, & alios omnes perinde familiariter ac ipse cum DEO agere, pariáque beneficia recipere. Eodem simplici candore agebat cum Cœlitibus se invisentibus, tanquam cum Domini ejusdem conservis, in eundem gloriæ ipsius augendæ finem toto conatu laborantibus, ac velut cum amicis confidentissimis, qui invicem auxilio & solatio adjuvarent, & secretorum mutuò participes facerent. Inde etiam nîl pensi habebat, favores ejusmodi & visitationes Cœlitum coram alijs, Superioribus maximè, recensêre: hinc cùm post aliquot Religionis annos demortuus illi Parens esset, & diebus singulis spatio unius anni Patri compareret, suffragiorum postulans subsidia, & ad ea naviter peragenda cohortans, quo citiùs Purgatorij flammis eriperetur; tandémque in fine anni gloriosum se exhibens pro opera præstita gratias egisset: Pater credens ejusmodi apparitiones omnibus contingere, cùm uni è domesticis Fratribus itidem Parens decessisset, ex eo quæsivit, num à Parente aliquando inviseretur, & pro auxilio rogaretur? Miratus iste insolentem quæstionem, negavit; & multò avidiùs, cur id Pater percontaretur, vicissim quæsivit? *Credebam*, respondit Pater, *ego demortuos Parentes suis filijs semper eâ causâ visendos se præbere, siquidem meus diebus singulis à morte, per integri anni decursum me revisebat.* Pari successu Matrem è purgatorio postmodum liberavit, 30. oblatis Sacrificijs: & Sororem suam vidit cœlo recipi à S. Barbara, cui fuit devotissima, cum obvio Virginum choro, concinentium hymnum in laudem virginitatis, quam ipsa sepulchro intulerat.

Magnâ familiaritate utebatur cum Angelo Tutelari, à quo in rebus & difficultatibus omnibus præsentissimum habebat subsidium, ad ejus opem quavis occasione, tanquam si visibiliter præsenti semper loqueretur, recurrens. Et quidem eò usque mutua processit confidentia, ut alternatim unà dicerent Horas Canonicas, & ad Laudes DEO dicendas semper ab Angelo Pater è somno excitaretur. Sed quia vice quadam nimiâ lassitudine defessus, minùs promptè ad vocem Angeli Pater surrexit, per aliquot dies præsentiam hîc suam substraxit, donec plurimis lacrymis, jejunijs, & varijs pœnitentijs placatus, pristinam consvetudinem repetijt. Sæpe etiam cœlesti cantu Beatorum Spirituum, & musicâ recreabatur: & quidem certo vespere Arch-Angelus Michaël à tribus Angelorum Choris concentum illi fieri voluit, de infinita Sponsi divini pulchritudine, & zelo quo animarum exambit amorem, ut nulli alij præterea ferat illum impendi, sed omni momento continuè oculis nostræ memoriæ desideret obversari. Iterum verò ante thronum confidentis Filij DEI, ab infinita Spirituum multitudine celebrari audivit Majestatem Divinæ ejus præsentiæ. Aliàs svavissimâ vocis modulatione incitari se audijt ab uno Angelorum, ad charitatem DEI & humilitatem: aliàs decantari ab ijsdem audiens verba illa Psalmi: *misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*: & ipse majore voce cum illis psallere cœpit. Decimâ verò die Februarij S. Mauritium vidit cum sua legione, svavissimâ harmoniâ celebrantem DEI gloriam, quæ ex eorum Martyrio resultabat. Pari familiaritate à varijs Sanctis erudiebatur in rebus ad profectum in spiritu majorem pertinentibus: sic S. Franciscus Xaverius cùm ei se visendum vice quadam præbuisset, vultu amœnitate & hilaritate pleno, & Pater ad ejus pedes exosculandos procidens rogâsset institui de modo appropinquandi DEO; Sanctus aperto libro aureis conscripto characteribus, ipsi potissimùm inculcabat sanctum DEI & filialem timorem. Vice aliâ visitatus est à magno DEI servo P. Martino Guttierez (quem alibi in Societate militante docuimus sublatum pro Fide à Gallis hæreticis) qui ore meram gratiam & dulcedinem spirante Patrem allocutus dixit: *obsecro te, nè unquam tibi subrepat DEI oblivio. Et putas*, respondit Pater, *posse dari casum, ut DEI aliquando vivam immemor? Id ego*, subjecit Guttierez, *eò dixi, quòd nimiæ distractiones variarum occupationum, soleant impedire continuam Divinæ præsentiæ memoriam.* Rursum in vigilia SS. Petri & Pauli cùm meditaretur concionem ipso festo faciendam, vidit

dit Christum Dominum S. Petro præsenti se commendantem his verbis: *Frater, duc istum ad prædicandum.* Sed & gloriosam necem P. Rudolphi Aquaviva, pro Fide in Salsettis cum 4. Socijs necati, eidem revelavit: cúmque Pater ex adstante Angelo requireret, cur passus esset DEUS Viros innocentes tam crudeliter necari? respondit Angelus: *quia voluit fieri Martyres Christi.* Quo tempore ædificabatur Societati Templum S. Antonij Vallisoleti, apparuit Patri S. IGNATIUS in summitate fabricæ, indicans, quantâ curâ & auxilio adesset illi perficiendo, & inter reliqua paucis innuens casum mirabilem, qui post quinque ab hinc dies citra periculum esset eventurus: *ego* inquiens, *impedio, nè ferrum cuspidatum quempiam terræ allidat.* Quinto enim post die ex summo theatro decidens instrumentum quoddam ferreum 14. librarum, incidit super tergum unius è Collegio Fratris, cujus nomen Martinus Gonzalez; cúmque togam, thoracem, & indusium acumine rostrato pertudisset, corpori tamē nullum aliud damnum intulit, præter levissimam in suprema cute, velut aciculæ cuspide factam rasuram. Et licèt idem ferrum cuspide thoraci implicitum esset, quin in terram decideret, Fratrem tamen solo nequaquam allisit aut prostravit, prout S. P. IGNATIUS promiserat. Idem S. P. magnopere sibi probari declaravit, institutam ab eo Sodalitatem Amoris DEI, de qua suprà diximus; circa quam aliquot præterea revelationes habuit: & aliquando vidit ejus Sodalium orationes, & bona opera, ex puro DEI amore juxta suas regulas facta, instar sagittarum pervolare ad cor Christi; & licèt interciperentur ab intermedijs nubibus peccatorum, tamen facilè penetrabant, adjutæ ab igne Divino, quo flagrabant.

Sed & de eventibus ad statum publicum rei Christianæ pertinentibus varias habuit revelationes, certissimo semper eventu firmatas: qualis fuit & illa de regnis Hispaniæ; contra quæ vidit Angliam in specie terribilis feræ magno rugitu & furore insurgere, cujus tamen rabiem DEUS aliò avertit. Placentiæ dum ageret, contigit unum Sacerdotem domi morbo, judicio omnium minimè periculoso, tentari: sed Pater Collegij Rectorem admonuit, ut eum confiteri, mortíque certissimo secuturæ præparari juberet; & revera paulò pòst secuta mors fidem vaticinio fecit. Oranti aliquando multis cum lacrymis pro quodam ex certa Religione defuncto, vox allapsa est: *scísne autem quem deplores?* ad quam Pater elevatis oculis, vidit Christum vultu irato è manibus suis duos ignitos veluti rivos emittere, séque alloquentem dicere: *nè pro hoc infelici oraveris, est enim æternùm damnatus.* Simúlque mox illi ostensus est miser inter inferni flammas ardens, super cujus verticem cadebat unus è rivis à manu Divina profluentibus; alter verò renes crudeliter adurebat. Causam verò ejus torturæ scire aventi, dictum est, fuisse dum viveret proprietarium, & libidinosum. Feliciùs diem obierat Medinæ Tyro Societatis Joannes Perez, quamvìs magnopere afflictis domesticis, quòd absque Eucharistiæ & Unctionis Sacramentis decessisset. Si quidem triduo post P. Fernandez, inter dictandum amanuensi pro typo suas in S. Scripturam lucubrationes, repentè ingenti gaudio è sede prosilijt, manibúsque & oculis in cœlum levatis exclamavit: *æternæ sint Numini gratiæ! hoc enim momento Frater noster Joannes è Purgatorio in cœlum vadit*: id quod omnibus domesticis magno fuit solatio. Similiter vidit manè quodam animam P. Petri Caraoz, Palentiæ vitâ functi, è Purgatorio magna cum gloria cœlum petere, cùm pridie vesperi occubuisset. Ubi etiam anno 1593. lapicida saxum ingens Templi fenestræ imponens, cùm ab eo deciduo obtritus, in vestigio enectus esset, magnus dolor Rectorem cum Patribus incessit: sed solatus est afflictos Pater, quòd animam ejus candidissimâ specie è corpore migrantem DEUS sibi monstrâsset, quia paulò antè die Dominicâ ritè confessus, S. Evcharistiam sumpserit. Jacebat Medinæ ex diuturno morbo jam revalescens P. Antonius Larez, ideóque frequenter à domesticis solatij causâ invisebatur: quod ubi P. Fernandez ponè ejus cubiculum habitans advertit, socium suum allocutus dixit: *ignorat Pater Antonius, DEUM paratam ejus meritis & laboribus habere coronam, ad quam propediem ipsum evocaturus est! dicito illi, ut breve quod superest hoc tempus, impendat negotio æternitatis, & tractatibus cum DEO, ac familiares ejusmodi congressus quantum potest deprecetur.* Sed excusavit hic se à nuncio ferali perferendo, quod idcirco Pater ipse infirmo retulit: & licèt nihilominus in singulas horas meliùs habere videretur, sexto tamen elapso die mortem pijssimè oppetijt. Parem mortis eventum, utinam non simul æternæ! sortitus est alibi histrio mimicus, cùm minas Patris Fernandez flocci pénderet. Habebat Pater in quadam Hispaniæ urbe, Episcopi rogatu, conciones, quibus multùm obstrepebant Comœdi, eodem tempore ex theatro ludicris populum spectaculis distrahentes, neque ullis Episcopi

ſcopi inhibitionibus, & Divinæ comminatione vindictæ, à Patre abſterreri patiebantur. Itaq die decollationis S. Joannis Baptiſtæ ludum repetentes, vice interludij, hominem induxêre eſculenta quædam ciſtellâ deferentem, quæ furunculi ſodales dextre illi ſubducebant; qui ſerò jacturâ animadversâ in furorem actus, cœpit Jovem & Venerem, alióſque deaſtros in opem & vindictam vocare, tandémque ſe & omnia dejerando, educto pugione mortem advocare, quæ ſi moraretur, vitam ſibi erepturum proteſtari; inter quæ per ludum jocosè dicta, ſeriò mortuus concidit. Socij rati fictè mortem ſimulari, cùm poſt ſcenam eum extraxiſſent, verè exangvem cadaver deprehendunt; & tam horrendo caſu ſalubriter conſternati, minas ſervi DEI majoris deinceps ducere didicerunt.

Demum ut divitias miſericordiæ ſuæ in P. Fernandez Divina bonitas oſtenderet, revelavit illi ſuam inter beatos prædeſtinationem. Quo tempore in profunda contemplatione abſorptus, cùm modicè reſediſſet, hujus ſupremi favoris gaudio, velut amens repentè exilijt, & toto corpore ſubſultare, & jubilo quodam nimio irrugire cœpit, ut conclave cum porta & feneſtris, magnâ tranſeuntium admiratione contremiſceret. Admonitus rei inſolitæ Rector ubi ad cubiculum venit, *quid hoc ſibi vult*, quærit, *mi Pater Joannes?* at ille velut gaudijs ebrius, & animi impos, *ô mi Pater*, exclamat, *ego ſum unus ex illis benedictis, qui æternùm fruentur viſione DEI!* indicando prædeſtinationem ſibi divinitus revelatam, cauſam dediſſe his ſaltibus & rugitibus. Itaq; certus jam æternæ ſalutis nihil penſi habebat corpus, ſed illud tantò aſperiùs tractabat, quantò fini propinquabat velociùs, anxijs deſiderijs cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, quòd nihil eſſe diceret in terris, cujus affectu retineri poſſet. Et verò ipſum etiam tempus mortis multò antè præſcivit; dimidio ſiquidem priùs anno, cùm alterum tomum Theſauri ſui Scripturiſtici elaboranti interveniſſet P. Hieronymus Lacariaga, diſertè prædixit, illum à ſe nequaquam ad calcem deducendum, quòd diſſolutio corporis ſui jam inſtaret. Paucis etiam ante obitum diebus concioni valefaciens, diſertè edixit, hunc poſtremum ſuum ad eam ſermonem eſſe: & licèt nihil ægritudinis notaretur, de tota nihilominus vita confeſſionem inſtituit, conſtanter aſſeverans, tranſitum ſuum propediem inſtare. Itaque die 2. Martij cœpit calore quodam continuo laborare, ſimúlque viſendum illi ſe præbens Chriſtus Dominus cum SS. Matre admonuit, poſt octiduum migrandum illi de vita eſſe, atq; tum illi denuo præſentes ſe adfore. Hac tam vicinâ felicitatis ſuæ horâ incredibiliter exhilaratus, totum illud tempus in concinendis Pſalmis, & ſpiritualibus Hymnis conſumpſit: & alloquijs frequentiſſimis ad DEUM identidem mirâ alacritate erumpens, repetebat, *venio Domine mi, venio!* Octavo die adfuit ex condicto Dominus JESUS cum SS. Matre, cùm Pater omnibus ad iter munitus jam eſſet Sacramentis; & ubi tertiam manè ſonuit horam, placidiſſimè velut in ſomnum reſolutus, felicem animam in eorum reddidit manus Palentiæ 9. Martij 1595. ætatis 58. Societatis initæ 40. Ut primùm autem mors ejus per Urbem innotuit, maxima hominum multitudo dolore & luctu quaſi attonita ad Collegij fores concurrit; & primarij quidam intrò admiſſi, veſtimenta Patris omnia diripuerunt, quantumlibet adeò attrita, ut nulli pauperum uſui ampliùs eſſe poſſent. Nullus autem finis fuit, expoſito ad Templi odæum corpore, accedentium ad exoſculandos defuncti pedes & manus, ejúſque contactu ſacrandas Corollas, Roſaria; neque potuit, niſi poſt longum temporis ſpatium, præparato ſepulchro inferri.

P. FRANCISCUS TOLETUS
S. R. E. CARDINALIS.



FRanciſcus Toletus, S.R.E. poſtea Cardinalis, natione Hiſpanus, patriâ Cordubenſis, editus in lucem eſt anno 1532. eadem in domo (utì ferunt) qua S. Zoilus Martyr. Philoſophiæ operam dedit Valentiæ, ibíque lauream in Artibus adeptus, Salmanticam ſe contulit, ubi Dominicum Sotum in Theologia habuit Magiſtrum; qui Toletum, propter ingenij excellentiam, *Prodigium* appellare conſveverat. Annos natus 23. publicè Philoſophiam ibidem interpretatus eſt, Theologiæ Doctoris jam tum inſignibus ornatus, tantâ opinione doctrinæ, ut ejus ævi nemo totâ Hiſpaniâ æquè doctus eſſe crederetur. Anno 1558. Sacerdotio jam initiatus, ſæculo nuncium remittens, Societati noſtræ



P. Franciſcus Toletus Soc: Ieſu, Hiſpanus. S.R.E. Cardinalis, Deiparæ Cultor ſtudioſiſsim9, Concio: nator Pontificius per annos 24. Legationibus Apoſtolicis & alijs laboribus de Eccleſia Catholica optimè meritus. Obijt Romæ 14 Sept: Aº 1596. Ætat: 64. 58.

Salmanticæ ſe adſcripſit, & mox in Novitiorum domum Simancam commigravit. Nondum elapſo ab admiſſione bimeſtri ſpatio, emiſſis pro ſua devotione tribus votis, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, totum ſe DEO in holocauſtum conſecravit: indéque Romam ab S. Franciſco Borgia miſſus inſequente anno, in Collegio Romano primùm quidem Philoſophiam, deinde Theologiam utramque magnâ Sapientiæ opinione explicavit. Demum à S. Pontifice Pio V. A. 1569. accerſitus eſt, ut in ſacro Palatio Concionatoris munus obiret: quod tanta cum laude præſtitit, ut per totos 24. annos, apud eundem Pium, Gregorium XIII. Sixtum V. reliquóſq; Succeſſores, maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, & Clariſſimorum Virorum concurſu verba fecerit, & Auditorum animos in admirationem adduxerit, non tam verborum elegantiâ, quàm ſententiarum gravitate, reconditæ doctrinæ excellentiâ, ordinis diſpoſitione, ingenij perſpicuitate & magnitudine. Inde captâ vaſti ejus animi, ingentíſq; animarum zeli experientiâ, cœpit adhiberi ad munia graviſſima, ſalutíque mortalium longè magìs proficua, quàm ſi orbem univerſum prædicando, fidémque annunciando peragrâſſet. Eodem enim ſimul tempore Pœnitentiariæ, Prætorij, & S. Inquiſitionis Conſiliarius fuit: ac poſtmodum in Poloniam, Imperium, & Belgium à Sede Apoſtolica miſſus propter cauſas Eccleſiaſticas publicas, omnes feliciter tranſegit. Et in Polonia quidem Joanne Chotkovicium, Generalem magni Ducatûs Lithvaniæ (ùt vocant) Archi-Mareſcalcum, Capitaneum Samogitiæ, unáque Livoniæ

voniæ Adminiſtratorem, à Calvino ad Eccleſiam traduxit, & publicam errorum palinodiam perſvaſit. In Belgio verò Michaëlem Bayum multorum errorum convictum, ad eoſdem palàm revocandos, magno totius Eccleſiæ emolumento, induxit. Erat is Lovanij Decanus, multàque in Scholis tradebat & diſputabat ſcandali plena, unde gravis ſanæ doctrinæ ruina timeri poterat: quare cum Gregorius XIII. Pontifex ejus ſcandali correctionem Toleto commendâſſet, ipſe extemplò Lovanium provolavit anno 1580. oblatáque Bayo diſputatione ità revicit, ut agnitis erroribus, Eccleſiæ judicio ſe objecerit: cujus deinde propoſitiones 72. Pontifex editâ Bullâ varijs cenſuris affecit, & perpetuò condemnatas in Scholis doceri prohibuit.

Expeditis ritè negotijs ad Urbem redux, legatus denuo ab eodem Gregorio eſt in Germaniam, componendis gravibus inter Pontificem & Imperatorem controverſijs: quibus ex voto compoſitis, juſſus eſt ex via convenire Ducem Bavariæ, eundémque verbis Pontificis in bene cœptis, tuendáque adversùm hæreſes fide Catholica, confirmare. Verùm non defuêre perverſi homines, qui Toletum apud Ducem in gravem adducerent invidiam, criminantes ab illo Erneſtum filium, Ducatûs hæredem, qui invito Parente Romam diſceſſerat, in protervia confirmatum, & ad paterna temnenda juſſa inductum fuiſſe. Id ubi Pontifici innotuit, graves ad Ducem pro Toleti innocentia dedit literas: hæ quoniam pleraſque Toleti laudes ex ipſo Vicarij Chriſti ſenſu continent, libet earum partem hic adnectere. *Eſt autem,* ſcribit Gregorius, *quod graviſſimè queramur de impia fraude eorum, qui apud te auſi ſunt detrahere Franciſco Toleto Jeſuitæ, falſiſſimáque de eo perſcribere. Maximè cupimus te iſtam pravam opinionem, quam de optimo viro ex eorum mendacijs concepiſti, deponere, nè particeps & reus fias eorum criminum, oporteátque te unà cum illis ante Tribunal Chriſti in extremo illo & horribili judicio, rationem reddere graviſſimæ infamiæ ſervo ſuo irrogatæ. Opponimus autem illorum levitati & mendacijs noſtrum teſtimonium: omníque cum veritate confirmamus, hunc hominem eſſe quidem illum omnium, qui nunc ſunt, ſinè ulla controverſia doctiſſimum: Nos autem multò majorem ei tribuere intendimus integritatis atq; innocentiæ opinionẽ, quàm doctrinæ. Utimur autẽ jam quadrienniô hoc Concionatore in noſtro Palatio, eúmque audimus ipſi diligentiſſimè. Utimur etiam ejus operâ in rebus graviſſimis ſacræ Pœnitentiariæ. Nec quidquam ferè gravius incidit, quod ad animarum ſalutem pertineat, in quo non hujus Viri conſilium adhibeatur.* Et tandem concludit: *Nos hujus hominis virtutem & vitam experti ſumus, perfectiſſimè cognoſcimus, & quod ſcimus, teſtamur. Iterum igitur hortamur Nobilitatem tuam, ut iſtam opinionem deponas, Nobiſque, quòd nihil falsò aut temerè affirmemus, credas, eſſe hunc Virum optimum, & verum ſervum DEI, Chriſtianóque Orbi utiliſſimum, &c.* Tam excelſa Toleti virtus in oculis Curiæ Romanæ poſita, demum illum ad ſummam Eccleſiæ dignitatem evexit: nam Clemens VIII. Pontifex Maximus ex ſententia totius Collegij Cardinalium, anno 1593. 17. Septembris, adactum præcepto obedientiæ (quòd ipſe ex voto ſuæ Religionis, de non acceptanda quapiam dignitate Eccleſiaſtica, negaret ſe in oblatum honorem conſentire poſſe) in idem purpuratorum Collegium cooptavit. Inventum ſubinde ſcriptum eſt, manu P. Raphaëlis Riara, magni DEI in Societate ſervi, annis 30. ante hunc eventum annotatum, quô dignitatem Cardinalitiam Toleto conferendam prædicebat, ſæpiúſque habitu Purpuratorum Patrum ſibi à DEO oſtenſum ſignificabat. Idem Toleto ipſi vatidicus multò antè prædixit Jacobus Ledeſma, Vir in Societate excellentis literaturæ & ſanctitatis, à DEO id ſibi revelatum profeſſus.

Eo in gradu ad ſummum gratiæ faſtigium apud Pontificem evectus, triennium tantùm ſupervixit, nihil illius ſplendore moribus vitæ prioris immutatis, ſæpius dicere ſolitus, malle ſe quocunque pauperrimi Collegij angulo verſari, quàm in ſplendiſſimo ſibi à Pontifice offerendo Palatio. Imò nondum elapſo à promotione anno integro, nimirum die 9. Septembris: anno 1594. faſtidio habens res omnes caducas, ipsámque quâ fulgebat purpuram, oblato libello ſupplice ſuâ manu conſcripto, infimis precibus à Clemente ſupplex petijt, ut ſibi liceret abdicatâ dignitate ad privatam Religionis redire vitam, ubi exiguo illo, quod ſupereſſet, vitæ ſpatio, commodiùs in ſolitudine vacaret ſibi & DEO. Sed Pontifex re maturè per triduum expensâ, ac DEO precibus multùm commendatâ, demum accerſito ad ſe Cardinali, DEI nomine imperavit, ut ampliùs de nuncio remittendo dignitati impoſitæ nullatenus cogitaret. Quocirca progredi compulſus in eo vitæ curriculo, perinde illam pauperem ac deliciarum expertem inſtituit, atque in Religione aſſveverat, pulmentis ferè ſolis & legumine ſe ſuſtentans, & Sabbathi diebus omnibus ſolo pane

& aquâ cibatum definiens. Ijsdem constanter diebus è Vaticano ad Ædem S. MARIÆ Majoris in Exquilijs longo itinere pedes itabat, quæcunque tempestas incidisset; ibíque sacrum faciebat, ut aliquo cultu cœli Reginam (cujus semper fuit studiosissimus) prosequeretur. Quot annis 40. dies, qui Assumptæ Virginis memoriam præcurrunt, continuatis magno rigore jejunijs, ídque jam vel in ultima ætate transegit. Poterat ille quidem affatim divitijs affluere, certatim eas ingerentibus Christianis Principibus, & pensiones illi annuas assignantibus: sed Vir modestiæ & æquitatis amantissimus nunquam induci passus est, ut eas acceptaret, quò videlicèt majore libertate juri, cuique suum tribuendi, intendere posset. Et tamen ità paupertatis tenax, liberalitate Pontificiâ factus est opulentissimus; à quo delatas opes conservabat uni DEIparæ amplificando honori, ejúsque Liberiano Templo festis Virginis majoribus offerebat calicem, vel aliud id genus pretiosum donum; eandémque moriens facultatum suarum omnium (solâ Bibliothecâ Romano Societatis Collegio relictâ) scripsit hæredem, institutis apud eandem Ecclesiam Sacerdotijs, & annuo censu firmatis, ut ejus honori quotidie ibidem DEO sacrificarent. Dederat quidem Pontifex plenam morienti de beneficijs etiam & proventibus Ecclesiasticis, queis Virum copiosè dotârat, disponendi, & quibus maximè vellet legandi potestatem: eam tamen modestè rejecit, atque universæ Pontificiæ dispositioni resignavit.

Interim verò à Pontifice gravissimorum negotiorum curis semper occupatus fuit, ad Ecclesiæ Universalis gubernationem veluti Adjutor à Clemente adhibitus, vix ut occurreret quidquam negotij aut controversiæ, cui expediendæ Toletus in consilium non vocaretur. Præter Inquisitionis, Pœnitentiariæ, ceteráque Curiæ Apostolicæ Tribunalia, adhibitus est Consilijs de Germania, Hungaria, bellóque Turcis inferendo; de Gallia item ad deliberandum vocatus, cùm de Henrici IV. Borbonij, Galliæ Regis, ab hæresi & excommunicationis absolutione, ínque Ecclesiam receptu ageretur, eáque res maximis difficultatibus intricata, studio partium summopere disputaretur, eâ integritate sententiam in favorem Henrici dixit, ut Religioni tamen Catholicæ & Sedi Apostolicæ magìs, quàm Regi Galliæ favere cognosceretur; eâ libertate, ut Hispano nomini nuncium remisisse videretur. Idem negotium pacis inter Catholicum & Christianissimum Regem sanciendæ felicissimè promovit, à qua totius Christiani orbis quies pendere videbatur. Quibus de Gallia meritis obtinuit, ut publicè demortuo parentandum Henricus Rex duxerit in Æde principe Parisijs, magnificentiâ planè basilicâ. In tam excelso mortalium rerum gradu constitutus, tertio gestatæ purpuræ anno in morbū incidit, cui causam præbuisse credebatur tam longâ pedestri ad S. MARIAM Majorem illis diebus Augusti mensis, peregrinatione. Triduo ante mortem invisit ægrientem Pontifex, & inter Paternum amplexum visus est illacrymari: at enim Toletus mortis imminentis accepto nuncio, continuò se ad vitam meliorem comparabat, maturè Sacramentis omnibus accersitis, tempus omne cum DEO unicè, ejusque SS. Matre suavissimis colloquijs consumens: illam potissimùm ab ea gratiam deposcens, ut si quod acceptum illi obsequium in vita exhibuisset, vellet illud efficaci suâ apud DEUM intercessione compensare, mortémque ex hac ægritudine (timebat enim ne in vitam longiorem revalesceret) impetrare. Quare insinuanti Viro Religioso precationem ad DEUM S. Martini Episcopi: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem:* respondit, illam pro se nequaquam congruere: at verò alteri votum Apostoli Gentium suggerenti: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, magnâ propensione assensit, idémque multoties repetijt, dum spiritum Creatori suo redderet 14. Sept: 1596. ætatis 64. Conditus est ex ultima sua voluntate in eadem S. MARIÆ Majoris Æde magnifico sepulchro, cui Epitaphium honorificum Pontifex ipse posuit, præcipuísque ejus Basilicæ benefactoribus accensuit.

Quæ autem fuerit summorum Virorum de ipso existimatio, colligi potest ex Sixti V. Pontificis Maximi ad eum necdum Cardinalem datis literis: *Spectata tua*, inquit, *in nos, & Apostolicam Sedem merita, ab eminenti doctrina profecta, quâ in verbo DEI Romanis Pontificibus, in spiritu & veritate, summa cum eloquentia prædicando, incredibili omnium Theologorum admiratione, & Prædecessorum nostrorum, ac nostrâ, totiusque S.R.E. Cardinalium Collegij approbatione præcellis, &c.* Gregorius verò XIII. proprio rescripto sic eum alloquitur: *Tanta est doctrina, prudentia, fides & diligentia tua, quæ gravissimis in muneribus longo, & intimo usu nobis cognitæ sunt, ac perspectæ, ut tua scripta, sicut cæterorum, aliorum judicio & examini subjici æquum non sit. Itaque Commentaria illa tua in S. Joannem, sine alterius cujusquam approbatione aut licentia,*

tia, quandocunque tibi videbitur, in lucem edendi, plenam ac liberam tibi damus facultatem. Cardinalis de Lojoſa dicere ſolebat: *Bene ſperandum eſſe de rebus Eccleſiæ, ſi conferantur primariæ dignitates hominibus pari cum Toleto ſanctimoniâ & doctrinâ præditis.* Martinus Navarrus eum vocat, *excellentem ſacræ paginæ Doctorem, acerrimum propugnatorem Veritatis, Eccleſiaſten in Urbe, & Orbe toto ſuſpiciendum, & Societatis JESU ſingulare ornamentum.*

Ex Hiſtoria Societatis, & Tomo 3, Nierembergij & Bibliotheca Alegambe.



P. Georgi⁹ Valier, et P. Franciſc⁹ Roſillo, S. I. Hiſpani Miſsionarij Claſsis Catholicæ contra Angliam; naufragio confractâ navi, licèt evadere cum primis poſſent, nè inexpiatos miſeros desererent, fluctib⁹ hausti Anno 1596. 29 Octobris. Ætatis 38. 59. J. C. Hafner. ſc:

P. GEORGIUS VALIER, ET P. FRANCISCUS ROSILLO.

Quàm verè pronunciaverit Sapiens Cant: 8. *Aquæ multæ non potuerunt extingvere charitatem, nec flumina obruent illam,* videre eſt in heroica P. Georgij & P. Franciſci morte, quâ inter fluctus Oceani mergi elegerunt, nè charitatem in proximum amitterent. P. Georgius Valier in Hiſpania nobili ſangvine progenitus, Miniſtrum agebat Collegij Oropeſæ, cùm ad arduam Miſſionem Caſtrenſem evocatus eſt, unà cùm P. Franciſco Roſillo ejuſdem nationis, annum ætatis 38. necdum egreſſo. Philippus enim II. Rex Catho-

tholicus collecto insigni exercitu, quem sub auspicijs præclari Ducis Martini de Padilla, ad Angliam debellandam Anno 1596. expediebat, postulavit è Societate Viros complures in præsidium spirituale militum addi: quibus in singulas numerosæ classis naves divisis, duobus his Patribus obtigit una ex vastioribus, quâ peditum cohortes quatuor, ductore Gregorio de Chinchilla vehebantur. Priùs quàm Ulyssipone conscenderent, hortatus est omnes efficaci dictione Franciscus, ut expiatâ conscientiâ mulierculas omnes,& vitiorum invitamenta abjicerent, & sincerâ pœnitentiâ favorem DEI ad iter periculosum, neque minùs ancipitem belli aleam, promereri studerent. Persvasítque feliciter, DEO nimirum animos singulorum, non ad victoriam de hostibus terrenis referendam, sed palmam cœlestis gloriæ obtinendam, disponente. Ad diem namque 18. Octobr: cùm è portu Ulyssiponensi classis solvisset, 28. ejusdem mensis repentinâ & horribili tempestate noctu obruta, penitúsque dispersa est. Et navis quidem, cui duo hi Sacerdotes præerant, vehementiâ venti in syrtes impacta, revelli nullatenus potuit; incredibili omnium consternatione & ejulatu, quem 800. vectores horrore præsentis exitij edebant. Quia verò non procul aberant à continente, quidam præpropero evadendi in terram desiderio in undas desilientes, momento vorticibus absorpti sunt: alij cautiores arreptis tabulis tentato trajectu, enatârunt quidem,sed miserandum in modum multiplici ad cautes allisu & rejectu concussi. Demum violentiâ typhonis revulsus à fundo navigij malus ità in mare decidit, ut extremâ cuspide terram attingeret: per quam idcirco antequam fluctibus abriperetur, veluti pontem plerique Tribunorum, & militum præcipui in terram evasêre; hortati summoperè & obtestati utrumque Patrem, ut eâdem viâ saluti suæ consulerent.

Remanebant adhuc in navi plus quàm 300. personæ varijs malis afflictæ, debiles, & omni spe evadendi destitutæ; quarum intimâ commiseratione tacti Patres, & DEI Proximíque amore inflammati, decreverunt miseros in ultima necessitate nequaquam deserere, licèt pro ijs vita amittenda foret. Ergo Crucifixi signo uterque in manu accepto discursare per labefactatam navim,animos omnibus & spem melioris vitæ facere, excitare ad sincerum de peccatis dolorem, & misericordiam DEI implorandam; ac denique singulos multis cum lacrymis, quòd mortem in momenta expectarent, confitentes expiare. Ecce autem manifestum DEI, charitatem Patrum approbantis, prodigium! Erat nox obscurissima, & Cimmerijs tenebris horrida, ut nemo ferè alterum ponè se discerneret: & tamen quotquot in navi remanserant, clarè & manifestè vultus Patrum, & Crucis signum in manibus eorundem videbant, perindè ac si meridiana in luce versarentur. Ità persanctè jurejurando testati sunt aliquot eorum, qui è tristissimo naufragio demum evasêre. Omnibus ad Christianam mortem ità præparatis, recepêre se cum aliquot Nobilibus Patres in puppim, comparaturi & ipsi se ad felicem obitum: ubi unius ferè horæ spatio in oratione prostratos, irrumpens subitò ab imo vortice erutus maris fluctus penitus obruit, secúmque in undas abripuit, implorantes magnis vocibus, donec mersi subsiderent, sacra JESU & MARIÆ nomina. Hic exitus fuit Servorum Christi die 29.Octobr: anni 1596. Corpora ipsorum in littus ejecta, honorificè in vicino quodam Templo, jussu Chiliarchæ de Chinchilla humata sunt, & prodigiosa Crucifixi sigilla magnâ veneratione ab eodem collecta: quorum unum postea Collegio Compostellano in pretiosum munus obvenit, hodiéque magnâ religione asservatur: alterum verò LudovicusCarrillo de Pinto Gubernator Galiciæ magnis precibus impetravit.

Ex Nierembergij Tomo 4. de Viris Illustribus Societatis.

P. JOANNES FRIAS.



PAter Joannes Frias, natione Hispanus ex Episcopatu Avilano, ingenti illo spiritu,quo de suggestu animos omnium permovebat; quinque Domicilia Societati in totidem Urbibus Bæticæ obtinuit,Baëzæ, Ubedæ, Malagæ, Xérez, & Ezyæ,præter institutas Missiones sanè utilissimas. Et verò tantâ dicendi efficaciâ implevit Virum DEUS, ut ubicunque prædicaret, omnia misceret & inflammaret: quo intrante, migrabant locô vitia, pectoribus frenum ponebatur, & corda omnium timore DEI salubriter perculsa,amore Divino & virtutum incendebantur. Singulari namque pollebat gratiâ, genio cujusque & indoli dictionem & agendi normam accommodandi; erátque cum milite miles,cum nobili



P. Joannes Frias S.J. Hiſpan, Eccleſiaſtes ardentiſſim, à Dæmonib, eâ cauſâ dirè vexatus, sed Angelis acceptiſſim; eorum ope à gravi cum jumento lapſu erept. Deceſſit Cordubæ 20 Januarij A.° 1597.
60.

nobili, nobilis animi ſchema; cum agreſti agreſtem formam præferebat. Concionum ſcopus unicus erat, avertere mortales à peccatis, & virtutem perſvadere; ideóque majorem partem erant de Noviſſimis, tanto fervore & ſpiritûs concitatione, ut horror omnibus incuteretur, quem ſequebatur comploratio publica totius Auditorij, & morum incredibilis ubique commutatio: nec pauci fuêre annis ſingulis, qui rebus humanis penitus abdicatis, totos ſe DEI obſequio dedicabant. Lerenæ conciones aliquando auſpicatus, quòd in multis reſidebat falſa opinio, damnatos olim ea in Urbe pro Illuminatis, homines de Societate fuiſſe, qui pro Illuminatis habebantur. Sub initia magnis inſectationibus, odijs, & puerorum etiam ludibrijs exagitabatur: ſed brevì reliquias erroris omnis eximia Concionatoris facundia & virtus abſterſit, tantò Societatis nobiliore excitatâ famâ, quantò perfectæ laudis imago ipſe erat illuſtrior. Id verò quod acerrimè concionibus inſectabatur, erat ornatus & illecebræ diſſolutarum fœminarum, quibus animæ virorum in ſcelera pelliciuntur: & licèt eâ causâ graviſſimis inſectationibus exerceretur, firmabatur nihilominus à DEO tanto robore & conſtantiâ, ut frontem chalybe duriorem, & lingvam gladio acutiorem, vocémque ferream nactus videri poſſet, ad ſcindendas adamantinorum cordium petras, & concutienda pectora peccatorum. Nec otioſus damna ſua ſpectabat dœmon, ſed verberibus crudeliter DEI ſervum excipiens, varijs ſub oratione larvis & terrificis ſpectris infeſtabat, & modò urſi, modò leonis, aliarúmque beſtiarum for-

mis invadens, necem intentabat, quam Patri se illaturum, mulieri ope ipsius ad frugem reductæ, minaciter professus est. Nec minùs incitabat in ejus odium perditas mulierculas, & viros, ipso agente, proscriptos; quorum linguâ acerbissimè proscissus, gravissimorum criminum reus agebatur, ut quibusdam in locis præ nimio rubore vix oculos levare posset: aliàs verò magicis carminibus in navigantem insolens excitata maris tempestas, ventorum impetu navim jamjam eversura videbatur; nisi implorata DEI clementia, æquore momentò sedato, illũ discrimini mirabiliter eripuisset.

In tot nihilominus adversis & persecutionibus invictâ durabat patientiâ, ínque DEUM fiduciâ: neque de conatibus Apostolicis vel minimùm remittebat, licèt in faciem atrocissimis calumnijs vapularet, quas silentio veluti non audiens præteribat. Gubernanti quoddam Collegium devenerat in manus epistola aperta, à nonnemine contra se acerbis calumnijs conscripta; quam, utì erat, intactam, sigillóque officij sui munitam ad Provincialem transmisit, addens, non posse gravius calumniatori malum irrogari, quàm si ipse juberetur gubernatione facessere, ídque sibi maximi beneficij loco eventurum, si ejectus in ultimas oras ablegaretur. Insudabat namque hominibus, DEO propter ipsummet lucrandis, nullo personarum, aut eorum quæ ab ipsis metuere speraréve posset, respectu: unde effici nullâ unquam arte vel precibus potuit, ut munus aliquod vel donum, quantumvis levissimum admitteret: & post ejusdem obitum præter chartas concionibus conscriptas, cilicium & flagellum usu continuo attrita, nihil in ejus cubiculo repertum est. Devotissimus fuit SS. Angelis, & animabus intra piaculares flammas juvandis; cujus pietatis magnum sæpius emolumentum expertus est. Iter aliquando viâ impeditissimâ & uliginosâ agenti supervenit ingens tempestas, perpetuo imbre, tonitruis & fulminibus gravis, quibus consternatum jumentum dejecto in profundum luti Patre, & ipsum cœno immersum hæsit. Tum verò Pater impos auxilij ad Tutelares spiritus conversus, magno affectu exclamavit: *Angeli sancti adjuvate me!* momentóque humanâ specie juvenem sibi adstare vidit, qui nullum verbum prolocutus, extractum facillimè cœno jumentum illi stitit, Patrémque similiter luto ereptum illi repentè imposuit, & viæ Ducem se exhibens, semitâ planissimâ anteivit, donec in apertum extra salebrosum iter eduxisset: amœnissimo vultu identidem respectans, & oculorum blanditie cor Patris miro quodam solatio & gaudio feriens, licèt interea neuter quidquam proloqueretur. Cùm verò viâ regiâ jam constitutus Pater lingvam in voces solvere, & ductori gratias referre pararet, neminem repentè adesse advertit, oculósque latè per campos undiq; patentes circumferens, cùm nullum hominis vestigium notaret, DEI nimirum circa se per S. Angelum curam singularem arguit; unde majoribus assumptis animis, & insuperabili quadam securitate malorúmque contemptu, animabus ad eum adducendis vires omnes impendere per omnem vitam perrexit; non aliunde mortis causâ, quàm ex earum procuratione conscitâ. Dum enim aliquando è suggestu, incenso supra modũ fervore, in vitia inveheretur; subitò ruptâ pectoris venâ, cœpit pleno ore, sangvinis obrui profluvio, tantáq; mali vis extitit, ut continuò salutem ejus Medici conclamarent. Sed nullus ei gratior venire, quàm mortis ex Apostolico munere conscitæ nuncius potuit, quam multorum annorum quotidianâ meditatione præcogitabat. Vir magnæ orationis, & in ea plures per diem horas, & noctibus præcipuè, flexo ante SS. Eucharistiam in Templo poplite, expendere solitus. Quare Sacramentis omnibus munitus, plenus fiduciâ animam egit Cordubæ 20. Junij Anno 1597. Demortuum summopere universa luxit Bœtica, funúsque prosecuti PP. Dominicani & Franciscani, etiam Officium pro demortuo in Templo nostro seorsim quique publicè decantârunt. Multi etiam eorum, qui viventem acerbè insectati fuerant, certatim encomijs Virum sanctum & innocentissimum prædicabant: quotquot autem in odio Patris obstinati mortuo detrahere perseverabant; infelici omnes fato, citra serium aliquod veræ pœnitentiæ indicium, decessisse notati sunt.

Ex Historia Societatis & Nierembergij Tomo 1.

P. MICHAEL OCHIOA.



Ichaël Ochioa natione Navarrus, ætate & probitate florens, & singulari gratiâ curandarum ægritudinum etiamnum in seculo à DEO donatus; cùm Anno 1548. Romam venisset, à S. IGNATIO in Societatem receptus est. Jussus Valetudinarij præfectum agere, cùm Joannes Polancus æstuaret calentissimis febribus, fortuitò inter sermocinandum injecit Micha-



P. Michaël Ochioa, S.I. Navarrus, gratiâ singulari curationum omnis generis morborum, à DEO ornatus, innumeros mortales è cœno vitiorum extraxit. Extinct, Syracusis. 1. Oa: 1575.

61.

J. Kilian sc.

Michaël, se Barcinone alibíque morbos interdum aliquos certis adhibitis precationibus depulisse. Rogatus à P. Polanco ut periculum in se ipso faceret, cùm id fieri & S. IGNATIUS jussisset, Michaël sacris quibusdam verbis in chartula exaratis, postquam eadem cum trina precatione Dominica & Angelica salutatione ante SS. Sacramentum recitavit, schedulam ipsam ex ægrotantis cervice, quo tempore accessus febris erat ardentissimus, suspendit: quâ admotâ, sensit æger è vestigio veluti quandam à capite ad calcem totius corporis refrigerationem, cum totali mox febrilis æstûs depulsione. Sed nè superstitionis ulla prorsus deinceps relinqueretur suspicio, ut conceptis imposterum verbis, usitatísque suis schedulis abstineret, verùm benedictione potiùs aliquâ, imponendísve super ægros manibus uteretur, S. IGNATIUS Michaëlem admonuit. Atque hæc tam insignis gratia cœlitus illi concessa, medium erat efficacissimum innumeros homines DEO lucrandi. Nam paulò pòst Neapolim, ac deinceps Tibur ad operandum, licèt necdum Sacerdos, dimissus, dici vix potest, quantum Urbe totâ motum animorum concionibus suis, & catechismi explanatione excitaverit; dum passim quavis ægritudine oppressos solâ manûs impositione sanantem viderunt. Quia verò plurimi, ut ei se aperirent, confitendis à longo intervallo peccatis magnopere flagitabant, consecrandus quàm primùm Sacerdos fuit: ex quo tempore continuò magnam vim hominum, qui pœnitentiam diu neglexerant, vel perperam egerant, non in ipsa modò Urbe, verùm etiam locis finitimis audivit. Nam cùm ad

 eum

cum multi indesinenter per occasionem curandorum corporum undique ventitarent; ijdem, positis extemplò peccatis, salutem plerumque totius hominis reportabant. Atque hæc utraque animas & corpora curandi vis constanter illi adhæsit, ubicunque locorum per Italiam missiones obiret: donec in Hispaniam transiens, & Ognatæ Collegio Rector datus, abigendis divinitus morbis, sanctitatis opinione collectâ, lætissimos & ibi fructus collegit. Concurrebatur ad eum ex longinquis oppidis unâ spe recipiendæ salutis, quib⁹ haud ità magni negotij erat persvadere, ut animarum priùs saluti consulerent, cùm acciperent corporis. Et quidem hic propter præstantem populi fidem, eo se auctum munere donóque sensit; ut non afflicta modò febribus corpora, quod præcipuè in Italia præstabat, verùm etiam alijs impedita vitijs & langvoribus, manu duntaxat impositâ, curaret. Constat claudos debilésque non paucos, & ipsis luminibus captos, ab eo integros videntésque dimissos, & mutæ fœminæ collatam loquendi facultatem. Inter quæ nunquam ipse desijt tradendis vulgo sacræ doctrinæ præceptis, confessionibus audiendis, sanandísque de more mentibus occupari.

Rectoris munere defunctus, totum se denuo sacris obeundis Missionibus applicuit; dúmque in Cantabria vicos & oppida ritu Apostolico peragraret, plurimis animi salutem, nec paucis corporis, qui totum annum ægri jacuerant, porrectâ ad bene precandum solâ dextrâ, momentô restituit. Tantúmque in his partibus secundùm DEUM illius meritis tribuebant, ut è remotis admodum locis ad eum ægri aliíque magno numero concurrerent, & universi apud eum conscientias suas unicè emaculare desiderarent. Denique tota illius vita continuum quoddam exercitium fuit charitatis, & operum misericordiæ spiritualium & corporalium; donec in Siciliam ad similia Apostolici Operarij munera exercenda transmissus, dum itineribus perpetuis pagos & oppida circuit, atque ex frugifera quadam excursione Syracusas repetit; morbo ex gravi lapsu contracto, plenus meritorum ibidem decessit 1. Octob: Anno 1575. Ampliùs anno in postrema hac excursione posuerat, montana & asperrima, maximéque auxilij egena obiens loca: concionabatur frequenter, pueros ac rudes collectos tintinnabulo diebus singulis ad Christianam sapientiam informabat: expiabat inveteratas in sceleribus conscientias, excindebat satanicas superstitiones, quarum adeò immanem silvam reperit; ut diceret, nullâ Indiarum plagâ æquè necessariam validorum Sacerdotum securim. Nec minùs depellebat morbos ab ægris corporibus, etiam fœdum cancrum sanando, qui misero homini jam inferius labrum mentúmque depascebatur. Genus autem vitæ illius erat ejusmodi, ut nihil indigeret ad auctoritatem sanctitatis colligendam ope miraculorum; summa enim in actionibus omnibus refulgebat comitas, indefessus labor, svavissima charitas. Ubicunque publica Hospitalis domus adesset, nunquam alio diversorio utebatur; si ea non daretur, casâ contentus vilissimâ, quam oppidani commodâssent, vitam tenuem & asperam emendicatâ stipe sustentabat. His multorum annorum auctus laboribus & meritis, consentaneo vitæ religiosè exitu, ægram & collacrymantem civitatem Syracusanam reliquit.

Ex Historia Societatis & Nierembergij Tomo 1.

P. MILLAN-GARCIA.



Ditus est in lucem Pater Garcia in Hispania, Parentibus honoratis anno 1540. ab infantia pietati & virtuti addictus, in quibus multùm promovit monitis & doctrinâ sui in Grammaticis Magistri Joannis de Avila, qui discipulis impensè inculcare solebat vitam inculpatam, & frequentiam in usurpandis SS. Sacramentis. Duodecimo ætatis anno primâ vice nominari audivit aliquam Religionem Societatis JESU, cujus solâ appellatione magnopere exhilaratus & incensus, ità nomen illud cordi impressum retinuit; ut licèt necdum hujus Religionis ullum cognosceret, præcipuo tamen in eos affectu ferretur, libentérque audiret cum laude de ijs loquentes; & magno zelo tueretur adversùs detrahentes. Altiores disciplinas Philosophiam & Theologiam combibit in Universitate Complutensi, ibidémque Artium Magisterio donatus, singulare eruditionis nomen consecutus est. Potentissimis interim impulsibus à DEO sollicitabatur ad statum Religiosum; toto, quàm eum amplexus est, quadriennio, unicè illud precatus; ut, quis potissimùm deligendus esset, indicare dignaretur: in quem finem, cùm ipse nullatenus ad unum præ



P.Millan Garcia, S.I. Hiſpanus, indefeſſo Animarum zelo, et converſionibus Peccatorum clarg. Obijt Compluti 30. Novemb: A° 1597. Ætat: 57.
62. J. Kilian sc.

præ alio inflectere animum ſciret, multas eleemoſynas, jejunia, diſciplinas, communiones obtulit, confugítque ad DEIparæ patrociniũ, cujus honori quolibet Sabbatho in pane & aqua jejunare conſveverat. Medius illi annus in continuis hiſce exercitijs fluxerat, cùm aliquando ardentiùs DEUM de genibus precanti animus inclinari ad Societatem cœpit, cum ſingulari intimæ cujuſdam quietis perceptione, cordis tranquillatione, & ſpiritûs fortitudine; quibus omnino perſvadebatur eſſe vocem DEI, præſertim ubi ſomnio cœleſti idem ſibi expertus eſt confirmari in hunc modum. Videbatur ſibi in egreſſu ex ſuo hoſpitio invadi à ferociſſimo & immani moloſſo; cujus dentibus evaſurus, præcipiti fugâ primò Collegium Academiæ primarium petebat: ſed ejus foribus obſeratis excluſus, apud diverſa Religioſorum Cœnobia refugium quærebat, omnium ſimiliter occluſis januis deprehenſis. Igitur beſtiam pertinaci ferociâ ubique ſe inſequentem declinaturus, ad Collegium Societatis receptum quærit, reperítque portam Eccleſiæ patentem; in quam ſimul atque irrupit, moloſſus ſimul ab oculis evanuit. Hoc eventu vehementer incitatus, receptum in Societatem ambitioſiſſimè expetijt, impetravítque, die etiam ingreſſui deſignato. Is priuſquàm adveniret, conſilio ſuo amicorum cuipiam communicato, ab eodem perſvaſus eſt, oportere illum priùs viduæ Matri vale dicere. Ecce autem dum diſceſſum ad eam parat, videt per ſomnum Chriſtum lanceâ, quam manu tenebat, ſibi interitum minantem, ſi ingreſſum in Societatem ultrà differret; quo viſo exterritus, abſque mora Collegium

gium adijt, receptúſque eſt 7. Maij, Anno 1563.

Poſt tyrocinium ſummo cum fervore & ſpiritûs profectu exactum, Philoſophiæ curſum docuit: atque ſubinde ſuſcepto Sacerdotio concionibus applicatus, deprehenſus eſt rarum planéque Apoſtolicum ei muneri talentum habere. Igitur conſtanter deinceps in ejus exercitio relictus, multas variáſque miſſiones ingenti animorum fructu obijt, utpote cui auctoritatem faciebat eminens virtus, & vitæ inculpatæ exempla, cœleſtibus etiam teſtimonijs firmata. Sanè non unâ vice conſpectus eſt inter dicendum ſplendoribus totâ facie coruſcare, & lucidiſſimos ab ore radios emittere: cúmque die Pentecoſtes aliquando verba faceret, plures ex Auditoribus viderunt ejuſdem vertici candidiſſimam iminere columbam: cùm priùs die Reſurrectionis Dominicæ concionantis os ſolis inſtar eluxiſſet. Accidit aliquando, ut miſſiones Apoſtolicas obeunti, ſocius labore itineris & incommodis fractus, in quadam civitate Societati minimè addicta concideret: cui refocillando eleemoſynam conquiſiturus Pater poſtquam Urbem totam obiviſſet, præter unum ovum nihil niſi opprobria & contumelias retulit. Itaque unà cum illo Templum petens, ardenti oratione DEUM precatus eſt, vellet ut afflicto ſocio remedium afferre, & in ſuprema hac neceſſitate paternè providere. Ecce autem eâdem horâ Vir inter cives primarius & prædives Templum ingreſſus, & ſi quis alius à Religione Societatis, quòd de ea plurima ſiniſtra audiviſſet, averſus, ubi duos hos ſocios conſpexit, repentè in domum ſuam utrumque invitavit, lautéque excepit. Pater verò, ut civibus bonum pro malo redderet, conſcenſo pulpito inſtitit quotidie ad populum ingenti concurſu affluentem dicere, tanto audientium motu & profectu; ut univerſi confeſſionis gratiâ pedibus ejus advolverentur, & animas ſuas in ejus veluti manibus deponerent. Fuit enim tam excellentis & conſummatæ in officio expeditionum Apoſtolicarum perfectionis, ut quidvis Auditoribus, quantumlibet induratis perſvaderet: meritóque poſſit Miſſionarijs omnibus in exemplar proponi.

Et quia ante omnia neceſſe eſt Chriſti miniſtrum, ſi fructum Evangelicum ex animabus colligere citra ſuum detrimentum velit, cum DEO tanquam inſtrumentum cum artificis manu conjungi: fuit P. Garcia orationi, pœnitentijs & mortificationi dedititiſſimus: neque ità abſorberi ſe actione cum ſæcularibus patiebatur, quin identidem ad ſpiritualem ſeceſſum in Collegia ſe retraheret, collecturus tam alimoniam fovendo in ſe ſpiritui neceſſariam, quàm materiam parandis concionibus opportunam. Revolvebat eodem tempore Authores de caſibus conſcientiæ tractantes, ijs præſertim, quos experiebatur frequentiùs in Sacramento Pœnitentiæ occurrere. Accedebat Septembri quolibet Superiorem, conſcientiæ & rerum omnium in Miſſionibus geſtarum rationem redditurus, ſéq; ei ad quodlibet munus cum intima indifferentia oblaturus: ab hoc novis imperijs & benedictione auctoratus, Miſſioni ſe cum ſocio reſtituebat, nullâ aliâ ſupellectili præter Breviarium, & pauculas concionum chartas, inſtructus. Viam autem omnem pedibus emetiebatur, niſi hujus prolixitas aut nimia laſſitudo prohiberet: cui in ſubſidium nunquam conducebat mulos, aut currus admittebat cultiores; ſed ſi quis agreſtis occurreret ad eundem locum tendens, in illum admitti cum ſocio, amore DEI, vice eleemoſynæ poſtulabat; meliore longè pretio illam compenſans, ſiquidem rarò aliquis itineris ejus comes fuit, quin ad peccatorum deteſtationem & confeſſionem apud ſe faciendam inductus, alius penitus domum rediret. Quanquam non facilè alias ſocios itineris ex ſæcularibus admittebat, ſolitus illud in comitatu Angelorum & Sanctorum unicè peragere, vacando orationi mentali & vocali, vel de rebus cœleſtibus cum ſocio colloquendo. Poſtquam ad deſignatum Miſſioni cuipiam locum perveniebat, primò omnium divertens in Eccleſiam, felicem laboribus ſuis ſucceſſum precabatur, ad quos incredibili fervore animam, corpus, vitam, & vires omnes offerebat: orabátque ne peccatis ſuis permitteret impediri fructum animarum, ſed tantò majus verbis ſuis pondus inderet ad dura peccatorum corda pervellenda. Idem precabatur ab Angelo loci cujuſq; præſide, vellet ut mediator eſſe apud DEUM ad ea obtinenda, ſéque docere & adjuvare in pulpito, confeſſionario, & omnibus ſui miniſterij officijs, quò ſingula optato fructu & ædificatione peragerentur. Atque hanc orationem tanto ardore, tótq; lacrymis præmittebat, ut plerumque horas aliquot de via feſſus & jejunus in ea tranſigeret, eſſétque neceſſarium illum à ſocio moneri de inquirendo hoſpitio.

Porrò ab hac oratione aſſurgebat viribus ex fatigatione ità reſtitutis, quaſi de cœli favoribus ſecurus redderetur, neque alibi major ſua quies & refocillatio eſſet quàm in manibus

bus DEI, in quas confidenter ſe projeciſſet. Inde conſvetum ſibi ubivis hoſpitium, pauperum noſocomium, rectà petebat, dummodo aliquod adeſſet, neque ullis precibus aliò abduci patiebatur: quòd ſi nullum, vel minùs ordinatum haberetur, pauperem quampiam caſam vel tuguriolum ſubibat, unde totos quaſi dies, & magnam noctis partem, omnis ſtatûs & conditionis hominibus juvandis tribuebat; ſi quid temporis ſupereſſet, totum id in agendo cum DEO traducens. Neque unquam ſuſtinuit divertere in Ædes conjugatorum, nobilium vel divitum, minùs autem magnatum, mulierum aut virginum, ob indecentiam partim, partim ob inquietudinem ejuſmodi domuum: admittebat verò habitationes Eccleſiaſticorum, ſi virtutis opinione, non autem divitijs & famulorum turbâ abundarent; quòd apud hos promiſcuè toti dies colloquijs & viſitationibus conſumantur: quæ ſi deeſſent, recipiebat ſe ad domum piæ cujuſpiam & provectæ viduæ, quæ ijſdem dotibus niteret cum illa, ad quam Elias divertere conſveverat. Ibi, ſi cubicellum habitationi ſuæ ſeparatum nanciſcebatur, nullam ſexûs diverſi ingredi patiebatur, quantumvis domeſticam: neque ipſe viciſſim alia domûs conclavia, officinas, vel hortum adibat, ſed ſuo illo perinde atque in Collegio ſub religioſa clauſura ſe continebat. Atque hac re dici vix poteſt quàm venerandus evaſerit omnibus; quemadmodum enim multa promiſcuè converſatio parit contemptum, ſic ejuſdem quæ ſuperfluit devitatio generat auctoritatem. Itaque ſi humanitatis ſolius causâ ad ſe venientes notaret, remittebat eos ad Eccleſiam vel Confeſſionale, ubi de animæ ſtatu tractaturi ſe convenirent. Quoties autem animæ unius causâ accederetur, ab hominibus præſertim, qui temporis penuriâ & occupationum multitudine conſtringuntur, cujuſmodi ſunt paſtores, pecuarij, opifices, ſervitia, peregrini advenæ; recipiebat omnes aure ſemper promptâ amantiſſimè, & ſolatij plenos, vix unquam abſque confeſſione dimittebat. Noverat enim magiſtrâ experientiâ, Sacerdotem oportere imitari morem DEI, ut peccatores recipiat quavis horâ ad pœnitentiam citra dilationem, nè ſive animi mobilitate, ſive confeſſarij defectu in ſceleribus hærentes æternùm diſpereant. Lectus ejus erat tabula ſimplici ſtragulo operta; & ſi coactus quandoque admitteret, culcitra ſtraminea: flagellatio corporis quotidiana; & quoties dicendum pro concione erat, conſveto aſperior. Cilicium à corpore nunquam demovit, neque ſinè illo aliquando pulpitum conſcendit: cibo & potu viliſſimo citra ullum delectum refici ſolitus, parciore ſemper quàm in Collegio domeſticis apponatur. Et cùm pro omnibus quæ apponebantur infimas referret gratias, & minima quæque dilaudaret; ſi tamen notabat lautiùs & cum ſollicitudine cibos parari, humillimè deprecabatur, & moderationem adhiberi poſcebat: quæ ſi omitteretur, moleſtiam ſibi eâ re fieri, nihil ex delicatioribus attingendo, oſtendebat. Convivia ut adiret, nunquam ab eo impetrari potuit: & licèt victûs eſſet adeò parci, ut perpetuum jejunium obſervare videretur; binis nihilominus in hebdomade diebus ſtrictiſſimè jejunabat. Nulla ſimiliter admittebat donaria, honoraria, vel in veſtitum aut occurrentes neceſſitates ſubſidia; minimè verò pecuniam, niſi quæ fortè in pauperes dividenda offerretur, quibus omnia largiſſimè diſpergebat. Totus ergo à DEI providentia unicè dependere ſatagens, omnem ſui curam in illum projiciebat, ut nè cogitaret quidem de ſui ſuſtentatione, aut quidquam in viaticum de loco in locum, ſeu commeatum admitteret. In omnes denique indulgentiſſimus, ſibi uni durus erat & infenſus: & cùm ſocium expeditionis perinde reſpiceret ùt ſervus dominum, ſollicitè haberet ùt mater filium, incommoda omnia in ſe recipiebat, ut nè moleſtiam quampiam alter experiretur.

His dotibus ad evangelizandum populis inſtructus, non tam loqui de pulpito, quàm tonare videbatur, ut ſubinde ab ejus vocibus columnas tremiſcere dixiſſes. Rara fuit concio, quam non auditorij comploratio exciperet; exibántque ab Eccleſia compuncti ac velut attoniti, recolendo animis quæ audiverant: neque ullum vidiſſes alteri colloquentem, vel obvijs quibúſve familiaribus ſalutem reddentem; ſed toti intra ſe collecti & muti domum redibant, non tot paſſibus quot lacrymis viam ſignantes, donec in has, captato domi ſecreto loco, pleno demũ torrẽte effunderentur. Atque ità paucis diebus ea ſequebatur urbium & populorum mutatio, ut qui eos paulò antè noverat, non crederet eoſdem eſſe: neque ullus iniri computus poteſt, ad DEUM ejus operâ converſorum; ſiquidem vix ullus, quantumlibet in ſcelerum profundo demerſus, reperiri potuit, qui non ejus dictione reſipuiſſet. Sed & complures Apoſtolici zeli imitatores ac veluti diſcipulos nactus eſt tam ex ſtatu Eccleſiaſtico, quàm ſæculari, quos in locis à ſe excultis conſtituebat veluti magiſtros, & miniſterij ſui vicarios.

Conscensurus pulpitum, unâ priùs horâ prosternebat se ante imaginem Crucifixi ardentissimâ oratione, quâ peccatorum suorum & populi veniam à DEO cum lacrymis petebat, ut idoneum atque efficax instrumentum sancti Spiritûs, lingva sua effici mereretur, ad commovenda mortalium corda, Deóque subjicienda. Et quidem durante Missione concionem habebat quotidie horis matutinis: Dominicâ verò & Festis manè & sub vesperum, præter catechesim modò in templis, modò in compitis, rudibus & pueris constanter tradi solitam: ad quæ omnia tanti fiebant undique concursus, ut aliquot ante concionem horis templa conferto populo impleta penetrari ampliùs non possent; qui deinde certatim vestes ejus exosculari, vel saltem attingere certabant; felicissimos se rati, si ad basium manûs pervenire potuissent. Vidisses etiam omnes & singulos à concione redire devotione incensos, neminem offensum, aut de sui læsione querulum: sicut enim vitia universim & peccata magnâ libertate castigabat, ità nunquam personas in particulari, vel magistratus, sive sæculares, sive Ecclesiasticos perstringebat: sed ex adverso venerationem & reverentiam erga illos ubique inculcabat. Quòd si aliquando necesse erat doctrinam suam pro concionibus traditam adversùs maledicos tueri; agebat id tantâ modestiâ & humilitate, ut nullo verbo perstringeret eum à quo læsus esset; sed omnes adverterent non suam ab eo, sed Christi causam defendi. Materiam sermonum deligebat planam & perspicuam, quam nullis lenociniorum fucis, sed ponderosis rationibus fulciebat, petitis tum è sacra Scriptura & Patribus, tum è varijs exemplis recentibus & vetustis, quas similitudinibus & paritatibus ità proprijs & genuinis illustrabat, ut singularem in hoc genere à DEO gratiam consecutus videretur. Neque in concione loquax erat & prolixus, quippe dicere solitus: non oportere semen confertim & multâ copiâ spargi, alioquin unum ab alio suffocandum, ut fomenti defectu nullum ad debitam radicem perveniat: sicut nec stomacho convenit plures cibos ingeri, quàm possit digerere.

Concione finitâ, illico se de pulpito ad confessionale transferebat, aures præbiturus omnibus, qui accedere voluissent; neque ferè ante meridiem egrediebatur ad dicendum Sacrum: post quod refectione modicâ sumptâ, postquam residuum ex horis Canonicis de genibus (quod alio situ nunquam fecit) absolvisset, ad agendum cum proximo redibat: ac demum horis diei ultimis confessionale repetens, ante noctem in hospitium non revertebatur. Hìc eum denuo oratio excipiebat prolixior tum vocalis, tum mentalis; parcissimi enim erat somni, noctis potiorem partem orationi tribuens, ad quam sub primam iterum auroram pervigil mentem excitabat. Neque satis exprimi potest, quantâ mansvetudine & charitate reciperet peccatores, proponendo sibi in exemplar Christum Dominum, cum ijsdem libentiùs agentem: collacrymabatur peccata sua deplorantibus, solabatur, & ad fiduciam in DEUM amorémque excitabat. Quos verò duriores experiebatur, prior in fletum solutus provocabat ad pœnitentiæ lacrymas, neque ullum cum eis prolixiùs agendi præferebat tædium: unde pleni solatio, & melioris vitæ desiderio ab ejus abibant pedibus. Pœnitentias imponere solebat moderatas, dicens, Sacramentum institutum à Christo Domino ad remittenda, non verò punienda peccata. Et licèt innumeri undique ad eum concurrerent peccata confessuri, nulli tamen copiam sui negabat, neminem in aliud tempus differebat, aut properantiùs expediebat. Impatientem, aut in verbum aliquod indignationis erumpentem nemo unquam vidit; sed injuriarum tolerantissimus, quas in eum plurimas dœmon, velut præcipuum suum in terris hostem excitabat, bonum reponebat pro malo, hostibus supplex accidebat, veniámque rogabat: atque hac modestiâ & animos persecutorum lucrabatur, & reliquos mirè ædificabat. Mundi hilarijs & festivitatibus nunquam interfuit, cujusmodi sunt comœdiæ, cursus & certamina, musicæ, equorum agitationes, taurilia, & id genus sensuum oblectamenta: neque unquam prodibat in publicum, vel domos adibat alienas solius humanitatis causâ; quòd hísce civilitatibus perdi tempus diceret; nisi gravior urgeret necessitas, vel animarum salus. Ideóq; frequentissimus erat in carceribus, ergastulis, nosocomijs, pauperibus & ægris invisendis, conciliandis diffidentibus, in quibus componendis singulari à DEO gratiâ pollebat. Denique nullum genus erat obsequij vel laboris, cui non subjiceret humeros ad salutem animarum, totis 30. annis versando in Missionibus, constanti opinione & famâ sanctitatis, ab omnibus habitus ùt Propheta & Christi Apostolus.

Potissimè tamen prædicationibus suis excoluit Regna Aragoniæ, Valentiæ, Granatæ, Bœticæ, Toleti, ínque ijs urbes primarias: in quibus licèt non deessent selectissimi Concio-

na-

natores, quoties tamen constabat, alicubi dicturum Patrem Millan, omnis ad eum audiendum populus confluebat: loquebatur enim prorsus Apostolico spiritu, quo feliciter perversos & inveteratos mores, jurandi abusum, tandem extirpavit, & melioribus implantandis varia Sodalitia instituit, præcipuè ad urgendum frequentem usum Sacramentorum. Neque omisit DEUS minas ab illo obstinatis de cœlo intentatas immissâ sæpius pœnâ confirmare; prout accidit Compluti, ubi cùm pro concione graviter inveheretur in defraudatores publicæ annonæ, mox spiritu plùs quàm humano edixit, brevì illis comparendum fore ante supremum DEI Judicis tribunal, ad reddendam tantæ injustitiæ rationem: quod reipsa paucis pòst diebus accidit, quando maximâ Civium & Universitatis illius consternatione, omnes illo tempore annonæ provisores subitaneô fatô decesserunt. Neque minùs è contra in salutem perditorum procurandam divinis impulsibus agebatur. Granatæ aliquando in suo conclavi sub vesperam agenti vox allapsa est, jubens illum foras exire, ad remedium perituræ alioquin animæ ferendum: dum moratur, & dœmonis hanc fortè illusionem interpretans contemnit, eadem vox severiùs allabitur: quâ excitus, ante S. Evcharistiam in Templo provolvitur, petens clariùs locum & personam, cui subveniendum esset, declarari. Iteratâ proinde voce jubetur certam adire plateam, occursurus illic homini taliter vestito, qui animam laqueo elisurus secretum suspendio locum perquireret. Secutus monitum cœleste Pater, procurrit cum socio ad designatum locum, hominémque reperit tristia meditantem, alloquitur blandissimè & solatur, dum laqueum à misero exprimat, quem sub brachio ad funestum exitium ferebat. Ad saniora reductum secum in Collegium invitat, & dies aliquot pijs meditationibus exercitum ità imutat; ut plenus optimæ in DEI clementiam spei, vitam deinceps laudatissimam vixerit. Atque his modis fidelis Christi operarius ad mortem usque proximis se impendens, cùm die quodam concionem haberet de S. Catharina Compluti insolito fervore & spiritu, ipso die calore febrili cum lateris puncturis corripitur, paucísque diebus ad extrema deductus, omnibus Sacramentis pijssimè ad æternitatem munitur. Nocte, quæ illi suprema fuit, cùm à multis Patrum circumsisteretur, instanter expetijt solus sibi relinqui, & ad quietem universos recedere, multa enim sibi restare adhuc agenda cum DEO, tempus interim ad ea permodicum superesse. Tum vale omnibus dicto, Concionatores supremùm obtestatus est, ut nihil unquam prædicarent, nisì cum Paulo JESUM crucifixum. Obijt utì vixit sanctissimè 30. Nov: anno 1597. ætatis 57. Societatis 34. non minùs à morte quàm in vivis in veneratione, ab omnibus tanquam eximiè sanctus habitus & cultus.

Ex Nierembergij Tomo 1.

P. PETRUS CANISIUS.

Noviomagum celebris Geldriæ Belgarum civitas, Patria Canisio fuit, Parentibus opulentis & Consularis ordinis in lucem edito Anno 1521. die 8. Maij: à quibus in prima juventa piè & honestè educatus, operam deinceps omnem studijs addixit. In ipsa pueritia futuræ sanctitati, non vanis indicijs præludere videbatur, cùm non raró noctu diúque semota à domestico strepitu captans loca, Numini de genibus supplex deprehensus est, solitus jam tùm horrente setis tunicâ corpusculum affligtare, & ipsis Bacchi ferijs à gustu vini & lautioribus epulis, pro debacchantium salute abstinere. Erat Arnheimij, loco non plùs decem passuum millibus Neomago dissito, vidua Reinolda (alij Reineram, sive Reinhardam vocant) Canisio sangvine juncta, virtutibus & sanctitate planè illustris, cui DEUS immensam illam calamitatum ex Lutheri & Calvini hæresibus seriem, ingentiáque inter Principes Christianos bella, Belgium potissimùm oppressura, revelaverat; addens, Ecclesiam quoque Catholicam per novum Religiosorum Sacerdotum Ordinem instauratum iri. Quæ cùm illa in corona cognatorum aliquando recenseret, & inter eos quoque Canisius tredecennis puer adstaret, humeros ejus permulcens, *& hic*, ait, *unus ex illa familia Sacerdotum JESU erit, qui in sanandis Ecclesiæ vulneribus desudabit.* Idem Religiosa & nobilis virgo Brabantina illi prædixit, addens: *præter alia ab ipso gerenda, operam ejus & scriptionem, Ecclesiæ suo tempore multùm profutura.* Sub hæc Coloniam ad studia literarum missus, primum nactus est pædagogum domesticum Nicolaum Eschium Presbyterum; cui virtutem & innocentiam suam, in lubrica illa ætate conservatam, semper Canisius imputavit: neque



P.Petrus Caniſius S.I. Belga, perpetuus Hæretico-rum malleus, appellatus Germaniæ Apoſtolus, & acerrimus Eccleſiæ defenſor. Obijt Friburgi in Helvetia 21 Decemb: 1597. æt: 76. W.P. Kilian sc.

63.

que autem ſolùm (ſcribit de ſe ipſe Caniſius in libro Confeſſionum, quem exemplo S. Auguſtini de vita ſua compoſuit) *in confeſſione ſecreta, me totum illi, & ſæpe quidem aperiebam; verùm etiam priuſquam nocte cubitum diſcederem, exponebam illi familiari colloquio (tanta erat fiducia!) lapſus, ineptias, & ſordes animæ meæ; ut illi judici rationem erratorum & tranſactæ diei redderem; ac, ſi vellet, etiam peccatorum aliquam luerem pœnam. Pungebat cor meum, cùm ex illo audirem hujuſmodi ſententias: ſervire DEO regnare eſt: ſola ſalus ſervire DEO, ſunt cetera fraudes: ſi Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt, ſi cetera neſcis. Idem prudenter hoc agebat, ut quotidie caput ex 4. Evangelijs legerem, & in eo ſententiam illuſtrem eodem die ſubinde ruminandam excerperem: hinc mundi amor & timor in animo meo magis evileſcebat.*

Sic animatus, conſtanter repudiavit ſponſam à Parente ſibi oblatam Virginem nobilem, opibus & formâ præſtantem; uti & honores Eccleſiaſticos, & opimum Canonicatum: progreſſúſque ibidem in Philoſophiæ ſtudio, Magiſterij laureâ inſignitus eſt anno ætatis 19. ſerpente jam tum Coloniæ hæreſi Lutheranâ; cúmque Magiſter ſuus in Philoſophia, eâdem infectus, quoſdam depravaret, Caniſius non tantùm ipſe firmus in Catholica Religione perſtitit; ſed alijs etiam in ea firmandis operam naviter impendit. Sanè cum in familiaritatem Laurentij Surij, in hæreſim jam prolapſi, ſe inſinuâſſet; non tantùm maximus illi auctor deſerendæ impiæ Lutheri ſectæ extitit: ſed etiam aſſiduâ conſvetudine, & de rerum humanarum contemptu colloquijs eò perpulit, ut ſibi Carthuſianorum ſanctiſſimam

mam Religionem amplectendam delegerit, in qua vitæ sanctimoniâ, & scriptis Sanctorum Vitis singulariter eluxit. Sed & Canisius deserendi mundi jam certus, & voto perpetuæ continentiæ pridem obstrictus, de familia solùm deligenda secum disceptabat, sanctiori interea Theologiæ nihilominus operam navans: útque in eo proposito firmiùs persisteret, anno ætatis 21. castimoniam perpetuam voto signavit. Venerat interea temporis Moguntiam Petrus Faber, unus è primis 10. sancti Ignatii socijs, à Cardinali Alberto Archi-Episcopo evocatus: cujus virtutum & sapientiæ famâ in vicinas undique urbes sese diffundente excitus Canisius, singulari Numinis impulsu Moguntiam evolavit, séque Fabro sacris Exercitiorum Meditationibus imbuendum commisit, eo Spiritûs sancti operantis effectu; ut spretis omnibus paulò pòst Coloniæ in Societatem ab eo recipi expetierit, admisśúsque sit primus è Germanis, ac etiam DEO & Societati per prima vota, sequenti formulâ se obstrinxerit. *Anno 1543. die apparitionis S. Michaëlis, Maij 8. quæ dies mihi natalis est, tribuens initium anni 23. ætatis meæ, post maturam deliberationem, ego Petrus Canisius voveo simpliciter omnipotenti DEO, B. V. MARIÆ, S. Michaëli Archangelo, & omnibus Sanctis, ex nunc me transiturum ad Obedientiam Societatis, quæ dicitur JESU Christi. Similiter Domino DEO, & Sanctis ejus promitto firmiter & voveo, quòd per divinam gratiam velim etiam ex nunc actualem assumere Paupertatem, nisi quatenus & quàm diu Præpositus dictæ Societatis, aut ejus loco M. Petrus Faber impedierit, qui nunc dignatus est me in probationem suæ Societatis recipere. Voveo item peregrinationem instituere ad Limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romæ, & hoc quàm primùm, si non aliter determinaverit idem Magister Petrus. Quòd si in Ordinem Societatis hujus me non acceptari contingat, volo me tunc statim obligatum esse, secundùm consilium Professorum in eadem Societate, ad acceptandum protinus Ordinem alium in vita communi, & approbatæ Obedientiæ. Atque hæc omnia duntaxat propter honorem & amorem JESU Christi Domini Nostri, deinde simul ad honorem & servitium gloriosæ Virginis MARIÆ, Sancti quoq; Michaëlis, & omnium Sanctorum, in salutem animæ meæ. Amen.*

Remissus posthæc Coloniam à Fabro Canisius cum Neo-socijs aliquot, cœlestes faces ab ipso haustas latè mox sparsit, & multorum animos ad spem amorémque Cœlestium vehementer inflammavit. Carthusianorum inprimis ibi familiam ità Societati conciliavit, ut ab ijs potissimùm vitæ subsidia sibi sociisq; egentibus fuerint suppeditata. Totum autem se, quantum per studia adhuc licebat, in pauperum curam & officia charitatis impendit. Cùm literas à Parente in gravi morbo, ex quo & decessit, constituto, accepit, illum ad se, & suprema accipienda mandata evocantes; accurrit quidem absque mora Canisius, sed in ipso conclavis ingressu pater è vivis, subito filij aspectu præ gaudio exanimatus, decessit. Eâ morte tam inexpectatâ vehementer perculsus filius, & multò magis de salute patris æterna sollicitus, mirè cruciabatur, noctémque illam in votis & lacrymis ad DEUM totam insumpsit: cujus gemitibus motus benignissimus DEUS illi revelare dignatus est, non patrem tantùm, sed & matrem pridem defunctam, cœlo receptos. Quo divino responso vehementer exhilaratus, & ad serviendum tantò impensiùs DEO accensus, bonis paternis magnam partem in pauperes distributis, Coloniam ad terminanda studia Theologica revolavit, in quibus eam eruditionis & acuminis opinionem consecutus est; ut illico explanandæ in Lycæo Montano sacræ Evangelij historiæ; in Academia verò epistolis S. Pauli exponendis admotus fuerit, cùm simul ad populum in Æde sacra constanter maximo omnium plausu conciones haberet. Sacris pòst paulò initiatus, cùm Archi-Episcopus, idémque Septemvir Coloniensis Hermannus Weda in hæresim Lutheranam prolapsus, in idem discrimen populum universum tracturus timeretur; totius Coloniensis Academiæ & Cleri sententiâ Canisius delectus est, qui ad Leodiensem Antistitem (erat is Georgius, Maximiliani primi Imperatoris filius) adversùs nascentis sectæ flammam auxilium petiturus mitteretur. In qua functione, coactus diutiùs propter rei gravitatem hærere, Festis omnibus publicè interim concionari, sæpéque eodem die in Episcopio, aut alijs Paræcijs ternas dictiones habere perrexit. Confecto ibi feliciter negotio Coloniam redux, mox ad Carolum V. in eadem fidei causa legatur in castris tunc agentem; apud quem tantùm dexteritate & zelo suo profecit, ut citato ad causam dicendam Psevdo-Archi-Episcopo, Coloniensibus auxilia contra Protestantium exercitum promiserit: effectúmque tandem est, ut Anno 1547. à summo Pontifice exauctoratus, tiaram Adolpho Schavenburgio cesserit. Canisius apud Carolum aliquamdiu in castris versatus, in Othonis simul Cardinalis & Episcopi Augustani familia-

ritatem, magno optimi Principis usu, venit; à quo, legationis Coloniensium rebus confectis, cum P. Claudio Jaio, ad Concilium Trident: titulo sui Theologi missus est, cùm annum non plùs ageret ætatis quàm 26. Ibi sententiam suam in rebus Fidei controversis reliquos inter Theologos publicè dicere solitus, magnâ semper Patrum tum approbatione, tum profundæ adeò in ea ætate sapientiæ admiratione auditus: ex qua factum est, ut translato subinde Bononiam Concilio, eum unà proficisci voluerint. Suspensâ penitus certis ex causis non longè pòst Synodo, evocatus ab IGNATIO Romam Canisius est magno suo gaudio, quòd sibi Urbem sanctam tot Martyrum sangvine purpuratam, videndi copia fieret: totúmque illud 5. ferè mensium spatium in S. Exercitiorum ascesi, aliísque spiritûs probationibus traduxit, tantopere ex publica fama jam tum à dicendi facultate æstimatus; ut publicè coram Pont: Paulo III. perorare jussus fuerit. Indè cum socijs aliquot in Siciliam, ad fundandam istic Societatem missus, magno animorum fructu Messanæ Oratorem tum in Templo, tum in Lycæo egit per anni decursum; dein Romam revocatus, solenni 4. votorum professione totum se DEO consecravit. Nec mora, Guilielmo Bavariæ Principe subsidia è Societate contra frementes circumquaque hæreses petente, missus cum Salmerone Canisius est, publicè priùs Bononiæ Magisterio ex Theologia inauguratus, cœpítque publicè eandem Ingolstadij profiteri, simúlq; in Templo ad populum perorare; tantâ omnium satisfactione, ut mox Rector Academiæ, voto omnium, creatus sit; & Albertus Guilielmi successor (quod in gestis Hoffæi referemus) ejus sacræ doctrinæ, & Apostolico zelo, Provinciarum illarum in Religione conservationem adscribens, profiteri consveverit: *Petrus Canisius, & Paulus Hoffæus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Extat ejusdem publicum in Annalibus illius Academiæ encomium, inter reliqua hæc habens: *Theologus fuit profundus, & lectionis infinitæ, Orator valde eloquens, & gravis Ecclesiastes, in quo pietatis & eruditionis, vitæq; integritatis, omnisque virtutum generis illustre fuit exemplum. Restituit ipse cum Collegis suis (Salmerone & Jaio) Academiam loco suo & dignitati, cùm ea magnum adiisset discrimen Religionis, & ingens detrimentum post nefariam quorundam in Academia defectionem accepisset. Hoc etiam citra injuriam aliorum affirmârim, longè & elegantiùs politiúsque, & compendiosiùs nunc pene omnes tradi docerique literas, quàm apud Majores nostros fieri est solitum.* Anno 1551. evocatus à Ferdinando I. Imperatore Viennam, ex integro propè hæreticam, cœpta illic Collegij fundamenta absolvit. Delectus à Cæsare in Aulæ suæ Ecclesiastem (nam in Academia præterea sacra Divinæ legis mysteria interpretabatur) cùm veritatem Catholicam acerrimè propugnans, hæreticorum fraudes magno zelo detegeret, atque ideo citra vitæ ab hæreticis civibus discrimen in publicum prodire, & Regiam petere vix posset, armatâ manu illum deduci Cæsar imperavit. Tantúsque brevì ex ejus laboribus & virtutibus Apostolicis fructus extitit, ut Ferdinandus propter sanctimoniæ Viri venerationem, Antistiti Viennensi extincto, non alium illo digniorem, quem sufficeret, judicârit. Quare binis vicibus per Legatum apud summum Pontificem Julium III. insciô Canisiô, omni ope contendit, ut illum vellet, juberétq; Viennæ Pontificem esse; non aliam meliorem ad extirpandam ab Austria hæresim viam esse: quibus permotus Papa Julius ad annuendum jam inclinabat, nisi IGNATIUS toto conatu restitisset, suboffenso quamvis eâ re nonnihil Cæsare. Illud tamen ab IGNATIO impetratum est, ut pateretur ad annum usque Episcopatum à Canisio administrari, cui postulato ità duntaxat S. Pater annuit, nè vectigalia & proventus ejus curæ subessent. Neque defuit DEUS Canisij laboribus Viennæ per miros eventus confirmandis. Mulier morbo pariter & malo genio diu torta, simul ac Canisio peccata ritè confessa est, non modò pertinaci dœmone, qui nullis carminibus sacris vinci poterat, verùm etiam omni ægritudinis molestiâ liberata est. Et alia pariter à dœmone oppressa, dudum de salute æterna penitus desperârat: sed ubi repetitis à pueritia peccatis apud ipsum expiata est; omni dœmonis obsidione, & conscientiæ damnatæ lanienâ extempta est.

Jussus sub hæc Canisius à Ferdinando rudimenta Christianæ doctrinæ seu Catechismum conscribere, ea magno studio collecta, compendio primùm, auctoritate Cæsareâ, sinè suo nomine (quod modestiæ causâ fecerat) evulgavit: quæ res cùm mirè oculos adversariorum torsisset, & calamos eorum in omnibus regionibus ad illorum veritatem, si possent, convellendam excivisset; Canisius Cæsaris impulsu, opus idem augere, & testimonijs SS. Patrum fulcire aggressus est, eo in rem Catholicam proventu, ut nihil his sæculis salubrius, & ad conservandam Orthodoxam fidem utilius, in lucem ab ullo prodijsse credatur. Maximum

mum autem libro pondus adjecit edictum à Ferdinando Cæsare appositum, in quo multa augustissimo zelo præfatus de fraudibus & machinis hæreticorum, perniciosâ librorum editione Catholicos decipientium, auctorem se Canisio fuisse dicit ad Catechismum, justo volumine, simúlque brevi epitome vulgandum, qui à pueris commodè memoriæ mandari, & rudi etiam plebeculæ instructioni esse posset. Quare omnibus Statibus Imperij & suarum Provinciarum districtè præcipit, *ut hunc Catechismum solum, nullúmque alium per Ludimagistros, Præceptores, ac Pædagogos, pueris in scholis publicè ac privatim proponi, prælegi, ediscendúmque tradi magnopere curent, quatenus gravissimam indignationem Cæsaream, aliásque pœnas hujus edicti contemtoribus pro arbitrio suo irrogandas evitare velint. Hæc enim est*, concludit, *expressa mês & voluntas Nostra.* Et verò tantus ex hoc Canisij opere fructus in totum Orbem redundavit, in omnibus Templis, Scholis, Academijs, juventuti prælegi & explicari solito, ut omnium gentium lingvis Canisius hodiéque loquatur; Indorum etiam, Sinarum, Japonum & Æthiopum; posśítque jure meritò gentium omnium Doctor appellari, cujus ope innumeræ mortalium myriades ab erroribus diversissimis reductæ, in veritate Religionis Orthodoxæ instructæ aut firmatæ sunt. Sectarios interim non minùs acriter pupugit, & pene in rabiem contra Canisium egit, quem indè non aliter, quàm *Canis Austriaci* nomine appellabant, & ejus famam miris figmentis lacerare & discerpere laborabant. Ex quibus ea Viro auctoritas ubique crevit, jam Provinciæ regendæ ab Ignatio præposito; ut illum Societatis auctorem & conditorem vulgò proclamarent, hæretici præsertim, magnitudine rerum ab eo gestarum decepti.

Cæsar interim tam manifestum Viennæ & per Austriam ex opera Canisij, Sociorúmque in recenter fundato à se Collegio emolumentum expertus, de juvanda per eorundem zelum Boëmia, Wicleffi, Hussij, Lutheri hæresi contaminatissima, consilium cœpit. Datísque ad Ignatium & Julium Pontificem literis, cùm Sociorum aliquot pro erigendo Pragæ, Regni metropoli, Collegio impetrâsset, Canisium ijsdem inducendis destinavit: qui Scholis illico Pragæ apertis, ipse pro cathedra populum veritatem & virtutes Christianas docere, & hæreticos ad fidei integritatem invitare aggressus est. Fremebant interim in illum Sociósque Cives Hussitæ & Lutherani, minabantúrque de ponte proximo in flumen dejecturos, milléq; insidias ponebant; sic, ut *quoties in Templum vel scholas descenderent* (verba sunt Annuarum Collegij Pragensis Anno 1556.) *nunquam se, probabiliter secundùm humanam rationem, redituros ad cubiculum vivos crederent.* Et fecissent omnino, nisì publicis edictis Ferd: Cæsaris, & Filij itidem Ferd: Archi-Ducis, Sociorum saluti severissimè cautum fuisset; raró siquidem domo prodire contigit, quin lapidibus, luto, nam contumelijs incessi planè consvetum erat, impeterentur; quâ causâ Canisius quoties Aulam Regiam petebat, præsidio Archi-Ducis ducendus & reducendus fuit. Sed pervicit omnia Sociorum virtus, Canisij præsertim, de quo eædem annuæ itá memorant: *Patrem nostrum Provincialem Canisium mirè hæ regiones venerantur, ut non solùm Catholici, sed etiam Hussitæ & alij hæretici, imò & Judæi illum diligant: quamvis doleant malorum artifices, tam multa ejus consilio in universo Germaniæ statu fieri; imò ut à quibusdam indignantibus spargitur, omnia ejus consilio agi.* Prædicantium imprimis Hussiticorum odium in Canisium, à quo maximè sectæ suæ non immeritò formidabant, crescebat indies, ùt ostendit monostichon in ipsum auctoribus ijsdem jactatum: *Hinc procul esto Canis, pro nobis excubat Anser*: Hus enim, boëmicum hæresiarchæ ipsorum nomen, idem est quod anser in latino. Anno insequente 1557. Canisius Wormatiam à Pontifice & Cæsare missus est cum Nicolao Gaudano, petentibus colloquium Lutheranorum antesignanis, super controversis Religionum articulis. Et comparuêre quidem Melanchton, Flaccus Illyricus, Nicolaus Ambsdorffius, Nicolaus Gallus, & alij 8. ministri: sed ubi disceptandi initium factum est, cùm hæretici inter se convenire non possent, & Orthodoxorum consensum, vim dicendi & eruditionem, causæq; æquitatem formidarent, Wormatiâ se subduxerunt; thesibus & hypothesibus itá inter se postea ipsimet digladiati, ut Ambsdorffium & Gallum reliqui tanquam hæreticos à se proscriberent. Canisius per Coloniam & Argentinam iter agens, aliquamdiu hìc substitit, & triumphantem Argentorati hæresim concionibus suis multùm repressit, confirmatis in fide paucis qui supererant Civibus, & Virginum Cœnobijs. Indè Dilingam delapsus, tantâ Cardinalis Augustani pietate & reverentiâ exceptus est, ut suis ipse manibus Cardinalis pedes ejus abluerit. Straubingæ ex voluntate Cæsaris & Ducis Bavariæ per Quadragesimæ ferias concionatus, cùm populus ferè omnis

hæresi

hæresi jam infectus esset; tamen DEO juvante, dictione Canisij fraudes novatorum ità dedoctus est, ut in Paschalibus ferijs pauci fuerint, qui non Catholico ritu Divinam synaxim obierint. Redux Pragam, ut inchoata Collegij initia prosequeretur, cujus non modò primum lapidem jecit, sed tandem partem magnam ædificij perfecit; in Æde simul Metropolitana S. Viti concionibus ad Cæsarem, populúmque haud parùm promovit. Rogatu subinde Ducis Bavariæ, ad constituendum Ingolstadij Societati Collegium à Cæsare dimissus, illius etiam Domûs fundamenta jecit, & quæ necessaria videbantur ordinavit, declaratus Germaniæ Superioris, Austriæ & Boëmiæ Provincialis.

Sub hæc ad novam Missionem à Pontifice Paulo IV. destinatur, tanta erat de Viri dexteritate existimatio! jussus in Poloniam Nuntium Apostolicum comitari. Ubi dictionibus suis ad tuendam Ecclesiæ integritatem incenso ubique Clero, ad suam Provinciam redux, Ferdinandum Cæsarem Augustam ad Comitia Imperij comitatus est, ut ei ad Catholicam rem contra Protestantium conatus tuendam pro Theologo adesset: cujus sanctimoniæ odore captus Otho Truchses Cardinalis & Urbis ejus Antistes, eum in Concionatorem Ecclesiæ suæ Cathedralis à Generali Laine impetravit. Erat per id tempus lamentabilis Augustæ facies, paucissimis Civium in Catholica veritate persistentibus: unde omni ope connisus Canisius, quà privatis disputationibus, quà publicis concionibus, non paucos, ínque ijs præcipuæ nobilitatis Viros & fœminas Luthero abstraxit. Fuit inter hos nobilissima fœmina Comitissa Sybilla Ebersteinia Marci Fuggeri conjunx, hominum Societatis nè quidem alloquium ferre sustinens, quoad illam Patris Canisij species per quietem divinitus oblata hortaretur, ut ad Catholicorum castra transiret. Evocato igitur manè Canisio accidit, ut pro eo Sacerdos alius è nostris veniret; sed illa negavit esse illum, quem per visum fuisset intuita: mox autem succedente Canisio, *hic est*, inquit, *quem per somnum vidi.* Datis igitur post sufficientem instructionem Fidei manibus, maximam Catholicis omnibus, ipsi cumprimis Archi-Episcopo peperit lætitiam, & parem dolorem Lutheranis, pro cujus in hæresi perseverantia publicas in Synagogis suis preces indixerant. Dum ità maximè Augustæ laborat, & nihilominus Provinciam suam per Austriam, Boëmiam & Bavariam administrare pergit; Albertus Bavariæ Princeps visis in ditione sua ex Collegio Ingolstadiensi supra omnem expectationem animarum lucris, constituit & Monachij aliud Societati statuere; cui fundando 10. Socios Canisius cùm misisset, tantus continuè hominum ad Sacramenta fuit accursus, ut suppetias Sociorum Româ mitti necessarium penitus fuerit. Ejus verò Collegij tum initia, tum etiam felices progressus potissimùm meritis & precibus Canisij debentur, ad quas DEUS hanc mentem Principi indidit, uti Pater ipse in sua quadam ad Collegas epistola testatum fecit: *ego certè*, scribens, *ut hoc obiter addam, clementissimo DEO gratias ago, qui me ante inchoatum vestrum Collegium indignum precantem singulari consolatione perfudit, & gratiosè promisit, rerum nostrarum successum fore felicem, hunc exitus postea comprobabit.* Nec multò pòst accessit & Collegium Oeniponti; à Ferdinando Cæsare fundatum, ubi quinque illius Filiæ Regijs virtutibus educabantur; quæ ubi semel suam conscientiæ fidem Canisio commiserunt, nunquam à Societate descivêre; sed cùm ex ijs ternæ vitam cœlibem edito Virginitatis voto elegissent, aliud insuper Societati Collegium Halæ in eadem Tyroli fundârunt, sub cujus spirituali directione hodiéque Parthenon ille Virginum laudatissimè DEO, licèt citra Religionis vota deservit. Evocatus subinde iterum à PP. Concilij Tridentum est, quòd nemo alius crederetur de rebus Germaniæ Concilium posse meliùs edocere: ex altera verò parte, cùm nullo modo Germania ejus spolianda præsidio id temporis censeretur, ea temperatio approbata est, ut tantisper duntaxat, dum de rebus Germaniæ ageretur, Tridenti subsisteret. Intravit Tridentum initio Maij Anno 1562. invisítque Cardinalem Hosium ità graviter decumbentem, ut jam se ad obitum certò compararet. Sed ecce mox ùt Canisius conclave ingressus est, morbus omnis abscessit: id quod unicè Viri sanctitati & meritis Hosius Cardinalis tribuebat. Hæsit ibi duos menses Canisius, inter alios Theologos sæpius auditus: cùm Augustam ad munus Concionatoris Cathedralis iterum se retulit.

Vix explicari satìs potest, quantos labores & curas tot simul res agendo unus Canisius exantlârit, dum & conciones Augustæ constanter ad populum obit, & in tot loca invisenda ex officio Provincialis distractus, Pragam, Viennam, Oenipontum, tótque alios ad Principes, ad Comitia Imperij Augustam, Norinbergam, Francofurtum, identidem provolat, ubique concionibus Fideles in Religione confirmans, & hæreticos certaminibus lacessens,

cessens, tantâ virium contentione, ut P. Natalis Vir & ipse actuosissimus, non solùm ferreas in eo animi vires, sed & corporis affecti patientiam in tantum durantis suspiceret. Nam præter ordinarias conciones in principe templo, etiam per tempus Comitiorum sub Imperatore Maximiliano II. semel quâque hebdomadâ dicebat ad Imperatricis aulam: aderat frequens Pontificio Legato Joanni Comendono, cui etiam erat à confessionibus. Aderat Cardinali Othoni, Præsulibus Moguntino ac Trevirensi, & cæteris ferè Magistratibus sacris. Quorum ejus laborum famâ permotus Pontifex Pius IV. his illum ad continuandos tam utiles Ecclesiæ labores confirmavit. *Dilecte Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad aures nostras, dilecto filio nostro Othone Cardinale Augustano referente, pervenit; quo studio, quâ diligentiâ, quâ charitate des istic operam, ut quàm plurimos eorum, qui hæreticorum fraudibus decepti, à recta Religione aberrârunt, in salutis viam reducas, quantum etiam supernâ cooperante gratiâ proficias. Magnæ nobis consolationi fuit tam optatus nuncius. Agimus Omnipotenti gratias, qui pro sua misericordia, tam multos jam, sicut audivimus, per ministerium prædicationis tuæ in Ecclesiam Catholicam revocavit. Insta fili ut cœpisti, & enitere, ut quàm maximum animarum lucrum facias: urge tam piam, tam sanctam negotiationem: noli defatigari in tam sancto opere sedulitatis tuæ, ab eo, cui famularis, id præmium laturus, quod bonis & fidelibus servis suis promisit. Si quid verò à Nobis desideras, quod conferre aliquid posse credas ad animarum salutem, libenti animo quidquid postulaveris concedemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Martij 1561.* Sed & Otho ipse Cardinalis, cùm paulò ante Dilingæ Academiam novam fundâsset, vidissétque tantum ab uno Canisio contra hæreticos, in gregem suum immanissimè undique grassantes, præsidium, Anno 1563. excitato ibidem Societati Collegio, illam integrè in Societatis administrationem & potestatem transcripsit, cujus maximè præsidio Svevia & Rhætia in Religione conservata deinceps est. Profitetur id Cardinalis ipse in literis suæ hujus donationis & fundationis, *veni*, inquiens, *tandem in hanc sententiam, & ad hoc faciendum plurimum animum moverunt, diuturna cognitio, consvetudo & experientia, quam habui cum multis PP. Societatis, maximè cum eximiæ pietatis ac doctrinæ Viro D. Petro Canisio, qui in Civitate & Diœcesi mea Augustana incredibilem fructum in convertendis hæreticis, stabiliendis Catholicis, & alijs nunquam satis admirandis & probandis operibus, continuè, indefessè, & laudabiliter longo tempore peregit, &c.*

Constitutis Dilingæ & ordinatis rebus omnibus, ad legitimam novæ Academiæ administrationem pertinentibus, Canisius ad consvetos labores Augustam repetijt, habuítque paulò pòst hospitem Angelicum B. Stanislaum Kostkam, ad se Viennâ expetendæ Societatis causâ profugum, cujus vocationem & virtutem aliquamdiu in Dilingano Seminario periclitatus, illum ad tyrocinium subeundum Romam transmisit. Non cessabant interim sectarij damnis suis dolentes, in Societatem, atque inprimis Canisium, virus calumniarum per famosos libellos & picturas infames spargere, portentosa crimina objicere, mendaciorum plaustra ædificare: quin & ad Lutheri transijsse Evangelium mentiri: sed quibus apud intelligentes & pios aliud non effecerunt, quàm ut Canisius palàm & publicè *Apostolus Germaniæ* diceretur, cujus conatibus & operâ, Catholicorum reliquiæ in officio maximè continerentur. Et quidem unius illius industriæ conservata Herbipoli debetur religio, Elvangæ autem restituta, ubi 20. annos jam sedem fixerat, nec revelli poterat, Lutherano innixa Principe. Sed concionibus Canisij post plurimos Ecclesiæ restitutos, consensu omnium decretum est, neminem posthac civitate recipiendum, qui non antè Fidem Catholicam profiteretur. Cujus rerum gestarum famâ in Poloniam usque & Prussiam pervagatâ motus Cardinalis Hosius Varmiensis Episcopus, eum ad statuendum Braunsbergæ in Prussia Collegium evocavit. Quo legitimè firmato, Romam excitus ad novum Generalem pro demortuo Layne creandum, S. Franciscum Borgiam cum reliquis nominavit. Septies diversis vicibus Romam Canisius proficisci coactus est, ter Societatis ipsius causâ, ad electionem trium Generalium: aliàs vel coactus Principes Viros & Cardinales eò comitari, vel Pontificum jussis accitus. Inijt per eam occasionem arctam familiaritatem cum S. Philippo Nerio, à quo famâ & ipse sanctitatis & rerum gestarum magno in honore habebatur. Aliàs verò evocatus à Pont: Gregorio XIII. ut consilio illi adesset in rebus, quas ad conservandam in Germania Religionem Catholicam moliebatur, auctor illi potissimum fuit, ut Collegium Adolescentium Germanorum in Urbe, ad incitas propè redactum, in quo 12. vix plures alebantur, resuscitaret, & alia quàm plurima

per Germaniam fundaret: *nullâ siquidem aliâ re magis Germaniam laborare, quàm inopiâ Doctorum & idoneorum Sacerdotum, qui præsint Ecclesijs & animarum curæ, populos sincerâ doctrinâ erudiant, & loquaci audaciæ hæreticorum, veritate Evangelicâ & doctrinâ se opponant.* Probavit sapientissimum consilium Pontifex sanctissimus, & præter illud in Urbe ad eum vigorem, quem hodie suspicimus, reductum, plurima varijs in Germaniæ Urbibus, sumptibus Curiæ Apostolicæ perpetuis, pro educatione Cleri instituit, Dilingæ, Viennæ, Rhemis, Pragæ, Olomucij: quorum incredibili paulò pòst fructu animadverso, ad aliarum etiam nationum Seminaria tam in Urbe, quàm in Patrijs illarum instituenda animum convertit, puta Anglorum, Græcorum, Maronitarum, &c. in ipsa adeò India & Japonia. Cùm verò interim suboluisset Canisio, agitare Pontificem, instinctu Cardinalis Augustani, de se purpurâ sacrâ ornando; causâ inventâ, repentè in Germaniam se subduxit.

Aliàs tamen Pio IV. Pontifice sedente, Romam veniens, evitare non potuit, quin cum potestate & auctoritate Legati ad omnes ferè Germaniæ Principes, & Civitates liberas, in obedientia Ecclesiæ adhuc persistentes, ab eo mitteretur: quâ causâ legitimè instructus Apostolicis diplomatibus peragravit, unico socio in comitatum assumpto, Bavariam, Sveviam, Austriam, Franconiam, Westphaliam, Geldriam, Cliviam, convenítque præcipuos omnes Germaniæ Principes, ut eos literis & verbis Pontificis in Religionis Catholicæ studio confirmaret. Et Coloniæ quidem apud Magistratum Urbis & Academiæ, exhibitâ Pontificis auctoritate, ad habendam sibi tanquam Apostolico Legato fidem, effecit 1. ut nemo vel ad docendum pro concione populum, vel ad erudiendam juventutem admitteretur, de cujus vitæ & doctrinæ integritate non constaret. 2. ut libri & librarij omnes, qui sinceræ doctrinæ, vel moribus contrarias chartas clanculum vel apertè Urbi inferrent, proscriberentur. 3. ut alienis à Catholica Fide locus in Urbe non daretur. 4. Nè quis Lutheri aut Calvini præco, domo, tecto reciperetur; prævaricatores autem graviter punirentur. 5. ut ad gradus Academicos nemo, nisi emissâ fidei ex Conc: Tridentini formula, professione admitteretur; quod ultimum deinde, ut omnibus Academijs Catholicis præceptô Apostolicô demandaretur, auctor præcipuus Pontifici fuit. Morte Pij IV. à Legationis onere liberatus, deposito etiam in Paulum Hoffæum, quod totis 20. annis gesserat, Provincialis munere, illustre opus *de verbi DEI corruptelis*, jussu Pontificis contra Centuriatores Magdeburgenses in bonum Ecclesiæ edidit, quod pluribus locis recusum est, magnâ Orbis Catholici commendatione: sicut & duo volumina, quibus Præcursoris Domini & DEIparæ honorem, à calumnijs impiorum acerrimo stylo vindicavit, & alia plurima opuscula. Donec à Francisco Bonhomio Episcopo Vercellensi, & ad Helvetos Legato Apostolico, Friburgum Helvetiorum, ad conservandam ab hæresi Zwingliana Urbem, deductus est. Perrexit ibi sex ipsos annos concionibus sacris populum excolere, dum morbo correptus, qui mentem illi propè eripuit, à dicendo coactus est triennio abstinere: post quod receptis viribus ad institutum redijt, populúmque erudire pro concione perseveravit. Cives interim perspectâ Viri innocentiâ, & doctrinæ excellentiâ, de tota Societate ex uno velut indice judicantes, Collegium apud se statui impetrârunt Anno 1596. Canisio ipso fundamenta ponente, in cujus adeunda possessione ultimam ipse concionem habuit. Tantúsque fuit Civitatis in eum cum æstimatione affectus; ut nunquam ejus sibi præsentiam tolli passi fuerint, eo præcipuè consilio, quòd cùm nullum Viri sancti corpus in sua Civitate haberent; hunc primum habere concupiscerent. Et quidem dum adhuc dicere potuit, quamvis senio, voce & viribus defectus, ingentes omnium Ordinum concursus fiebant non ad audiendum tantùm, sed vel videndum saltèm; cujus solo aspectu ad pietatem excitari, nec unquam satiari poterant. Postquam verò ultimô vitæ decenniô non tam ingravescens annorum ætas, quàm laborum & peregrinationum pondus illum à pulpito penitus exclusit, & scipione gressum fulcire coëgit; septem quotidie horis precationi & meditationi attributis, reliquas scribendis edendísque varijs ad excitandam pietatem fidelium libris impendit; quorum bene longum syllabum habes in Bibliotheca Patris Alegambe.

Anno demum 1597. ætatis 76. cum hydrope quatuor menses luctatus, & ad ultimum agonem omnibus Sacramentis munitus, pijssimè decessit, ipso S. Thomæ Apostoli die 21. Decembr: elatus publico Civitatis luctu, & ad pedem Aræ majoris, in principe Templo cum gloriosa inscriptione tumulatus. Fuit Canisius inter tot támque varia animarum negotia quasi absorptus; ità nihilominus DEO per orationis studium conjunctus; ut illi vacans, quasi sopitis sensibus in cœlestia abripe-

retur,

retur, neque posset facilè ad se, veluti è profundo somno expergisceretur, revocari. Humilitatis in ultima etiam senecta mansit studiosissimus, & vilissima quæque agenda domi sexagenario major, sibi assumebat, verrebátque scopis pavimentum, pulveres abstergebat, & culinarias à patinis sordes abluebat. Sensus suos acerrimâ custodiâ frenabat, neque patiebatur oculos in ulla amœnitatis objecta evagari, ab ipso etiam florum & viridantium camporum intuitu severè eos continens. Flagris & cilicio in corpus sævire postremis etiam annis non destitit, quibus vetus & in tremulis suis artubus detritum cilicium, cum recenti alio Religiosi Carthusiani permutavit. Cibi tam erat modici, ut octiduo vix tantum sumeret, quod alius uno caperet prandio, cœnâ ut plurimùm abstinēs, uti & carnibus & vino, nisi copiosâ aquâ diluto. Cùm stomachus ultimo vitæ tempore omne genus cibi aversaretur, sæpius à Ministro rogatus, ut significaret, quis palato arrisurus videretur? aviculam tandem dixit. Prodijt in forum Oeconomus, nulláque inventâ tristis domum redijt: cùm ecce ad vesperum apertâ cubiculi fenestrâ, avis quasi divinitus immissa, ultrò se capiendam in ejus tunc cœnam offert. Porrò inter edendum, si non de animæ salute cum convivis colloqueretur, ad singulas buccellas tacitè actus virtutum varios eliciebat, mente à ciborum gustu penitus abstractâ, ut sæpe acetum pro potu bibiturus arriperet. Fuítque hæc illi cum Cœlitibus conversatio semper & ubique, præsertim dum iter ageret, perfamiliaris; unde persæpe sui, sociíque, & omnium præsentium oblitus, cùm se ab illo separâsset, jumento vectus in avia abripiebatur, & fluminum voragines ingressus, non nisi per ignotos subitò comparentes evanescentésque (quos Cœlites fuisse non ambigitur) ex medijs periculis ereptus in viam reducebatur. Sic per Alpes aliquando, restagnantibus undique aquis, Oenipontum Augustâ cum P. Francisco Rocca iter periculosissimè agentem, repentè equus in aquas effudit, altero pede in stapede hærentem; cùm subitò vir staturæ proceræ adfuit, & Canisium ephippio restituit. Gratus liberatori suo Pater, *prandebis*, inquit, *nobiscum, ubi ad hospitium divertemus, & debitum beneficio munus accipies. Bene habet*, respondet viator; & ductoris munere fungens progredientem non destituit, quàm in sicco solo salvum exponeret, & diversorium in conspectu haberet; tum repentè videri utrique desijt.

Magnitudo & robur animi illius nunquam magìs enituit, quàm ubi cum Cæsare ipso, Principibus Aulæ, & præcipuis Theologis Cæsari suffragantibus decertandum fuit. Incitabatur Cæsar à quibusdam rerum novarum studiosis, ad nonnulla à Concilio Tridentino postulanda, quæ neque ex Sedis Apostolicæ auctoritate, neque pro rei Catholicæ bono facere Canisius advertebat: Inter quæ præcipua erant, ut assereretur Concilio præpostera quædam libertas, & potestas à Pontifice independens, quâ Papa ipse cum Romana Curia reformari posset: ut Eucharistia promiscuè Laicis sub utraque specie in Provincijs Cæsareis porrigeretur: ut ibidem Sacerdotibus ex Clero matrimonia permitterentur. Cupidissimus pacis, & in Religione concordiæ Ferdinandus, nec quidquam fraudis inesse his suspicatus, ut desuper Theologorum etiam sententiam acciperet, inter complures accivit & Canisium nostrum. Et quoad primum omnes quidem citra discrepantiam edixerunt, nefas esse Concilium à potestate Pontificis eximi: in alijs omnibus Cæsari cùm assentirentur, uni erant Canisio omnium Collegarum impetus sustinendi. Constanter nihilominus obluctatus, scripto & oretenus Cæsari rationum momenta pro parte adversa adducere identidem non destitit, esto id ingratum inprimis illi experiretur, sentirétque sanctâ suâ importunitate de tanta apud Cæsarem gratia nonnihil deteri. Erátque tum maximè videre in Canisio Apostolicum pectus, quod Ecclesiarum omnium sollicitudine tabescebat, scandalis omnium urebatur. Quid ille non & lacrymarum & gemituum fudit, ubi pòst paulò vidit turbulentorum hominum postulationibus indulgeri, & indies majorem patefieri fenestram, ad Ecclesiæ sanctæ auctoritatem convellendam, & Sacrificium ipsum abolendum? Et Roma quidem, ubi de his Canisij apud Cæsarem pro integritate Religionis certaminibus rescijt, maximéque sanctus Cardinalis Borromæus, supra modum celebravit: ipséque Pontifex, cùm ex Cardinali Morono, oculato horum apud Cæsarem teste, cognovisset, tanti fecit, ut adeuntem ad se S. Franciscum Borgiam perbenignè acceperit, perhonorificis verbis zelum & fortitudinem Canisij commendans. At hæretici ex adverso cùm ferre non possent Evangelij sui cursum ab uno Jesuita retardari, & ore & libris conati sunt nomen Societatis ignominiosum reddere, volumine præsertim à Kemnitio hoc titulo præfixo: *De ordine Jesuitarum, quæ sit eorum fides: quomodo adversùs JESUM &* *san-*

ſanctum ejus Evangelium decertent, non alio fine, quàm ut nationem Germanicam in æternum ſalutis exitium adducant, ac denuo Papæ jugo ſubjiciant. Cujus libri impudentiſſimis mendacijs ſimpliciorum mentes imbutæ fuêre, Jeſuitas eſſe Societatem ſatanæ, atque adeò Cacodæmonum cætum.

Neque deſunt, quæ mirabiliter ejus operâ in vita & poſt mortem DEO patrare complacuit. Erat Lovanij Cornelius Wishawæus Civis opulentus, & Caniſio ſub eadem Eſchij diſciplina Coloniæ olim condiſcipulus, quem manifeſto miraculo per Caniſium DEUS Societati adjunxit. Petentibus Lovanium Petro Fabro & Franciſco Strada, adjunxit ad Wishawæum Caniſius literas, quibus illum in hæc verba compellabat: *Corneli amice, habes hic virum optimum Petrum Fabrum, cujus Religionem amplectere: ſic enim, quam cupis, animi ſalutem conſequêre:* Sed cùm Strada porrectis Cornelio literis extemplò receſſiſſet; lectâ Cornelius Caniſij epiſtolâ internuncium requirebat; nec uſquam reperto, Ædem S. Dominici adit, ubi ſupplex ad iconem SS. Virginis, indicium ſibi fieri reperiendi Stradæ ardentiſſimè oravit. Jubetur mox cœleſti voce, ſecundùm cœnobium dextrum viæ latus ingredi, tertiæque indè Domûs ad ſiniſtram fores pulſare. Paruit mandato DEIparæ Cornelius,& in prædicta domo Stradam cum Fabro reperit, à quo vitæ Societatis rationem edoctus, mox ad illam recipi voluit & impetravit, ſimúlque domum ſuam Societati addixit,atque ex eo tempore Societas Lovanium nunquam deſeruit. Auguſtæ à nobili virgine 10. dœmones obſeſſores ſolennibus exorciſmis abegit: quo facto,virginis Pater obſtinatus hæreticus ad deſerendam impietatem emollitus eſt Anno 1570. Friburgi Helvetiorum Sebaſtianus Veronius litem diuturnam cum adverſario ſuper magnis debitis proſecutus,renunciandum jam propè juri ſuo, tædio rixarum, cenſebat: commendavit nihilominus negotium Caniſio, qui recepit ſe DEO illud commendaturum. Et ecce cauſam intra diem obtinuit, ut poſtridie præter omnium ſpem adverſarij duplum ejus, quod petierat, ultrò darent offerréntque. Utebatur ibidem amanuenſi quopiam lucubrationum ſuarum deſcriptore Caniſius, ad ea, quæ juris publici, pietati fovendæ, facere meditabatur: hìc aliquando tædio ſcribendi victus detineri nullis precibus à Patre poterat, ut porrò in deſcribendo pergeret. Sed vix pedem Collegio extulerat, cùm ab inviſibili manu colapho tam atroci mulctatus eſt, ut ignis ex oculis emicaret, cùm tamen percuſſor nullus appareret. Guilielmus Krumenſtoll Friburgi Senator domum aliquando ex Altaripenſi cœnobio equo rediens, unà cum equo in altum cœnum tenebroſâ nocte tanto caſu prolabitur, ut jumento in pedem ſuum incumbente, nullo conatu illum eripere poſſet, neque auxilium à mortalibus ullum ſperare. Fatigabat ille cœlum precibus,ſurdum tamen, quoad menti ſuccurrit Caniſius. Ergo rurſus ad DEUM verſus, *per Caniſium*, orat, *ego te noſtrum, virum tibi tantâ vitæ innocentiâ & ſanctimoniâ operantem rogo, ex hoc me præſenti vitæ eripe diſcrimine!* Dictum, factum, pedem nullo negotio, hærente in cloaca ocreâ, extrahit, & mox etiam jumentum ſequitur trahentem. Quinto pòſt die alterius negotij causâ Caniſium conſulturus ad Collegium venit, periculi jam immemor; cùm ad eum Caniſius: *ecquid ſuperioribus diebus,* inquit, *tecum ad S. Antonium actum? eſt quod erga DEUM te gratum præſtes, de me velim omnino taceas.* Tùm verò alter non ſinè animi ſtupore, quòd neminem præter ſe conſcium periculi eſſe ſciret, *jam,* inquit, *intelligo Pater, quo loco ſis apud DEUM, & cujus beneficio præſentem mortem evaſerim. Ipſe qui tibi hoc ſignificavit, antequam ego ingratus ullum verbum facerem, ſempiternis te bonis augeat, ditétque.* Anno 1570. Anna Bernhuſia nobilis Virgo, ex famulitio Illuſtris Conjugis Comitis Marci Fuggeri, Oetingam adducta eſt, quòd malus genius negaret ſe alibi ab obſeſſa receſſurum. Ad quem è miſera exigendum adductus à Comite Caniſius, ante omnia Sacramentis omnes expiari voluit; tum ſacris exorciſmis dœmonem aggreſſus,cedere hoſpitio 8. jam annis pacificè poſſeſſo, ope Divæ Virginis coëgit, inter reliqua proteſtantem: *en nos infelices, DEO Deique Matri parere cogimur: vos interim* (alloquebatur ad inſtantes) *imperium ejuſdem detrectatis!*

Jam verò demortuum,declarabat illico mirabilem amœniſſimus vultus, lætâ coloris purpurâ ſuffuſus, qui macie ante mortem extremâ confectus in oſſa receſſerat; & inſuper halans ex corpore fragrantia omni florum & aromatum odore gratior; quæ duo ità populum affecêre, ut à Caniſij corpore non potuerit avelli, quoad ſepulturæ mandaretur. Exinde verò cœpit illum nobiliſſima Civitas,velut indubitatè cœlo receptum, pro ſingulari & proprio apud DEUM Patrono habere; ínq; ſuis neceſſitatibus ad eum magnâ fiduciâ recurrere. Non diu à morte ipſius contigit,ut Chriſtophorus Reiff ex ordine Senatorio vir clariſ-

clariſſimus, excuſſus equo adeò læſerit corpus, ut ſex ipſos menſes fruſtra Chirurgorum & Medicorum manus expertus, nil niſi jam ferrum & ignem expectaret. Sed conjunx Chriſtophori ad tumulum Caniſij, ignaro Viro, recurrit; unde domum poſt facta vota rediens, maritum obvium habuit, inuſitatâ lætitiâ ob receptam inſperatè valetudinem geſtientem; quem ubi de ſanitatis auctore edocuit, non ceſſavit ille Caniſij apud DEUM potentiam prædicare; rémque ipſam geſtam, publicis Magiſtratûs tabulis, juramento firmatam conſignari. Vidua quædam ingenuis orta natalibus à morte mariti caſtimoniam voto ſacraverat, & uſa à confeſſione Caniſio, conſtanter 18. annis ſervârat: cum defuncto Caniſio à pluribus in matrimonium enixiſſimè peteretur, cœpiſsétque ex eâ re mirâ cogitationum turbâ agitari, ut nullum tanti mali exitum reperiret; tandem auxilium apud Caniſij tumulum poſtulavit, & ſubitò impetravit, ut & importunitatem procorum & animi vexationes facillimè ſuperaret. Eandem opem momento obtinuit in gravi morbo conſtituta, poſtquam fruſtra medentium artem experta eſt: rursúmque cum faucibus illius inhærens fragmen oſſis nullo conatu extrahi poſſet, imploratô Caniſiô unicâ tuſſi excreatum eſt. Fuit & alia ab epilepſiæ morbo ad ſepulchrum Patris liberata: & quædam poſt bidui conatum de enitendo fœtu deſperans, ubi Coronam Marianam Caniſij, devotè ori & collo admovit, paulò pòſt prolem vivam edidit. Cujus generis beneficia hodie Friburgi dicuntur propè quotidiana, ſervatúrque in eum uſum Roſariolum Caniſij, pyxide clauſum, & ad laborantes petitum tranſmittitur. Anno 1612. ancillabatur puella nobili viduæ Beremannæ, Prætoris olim conjugio claræ, quæ graſſante clàm per Urbem peſtilitate, eâdem correpta, cùm ulceroſum jam tuber erupiſſe ſentiret, rogavit alias famulares ſocias, ut ſibi Sacerdotem, nè inexpiata decederet, accerſerent; ſed illæ preces ægrotæ neglexêre, veritæ nè domus infamiâ contagionis notaretur. Illa, nocte jam ingruente, verita nè inexpiata vitâ depelleretur, vovet certas ad tumulum Caniſij preces, ſi efficeret, nè ante noctem inconfeſſa expiraret. Vix conceperat votum, & diſparente mox vomicâ lethali, omni libera ægritudine ſurgit è lecto ad conſveta famularia opera, ludentibus in eam domeſticis, quaſi malum ex ignavia ſimulâſſet. Sed & ipſa infelix, incuria voti, cœpit dubitare, an à Caniſio eſſet curata: Et ecce in eandem extemplò relapſa peſtilentiam, nihil habuit priùs, quàm ut ad Caniſij conditorium properaret, votóque ſe exſolveret: continuóque abſterſo iterum infami tubere, ſalva domum recurrit, & publicâ Magiſtratûs auctoritate examinata, rei ſeriem juramento firmatam, tabulis conſignatam poſteris reliquit.

Ex Hiſtoria Societatis, & ejus vita Sacchini & Raderi.

P. GASPAR HAYEWOOD.



Nobilibus ſatus Parentibus P. Gaſpar in Anglia, in pueritia ad obſequia Aulæ traductus, inter honorarios Reginæ Eliſabethæ tum adhuc puellæ ephebos meruit. Juventutem auſpicatus, & ad luſtrandas Provincias è Patria dimiſſus, 27. ætatis anno Artium Magiſter, & Sacerdos Societati adjunctus eſt Romæ anno 1562. poſtquam jam antè Philoſophiam publicè docuiſſet, Vir magni ingenij, & poſt repetitam biennio in Societate Theologiam, illius Magiſter renuntiatus. In Bavariam ſubinde miſſus, Dilingæ Theologiam moralem, & Controverſas cum hæreticis quæſtiones per annos 17. explicuit; ad 4. votorum etiam Profeſſionem admiſſus: atque ùt erat in Hebræis doctiſſimus, brevem facilémque ejus diſcendæ lingvæ methodum digeſſit in tabulas. At ubi Perſonius cum Campiano anno 1580. in Angliam appulſus, multitudinem meſſis copioſam pro tam paucis Operarijs deprehendit, inſtitit non minùs apud Societatis Generalem, quàm ſummum Pontificem precibus ſummis agere, ut plures è Societate illuc operas & nominatim P. Gaſparem deſtinaret. Pontifex itaque Gregorius XIII. Angliæ ſalutem ſummo ſtudio proſecutus, dedit pro Gaſpare ad Electorem Bavariæ literas verbis ſequentibus: *Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem. Quod olim monuit Apoſtolos ſuos Dominus noſter* JESUS CHRISTUS, *hoc etiam nos monet quotidie: meſſis multa, Operarij autem pauci; rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat Operarios in meſſem ſuam. Rogamus nos quidem, ſed debemus etiam pro noſtro munere, & Eccleſiarum omnium ſollicitudine ab ejus bonitate nobis impoſita, eos quos maximè idoneos eſſe cognovimus, mittere, & curare, ut in hoc negotio Catholicos Princi-*



P. Gaspar Hayewood S.I. Nobilis Anglus, laboribus Apostolicis pro Patriæ salute, et ærumnoso carcere toleratis, exul decessit Neapoli 9. Ian: A° 1598: ætat.: 63. 64.

pes, in quibus Nobilitatem tuam inprimis numeramus, adjutores habeamus. Postulant Sacerdotes Sodalitatis JESU qui in Anglia sunt, ut mittamus eò ipsorum studij, & assidui pro Christi gloria atque animarum salute laboris adjutores: nominant autem inprimis dilectum filium Gasparem Hayvvodum Anglum; sperant enim ejus auctoritatem, quæ ibi nonmodica est, magno sibi usui futuram. Voluimus hoc significare Nobilitati tuæ: interest autem summopere ad DEI gloriam, quam solam spectamus, atque ad eorum quos mittimus incolumitatem, eos quos mittimus quàm securissimè discedere. Perspectum habemus Nobilitatem tuam & causam ipsam, & nostrum zelum vehementer probaturam, libentérque Hayvvodum in hac tanta necessitate à se dimissuram. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 17. Maij 1581. Pontificatûs nostri anno 9. In Angliam cùm venisset anno eodem cum P. Guilielmo Holto, maximos illico fructus Apostolicis suis laboribus messuit, quem doctrina excellens & pietas ad quælibet magna tollebat: unde etiam Personio paulò pòst Angliam relinquere coacto, in gubernatione Sociorum per Angliam suffectus est. Suo illo excelso charitatis robore vitam omnem Missionis sudoribus & periculis consecrârat, Provincijs omnibus optatus partiebatur ità se in omnes, ut nemini deesset; multorum unus ubique implens operam; vinctis, liberis, afflictis, egentibus, ab extremis Regni partibus Londinum stipem audebat afferre. Jam verò de accessionibus conversorum per illum ad veram Fidem narrabat, qui viderat Gabriel Alanus Fratri suo postea Cardinali, majoris in Anglia, post

post Campiani captivitatem, dexteritatis & felicitatis Operarium Haywodo fuisse neminem: ut adeò ipsemet stupens ad tantam hominum capturam, scriberet Alano Rhemos Apostoli Petri verbis: *Stupeo hic in captura piscium, quia homo peccator sum.* Nam præter alios, Viros etiam Principes reti Apostolico concluserat, Comitem Arondelli, Philippum Hawardum, Henricum Northumbriæ Comitem, morte intrà carceres Fidei causâ deinde obitâ clarum, quibus fortè in Regno nemo dignitate & sangvine clarior, vel suppar erat. Sanè Personius ipse scripsit, eo post suum ab Anglia discessum anno, duplo numerosiores quàm priore Ecclesiæ accessisse.

Verùm his præclarè & Apostolicè gestis non levem inussit maculam Haywodus, decisione temerariâ laxandi per Angliam Jejunij Ecclesiastici, & ad universalem Ecclesiæ Romanæ normam reducendi. Servabantur jam indè à temporibus S. Augustini Angliæ Apostoli, præter solennia Ecclesiæ legibus indicta, jejunia quædam alia, ùt feriâ 6. cujusvis hebdomadæ, alicubi etiam quartâ, item pridie Festorum DEIparæ, & Rogationum triduo; quæ cùm Sacerdotum & Fidelium quidam tolli, omniáque ad morem universalis Ecclesiæ vellent reduci, alij è contra mordicus retinenda contenderent, nè indulgeri aliquid videretur hæreticorum libertati; nusquam avidiùs, quàm in jejunia debacchantium: Personius sapienter in Conventu Sacerdotum decrevit; ut quibus in Provincijs ab antiquo rigidior usus invaluisset, etiam deinceps retineretur; Provinciæ autem communi ritui assvetæ, sinerentur similiter pergere suo more, neque ad jejunia illa extra ordinem urgerentur. Cùm verò à discessu Personij graviùs eadem controversia recrudesceret, Haywodus unitatis & conformitatis studiosus, aggressus est mente bonâ asperitatem illam jejunij, quod erat præter Romanum morem, laxare, ut querelis multorum, Sacerdotum præsertim, satisfaceret: quâ re Catholicorum rigidiorum animos sic turbavit, ut laxamentum illud detrimento Fidei Catholicæ futurum rati, eum magnopere veluti imprudentem offensionis auctorem fuerint aversati. Per idem tempus Haywodus articulari morbo correptus, laboribus Apostolicis inutilis penitus in Anglia efficitur: quare ab Generali Aquaviva ob causam utramque revocatus, in Gallias abire jubetur; quod dum præstat, voluit illum DEUS in casses hostium captivum incidere, ut suâ in durissimo carcere pro Fide constantiâ, qualemcunque illum scrupulum & laxati jejunij scandalum Catholicis tolleret; cùm viderent generosâ Fidei professione, per eum non stetisse, quò minùs pro Religione Catholica mortem oppeteret. Igitur Anno 1584. ùt primùm arthritici dolores permiserunt, magnâ Catholicorum charitate (qui præter dictum jejunij laxamentum hominem amabant plurimùm) conscendit in Galliam, & Dieppam elusis custodijs jam evaserat: cùm venti subitâ & ineluctabili rabie in Angliam rejectus est, ubi dum portûs custodes à vectoribus seorsum requirunt, quis? & quâ facultate Regno egressi? suspicionem sui Haywodus fecit, tandem etiam liquidò compertus Catholicus & Sacerdos, Londinum in vincula ducitur.

Crebrò illic à Consiliarijs Regijs tentatus est varijs promissis minísque, ut ad Reginæ, cui puer ab obsequijs fuerat, in minimo saltem parendum induceretur: sed cùm surdo omnia dici viderent, supplicij extremi metu percellere conati sunt. Productum è carcere die 5. Febr: cum fortissimis DEI Sacerdotibus Georgio Addocko, Jacobo Feno, Thoma Hemerfordo, Joanne Mundeno, & Joanne Nuttero (qui quinto pòst die ad Tiburnum pro Fide Catholica nobiles animas pretiosâ morte posuêre) cum ijs unà sisti Duodecimviris jusserunt, ad sententiam capitis audiendam. Sed ubi cum ijs ad fores Palatij denso populo septas stantem imperterritum Haywodum vidit Optonus, jubet à reliquis avulsum, vicinis in ædibus custoditum retineri, & clàm in turrim reorum ad Tamesim per posticum inferri. Quam fraudem scelesti commenti fuerant, ut illi quinque Christi Confessores, de quibus damnandis agebatur, Haywodi carerent præsidio, qui erat dicendo & stringendis argumentis mirè potens & exercitatus. Deinde ut Catholici simul & hæretici concitarentur in Haywodum, tanquam metu, mercede, aut rationibus expugnatum, factum Fidei desertorem; quam suspicionem movebat illa, Optoni jussu, ab socijs separatio, & occulta in carceres remissio. Sed suspicionis contractæ gravitatem placuit DEO in tantundem honoris Haywodo vertere. Reductum enim in carcerem compererunt Catholici nullis abduci promissis, nullis concuti repetitis terroribus potuisse, vitam priùs ad quælibet supplicia offerentem, quàm ut admitteret quidquam minùs decorum Catholico, Sacerdoti, & Religioso. Et cùm infractâ constantiâ veritatem Catholicam tueretur, & pro ejus defensione certamen quibuscunque hæreticorum antesignanis offerret; nullus eorum

ex-

experiri ausus est quantus in disputando assurgeret. Cùm autem Optonus minaretur, fureret, & suppliciorum crudelem scenam coràm explicando terreret: Cæcilius è contra, Hartonus, Walsinganus blandirentur, urbanitate omni hortarentur, Episcopatûs etiam dignitatem pollicerentur, non quidem ut Catholicum exueret, vel Templorum introitu simularet exuisse (hæc enim impetraturos desperabant) sed ut in minimo duntaxat, qualecunque illud foret, bene cum Regina sibi convenire præseferret: stetit ipse semper immobilis, inter decem & septem mensium carceris ærumnas, & multiplicia hujus generis tentamenta, donec in exilium ab Anglia cum 72. Sacerdotibus alijs pulsus est.

Durissimum autem fuisse illius carcerem, in quo continuâ podagrâ vexatus miserè jacebat, explicuit optimè testis oculatus P. Guilielmus Westonus, datus illi in officio Superioris successor, qui ad eum specie Medici, duce ejusdem sorore, penetravit. Narrabat enim, se dum illuc tot portis & posticis, vectibus ferreis ad singulos ingressus magno catenarum & serarum strepitu apertis, móxque à tergo clausis traductus subiret, & tristi ubique silentio ac solitudine horrere omnia cerneret, funesto hoc spectaculo sic cohorruisse, ut si ex vero reus illuc ipse intraret. Egit ibi cum illo diem integrum de præsenti Catholicorum calamitoso statu, cavendis apostatis & proditoribus, didicítque ab Haywodo, adventum suum in Angliam Consiliarijs Regijs jam innotuisse, & sexcentos emissarios ad eum explorandum esse destinatos. Ejectus ab Anglia Haywodus, migravit Dolam Burgundiæ, ubi illi frequens conflictus deinceps fuit cum dœmone ipso & larvis infernalibus. Sæpe enim ab illo nocte infestatus, duris verberibus & alapis exceptus est, omnibus remedijs, ipso etiam SS. Sacramento super mensam cubiculi ad lampadem religiosè asservato, frustra adhibitis. Nam intempestâ nocte consvetus malus hospes ingressus, formam nigræ felis indutus, factâ Venerabili profundâ reverentiâ extingvit lumina, tum Haywodum rursus more consveto infestare aggreditur. Sed nihil his turbari se passus, patientiæ clypeum inexpugnabilem opposuit, cui soli infringendæ pertinacem adeò hostem incumbere advertebat, ab eadem gloriosè tandem superatum. Post 4. annos profectus Romam, deinde Neapoli consedit, ubi DEUS illum singulari piarum lacrymarum dono dignatus est, sic, ut quavis ex pia causa ubertim in illas solveretur, sive super mensa legeretur, sive cum SS. Sacrificium ipse faceret, sive de rebus sacris moveretur sermo. Jam morti proximum rursum veluti post inducias invasit dœmon, æternis pœnis addicendum insusurrans, quòd rectâ Fide, quam frustra in Anglia per tot ærumnas tuitus erat, destitueretur. At ille elatâ voce Patrem mendacij compellans: *mentiris*, inquit, *nam ego rectæ Fidei causâ & carcerem & exilium passus sum, & nunc pro eadem tuenda morior extorris. Sed & adversùs hæreticos eam blasphemantes multis annis è cathedra decertavi.* Plura objicientem hostem mendacij semper redarguens, tandem cujusnam auxilio vinceret ut palàm esset, *gratias*, exclamat, *ago tibi dilectissima Domina, Mater DEI mei, quòd in subsidium mihi venire dignata es, & imminentem hostem volueris propulsare.* In qua voce placidissimam animam per manus præsentis Virginis tradidit Creatori 9. Januarij 1598. cùm annos ætatis explêsset 63. Societatis initæ 36.

Ex Historia Angliæ, Mori & Bartoli.

P. IGNATIUS MARTINEZ.



Memorabilem fecêre Collegij Conimbricensis, omnium quæ Societati ædificata sunt primi, in Lusitania fundationis diem decimum quartum Aprilis, eventus aliquot; qui magnam felicitatem illi portendere meritò videbantur. Nam ad primos terram in fundamenta effodientium ictus, examen apum ab humo erupit, omnibus omen secundissimum id interpretantibus: & Simon Rodericus ternos lapides, totidem votis Religiosis, Paupertati, Castitati, & Obedientiæ sacratos & inscriptos, in fundamentum jecit. Atque ut vivum etiam lapidem, cui spiritualis ejusdem Collegij fabrica inædificaretur, fundamento prospiceret, dixit, primum quem ad Societatem recepturus esset, IGNATIUM appellaturum: ob honorem & reverentiam sui sancti Parentis, ut per ipsius nomen verus Societatis spiritus toti illi Collegio communicaretur. Et ecce obtulit se primus omnium Candidatus Adolescens, 18. annorum, nomine Vascus Martinez: hunc mutato in IGNATIUM nomine in Societatem illico anno eodem 1547. recepit; qui etiam deinde ge-



P. Ignatius Martinez, S: I: Lusitan9, post„ 20 año„rum, etiam in Regia conciones, Catecheticæ doctrinæ per Lusitaniam zelosissim9 Instaurator, miris eventib9 et gratijs in eo munere à Deo ornat9, et cum fama san,ctitatis defunct9. Conimbricæ 28 Feb: 1598. Ætatis 70.

65.

genuinum S. Parentis imitatorem, ad omnium excitamentum se constanter exhibuit. Natus in nobili castro Govea diœcesis Conimbricensis; primâ pueritiâ vitam innocentissimam in obsequijs Marianis egit, quotidianus Virginis in quodam ejus vicino Sanctuario, *Dominæ de vera-cruz* appellato, multísq; prodigijs claro, adorator: quem ille locum per omnem deinceps ætatem in præcipua veneratione habuit, & beneficia cœlitus accepta varijs anathematis, donarijs, & ejusdem cultûs apud omnes promotione pensare studuit. Post consveta Societatis experimenta, & disciplinas omnes studendo exhaustas, Philosophiam primùm ibidem Conimbricæ, iterúmque primus omnium Eboræ explicuit: at quia prædicandi speciali talento pollebat, ad conciones Superiorum voluntate translatus; supra 20. annos id munus ingenti applausu & satisfactione, tam populi, quàm Nobilitatis, ipsorúmque adeò Lusitaniæ Regum exercuit, à quibus titulo Concionatoris Regij honoratus, cogebatur identidem in Aulico Oratorio prædicare. Fructus tamen eorum annorum, pro dictionis mensura, ferè magìs in applausu & curiosarum aurium delectatione constitit, quàm in serio animorum ad pœnitentiam, & horrorem peccatorum motu, quòd ipse modum Juvenum quorundam Oratorum sectatus, verborum magìs elegantiâ, acuminum & inventionum subtilitate, & phaleratis conceptibus auditorem mulcere, quàm veritatibus æternis corda percellere studeret: donec placuit DEO, qui illum ab æterno multorum conversioni & saluti Apostolicum Prædicatorem destinaverat, eundem

dem ab hac curiosa vanitate avulsum, spiritu suo implere, ad prædicandum Evangelium *sicut est verè verbum DEI.* Id quod hac ratione evenit.

Ex occasione demortui Præpositi Generalis totius Societatis S. P. Francisci Borgiæ, contigit celebrari Eboræ anno 1572. Provincialem Congregationem, pro mittendis Romam ad eligendum novum Præpositum Electoribus, ex quibus unus nominatus est Ignatius Martinez. Hic in reditu ab Urbe per Paduam instituto, dum sacras Thaumaturgi sui Patroni S. Antonij de Padua exuvias veneratur, dici non potest, quantis motibus intimè in animo percelli se senserit, ex aspectu sacræ illius lingvæ, hodiéque ab omni corruptione integerrimæ. Et quia divinum hunc favorem in præmium verbi DEI pro dignitate Evangelica, ex vero Apostolorum zelo prædicati, sancto cadaveri concessum non dubitabat, sentiebat simul amarâ quadam sugillatione suam in dicendo vanitatem sibi à DEO exprobrari: ideóque in vestigio firmissimè decrevit, zelum domestici sui Concivis & Patroni Antonij in prædicando imitari. Reversus in Lusitaniam, immutato penitus dicendi genere, & facetijs omnibus, subtilitatibus, & curiositatibus sepositis, cæpit vitia & peccata seriò perstringere; hortari ad pœnitentiam, æterna tanto fervore, citra ullas conceptuum ambages inculcare; ut novum Antonium, vel redivivum Apostolum Paulum audire sibi omnes viderentur: ex quo factum est, ut quem antea libenter omnes audiebant, nunc etiam summo studio dicturum ambirent & perquirerent. Ipse autem ut pondus ad persvadendum verbis suis adderet, totum se DEO & orationi tradidit: hic verò ad altiora & perfectiora servum suum impellēs, ingens quoddam miniméque usitatum illi desiderium catechizandi, & parvulos docendi injecit. Solebat eatenus Ulyssipone doctrina Christiana pueris & rudibus campanâ evocatis, in Templo S. Rochi tradi: at Ignatius rariores, pro Urbis amplitudine, convenire, & eos fortè, qui maximè instrui egerent, emanere arbitratus; statuit Catechesim hanc in publica fora & plateas educere. Incredibilem tamen inferioris in se hominis luctam expertus est, priusquam impulsui Divino ad ministerium tam humile sese vocanti acquiesceret. Ingerebatur enim ejus animo molestissima ea cogitatio, quid dicturi essent homines, si Vir id ætatis & auctoritatis, sacræ Theologiæ pridem Doctor, & Regius Concionator, longiore virgâ armatus, publicas Ulyssipone vias ad colligendam pueritiam circumiret, & Fidei rudimenta illis partim præcineret, partim præoraret? & crevit eousque (DEO sinè dubio ad heroicæ victoriæ augmentum ità permittente) humanus iste timor, ut quo die primùm ad sacrum hoc ministerium prodijt, toto corpore inhorresceret, genuáque invicem tanto tremore colliderentur, quasi mortifera illi lucta subeunda immineret.

Neque illi parcè DEUS occasiones confusionum (quas in humili isthoc officio verebatur) submisit. Contigit aliquando, ut Episcopus Insulæ Tertiæ, Germanus Ignatij frater, magnificè vectus, in Patrem incideret, virgâ ad continendos in officio pueros armatum, & publico in foro catechesim magnâ voce inculcantem: quo spectaculo graviter offensus, summámque sui prostitutionem interpretatus, aliorsum properè rhedam agi præcepit, multa in Patrem commotiore stomacho effutiens; quæ ille tranquillâ fronte, nullo verbo reddito, generosè concoxit. Similia ab alijs quàm plurima sustinuit opprobria, non hominibus duntaxat, sed vel maximè dœmonibus, visibiliter per se, & per alios occultè, à proposito illum absterrere, & opus tam sanctum intervertere molientibus. Ità puerorum agmen per publicos calles deducenti, advertit qui eum comitabatur socius, sonantem colaphum infligi: dúmque accurrit, & auctorem tantæ impudentiæ circumspicit, Pater nihil ictu perculsus, *sine*, inquit, *frater, neque incassum percussorem inquire, qui nullus est ex præsentibus: nam inimicus homo hoc fecit.* Nec minimus ad creandum illi in cœpto munere tædium, & expugnandam patientiam erat aries, quòd principio insuetæ hujus lectionis vix ullus in publico docentem audire, ac multò minùs quærenti respondere, aut precationes recitare volebat: sic, ut è gradibus Hospitalis Ulyssiponensis docentem, licèt quadam vice multa turba auscultaret; nemo tamen fuit ex omnibus, qui jussus ex auditis quidpiam repetere, aut orationem saltèm Dominicam dicere, obtemperaret. Quare Pater altiore spiritu impulsus, conjectis in infantem sex mensium, quem mater sinu gestabat, oculis, jubet eum *Ave Maria* recitare. Mirùm dictu! apertis mox labijs infantulus, altâ voce totam Angeli Salutationem decurrit; maximâ attonitæ multitudinis consternatione & pudore, ad cujus tumorem confundendum DEUS tanto prodigio lingvam infantuli fecit disertam. Atque hoc prodigium totâ mox Urbe, & inde per universam Lusitaniam ab tot oculatis testibus vulgatum, præ-

po-

posteram illam in precationibus sacris palàm depromendis verecundiam penitus absterſit; neque ullus deinceps, ex adultis etiam provectæque ætatis repertus eſt, qui non promptiſſimè, quoties à Patre juberetur, ſpecimen ſui in Chriſtiana doctrina profectûs palàm expromere, crucem formare, aut orationem quampiam recitare, id lubens abſque tergiverſatione præſtaret. Grandem item principiò opperiebatur moleſtiam in colligendis, continendíſque in ſilentio & modeſtia pueris, ut ordinatè ad locum habendæ catecheſi deſtinatum adducerentur, quòd nullus adhuc tum uſus vexillorum in hoc miniſterio eſſet, quæ pueris, certo ordine diſpoſitis, viam præirent. Dum media & praxes varias indagat, ínque omnes partes animum verſat; nocte quadam per ſomnium videre ſibi viſus eſt labarum, quali ferè Miſericordiæ Fratres illic utuntur, cujus altè prælati ductum longa parvulorum concinentium ſeries ſequebatur. Dum praxim viſam approbat, dum imitandam ſibi conſtituit, occurrebant dormienti plures opponendæ difficultates, ſimúlque actu ſentiebat à Sodalibus Miſericordiæ vexillum ſibi è manibus extorqueri, quaſi hac ad parvulorum uſum translatione dehoneſtaretur. Expergefactus ubi primùm ad Collegij portam deſcendit, videt unum è ſuis Auditoribus parvulum longiuſculæ haſtæ appenſam tabellam, affixâ utrimque piâ ex papyro imagine, ornatam circumferre, qualis ferè per ſomnium ſibi fuerat objecta: ratúſque eam praxim cœlitus ſibi ſuggeri, optimo deinceps ſucceſſu, & difficultatum omnium victoriâ eam uſurpavit, prout hodiéque in Luſitania obſervatur. Porrò ad acuendum pueritiæ fervorem, adhibebat ſubinde huic ſuorum proceſſioni optimos quoque muſicos; & in ejus fronte locabat fratrem ſuum ſocium (quanquam non raró primarij Patres id muneris ſubibant) qui tintinnabulum altè ſuffixum quatiebat: ipſe verò in extremo ordine catecheticam virgam, officij ſui inſigne præferens, in qua glorioſiùs ignorantiam & vitia ab animis hominum, quàm Romani in aquilis hoſtem ab Imperij finibus depelleret, agmen concludebat. Cùm hac puerorum acie apertum inferno, & vitijs omnibus bellum movit, non ſinè frequentibus triumphis reportatis, ex profligata maximè profanorum ſpectaculorum licentia, quorum erat juratus hoſtis; neque ullo pedem figere loco patiebatur. Igitur toties è medio theatro à ſuperveniente puerorum cohorte depulſos ſe ſe experti hiſtriones, quò ſecuritatem ſibi ab importuna Patris violentia facerent, ad patrocinium ſpirituale præpoſterâ pietate confugiunt, & cum Noſocomij Proviſore paciſcuntur, certam pecuniæ ſummam pro unaquaque Comœdia in eleemoſynam Hoſpitalis ab ſe depenſum iri, ſi modò ſecuritas ſibi à P. Martinez, & poteſtas liberè in theatro agendi præſtetur. Facilè advertit Pater dœmonis aſtum, & liberalitatem ex ejus ingenio, ad intervertendos ſuos conatus, mimicis Comœdis ſuggeſtam. Neque tamen animo concidit, ſed cùm reſciviſſet penſionem illam centum millia realium annuè non exceſſuram, firmiter decrevit, tantundem unde unde corrogatum Hoſpitali deponere, certus Divinam liberalitatem cauſæ ſuæ minimè defuturam. Hoc animo domum revertens, in ipſo januæ ingreſſu hominem deprehendit nunquam aliàs cognitum, ſeſe opperientem, qui centum millia realium ipſi obtulit, nomine devotæ cujuſdam perſonæ, quæ ſciri nollet, cuperet autem illa in pios aliquos uſus, juxta arbitrium Patris expendi: quibus ille ſinè mora ad Hoſpitalis Proviſorem tranſmiſſis, improbum hiſtrionum ſtratagema eventu ſecundiſſimo eluſit.

Adverterat etiam in ea parte Urbis, quæ Luſitanis vocatur *Corpus ſanctum*, colligi ſolere ex omni ſorte & gente homines, Catholicos & Hæreticos, milites nautáſque; qui nullam unquam Eccleſiam, audiendi verbi Divini causâ, accederent. Protinus ergo convocatos ſub ſigna conſveta pueros eò deducit, defixóque loco eminentiore, prope Sacrarium DEIparæ Virginis, à Gratia denominatæ, doctrinæ Chriſtianæ vexillo, poſſeſſionem loci capit: maximo otioſorum illorum fructu, qui curioſitate primùm ad rem novam ſpectandam audiendámque allecti, ſed mox ſeriò Ignatij verbis ignitis compuncti, & ipſi frequentes deinceps accurrebant, & alios ſibi ſimiles pertrahebant. Eâdem arte occupavit forum Urbis majus, *Ribera* dictum, ubi fæx, improbæ & facinoroſæ pubis congregabatur, & peſſima quæque verbis factíſque exercebantur; cum quibus majùs Patri certamen ineundum fuit, ut ad auſcultandam doctrinam Chriſti adigerentur. Quod cùm neque bonis verbis, neque præmiolorum pollicitatione à petulante, & furtis ferè crumeníſque ſecandis aſſvetâ juvenum turbâ obtineret; ad violentiora media converſus, per ſubornatos validiores adoleſcentes jubebat eis auferri ſeu pileos, ſeu pallia, armáve alia, ſecuróque loco interim aſſervari; neque priùs reſtitui, quàm auditâ modeſtè catecheſi, ſpecimen hauſti profectûs ederent. Neque opus fuit in pleriſque

risque vim ejusmodi sæpius usurpare; nam audito semel Patre, DEUS pervicaciam eorum ità emolliebat, ut sponte deinde & constanter accurrerent, morésque planè alios induerent. Et fuit omnino maximæ in totam Urbem ædificationi, videre ejusmodi quàm plurimos furtis olim notoriè assvetos, nunc fortuitò etiam inventa dominis reddere, & de amissorum possessoribus sollicitè inquirere: fuítque unus ex illis, qui repertam in publica via cum pretioso anulo crumenam, septuaginta sex aureis turgidam, ad Patrem detulit, Domino suo, si reperiretur, restituendam; id quod prodigijs per Patrem sæpius factis adnumerabant, quotquot juvenis antehac rapacitatem noverant. Cum eadem parvulorum pompa passis vexillis, sonantéque musicorum choro, procedebat non rarò ad hospitalia, carceres, triremes, solatia non tantùm spiritualia, sed etiam corporalia miseris allaturus: ferebantur enim propalam simul cibaria, pecuniæ, vestes, & quidquid ad pauperum, captivorum, vel remigum subsidium Pater corrogaverat; quæ post refectos ardenti aliquâ dictione animos, singulis distribuebantur. Hoc spectaculo permoti Cives, magno numero etiam ex primarijs sese adjungebant, ut in partem obsequiorum ægris & pauperibus impendendorum venirent: eáque liberalitate eleemosynas suppeditabant, ut plerumque solius potûs supra 200. vascula in tali processu deportarentur.

Neque hæc industria Patris charitas stitit in juvandis doctrinâ Christianâ Lusitanis, vel Europeis; sed ad Nigritas etiam, Æthiopica mancipia se extendit, quorum ingens Ulyssipone copia ex 20. diversis nationibus numerabatur. Et quia per hebdomadem in continuo suorum Dominorum labore occupatis convenire non licebat; Dominicis verò Festísque diebus necessariam sibi quietem, quò minùs docentem auscultarent, obtendebant; eò tandem animos barbarorum inclinavit; ut quavis Dominicâ, per vices, quinque saltem nationes, alijs interim domi quiescentibus, ad catechesim in templum Hospitalis Regij convenirent. Itaque cùm primâ statim vice supra mille Æthiopes accurrissent, in 12. turmas sub totidem vexilla partitos (quem morem etiam cum alijs deinceps observabat) per Urbem ad prædictam Ecclesiam deduxit, divini verbi pabulo nutriendos. Ut autem vividum quendam tam in his Mauris, quam Lusitanis fervorem, catecheticam doctrinam auscultandi conservaret; varia excogitabat piorum munusculorum genera, quibus bene meritos præmiaret: Coronas præsertim DEIparæ; quâ ut nemo careret, jubebat sæpius Rosaria sua singulos palàm depromere. In quo genere mirum aliquid ipsi accidit cum Serenissimo Archi-Duce & Cardinali Alberto, Maximiliani Cæsaris filio, duorum Imperatorum Rudolphi & Mathiæ Fratre, per id tempus Lusitaniæ, postmodum verò Belgij Gubernatore, id quod toti mundo potest exemplo esse & ædificationi. Solebat Pater rogatu Archi-Ducis, simplici Patris zelo mirè delectati, catecheticũ suum puerorum exercitum frequentiùs sub ipsas Regij Palatij fenestras traducere, per quarum vitra singulari artificio parata, poterat Archi-Dux omnia, quæ foris agerentur discernere, quin tamen ipse vicissim videretur: cum qua suorum acie aliquando eodem loci subsistens, rudimenta Fidei solito fervore explicare aggressus est. Sub finem autem dictionis, quæsivit ex more, num singuli Corollam DEIparæ penes se haberent? & ut rei veritas omnibus pateret, jussit singulos seorsim in medium prodire, & sertum suum palàm ostendere. Erárque Patris apud universos ea reverentia & æstimatio, ut nemo id facere etiam ex adultis, quantumvìs persona spectabilis & primæ Nobilitatis, tergiversaretur. Postquam ergo omnes arma hæc Mariana deprompsissent, Pater oculis in fenestram, ubi adesse noverat spectatorem Albertum, conjectis, supplicare humillimâ confidenriâ cœpit, ut Auditorium suum illo honore dignaretur, vellétque & ipse ostenso palàm Rosario suum in DEI Matrem affectum coram omnibus declarare. Sed cùm nihil ab Archi-Duce responderetur, Pater ad populum conversus, *adverto*, inquit, *Serenitatem suam nolle Rosarium suum, quia nimis pretiosum coram illis ostentare*, & cum dicto unum è numero parvulorum (hi enim ordinarij ipsius fuêre cursores & legati) evocat, jubétque Palarium ad Archi-Ducem ascendere, & Corollam (quam illi ex simplicissimis unam commisit) in manus Serenissimi tradere. Pusio innocens nihil tergiversatus, gradus animosè conscendit, primàmque Helvetorum custodiam transgressus, cameras omnes & atria intrepidus pervadit, neque ab ullo cubiculi regalis custodum retineri se passus, ad Albertum penetrat, & positis humi genibus rransmissum virgineum sertum reverenter offert. Christianissimus Archi-Dux renidenti vultu munus acceptans, fenestram illico aperiri jubet, manúque foras cum vultu protensâ, ut videri ab omnibus posset, Rosarium catecheticum ostentat. Tantam tanti Prin-

ti Principis dignationem, & pietatem verè Austriacam, incredibili applausu & acclamatione tota Patris concio excepit, celebravítque universa Lusitania tam Patris sanctam confidentiam, quàm Archi-Ducis pijssimam humilitatem ac religionem.

Denique ut nihil prætermitteret eorum, quæ facilem & jucundum parvulis redderent Cœlestium mysteriorum captum; ad versiculos & pios rhythmos componendos, quibus ea concinerentur, id ætatis & gravitatis Vir se demisit, discendósque è memoria domi & in scholis commendavit, quibus paulò post omnia diu noctúque personabant. Et quidem catechesim, ubi ipse crucis signum altâ voce efformâsset, à cantu inchoabat, duobus puerulis, qui vocis elegantiâ præstarent, versiculum hunc linguâ domesticâ præcinentibus: *quisque fidelis Christianus ad hoc primariò est obligatus, ut ex toto corde veneretur, & devotus sit erga sanctam Crucem*: quam cantionem vocabat Angelicam, quòd ab ipsismet Angelis decantari aliquando audita fuisset; quod exemplum sæpius referebat, meritò à nobis etiam hic commemorandum. Navigabant in Indias Lusitani quidam, prosperâ aliquandiu usi tempestate; cùm repente violentissimus exortus ventus Oceanum in procellas concitavit, navímque in scopulos & syrtes ità impegit; ut hac confractâ, nautæ vix salvi in scapham evaderent. Erat nox tenebris spississimis obducta, ínque novos fluctuum montes ab imo erutum mare ebulliebat; inter quos pilæ instar agitata scapha, mortem illis præsentissimam in singula momenta minabatur. Inter hos sævientis Oceani fremitus, audiunt repentè à prora naviculæ svavissimam musicæ harmoniam ad aures suas allabi, & inter mellitos ejus sonos modulis planè cœlestibus identidem cantum illum repeti: *quisque fidelis Christianus ad hoc primariò est obligatus, ut ex toto corde veneretur, & devotus sit erga sanctam Crucem.* Attoniti vectores, ac pæne extra se melodiæ svavitate abrepti, tempestatem vix ampliùs advertebant: nec dubij eâ voce excitari se ad fiduciam in triumphali contra dœmones sanctæ Crucis vexillo reponendam, magnis vocibus sanctam Crucem acclamabant, pérque illam, à Christo crucifixo misericordiam cum lacrymis implorabant. Mirum dictu! eodem momento tempestas omnis resedit, venti posuêre, & plena serenitas mari restituta est, per quam facili imposterum cursu optatum Indiæ portum tenuêre. Atque in hoc eventu patet, quomodo Angeli cantum P. Ignatij imitati sint. Videamus nunc, quâ ratione in versuum musicorum combinatione eundem adjuverint. Inter reliquas conciones catecheticas, quasdam etiam Lusitanicè composuerat de quindecim Rosarij mysterijs, quarum primâ hunc inter alios versum habebat: *Virgo sacrata, Mater DEI; quis in mundo est similis tibi? Ab Angelo Gabriele fuisti salutata, & illi colloquendo mansisti imprægnata Filio DEI.* Verùm non satìs bene auribus ejus sonabat, neque satis congruè & modestè ad Virginis pudorem dici videbatur, *imprægnata*, licèt mysterium optimè exprimeret. Itaque dum studiosè aptius verbum aliud inquirit, nec tamen invenit; pergenti in ea cogitatione ad catechismum, in S. Rochi Ecclesia de more faciendum; elegantissimus pusio occurrit, & pallium ejus vellicans hoc solum enunciat: *Pater Magister Ignati. mansisti inhabitata Filio DEI.* Exhilaratus ille tam aptâ versiculi emendatione, & Correctoris ingenium miratus, præmiolum aliquod pusioni donandum in sacco quærebat: sed ille jam disparuerat, neque unquam ampliùs Patri visus, aut deprehensus est. Ex quo successu major in ejus animo zelus pueros docendi increvit, quorum personam & faciem videret ab ipsis purissimis spiritibus, veluti sibi maximè congruam indui: & conatus simul suos ità ab alijs honorari, ut ad versiculum unicum concinniorem in Virginis laudem reddendum, auxilio sibi venire dignarentur.

Nec defuêre alia prodigia, quibus DEUS approbare visus est pios ejusmodi P. Ignatij cantus, & verba quibus catecheticas suas lectiones inchoabat, & concludebat. Sceleratus quidam leno & Veneris mancipium, deprehensam in agro Ulyssiponensi (*cui nomen Campus S. Barbaræ*) pudicam & honestam mulierem ad stuprum rapiebat, intra ipsos patibuli (quòd nullus alius in aperto campo idoneus receptui locus esset) muros pertractam, in quod agi, præ latronibus & furibus, scelestus ipse merebatur. In his angustijs constituta mulier, cùm precibus frustra, frustra clamoribus repugnaret; neque ullum præter Superos, pudicitiæ suæ vindicem speraret; allabitur repentè sonora & distincta P. Ignatij, tanquam in vicinia loquentis, ad aures scelesti vox, ea ipsa verba, quibus Pater catechesim inchoabat, referens: *per signum sanctæ Crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster.* Consternatus summopere furcifer, aures magìs arrigit, & ecce audit eundem Patrem altiore solito voce pronunciare confessionis generalis verba, quâ catechesim sem-

per concludebat: *Ego maximus peccator, confiteor DEO omnipotenti, B. MARIÆ semper Virgini,&c.* Hac iteratâ voce ad salutem penitus concussus, mulierem intactam dimisit, & post eam noctem totam in lacrymis & singultibus doloris consumptam, primo mane ad S. Rochi in Urbem venit, summáque contritione peccata P. Ignatio confessus, vitam imposterum Christiano dignam instituit. Non multùm absimilis fuit eventus, quo nobilis, sed insigniter improba muliercula ad frugem in eadem Urbe reducta est. Habitabat illa in ea parte Urbis, quæ *Rua nova* dicitur, venalem flagitiosis pudicitiam passim exponens: quibus ut liber esset horâ qualibet accessus, ostium domûs etiam noctibus sinebat apertum. Ità dum nocte quadam pervigilat, & hospites amasios cupidè expectat, audit subitò in platea strepitum transeuntis veluti magnæ hominum multitudinis, miratáque quid illa hoc temporis istic ageret, fenestram accedit; & ecce videt P. Ignatium cum suo parvulorum exercitu more solito procedentem, qui elatis vocibus insonabant consvetum sibi illud è Patris catechismo: *timete peccatores justum Judicem DEUM, &c.* Eo spectaculo concentúque, quem boni genij sinè dubio parvulorum specie exhibebant (neque enim re ipsâ Pater processionem tum ducebat) attonita mulier, non minùs contremiscebat, quàm si ex ore ipsiusmet Christi Judicis severi eas minas audîsset, evocantis illam ad suum tribunal, & rationem criminum mox reddere jubentis. Igitur januâ domûs scortatoribus confestim obseratâ, primo mane ad S. Rochi Templum properavit, & P. Ignatio multis cum lacrymis peccata confessa, vitam ità emendavit, ut optimis matronis in pudicitiæ exemplar proponi posset. Parem admirationem meretur id, quod mercatori cuidam Conimbricensi evenit. Hic alieno ære plurimùm gravatus; ut creditoribus, licèt summopere vellet, satisfacere non posset, Ulyssiponem tandem venit: ubi aliquamdiu moratus, ex ingenti illa P. Ignatij fama, cœpit catechesim illius frequentare; primo ejusdem sermone ità inescatus, ut nullam deinceps seu concionem, seu catechismum omitteret; sed multò antè occupaturus locum (hoc enim necessarium erat, si quis in tanto multitudinis concursu opportuniorem locum desiderabat) præveniret. Neque his contentus, privatis etiam congressibus animæ suæ negotia Patri penitus aperuit, optimísque præceptionibus instructus, Conimbricam postliminiò redijt, firmus certúsque ex earum præscripto imposterum vivere. Sed non diu (ùt sunt hominum omnia fragilia & instabilia) in proposito constitit: cùm enim creditores vehementer instarent, neque ullam misero quietem, nisi debita resarciret, concederent; ille exitum nullum, modúmve satisfaciendi reperiens, & dæmonis instinctu in desperationem actus, suspendio vitam abrumpere decrevit. Jámque laqueum gulæ implicuerat, jam eundem collo applicabat, cùm vocem audit P. Ignatij (qui tamen eâ ipsâ horâ Ulyssipone, 36. leucis ab Conimbrica, in foro ex gradibus Hospitalis Misericordiæ, doctrinam Christianam tradebat) catechesim à consveta sibi formula exordientis: *per signum S. Crucis de inimicis nostris, &c.* Fuítque ea unius hujus sententiæ efficacia, ut veluti syderatum hominem attineret, neque manus, queis laqueum collo induebat, stupore luxatas commovere posset. Cùm verò circumlatis in omnem partem luminibus neminem ullibi mortalium conspiceret; intellexit demum vocem illam divinitus ad aures suas allatam fuisse: conceptóque ingenti sceleris sui horrore & detestatione, Collegium Societatis JESU Conimbricæ mox petijt, & totius rei successu enarrato, sacram exomologesim obijt, totus deinceps in Divinam providentiam, quæ confidentes in se nunquam deserit, resignatus.

Jam verò dici vix potest, quàm tenero & sincero affectu parvulos omnes prosequeretur, quàm delicatâ charitate tractaret, quàm blandè alloqueretur, quantâ teneritudine malis ipsorum condoleret, bene merentes præmiaret, torpentes excitaret; quasi communis singulorum mater & parens; ut videretur sinè illis nec esse posse; ità ubique confertim ab accurrentibus stipabatur, & ultro ad se accersebat, alliciebat munusculis, sinè illis nunquam domo in publicum prodibat. Ex quo accidit, ut Vir alioqui mitissimus, publicè aliquando increpuerit socium Fratrem, qui importunitate puerorum offensus, illos non sinè stomacho repellebat; morositatem hominis illâ Salvatoris sententiâ comprimens, *sinite parvulos venire ad me.* Vicissim autem parvuli, majore quàm suos parentes affectu Patrem prosequi videbantur; útque illi gustum facerent, improbâ diligentiâ ediscebant, quidquid ille jussisset; ut neque ad cibum, somnúmve priùs capiendum adigi possent. Neque otiosus erat, quasi in solo affectu sistens, hic Patris in suos filiolos amor; sed parem in eo excitabat curam & sollicitudinem, nè quid mali paterentur. Accidit vice quadam, dum Pater catechismum doceret è gradibus Templi

pli Dominæ noſtræ de Gratia agnominatæ, ut elapſa cuipiam effrenis mula in parvulorum coronam ferociter incurreret, unúmque ex ijs proculcatum, judicio omnium pro mortuo relinqueret, qui etiam in domum paternam tanquam jam mortuus delatus eſt. Finitâ dictione Pater ante omnia eò accurrit, viſurus, quid damni ſuo parvulo acciderit; reperítque obvios in gradibus parentem utrumque, acerbis lacrymis filium jam exanimem deplorantes: ſed pernegabat conſtanter Pater ità eſſe, verbis ſibi uſitatis, *nihil eſt, nihil eſt: S. Antoni, S. Antoni!* accedénſque ad corpuſculum exangve, ductâ in crucem manu ubi benedictionem illi impertijt, *ne timueritis,* ait, *non morietur filiolus, ſed proximè habendæ catecheſi ſanus & valens intererit.* Dictum Patris ratum habuit DEUS: ſiquidem ab eo momento redditus ſibi puſio, intrà biduum ità convaluit, ut præſens eo die habitæ doctrinæ Chriſtianæ incolumis adfuerit, evidens prodigium omnibus acclamantibus. Ducebat aliàs, ſupplicantiũ ritu, ordinatam ſuorum aciem per *Ruam novam*, cùm prætervectus currus unum è parvulis proſtravit, & rotâ utrâque obtrivit, præſentibus omnibus ad caſum fatalem in clamores erumpentibus, & contritum penitus corpuſculum nihil dubitantibus. Ad clamorem auditum advolat confeſtim Pater, & filiolum ſuum inter brachia ſublatum confovet, amplectitur, adſtantes ſolatur, nihil mali parvulo eventurum promittit; non enim paſſurum S. Antonium ut vitam temporalem amittat puſio, qui verba vitæ æternæ tam ſedulus auſcultaret. Mirum dictu! licèt caſus in tantillo corpuſculo revera fuerit mortalis, ſanus per omnia parvulus, abſque omni vel leviſſima noxa, è brachijs Ignatij proſilit, procedentes comitatur, & pedibus ſuis domum recurrit.

Hæc in ſingulos ſeorſim collata beneficia, ad plures ſimul extendit, quando ducenti ſuorum ordines per portam S. Catharinæ, indomitus eqvus excuſſo freno in medium parvulorum pleno impetu unà cum ſeſſore incurrit, multóſque in terram proſtratos pedibus conculcavit. Fit clamor, & ingens præſentium omnium comploratio; dúmque oculis ſinguli Nobilem ſeſſorem, nemini prorſus cognitum, perluſtrant, repentè eqvus unà cum equite diſparet. Nihil hac communis hoſtis violentiâ turbatus Pater, bono animo eſſe omnes jubet, neque ordinem & ſacram doctrinam deſerere, quod unicum infernalis hoſtis ſuis fraudibus moliretur: *nihil enim ulli nocitum eſt,* inquit, *nihil penitus: ſed inimicus homo* (ità dœmonem communiter appellabat) *hoc fecit.* Stratos deinde parvulos ſingillatim accedens, manibus ſuis unumquemque in pedes erexit, ſanos penitus, & noxæ omnis expertes, quos nemo non mortuos eſſe credebat. Alio tempore in portu Ulyſſiponenſi verba faciens, ſubitò in medio dictionis monet pueros, alióſque certo loco conſiſtentes Auditores, ut indè aliò properè ſe transferant: parent jubenti omnes, licèt nullam migrandi cauſam videant. Sed vix receſſerant, cùm ex altiſſima domûs unius parte, feneſtra prægnandis in eum ipſum locum decidit, grave ſinè dubio damnum ſuo pondere illic conſiſtentibus, ſi non ipſam necem, allatura. His & id genus quàm plurimis (quæ brevitatis causâ omittimus) prodigijs, eam apud Cives omnes auctoritatem & exiſtimationem conſecutus eſt; ut quidquid juberet ſtatuerétve, perlibenter exequerentur, felicéſque ſe exiſtimarent, ſi è penu & domibus ſuis in pauperum uſus accipere quidpiam vellet. Nec minor vis illi fuit in animos hominum, quantumvis obſtinatorum, ut è vitiorum cæno generosè conſurgerent: unum ſolum referam exemplum, quod merè fortuitò ſucceſſum adeò exoptatum habuiſſe videri poſſit, licèt ex parte DEI procul dubio ſingulari providentiâ geſtum fuerit. Monitus aliquando à Sacriſtiæ ad S. Rochi Curatore, exiverat ad Confeſſionale, quòd à pœnitente quopiam expeteretur: ſed cùm nemo accederet, in vicinia quendam ſibi incognitum de genibus precantem rogavit, an ipſe fortè is eſſet, qui Confeſſario opus haberet. Hæſit ille attonito ſimilis aliquamdiu ad inexpectatam quæſtionem, conſcius miſerrimi conſcientiæ ſuæ ſtatûs, quam multis annis graviſſimorum criminum ream non ſinè atroci lancinatione circum ferebat: ubi autem ſeſe collegit, ùt id genus hominum maximè fugitans eſt Sacramentorum, *non cupio,* reſpondit, *ego peccata confiteri, neque Confeſſarium deſidero, licèt quàm maximè illo mihi opus ſit. Imò Domine,* ſubjecit Pater dulciſſimâ quadam affabilitate, *ſi illo indigetis, ecce me, qui facillimè vobis remedium afferam, ut plenus ſolatio & quiete ex hoc loco recedatis.* Facilè apparebat, miſerum hac Patris ſvavitate, & inſperatâ ſerenitatis pollicitatione, ſalubriter commoveri; ſed retrahebat ingens peccatorum ſarcina, pudor, & vix ſuperabilis difficultas ea exponendi: quam tamen ad extremum ſuperavit Patris admota molliſſimis verbis cohortatio, inculcata confeſſionis facilitas, & ex ea certiſſimè conſequens mentis tranquillitas. Ergo pedibus

dibus Patris advolutus, totius vitæ scelera magno dolore inter copiosas lacrymas retexuit, immensas DEO gratias referens, qui talem sibi occasionem, nec opinati, ultro in manus ingessisset; neque aliter deinceps Ignatium quàm Angelum suum vocabat, cujus ope ex abysso tristitiæ extractus, nunc inter summa solatia viveret.

Celebris etiam in paucis fuit victoria, quam ex theatralibus ludis, & saltibus histrionum vice quadam reportavit, ad quos affixis per celebriora Urbis loca chartis omnes invitabantur. Id ubi rescivit Ignatius, præstituto ad spectaculum die & horâ, jubet & ipse convocandis pueris signum dari: quos in supplicationis ordines distributos rectà ad ædes, ubi lascivi saltus prope viam *de Arcas*, condicti erant, adducit. Perrupto ostio, nequicquam obsistentibus Comœdis, intrant primæ puerorum cohortes, resonabátque in omnium auribus campana Christianæ doctrinæ, & simul mox vexillum Regis cœlestis comparet. Concurrerat ad improbum spectaculum vis hominum ingens, & aulam totam, atria, pergulas, gradúsque occupârat, omniáque musicis instrumentis, scenæ mox inchoandæ præludendo, personabant. Ad campanæ catecheticæ sonum murmur ingens in auditorio primùm excitari, mox crescere longè magìs, ubi sacrum labarum in aulam se penetravit, parvulis violentè per multitudinem viam facientibus, & pijs cantibus omnia implentibus. Postquam autem Ignatius etiam comparuit, mirari omnes & stupere, quidam etiam indignari & obstrepere. Ipse autem nullâ interpositâ morâ in theatri fastigium evadens, locum avernali spectaculo designatum in cathedram Christi convertit. Ut primùm loco eminentiore Pater visus est, momento tumultus populi & strepitus omnis resedit, histrionibus veluti debellatis campo cedentibus, & ad prima illa verba, *per signum sanctæ Crucis, &c.* ità stupefactis, ut nè verbulo resistere ultrà auderent. Prosecutus indè singulari fervore dictionem, ardenti zelo impugnavit profanos ejusmodi ludos, & saltus lascivos; communi omnium comploratione auditus, stultitiam suam seriò deflentium, & emendationem promittentium. Concione finitâ, réque bene in hostem salutis humanæ gestâ, victoriosum parvulorum exercitum, triumphanti similis, ad Templum cum cantibus reduxit: profitentibus omnibus, plus solatij sanctæque curiositatis se ex Patris perorantis aspectu hausisse, quàm si longissimam Comœdorum actionem spectavissent. Jam verò hæc tanta verborum Ignatij efficacià nemini incredibilis apparebit, qui cogitaverit vitæ ipsius sanctimoniam, & vivum in se præbitum omnium oculis perfectionis exemplũ, dum opere priùs ipse facere studuit, quàm docere. Et orationis quidem, à qua robur omne prædicatoribus verbi Divini hauritur, studiosissimus fuit, illíque tempus omne ab laboribus cum proximo vacuum solidè impendebat, noctibus sæpe integris precando, & cælestia meditando consumptis, ídque communiter in Templo, aut aliquo Sacrario; quo domesticis omnibus ad quietem jam compositis silentio adrepebat, atque ad pedem altaris, ubi SS. Eucharistia asservatur, plerumque in genua provolutus orationem prosequebatur; donec labore & vigiliâ fractus humi prolaberetur, tantillum somni eodem in loco capturus. Quantum verò deditus esset asperitatibus & pœnitentijs, abundè colligi poterit ex ijs, quæ postremo vitæ anno Conimbricæ egisse mox memorabimus.

Anno 1597. contigit indici Provincialem Congregationem, celebrandam Conimbricæ, ad eligendum Procuratorem in Urbem; ad quam & Ignatius, veluti ex Professis antiquioribus unus, Ulyssipone discessit cum tribus Novitijs, itérque illud totum pedibus exegit, ubique prædicando, & Christianam doctrinam explicando. Conimbricam pervenit vespere Sabbati ante Dominicam secundam post Pascha, receptus ab Urbe & Collegio tanquam Vir communi omnium sensu sanctus: nam illum eo ipso vespere salutatum accessit Episcopus Urbis D. Alphonsus de Castelblanco, ac humanissimè ad concionem die sequenti in templo Cathedrali habendam, nullâ ejus ex itinere fatigationis habitâ ratione, invitavit: sive quòd sciret ab ipso laborem concionandi in quiete computari, sive quòd speraret ex solo talis Prædicatoris aspectu, esto nil loqueretur, fructum maximum in auditorium derivandum. Auditus est maximo prorsus totius Civitatis concursu, non tantùm die illo, sed quoties dicturum alicubi constabat: siquidem persvasissimum erat omnibus, hominem sanctum loquentem ab sese auscultari. Collegium ingressus, petijt à Rectore primæ gratiæ loco, cameram suæ habitationi concedi in infima, & pæne subterranea Collegij contignatione, ubi nemo domesticorum habitabat, sed officinis duntaxat pro penu asservanda erat destinata: petiítque tanto studio, támque urgentibus precibus, ut negari non posse videretur: quarum interim sola illa erat ratio & motivum, ut extra arbi-

tros

tros liberè flagris in corpus ad satietatem sævire posset. Quanquam autem exauditus à Rectore non sit, angulum nihilominus secretum & abstrusum ibidem reperit, in quem statis horis se abdebat; tantâ vi, & propè ferociâ, flagris se concidens, ut crepitûs vehementiâ proditus, à multis procul etiam habitantibus audiretur; quorum complures testabantur, visam sibi fuisse ab ea ictuum violentia domum tremefieri. Soluto Patrum cœtu, tantæ fuêre, Episcopi, Collegij, totius Urbis preces, ut relinqui apud eos Ignatium necesse fuerit: perrexítque toto illo anno quà concionando, quà catechesim tradendo, eadem quæ Ulyssipone Apostolica munia, nihil minore fructu exercere. Jámque advenerat anni insequentis 1598. Quadragesima, per cujus ferias dicturus ad populum constanter erat; verùm post primam feriæ sextæ concionem æstu febrili tentari se sentiens, proximâ nihilominus Dominicâ pulpitum ascendit; ex quo ad cubiculum redux, malo penitus prostratus est, ex quo etiam paucis diebus decessit.

In ea ægritudine singularia de se præbuit omnigenarum virtutum exempla: nam & SS. Evcharistiam quotidie sibi porrigi expetijt; & dies quasi totos in colloquijs cùm DEO & SS. ejus Matre consumpsit: quam etiam creditur in agone habuisse conspicuè præsentem, contra dæmonem, à quo ultimâ vitæ horâ graviter infestabatur, auxiliatricem: neque ullum sermonem nisi de rebus cœlestibus inferri passus est. Die quodam post allatum sibi SS. Sacramentum, præmissâ ante ejus sumptionem Fidei professione, tria sibi dixit eo temporis articulo præcipuè solatio esse: *Primò*, quòd conscientiam semper habuerit Superioribus apertam, & perspicuam, neque quidquam illos de suis internis celaverit, cujus testis esset is, quem mox sumpturus esset. *Secundò*, quòd nunquam in omni vita munus quodcunque, aut officium in Societate ambiverit, petierit, aut desiderârit, sed unicè semper ab S. Obedientia gubernari se permiserit. *Tertiò*, quòd nunquam in Societate alijs gubernandis præpositus fuerit, & idcirco liber nunc sit ab reddenda justo Judici ratione, de vita & actis aliorum. Crescente in horas febris malignitate, quinto ægritudinis die obtinuit extremùm inungi. Quem in doloribus fatiscentem quoties excitare socij ad hilaritatem volebant, mentionem Catechismi pueris & rudibus tradendi inspergebant: ínque eum finem prope jacentis lectulum statuerunt cannam seu virgam, Catechistarum insigne, & unum de vexillis, quæ pueris præferri solebant. Petijt etiam Collegij Rector, an aliquid pro solatio & gustu suo desideraret? cui modestè respondit: *cuperem videre Novitios aliquot Catechesim explanantes*; id quod evocatis illico aliquot Tyronibus concessum moribundo fuit: tanto illius tripudio & voluptate, ut reviviscere totus, & gaudio subsilire videretur. Denique ut summum suum, quo in humile Catechesis tradendæ munus ferebatur, declararet affectum, & æstimationem, petijt secum eodem tumulo sepeliri Cannam, quâ totos 17. annos in doctrinæ Christianæ explicatione uti consveverat. Solebat idem sæpius in vita dicere, magno se metu percelli, dum consideraret annos 40. quibus Concionatorem egisset, ne gravibus pœnis in vita altera subjiciatur: at dum cogitaret annos 17. parvulorum institutioni impensos, nullam sibi timoris, sed plurimas solatij, & certissimæ de præmio cœlesti consequendo spei, causas occurrere. Septimo ægritudinis die, qui erat ultimus Februarij anni 1598. placidissimè expiravit, eâ vultûs nihil in diversa mutati compositione; ut diu dubitaretur an jam decessisset; annum ætatis agens septuagesimum, Societatis 51.

Ubi autem animam exhalâsse certò constitit, magno omnium sensu, multísque lacrymis tanti Viri jactura excepta est: quæ majore incremento renovatæ sunt, dum corpus ad sepulturam componendum apparuit per omnes artus durum, intractabile, denigratum, perinde quasi totâ vitâ in ardoribus solis nudus incessisset: ínque singulis membris deprehensa sunt recentia flagrorum & ciliciorum vestigia, livores sangvine suffusi, & vulnerum cicatrices, quàs à 20. annis quotidiana, eáque sævissima flagellatio renovabat: sic, ut in nulla corporis parte esset sanitas, neque decor. Sanè quotquot illud ità plagis deformatum & lividum aspexêre, vivam quasi imaginem Christi vulnerati sibi objici fatebantur; repetebántque de eodem illud Pilati, *Ecce homo*! Maximi exinde concursus totius Civitatis ad Collegium facti sunt, exuvias hominis sancti (talis enim ab omnibus habebatur, & vocabatur) venerari, pedes deosculari, & si quid possent ex ejus utensilibus in reliquias auferre cupientium: intérque primos adfuit Episcopus Urbis Alphonsus de Castelblanco, & Rector Universitatis Hurtadus de Mendoza, cum toto Clero & Academia. Ubi verò corpus ad sepulturam in templum trecentis ampliùs facibus magnificè elatum est, tanta hominum affluxit multitudo, ut sepulchro inferri

inferri totum eum diem nequiverit: fuítque necesse illud novo vestitu contegi, quòd prior magnam partem succisus, & in reliquias discerptus esset. Neque minor die altero concurrit populus; ignarus, illum nocte tumulo jam conditum: eámque jacturam acerbissimis lacrymis prosecutus, dolorem suum osculis sepulchrali lapidi infixis solabatur, quando ea nequiret manibus aut pedibus defuncti imprimere. Sed & DEUS pretiosam servi sui mortem honorare voluit prodigiosis beneficijs, quæ ad tactum ejus reliquiarum diversi consequebantur. Horum primum Regiæ personæ testimonio, Alexandri Ducis Brigantiæ, filij Catharinæ Regis Emmanuelis neptis, firmatum, contigit Villaviciosæ: *ubi Prior Fratrum Dominæ nostræ de Gratia* (verba sunt Alexandri) *æger ex apostemate intra guttur enato, cùm deductus esset in vitæ discrimen, neque saltèm sacrâ Evcharistiâ refici posset, quòd omnem transitum ulceris magnitudo interciperet: quædam ejus cognata ex aula Serenissimæ Matris, transmisit ad illum quiddam ex reliquiis sancti P. Ignatij Martinez. Hanc ille ut primùm gutturi applicuit, solutum momento est mortiferum apostema, & ipse tam sanus vividúsque remansit, ut rescribere gratias cognatæ suæ confestim valuerit; sanctè contestans, quòd simul ac reliquia transmissa collum attigit, eodem temporis puncto sanus integrè ab apostemate evaserit.*

Nec minus evidentiæ habuit casus alius, sub idem fortè tempus Conimbricæ legitimis testibus firmatus, & subscriptus. Civis ibidem perhonestus Ludovicus Cardoso, filiam habebat mortaliter ægram, judicio omnium de vita conclamatam: is hortatu amici Antonij Robello, frustulum de veste Ignatij Martinez moribundæ applicuit, dicto simul, filiolæ nomine, Pater & Ave: & subitò malum omne eôdem momentô ægram deseruit, surrexítque valentior, quàm antehac unquam fuerit. Ulyssipone quoque filiolum habebant illustres conjuges, Emmanuel Correa de la Cerda, & Francisca de Aragon, cæcitate oculorum ità impeditum, ut discernere nihil omnino posset; hi probatis remedijs humanis omnibus cùm nihil proficerent, ad domum Professam S. Rochi se convertunt, & è monumentis P. Ignatij Martinez (cui erant devotissimi) aliquid sibi concedi expetunt. Missa est oratio devota, manu ipsius descripta, quam servabat in Breviario, & diebus singulis recitabat: hanc pij parentes ùt primùm oculis filioli singulari fiduciâ applicuerunt, integra oculis perspicacia momento collata est; ingenti præsentium omnium stupore, qui rem adeò miram ad majorem DEI laudem, & decernendos fortè olim Ignatio Cœlitum honores, coram Archi-Episcopo Urbis Michaële de Castro, chirographo suo testati sunt. Qui plura & majora ejusmodi miracula, ad invocationem ipsius cœlitus concessa, scire desiderat, vitam ipsius ab Lusitanis seorsim editam consulat.

Ex Andrada Tomo 5. de Viris Illustribus, & Bibliotheca Alegambe.

P. BENEDICTUS PALMIUS.



Enedictus Palmius, natione Italus, patriâ Parmensis, illustribus Parentibus natus est mense Julio Anno 1525. Postquam adolescentiam est ingressus, Bononiæ literis operam dabat, cùm P. Hieronymus Domeneccus ferventissimis concionibus Urbem illam excoleret: quarum ardore commotus Benedictus, expoliendum se exercitationibus sacris Domenecco dedit, & ad nostram Societatem adductus est, tantâ spiritûs flammâ conceptâ; ut illico suâ sponte tria Religiosorum consveta vota conciperet. Bononiâ Romam profectus, receptúsque à S. IGNATIO domi Anno 1546. tanto sub Magistro dignum præstanti indole tyrocinium posuit. Biennio pòst in Siciliam missus cum aliquot socijs, Mamertini Collegij fundamenta posuit: ubi tum literas humaniores docuit, tum de superiore loco verba ad populum fecit, nondum sacris initiatus; tantâ efficacitate dicendi atque animorum commotione, ut publicè dicenti fuerit ab auditorio acclamatum: *beatus venter, qui te portavit.* Ipse quin adeò Jacobus Laines, cùm aliquam notitiam ejus adhuc in seculo adolescentuli Parmæ cœpisset, eum ad verbi Divini prædicationem cœlitus vocari prædixit. Reversus Romam Anno 1553. Sacerdotium suscepit, & præconis Evangelici munere pari ardore ac fructu præclarè functus est. Erat enim felicissimâ memoriâ, quantam ea ætas in concionatore non vidit, laterum firmitate, contentione, magnitudine vocis, actionis dignitate, verborum copiâ, sententiarum gravitate, orator excellens. Dictionis verò energiâ, zelo, ardore animi atque pietate tantâ, ut admirabilem quandam Audito-



P. Benedictus Palmius S: I: Italus, ætate suâ alter Chrysostomus, maximis animorum totâ Italiâ conversionibus, et extinctis capitalibus, solâ Crucifixi ostensione, odijs, celebris. Decessit Ferrariæ 14 Novemb: 1598. ætat. 72.
J. G. Heinsch del. 66. J. Kilian sc.

ditoribus faceret, eósque quocunque vellet impelleret. Primus hic fuit in Societate Itaus, qui concionandi modum, quem à primis ejus PP. Jacobo Lainio, & Fabro didicerat, è SS. Scripturis, è SS. Patrum solida doctrina, ad extirpanda vitia, virtutes inferendas, emendationem morum, opera misericordiæ ubique constituenda comparatum, per Italiam cum omnium approbatione circumtulit & invexit. Romæ, S. IGNATII jussu, verba singulis hebdomadis fecit Urbis locô percelebri apud Argentarios, in via publica; ut concionatorem quendam, genus id dictionum compitalium damnantem, factô ipso refutaret; cúmque plurimus & honestissimus afflueret auditor, fructus ingens exstabat & multiplex. Verùm non tulit hunc pessimus Satan; cujus arte, & malevolorum vitia sua acriter perstringi pa-

làm dolentium, inductu, Præfectus satellitum cum suorum armata manu intervenit, ac protinus magnâ voce pro imperio tacere, ac descendere Palmium jussit. Is cùm statim obsequi vellet, observandam dicens in administro publicam potestatem; ecce in concione tumultus, cursarique & corripi arma, nec vox concionatoris demulcentis audiri: denique satelles coactus sibi fugâ consulere. Tantus audiendi Palmij fuit populo ardor, & exinde in eum conceptus amor.

Ut verò pauculos in specimen partos ab eo dictionibus suis ex animabus fructus referam; mirabilis fuit, quem Mamertina Siciliæ Civitas communi gaudio, longè autem famâ per omnem Siciliam celebravit. Sebastianus erat Ansalonius ex familia opulenta ac nobili, cui ob interemptum fratrem cum alio item nobi-

nobili cive Papardo odium inexpiabile annum jam ſeptimum intercedebat, & multos utrimque propinquorum trahebat in partes, nonnullis ob eam rem in exilium actis, & Papardo poſt iteratam ſæpius torturam ſupplicium ultimum in dies expectante. Cæterùm Anſalonius quamvis in ultionis rabie obſtinatus, per anni tamen 1552. Quadrageſimam cœpit non illibenter Palmij concionibus intereſſe, nec rarò vehementer incitabatur animo ad Chriſtianam lenitatem: ſed inolitus penitúſque medullis inſitus furor cœleſtem flammam corde concipi non ſinebat. Ecce autem feriâ 6. majoris hebdomadæ Benedictus (quanquam dicendi genere concitatiſſimo ſemper, & lacrymarum promptiſſimâ copiâ utebatur) præter morem incenſus poſt horarum propè 7. declamationem, cùm de more Crucifixi effigiem populo pararet oſtendere, jámque eam paululùm detexiſſet; repentè, haud ſinè Divino inſtinctu, iterum obvolvit, & accenſas faces juſſit extingui, magnâ voce conteſtans, nequaquam ſe ei populo Chriſtum Dominum; quem ſuis peccatis in crucem egerint, oſtenſurum, niſi nunquam ejus Majeſtatem violaturos impoſterum eodem loco ſponderent. Cunctante hìc multitudine, partim attonitâ, partim artificio quodam ea agi æſtimante; convertitur ad Crucifixum Palmius, atque ità, ùt erat nigro velamine obtectum arctè complexus, cum lacrymis ac voce lamentabili, *En*, inquit, *Domine mi JESU, nonne verum eſt quod dicimus, populus hic labijs me honorat. cor autem eorum longè eſt à me? an ſervos tuos profiteri ſe nolunt?* Hac voce cordibus Auditorum tanquam pugione perfoſſis, continuè gemitus & comploratio extitit ſtrepitúſque confuſus, *volumus*, ingeminantium, *volumus! Crucifixum revela.* Anſalonius inter hæc, qui multum concione totâ profuderat lacrymarum, æſtuabat, angebatur, & quia lingvam dolor ac fletus impediebat, ſæpe animo ſecum *volo* iterabat. Famulum quin etiam miſit, qui concionatori fidem faceret, Anſalonium, quæ ille vellet, acturum. Sed antequam ad ſuggeſtum famulus perveniret, exundantis impetum pectoris angorémque non ferens, erupit repentè, ac voce quantâ potuit maximâ exclamavit: *en Domine faciam quod voles!* Qui tantus clamor, ſtrepitu concionis repreſſo, concionatorem quoque ſic perturbavit, ut vix ſui potens latinè quæreret, *quis es tu?* cui ille, *ego ſum Sebaſtianus ille Anſalonius!* Hìc verò ad ſonitum illius nominis in univerſo populo, cui nota erat hominis pertinacia, & optatiſſima converſio, immenſa lacrymis miſta ſunt gaudia. Palmius juſſis rurſum accendi facibus, optatam tandem Domini effigiem è cruce pendentis remoto velo ſpectandam offert, ac de clementia Salvatoris immenſa diſputans, iterúmque ad deteſtationem ſcelerum, & novæ vitæ exordia omnes adhortans, finem dicendi fecit. Opperitur Anſalonius deſcendentem ſuggeſtu, ruénſque in amplexum, negat ſe Collegio diſceſſurum, donec quod ſponderat perficeret. In eandem ſententiam dat literas ad propinquos, neutiquam ſe elaturum ab Collegio pedem, niſi & ipſi in pacem conſentiant. Advocatur publicus Scriba, res tota componitur: Papardus, qui ad ſupplicium ultimum jam ſe Chriſtianâ æquitate compoſuerat, è carcere liber educitur, exules revocantur, cuncta civitas gaudio geſtit. Anſalonius verò penitus jam alter, totus primò in expedienda vita anteriore occupatus, deinde mortiferi criminis, quod cauſa necis Chriſto fuiſſet, horrore concepto graviſſimo, nè quid unquam tale committeret, octavo quoque die Divinis ſe communire Myſterijs, maximâ Civium ædificatione, exorſus: poſtremò tanquam in arcem ad Cappuccinorum confugit Ordinem, ibíque vitam tantæ converſionis celebritate dignam beato fine concluſit.

Diſcedens ex Sicilia cum P. Natale Romam Palmius, dum Meſſanam tranſiret, advocatis in concionem mulierculis conſcenſo ſuggeſtu, eas inter dicendum non modò ad lacrymas, ſed ad miſerabiles vociferationes ejulatúſque perculit, & 13. à flagitioſo queſtu abſterritas in recens Cœnobium, ad proſtitutarum aſylum à Natale erectum, traduxit. Romam verò delatus, cùm in Templo Domûs Profeſſæ diceret, & inſolitus ardor animi atq; eloquentiæ magnos & plauſus & motus excitaret; voluit Pontifex ipſe in ſacello ſuo dicentem audire, id quod ingenti clariſſimorum Principum approbatione præſtitit. A. 1558. Pataviam miſſus, cœpit in Templo Urbis principe, ac tum ad S. Luciæ magno tempore conciones habere, ordinum omnium eo concurſu atque certamine; ut longè plures Templi excluderentur anguſtijs, quàm amplitudo reciperet. Ergo non ſolùm vulgò correcti mores, ſed cùm in Urbe & Academia advenarum omnium genere celebri, corruptæ opiniones de Religione graſſarentur, ac nominatim Oecolampadij, divinorum Sacramentorũ hoſtis, ſecta gliſceret; ità eos privatim ac publicè, SS. etiam PP. codicibus in ſuggeſtum delatis, redarguit; ut impiorum voluminum magna vis ultro

ultro ab hominibus prolata, flammis sit tradita, & ad casta dogmata complures ab hæresi revocati. Quo verò pudicitiæ reductarum à Palmio mulierculárum consuleretur, nobiles matronæ aliquot ab nugis mundanis, luxúque nimio per eum avocatæ, domum ijs recipiendis, cum omni ad necessaria vitæ sumptu, præparârunt; donec cœnobij septis, vel aliâ conditione honestâ illigarentur. Sodalitas insuper ejus conflata vocibus est, cui nomen à pietate inditum, & legibus ità firmis corroborata, ut in hæc usque tempora mirificè Civitati salubris persistat. Quotidie manè Sodales horæ dimidium meditationi, vesperi quadrantem examinandæ conscientiæ dabant: frequenter ac piè divina obibant Mysteria, ad eadem pari pietate obeunda ceteros inflammabant. Conveniebant Dominicâ quavis ad communes preces, & ad consultandum quâ viâ maximè occurrendum inopiæ calamitosorum esset, quadripartitâ in totidem præsides civitate; quorum singuli singulas curarent partes, egentibus, verecundis maximè, & morbo afflictis necessaria providendo: nec modò pecunijs, sed etiam verborum solatijs adhortantes ad patientiam, peccatorum odium & fugam, ad curandos animos Sacramentis. Nec pudebat Sodales emendicare ostiatim per Urbem, unde miseris subsidio venirent. Quam ad novam speciem civitas in admirationem rapiebatur; nec finem faciebant DEO gratulandi, qui per famulum suum, re verâ Benedictum, eam Patavij novam lucem excitâsset: simúlque amore Societatis capti, ejus Collegium ab solitudine intra civitatis frequentiam transtulerunt, æde S. Luciæ ad Sacramentorum ministeria ceterósque usus illi attributâ: licèt biennio pòst iterum sponte suâ Collegium in pristinas ædes remigrârit.

Venetias pósthæc accitus, apud incurabiles primò, mox ad S. Marci divinas vibrare instituit faces, nec successu, nec approbatione minore, quàm Patavij fecerat: ex quibus & frequentia addita Sacramentis, & morum ingens commutatio facta, multáque saluberrimè instituta. In his super omnia fuit receptaculum puellis, quarum pudicitiæ tum paupertas, tum hominum improbitas insidiari periculosè solet, procuratum. Quod contubernium hac etiam tempestate viget, ut ad 140. Virgines numerentur, quæ legibus moribúsq; à Palmio descriptis, sub honestarum fœminarum cura, & quatuor è nobilitate virorum tutela, sanctissimè educantur; donec vel ad ad matrimonij nexum, vel ad beatiores cum Sponso cœlesti nuptias transferantur. Emissâ subinde 4. votorum solenni professione, continuè Provincialis Longobardiæ à Lainio primus renunciatus est, quæ deinde multis pòst annis in Mediolanensem & Venetam divisa fuit. Quo tempore dictionibus suis Patavij iteratis, præter alios innumerabiles fructus, tres fratres Gagliardos, eximios postmodum in Societate DEI servos, unà cum P. Possevino, ad expetendam Societatem impulit, ùt in gestis istius retulimus. Nec minore dexteritate exortam repentè gravem & periculosam à Senatu & Patriarcha Veneto in Societatem tempestatem sapientiâ suâ composuit, ratione ità prægnantibus argumentis Principi Senatûs redditâ, ut negaret ullâ unquam vice magìs & efficaciùs sibi satisfactum fuisse. Quâ ipsius prudentiâ & Apostolicâ dicendi vi compertâ, Principes diversi & Præsules Ecclesiæ, eum sibi ad consilia deposcebant; certi, nihil fictè vel adulandi studio, præter id quod ex vero sentiret, dicturum. Et quidem prædicationibus suis illustravit præcipuas quasque Italiæ Urbes, Romam, Venetias, Neapolim, Mediolanum, Genuam, Patavium, Bononiam: instantissimis etiam precibus à Duce Subaudiæ expetitus, ut ejus consilijs in Religionis difficultatibus & uteretur ipse, & concionibus familia Urbésque suæ erudirentur. Tantúmque fuit Viri in regiones etiam longè ab Italia sejunctas nomen; ut naufragio ejectus in Cypri Insulam de Societate Sacerdos Joannes Baptista Elianus, hoc solo nomine benigniùs haberetur, quòd Palmium novisset, & ejusdem cum eo Religionis esset. Gravis per ea tempora Anno 1563. Bononiam fames ex rerum inopia premebat, cùm Palmius Collegium ex officio Provincialis invisens, simúlque concionibus per Quadragesimam habendis intentus, ut remedium afflictæ plebi afferret, egit cum Episcopo privatim, & cum populo ex cathedra publicè, ut inopi turbæ virorum æquè ac fœminarum, receptacula certa destinarentur; ubi & necessarijs vitæ subsidijs Christiana eos pietas sustineret, & ipsi interim utili quopiam opere exercerentur: id enim non modò inopiæ, sed plurimorum etiam criminum ex vaga desidia remedium fore. Rem ità persvasit, ut ipso magni Paschatis die ingens inopum vis in tectum, ei negotio destinatum, inducta sit.

His laboribus Bononiæ occupato Palmio, superveniunt à S. Cardinali Borromæo literæ, quibus Mediolanum evocatur ad conciones, & Societatem illi Urbi introducendam. Incognita propè erat Mediolani ad eum usque

diem Societas; quam Palmius cum P. Jacobo Carvajale ingressus, & ædibus S. Cardinalis receptus, cùm ad sacram cœnobij Virginum S. Marthæ Ædem sacrificatum adisset; narravit Maria Arconata Virginum Antistita, vixisse olim eo in cœnobio præstanti sanctitate fœminam Archangelam Panicarolam, quam vulgo jam B. Archangelam vocitabant: eíque pro S. Ecclesiæ bono, & publicorum morum emendatione DEUM instanter oranti, divinitus præmonstratum, orituram Societatem JESU, cujus Sacerdotes novorum instar Apostolorum in totius orbis ad DEUM conversionem navaturi operam essent. Tandem & Mediolanum venturam, & miro toti civitati solatio ac bono futuram: quod ut quamprimùm fieret, addebat Antistita, quotidie suo jussu quinos ab Virginibus Psalmos, & quasdam nominis JESU preculas pronunciari. Quibus in spem optimi eventûs animatus Palmius, ubi in celebrata illa principis Templi amplitudine, cuncto Clero, & Senatu, & Gubernatore, & S. Cardinale, cum innumerabili populo audientibus, velut Evangelica tuba personuit; incredibilis simul in vulgo pietas exarsit, simul Collegij quàm primùm videndi sitis. Ampliùs deinde annos tres ex eodem suggestu, etiam per Quadragesimæ ferias verba faciens omnium plausu, cùm innumeros à vitijs deterritos ad insignem virtutem provexit, tum præcipuè conciliatâ sibi Cleri benevolentiâ, eum ad disciplinam dignam suo loco & ordine ità excoluit, ut sæpius S. Antistes affirmaverit, sylvas quæ Mediolanensium agrum occupabant, Palmij industriâ ac virtute excisas esse. Hæc inter ab Duce Suessano Gubernatore Urbis, qui Varesij 30. indè levcis pene depositus jacebat, trepidè advocatur. Nocte intempestâ sinè mora per dispositos equos advolat, expiatóque Panem salutis dum impertit, confestim præter spem salus etiam corporis Duci redire cœpit. Quod beneficium Dux perpendens, totum se Palmio regendum formandúmque tradit, dicens illũ inter animam suam ac DEUM velle interpretem ac sequestrum esse. Quo eventu, unàq; virtute & sacrâ Palmij eloquentiâ, facile deinceps negotium statuendi in Urbe Collegij redditum est. Demortuo Generali Jacobo Laynio, ijsdem Comitijs generalibus quibus successor illi delectus est S. Franciscus Borgia, Palmius simul creatus est Assistens Italiæ & Siciliæ: quod idem munus iterum illi decretum est electo in Generalem Everardo Mercuriano. Et in priore quidem Conventu pro electione Borgiæ celebrato, egregiam suam in DEUM fiduciam testatam fecit Palmius, cùm graves Collegij Romani difficultates & persecutiones recenserentur; quibus, num obviandum juris adminiculô esset, an verò silentiô tolerandæ, inter Patres disceptabatur. Palmius enim ante alios clamabat, fidendum DEO, ex Christi Apostolíque præcepto, volenti auferre tunicam, dimittendum & pallium; denique accipiendam magìs injuriam, patiendam magìs fraudem, quàm judiciô contendendum. Id si seriò inducerent in animum, & nihil bono nomine, nihil charitate in omnes, & Evangelicâ scilicet justitiâ haberent antiquius, additamenta non desideraturos humanæ opis. Non vinci benignitate fontem boni: immissurum Vicarijs suis DEUM Romanis Pontificibus in animum, ut Romani Collegij tutelam susciperent.

Quia verò eodem anno 1565. S. Carolus Borromæus indictâ Mediolani Synodo, ad eandem Palmium mittere, cùm ipse adesse non posset, cupiebat; multa sibi ab ejus sapientia & consilio ad felices Synodi tractatus pollicitus, confirmata illi est penes Assistentis munus Provinciæ simul Longobardicæ administratio. Neq; S. Pontificem sua fefellit expectatio; siquidẽ magnâ illâ dicendi, magnâq; agendi vi, dici vix potest, quàm multa ex DEI laude quámque ardua effecerit, apud rerum humanarum Divinarúmque Moderatores, apud Civium primos, medios, imos, unus ipse omnia propè valens: itáq; illa omnia Viri virtus perfecit, ut Nicolaus Ormanettus, quem pro se S. Carolus Synodo præfecerat, illam pacatè salubritérque haberet. Ille fœdum diffidium, quòd Ormanetti ingenium, ad severitatem paulò propensius, quidam è Clero ferre non possent, tum hos ad ferendam curationem confirmando, tum Vicarij austeritatem mitigando, oppressit. Idem cœnobia sacrarum Virginum multa ad perfectionem excoluit: Laicorum Sodalitates vel instauravit, vel novas instituit. Idem cùm alia vitia è moribus publicis sustulit, tum illud præcipuè magnâ omnium approbatione egit: Mediolanensis urbs in regiones sex, quas à totidem portis nominant, distribuitur; hæ primis post Pentecosten Dominicis, suo quæque die, deferre ad Templum princeps solebant quam contulerant stipem, in Templi ejus sive ædificationem, sive sarta tecta. Supplicatio ad id frequens post meridiem instituebatur, ceterâ omni Urbe spectatum effusâ, sed licentiâ propè bacchanalium inductâ: adeò personarum larvis, & petulantiâ dictorum factorúmque supplicationes profanabantur! quam fœditatem

tatem ubi pro concione Palmius demonstravit (dicebat enim unà constanter ad populum) ità subitò pia Civitas eam agnovit & amolita est, ut puderet non antè animadversam. Nihil etiam gravius incidebat ad religionem pertinens, in quo non exquireret Gubernator Urbis Patris sententiam; quo eodem ad conscientiæ suæ causas componendas, & ad omnem familiæ domúsque disciplinam utebatur. Hoc secundissimo rerum successu, cùm repentè Palmius è conspectu Mediolanensium ad Urbem evanuisset, nè Assistentis falsum nomen duntaxat sinè re præferret, S. Cardinalis tamen iteratò Synodum Provincialem ad promulgandum Concilium Tridentinum celebraturus, illum impetravit, primarium in omnibus habiturus, utì feliciter expertus est, administrum. Ipse enim jussu ejusdem, quæ præcipuè ad Synodum referenda essent, collegit; ipsi decreta condendi, & statuta recognoscendi, maximè negotium, ac denique collectos Patres alloquendi munus impositum fuit, id quod ternis ad eos concionibus perfecit. Dimisso Concilio querelæ mox feri cœptæ, de nimia decretorum Synodi severitate: & Canonici S. MARIÆ à Scala, sub patrocinio Regio suam ædem esse contendentes, volenti eam invisere S. Cardinali, non modò omni aliô restiterunt conatu, sed etiam jam adventanti arma opposuerunt: unde gravior omni opinione totâ Urbe commota tempestas. Tum Palmius tempus id ratus, quidquid industriâ, quidquid gratiâ & auctoritate posset experiundi apud Gubernatorem, Prætorem, atque Senatûs Præsidem, pro concordia acerrimè atque fortissimè egit, dum malum omne discussit, ut & sapienter decreta in Concilio manerent immota, & impunè non ferrent, qui arma adeò sinistrè cum scandalo Urbis moverunt: incredibili indè S. Cardinalis gaudio, & sapientiæ in Palmio æstimatione.

Redux post hæc ad munus Assistentis in Urbem, conciones per Quadragesimam habuit ad S. Laurentij in Damaso, auditorio perinde insigni ac fructu, plerumque 15. purpuratorum Patrum coronâ. Ac mox ad Neapolitanam Provinciam missus à Borgia Visitator, ubi hac in optimum ordinem & disciplinam formatâ Romam redijt, à S. Pio V. Pontifice Maximo primus è Societate delectus est, qui conciones ordinarias coram illo & Cardinalibus haberet. Qui cùm libertate uteretur maximâ, & aulicorum vitia insectaretur acerrimè; tamen ità Apostolicum quendam præ se gerebat animum, ut libentissimè & magno cum profectu, ac plenâ S. Pontificis satisfactione audiretur. Cùm verò nonnulli de nimia illa, ultra convenientem eo loco verecundiam, loquendi & vitia castigandi libertate apud S. Papam quererentur, *hanc nos volumus*, respondebat, *concionatoribus fiduciam esse: idcirco illum advocavimus, ut extra dissimulationem nos, & vos, de officio nostro commonefaciat.* Quin adeò acerrimam contra ambitionem ità probavit invectivam, ut statim diploma adversùs ambientes summum Pontificatum ediderit. Itaque non solùm ternas quaque hebdomadâ in prolixiore jejunio conciones habuit, sed etiam continuare eas totum annum Festis & Dominicis omnibus (rem eo loci ad eam diem inauditam) est jussus: cum ijsdem simul diebus terni alij in Vaticano de Societate dicerent, unus ad Pontificis familiam; ad Canonicos alter & ad populum in S. Petri; postremus ad Helvetios in ædicula Campi sancti. Anno integro in Pontificijs dictionibus evoluto, instíterunt Neapolitani per aliquot Cardinales, maximè per Aragonium, ut in primaria ipsis Æde Annunciationi DEIparæ sacra, Palmius per magni jejunij ferias verba faceret: quod cùm Pontifex, ut latiùs ex ejus dictionibus fructus proveheretur, concessisset; ejus loco Salmeronem Neapoli ad suas conciones accersivit. Neapolitani Palmium quàm cupidè advocârant, tanto & studio & profectu audierunt, cujus opinionem vulgatam mirè auxit viva vox. Fœminarum inprimis luxum repressit, inveteratam consvetudinem sustulit, quâ Christi Domini Corporis per Urbem circumlatio, histrionalibus spectaculis, & bacchantium quadam licentiâ temerabatur. Auxilia egregia egestati servientia & pijs contubernijs collegit: utì & Sacerdotibus Templi, apud quos dicebat, stipis incrementa, unde sumptus decorè tolerarent, impetravit.

Anno 1575. cùm Genuæ civilibus omnia discordijs miscerentur, missus est ad eas componendas à Gregorio XIII. cum Cardinali Morono Palmius, cui à confessionibus simul & consilijs fuit. Et licèt in principe Ecclesia populum ter allocuturus, ter prohibitus sit varijs tumultibus; orsus tamen deinde dicere, ità conciones suas communi Civium approbatione attemperavit, quæ utriusque partis maximè interessent in medium afferrens; ut utraque pars ab se stare illum arbitraretur. Sed fructum ex propensis jam ad pacem animis reformidans Satan, populum novo tumultu etiam in Palmium & Collegium universum concitavit, ut post frustra conquisitos per omnes


mnes ejus latebras, intrà ipsa adeò sepulchra, dissidiorum auctores, faces illi quidam subjiciendas conclamarent. Quibus nihil consternatus Palmius, post intermissam semel duntaxat concionem, cùm parum, quæcunq; tentarentur viæ, procederent; in pervicaciæ prima capita, Evangelici pectoris libertatem exprimere, & palàm ex pulpito acerrimè invehi non dubitavit: affirmans, omnium, qui clarissimæ illi Reipublicæ perniciem atque interitum, ad privata emolumenta publico exitio grassantes, molirentur, nota sibi planè esse nomina: ac nè quispiam conjecturâ erraret, protracturum eos in publicum, ac sudarij jactu designaturum è suggestu: quorum quidem perditam audaciam & arrogantiam, nè religiosissima Civitas corruat, compressum haud dubiè divinitus iri. Quæ ardenti animo liberè dicta quanquam turbulentos acriter pupugêre, ut admurmurantes obstrepentésque etiam dejecturos eum de suggestu minitarentur; tamen ab seditionum ducibus (magnum ad cætera momentum) trecentos ad pacis consilia & auctoritatem Senatûs traduxêre. Duodecimâ verò Septembris pro concione alloquens populum, sperare se dixit, B. Virginem quæ eo ipso die ante annos 47. pacem Urbi impetrârat, intra diem 8. Natalis sui idem nunc exoraturam: omnes hanc domum cogitationem, hanc spem referrent. Et ecce eodem die sub horam ante noctem secundam duo Reipublicæ Collegia Cardinalem adeunt, suam ei causam permittentes: acclamatur pax, spargitur per Urbem lætitia, festis omnia sub noctem collucent ignibus, & campanarum tinnitibus personant. Et in Urbe quidem pro compositis res habebantur, modò qui ab Urbe exulaverant consensissent: ad quos missus à Legato Palmius, cùm primùm præter verba nil retulisset, 40. dierum inducias tamen postea expressit, per quas Pontificius, Cæsaris, & Hispaniæ Legati conditiones pacis componerent: ad quos ultro citróque & ad partes commeans Palmius, optatam tandem Urbi quietem restitutam magno omnium gaudio vidit.

Denique cùm per ætatem tam multiplicibus simul munijs fractam concionari jam non posset, ab Anno 1565. ad usque 1581. cum Assistentis Italiæ munere partim regendâ simul Longobardiæ Provinciâ, partim assiduis dictionibus & Missionibus distentus; post electionem Claudij Aquaviva in Generalem Societatis, gubernationem omnem defugiens, nè omnino otiosus esset, impetratâ statione Ferrariensi in Collegio, ad scribendum se convertit. Itaque contexuit utilissimum Concionatoribus opus, in quo SS. PP. testimonia, quibus populos tot fuisse commotos experientiâ didicerat, in communes locos redegit, in eodem Collegio 14. Nov: anno 1598. ætatis 72. appositus ad Patres suos, acri lateris dolore, & diarrhææ morsibus confectus: à quibus cùm extremum in discrimen adductas res suas intelligeret, ceteris posthabitis in unum id intendit animum, ut se ad novum iter accingeret; ideóq; fugientem animam Christi corpore, fractas vires sacro delibutas oleo, ad extremam cum hostibus dimicationem confirmavit. Sub vitæ exitum interruptas suspirijs voces in cœlum magno pietatis sensu jactabat: postremò summa in pace, veluti jam delibaret illam, ad quam festinabat felicitatem, placidissimè animam efflavit. Inter eximias virtutes quibus inclaruit, præluxit in eo semper incredibilis animarum zelus, qui ex ferventissimo DEI amore dimanabat: nihil habens in delicijs magìs, quàm esse cum DEO, & cœlestia contemplari. Quid autem boni ex assiduis his cum DEO congressibus consequeretur, lacrymarum rivuli, qui sensim ex oculis venerandam irrigantes canitiem profluebant, vociferabantur. Diebus paulò celebrioribus, cùm primo manè, exalbescente cœlo sacris operaretur bonus senex, tantâ vi lacrymarum & svavitate perfundebatur, ut quanquam comprimeret, illis tamen victus habenas laxare, & se DEO permittere cogeretur: ut nil mirum sit sitientissimum fuisse Augustissimæ liturgiæ, nec inter vehementissimos podagræ cruciatus aliud lamentari solitum, quàm eripi sibi litandi DEO facultatem.

Ex Historia Societatis & Nieremb: Tomo I.

P. GEORGIUS TAVORA
cum alijs decem.


Atus est Pater Georgius de Tavora Lusitanus, in oppido sancti Georgij de Pesquera; gradum Coadjutorum Spiritualium in Societate adeptus, ad proximorum curam & misericordiæ quævis officia fictus & factus, non à natura, sed à gratia Operarius. In eo siquidem munere totâ sacerdotij vitâ occupatus, consvetis laboribus minimè fervori suo satisfacie-



P. Georgius Tavora S. I. Lusitanus, magni zeli operarius, et Pater miserorum; pro dilectione proximi animam suam in peste posuit Conimbricæ Anno 1599. 5. Aprilis, Ætatis 44. pari exitu sublatis alÿs 10. per Lusitaniam Socÿs. 67.

faciebat, sed toto die vicos & compita Urbis Conimbricæ percursans venabatur, in quos beneficæ charitatis aliquid exerceret; & modò jacentes in publico, & inediâ confectos tollebat in hospitalia; modò laceros & seminudos miseratus vestiebat; in Nosocomijs ipsa tetra ex mephiti vasa repurgabat, artus ulceribns deformatos tractabat, capillum pauperibus & scabie infectis attondebat. Ipse pulcherrimo ejusmodi facinore Rectorem Conimbricensis Academiæ docuit aliquando, eadem christiana opera exercere. Redibat fortè domum Pater ab operatione lassus, cùm ad Academiæ porticum gementis pueri ejulatibus commotus accurrit, jacentémque in aperto ferè nudum, specie jam jam morituri, puerum deprehendit. Ante omnia morti christianè præparatum, ùt erat sordibus, frigore, inediâ morbóque fatiscens, calidam in vasculo è proximo petit, vestem raptim illi impetrat, posito ab humeris pallio totum lavat, induit, cibo recreat, in hospitium deferre parat. Hæc subitò affluens curiosus mirari populus, laudare, subsidia polliceri: cujus fremitu excitus in vicinia Rector Academiæ, despicit è fenestra quid rerum ageretur, & allectus exemplo in partem ejus operis accurrit, tecto inopem recipit, & alendum promittit; professus, tum primùm se à Patre didicisse christianæ pietatis exercendæ rationem. Et quidem similia illi fuêre quotidiana, qui domi, foris, ex humeris pallium vix ponebat, promptus semper & expeditus ad expiandum numerum ingentem omnium ordinum, qui ad eum confitendi gratiâ properabant, vel evocabant. Neque nox illi ferè vacabat,

cabat, exiliebat quacunque horâ, & pernoctabat; vultu quodam ad ingenuam & hilarem speciem ab ipsa natura composito accurrens, quô domesticos & externos hilarabat. Atque is cùm esset, omnium Collegarum sensu primis Societatis heroibus accensendus, nihil sibi agere videbatur, nisì vitam etiam pro dilectione proximi daret & animam: sæpiùs auditus optare (quod absque offensione DEI, Regníque calamitate fieret) pestem aliquam teterrimam, in qua se ipse pro salute hominum devoveret. Planéque ità evenit sub annum 1599. Nam cum anno superiore pestis Ulyssiponem cum mercibus ab Hispania illata, mense Octobri Urbem corripuisset, hoc anno unius hominis importunitate indè Conimbricam, invitis Civibus, suâ auctoritate ingressi, in Januario irrepsit, & ex tantilla scintilla grande excitavit incendium. Igitur hâc obortâ, evadentibus quà quisque posset Civium potentioribus, fuga fecit Urbis solitudinem, increvítque ex cessatione laborum & eleemosynarum fames. At P. Tavora sub ipsa mali primordia se contulit ad Rectorem, non tam deprecaturus ut sibi liceret ad id bellum proficisci, quàm jure quasi suo muneri debitam provinciam sortitus, extremùm allocuturus; adeò confidente & sublimi animo, ut obstupuisse sese Rector ipse fateretur. Abijt è Collegio cum duobus socijs Coadjutoribus, qui magnis precibus sortem hanc præ alijs sibi destinari ad corporum curam extorserant, fixurus sedem in ædibus salutis extra Urbem; unde provisis domi omnibus, opportuno tempore tanquam miles exercitatus è statione procedens, neminem eo igne per latè patentia oliveta afflatum sinè confessione relinquebat. Erant ædes illæ, quas ob ægrotorum copiam multiplicatas *Castra* vocabant, lamentantium plena, referta malorum omnium, quæ homines reformidant: at noster ille triumviratus ità decertavit, ut vix credi possit tantum laborum sustinere valuisse; & duo illi Coadjutores erant ætate grandiores, quibus si quies in vitæ residuum daretur, nemo non diceret bene collocatam. Crescebat indies mali vis, cui tantò pariter majore conatu obsistenti Patri, quanquam satìs laborum erat cum ijs, qui foras ex Urbe in castra & oliveta pellebantur; tamen quia sciret plurimos in Urbe decumbere, & mori Sacramentorum expertes, quia ægri ipsi nollent Sacerdotes advocari, nè abinde detecti mox in castra abriperentur; hisce verbis Rectori operam suam scripto detulit: *Intellexi in Urbe plurimos esse, qui interire malunt, quàm prodere ægritudinem: his non est, apud quem spontè accedentem onera conscientiæ deponant. Si Episcopo & Magistratibus videretur, ego in Urbem quoque itare possem. Incedam præferens vexillum illo ipso more, quô vespillones sandapilâ mortuos efferunt: & ità æquè in Urbe ægri, ac ejecti in exiliū, mihi curæ futuri sunt; nec arbitror animum utriusque & voluntatem defuturam.* Miserrima conditio fuit pauperum, qui ab Urbe pellebantur; frigore & inediâ multi interière, longè plures interituri, nisì opem Pater cum socijs, eorum pariter curâ susceptâ, attulisset. Cúmque tempus id anni sævum esset, & multitudo tecto careret, tuguria illis construi fecit, ipse à tribus milliaribus ligna cædere adjuvans, comportans, & suis manibus pilos figens, ínque sepem pro pariete virgultis palos implectens. At quia pestis & hos inopes invasit; nè non confessi exanimarentur, persvasit, ut omnes antequam perniciem hausissent, expiari apud se vellent. Rumpebantur illi miseratione viscera, contuenti vultus eorum inediâ exhaustos, exsucca sinè sangvine & colore corpora, langventem maximè pueritiam humano præsidio destitutam, cujus greges integri manè euntem ad Sacrum celebrandum circumstabant, panem flagitantes. Et ipse quidem omnem adhibebat industriam impetrandi ab Urbe alendis subsidia, quibus & suo majorem partem expendebat cum socijs dimenso. Hæc atque alia id genus in Urbem sparsa prædicabilem adeò effecerunt, ut tanquam de communi omnium Parente, & Urbis servatore universi loquerentur: & Religiosus alterius Ordinis, qui in ijsdem castris operam ægris navabat, assereret, dignum videri Tavoram, cui viventi statua in publico locaretur. Tandem illum post trimestre in eo obsequio exactum pestis afflavit, incredibili Collegij & Civitatis luctu, extinxítque quinto ægritudinis die 5. Aprilis, eodem anno 1599. ætatis 44. cujus corpus cùm ad sepulturam efferrent sandapilarij ad proximum Sacellum, ejulatu ea castra & gemitibus, tanquam ad communis jacturam Parentis, resonuerunt.

Alter ex socijs duobus Coadjutoribus Patris, Ludovicus Antonius, Lusitanus Lorvanensis (nam alius intactus evasit) quinque mensibus omnibus periculis & laboribus superstes, tandem in Julio correptus, die 19. illius in cœlum evolavit, natus annos 66. in Societate 46. Erat is Nobilibus ortus Parentibus, sed studio humilitatis maluit inter Fratres Laicos computari: cujus quidem, unáque ardentis charitatis, ingentia in illis castris præbuit specimina, dum quos propinqui sui

vivos

vivos non audebant attingere, non efferre, sepeliréve demortuos; ipse brachijs complexus attollebat, medicinas ulceribus apponebat, cibum ori inferebat. Quidquid dabatur otij, horto colendo tribuebat; ut esset olus, quô ægros recrearet. Ex ijs qui in Urbe peste contactos procurabant, unus duntaxat morti spolium cessit, Petrus Franciscus Bracharensis. Hic veneno in viscera hausto, celebranti Missam festo Ascensionis Dominicæ socio Sacerdoti minister adstabat; cùm repentè velut sidere infausto ictus in solum ruit: ex quo non dubitans hunc diem sibi fore postremũ, S. Evcharistiam tanquam è vita decessurus in Viaticum accepit, ejusdem vesperâ, quæ erat 20. Maij illius anni extinctus, ætatis 51. Sed & in Insulam tertiam, Oceano ab Lusitania, cui subjecta est, divisam, navigavit indè pestis: & ibi quoque contra se depugnaturum invenit P. Franciscum Fernandum, Trancosiensem, Angrensis ibidem Collegij diuturnum incolam; quem per omnia charitatis munia miseris servientem cœlo asseruit, Augusto mense ejusdem anni, ætatis verò 43. Ulyssipone verò, quò primùm pestem anno superiore ab Hispanis cum mercibus allatam, & indè per alias Urbes hoc anno dispersam, fuisse, suprà diximus, atrociùs desæviens, plures etiam socios ægrorum obsequijs devotos abstulit. Agmen duxit P. Laurentius Ortega natione Belga. Quia enim Ulyssipo multarum nationum sedes est, nè proprium unaquæque subsidium desideraret, delecti quoq; singularum lingvarum Patres sunt & Fratres, qui præsto illis essent. Itaque ille Belgarum solatio destinatus, sub ipsa pestis initia haustâ ab illis malignitate interijt, illius anni 1598. mense Decembri. Hunc deinceps ab Januario anni sequentis (nulli frigori cedente contagio) secuti sunt Emmanuel Laurentius Ulyssiponensis, P. Joannes Olingo Hybernus: & in Februario Melchior Diaz Ulyssiponensis; atque 11. ejusdem, P. Calixtus à Motta, Bahiæ in Brasilia natus: Didacus Diaz Lusitanus 6. Martij; ac tandem in Augusto Sebastianus Gonsalvez, qui ab erumpente carbunculo consanatus, in campum tamen generosè regressus concidit.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. JOANNES DEL CASTILLO.

Solent Medicinæ periti inter artis suæ præcepta subinde casus aliquos rariores, & eventus curatarum ægritudinum pene prodigiosos interserere; prudenter rati, notitiam talium pertinere ad medendi scientiam penitiùs comprehendendam, & practicandam. Neque minùs conducit ad artem artium (prout S. Gregorius appellat peritiam gubernandi & dirigendi animas, varijs spiritibus & illusionibus obnoxias) capiendam, nosse extraordinarios DEI ductus, quibus per vias minimè usitatas & exoticas solet subinde DEUS, mirabilis in Sanctis & operibus suis, servos suos ad perfectionem promovere. Id quod videre est in vita magni Servi DEI Joannis del Castillo, quem per semitas, Divorum gestis pene è diametro oppositas, ad culmen sanctitatis duxit, traditum dœmonis potestati, à quo pene instar energumeni agitaretur. Et verò vix fidem apud lectorem, quæ ipsi accidêre, inventura sperarem, nisì illa multorum oculatus testis, ex ipsiúsmet Patris ore accepta conscripsisset P. Sebastianus Sarmiento, cujus vitam paulò pòst recensebimus. Natus est P. Joannes in Hispania, parentibus avitâ nobilitate & pietate clarissimis, Jacobo del Castillo; & matre, DEI Parenti addictissimâ; cujus beneficio filium hunc sortita est, cùm voto se obligâsset, filium, si quem nancisceretur, Virginis obsequijs perpetuò addicendi. Nec segnior fuit in explendo, quàm nuncupando voto, ab infantia pietati Marianæ parvulum assvefaciens; cui quadrimulo factam à se DEIparæ sponsionem cùm aperuisset, simul commonuit, tempus jam esse ut fidem datam implere adjuvaret. Excepit id magno gustu & solatio pusio, cæpítque non segniter cœli Reginæ obsequijs, in cujus ephebis se computabat, invigilare, & quotidie exinde illius honori coronam dicere, atque ad eam tenerrima fiduciâ, veluti Matrem & Dominam suam, qualibet in causa recurrere. Puer adultior assumptus est in aulam Francisci de Sarmiento, Episcopi de Astorga, & unà cum nepote suo Sebastiano de Sarmiento (à quo deinde gesta Joannis conscripta fuisse diximus) ad Scholas Societatis JESU missus: ubi consvetudine Patrum magnos in pietate, præsertim frequenti Sacramentorum usu, fecit progressus. Altero verò studij latinitatis anno, methodum orationis mentalis, & Dominicæ Passionis meditandæ, cœlitus, nullo hominum magistro, edoctus, cœpit in ea ità acquiescere; ut quatuor per diem ad minimum



P. Ioañes del Caſtillo S. I. Hiſpanꝰ, graviſsimis Dæmonum vexationibꝰ exagitatꝰ, quòd Deiparæ cultui addictior eſſet, et tot animas Zelo ſuo Orco ereptas, Cœlo aſsereret. Obijt Valliſoleti Anno 1599 Die 4 Maij.

mum horas illi tribueret, lacrymis interim & ſolatijs ſpiritûs tantâ copiâ affluentibus; ut nisì ſcholæ penſum urgeret, totum huic cæleſti ſapientiæ audiendæ diem impenſurus videretur. Atque hoc idem orandi ſtudium per omnes deinceps ſcholas, magnâ conſtantiâ retinuit.

Theologiæ ſtudio magnâ doctrinæ & virtutis commendatione ad calcem perducto, ſacris Ordinibus initiatus, ab eodem Epiſcopo Franciſco Sarmiento in Confeſſarium aſſumptus eſt; tanta Viri in ipſis primordijs fuit exiſtimatio! quem etiam ad negotia omnia & conſilia adhibebat, quòd experiretur in rebus arduis & difficillimis utì promptum ingenio, ità animo grandem & fortem. Docuit ſubinde, ità volente eodem Epiſcopo Franciſco, in ejus diœceſi Philoſophiæ curſum: poſt quem rerum humanarum, & ſtrepitûs ſæculi pertæſus, ſtatuit Aulæ Epiſcopali, quantumlibet optimè ordinatæ, valedicere, bonáque Epiſcopi veniâ Baëzam ſe recepit, ſpebus omnibus opulentorum beneficiorum contemptis. Et verò cùm per idem tempus Canonicatus illi offerretur, cujus annui redditus ſuperabant quingentos aureos, renuit acceptare: maluítque Curati munus, animarum ſalutem promoturus, admittere; in quo Apoſtolici & indefeſſi Operarij nomen ex merito obtinuit. Ità ſenſim Societati Virum parabat DEUS, ad quam licèt potentibus ſtimulis urgeretur, retrahebatur nihilominus timore difficultatum, & onerum ſuis viribus & complexioni imparium: donec ſuímet victor, caſu quopiam in Collegium peregrè hoſpes delatus, viſâ tantâ Domûs Religioſæ quiete, ex qua

qua alacres procurrerent ad opitulandum animabus Operarij, aggregari quantocyùs socijs expetijt, transcriptis in perpetuum eidem Domui annui censûs octingentis aureis. Missus ad consvetum Tyrocinium Villagarziam, ingenti cœpit desiderio succendi conformandæ suæ ad divinam in omnibus voluntatis; atque ad id obtinendum adhibuit mediatricem DEI Matrem, & S. Agnetem, in quam peculiari devotione ferebatur; videbatúrque sibi absque plena sui resignatione, & omnimoda in DEI placitum abdicatione, non posse consequi perfectionem, ad quam toto animo aspirabat. Necdum medius annus Novitiatûs illi effluxerat, cùm Dominus altiori orationis spiritu, à sensibus omnibus elevato, donatum, miris illustrationibus & solatijs implebat: quæ cùm suo spiritûs Magistro fideliter aperiret; cœpit hic vehementer suspicari, nè recenti adeò in perfectiore vita tyroni dæmon illuderet. At ipse interim experiebatur in hac extaticæ orationis methodo singulares à DEIpara favores, cujus tanto amore inflammabatur, ut ejus gratiâ summopere averet adversa quælibet gravissima perpeti. In his affectibus dum totus est, suggeri animo validissimis impulsibus sensit, ut si desideraret amore DEIparæ, suíque Filij, verè ex toto divinæ voluntati conformari, paratum se offerret tradi in dæmonum potestatem, si ità DEO placitum esset; ut ab eis omni crudelitate & furijs exagitaretur. Affligebant incredibiliter instinctus hi, & in diversa rapiebant tyronis animum, tum importunitate suâ, quâ agêti quidlibet vehementissimè ingerebantur; tum ob summam rei tam horridæ atrocitatem, quam à se exigebant; neque poterat assensum in certamen adeò tetrum & infernale ab sese impetrare.

Verùm cùm nulla quies ab ea suggestione concederetur, & oraturo prima sese mox animo ingereret, amarissimè exprobrans, nunquam ex toto Christi, & Matris illius servum futurum, si id abnueret; institit totum negotium ardenter utrique commendare, & lumen in tantis tenebris cœleste expetere. Quod dum in sacro die quodam solitò ferventiùs agit, tenens in manibus, ut eam mox sumeret, SS. Hostiam, sensit Christum Dominum verbis amantissimis intimè se alloquentem, & difficultates postulatæ resolutionis, quam tantopere exhorrescebat, emollientem: *quid tandem magni est*, ajebat Dominus, *si certus de mea protectione & auxilio, amore mei meæq; Matris, contentus sis tradi in manus & potestatem dæmonum?* Quibus incredibiliter animatus, plenè se voluntati Divinæ permisit, paratus etiam infernalibus pœnis & furijs exerceri, si ità DEO alluberet. Paucis indè diebus summâ animi quiete, ex heroica sui resignatione, agenti; adfuit conspicua cœlesti splendore & pulchritudine B. Agnes, animos eidem, nomine Christi Domini, & SS. Virginis addens, ad dura quælibet & aspera perpetienda: multúmque collaudatâ ejus fortitudine, ostendit; quantum illius saluti, DEIque gloriæ conduceret, tradi cruciandum à malis genijs, siquidem nunquam in ullo certamine defuturus ipsi esset Christi favor, & DEIparæ auxilium. Ità novo firmatus ad quævis tormenta ferenda robore, ut primùm S. Virgo disparuit, sensit irrumpere in cubiculum totas dæmonum legiones, qui ingenti tripudio gestientes magnum ciebant strepitum & tumultum, penitúsque ejus corpus insidentes, acerbissimè exagitabant. Gravissimè hinc perturbatus externatúsque, totum Tyrocinij Magistro aperuit: qui non minore stupore perculsus, hærebat anxius, quid de novo hoc planéque exotico DEI ductu sentiret, vel pronunciaret. Dixit tamen, se totum negotium impensè DEO commendaturum, & lumen è cœlo, ad spiritum tam insvetum discernendum, petiturum. Crescebant interim indies atrociùs cum orco certamina, quibus non leviùs quàm à dæmone possessus (quod tamen in corpus Patris, malo spiritui nunquam DEUS indulsit) in animo & corpore exercebatur: unáque paribus incrementis augebantur singularissimi à DEO & DEIpara favores, quibus eum non tantùm in animo cœlestium gustu reficiebant; sed spectabili non raró formâ invisebant, solabantur, & animabant.

Et principiò quidem molestissimi erant diurnis nocturnísque suggestionibus, ut Societatem desereret, perpetuò idem auribus insusurrando, adjunctis modò blanditijs, modò terroribus & minis. *Desere*, ajebat dæmon, *Religionem hanc, vel etiam saltem quamcunque elige, faciámque te prodigium doctrinæ, ut nemo tibi sapientiâ & doctrinâ antecellat, & proveham ad dignitates, quibus majores nec desiderare possis.* His verò cùm nihil proficeret, minabatur se non destiturum, donec Societate vel invitus à Patribus exturbaretur. Verùm divino promisso securus cùm hæc omnia flocci faceret, tantóque impensiùs orationi & rebus divinis impenderetur; saltem his, quoad possent, impedimenta posituri, si se ad meditandum componeret, musicam repentè sonantissimam moliebantur, vel gesticulationi-

bus mimicis, & formis insvetissimis, à proposito dimovere conabantur. Neque rarò dum manè surgendum esset, manibus & pedibus captum lectulo adstringebat, ut levari non posset; neque consvetis Novitiorum exercitijs interesse. Quæ omnia cùm Directorem sui spiritûs admodum perplexum redderent, voluit Dominus idipsum quadantenus ipsum experiri. Exiverat die quodam, hoc ipso tyrone socio, in campos; & ecce in montis descensu sensit se ità repentè membris omnibus unà cum tyrone constrictum, ut nullam in partem commoveri possent; donec notabili morâ à dæmone dimitterentur; partim attonito, partim lepidum eventum ridente Magistro. Quoties autem solus versabatur in cubiculo, tantis vociferationibus miserum affligebant, ut obsurdesceret, & à blasphemiarum atrocitate caput dissilire videretur. Demum tot, támque diversa à malis genijs patiebatur, ut Magister omnino possessum ab illis credens, secretò P. Jacobum Garcia, singulari in dæmones pellendos virtute præditum, Salmanticâ evocaret: à quo adjuratus sacris carminibus dæmon (permittente ità ad majorem servi sui confusionem & probationem DEO) variè illum jactabat & allidebat, ut Patres talem esse nihil addubitarent: præsertim cùm jussus eum deserere, signum etiam recessûs, quod præscribebatur, edidit, lampade Sacelli, in quo hæc agebantur, subitò extinctâ. Summa hinc nascebatur in tyrone erubescentia, quòd neque fraudem dæmonis confutandi spes esset, contra tam manifesta dæmonis in oppositum data indicia: quare totâ fiduciâ in DEIparam conjectâ, ubi in cubiculum redijt, maximis tripudijs & cachinis gestire spiritus infernales deprehendit, tum quòd infamiam atrocissimam, veluti ab se possesso, conscivissent; tum quia Magistro ipsius, ut eum plenè à suis furijs liberatum crederet, imposuissent.

Verùm non multò pòst clarè patuit ijsdem malis ab orco impeti, neque aliunde quàm DEI permissu talia irrogari, prout etiam de se testatur Apostolus: *datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet*; à quo liberari petenti responsum est: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ubi autem primâ vice compertum est, nihil sacris carminibus profectum; censuêre Patres, Joannem Societatis Instituto & muneribus ineptum esse: parúmque abfuit, quin ad sæculum remitteretur; nisi fidelis in verbis suis DEUS illum specialiter ad suum obsequium delegisset. Cœpit tum Pater experiri grandes ariditates, tædia, & desolationes; & nihilominus per intervalla pares è cœlo gustus, solatia, & illustrationes. Quibus vexationibus exercitum videns Magister humilitate, patientiâ, cæterísque virtutibus indies magìs proficere, animóque nihil dejectum aut mutatum; ad majora semper & perfectiora coniti; securus de Divino, quantumvis mirabili, spiritûs illius ductu, nihil dubitavit ad Religiosa vota admittere. Itaque missus Medinam Campi, totum se animabus juvandis impendere statuit, cui muneri quia insignia talenta afferebat, liberum pòst paulò campum Superiores illi per varias Missiones, cathedras, ceteráque Societatis Operariorum Ministeria aperuêre; quibus ut pro zeli sui amplitudine satisfaceret, ità Dominus Avernalium Carnificum molimina temperavit; ut licèt dies persæpe totos & noctes acerbissimè, nullo dato quiescendi, vel concionem parandi spatio, vexaretur, quoties tamen seu dicendum, seu peregrinandum in Missionibus, aliúdve in salutem proximi agendum foret, vegetus planè & expeditus, quasi nihil adversi passus, exiliret: prout ex ijs, quæ paucula è multis referemus, palàm fiet.

Medinæ Campi confessionibus audiendis primùm destinatus, magnâ omnium approbatione, & Cœlitum gustu munus implendo, à satellitibus interim orci graviter id ferentibus, ità malè acceptus est, ut aliquamdiu decumbere cogeretur. Sed divinâ virtute brevì restitutus, magnâ alacritate eidem muneri sese reddens, ad Collegium subinde Vellimarense missus est, ut ejus spiritus pleniùs exploraretur: necdùm enim Superiores plenè illi acquiescebant, metuentes ne quid fraudium & illusionum à malo genio subesset, variéque, si ex DEO spiritus foret, periclitabantur: dum denique clarè patuit, manu illum cœlesti duci, regíque, & singulari pollere spirituum discretione, tantopere ad animas DEO lucrifaciendas necessaria, quibus juvandis paratissimus erat omnia mundi incommoda laborésque subire. Itaque magno animo, totísq; viribus, promovendo ad salutem proximo, quacunque viâ posset, intentus, partim concionando, partim confessiones audiendo, domi forísque desudabat; non ignarus, tantò magìs eâ re Tartari furias in sui cruciatus accendendas. Nam cùm ariditates animi, præsertim in meditatione, in dies proficerent, & tam intellectu ad ruminandum res Divinas, quàm voluntate ad pios affectus, pumice siccior fieret, nauseam Cœlestium, tædia, & angores animo ingerente dæmone; amarissimis insuper

insuper Sarcasmis & opprobrijs ab eodem, quoties ad orandum accederet, explodebatur: *ò quàm pulchra & nitida isthæc est oratio! quàm subtiles discursus! & pares Seraphinis affectûs!* Inter quæ tamen nullo puncto orationis tempori detracto, magnâ patientiâ & humilitate durabat Pater, cogitans ad pedes Domini prostratum se veluti truncum, aridúmque stipitem, vel saxum rori cœlesti recipiendo inhabile. Neque tamen afflicto cessabat insultare inimicus, sed magistrum orationis se constituens, proponebat Patris intellectui & phantasiæ mirabiles de DEO Divinísq; imagines & discursus, quibus ut reluctaretur Pater, non rarò ad omnium virium defectionem, ac propè agoniam laborabat. His accedebant atrocia in corpore verbera, in animo inauditæ ingestæ blasphemiæ, quibus invicem damnati spiritus ad majorem maledicentiam se provocabant: in quibus omni ope solatióque à DEIpara & suo Filio destitutus, videbatur sibi magnam partem inferni dolorum sustinere. Ità excruciatum fortuitò invisit sub vesperam P. Sarmiento, reperítque animo & viribus omnino prostratum defectúmque, cùm diceret, nihil esse cruciatus dœmonum omnes ad eam derelictionem; quam, sibi totaliter relictus, & omni cœlico lumine privatus, in anima experiretur.

Post tam gravia certamina elevavit Dominus servum suum ad altissimum quendam orandi modum, ut in meditatione Divinorum pati magìs, quàm agere videretur, nullo mediante conatu intellectûs, imprimendo illi immediatè species rerum summè arcanarum, de mysterio SS. Trinitatis, & Dominicæ Incarnationis: de prærogativis purissimæ Virginis, & S. Agnetis, quæ illius menti præsentes semper obversabantur, perinde ac si oculis eas intueretur. Et quidem multis noctibus in ipso somno perseverabat nihilominus in oratione, & cœlitum præsentia, tanquam si corporis expers anima foris ageret, procul ab omni sensu & naturalibus potentijs: cúmque liquidissimis interim solatijs, quasi quodam beatitudinis prægustu inundaretur, neque tamen cessarent illum ad duriora indies toleranda hortari tum S. Agnes, tum Virgo DEIpara; incedebat plenus gaudij & voluptatis, quæ nullis laboribus vel afflictionibus posset intercipi; neque ità celari, quin varijs indicijs apud domesticos proderetur. Si quando prodeundum erat in campos (scribit P. Sarmiento) ad animos recreandos, ille potissimùm erat qui nos exhilarabat, illis intimæ lætitiæ signis verbísque, ut eandem refunderet in singulos, cujus ferendæ veluti impotens, versabat identidem vultum in aliam partem, ad celandum nos risum & hilaritatem suam, quæ etiam invito violentè in vultum prorumpebat. Crescebant nihilominus unà constanter diabolicæ infestationes, dum modò quidem manus Patris pertinacissimè adstringeret, fauces obseraret, nè SS. Hostiam sumere posset: modò denique blasphemus oggereret, quòd panis buccellam pro DEO adoraret. Solebat Pater SS. Sacramentum sæpius per diem adoraturus invisere, quod amarè ferens inimicus, quærere identidem solebat: *quò iterum vadit Dominus? redi potiùs unde venisti*; unáque pedes occupans ità retrorsum agebat, ut quantumlibet invitum & reluctantem ad cubiculum referrent: suâ se consolantem humilitate, quòd indignus esset Domini sui conspectu & præsentiâ. Magnum illius in DEIparam affectum advertens P. Sarmiento, devotam Virginis effigiem in solatium illi donaverat, quòd omni penitus destitutum videret: verum paucis diebus invidiâ dœmonis hanc retinere licuit; nam livore Mariani cultûs incitatus, dum nocte quadam Pater singulari affectu Virginis Patrocinium imploraret, arreptâ manu, utì eandem effigiem complectebatur, accensæ lampadis igne cremavit, etiam manum libenter exusturum contestans, si à DEO permitteretur. Aliam itaq; denuo imaginem petenti Pater Sarmiento substituit, hostibus ejus perinde gravem & invisam. Nam Sabbato ante Dominicam Passionis totum ferè diem & noctis partem cum pœnitentibus audiendis occupatus, noctem parandæ in crastinum concioni destinabat; & ecce laborem suum DEIparæ recommendanti adest inimicus, & exustâ imagine lucernam simul extinguit, jubens illum ad tenebras, si posset, concionem elucubrare. Coactus itaque laborem omittere, fisus Virginis patrocinio, ad tantillam quietem se componit, primóque manè ad confessionale evocatus, concionem nihilominus fervore, & rerum ubertate elegantiorem, ac nunquam aliàs habuit, DEO necessarij apparatûs defectum supplente.

Habuit & aliam pro suæ devotionis incremento Dominæ nostræ chartaceam iconem Pater Sarmiēto; hanc sibi aliquando, dum iste foris in Missione operaretur, P. Joannes in solatium tantisper concedi impetravit. Serenus omnino planéque innubis erat dies, quo illam cubiculo lætus inferebat; at enim dœmones ex ejus adventu tantum indignationis concepêre, ut subitò concitâ tempestate, Collegium atrâ nube operuerint, æstimantibus

bus domesticis se ab ea penitus submergendos. Nam ex ea densissima grando ingenti tumultu, quasi sclopis exploderetur, in hortum & tecta nucis avellanæ magnitudine depluens, omnia concussit; dejerante malo genio, sacram imaginem; quæ si propriè ad Patrē pertineret, in quingenta frusta ab se discerptum iri: tanto siquidem odio in cœli Reginam ferretur, ut implacabiliter aversaretur hoc ipso rem quamcunque, quæ ad ejus cultum vel honorem dirigeretur. Pergenti aliquando in vicinum oppidum S. MARIÆ nuncupatum, obvius dœmō factus, magno conatu retrahere conabatur; dicens, nullum sibi magìs locum illic exosum, neque in ullius perniciem æquè intentum esse, magísque sollicitum, ut quàm plurimos incolarum ad orcum indè pertraheret, eò quòd nomen traheret à S. MARIA. Sed cùm nihil proficeret, subitò unà cum viæ ductore, ejus alioqui peritissimo, aliò divertit in avia & præcipitia, nullo calle aut vestigio apparente, sesqui milliario à termino seductos: quò tamen, favore DEIparæ adjuti, sub vesperam pertigêre, labore itineris & inediâ defessi. Erat eo die concionem habiturus Pater, quam coactus in sequentem differre, plerosque ardore dicendi permovit ad seriam pœnitentiam peccatorum: quibus audiendis, & novâ semper dictione incendendis, totos dies distentus, unū præcipuè habuit cupientem de tota vita expiari: sed cùm esset conscientiâ multimodis intricatâ, probè interim ad ejus examen instructum, jussit manè postero redire. Conatus est variè dœmon eam mentem homini eximere, sed nihilominus statutâ horâ comparenti, persvasit Patrem jam aliò discessisse, ut credulus domum mæstus redierit. Sub vesperam tamen orandi in templo causâ reversus, sinceram, & plenam lacrymis homologesim apud Patrem instituit, & dœmonis quam passus erat illusionem detexit. Sed neque DEI servum immunem suarum technarum passus est, subornatâ in Patris diversorio mulierculâ, quæ multis verborum & gestuum lenocinijs illum ad scelus pertraheret. At enim postridie Patris dictione mulier capta, scelera præterita pœnitentiæ lacrymis apud eundem diluit, vitámque in melius commutavit. Redeunti ab hac Missione domum, jejuno, & æstu nimio fatigato, petulanter insultabant tartarei hostes, cur sua illi MARIA non subveniret, & cibi aliquid refectionísve lassato submitteret? & ecce vix obvium alicubi templum ingresso, adest nobilis Matrona, quæ Patrem sudore diffluentem, licèt nunquam aliàs visum, miserata, domum suam invitavit, & liberaliter ad reliqvum itineris cibo potúque delicatissimo refecit.

Sæpius etiam obedientiæ missu Burgos ad prædicandum excurrens, nunquam Ædiculam Virginis in via positam pertransibat, quin inviseret; eâ dœmonis molestiâ, ut aliquando urbe exeunti vehementissimum imbrem concitârit; id se facere dicens, ut bene madidus coram sua Domina compareret. Verùm nullum impugnationis genus fuit æquè molestum, & periculi plenum, quàm quod puritati hominis Angelicæ furiosus intentabat, animum & oculos fædissimis imaginibus, corpus verò immundis spiritibus replendo. Et quidem vice quadam à concione defesso, per totam noctem ob oculos repræsentavit objectum fædissimum, specie blandissimâ verbísque ad libidinem provocans, concitatis quantum posset in eo concupiscentiæ flammis; tantâ boni Patris ex constanti renitentia fatigatione, ut caput vacui instar tympani, & corpus moveri impotens remaneret. Sub diluculum ergo ad afflictorum Consolatricem versus, *quousque Domina non succurres?* clamabat: *quamdiu servo tuo non opitulaberis?* ad quæ formosum spectrum momentò evanuit, & tentatio omnis cessavit. Supremo demum conatu ad dicendam Missam consurgens, sub illius introitum viribus plenè restitutis, tantâ per decursum svavitatis cœlicæ dulcedine repletus est, ut tormenti nocturni non ampliùs meminisset. Multa fuêre ejusmodi cum Asmodæo ineunda diu noctúque prælia, sub larvis procacium mulierculárum, domi & in itineribus Patrem impugnante, de quo tamen victor semper triumphavit. Potissimùm autem molesti erant scelesti genij, quoties in proximis fructum aliquem fecisset, vel in oratione DEO animarum salutem cōmendaret, clamantes, sibi ut attenderet, neque de alijs sollicitus esset. Atque hanc ipsam ajebant esse causam, cur præ quolibet genere hominum maximè Societatem JESU odissent, & perpetua illi bella persecutionésque cierent. Visurum illum paulò pòst hujus belli effectum, ubi aliquot è primarijs Provinciæ ingenijs desertâ Societate sæculum repetierint: id quod paulò pòst magno dolore Patris accidit, non tamen sinè notabili conceptæ opinionis de excellentia Instituti Societatis incremento.

Neque inter hæc unquam defuit gratiæ donis suo militi DEUS; sed secundùm multitudinem dolorum à dœmone concitorum, consolationes supernæ animam lætificabant, novísq;

viſque in præmium muneribus & gratijs implebant. Eas autem omnes experiebatur à DEO dirigi ad proximi amorem, & majorem ſemper animarum zelum in ſe excitandum, cujus novos quotidie ardores ſentiebat, paratus earum ſalutis causâ omnia mundi orcíque tormenta ſuſtinere. Quoties pœnitentibus aures dabat, poſt enarrationem peccatorum, ſingulos cuipiam Cœlitum, ante datam abſolutionem committebat, ex quo plurimùm emolumenti in eos ajebat redundâſſe. Agebat præterea cum ſingulis ùt Pater, verbis blandiſſimis, & condolentiâ plenis, ut nemo ſolatij expers diſcederet, ideóque apud omnes nomen opinionémque ſancti obtinuit, non aliter totâ viciniâ Burgenſi appellatus. Porrò ſicut nullus illi dies vacuus laboris & lucri Apoſtolici occubuit, itâ nulla ferè nox ſucceſſit pugnarum cum Erebo expers, quas integræ dœmonum cohortes & legiones movebant: ubi tamen primùm ad novos pro animabus ſudores dilucuit; exiliebat perinde (robur ſuggerente cœlo) vegetus & validus, ac ſi quiete ſvaviſſimâ eſſet perfruitus. Excurrerat vice quadam in viciniam, dictionem habiturus feſto S. Magdalenæ, directam ſingulari efficaciâ ad obſtinatorum converſionem; quem idcirco cùm totâ nocte diriſſimè adverſarij ſui habuiſſent, finito ſermone cœpit ardentiſſimâ febri laborare; & in regreſſu ad hoſpitium, novis ab hoſtibus plagis vapulans, coactus eſt decumbere. Apparebat malum eſſe mortiferum, ideóque nuncio ad Collegium perlato, miſſus eſt P. Sarmiento, ut ægro ad Collegium deportando obſequijs adeſſet. Evocatus Medicus Doctor Oliva, ſingularem curam adhibuit, quòd morbus eſſet acutus, creſceretque ejus malitia uſque ad pervigilium S. Annæ: cui, tanquam SS. Virginis Parenti addictiſſimus, ſingulari affectu ſe commendabat. Senſère id ſpiritus maligni, uſſeréque noctem duntaxat opperiri, quam illi feſtivam facturos ſpondebant. Omnibus ad quietem compoſitis, adeſt magno tumultu & rugitu crudelis illorum cohors, extinctáque lampade, veſtes à corpore, & ſtragula è lecto direpta per cubiculum temerè diſijcit, infirmum diu raptatum verberatúmque ungvibus lacerat, quorum luculenta ſigna manè P. Sarmiento deprehendit in pedibus, brachijs, & ſuris. Pater ſibi relictus, collectis ùt poterat viribus, diſperſas veſtes & ſtragula colligere cœpit, nè veſtigia ejus ludi à domeſticis deprehenderentur: cùm denuo furibundi adſunt dœmones, veſtéque nudatum flagellant & contundunt, donec campana ſignum domeſticis ſurgendi dedit. Accurrens illico P. Sarmiento reperit illum graviter trahentem ſpiritum, delaſſatum, peſſiméque vulneribus ungvium affectum, à quo & ſeriem hiſtoriæ intellexit. Supervenit Medicus, tantáque arteriâ pavefactus, edixit peſſimum infirmi ſtatum eſſe, ac interim pharmacum ſudori eliciendo præſcripſit. Redux ſub veſperam, ubi Patrem caloris omnis expertem, pulſum venæ legitimum, & febrim omnino diſpulſam deprehendit, ſtupore plenus unum è Sacerdotibus domeſticis ſecretò rogavit: *quid hominis æger eſſet?* cúmque reſpondiſſet: *eſſe Sacerdotem ejus Collegij reliquis ſimilem*: *non eſt poſſibile*, ſubjecit, *ſed homo neceſſariò eſt quidam cœleſtis & prodigioſus, ſiquidem citra miraculum, ex medicinæ certiſſimis principijs, accidere non poterat, ut tam ſubitò ex ſupremo malo tanta fieret in bonum mutatio.* Rogatus à convaleſcente Pater Sarmiento, ut ſécum aliquot noctes remaneret, dum aliquantum ad vires rediret; primâ nocte miros intra cubiculum ſtrepitus notavit: alterâ verò dum ſanctiores de Domina noſtra miſcerent ſermones, juſſus auſcultare quid objicerent dœmones, audijt ſubmurmurantes: *ſilete canes; nolite de hac muliere loqui: cur nos excruciatis?* Hæc aliáque de ſervi DEI certaminibus P. Sarmiento, plurium aliorum teſtimonio, qui Patrem familiariùs noverant, firmata.

Poſt Collegium Medinæ Campi, Vellimarenſe, & varias Miſſiones, laborum ejus campus fuit Avila, & Valliſoletum, ubi in Profeſſorum domo Operarij munus obiens, totum plerumq; matutinum tempus uſq; ad ſignum menſæ ſecundæ, & pomeridianũ uſq; ad cœnam ferè in Confeſſionali tranſigebat, niſi ad Hoſpitalia, carceres, aut ægrorum miniſteria evocaretur; vel Miſſionibus per pagos, aut dictionibus & catecheſi per urbis vicos diſtineretur. Singularis etiam eidem familiaritas intercedebat cum Angelo ſuo tutelari, cujus præſentiâ & recreabatur in adverſis, & auxilium experiebatur contra inimicorum inſultus. Inter alias ſingulares revelationes, vidit die quadam Pentecoſtes ſuper capita Sociorum ad divinam Menſam accedentium, ſub Sacro P. Ludovici de Ponte, volitantem ſpecie columbæ Spiritum ſanctum. Ultimo dejectum morbo, crudeliùs quàm antè in vita impugnavêre mali genij; ſæpius profeſſi, non aliâ magìs causâ ſeſe illi infenſos fuiſſe, quàm ut à cultu & amore DEIparæ averterent. Poſtremis tamen vitæ diebus eam viciſſim in ipſos Numen Patri conceſſit poteſtatem, ut inſtar

catellorum in illius tremerent conſpectu, orarént que ſupplices; nè in altera vita, adſcriptus Superis, vindictam de ijs ſumeret. Mortuus eſt in ſumma animi tranquillitate Valliſoleti in Domo Profeſſa die 4. Maij. Anno 1599.

Ex ejus vita, & P. Sebaſtiani de Sarmiento; & Ludovico de Valdivia, & Nierembergij Tomo 3.



Ludovicus Ruiz Soc: Iesu Lusitanus, mirabiliter â Deo in Societatem pertractus, vitæ ſanctimoniâ, præsertim humilitate excellens, vitam in contagiosorum obsequijs amisit Conimbricæ Anno 1599. 5. Iulij; ætat: 60. et alij per Lusitaniam ac Hispaniam Socij 65.

69.

LUDOVICUS RUIZ cum alijs 65.



Trox peſtilentia, quam in Luſitaniam fuiſſe invectam ab Hiſpania, in geſtis P. Georgij Tavora diximus, longè diriùs univerſam propè Hiſpaniam eodem Anno 1599. pervagata, præſtantiſſimis Societatem Operarijs, dum prodigè ſe in proximorum open effundunt, propè exhauſit. Primus æternâ memoriâ dignus fuit Ludovicus Ruiz, natus in pago Chiluches, haud procul Gvadalaiarâ, anno 1542. Parentibus agricolis, copioſis tamen & opulentis, niſi Parens frequenti pro alijs vadimonio fortunas ità afflixiſſet, ut ab ejus obitu Mater cum Ludovico, ſeptem prolium minimo, coacta ſit ſervilem in ditiorum famulatu operam locare. Doctori Cueſtæ primùm Ludovicus ad obſequia feliciter obvenit; qui pueri indole delectatus, ſcholis jam ante admotum à Parentibus, voluit eaſdem proſequi, 70. aureis in annos ſingulos uſibus ipſius aſſignatis. At ubi Cueſtam in Epiſcopum Legionenſem evehi eundem contigit, aſſumptus eſt Ludovicus inter Ephebos

Ducis

Ducis infantadi de Gvadalaiara, eò vel maximè apud illum gratiosus, quòd filijs parvulis scitè ad illorum genium colluderet: quô lepôre captus Dux, brevi tempore frequentibus eum donarijs, ad mille aureorum pretium muneratus est. Duobus & dimidio annis per has pueriles occupationes lapsis, cùm ei suus Patruus Ecclesiasticus amplum beneficium transcripsisset, bonâ Ducis veniâ Complutum ad studia prosequenda redijt, auctus ab eodem 50. aureorum annuo reditu. Sæpe ibi validè ad Societatem capessendam impellebatur à DEO, urgebatur à matre, & ipse apud Superiores expetijt sæpiùs: ab his tamen semper repulsus, quòd moribus adhuc incompositis, in omnem facilè levitatem passim difflueret. Ità nocte quadam risum sodalibus & viciniæ facturus, prætendit funem transversim plateæ, unô circiter palmo ab humo; tum rixâ non procul cis funem simulatâ, dum ad eam componendam urbici accurrunt excubitores, alter super alterum funis impactu ruentes, sibi noxæ, spectantibus fuêre ludibrio. Nocte aliâ unum è contubernalibus insolenti ludificatione ad bonam frugem à pellicatu traduxit. Induxerat ille clam ceteris, unico advertente Ludovico, mulierculam in suum conclave: hos iste arte suâ, pulvere pyrio ad cubile usque ignem deferente, subito incendio ità involvit, ità timore ac pudore, ad clamorem eorum concitis domesticis, perfudit, ut amicus ille mox Religionem strictiorem ingressus sit, DEO gratulans, quòd sceleri se simul & flammis eripuerit: mulier verò Compluto se subducens, nunquam se postea dederit in conspectum. Nec rarò inter ejusmodi vitæ solutioris acta, gravibus & ipse involutus est, & divinitus evolutus periculis, ut eò tandem quò vocabatur, animum seriò adverteret. Nocte quadam vocatus per urbem, & subitò conspicatus apparitorum turbam sibi propinquantem, dum fugam arripit, repentè prolapsus sclopum manuarium (pistolam vocant) quem oneratum gestabat, corporis super eum lapsu, laxatâ rotâ displodit; & ipse quidem evasit innoxius, sed pallium crebris perfossum glandulis periculi magnitudinem patefecit. Aliàs in amnis trajectu prolapso jumento diu in undis detentus, vix ab equo tandem se eripiens eluctatus est. A quo iterum alibi dejectus, hæsit in loris implicito pede, maléque raptatus, & graviter sauciatus vix evasit. Supremus demum, cui tandem efficaciter resipiscens cessit, impulsus hic fuit. Invitatos fortè sodales recreare volebat in æstu recentium cucumerum esu; sed rogata olitoria fœmina negabat sibi esse venales: itaque vindictæ studio nocte proximâ cum socio omnes illi cucumeres in agro stirpitus evellit, atque indè concedit cum eodem dormiturus in vicinum pratum. Post pauculum somni socium evocat, silentem ciet, trahit, omni conatu excitat; sed animam egisse tandem deprehendit. Attonitus repentino casu, suíque vix compos, atque inter fugæ mansioníſque anceps consilium, constituit postremò, nè semetipse reum necis agere, si se subduceret, videretur, ibi secus cadaver consistere. Igitur deprehensus à Magistratu rapitur in carcerem; ille constans animi Medicos & Chirurgos acciri, examinari cadaver, an quod violentæ mortis appareat indicium, urget. Nullo deprehenso, ideóque ad interiora scrutanda dissecto corpore, jecur tabidum, & corpulento infectum apostemate repertum, & mortis subitaneæ originem edocuit, & Ludovicum carcere noxáque eripuit. Hoc tam ancipiti eventu tandem infractus, Societatem importunè exorare institit; constanter tamen, ob eam vitæ morúmque licentiam, repudiatus. Commodùm interim Complutum advenit P. Hieronymus Natalis, Generalis per Hispaniam (ùt tunc vocabant) Commissarius, in Novembri 1561. eum continuò accedit Ludovicus, ac sinè ambagibus sociorum numero adscribi petens: *Ego Societatem*, inquit, *jam dudum expeto; sed ob morum meorum dissolutionem usque adhuc repulsus sum; obtestor te Pater, ut mihi copiam ejus actutum facias: simúlque edico, nisi me Societatis compotem ante crastinæ diei horam octavam facias, hinc me ad aliumReligiosorum Cœtum rectà iturum, quò me tamen neque vocari sentio, & multis me criminibus implicitum irisum certus quorum abs te rationem DEUS repetet.* His laconicè edictis abscessit, & noctem illam, de eventu sollicitus, insomnem egit. Sequenti die constans propositi ad P. Commissarium redit, qui indolem præfervidam, adeóque ad magna præstanda, si edomaretur, idoneam suspiciens, ità admittit, ut suum priùs ad pagum profectus amicis omnibus valedicat. Abit illico, & advocatis Cognatis consilium sibi esse dicit militiam sequi (dissimulato per verborum ambages vero proposito suo) & secunda adversáque, quò in Virum evadat, experiri. Dehortantibus illis profitetur, ab suo se proposito, nè quidem si S. Franciscus aliud svaderet, recessurum; & cum dicto abscedit. Complutum regressus, quidquid rerum domi habebat, vestes, argentum, aurum factum infectúmque secum accipit, & rectà ad Domum

mum Probationis confert, ætatis annum tunc agens 20. Postridie quàm Domo receptus est, Murciam pedes mendicatò ire jubetur aliquot dierum itinere, addito illi socio Fratre, ætate & corporis mole impedito, cujus pallium & sarcina Ludovico portanda imponitur, jusso in eam viam quàm pretiosissimum vestitum, ad virtutis illius ex tam insolente spectaculo periclitationem, assumere. Ibat ergo holoserico ostróque, auro & gemmis copiosè illuso, sub onere sarcinæ spectabilis, passim à vulgo risu & cachinnis explosus, & apud nonnullos etiam in suspicionem furti adductus. Cum Murciam pervenissent, ibi arcto & tenebroso cubiculo, cui lumen alta ex fenestra infundebatur, ad dies 44. hospes inclusus, & spiritualibus interim Exercitijs ad coërcendam ingenij acrimoniam excultus, pristinæ libertatis reminiscentiâ non semel magnum patiebatur vocationis discrimen, nisì divina gratia adfuisset. Exinde post menstruam culinæ domesticæ, eodem semper sæculari cultu, navatam operam, jussus est mediastini habitu, coquinæ Episcopi ministerium suum offerre; ubi cùm lebetes, ollas & ferramenta promptè detergeret, humum everreret, omniáque mancipij obsequia exequens duro super assere cubaret, mille interim per epheborum & reliqui famulitij petulantiam probris, colaphis, injurijs excipiebatur; ut ex pristinæ, nuper primùm dimissæ libertatis recordatione, tantùm non de libertate filiorum DEI sit dejectus. Cùm opportunè domum revocatus, Patrum alloquijs, & omnium domesticorum ad DEUM precibus, ac præsertim lectione super mensa cap: 2. ex libro 1. de imitatione Christi, ità animo serenatus, & in posterum confirmatus est; ut nuncio scholis & Sacerdotio in perpetuum remisso, duos apud Generales, Laynem, & Borgiam, Sacerdotij gratiam illi deferentes, constanter exoraverit in sorte Coadjutorum Temporalium relinqui.

Evoluto Novitiatûs biennio votis Religioni obstrictus, procurandæ rei familiari admotus est Granatæ primùm: Murciam mox revocatus, ad tuendam Collegij fundationem adversùs ejus impugnatores, vix annum ætatis 23. egressus. Igitur ùt coram Senatu Regio primùm apparuit, nullúsne in Ordine vestro, inquit Præses, qui tantæ causæ manum admoveret, repertus est, cui ætas, auctoritas, & major esset rerum experientia? cui Ludovicus, vel indè, ait, Domine rectè conjeceris, quàm parùm Societas pensi ducat fortunæ bona, quibus vendicandis non caput, non corpus, sed imos duntaxat pedes addicat, & eos ipsos tam parùm validos ac firmos, quàm me adesse cernis. Cæterùm eventu constitit, quàm idoneus rei gerendæ foret, contra homines & gratiâ pollentes & censu, causâ pro nobis diremptâ. Atque ex eo tempore Procuratoris officium perpetuò gessit Ludovicus: sacris autem diebus, quos à negotijs & laboribus feriatos habebat, vicatim pueris rudibúsque catechesim explicabat. Sed neque tum omisêre Superiores fervidam hominis indolem arduis subinde imperijs experiri. Sanè Gonzalus Gonzalez pro suo Provincialis munere Murciam inspiciens, ubi jam quinquennio Ludovicus Procuratorem egerat, virtutem ejus periclitaturus, veste religiosâ exutum, opertum galericulo, pectine, forfice, ac baculo instructum, per celeberrimas Urbis vias misit ad Nosocomium: qui promptissimè paruit, turbámque puerorum, iens rediénsque, exsibilantium velut amentem, & luto lapidibúsque impetentium, penè se traxit. Sub hæc Moderatorum missu cum Bartholomæo de Torres Episcopo, in Canarias Insulas trajecit: ubi imbuendæ literarum & Christianæ pietatis elementis, pueritiæ præclaram navavit operam. Indè redux, in transitu patrij vici occasionem nactus est pulcherrimi facinoris, ex Christiana pietate in homicidam parentis sui, exhibendi. Mulier istic degebat, quæ Parentem ipsius Franciscum à prima uxore viduum deperiens, maritum sibi destinabat; qui cùm duxisset aliam Ludovici Matrem, hanc statuit illa de medio tollere, quò Francisco potiretur. Offert ergo Francisco medicatas ficus, deferendas novæ domum Conjugi, benevolentiæ suæ in eam pignus: quas cùm ipse sceleris inscius degustâsset, non multò pòst incepit sensim tumefieri, & animam ægrè ducere; ac demum longâ 16. mensium morte confectus est, ignotâ omnibus origine. Anni jam triginta à patrato scelere fluxerant, nec ulli mulier ausa id revelare; tunc demum Ludovico illac transeunti, intolerans conscientiæ cruciatuum fidenter aperuit, obsecrans, ut veniam sibi paternæ necis atque impunitatem & det ipse, & à Matre fratribúsque impetret. Præstitit utrumque Ludovicus liberaliter; & fœmina, condonatione hilaris, non multò pòst fato functa est. Reliqvum vitæ per diversa Collegia tuendis eorum proventibus, & propugnandis causis transegit Ludovicus; neque unquam (quod mirêre) causâ cecidit, quamvìs lites trecentis plures nobis intentatas absolverit. Innumeras interim passus calumnias, injurias, viarum incommoda,

da, & vitæ ipſius pericula, à latronibus, ab adverſarijs, quibúſcum erat diſceptatio, ipſi inſidiantibus: è quibus tamen ſemper DEI manus, nec citra miraculi interdum opinionem illi præſto fuit: cùm ipſe bene mereri de omnibus, prodeſſe malo quolibet preſſis ſtuderet. Venerat aliquando litis ſuæ causâ in Vicum quempiam, ubi Virginis filiæ pudicitiam per Parentum inopiam, ſacrilegus leno ſollicitabat: id ubi Ludovicus ſubſenſit, illico 20. corrogatos aureos, quibus illa ſceleris occaſioni ſubducta nuptui daretur, Parentibus offert, & ſi aliò demigrare velint, operam ſuam ſpondet. Illi acceptâ conditione Madritum abiêre, Ludovicus Navalcarnerum vicinum illi Oppidum: ubi cùm per literas opem promiſſam poſtularent; illæ à Matre, phraſi manúque fœmineâ ſubſcriptæ, & Rectoris in manus delatæ, Ludovicum in alicujus familiaritatis noxiæ ſuſpicionem adduxêre. Quæſita indicijs mulier, & clàm interrogata, noſſétne, & unde Ludovicum? imò quàm optimè, ait illa: enartatáque notitiæ, ex impedito filiæ inceſtu, origine, longam de ejus laudibus texuit orationem: illum, quaquà tranſiret, ſuæ relinquere veſtigia charitatis & zeli: multos ab illo vel unico ſuo in vico è flagitioſa vita erutos; capitaliter diſſidentes in gratiam reductos: conſvêſſe quotidie elementa Chriſtianæ legis explicare: addidiſſe templo fores, nè jumenta per noctem & pecudes in eo, ùt fiebat, ſtabularentur: curâſſe lampadem, igni perpetuo coram SS. Evchariſtia alendo; argenteum eidem recondendæ Ciborium, pro ligneo trunco, quo priùs recludi ſolebat; multáque id genus adjecit, quibus omnis Rectori diſpulſa ſuſpicio, & digna Ludovici æſtimatio eſt impreſſa. Unus quiſpiam è Coadjutoribus noſtris liberioris in alios cenſuræ, falsò inſimulatus ex quibuſdam indicijs ab inepta muliercula, parum pudicæ conſvetudinis; ut nihilominus à ſe criminis ſuſpicionem averteret, ea indicia temerè in Ludovicum detorſit. Rector examinatis ijs, ad quos conſcientia facti veniſſe dicebatur, innoxium utrumque eſſe deprehendit, ideóque rem totam ſilentio deinceps involvit. At Ludovicus impoſtori ſuo aliquando obvius, illum infelici morte, eâque extra Societatem confectum iri, vaticinatus eſt. Nec longa mora fuit, cùm ille ſemel à Societate, iterúmque à ſecundo receptu digreſſus, deambulandi ſtudio cum ſodalibus in agrum exiens, dum naturæ causâ pauliſper ſeorſim ſubſiſtit, repentè extingvitur, deprehenſus atro deformíque vultu, & exertâ per cervicem lingvâ, procacitatis ſuæ dediſſe ſupplicium. Granatenſi in via à duobus latronibus in ſylva exceptus, animo tam præſenti fuit, ut non ſit veritus blandâ allocutione, & oblato æris ſui ſacculo, ab efferis hominibus miſſionem, & cibi aliquid in levamen inediæ poſtulare. Viſus efferari eorum alter facetâ eâ hominis conſtantiâ, & ferro manum in necem admovere; ſed alterius interceſſione, quòd Virum non malum videri diceret, qui mortis ſecurus in tanto periculo etiam jocis luderet, ſinè noxa dimiſſus eſt. Hunc poſtea Ludovicus Granatæ repertum in foro, verentémque apud Magiſtratum prodi, animo juſſit à ſe quidem eſſe ſecuro: ſed ei tantâ efficaciâ turpitudinem ejus facinorum perſvaſit, ut ad Confeſſionem primùm, deinde ad vitam Religioſam perpulerit. Pintij comperit puellam honeſto genere, probè ſecum olim educatam, vulgâſſe corpus inter lupas: cui fortè obvius rogat, num ſe Ludovicum Ruiz nôrit? quæ ad noti nominis auditionem in lacrymas ſoluta, cùm melioris vitæ deſiderium proderet, pollicentem neceſſaria vitæ & famæ ſubſidia, læta ad nobilem matronam obſequitur, ubi aliquamdiu ſuſtentata, dum pecunia locandæ in Monaſterio ſufficiens corrogaretur, tantâ deinde ſanctimoniæ ibi opinione ad mortem uſque egit, ut non ſemel electa fuerit totius Præfecta Cœnobij. Pari felicitate ſacrilegi Cœnobitæ commercio aliam eripuit, qui pravis artibus paterna è domo ſubreptam, atque eodem ſecum Religionis habitu indutam circumducebat. Eos in quodam diverſorio nactus Ludovicus aggreditur, & exprobrato Sacerdoti nefario ſcelere, minis etiam ità percellit, ut ad Cœnobium reditu ſuſcepto, puellam in poteſtatem Ludovici ceſſerit: à quo eâ induſtriâ Parentibus reſtituta eſt, ut apud neminem ex amicis famæ aut fugæ exiſtimationem incurrerit, credita ad tempus duntaxat apud Cognatum quempiam familiariùs divertiſſe. Innumera ejuſmodi in quovis vitij genere per eum impedita, & ſanctiora perſvaſa ſunt, quorum opportunitatem utì ratio ſui muneris ingerebat quotidie, ità ipſe nullam è manibus vacuam elabi ſinebat. Vitam adeò laudabiliter actam, Compluti ſexagenario jam vicinus, ad ſanctam mortem pijs actionibus comparabat, cùm peſtilitas Urbem invaſit. Itaque Patribus ad ſolatium infectorum deſtinatis ultro ſuam operam detulit, quòd in ſene inutili nihil Societati deceſſurum diceret. Eo in opere deinceps dies noctéſque individuus Sacerdotum comes, non exiguos labores & ærumnas toleravit, dum & ipſe luem contra-

ctam hausit: cujus in curatione acerbissimos cruciatus tantâ sustinuit animi firmitate, ut suo corpori nè parcerent, sed frustatim si opus foret conciderent, Chirurgos orârit. Ad extremum Sacramentis receptis, prænunciato quatuor alijs Fratribus eodem vitæ exitu decessit 5. Julij, ejus anni 1599.

Illum proximè secuti sunt quatuor ex ejus prædictione, & alij in eodem obsequio occupati, Ferdinandus de la Flor Pharmacopæus 20. Julij, & triduò post Petrus Lozanus, cum Didaco Garces. Tum vigesimâ octavâ ejusdem P. Julianus de Arze, qui paulò ante ex quartana restitutus, primus omnium ex Sacerdotibus vitam suam in hoc obsequium Rectori devovit. Et nè langvidiùs remissiúsve in eo procederet, dum unum ipse alterúmve confitentem audiret, socium ægrotos interim alios indagatum mittebat in viciniam, quò sinè cunctatione omnibus satisfieret. Eodem die excessit Marcus Benaccoltus Siculus, & 29. P. Alphonsus Gomez Toletanus, unà cum Joanne Martinez adhuc Novitio. Et hi quidem Compluti pestilentiâ demessi, quàm plurimos alibi habuêre & charitatis, & exitij ab eadem hoc anno consecuti, asseclas. Numantiæ Franc: Velascus ætate 71. anni, quòd seriùs ad Societatem ante 23. primùm annos accessisset, ut tarditatem heroico exitu redimeret, vitam suam morti devovit. 1. Januarij ad Superos evocatus. Salmanticæ quoque in Hispania ad diem 24. Febr: P. Martinus Araoz, patriâ Ognatensis, annorum 36. & post triduum P. Joannes Ximenez, Prexamensis, decumanus per annos 20. Salmanticæ Operarius, annorum 51. quibus ad Religiones diversas plurimos impulit. Multos corrogatis auxilijs alebat adolescentes in studijs literarum, & ex quovis hominum ordine, magno numero ad se confugientes, consilio juvabat. Franciscus de Herrera individuus illius ad ægros comes, 14. Martij secutus est, anno ætatis 28. Junij verò 8. die P. Franciscus Zamora, anno ætatis 53. ac tandem die incomperto Alvarus Roias, & P. Ignatius de Torres. Villigarsiæ quoque ex pluribus eodem ministerio piè occupatis, ad bravium pervenêre P. Ludovicus de Bustillo annorum 39. & Didacus Alvarez, annorum 45. mense Junio. Joannes Montalvus 23 ejusdem, P. Antonius de Verastiqui 30. annorum 8. Aug: & Petrus Guitran ignoto mense. Jam verò Legione, ubi Rector ipse primus in aciem pro pestiferis contra luem prodijt, ceteri quoque magno numero secuti animosè decertârunt, ut eâ re Societati ab utroque Senatu actæ sint gratiæ. Ex his gloriosè occubuêre 1. Julij Gregorius Flores. Franciscus Mendoza adhuc Scholasticus, annor: 23. 14. die; & Antonius Rodriquez 21. itidem Scholasticus, annor: 20. P. Petrus Alzares 27. ejusdem, annorum 52. Post hos diebus incognitis in Aug: cecidêre P. Franc: de Salazar annor: 50. Gabriël Navarrus Scholasticus 19. annor: Alphonsus Martinez Coadjutor 32. annor: & Petrus Morenus annor: 30. incomperto mense. Nec minor Lucronij fuit ex eodem certamine clades, tantò magis Urbi necessario, quantò omni alio auxilio destituta, solos socios censuit & animarum & corporum, per eleemosynas undiq; corrogatas & distributas, ipso Collegij Præside ductore, Curatores. Ex ijs pestilens haustus aër necavit mense Julio P. Bartholomæum Serranum, Madritensem, Collegij tum Superiorem, annor: 37. P. Hieronymum Suarez, Salmanticensem, annor: 57. P. Joannem de Molina, 30. annor: Canariensem. Alphonsum Agvilar, annor: 26. Joannem Garcia annorum 52. Gabrielem de Torres annor: 35. Demum, mense non expresso, P. Andream Martinez annor: 62. & Petrum Garrerum annor: 57. Oveti, totáque illius regione calamitas fuit post hominum memoriam gravissima: mortuorum strages tanta, ut universâ eâ Provinciâ pars tantùm tertia hominum relicta sit: Parocho vix uno superstite; ut labor omnis corporum & animorum in solos socios devolveretur. Et his quidem addicti cùm essent Coadjutores 10. tres soli superstites evasêre: ex Sacerdotibus verò tres occubuêre. Primus cecidit 12. Julij Joañes de Villa-sante, annor: 47. Die 13. verò P. Alphonsus Polancus annor: 49. qui licèt pede captus ità se velociter incitabat, ut cùm diem totum cursitando laborâsset, lassitudinem tamen nullam præferret, reliquis decem tanquam eorum dux & caput pio in opere præiens. 16. Oct: Franciscus Maldonatus annor: 56. Reliquorum tempus mortis calamum effugit, fueréq; P. Franciscus Calvus 74. annor: cujus adhortationibus plurimùm se in pericula & mortem impelli socij reliqui fatebantur. Michaël Martinez, Joannes Gomez Scholasticus ann: 23. Victor Perez annor: 54. Ferdinandus Alvarez annor: 42, Joannes de Campo ann: 38. Franc: Maldonatus annorum 56.

Segoviæ opportunior inventa est ratio malo, per eundem annum istic grassanti, obviandi, distributis industriâ Episcopi in diversos Religiosos Urbis Paræcijs. Societati assignata est, quæ ceteras omnes incolarum numero superabat, bis mille tectis Civium comprehensa.

hensa: in cujus quadrimestri, dum pestis subsideret, procuratione, quatuor socij mortem oppetiêre: P. Joannes Fernandez 31. Julij, annos natus 35. P. Alexius Garcia 1. Aug: annor:42. Joannes de Matienzo in Sept: ann: 54. P. Joann: Ægidius in Octobri. Vallisoleti verò idem navatæ proximis operæ præmium, victores mortis retulêre P. Melchior Falcon 8. Aug: 34. annorum; Didacus Ortiz eodem die, 38. annor: Joannes de Balmasoda 37. annor: incomperto die. Burgis, quæ Urbium Castellæ caput est, mirabili DEI providentiâ sociorum nemo, qui totâ Urbe pestiferis opitulabantur, malo ictus est, dum prælio penè confecto mortem in spolium retulêre, P. Christophorus de Ribera, nuper posito Provincialis munere ejus Urbis Operarius, Civitati peracceptus, quòd jam olim laboribus eam excoluisset; hic pestiferâ ictus glande, quinto absumptus est die Sept: 9. cùm se paulò ante, veluti mortis præsagus, confessione generali, & sacris Exercitijs munivisset, natus ann: 63. Franciscus Montalvus annor: 75. Templi æditus 12. Sept:; incerto verò die P. Carolus Anglus. Petrus Rodriquez annor: 32. & Marcus de Vergara 30. annor: Hispali quoque charitate eâdem Urbi promiscuè impensâ, idem bravium consecuti sunt, P. Martinus Guerra anno ætatis 48. die 24. Junij, lue ab uno ex infectis afflatus, in quo consolando & ad spem erigendo duas horas humi penès illum prostratus posuerat: ingenti lætitiâ perfusus, quòd animam ejus orco ereptam cœlo peperisset. Et P. Petrus Scixano 58. annorum, die 27. Junij: qui jam antè in eadem Urbe peste laborantibus operam navârat, tanto animi fervore, ut voto exinde concepto se obstrinxerit postulandæ ejusdem facultatis, quamcunque Provinciæ partem pestis incesseret. Ocaniæ licèt omnes è Collegio pro virili miseros adjuvarent, unicus tamen ad bravium pervenit 2. Aug: P. Gometius Carillis 63. annor: Granatæ cùm hoc anno pestis pepercisset, sequente 1600. duplicato damno resarcivit, in infimam potissimùm plebem desæviens: quâ cùm Nosocomium repletum esset, & Rector eorum curæ Patres aliquos destinandos statuisset; tres fuêre, qui pedibus ejus advoluti, lacrymis eam provinciam reliquis competitoribus præripuerunt. E quibus duobus malo ictis, sed uno solùm ex his mortuo, duo alij suffecti sunt, qui ambo carbonibus icti decessêre, tertio solùm semper incolumi recedente. Primus P. Petrus de Molina, (dies non exprimitur) extinctus est anno ætatis 56. Tum 16. Aug: P. Marcus Antonius 29. annor: Et 18. ejusdem P. Franciscus de Cuellas 32. vitæ anno.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. THOMAS DE SOTO.

MAgnus DEI servus & animarum zelator P. Thomas de Soto, natus est Toleti in Hispania, parentibus honoratis, & pietati deditissimis: ut inter præcipua DEI beneficia semper computaverit, se talib9 genitoribus editum fuisse, quòd magnâ curâ educatum, ut timorem DEI animo ejus penitus implantarent, non tantùm ob perperam acta, sed si vel speciem mali alicujus haberent, severè essent soliti castigare. Nam si domum attulisset subinde fructus aut bellaria ab amicis donata, rigidè nihilominus virgâ plectebatur, nè talium cupidine aliquando abreptus, vel levissimum quid suffuraretur. Quare si aliquando in publico aut platea deperditum quid invenisset, non præsumebat id levare: prout evenit casu incidenti in crumenam numis turgentem, quam tollere non ausus, alteri cuipiam transeunti auferendam demonstravit. Quoties jam puer scholas adiret, succedebat in vicinium ponè ipsam viam templum, & adorato in majoris aræ tabernaculo DEO Eucharistico, ad effigiem DEIparæ in latere Ecclesiæ venerandam transibat: à patentibus vicissim vitæ periculis, eorum beneficio, liberatus. Sic cùm in puteum præaltum per id tempus incidisset, in ipso casu mirabiliter funi, qui extrahendis aquis serviebat, implicitus adhæsit, donec diu conquisitus, illo ipso extractus est. Aliàs torrentis impetu abreptus, inter aquarum vortices procul ferebatur; accurrentium tamen operâ ereptus, nihil penitus inde damni passus est. Atque his tam miræ circa puerum DEI providentiæ signis, & singulari ejusdem in Divina inclinatione permoti Parentes, instituendum commiserunt eximio DEI servo Magistro Cedillo, cujus sanctitati præclarum testimonium deinde fecit corpus ipsius post 20. à morte annos sepulchro effossum, fragrantissimum exhalans odorem. Sub ejus institutione in omni quidem virtute, sed præcipuè in misericordia erga pauperes proficiens, prosiliebat per hyemem singulis noctibus in plateas, lucernâ in-

stru-



P. Thomas de Soto, Soc: Iesu, Hispan9, Charitatis et Misericordiæ operib9 optimè de proximis merit9. In poenitentib9 expiandis indefess9. Coelitum visitationib9 et alloquijs perfamiliariter frui solit9. Obijt 20 Augusti A° 1600. Ætat: 96. 70. W.P. Kilian sc.

structus, collectum pauperes in publico destitutos, quos in hospitalia deducebat in conducta per suam industriam cubicula, ne frigore interirent. Eandem charitatem extendebat ad curanda & eluenda miserorum ulcera & carcinomata, quæ priùs magno pietatis affectu, velut Domini cicatrices exosculabatur. Postea quam verò tantus similium numerus excrevit, ut locus eis in nosocomio deesset, receptos proprio hospitio omnibus modis confovebat, distractis in sanctæ charitatis impensas libris ad studia necessarijs. Suscepto deinde ex Jure Canonico Baccalaureatu, factus Sacerdos; quòd magnam videret Confessariorum, qui pauperes audire vellent, penuriam, impetravit ab Ordinario facultatem audiendi, quovis illius diœcesis loco, pauperum confessiones: idque constanter ingenti zelo præstitit, in hospitali præcipuè Regio incurabilium Toleti, atque altero S. Nicolai; nil pensi habens abominandas sordes, fœtores, & tabo fluentia corpora, unde semper exiret fœdis vermiculis oppletus. Denique certum perfugium erat omnibus egenis & destitutis; animámque agentibus solertissimam operam navabat, maximâ approbatione Cardinalis Tabera, & Archi-Episcopi Carranca, qui primaria illi beneficia destinabat, si vita præpoperè non illum destituisset.

Huic postquam in eadem sede successit Joannes Martinez Cardinalis Siliceus; tot ægritudines per urbem Toletanam grassari cœperunt, ut ijs recipiendis Hospitalia non sufficerent, sed passim in plateis morte oppressorum cadavera invenirentur. Igitur Soto cum duobus familiaribus (qui deinceps unà Socie-

Societati adſcripti fuêre) P. Baptiſta Sandez, & P. Venegas, miſeratione tacti domum novam recipiendis ægris conſtituerunt, quibus omnibus ritè expiandis, & ad mortem parandis intenti, mortuorum etiam cadavera ſepulturæ mandabant. Quibus rebus, & alijs in publicum datis exemplis, totius oculos civitatis in ſe converterunt, maximè poſtquam ſacris S. IGNATII Exercitijs exculti, conceptâ novâ flammâ, velut ignei homines omnia fervore ſuo incendebant. Et quidem P. Soto oblatas undique copiosè eleemoſynas magnâ charitate in miſeros, & carceribus detentos diſpertiebat, neque ullam ſui deprimendi, & ſuſceptis publicè mortificationibus confundendi occaſionem omittebat: dignus jam tum à Beatiſſima Virgine per ſomnum illi cõparente, in filium recipi. Sed neque Filius ejus intermiſit varijs modis demonſtrare, quàm accepta ſibi forent ardentis ejus zeli & charitatis opera. Sanè cùm vice quadam ad littus præterfluentis obambularet, vidit multitudinem circumfuſam ſpectandæ mulæ, à paupere agricola adaquatum illuc adductæ, quæ primis pedibus aquas ingreſſa, velut torpore quodam ità detinebatur, ut reſilire impotens jamjam aquis præfocaretur; conſternato interim tantâ jacturâ mulæ domino, & in miſerabiles ejulatus effuſo. Igitur propiùs accedens ſervus DEI, advertit à dæmone arreptam mulam violentè detineri, & fundo mergendam allidi; quo brevi ad DEUM precatione depulſo, indemnis illico mula exilijt, omnibus, qui adſtabant, ejus ſolius meritis & precibus ſalutem jumenti imputantibus. Petijt aliquando ab eodem unus familiarium mutuos 100. aureos, & pignoris vice reliquit magni pretij anulum, quem Soto matri ſuæ aſſervandum commiſit. Sed hæc paucis poſt diebus plena triſtitiæ ad filium redijt, ſublectum ſibi neſcio quo auctore theſaurum hũc queſta. Ille ſolitâ fiduciâ ad cœleſtem Matrem ſuam recurrens, aliquoties ejus honori canticum *Magnificat* dixit; & ecce die eodem Mater recurrens, narrat digito ſuo à manu inviſibili ſenſibiliter anulum inſertum, quin tamen ullum hujus rei auctorem conſpexerit. Non ceſſabat interim dæmon varias ejus Angelico pudori inſidias tendere, excitando ſæpius ad eum irretiendum pellaces mulierculas: de quibus tamen intaminatus ſemper victor, theſaurum hunc inter tot ſæculi illecebras illibatum cœlo intulit.

Propoſuerat quidem jam inde ab obitis S. IGNATII commentationibus Societati ſe aggregare; ſed differre tantiſper pia deſideria coactus eſt à debito Parentibus amore, quorum gravis egeſtas ſubſidia à filio neceſſaria exigebat. At ubi DEO placuit impedimentum hoc, evocato ad cœlum utroque Parente, tollere (quos idem auditâ utriuſque confeſſione ad beatum tranſitum diſpoſuerat) continuò Societati nomen dedit, receptus anno 1563. Hìc verò Apoſtolicus ejus zelus, & reliquæ Operarij Evangelici virtutes multò luculentiùs reſplendere cœperunt, novis ſemper auctæ incrementis; ut quò magis attritis ſenio viribus decreſceret, eò fortior recenti ſemper animo in novum fervorem aſſurgere videretur. Atque inprimis in recipiendis & adjuvandis peccatoribus rarâ pollebat gratiâ, cúmque per annos 30. aſſiduus quot diebus conſideret Judex pro ſacro tribunali; infinitam eorum ex omni hominum ſorte multitudinem à peccatis abſolvit: neque unquam advenire quis potuit ſeu manè, ſeu ſerò, aut meridie; quin paratum & præſtolantem in confeſſionali deprehenderet. Fuit verò magnæ omnibus admirationi, cùm totos nonnunquam decem dies ei tribunali affixus, obiter ſumpto cibo, inhæſiſſet; nihil tamen unquam moleſtiæ aut laboris præſetuliſſe: imò ſi quando deteriùs domi valeret, ingreſſus locum illum pœnitentiæ, omni dolore & ægritudine levabatur. Majorem autem creabat admirationem, quòd evocatus ad ægros, ſi quem reperiſſet morbi inſolentiâ, aliáve causâ rationis uſu dejectum, pauculis eum verbis ſibi reſtituebat, ad exomologeſim ritè peragendam. Quin & prodigiosè ad eum ſubmittebat DEUS, quos peccatorum cœno eripi cupiebat. Ità mulieri ultima deſperationis conſilia meditanti comparens DEIpara, juſſit Patrem adire, & peccata confiteri; quo peracto, intemperijs omnibus liberata, vitam ſanctam inſtituit. Alia pari ſpiritu agitata rupem flumini impendentem jam conſcenderat, ut in aquam ſe daret præcipitem; cùm voce de cœlo abſterrita, juſſa ſimul eſt arcana conſcientiæ cum P. Soto conferre. Quidam Toleti, Joannes Fernandez nuncupatus, confeſſione alibi die S. Joannis peractâ, domum redibat; cui repentè obvius juvenis venerabili & amœniſſimo aſpectu, perſvaſit Patrem Soto adiret, & denuo peccata omnia apud illum recenſeret. Poſt exomologeſin redux ad Collegij Janitorem pænitens, rogat, quis ille tam elegantis formæ ſocius Patri Soto fuerit, dum ad ſe audiendum templum ſubiret? negavit Janitor ullum præterea cum illo domo prodijſſe, aut alium inſuper à ſe evocatum, & domo emiſſum eſſe. Ex quo

non falsò Fernandez collegit, Angelum suum tutelarem fuisse; ità ab eo momento immutatus, ut exoratâ magnis votis Societate, laudatissimam in ea vitam sancto fine absolverit. Plurimi etiam noxio pudore scelera sua confessarijs alijs reticere assveti, si quâ fortunâ in illum incidebant, insuperabili quodam impetu adigebantur, ad sacrilegia magno dolore & confidentiâ retexendâ.

Singulari quoque pollebat gratiâ conciliandi inimicos, & hostiles dissidentium animos: nec minore vi penetrabat in obstinata publicorum scortorum corda; ex quo mulicrcularum genere plurimas continentiæ restituit. Pauperum & miserorum certissimum erat refugium, quibus juvandis, præter erogatas innumeras eleemosynas, colligebat ubique pannos veteres & detritos, suis (ùt ajebat) filijs vestiendis. Aliquot præterea annos consumpsit in Missionibus varijs obeundis, & prædicando per pagos & oppida verbo DEI: ídque agebat tanto fervore & assiduitate, ut plerumque ter in die concionaretur, maximo animarum profectu: quotquot enim dictionibus ejus intererant, vel consilij gratiâ adibant, animo afflicti, desolati, aut quovis mœrore & difficultatibus pressi, audito Patre certum semper à DEO remedium experiebantur. Anno 1581. grassabatur Toleti instar contagionis species quædam catarrhi, quo magna strages totâ urbe facta, & integræ domus ac familiæ præfocabantur: idémque malum in Societatis Domum Professam irrepens, Sacerdotes ità oppressit; ut nemo ex omnibus prodire ad opitulandum ægris posset. Solus Pater Soto, DEI singulari curâ servatus incolumis, totum diem urbem percursabat, consolando, juvando, & Sacramentis procurando universos: & nihilominus sub vesperam domum redeundo, operam suam jungebat ægrorum curatori ad opitulandum domesticis, quasi nihil laboris in urbe, sed quietem potiùs subijsset. Atque huic servi sui charitati jungebat DEI bonitas suam largitatem, quando ad ejus preces non paucis per id tempus, & aliàs è varijs morbis sanitatem mirabiliter concessit. Miserat aliquando domum nostram Comes de Arcos postulatum, filiolum suum graviter ægrum DEO per Sacrificia commendari, id quod Patri Soto ad aram tum fortè accessuro commissum fuit. Vix dictâ Missâ ad Sacrarium redierat, cùm nuncius adest à Comite gratias Patri referens, quòd perfecta repentè sanitas ejus precibus parvulo redijsset. Pari successu recitato super muliere cæcâ Evangelio, visum restituit: & Præposito Domûs Professæ periculosè decumbenti integram valetudinem, eadémque simul oratione alteri, à gravissimis colicæ doloribus subitam liberationem impetravit. Navalcarneri degens, familiariter inviserat unum ex agricolis, qui dolore percitus ex amissâ repentino casu mulâ, asperis & inhumanis verbis Patrem abegit: at is bonum pro malo redditurus stabulum adijt, & in genua prostratus brevi oratione jumentum redivivum & sanũ homini restituit. Majus beneficium præstitit nobili Viro, ab equo periculosè in solum præcipitato, & jam semimortuo, dum post brevem Viri DEI orationem incolumis consurrexit.

Jam verò beneficia cœlitus in eum collata longè his omnibus præstabant. Solebat is, dum in senio totos dies in confessionario pœnitentes præstolans transigeret, digressis templo hominibus, chartulas & sordes omnes è pavimento, semel iterúmque per diem magnâ devotione colligere, ut debita loco sacro mundities servaretur: cujus laboris causam rogatus respondebat, se parvuli JESU mediastinum agere. Quod obsequium cordi sibi esse bonus JESUS demonstravit pluribus vicibus, cum blandissimi pueruli specie invisens, & inexplicabili solatio animam ipsius inundans. Et quia actiones omnes magno studio, in continua DEI præsentia peragebat, ut ab ejus conspectu nullâ vi, aut arte divelli posse videretur; indè fiebat, ut dum etiam corpus sensibus necessario somno oppressis dormiret, animus tamen in DEUM perenni vigiliâ erectus excubaret. Varijs siquidem modis tunc DEUS illi se communicabat, nunc inter flagella toto corpore conciso sangvinem fundens, nunc in cruce extensus, aliísque suæ Passionis mysterijs vulneribus enectus, sic ut memoriâ horum continuè oculis obversante, vividus semper spiritu, & alacer fervore remaneret. Neque tamen tentationum interim, & adversitatum expers à DEO relictus est: nam annis circiter viginti à dœmone malè habitus, pugnis, flagris, & fustibus atrociter, ùt quondam S. Antonius, exceptus, & conscientiæ angoribus gravissimè agitatus est: ad hæc ariditatibus in oratione, tædio in sanctis actionibus ità pertinaciter exercitus, ut identidem clamaret ad DEUM: *Domine vim patior, responde pro me!* Denique eò vis malorum processit, ut diceret: nisi DEUS finem illis imponeret, aut judicio & rationis usu se emovendum, aut spectatis suis duntaxat viribus, in desperationis barathrum dejiciendum. Sed Dominus, qui non patitur suos tentari supra

ſpra id quod poſſunt, poſt annorum 20. lapſum mirè è tenebris triſtiſſimæ noctis erepto, fecit illuceſcere diem ſuæ conſolationis. Nocte enim feſtum Expectationis partûs DEIparæ, in Hiſpanijs percelebre, antecedente, tota hæc tempeſtas veluti momento ab animo evanuit, ſimúlque vidit poſt depulſum immani rugitu dœmonem, cœlum aperiri, audiítque ſvaviſſimam Cœlitum & Angelorum harmoniam; inter quam DEUS illi arcanum divinarum ſcripturarum ſenſum aperuit, & radio ſplendidiſſimo à vultu ſuo promicante, pectus ad cor uſque, vulnere ſenſibili penetravit, cujus ſenſus plures illi dies remanſit. Porrò ejus plagæ effectus fuit amor quidam in DEUM tenerrimus, intra ejus animam prognatus, quem nulla lingva poſſit exprimere; à quo ità incendebatur, ut nulla res ſive in cœlo, ſive in terra, videretur cor ejus implere poſſe, ſed in ſolo DEO ſatietatem reperiret: tantáque erat cœleſtium ſvavitatum, quibus hinc inundabatur, dulcedo; ut magìs ab ea terrenas omnes voluptates excedi diceret, quàm terram à cœlo empyreo. Atque hic cœleſtium gaudiorum quidam prægustus, depulsâ omnium priorum ariditatum nebulâ, ad mortem uſque illi perduravit: ſæpiúſque raptus in cœlum, Beatorum choris animo interfuit, & myſteria altiſſima percepit; faſſus Patri ſuo ſpirituali, ſe Chriſto Domino perinde familiariter, atque illi colloqui ſolere. Viſitatus quadam vice ab eodem in ſuo conclavi, tantâ ſimul dulcedine perfuſus eſt, ut crederet illius particulam eſſe, quâ Beati in cœlis perfruerentur, neque aliter eam exprimere ſciret. Quo etiam tempore cœleſtes phonaſci muſicam fecêre, concinentes modulis tenerrimis illa verba: *laudemus ſemper DEUM, in tempore & æternitate!* Diſpertienti aliquando ad ſacram Menſam accedentibus diviniſſimam Evchariſtiam, incuriâ unius mulierculæ ſacra particula in terram decidit, inexplicabili Patris dolore, quo majorem in univerſa vita ſe expertum non eſſe ajebat, quòd ob multitudinem ſe prementium elevari, quin pedibus calcaretur, nequiret, quantumcunque Pater urgeret, ut modicùm loco cederent. Sed non eſt paſſus bonus Dominus diu ſervum ſuum his anguſtijs premi, ſiquidem ſacra particula per ſeipſam à terra reſilijt, ſuper mappam communicaturis prætenſam, non procul à loco unde deciderat, ut eo patentius eſſet miraculum. Cùm verò aliàs inchoaturus Miſſam animo totus eſſet in divina abſorptus, oblitus pileum Sacerdotalem capite deponere, ſacrum ità operto vertice uſque ad Evangelium proſecutus eſt; quod non ferens Angelus Tutelaris taliter ab eo legi, clarâ voce admonuit: *vide ſis, ubi habeas pileum Sacerdotalem.* Denique ut expeditiùs cum Cœlitibus agere & verſari poſſet, duplicem ei cœleſtis lingvæ notitiam Dominus impertijt, quas plurimùm inter ſe differre aſſerebat: unam quâ Beati loquerentur inter ſe in Patria; alteram, quâ ſenſus ſuos animabus adhuc in via exiſtentibus manifeſtarent.

Atque hos tam raros & eximios DEI favores promereri videbatur fidelis DEI ſervus altiſſimis virtutibus, quibus erat ornatus; profundiſſimâ inprimis humilitate, obedientiâ, & vitâ pœnitentijs aſperrimâ. Et quidem inter parendum DEO, vel homini jubenti, nullum dicebat intercedere diſcrimen, ideóq; pari promptitudine ad Superioris, atque ad DEI vocem ſe proripiebat, abrumpendo ipſam Breviarij orationem, quam deinde ex integro reſumebat. Tantâ verò in eodem fuit obſervantiâ, ut in ultimo morbo, ipsóque agone conſtitutus, cùm jam expers loquelæ, aut quidpiam advertendi impos eſſet, ſi tamen Superior illum alloquebatur, continuò attollebat manum, ad detrahendum capiti, ex reverentia præſentis DEI Vicarij, tegimen. Reputabat ex animo ſe mortalium omnium deterrimum, & omni favore ac beneficio indignum, DEI tot beneficijs uſque eò ingratum, ut mille inferi ſibi deberentur: ideóque domi omnia poſtrema & viliſſima in cibo, veſtitu, habitatione, ſibi ſtudioſè vendicabat. Et licèt annos ætatis cenſeret 95. nihil tamen unquam extra communitatis cibos admiſit, tantò majore guſtu veſci ſolitus, quantò viliora forent quæ apponerentur. Attulerat ei aliquando Collegij Janitor pyxidem ſaccharatis roſis plenam, ut indè manè quidpiam ſumeret; cui diu reluctatus, quòd Superiorem ità jubere diceret, tandem acceptavit: ſed paucis diebus omnino intactam ad Superiorem retulit, per Chriſti amorem obteſtans, eam ut recipere, vel ad ægros deferri vellet, ſi quidem ab ea moleſtiſſima ſibi crearetur tentatio, quæ neque gratias poſt Miſſam quietè DEO reddi permittens, importunè appetitum ad ſe deguſtandum pelliceret. Pœnitentijs, flagellis, cilicijs, crudeliter affectum corpus, ſæpius chirurgorum manu curari oportuit: ſempérque novos illud affligendi inveniebat modos, etiam illud hyberno tempore gelantibus aquis collotenus mergebat; jam nudatum penitus, pavimento conclavis, laterculis ſtrato volutabat; modò ſiti, quinque vel ſex diebus nullo admiſſo potu, modò æquali fame macerabat;

rabat: aliàs adhibebat urticas, ſpinas, & id genus aculeatas herbas: neque unquam ad cibum ſalem, acetum, aliúdve condimentum adhibebat, totus ſemper unicè ad agendum cum DEO intentus, in quo omnis ſua eſſet delectatio, & appetitus perfectè expleretur. Cubiculum impetraverat adeò humile, ut vertice laqueare attingeret: lectus breviſſimus, ex quo, ſi protenſus jaceret, unum palmum pedes foras porrigerentur: quem ultimâ etiam ſenectâ, & morbo fatali, nunquam paſſus eſt molliùs, quàm ſtragulo ſimplice inſterni. Patientiam multis modis DEO probavit, tot annos à dæmone verbera & vexationes acerbiſſimas animo invicto perpeſſus: & ſenio jam gravis, cùm inopino è gradibus caſu graviter faciem læſiſſet, naſo præſertim ità concuſſo, ut ejus extremum in ſola pellicula hæreret; nequivêre Chirurgi ſatis demirari ſenis in moleſta cura tolerantiam, maximè ubi deinceps nullum veſtigium alicujus deformitatis in vultu reperêre: quod ipſe beneficio DEI parentis adſcribebat, ſiſiquidem in vigilia Expectationis ejus partûs, is caſus acciderat. Infeſtabat illum horrendis ſub formis dæmon, leonis, urſi, ſerpentis; & vice quâdam vidit quiddam in ſuo conclavi pendulum inſtar lucentis ſtellæ, quod experiri volens, jam manum protendebat, cùm vocem audijt deterrentis: *abſtine, abſtine!* ſimúlque pro ſtella apparuit monſtroſæ magnitudinis araneus.

Ad has ſimiléſque dæmonis, transfigurantis ſe in angelum lucis, artes dignoſcendas, ſingulari à DEO luce & ſpiritu diſcretionis fuit præditus: à quo inductus aliquando in palatium pretioſiſſimè adornatum, & omnium florum odore refertiſſimum; cùm diceret dæmon: conſidera loci hujus amœnitatem, & ornatum tam admirabilem, tuo uſui præparatum: illico advertit dolum hunc eſſe hoſtis infernalis; quare in oculis DEI quàm profundiſſimè ſeſe in animo deprimens, & indignum tantâ gloriâ profeſſus, totum phantaſma momento diſcuſſit. Quinque aut ſex vicibus repertâ cubiculi occluſâ januâ, deprehendit nihilominus Pater, ſe per illam non reſeratam penetrâſſe, quaſi dote jam potiretur corporis glorioſi: ſed dæmonis arte factum id advertens, reſpondit: *S. Dominicus ingreſſus eſt Monaſterium januis clauſis, utpote altâ nocte domum regreſſus, cum neceſſitas id prodigij à DEO poſcebat: at ego dum pari modo portam penetro pleno die, dum eadem facilè reſerari poteſt, neque ulla urget neceſſitas, res mihi ſuſpecta eſt latentis diabolicæ illuſionis!* ſimúlque ad aſylum humillimi de ſe ſenſûs recurrens, dæmonis ſemper victor evaſit. Cujus generis plurimæ circa Patrem tentatæ ab dæmone artes referri poſſent. Poſtquam autem viſum eſt DEO, tot ſervi ſui labores & merita æterno præmiare bravio; anno 1600. die Junij 30. ſeſqui menſe circiter ante obitum, apparuit illi JESUS cum cruce, quam intueri juſſum animabat impensè, & hortabatur ad conſiderandas anguſtias, tædia, & agoniam, quam ipſe expertus eſt in horto ante ſuam paſſionem: quibus præmunire illum velle Dominus videbatur, ad tolerantiam ingentium dolorum, quos in ultimo jam jam imminente morbo perpeſſurus erat. Sæpius illum per id tempus inviſêre SS. DEI Mater, Angelus Cuſtos, aliíſque Cœlites, ex quorum præſentia ſolatijs exundanti, ejus oculi inſtar duorum fontium dulciſſimas perenniter fundebant lacrymas. Acerbiſſimos illi ciebant dolores alvi & viſcerum tormenta, cùm indè reſiſteret robuſta viri complexio, indè debilem redderet infirmitas & ætas provecta: quare nec aliquid nutrimenti ſumere potuit; niſì extremo adniſus conatu, ſi quid accipere Superiores juſſiſſent. Expiabat interim quotidie confeſſione animum bis térve, & S. Euchariſtiâ reficiebat: magno ſolatio perfundi ſe oſtendens, ſi calor & morbus ingraveſcere ſignificaretur, quod tantò ſe beatitudini propinquiorem fieri diceret. Atque ità admirabili pace & quiete ſpiritum DEO reddidit 20. Auguſti 1600. ætatis 96. cujus veſtes & utenſilia ferè in reliquias pijs animabus ceſſerunt, & memoria hodiéque apud omnes, tanquam Viri omnium opinione ſancti, manet in benedictione.

Ex Hiſtoria Hiſp: Ribadeneiræ, & Nierembergij Tom. 3.

P. ANTONIUS SANCHEZ cum alijs duobus.



On ſolùm Martyrij gloriâ coronatur mors obita pro tuenda Fide Chriſtiana DEIq; honore; ſed etiam vita propria temporaliter per tyrannum amiſſa, nè pereat æternùm aliena, ùt communiter cum Theologis docet S. Vincentius Ferrerius. Neque minor eſt Apoſtolicæ charitatis virtus prodigere vitam, nè DEI offenſa à proximo incurratur; quam eandem expo-



P. Antoni9 Sanchez S. J. Hiſpan9, Vir omni Virtutū genere, zelo præſertim Animarum, deſpicientiâ, et afflictationibus ſui inſignis. Obijt in obſeqvio peſtiferorum Xerezij, in Hiſpania, 18 Apr: 1601. Ætat: 59.

71.

exponere, ut ipſe peccatum effugias. Ut idcirco meritò Euſebius Cæſarienſis non quidem pares Martyribus faciat; ſed proximè poſt illos accenſeat, qui in obſequio peſtiferorum, nè ſinè Sacramentorum participatione inexpiati intereant, animam ſuam ponunt pro fratribus ſuis: quod genus zeli Dionyſius Alexandrinus vocat ardorem immenſæ charitatis. Atque in hac ſummopere excelluit P. Antonius Sanchez, qui cùm vitam in Societate univerſam Apoſtolicis laboribus impendiſſet, in ultimo ejus actu palàm fecit, eandem ſpiritu Chriſti ſe vixiſſe, obedientis facti uſque ad mortem, quando ad nutum Superioris promptus accurrit ad vitam corporis amittendam, ut animas proximorum aſſereret ſempiternæ. Natus fuit in Bœtica loco humili & exili, ac juventute laudabiliter in omni genere pietatis exactâ, ſtudijs altioribus operam addixit; Magiſterij Philoſophiæ lauream indè aſſecutus. Anno ætatis 32. Divino impulſu motus ad Societatem expetendam, Hiſpali receptus eſt, atque ad tyrocinium Montillam tranſmiſſus: ubi viribus omnibus ad ſummum perfectionis apicem conniſus eſt fervore tam ardenti, támque continuo mortificationis & aſperitatum ſtudio, ut illud admiratus tyronum Magiſter quæſiverit aliquando, quid ſibi volunt tam inſolitæ pœnitentiæ? cui Pater, ſi jumentum quodpiam, reſpondit, bene paſtum in diverſorio, póſtq; longam quietem in viam proſequendam eductum, langvidè incederet & ſegniter, nónne mereretur calcaribus & virgâ urgeri ad progrediendum? atqui jumentum ejuſmodi corpus meum eſt, quod in ſeculo bene paſtum,

 & lon-

& longâ quiete deſes ad currendam perfectionis viam, neceſſe habet ſtimulis ejuſmodi & verbere ad curſum incitari. Hoc igitur fervore ſtadium ingreſſus, neque unquam deperdito vel imminuto curſum proſequens, non quaſi in incertum, ſed caſtigans corpus ſuum & in ſervitutem redigens, ad bravium pervenit. A tyrocinio finito totum ſe excipiendis potiſſimùm confeſſionibus addixit, aliíſqueOperariorum Evangelicorum munijs, converſando ſalubriter cum proximis, & in quovis neceſſitatis genere ſuccurrendo, in anima & corpore: & quamvis in omnes ſingularem præferret benevolentiam & affectum; majorem tamen in afflictos & egenos monſtrabat promptitudinem. Ut primùm recludebantur templi valvæ, reperiebatur jam Pater in odæo genibus nixus, ſi quis fortè pœnitentiæ cupidus adveniret peccator: tantúſque fuit zelus animas lucrandi, ut non præſtolaretur à quopiam evocari, ſed ipſe procurreret ad eos inquirendos, atque ad pœnitentiam inducendos.

Mirâ etiam alacritate exiliebat ad Miſſiones in pagis, oppidis, & villis obeundas, dicebátque meliorem hanc eſſe Societatis offulam; tantáque ſedulitate has expeditiones adminiſtrabat; ut ſingulas pauperum, ægrorum & afflictorum caſas inviſeret, remedia ſingulis & ſolatia congrua laturus. Ut primùm autem dieſcebat, accurrens ad templi januam conſidebat humi, tranſituros in agrum ruricolas opperiens, ut ex tempore paratum ad ſeſe expiandos invenirent, citra periculum alicujus in diurno ſuo labore diſpendij. Apertâ verò Eccleſiæ januâ durabat in confeſſionali, poſtquam ardenti, & plerumque ſæpiùs repetitâ dictione, ad intimam contritionem accurrentes excitâſſet, ad uſque meridiem; ac tum ſumptâ panis buccellâ redibat ad locum eundem, habitáque ad populum ferventi exhortatione remanebat conſidens ad noctis tenebras, ut reduces ex agris peccata confeſſuri promptum reperirent. Atque ad hunc modum uno expedito pago, ad alterum citra ullam quietem, fulguris inſtar pertranſibat, dum omnes abſolviſſet, nullo ex incolis inexpiato relicto. Inviſebat creberrimè carceres, & captivos ad pœnitentiam hortabatur; declarabat hujus potiſſimùm neglectum, cauſam eſſe illorum infortunij & vinculorum: ijſdem emendicatos oſtiatim panes & cibaria cophinis palàm deferebat, aquam è fonte publico cantharis apportabat. Ægrorum, leproſorum, & horridis quantumlibet ulceribus, ſanie ſcatentium tuguria incredibili guſtu luſtrabat, ſaniem detergebat, purgabat vulnera, & matris amantiſſimæ officia omnia ſervili famulatu exhibebat. Accidit aliquando in una ejuſmodi expeditione, ut redux è templo ſub noctem, poſt auditas toto die confeſſiones, viribus defectus in ſolum ſaxoſum decideret, unde manibus alienis levatus in hoſpitium debuit deportari. Metuebat indè ſocius gravem Patri ægritudinem, vel certè debilitatem in plures duraturam dies; ſed primo ſtatim diluculo advertit illum in pedes erectum ad templum properare, idem obſequij genus in pœnitentes repetiturum. Cum verò Patrem intuitus, notâſſet à pridiano caſu, & continuatis laboribus, ſangvinem ei ſub ore in ulcus erupiſſe, hortatus eſt, ut quieti tantiſper indulgeret, alioquin eâ ratione vitam ſibi erepturum: cui blandè, ſed ingenti fervore reſpondens Pater, *& nónne*, inquit, *navigantes ad Indos, ſpontè & voluntariè vitam exponunt pro DEO? & cur nos eandem volentes non prodigamus pro eodem, in ſalutem animarum?* Ceterùm parcus admodum & temperans fuit verborum, niſi cùm loquendum eſſet de DEO, & rebus ad ſalutem neceſſarijs: ac tum ſermone utebatur tam affabili, efficaci, & affectuum pleno, ut omnium in ſuam ſententiam captivaret voluntates, dum præſertim loqueretur de morte, judicio extremo, vel reprehenderet peccata.

Neque deeſſe potuit Viro ità mortificato reliquus virtutum Apoſtolicarum apparatus. Sanè domeſtici omnes fatebantnr, vivum ſibi in eo præberi totius perfectionis religioſæ ſpeculum, diſciplinæ & regularis obſervantiæ exemplar. Erat enim orationi & converſationi cum DEO addictiſſimus, & plures illi quotidie horas tribuebat; ac manè per horam ſolidam, priuſquam ullò pedem efferret, inchoatæ, inſiſtebat deinceps per varios amoris Divini, adorationis, gratitudinis, & ſimiles internos actus: dum ad cubiculum rediret, túmque ex profeſſo reſumptam proſequebatur magnâ humilitate, & reverentiâ in divinam Majeſtatem; cui venerandæ iterum de nocte conſurgens (veſtitus enim eâ cauſâ ut plurimùm quieſcebat) prolixè vacabat. Hanc autem, ſi in præſentia erat aliorum peragenda, abſolvebat de genibus; ſi ſolus eſſet, toto vultu proſtratus in terram. Pari reverentiâ Divinum recitabat officium, corpore ità profundè inclinato, ut ore ſolum propè contingeret. Præcipuâ verò devotione ferebatur in SS. Sacramentum, Virginem DEIparam, & SS. Angelos, quorum auxilium varijs occaſionibus ſingulare expertus eſt. Vice quadam iter

nocte

noćte obſcurâ neceſſarium agens cum ſocio, amiſsâ ſemitâ delatum ſe primo crepuſculo manè reperit ad lacum, unam leucam protenſum, per quem tranſmeandi nulla apparebat via. Igitur ad DEI & Angelorum Tutelarium auxilium implorandum converſus, audit ſubitò inclamantem repetitò vocem, tranſitum indicantem, cùm tamen nemo latè circumſpicienti appareret, à quo mitteretur vox. Secutus indicium, tramitem reperit ità tritum, planum, & directum, ut citra omnem difficultatem ſuperato periculo, clarè deprehenderit beneficium Angelicum, quo diſcrimini præſentiſſimo ereptus ſit. Implacabile bellum contra ſeipſum in tyrocinio cœptum, totâ vitâ proſecutus eſt, expugnando paſſiones animi, & rebelles corporis inſultus. Et flagellationes corporis quidem fuêre tam rigidæ, prolixæ & crudeles, ut vicinos in ſtuporem darent & horrorem, cùm atroces ictus in corpus effœtum, & jejunijs emaciatum incuſſi reſonarent, velut ſi tabulæ infligerentur; tantâ nihilominus copiâ depluentes, velut ſi petra, & non corpus humanum cederetur: tam implacabili ſui odio, ut ſi quando ictus manum falleret, increpans ſemetipſum canem appellaret, commerita flagra declinantem. Quâ verberum atrocitate in ſingula corporis membra deſæviens, vix locum tandem reperit ſensûs alicujus & doloris capacem; ideóq; toto corpore nudato, inchoatâ à ſummo flagellatione, deſinebat ad calces. Frigoris & æſtûs, ac injuriarum aëris tolerantiſſimus, mille inſuper artes corpus affligendi reperiebat; jam coco in fricandis ollis, & patinis lavandis, (quod multis ſæpe diebus continuis factitabat) deſerviens, immergebat manus ad cubitum uſque aquæ calentiſſimæ; rogatúſq; qui poſſet ardorem tantum ſufferre? reponebat: *& quomodo poſſim ardores ſufferre ſempiternos?* Aliàs brachijs ſupponebat ardentem candelam ſéque increpans dicebat: *adurere porce, uſtulare!* Ad parciſſimum, viliſſimúmque cibum præter aquam nihil unquam vini admiſcebat; monitúſq; nè id faceret ſenectutis & valetudinis causâ, reſpondit: *ſi perdomare abſtinendo, non poſſum canem hunc mortuum, bibendo vinum quomodo illum ſubjugabo?*

Ex quibus facilè patet, quàm humiles animo ſenſus de ſeipſo foverit, & quo loco ab alijs haberi ambierit: nullam ſiquidem ſui deprimendi, & in viliſſimam adducendi opinionem omittebat. Ingerebat identidem colloquijs humiles ſuos natales, narrabátque ſe paſcendis ovibus, capris & porcis fuiſſe adhibitum: tantúmque ſentiebat guſtum ex depreſſione ſui, ut cuivis ferè colloquio, cum notis æquè & ignotis, immiſceret viles ejuſmodi de ſe ſenſus: ſolitus in ipſis concionibus ſimilitudines plerumque à re ruſtica & paſtoritia adducere. Itinera & peregrinationes omnes conficiebat pedibus, baculo viatorio, & ſarcinulâ cum reculis pietatis ab humeris pendulâ inſtructus. Veſtitus illi ſemper viliſſimus & attritus, cubiculum nullâ ſupellectili inſtructum, lectulus pauperrimus: quo commodorum omnium contemptu altiſſimam nanciſcebatur rerum humanarum deſpicientiam, ſpiritum fortem & liberum, qui nullis adverſis & injurijs, nullis doloribus & incommodis turbari, & de alto quietis internæ dejici poſſet. Obedientiæ ad mortem uſque tenax adeò fuit, ut nihil appetere, nihil abhorrere ſciret, nisì quod Superiorum nutus indicâſſet, ad quem indifferentem ità ſe exhibuit, ut communiter *homo ſinè ſenſu* vocaretur. Cujus palmare exemplum dedit in actu ſupremo, ex quo & vitam in proximorum cauſam amiſit. Anno 1601. gravi peſtilentiâ confli-ctabatur Civitas Xerez, cujus Civibus in tanta neceſſitate per Sacramenta & ultima ſolatia juvandis quærebatur idoneus ex Societate Sacerdos: eam ſortem cùm Superiores Patri Antonio citra ullum imperium propoſuiſſent, omnimode ipſius libertati acceptandam vel reſpuendam permittentes; ille continuò magnâ alacritate & devotione Rectori Montillano ſibi eam ſpartam offerenti, *JESUS*, inquit, *mi Pater, ego vadam, ego vadam, hæc enim eſt opportunitas ſarciendi torporem meum annorum 25. in Divino ſervitio, intrà Societatem JESU!* ſimúlque vili indutâ veſte, acceptóq; Breviario cum cilicio & diſciplina, ſinè ulla alia ſupellectili vel curâ viatici, ad portam decurrit eo guſtu & alacritate, ut ſi ad nuptias & feſtivitatem omnium maximam properaret. Xerezam perveniens cum ſocio Fratre Gaſpare de Vargas, in Noſocomio hoſpitium delegit, atque illico totâ Urbe ægros & peſte affectos perquirens, Sacramentis omnes magnâ charitate & dulcedine procurabat: ſi quid temporis laboribus ſupereſſet, totum orationi coram SS. Sacramento impendens; eaſdem perinde corporis macerationes & pœnas obiens, quibus aliàs inſueverat. Placuit autem divinæ Majeſtati fideli ſervo præmium tot laborum, amore ſui & proximi exantlatorum, in ipſo illo charitatis opere rependere, ideóq; paſſus eſt illum contagio afflari, ex quo peſtilens carbunculus cum bubone erupit. Sed quò magìs increſcebat periculum & certior interitus, eò major emicabat in Patre æquanimitas

nimitas & lætitia, quâ malum velut de manu Domini patientissimè recipiebat, & tenerrimis gratitudinis, amoris, & conformitatis affectibus sequebatur. Demum Sacramentis omnibus munitus, plenus fiduciâ morti succubuit feriâ 4. sanctioris hebdomadæ, quæ erat 18. Aprilis, anno 1601. ætatis 59.

Socius in eodem charitatis opere illi fuit Andreas de Vargas, Coadjutor temporalis, natus annos 63. eâdem peste extinctus 28. Apr: Cordubæ quoque ex eodem in peste obsequio, cujus solius humeris tota contagiosorum Xenodochij cura temporalis incumbebat, quintâ die suscepti illius muneris, 8. Julij mortuus est, Lupus Diaz, natus annos 36.

Ex Historia Hispanica Ribadeneiræ, & Nierembergij Tomo 1.



P. Wenceslaus Sturmius S: I: Boëmus, à S. Ignatio Societati adscriptus; remissusq; in Boëmiam, perpetuum cum Picarditis voce et calamo bellum gessit, quàm plurimis Ecclesiæ restitutis, et erroribus Sectæ penitus confutatis. Obijt Olomucij 27. Apr: 1601. æt: 70. 72.

P. WENCESLAUS STURMIUS.



Pater Wenceslaus Sturmius natione Boëmus, patriâ Tynhorssoviẽsis, ab ipso Fundatore Societ: S. IGNATIO inter filios adscriptus est A. 1555. ætatis 22. & ad eam perfectionem provectus, quâ Patriæ suæ ad omnẽ virtutem & sanctimoniam præluxit; quatuor subinde vota professus A. 1570. Nam remissus in Boëmiam, omnibus ferè hæresum erroribus tunc inquinatam, tanto ardore & Fidei zelo, in sectam præsertim Piccarditarum decertavit; ut ejus præcipuè laboribus & industriâ, turpissima secta multùm repressa sit: inter

ter Catholicos verò illud fervoris incendium excitatum, quod IGNATIUS socijs ad Missiones procurrentibus commendare solebat: *ite, omnia incendite.* Neque enim ullibi quietos consistere sinebat; voce & calamo figmenta eorum tam validis confutabat argumentis, & scelera, pietatis larvâ contecta, in lucem producebat; ut nemo tandem ex Ministellis in certamen cum Viro, seu voce, seu scriptis, descendere præsumpserit. Extant hodiéque elegantissimi linguâ Boëmicâ ejus tractatus typo excusi, apud Alegambe recensiti; quibus nervosè, non tamen absque facetis aculeis, errores eorum publico risui exponit; ad quorum lucem innumeri imposturam deceptorum agnoscentes, unitati Ecclesiæ Catholicæ accesserunt. Neque aliud eo tempore celebrius per Boëmiam erat nomen, magísque formidandum hæreticis, quàm Sturmij, ùt videre est in ejus ævi Scriptoribus, qui ex ejus Sturmij nomine (quod insultum seu impressionem ultimam sonat) supremam cladem & eversionem tenebrionibus his ominabantur. Neque interim cessabat voce & concionibus eosdem palàm, & privatis congressibus infestare; ut nulla tandem hæresum, in Regno impunè eatenus dominantium, majore infamiâ laborârit, & feliciùs expugnata, longævâ possessione dejecta sit. Porrò ad urgendos ubique, & in ruinam impellendos *Fratres* (ità enim se nominabant) varijs Missionibus per Boëmiam & Moraviam indefessus distinebatur; incommoda omnia, vitæque discrimina non semel ab hæreticis impendentia, forti animo proculcans. Paupertatis Evangelicæ amator in paucis fuit eximius, qui vel affectâ jam ætate, & morbis gravi, nihil, quantumvis minimum, sinè Superioris facultate admittebat. Obedientiæ quàm exactè observans fuit ipse, tam in exigenda à subditis fuit moderatissimus, dum Collegia Pragense, & Crũloviense gubernaret. Missus quoque nomine totius Provinciæ binis vicibus Romam, interfuit Congregationibus generalibus quartæ & quintæ. Senio jam & Apostolicis laboribus fractus & æger, ad templum nihilominus reptabat, ut confitentibus aures daret: quas cùm feria 5. majoris hebdomadæ per plures horas pœnitentibus ità impendisset, apoplexiâ vespere correptus, nonâ demum die ad laborum præmium percipiendum è vita migravit Olomucij die 27. Aprilis, Anno 1601. propè septuagenarius.

Ex Annal: Prov: Boëmiæ Soc: JESU, & Anno dierum Memorab: Nadasi, & Biblioth: Alegambe.

P. ANTONIUS CORDESES.

PAter Antonius Cordeses, aliàs Cortesius, præcipuum Societatis sidus, natione fuit Hispanus, patriâ Catalaunus, ex oppido Olot Diœcesis Gerundensis, nobilibus & opulentis Parentibus in lucem editus Anno 1518. Post absoluta mansvetiora studia mirabili DEI providentiâ tractus est ad vitæ Religiosæ desiderium, magno & insperato toti ejus Familiæ immisso infortunio. Patruus enim ipsius Cathedraticus Ecclesiæ S. Stephani in Olot, graviter læserat quendam ex præcipua nobilitate; hic injuriâ actus in furorem, familiam & cognationem suorum universam concitavit ad vindictam non tantùm de persona aggressoris, sed de tota ejusdem parentela sumendam. Eâ re coacti sunt Parentes præcipiti fugâ & exilio, vitæ suæ consulere, & Antonius cum una sorore evasit Barcinonem: ubi extremâ pressus indigentiâ, operam suam locavit Urbis Notario in officio Scribæ, atque ùt erat vivacis ingenij & latinæ gnarus, brevi tempore omnibus Collegis antecelluit, ut in concipiendis omnis generis scripturis & expediendis negotijs par ipsi Notario evaderet. Quibus rebus, & avitâ præsertim nobilitate ità eidem se probavit; ut illi ad Notarij munus suâ industriâ & sumptibus evecto, propriam filiam despondere parârit. Sub idem tempus 1542. venêre Barcinonem P. Antonius Araozius & P. Jacobus de Egvia, missi à S. IGNATIO (erat autem annus à confirmata Societate secundus) ad ponenda laboribus suis Apostolicis prima quædam secuturi istic aliquando Collegij lineamenta: quorum concionibus & ingentibus animarum lucris, ac inprimis vitæ Apostolicæ exemplis commotus Antonius, petijt & ipse, post alios quàm plurimos ad sanctiores mores adductos, sacrâ ascesi IGNATII exerceri: ex qua non jam vitæ melioris duntaxat, sed planè Religiosæ desiderium retulit, ità certum & constans; ut illicò in Sociorum numerum recipi petierit. Sed non licebat tunc adhuc ullum admitti, quòd ultrà 70. socios vetuisset Pontifex novitiam Religionem augeri: quare in solam spem futuræ admissionis conditionatè ità receptus est, ut domi interim in vestitu sæculari velut primæ probationis



P. Antonius Cordeſes Soc: Ieſu, Hiſpanus; ſalutis animarum ſitientiſsim₉: à Catecheſi tradenda nunquam, inter gubernationis etiam munia, deſtitit; in peſtiferorum iterato obſeqvio, vitâ perſancté actâ, extinctus Hiſpali 16. Maÿ A° 1601. Ætat: 83. 73.

Tyro, vitam ſuam ad Inſtitutum noſtrum privatim componeret: laxatâ poſtmodum Pontificiâ reſtrictione A. 1545. plenè in Societatem receptus 11. Octobris, ætatis anno 26. Triennium itaque duravit hoc ejus tyrocinium ſub Inſtructore P. Araozio, qui Antonij virtutem multis & magnis aſperitatibus & publicis confuſionibus, ínque omni genere virtutum exercitationibus periclitabatur. Et quia nullam tunc adhuc Societas fixam ſedem Barcinone, vel in Hiſpania obtinebat; erat domus illa Socijs quaquaverſum commigrantibus commune diverſorium: unde amplior multò laborum & exercendæ virtutis, patientiæ præſertim, campus illi aperiebatur, quàm ſi in domo quapiam Probationis cum multis & in Religioſa veſte exerceretur. Erat enim idem ipſe non tantùm Araozio ejúſque ſocio, ſed communis omnibus ſervus, quibus non, ùt Novitius, ſed velut mediaſtinus famulabatur, implebátque ſimul munia Janitoris, Coci, Infirmarij, Obſonatoris, & reliqua omnia domeſticorum Adjutorum obſequia, tantâ charitate & promptitudine; ut in admirationem traheret Araozium, qui jam tunc magnum in eo Societati columen parari augurabatur.

Ubi primùm poteſtas Societati facta eſt à Pontifice, antiquatâ ſuperiore lege, ſeſe abſq; ulla reſtrictione ampliandi, primus omnium in Hiſpania Antonius illi adnumeratus eſt: & Franciſcus Borgia Gandiæ Dux (qui & ipſe poſtea in Societate tertius Generalis exſtitit) tunc Catalauniæ Prorex, Domum Probationis cum inſigni Eccleſia Societati donavit, & Collegium cum Univerſitate Gandiæ fundavit: quò

quò, emissis jam Religiosis votis, ad Philosophiæ studia etiam Antonius destinatus est, sub Professore Emmanuele de Sà. In qua tantum fecit profectum, ut sub illius finem judicaretur, eandem mox posse tradere ùt Professor, ideóque publicè creatus est Magister: sub finem verò Theologiæ pariter illius Doctor. Illud verò accidit admiratione dignum, dum Antonius altero anno Philosophiæ discipulus vacaret: Jusserat IGNATIUS, Rectorem collatis omnium Collegij sociorum, etiam non Sacerdotum, votis eligi, (qui modus capitulariter eligendi primus & idem ultimus fuit in Societate) sibíque confirmandum proponi: erant autem socij tunc in Collegio non plures decem. Novem vota retulit P. Andreas Oviedo, qui postmodum à Pontifice datus est Æthiopiæ Patriarcha: & hic suum, quod restabat unicum, dedit Antonio Cordeses. Tanti jam tunc Vir sapientissimus faciebat in tyrone Philosophiæ virtutem, & tam excelsum ad gubernandum deprehendebat talentum; ut præ omnibus Sacerdotibus maximè idoneum ad se & totum Collegium gubernandum æstimaret. Quod etiam abundè postea eventus comprobavit, dum supra 40. annos præfuit Superior, Provincialis quidem Aragoniæ annis 12. Toletanæ 6. Domui Professæ Hispali Præpositus 12. reliquis autem partim Visitator, partim in diversis Collegijs Rector. Absoluto Theologiæ studio factus Sacerdos, illicò Philosophiæ docendæ, & deinceps Theologiæ ibidem Gandiæ admotus est: unàque constanter dixit pro concione ad populum, & simul (quod etiam in officio Provincialis ubique maximo zelo, & omnium ædificatione factitabat) catechesim parvulis & rudibus explicuit. Quia verò in ea paucitate sociorum, nemo idoneus reperiebatur rei familiari & domesticæ administrandæ; impositum illi fuit, dum Theologiam doceret, munus simul Procuratoris & Obsonatoris: quod ille pari promptitudine acceptavit, gessítque majori accuratione & voluptate quàm Theologiæ Doctoris. Itaque post & ante lectionem scholasticam procurrebat in forum ad necessaria coëmenda, ordinabat agenda ruricolis, inibat rationes & cōputus cum Opificibus: majore totius Urbis admiratione & ædificatione, quàm quæ ex æstimatione doctrinæ & plausibus Academicis proveniebat. Quibus omnibus ad summam satisfactionem gestis, ità se Religioni probavit; ut eum suo tempore ad quatuor votorum Professionem admiserit Anno 1559. die 6. Augusti.

Edoctus pridem fuerat S. Fundator IGNATIUS, quantis à DEO talentis ad gubernandum ornatus esset Antonius; quare à Theologiæ cathedra sevocatum Valentiam abire, illíque Collegio præesse jussit. Nihil tunc magìs improvisum vel arduum ipsi obvenire poterat, qui toto animo & affectu Scholasticis laboribus immersus, universam vitam ijs impendere avebat: paruit tamen absque ulla vel unius verbi excusantis tergiversatione, & Valentiam, paulò tamen pòst Gandiam rediturus, discessit. Gandienses enim socij, desiderium Viri, multâ experientiâ virtutum ipsius & amænissimæ conversationis capti, non ferentes; tamdiu apud IGNATIUM quà precibus, quà argumentis institêre, donec eum Rectorem sibi præfici, ab ipso ferè Valentinæ gubernationis primordio tractum, obtinuerunt. Duo illi memoriâ digna in hac gubernatione acciderunt: unum, quòd sub initium ferè sui regiminis è vivis sublato S. IGNATIO Fundatore Anno 1556. 31. Julij, judicio Congregationis Provincialis electus sit, ut Romam ad Comitia Generalia (quibus Pater Jacobus Laines, successor S. Fundatori nominatus est) proficisceretur; cùm tamen eô tempore necdum Professis annumeratus esset, ad illius vota emittenda primùm trieñio pòst, 1559. sexta Augusti admissus. Alterum est, gravissima contagio totam invaserat Hispaniam, & jam Gandiæ grassari incipiebat: cùm Antonius pauculis debilioribus è Collegio ad tutiora dimissis, reliquos socios per diversa Urbis loca ad opitulandum pestiferis dispersit, retentâ sibi universali & superiore omnium procutatione, nè uspiam ullus auxilio spirituali vel temporali destitueretur. Accidit aliquando ut per vicos omnes discurrenti, gemitus infantis à domo quadam allaberetur, cujus januam penitus obseratam cùm aliquoties frustra quateret; tandem per fenestram irrumpens, infantem reperit inter Patris & Matris cadavera, & ipsum pestilentiâ ictum plorantem. Cui in ulnas sublato dum per Urbis compita nutricem quærit, in Matronam incidit filiolum gestantem: supplex igitur rogat, ut & orphanellum hunc educandum suscipiat. Sed cùm illa mariti indignationem prætexeret, si pestiferum infantem domum, fortè eâdem contagione totam infecturum, adduceret; Pater altiore instinctu motus, certam & securam esse jussit, si hoc pietatis opus in pupillum exerceret, nullum ex domesticis ipsius toto contagionis tempore illâ correptum iri; quin & ipsum hunc infantem paucis diebus ex ea revaliturum. Et planè ità evenit: ut & alteri

& alteri piæ mulieri, cui Pater persvasit ut operam suam pestiferis in Lazareto commodaret, certissimè prædicens fore, ut hoc obsequium illi contra pestem fieret antidotum, nec ullum damnum afferret. Qui tam pium Patrem se exhibuit in extraneos, qualem se præbuisse credemus erga domesticos? omnes in sancta hac pestiferorum procuratione eodem malo contacti socij procubuêre, omnes ex ea decessêre, remansítque solus ipse ad finem usque indemnis & sanus, servivítque omnibus tantâ charitate, ut & Medici ac Infirmarij, & Coci atque famuli munia unus ipse præstaret, mortuósque sepeliret: & nihilominus vices omnium per Urbem in procurandis Hospitalibus & Civibus diu noctúque suppleret. Non potuit tantam charitatem, quæ nè quidem sociorum tot mortibus absterreri poterat, dissimulare Tartarus; sed varijs terroribus & infestationibus illam intervertere aggressus est. Nocte quadam ex Urbe totius diei laboribus defessus redierat, pauxillum cibi ad vires instaurandas capturus: & vix ad triclinium descenderat, solus jam residuus Collegij incola, cùm fragor exoritur tanquam ruentis à summo tecto totius Collegij. Omissâ igitur refectione signo S. Crucis se muniens, properat ad locum unde fragorem perceperat: sed ubi omnia integra absque ruinæ vitio sibi constare deprehendit, dœmonis fraudem animadvertens ad interruptam cænulam se retulit, tantò impensiùs operam ægrotis impensurus, quantò illam dœmoni magìs invisam sentiebat.

Inter alios quàm plurimos ex socijs per Hispaniam eâ pestilentiâ sublatos, contigit & Provincialem Aragoniæ decedere: quare Pater Jacobus Laines Præpositus Generalis successorem illi dedit P. Antonium, maximo Provinciæ emolumento; nam & pluribus Collegijs eam auxit, & missis in Majoricam sociorum colonijs, novæ Provinciæ fundamenta jecit. Ad Barcinonem tamen juvandam potissimùm intentus, quòd in ea vitam Religiosam auspicatus esset, ædificium Collegij ex piorum eleemosynis magnâ parte amplius reddidit, & Concionatorem per id tempus totâ Hispaniâ celeberrimum P. Joannem Ramirez illi dedit; ipse verò catechesi imbuendos parvulos & rudes pro se retinuit. Quos cùm Festis & Dominicis omnibus sub vesperam ex compitis in templum colligeret, accurrebat universa Civitas, visura Provincialem & Doctorem Theologiæ parvulis orationem Dominicam & alias preculas præorantem, & prima Fidei rudimenta explicantem auditura. Tanta verò exinde secuta est ædificatio & Societatis æstimatio, ut Consilium Barcinone & Audientia Regia per Internuncium Romæ apud Præpositum Generalem instanter expetierit, particeps fieri meritorum & laborum Societatis. Idem munus catechizandi parvulos exercere perrexit Valentiæ, Saragosæ, & quemcunque in locum Provinciam perlustrans deferretur: quæ una res multos excitavit, ut liberaliter sumptus offerrent ad fundanda Societati vel ædificanda domicilia. Quinquennio ità præfuerat Aragoniæ; cùm è vivis sublato Generali Lainio iterum cogitur Romam proficisci ad Comitia, quibus electus est in Societatis Præpositum S. Franciscus Borgia. Ab hoc obtinuit magnis precibus liberationem ab officio Provincialis, non tamen ab omni (quam unicè deprecabatur) regimine: missus Conimbricam in Lusitaniam ut ei Collegio præesset titulo Superintendentis, (quod munus in primæva Societate perquam usitatum præminebat Rectori) lapso triennio, instantibus magnâ contentione PP. Aragonensibus, restitutus est illi Provinciæ ad idem Provincialis munus. Cujus Collegia de more visitaturus (ùt erant tunc adhuc numero pauca & modica) iter faciebat solitarius absque ullo comite, præterquam Angelo Tutelari, sinè ullâ commeatûs provisione, eô cibô contentus quem obvium in diversorijs repperisset: neque alio vestitu contra frigora Aragoniæ, & æstus Catalauniæ & Valentiæ provisus, quàm detrito pallio, quod secum deferebat; nec passus ullum ferculum sibi in Collegijs tanquam hospiti apponi, præter omnibus domesticis communia. Invisit & Collegia in Insulis Majorica & Sardinia nuper fundata, & in hac constituit Vice-Provincialem, quæ deinceps crevit in absolutam Provinciam. Interim evocato in cœlum S. Francisco Borgiâ, novus indictus est cætus generalis Romæ congregandus, ad electionem Præpositi Generalis, qui & Antonio adeundus fuit. Electo itaque feliciter P. Everardo Mercuriano supplex iterum factus Antonius, missionem ab officio gubernationis enixè expetijt: sed non aliter impetravit, quàm ut à regimine Provinciæ absolutus, Romæ Collegio Pœnitentiariæ ad S. Petrum Rector præesset, nuper à Pio V. Pontifice Societati attributo.

Non licuit diu eâ Romæ quiete Antonio frui. Nam Hispanicæ Provinciæ tanti Viri desiderium non ferentes, certatim illum in Præpositum expetiêre; Aragonica inprimis & Toletana, quæ recenter à Castellana sejuncta, illum denique veluti Fundatorem suum futurum,

rum, primum Provincialem obtinuit. Post triennium in ea gubernatione absolutum, alio insuper triennio in ea perdurare jussus est: cùm Anno 1580. moritur Generalis Everardus Mercurianus, & Antonius cogitur jam quartùm Romam ad electionem novi, qui fuit P. Claudius Aquaviva, proficisci. Sed neque ab hoc impetrare plenam ab omni regimine absolutionem potuit, quin daretur Præpositus Domui Professæ Hispalensi, quam totis 12. annis maximo omnium solatio & profectu gubernavit: donec tandem paucis ante obitum annis viribus & ætate fractus, vacationem ab omni regendi munere, quò animæ æternitati parandæ impensiùs incumberet, exoravit. Erat Antonius raris prorsus ad gubernandum talentis propè ad miraculum exornatus, ut nemo esset qui tristis ab eo recederet, nemo qui de ejus regimine, quod non facilè alicui Superiori evenit, per tot annos quereretur, omnes ei subesse percuperent. Nihil enim tribuebat suspicionibus, neque de ullo malè sentire noverat, de omnium virtute & veracitate planè præfidebat, agebátq; cum singulis eâ candidissimi pectoris sinceritate, ut communis omnium sensus esset & testimonium: si toto orbe, & ab omnium mortalium animis candor exularet, in pectore ipsius omnis fuci & fictionis vacuo sedem, tanquam in propria sphæra seu centro habituturum. Quodcunque Collegium intraret, universali omnium lætitiâ & gratulationibus excipiebatur ùt Angelus cœlo lapsus, neque sinè lacrymis dimittebatur: præsidebat enim & alloquebatur omnes non ùt Superior, sed ut omnibus inferior, & quasi ad serviendum singulis veniret; nihil imperiosè injungere aut exigere à quopiam solitus, sed magìs rogando & blandè insinuando. Erga omnes expromebat viscera verissimi patris, affectum gerebat ùt eorum amantissimi fratris, & mansvetudinem usque ad blanditias declarabat pijssimæ matris: nihil minùs de Superiore retinens quàm superioritatem, ut omnes in ejus verbis & motibus quibusvis adverterent humilitatem, quâ se omnium pedibus substernere promptus videbatur. Sanè P. Franciscus Peralta multis annis sub eo Minister Domûs testatus est, nunquam ab se notatum esse, aliquo affectu impatientiæ vel indignationis commoveri; semper sui similem, ut nè vocem quidem unquam præter solitum attolleret vel inflecteret, ejusdem tranquillissimæ æquabilitatis existens, quacunque de re in medio etiam negotiorum interpellaretur.

Tam procul autem erat ab omni fastu & vana gloria; ut cùm aliquando in communi sociorum colloquio de hoc vitio tractaretur, ipse ingenuè fassus sit, sibi illud penitus ignotum esse, neque scire quâ ratione aliquis illo tentari posset. Indè nullum genus officij vile ipsi videbatur, nulla occupatio vel labor suam personam dedecens: & cùm Provinciam Toletanam Provincialis lustrando, reperisset in quodam Collegio Magistrum Grammaticæ desiderari, ipse eam sibi docendam tamdiu assumpsit, dum illi Præceptorem aliunde provideret. Nullum unquam adjutorem vel ministrum ad obsequia sua, etiam dum Provincialis & octogenario major esset, admisit; ipse suum cubiculum verrere, aquam afferre, & omnia id genus vilissima peragere in summo solatio reponens. Vestitum adhibebat semper usu jam attritum & vetustum, neque ad novum induendum adduci poterat, nisì suus ultrà sarciri nequiret, quem tunc alio minùs detrito commutabat. Ex eadem animi demissione ambiebat à quovis etiam minimo Coadjutore defectus sibi in gubernatione admissos dici, vel consilium suggeri; quod summâ grati animi significatione excipiebat, & præ dictamine proprio, nisì absonum foret, sequebatur. Superiorum verò ordinationes & Regularum præscripta, cœcâ prorsus obedientiâ exequebatur, eâdem punctualitate per omnem vitam ad quodvis obedientiæ signum sequendum excitatus, quâ in tyrocinio factitabat. Neque omisit DEUS frequentiores illi occasiones patiendi submittere, dum iter solus, ob summam Societatis primis illis temporibus paupertatem, peragendo, sæpius in prædones incidit; à quibus despoliatus & malè tractatus gaudebat quàm maximè, si insuper nullum, vel incommodũ hospitium reperiret; aut injurijs auræ, pluviâ, æstu, frigore confectus, nihil haberet quo lassum corpus reficeret. Veniens aliquando Hispalim, in ipso descensu è mula ad januam Collegij, ab ipsa repentè conterrita terræ allisus & conculcatus, prolixam ex eo casu curam magnâ patientiâ sustinuit. Aliàs verò jam octogenarius Marchenam Hispali ad opitulandum proximo evocatus, paritérque in reditu jumento excussus, crus adeò graviter confregit, ut incidi carnem ad componenda ritè comminuta ossa oportuerit: quæ cùm multis pòst diebus obductâ jam cicatrice, deprehensa fuissent à Chirurgis non bene coagmentata, iteratò carnem discindi, & crus diffractum aliter componi oportuit: quanto patientis Antonij martyrio, tanto ejusdem animi solatio, quòd ex zelo & obsequio proxi-

morum exhibito acceptum vulnus, à manu DEI unicè permissum recogitaret; sic, ut eâ cogitatione refectus, nullo unquam gemitu aut verbo dolorem aliquem aut sensum proderet, licèt eâ curâ aliquot menses illum in lecto tenuerit; sed unicè DEO, tanquam pro summo beneficio grates redderet. Atque hanc tam invictam & humanâ majorem dolorum tolerantiam, fassus ipse est cuidam Patri non sinè stupore illam demiranti, se magnis & continuis corporis afflictationibus à DEO obtinuisse; omnino enim juratus fuit sui & omnium appetituum hostis, nec quidquam quod corpori placeret indulgebat, quotidianis flagellis, cilicijs, jejunijs, vigilijs illud spiritui subigens: & cùm in ultima senectute aliquid de rigore remitti oportuisset, ipse illum duplicavit; solitúsque antea modicum vini aquâ diluti admittere, ultimis annis solam aquam in potum adhibuit. Ut proinde coactus fuerit Provincialis, nè rigore nimio valetudinem pessumdaret; ipsum, estò Domûs Præpositum, Ministro subjicere, sinè cujus arbitrio non liceret ipsi ullam corporis afflictationem usurpare.

Et quia vigiliarum, quibus corpus emaciabat, mentio incidit; addictissimus fuit Antonius per omnem vitam orationi: quæ cùm diurnis occupationibus necessariò multùm interturbetur, proripiebat se è strato etiam rigidâ hyeme, etiam octogenario major, primâ vel secundâ post mediam noctem horâ, positísque in medio cubiculi humi genibus, & decussatis in crucem ante pectus manibus, auspicabatur orationem mentalem, quam trihorio solido prosequebatur, donec signum daretur finiendæ communis manè meditationis. Atque hanc totum deinceps diem continuâsse ex vero dici potest, animo inter negotia semper in DEUM erecto, & per creberrimas aspirationes ad cœlestia elevato. Idem orandi studium omni conatu promovebat in domesticis, nec aliud ferè graviùs ferebat, quam si consvetâ manè meditationis horâ extra cubiculum aliquem deprehenderet, nec facilè ulli eâdem foràs exeundi concedebat facultatem. In hac orandi assiduitate quibus & quantis à DEO gratijs fuerit cumulatus, vel indè colligi potest, quòd excitator de more illum mane de somno suscitaturus, patefactâ januâ reperit inter orandum altissimâ extasi extra omnes sensus abreptum, facie radios per totum cubiculum, solis instar, evibrantem; ut illorum luce perstrictus Frater, velut oculis à nimio fulgore captus aliquamdiu persisteret. Quô tempore, uti & aliàs frequenter, visibiliter conspicuam se illi exhibuit Virgo DEIpara, cui erat devotissimus, neque unquam per ejus nomen & amorem rogatus quidpiam ulli denegabat. Gandiæ dum esset Rector, constante famâ ferebatur Christum illi apparuisse, & ob amissos in obsequio pestiferorum omnes socios consolatum, animos ad prosequendum tantæ charitatis ministerium addidisse. Sacrificium Missæ & preces Canonicas mirâ devotione & animi teneritudine persolvebat: ad quas recitandas si in via esset, recipiebat se in locum secretum inter arbores, mentéque ex oculis in cœlum erectis creaturas omnes ad laudandum secum DEUM, evocabat: fuítque observatum non raro, ad primam ordientis sacras preces vocem, devolare ab arboribus canoras volucres, partim humeris & manibus, partim ipsi Breviario insidentes, & cantu reciproco veluti chorum cum DEI servo celebrantes. Ex hac cum DEO per orationem agendi consvetudine præclarum nactus est magisterium spiritûs, & donum consilij, cum perfecta spirituum discernendorum peritia, quâ intricatissimas conscientias feliciter componebat, & illusiones dœmonis sub specie revelationum cœlestium latentes detegebat. Ex eadem divinis impulsibus agebatur ad deligenda ingenia & indoles petentium Religioni nostræ adscribi, quamvis sæpenumero à Consultoribus suis, tanquam minùs idonei rejicerentur: optimo tamen semper eventu, ùt patuit in Venerabili Fratre Alphonso Rodriquez, & Joanne Ximenez, utroque maximis DEI donis & revelationibus illustri, & cum opinione excelsæ sanctitatis demortuo.

Zelus animarum, & charitas miseratióq; in proximum, dici potest ab utero materno cum illo crevisse: à puero enim tenerrimè afficiebatur necessitatibus pauperum, & quoad posset succurrebat. Factus Præpositus Hispali Domûs Professæ, invenit illam obæratam octo millibus aureorum, & Urbem ipsam in magna penuria constitutam, ob infelicem eô anno classis Indicæ navigationem, cujus naves omnes auro argentóque onustæ eô anno tempestate interierant: adeò ut ditissimi Civium, qui aliàs liberales profundebant eleemosynas, illas pro se emendicare cogerentur. Non defuit tantæ necessitati liberalissimum Antonij pectus; sed advocato Domûs Ministro, eleemosynarum Procuratori, & Janitori seriò mandavit, ut neminem eleemosynam flagitantem vacuum dimitterent: hoc enim unicum esse medium in tanta penuria Domû sustentandi, & ab ære alieno liberandi: cùm menti-

mentiri nec fallere possit CHRISTUS qui dixit: *date, & dabitur vobis.* Atque hoc prorsus cum fœnore completum est, ut quò plùs & liberaliùs quotidie erogabatur, eò amplius & copiosiùs recipiebatur; vel si nemo redderet, in penu reperiebatur. Post datas die quodam plures Eleemosynas accessit nobilis Matrona, eandem pro se & binis filiabus postulans, quòd nihil domi superesset, quo vescerentur: jussit Antonius duplò amplius illi, quàm reliquis eò die datum esset, erogari ex ipso cibo, qui domesticis in cœnam paratus erat. Et ecce redux ad cubiculum crumenam invenit super mensa 300. aureis turgidam, quam velut è manu DEI, neque enim ab alio istic reponi poterat, gratus accepit. Alia immensa propè lucra, quæ per hanc eleemosynariam cum DEO negotiationem obtinuit, enumerat P. Franciscus de Peralta illius Minister, in sua de sanctitate ipsius relatione, his ferè verbis: Duodecim annis, quibus Antonius Domui præfuit, sustentabat absque defectu circiter 80. domesticos. Hæreditatem accepit tam copiosam, ut dissoluto, quo Domus gravabatur, ære alieno, ex ea Novitiatum cum Sacrario extruxerit 14000. aureorum. Aliàs donata simul ipsi sunt propè 9000. ducatorum: & denique tam copiosæ obveniebant eleemosynæ, ut præter sustentationem tot personarum, in ædificium Domûs & Templi expenderit supra 24000. aureorum; videbantúrque sumptus in ejus manibus crescere & multiplicari. Multò amplior fuit zelus & desideriū animarum necessitatibus subveniendi; cujus ardore unicè incitabatur, si per Superiores licuisset, ad navigandum in Indias, & gentiles ac barbaros convertendos. Nullam tamen omittebat occasionem domi & in vijs rudes instruendi, catechizandi, pijs colloquijs ad DEUM incitandi: & quoties in tot itineribus sacrum faceret, si numerosus aliquis affluxit auditor, præsertim ex agricolis & plebejis, absolutâ Missâ sermonem ex tempore ad illos habebat ferventissimum, ut plerumque ad contritionem & vitæ emendationem compū[l]ti, magno dolore & lacrymis confessionem peragerent. Ubicunque degeret quovis officio distentus, quidquid temporis suis munijs superflueret, insumebat in confessionario pœnitentibus audiendis: & postremis vitæ annis à gubernatione liber, totis matutinis horis eo assidebat; à meridie verò ægris per Urbem, in Hospitalibus & carceribus solandis juvandísq; operam impendebat, donec ipsam vitam in animarum obsequijs poneret.

Anno 1601. gravissima pestis Hispaniam pervagata, Hispalim quoque, ubi ultimam ætatem Pater vivebat, corripuit tantâ ferocitate, ut pauco tempore supra 30000. Civium infectis, facilè 20000. funerum elata sint. Ad pium illorum obsequium primus omnium Superioribus suam operam obtulit Antonius, qui ponderatâ senis adeò provecta ætate, virium debilitate (annum enim tum agebat 83.) censuerunt imparem tantis laboribus, cùm neque ambulare, nisì scipione nixus, valeret. Nè tamen bonum senem nimiùm contristarent, si ab omni parte illius charitatis exercendæ arceretur; potestatem fecerunt, in publico Confessionario Ecclesiæ nostræ pestiferos sponte advenas æquè ac sanos audiendi. Quod dum incredibili animi solatio zelóq; peragit, à primo manè adusque vesperam ex templo vix recedendo, paucis diebus contagione afflatus prosternitur: cujus ictu notato ad cubiculum se recipit, positísque humi genibus gratias Divinæ bonitati infinitas agit, quòd eô se mortis genere pro amore proximi obeundæ dignum fecerit. Postulatis absque mora, quasi præscius impendentis mali, susceptísque supremis Sacramentis, vehementiâ pestilentis æstûs usu rationis destituitur: nihil tamen ad ultimum usque spiritum nisì de DEO, & animarum salute prolocutus; quem tertio ægritudinis die Creatori suo reddidit 16. Maij, 59. anno initæ Societatis; ab emissa professione 42. Sepultus est in Ecclesia loculo inclusus, magno totius Urbis planctu & dolore, eáque sanctitatis apud omnes existimatione, ut summi imíque ex ejus reculis & utensilibus aliquid deposcerent ad venerationem, ac multi varia per ipsum miraculosè gesta prædicarent. Sacerdos quidam vitæ sanctitate conspicuus juramento confirmavit, visum à se dum Sacrificium offerret, toto vultu solis instar resplendescere: in testimonium forte singularis puritatis, quam illibatam cum baptismali innocentia, nullo unquam peccato lethali contaminatam sepulchro intulisse communis fuit Sociorum sensus. Imò postremis vitæ 40. annis, nè quidem motum ullum sensualem, aut tentationem expertus est: quod ipse precibus magnæ cujusdam DEI famulæ adscribebat, cui ad supremum agonem disponendæ cùm assisteret, hanc sibi per eam à DEO gratiam exorari poposcerat, & mox ab ejus morte se compotem factum expertus erat. Civis quidam Hispalensis post 14. annos sterilis matrimonij, nullius prolis Patrem se effectum dolens, precibus ejus se impensè cōmendabat: à quo jussus bono & in DEUM erecto esse animo, cujus favore post lapsum

unius


unius anni filium accepturus esset, voti compos eodem prorsus tempore redditus est. Matrona alia jam quatriduo ex partu laborans, cùm de prolis æquè ac matris vita conclamatum esset, ultimùm confessura, Patrem evocaverat: hic sacramentaliter absolutam consolatus, jubet spem firmam in DEUM habere, séque totam illius arbitrio & voluntati committere: tum lecto super ea Evangelio manum capiti ejus benedicturus vix admovit, cùm eodem quasi momento prolem sanam & vegetam plenè & ipsa incolumis effudit; omnibus adstantibus miraculum! miraculum! acclamantibus. Hæc & similia publicâ famâ evulgata tantam illi sanctitatis opinionem peperêre, ut in publicum prodeunti omnes certatim obvij accurrerent, magni & parvi ex utroque sexu, dexteram ad osculum vel benedictionem obtinendam exposcentes: quam cùm rarò à Viro humillimo obtinerent, affluebant magno numero ad ejus Missam, illic & Evangelium ab ipso legendum audituri, & benedictionem dari solitam percepturi; quibus veluti antidotis confidebant se ab omni malo præservatum, aut liberatum iri. Denique quotquot in Urbe vel foris in morbum inciderent, aut mulieres partui appropinquarent; utì & mare vel iter ingressuri, precibus ejus se commendabant; sperantes nihil sibi sinistri eventurum, si orationibus ejus juvarentur, id quod multis exemplis, admirandis eventibus experiebantur.

Ex Historia Societatis, & Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 1. & Andrade Tomo 5.

P. PETRUS BERNAL.



GRanatæ in Hispania natus P. Bernal, post susceptam in Jurisprudentia Doctoris lauream, idem jus in Universitate Granatensi magnâ doctrinæ opinione & applausu publicè docuit. At ubi advertit agi de se in tribunal Judiciarium provehendo, metu gravium periculorum, quæ munia isthæc forensia animabus addúcunt, receptum in Religione nostra quæsivit, posthabitis spebus omnibus, quæ ampla ei officia pollicebantur in seculo, contemptísque carnalium amicorum svasionibus, à sancto consilio eum absterrere intendentium. Tyrociniũ ingressus, toto animo incubuit orationis, pœnitentiarũ & afflictationum studio: quo exacto Complutum ad studia Philosophiæ & Theologiæ missus; suscepto Sacerdotio, Rector Collegio præpositus est. Ac subinde Regia castra spiritualibus armis juvare jussus; dum exercitum in Belgium sequitur, gravi & subitâ ægritudine correptus, remanere domi ad plurium salutem & emolumentum cogitur. Iterum enim aliquoties diversis Collegijs Rector datus est, bis Provinciæ toti Andalusiæ, ac tandem Domui Professæ Valentiæ Præpositus, magno suo suorúmque profectu, & sæcularium ædificatione munia hæc obivit. Asper enim in se & crudelis, corpus tractabat ùt hostem capitalem, jejunijs, vigilijs, perpetuis flagellis, cilicijs ferreis & setosis: in alios tamen mirè blandus & affabilis, ut nullis unquam sive negotijs, sive domesticorum erratis, à lenitate quadam ingenita dejiceretur. Et cùm tot annos regendis alijs esset occupatus, prodigio similis videbatur positâ gubernatione ejus in parendo promptitudo & subjectio, quam præstabat illis ipsis, quos seu ad Societatem, seu ad regendi officia promovisset: ut major in ferventissimo tyrone obedientia reperiri non posset, & ad nutum Superioris par subjectio ac reverentia; quippe cùm suâ sponte pronior semper esset ad parendum quàm imperandum. Nullus eo ad humilia obeunda officia paratior; & si quando accidisset Grammatices Magistrum à schola impediri, seu morbo, seu quavis aliâ causâ, ipse Rector vices ejus in pueris erudiendis obibat. Jam verò saluti proximorum quærendæ, ùt erat zelo ardentissimus, totum, quod gubernationi impedimento non esset, tempus dabat: Confessionale illi fuit pro cubiculo, ubi reperiendum jam nôrant domestici; cuivis sorti hominum certum semper perfugium: solabatur mœstos, præsto aderat pauperibus, ægris & incarceratis. Dúmque alicubi notásset multos è pauperibus tecto & ope omni destitutos, fame & calamitatibus interire; ingenti motꝰ misericordiâ ædes illis recipiendis conduxit, colletósque necessarijs ad vitam constanter ex piorum eleemosynis providit & consovit. Nec minùs assiduus fuit in pueris Christianâ doctrinâ imbuendis, quam etiam per hospitalia, & publicas custodias ignorantibus explicabat; útque fructus latiùs dimanaret, breve illius compendium typis suâ industriâ excusum, toto Regno Valentiæ distribuit. Conciones illius quàm frequentes, tam Spiritu divino plenæ, aptissimæ erant ad induratorum corda penetranda; plus enim affectu quàm verbis loquebatur, hausto ab inflam-



P. Petrus Bernal S.J. Hispanus, spretis forensibus subsellijs, in Societate Zelator animarum indefessus, gratiâ curationum, et prædictionum à Deo donatus. Decessit 22 Novemb. 1601. ætat: 72. 74.

flammata & continua oratione, cui plures noctu præter diurnas dabat horas, nullo loco & occupatione à præsentia DEI evagari mentem passus. Necessitatibus proximi non minùs afficiebatur quàm proprijs: & quia omnibus exhibebat se ùt patrem; ab omnibus similiter amore filiali dilectus magnâ veneratione colebatur.

Plurimus erat in extirpanda tum è suggestu, tum in colloquijs, jurandi & imprecandi consvetudine, ídque tam svavi efficaciâ obtinebat, ut nemo illi infensus, nemo perstringi se dolens aut questus; mores suos & linguam sollicitè intra leges rationis continerent: & prolibus suis, si fortè in maledicentiam impetu quodam erumperent, minarentur ad Patrem Bernal delaturos, qui tam severè verba ejusmodi usurpari prohiberet. Sentiens autem animum corpore laboribus & annis fracto sensim hebetari, ut vitam sanctè actam non dissimili fine concluderet; biennio quàm à DEO evocaretur, specialiter se ad illam horam comparavit, familiariùs & prolixiùs cum DEO in oratione agendo, pœnitentiarum exercitijs vacando liberaliùs, ut paratum quâvis horâ fidelem servum Dominus inveniret. Neque tamen penitus curam salutis alienæ intermisit, sed constanter pro confessionis tribunali multis horis sedere perrexit, magno ex omni ordine hominum accursu: aderat consilio singulis, & pijs instructionibus; operam dabat ponendis inimicitijs, & inveteratis odijs: quibus omnium pectora ità obstricta habebat, ut ad eum certatim accurrerent, necessitatibus occurrentibus velut apud commune asylum remedia, & ad DEUM pre-

preces interponendas quæsituri. Et verò nequaquam spe suâ frustrabantur; multis siquidem prodigijs efficaciam orationis ejus, & in eventibus futuris prædicendis veracitatem experti sunt. Repentino malo prostratus exanimi similis, & judicio Medicorum deploratus jacebat Vir primæ nobilitatis; cujus Mater ad Patris imploranda suffragia dum accurrit, jubet hic illam bono animo, & certâ in DEUM esse fiduciâ, filium namque hoc morbo minimè extingvendum, pro cujus valetudine mox esset DEO litaturus. Vix ab altari ad Sacristiam redierat, cùm anhelus adest à filio ad Matrem, quæ sacrificio intererat, famulus; nuncians herum subitò sibi restitutum bellissimè valere: quæ dum idem Patri multa cum gratitudinis significatione recenset, jubet ille DEO beneficium tam grande gratulari, utpote virtute & efficaciâ SS. Evchalistiæ collatum. Aliàs Hispali agente Patre, perditus erat Matri afflictissimæ filiolus modicæ ætatis, nec quantâvis adhibitâ diligentiâ resciri poterat quò devenisset, aut reperiri. Curritur ad P. Bernal, & tristissimus casus inter lacrymas & lamenta à Matre narratur. Miseratione commotus Pater, erectam in fiduciam Matronam solatur, pollicitus fore, ut hac adhuc nocte parvulus ad Matrem redeat, & domi suæ somnum capiat: ídque interim à DEO se precibus oraturum. Quod dum in genua procumbens magno ardore facit, sesqui horæ circiter spatio comparet puerulus consvetâ januâ domum subiens: quæsitus autem ubi fuisset, aut qualiter & cujus ductu domum redijsset; fassus est, se vagabundum per callem ignotum errâsse; cùm repentè homo peregrinus, nec unquam sibi visus adfuit, & manu arreptum per vim domum reduxit.


Ardentissimâ febri æstuabat nobilis alius, super quem orsus Pater legere Evangelium, priusquam finiret, morbo omni æger repentè levatus est. Nec minus expertus est P. Antonius de Cardenas Societatis nostræ Sacerdos, gravissimis capitis doloribus pertinaciter & diu conflictatus; nam ùt primùm capiti ejus P. Bernal manus benedicentis formâ imposuit; illico ad verba illa ex S. Marco: *super ægros manus imponent, & bene habebunt*, dolor omnis in perpetuum abscessit. Matrona quæpiam gravibus repentè partûs doloribus oppressa, cùm opinione omnium de sua & prolis vita periclitaretur, orationibus Patris commendari petijt: quam ille vetuit sollicitam esse, brevi enim DEI ope prolem masculam, utriusque plenâ incolumitate enixuram. Eandem iterum mortiferâ ægritudine prostratam intelligens, palàm edixit sanitati paulò pòst restituendam, quod & evenit. Simili morbo ad extrema deducta Medici conjunx, quo ad ægritudines suas curandas P. Bernal & Collegium utebatur, ultimùm Patri, ùt ipsa credebat, peccata aperuerat: cùm Pater marito seorsim adducto, *licèt DEUS*, inquit, *magnam uxori tuæ gratiam collaturus esset, vocando illam mox ad æternitatem, pro qua tam bene disposita est; tamen intuitu necessitatum tuarum & domûs, DEUS illi integram restituet sanitatem;* ùt continuò factum est. Ità in negotijs salutis animarum indesinenter occupatum, repentinæ tandem cordis puncturæ, cum mortiferis angustijs & doloribus oppresserunt, quos ille admirabili patientiâ indesinenter DEO summâ gratulatione offerebat: donec quinto pòst die Sacramentis omnibus præmunitus, inter illa Apostoli verba: *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, spiritum plenum meritis Creatori reddidit 22. Novem: 1601. ætatis 72. Ejus venerando corpori magni omnium ordinum fuêre concursus, neque deosculandis pedibus & manibus satiari posse videbantur, ex amœnissimè post fata renidente ore de gloria ipsius in cœlesti patria arguentes: deducendo funeri tota Urbs convenit, cum Canonicis & Religiosis omnibus, quorum Superiores feretro deportando humeros subjecerunt.

Ex Nierembergij Tomo 1. de Viris Illustribus.

P. FRANCISCUS RIBERA.



Vir in paucis doctus, & in Sacrarum literarū interpretatione peculiariter à DEO illuminatus P. Ribera, natione fuit Hispanus, patriâ ex oppido Castellæ Villacastri. Primum in Salmanticensi Academia optimis præceptoribus operam dedit: in Collegium deinde S. Jacobi Zebedæi ab Alphonso Fonseca Archi-Episcopo Toletano cooptatus. Indè studijs omnibus ad finem deductis digressus, recepit se in oppidum natale, ut in Sacrarum literarum, quas à prima ætate adamaverat, studium totus privatim incumberet, & cum scholastica doctrina ad majus firmamentum conjungeret, adjumento lingvarum Græcæ & Hebrææ, quarum apprimè peritus erat. Hæc dum molitur, ingenti quodam



P. Franciſcus Ribera Soc: IESU, Hiſpanus: Zelator animarum, et Concionator ardentiſsimus; cui dicenti Christum Dominum adstare S. Theresia conſpexit. Obijt Salmanticæ 1601. æt: 61. in Novemb. 75.

dam Spiritûs S. impulſu incitari animum ſenſit ad procurandam etiam ſacris dictionibus, & obeundis apud rudem plebem Miſſionibus, proximorum ſalutem: cùm Divino conſilio iter illac habuit P. Martinus Guttierez Salmanticenſis Rector, dexterimus magnarum animarum prædo, ac poſtmodum Fidei causâ inter hæreticos Gallos Martyr; cui Ribera, pertæſus humanas res ob improſperum etiam neſcio quem eventum, explicuit conſtituiſſe ſe in proximum SS. Virginis Sacrarium procul à turba ſecedere, & ab otio ſtudiorum prodire ad concionandi per circumjectos populos negotium. Ità probavit conſilium Martinus, ut ſimul tamẽ admoneret, haud ità quod optimum eſt DEO dari, ſuum ſcilicet arbitrium ac voluntatem. Quo monito ceu telo tranſfixus Ribera, decrevit illico valedicere ſeculo, & Societatem amplecti, ad quam Salmanticæ ab eodem ipſo Guttierez receptus eſt anno ſalutis 1570. ætatis 33. Doctoris Theologi prærogativâ jam inſignitus. Cùm autem quinto pòſt anno de inſtituenda Salmanticæ Sacrarum literarum interpretatione Societas conſilium inijſſet, Riberam tanquam idoneum maximè præceptorem ei muneri præfecit; quod quidem exquiſitâ eruditione, cum pari religione conjuncta 16. annos obivit; ità tamen, ut interim concionibus, monitis & conſilijs populum erudire non deſiſteret. Erat enim ingenio excellenti, judicio acri, tenaci memoriâ, SS. Patrum lectione atque obſervatione inſtructus, ſingulari modeſtiâ, animi candore, ſincerâ ſui dejectione, ceteríſque religioſis virtutibus cumulatus. Imbuerat illum ſcilicet optimis artibus jam indè à tyroci-

nio, quod Methymnæ Campi posuit, excellens ille sanctimoniæ Magister, quem sortitus etiam Salmanticæ, magno suo bono, Rectorem tunc est, P. Balthasar Alvarez, cujus ipse altissimas virtutes in se derivatas exprimere sedulus instituit.

Obedientiæ studium, tanquam Societatis notam primam, ità cordi habuit; ut nullo studiorum, aut cujusvis negotij pondere se passus unquam sit ab exactissima vel unius regulæ observatione distineri: nunquam ille, quantavis in siti, bibisset interdiu, etiam solam frigidam, inconscio Superiore: nulla hebdomada illi successisset, quin semel iterúmq; cubiculum everreret: literas, schediúmve nulli dabat, non legebat sibi redditum, seu foris esset, seu domi; nisi priùs exhiberetur Moderatori. Ea virtus efficere sola potuit, ut proferret in lucem publicam quæ privatim elaboraverat, Commentarios in 12. Prophetas minores; in epistolam ad Hebræos; in Apocalypsin B. Joannis, ejusdémque Evangelium, &c. nam quæ erat ejus animi submissio, suarúmque rerum contemptus, non poterat aliter ad id permoveri. Par obedientiæ fuit humilitas, ex qua colloquij à mensa tempus impendebat potissimè cum fratribus Coadjutoribus: nunquam notatus verbum ullum proferre otiosum, vel temporis aliquam particulam inutiliter insumere. Orationis præsidio, quàm diurnis nocturnísque horis usurpabat prolixè, ad S. Scripturæ intelligentiam & lucubrandas conciones utebatur: addebat crebra jejunia, & severas corporis macerationes; & si quid incidisset implicatioris difficultatis, secedebat per dies aliquot, & spiritualibus exercitijs animum ad divinos illapsus cōparabat. Indè ad ipsius dictiones derivabatur spiritus quidam & vis altior, ad corda audientium quolibet promovenda; ut DEUS ipse per os illius loqui ad hominum conscientias videretur. Ità aliquando ad concionem frequentissimam verba facientem, visus est S. Teresiæ (cujus ipse vitam postea, in vita & post mortem illi devotissimus, conscripsit) ingenti circùm splendore micare, cujus dicentis humeris Christus servator sereno vultu innixus, eum velut complexu fovebat: quo ipso tempore Pater inter cetera, insolito animi ardore exclamavit: *ô admirandam DEI, & Sacrarum literarum dignitatem! nullum habent apicem sacræ Paginæ, qui non divinis sit plenus mysterijs.* Christus autem Dominus eidem Sanctæ, quæ hæc conspiciebat, dixit: *hìc est ô anima, qui germano meas Scripturas sensu, & eâ veritate, quam ego ipsi infundo, explicat. Novit ipse earum pretium expendere, quas ego mortalibus mei sangvinis effusione comparavi. Gratulare tibi, quòd eum habeas à confessionibus, obtempera dictis ipsius, sic meæ voluntati feceris satis.* Ejusmodi Apostolicis conatibus traduxit ætatem ad annum usque 1601. quo naturæ debitum Salmanticæ persolvit mense Novembri. At die post obitum tertio visus in cœlo est sublimis Virgini magnæ sanctitatis ex Ordine discalceato Carmelitanarum, ac DEI solio propinquus, multâ conspicuus gloriâ; cujus in pectus derivabatur à corde DEI radius lucis, qui pulcherrimâ eum specie simul & gaudio perfundebat: quod illi præmium ideo attribui Dominus dicebat, quia nihil in suis lucubrationibus fluxum & caducum, sed unius divinæ Majestatis cultum atque obsequium spectâsset.

Ex Nierembergij Tom. 1. & Bibliotheca Alegambe.

P. THOMAS DABISHIER.



Edmundo Bonner Episcopo Orthodoxo Londinensi nepos fuit P. Thomas Dabishier, & in Episcopatu administrando eidem Cancellarius, & in perferendis adversis commilito. Postquam sublato è vivis Eduardo Rege puero, Maria gubernacula Angliæ arripuit; enituit singularis ardor Episcopi cum Thoma (qui jam tum Juris utriusq; Doctor, virtute & zelo Religionis celebrabatur) in subigenda serpente adhuc clanculum hæresi: Mariâ verò è vivis sublatâ, cùm unà Fides etiam Catholica, impiâ Reginæ Elisabethæ crudelitate, in exitium per Angliam rueret, longè clarior emicuit utriusque in tuenda Fide Christi constantia, quâ & facultatum omnium, dignitatis & gradûs rapinam, insuper & vincula & carceres cum gaudio sustinuerunt. Ad hunc modum amplis possessionibus exutus Thomas, magnâ tamen existimatione vixit aliquamdiu in Anglia inter Catholicos, missus eorundem nomine ad Conc: Tridentini Patres, eorum sensum exquisiturus super controversia multum inter Catholicos Anglos agitata, liceretne Catholicis templa hæreticorum & sacra, ad quod gravissimis mulctis urgebantur, frequentare? & cùm responsum eorundem, id penitus nefas esse censentium, paulò pòst in Angliam retulisset; ab



P. Thomas Dabishier Soc: IESU Anglus, post labores, ærumnas, carceres Anglicanos, in constanti animarum procuratione sublatus Mussiponti in Gallia A.º 1604. ætat: 86. 76.

ab hæreticis tandem, multos ejus auctoritate in fide retineri & ab hæresi revocari advertentibus, interceptus, & teterrimo carceri inclusus: cùm aliquando tædio & tristitiâ graviter oppressus calamitatibus suis ingemisceret, comparuit illi repentè imago Christi sangvine manantis parieti affixa, quam priùs nunquam observaverat; cujus aspectu itá in casus omnes adversos & mortem ipsam confirmatus est; ut nihil exinde quàm equuleos, tormenta, secures, & patibula in votis haberet. Verùm pro morte in exilium missus, cùm in manibus sibi Martyrij lauream infringi doleret, æmulum martyrio virginalis vitæ decus in Societate JESU complecti decrevit, idque eò libentiùs, quo sæpius in sancti ejus nominis obsequium adscitus fuerat. Nam imperante Mariâ, Sodalitio cuidam Nominis JESU, ad quod multarum distributio eleemosynarum pertinebat, regio diplomate fuit præfectus: & non multò pòst in demortui Suffraganei Londinensis locum, Sacerdotum cuidam Collegio (quod mensam JESU vocabant) ut præesset, votis omnium electus est. Quæ omnia quanto in beneficio poneret, testantur ipsius verba, quibus itá hæc DEO gratulabatur: *qui me prius promoverat ad Fraternitatem Nominis JESU, qui secundò ad mensam nominis JESU invitârat, tertiò quoque in Societate nominis JESU collocavit. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus!* Quia verò principio deliberationis de vitæ statu deligendo anceps hærebat, & salutis suæ in tuto collocandæ unicè avidus, solitariam Carthusianorum vivendi rationem cogitatione versabat; adstans repentè foribus

 clausis

claufis vir ignotus, *& tu,* inquit, *fi Carthufianus futurus es, faluti tuæ confules; at ubi futurus eft proximus?* eâ voce difcuffa illi omnis dubitatio, & Societatis JESU Inftitutum, in quo tam fuæ quàm proximi faluti navare operam poffet, quafi digito monftrari vifum. Igitur Lainio Societatis Præpofito Generali, Tridenti in Concilio Oecumenico, Pontificis juffu, cum moranti fefe obtulit, à quo Romam proficifci juffus, anno ætatis 45. in Societatem adfcriptus eft 1. Maij. Anno 1563. Ante nuncupata Religionis vota Dilingam cùm migrâffet, rogatus de more, *paratúfne effet quodvis infimum obire Societatis munus, & docere quamcunque claffem, quoufque obedientia conftitueret?* refpondit fcripto: *paratum cor meum DEUS, paratum cor meum! neque enim dubito verum dixiffe Chrifti Vicarium in initijs hujus Societatis, quando ifta protulit: Digitus DEI eft hîc.*

Enituit in eo gratiffima quædam morum comitas & manfvetudo, & ad omne feu conciliandæ, feu confervandæ exercendæq; benevolentiæ & charitatis officium promptitudo & dexteritas, quæ cum fingulari difcernendorum fpirituum gratia conjuncta, aptiffimũ illum reddebat ad animos hominum in omnẽ partem verfandos. Quam ille regendarum animarum artem primò omnium exercuit in educatione Tyronum Societatis; quibus, in Galliam evocatus, præfectus fuit Billomi: quo in munere virtutum omnium fpecimen de fe præbuit, & gratiffimum in omnes fanctitatis fparfit odorem. Cùm verò nemini tum adhuc de Societate in Angliam tranfmittendi poteftas fieret, occultâ DEI providentiâ definiente tempora, quando & per quos animarum falutem in quaque regione procurari velit, totum fe juvandis proximis intra Galliam impendit, rudibus præfertim & contemptis: & quatuor vota profeffus, foli ferè tradendæ Catechefi, relictis Concionatorum cathedris, deinceps intentus. Atque ad id munus, penfaturus Viri habilitatem DEUS, tantam ei gratiam contulit, ut dum ipfe folos ex infima plebe & tenerâ ætate colligit idiotas & pauperes; Auditores & difcipulos nancifceretur etiam primæ nobilitatis & eximiæ fapientiæ Viros. Sanè Muffiponti cùm doctrinam Chriftianam frequentiffimo auditorio, publicè conftanter traderet, audiebatur non folùm jucundiffimè à juventute & plebe maximo fructu, verùm etiam non ignobiles Theologi ampliori theatro quæ dicebantur digna effe cenfentes: & quæ ipfis etiam plurimùm fervirent ad profectum, nè femel ab eo pronunciata perirent, fedulâ manu referebãt in commentaria. Ejufdem induftriæ debet Anglia converfionem Nobilis egregij Georgij Gilberti, à Calvino ad Ecclefiam traducti in Gallia, qui poftea Perfonio & Campiano ad multorum in Anglia falutem infigni adjumento fuit. Huic non minùs laboriofum conjunxit munus alterum, audiendarum affiduè confeffionum; in quibus ad converfionem magnorum peccatorum non tantùm magnum afferebat zelum & induftriam; fed DEUS etiam miram ejus conatibus addebat efficaciam, & prodigijs pœnitentes ipfius juvabat. Verfanti Parifijs, accidit ut in Theologum quendam Doctorem incideret, vetere fibi amicitiâ in Anglia conjunctum, & nuper indè communi fchifmatis naufragio in Gallias ejectum. Hunc pro antiqua neceffitudine cùm femel iterúmque falutâffet, ftatuit fuper exoneranda confcientia aggredi, & de totius anteactæ vitæ rationibus fubducendis, quod plerífque folebat, fvadere. Igitur captâ occafione ingreditur fermonem: alter ùt fenfit quò confilium tenderet, *nil pluribus,* inquit, *opus eft, ea ipfa cura eft quæ me follicitat, hâc enim, quæ proximè lapfa eft, nocte fomnium incidit, quod mei officij vehementer me commonet. Videbar cum familiaribus menfæ opiparæ accumbere; cùm inter convivandum, ùt fit, ingrediuntur mufici, rogant, an quidquam delectat audire? fanè, inquiunt omnes: tum unus ad me converfus, vis voce tibi præcinam aliquid? per me, refpondeo, licet, præcine; at ille à prima indè ætate mea telam retexens, cuncta quæ ad hanc ufque horam peccaveram ob oculos pofuit, tantúmque incuffit horrorem, ut nihil fit in optatis magis, quàm onere ifto me quàm citiffimè liberari. Age igitur,* fubjungit Pater, *duorum vel trium dierum intervallum cape, quò luftratâ ætate univerfâ accuratiùs rem tam optatam peragas. Neque id neceffe eft,* refpondet, *tam enim clarè tanquam ex ordine digefta teneo omnia, ut qualifcunque mora fupervacua fit.* Igitur confeftim exquifitâ methodo repetens univerfa, & quàm miris modis DEUS electos fuos juvet, docuit; & fe ad viciniorem quàm fperaverat exitum hoc adminiculo comparavit: non enim longo pòft tempore morbo oppreffus piè obdormivit.

Invaferat & Patrem aliquando pertinax malum, & tibiam dolor gravis occupans medicinam omnem eludebat; fic, ut Medicorum de ea fecanda, defperatis medijs omnibus, effet judicium. Sed Pater ad Principum Apoftolorum, quorum die fatale confilium cudebatur, patrocinium converfus, ipforum beneficio

ficio malum omne repentè dispulit. Sed & arcanorum illi notitiam DEUS conferre voluit; inter quæ illud potissimum eminet: quo tempore in Comitijs Societatis generalibus mortuo Mercuriano ad successorem deligendum convenerant PP. Romæ; Thomas Parisijs tum commorans rogavit Jacobum Tyriū, magnæ autoritatis & nominis in Societate Virum: *num Pater quempiam Claudium nomine Romæ nôsset?* ad quem Tyrius: *novi equidem; sed cur id rogas?* tum ingenito candore Thomas narrans id quod acciderat: *surrexeram*, inquit, *de nocte oraturus DEUM pro felici Patris nostri Generalis electione, cùm mihi apparere dignata est Clementissima Mater, & spiritu me duxit in Patrum conclave; tum cæteros inter juvenem quendam Patrem, Claudium nomine, manu produxit in medium, & Congregationi indicavit, ut hunc eligerent.* Præmonstrationem hanc probavit eventus, & electus paulò pòst in Generalem Claudius Aquaviva. Obivit P. Thomas Mussipōti in senectute bona, & de exilio suo migravit in Patriam, annos cùm explêsset ætatis 86. in Societate 41. Anno 1604.

Ex Historia Angliæ Henrici Mori.

P. LUDOVICUS DE GUZMAN.

PAter Ludovicus Guzman, natus est in Hispania Castellæ Veteris, oppido Osorno, anno 1543. parentibus nobilitate & pietate claris: & studia in Complutensi Universitate prosecutus; post Academicos è Philosophia honores, dum Theologiæ operam daret, magnis cœpit à DEO stimulis ad vitam Religiosam impelli. Gravissimâ inde carnem inter & spiritum nascente luctâ, totus animo perplexus, quòd sæculi vanitatum & libertatis amore veluti vinculis retineretur; consilio pij sodalis voluit S. IGNATII ascesi exerceri, ad deliberandum de vitæ statu deligendo: in cujus progressu cùm jam penitus decrevisset Religionem Societatis complecti, malitiâ improbi amici, epistolas à Ludovici Parentibus mentientis, extractus, & artibus ejusdem in transversum abreptus est. Iterum tamen in viam salutis cognati adolescentis exemplo reductus, qui & ipse Societatem ambiebat, unà cum ipso admissionem à Superioribus impetravit, post triduum tyrocinio recipiendus: id odoratus seductor cum duobus ejusdem farinæ sodalibus, per dolum in prædium suburbanū, ut triduum id cum amicis hilariter, veluti sæculo vale ultimum facturus traduceret, extraxit: quâ fraude iterum Ludovicus, quòd per se naturali nullâ inclinatione ad vitam arctiorem ferretur, facilè à proposito divulsus; Complutum quidem revertit, sed conspectum hominum de Societate, pudore inconstantiæ, non ferens, discessum clandestinum aliò adornare cœpit. Non latuit id fidelem cognatum, qui jacturam Ludovici intimo dolore ferens, id unum impetrare laboravit, ut nè tam inhumanè invitis omnibus, & quasi furtivè recederet, dedecō inde suo nomini, & notam generosæ indoli apud omnes illaturus, cùm nemo illi Superiorum Societatis vim illaturus sit: daret id saltèm ingenitæ humanitati, & ante discessum Provincialem Societatis salutaturus conveniret. Nihil molestius eâ re adolescenti poterat obvenire; coactus tamen ità demum assensit, ut soli Provinciali extra cujusquam sociorum præsentiam loqueretur: ad quem à Cognato adductus, rogatúsque quid vellet, quâve causâ veniret? ità perculsus & divinitus hæsit attonitus; ut nè verbum profari posset. Quæsivit ultrà Provincialis: *num fortè veniret Societatem JESU ingressurus, ut deinceps in tyrocinio remaneret?* ille vix satis intelligens quid rogaretur, quasi violentè alio quopiam lingvam movente, respondit: *ità Pater. Visne igitur*, subjicit hìc, *ut socij omnes ad fraternum tui amplexum devocentur?* iterum annuit. Fassus deinde se ità oculis & animo cælitus fascinatum fuisse, ut sibi omnes è Collegio socij adesse viderentur, cùm tamen præter solum Provincialem nemo adstaret, neque ipse quidquam eorum, quæ paraverat, proloqui posset. Itaque eodem vespere in tyrocinium inductus est cum Cognato suo, anno 1563. cùm annum ætatis ageret vigesimum.

Hìc ille se circumspiciens, quàm inconsultè propè invitus captus, & in perpetuum libertate exutus esset, tristissimis à dæmone exagitari cœpit cogitationibus; quibus levandis die quodam è fenestra in hortum prospiciens, vidit insidentem arbori avem insolitæ pulchritudinis, mille colorum picturis variegatam, svavissimo garritu aëra demulcentem; quam dum oculis & auribus captus toto miratur ore, prætervolans repentè milvus arreptam ungvibus crudeliter abstulit. Eo spectaculo perculsus, divino movente spiritu cœpit profundissimè pensare in tristi aviculæ casu tristiores mortalium eventus,

quos



P. Ludovicꝰ de Guzman S.I. illuſtri ortu Hiſpanꝰ; aviculæ à Milvo raptæ aspectu ad Deum conversꝰ: Miris Peccatorum converſionibꝰ, & dono discernendi ſpiritus, cordiumq; arcana, ſingulariter à Deo præditus. Obÿt Madriti 10 Januarÿ Anno 1605. ætatis 61.

W. P. Kilian sc.

quos è medio plerumque voluptatum & deliciarum improvisè obruens fatum abripit, & ſempiternæ addicit morti. Atque ex eo die gratiſſimo animo conſtanter agnovit eximium DEI beneficium, quòd periculis his ereptum, ſuis deinceps unius obſequijs in Religionem veluti caveam incluſiſſet: tantáque deinceps vixit animi pace & ſolatio, ut ſibi in paradiſo agere videretur. Neque ullus ipſo fuit ad obediendum expeditior, in mortificandis animi paſſionibus, & captandis in publicum confuſionibus ferventior, ſectanda humilitate, modeſtiâ, orandi ſtudio, ceteríſq; virtutibus ardentior. Decurſis Theologiæ ſtudijs factus Sacerdos, aliquoties Rectoris munus, Tyronum Magiſtri, & bis Toletanæ Provinciæ, ſemel Bœticæ, Præpoſiti Provincialis egit; donec anno 1605. ætatis 61. die 10. Januarij, ad æternam fidelium laborum mercedem Madriti evocatus abijt. Inter reliquas Apoſtolici Viri dotes maximè enituit ardens animarum zelus, cujus causâ nulli labori parcebat, ad Indos uſque & Braſilos deſideria extendens, ad quos facultatem tranſmittendi cum IGNATIO Azebedio Braſiliæ Provinciali jam obtinuerat; ſed neſcio qua causâ retentus, opportunam fundendi pro Chriſto ſangvinis occaſionem, quâ Azebedius cum ſocijs omnibus in mari à Calviniſtis cæſus interijt, amiſit; cujus jacturæ nunquam deinde ſinè dolore meminiſſe potuit. Inde ſtudijs in Japonicam expeditionem converſis, cùm ejus copiam nullis precibus apud Superiores impetraret; hiſtoriam Japonicam eo præcipuè animo compoſuit, ut legentes excitaret ad ferendas in ea vinea laborantibus

ſup-

ſuppetias. Igitur coactus zelum ſuum intra Hiſpaniam coarctare, nullam occaſionem prætermiſit animas è cœno peccatorum extrahendi, Chriſtóque lucrifaciendi, ſollicitè ubique vitioſos & peccatis irretitos venatus, ut adeò innumeri, è viris etiam doctiſſimis Univerſitatis Complutenſis, ſalutem ſuam illi debere profiterentur. Coaluerat in dicta Academia perverſorum juvenum improba ſodalitas, in omnem petulantiam, & vitiorum libertatem effuſa; cui diſſolvendæ varijs fruſtra adhibitis remedijs, negotium Pater ſancto dolo aggreſſus, unum è primipilis arctiſſimè demereri, varijs obſequijs conciliatum, ſtuduit, dum ſenſim ad peccatorum confeſſionem induceret. In hac adoleſcens cùm non pauca neque levia ſcelera recenſeret; mirabatur Patrem, nihil animo, nihil vultu ad horum enormitatem moveri; nisì quòd ad reliqua, utcunque graviſſima forent, enarranda hortaretur; addens, ſe ſimilia, & multò adhuc turpiora aliàs excepiſſe: unde ſumptâ fiduciâ, integrè omnia ad finem proſecutus eſt. Finitâ exomologeſi, nihil dubitabat pœnam longè graviſſimam ſibi impoſitum iri: ſed Pater blandiſſimè illum ſolatus, ad ſeriam emendationem nervosè animato, quinquies ſolùm dicendum Pater & Ave injunxit, reliquum ſupplicij, peccatis ipſius debiti in ſe tranſumens. Eâ benignitate attonitus adoleſcens rem totam ſodalibus enarravit, neque difficulter univerſos ad exonerandam apud eundem conſcientiam induxit: qui Patris deinde conſvetudine & hortatu in optimam frugem evasêre.

Neque minùs efficax in proſtitutis mulierculis ad pudicitiæ caſtra reducendis fuit; & Compluti quidem ſermone aliquando ad eas habito, unâ exceptâ, omnes reliquæ turpem quæſtum deteſtatæ reſipuêre; & quædam tam potenti ſpiritûs divini impulſu commota, ut redeuntem à proſtibulis Patrem illico conſecuta, lamentis & ejulatu plateas & fora impleret. Id conſpicatus adoleſcens vitæ & ipſe corruptioris, cui vix ulla noctium abſque publico tumultu & rixis abibat, tactus & ipſe intimo animi dolore, manè ſequenti Patrem confeſſionis gratiâ acceſſit; ſed perſvaſus ut priùs meditationibus quibuſdam aſceticis dies aliquot exerceri vellet, tanto eas fructu abſolvit, ut Religioſum deinceps ſtatum complexus in ſummo rigore & pœnitentia vixerit, optimâ apud omnes virtutis & boni exẽpli famâ. Neque deerat Patris conatibus juvandis Divina manus, quam terribilem experti, ad aliorum terrorem, complures fuêre, monitis ejus & conſilijs refractarij. Nobilis adoleſcens Compluti ſub ejus ſpirituali cura, à vanitatibus & pernicioſa malorum conſvetudine abſtractus, etiam Religionis ingreſſum animo jam deſignabat, cùm parentes certiores redditi illum violentè avocârunt, DEOq; penitus ejus pectori evellendo poſt multa ad ſæculi nugas avocamenta, Salmanticam amandârunt, ubi pravorum conſvetudine brevì in tranſverſum actus, priorem pietatem majore nequitiâ ſuperavit. Neque perverſum ſecuta eſt divina pede claudo pœna, quæ reos perditionis filij parentes mærore unà confecit; nam poſt trimeſtre nocte quadam repertus eſt in platea exanimis, toto corpore vulneribus confoſſus, nemine auctorem cædis, vel cauſam noſcente. Idem penitus alteri Nobili evenit, monitionum Patris contemptori, dum pœnitentiam differt: die namque confeſſionem prorogatam ſequenti, miſerrimè deprehenſus eſt, homicidâ nunquam comperto, in platea è vulnere exanimis. Triſtius eſt, quod eidem Madritum proficiſcenti occurrit, dum hominem in ſuo ſangvine volutatum in via deprehendens, nullam ab deſperato pœnitentiæ vocem elicere potuit: tres horas ingenti conatu, omni ſpiritûs arte & contentione laboravit, ut miſerum ad Divinæ pietatis fiduciam, & peccatorum adduceret confeſſionem; cùm ille præter ejulatus, & deploratæ æternùm ſalutis lamenta nil reponeret: donec infelicem animam in ejus oculis, horrendâ vultûs & totius corporis convulſione evomuit, à morte ita ſubitò deformis & abominandus, ut damnati ab inferno hominis cadaver ad vivum referret. Neque fortunatior Patri fuit Madrito Complutum reditus: incidit enim in viatores diſtractis indidem mercibus ad ſua revertentes, qui viæ moleſtias fædiſſimis colloquijs, blaſphemijs, & ſpurcitijs fallere pergebant. Inſtitit hic blandiſſimâ allocutione ad meliores ſermones veſaniam illorum traducere; ſed quia à protervis deteriora ſemper recipiebat, ſubſtitit tandem, lentiùs improborum veſtigia ſecuturus, & precibus interim apud DEUM commeritam ab eis pœnam averſurus. Et ecce paulò pòſt vix ad tertium lapidis jactum antegreſſos, audit terribiles in cœlum clamores ex caſu ſubito attollere, ſimúlque omnes ab equis, velut auxilium cuipiam laturos, deſilire. Igitur greſſum approperans videt unum ex ipſis jumento deciduum exanimi ſimilem jacere, cui magno fervore ſalutis & pœnitentiæ verba inclamans, nullum tamen vitæ ſuperſtitis indicium deprehendit; ut ſatìs appareret fractâ

cervice blasphemam animam in vestigio ejecisse.

Salubriùs animæ suæ consuluit adolescens studiosus anno 1600. ætatis circiter 20. Veneri ad insaniam usque deditus, ut nullis svasionibus, minis, aut terroribus ad vitam castiorem reduci posset, donec prodigiosam manum Numen ipsum Patri in auxilium submisit. Ibat is nocte concubiâ ad furtivos suos, quò pridem consveverat, amores; & ecce plateam prostibuli ingresso spectrum horrificum occurrit, specie adeò terribili, ut capilli in vertice arrigerentur: cujus tamen occursum audaciâ & cupidine insaniens adolescens ausus contemnere, ponè ipsius latus iter nefastum promovit, notavítque mox ab oculis sublatum evanuisse. Jam ergo veluti securior progressus, pedem ferè prostibulo inferebat, cùm eadem infernalis larva sese objicit, & miserum adolescentem tanto implet horrore, ut toto corpore tremens copiosum mitteret sudorem, neque ausus ultrà pedem proferre, domum suam citato cursu repeteret. At enim revertentem ad ipsas cubiculi fores spectrum idem minaci vultu & gestu præstolabatur, ex cujus aspectu tanto horrore perculsus est, ut edito ingenti rugitu, in terram mortuo similis corruerit, vocis omnis & sensuum expers. Ad sonitum ruentis exciti domestici, juvenem morte pallidiorem, neque ullum vitæ signum arteriâ prodentem deprehendunt; varijs tamen recreatum fomentis ad sensum reducunt, ità nihilominus ex immani terrore attonitum, ut hominem mentis impotem proximè referret. Primo manè antiquiùs nihil habuit, quàm ut animæ suæ, reditu cum DEO in gratiam, consuleret: itaque jam sponte ad Patrem Guzman toties antè protervè contemptum adijt, & enarrato rei eventu remedium malis suis petijt: cujus consilio sacrâ divi IGNATII ascesi exercitus, peractâ homologesi, tantum luminis superni è cælo hausit, ut Fratrum Discalceatorum Religionem amplexus, magno virtutum & pœnitentiæ exemplo ad mortem usque perseveravit. Non perinde felicem habuit exitum contemptor Patris Frater ejus Germanus, cui magnis à DEO precibus vocationem ad Societatem exorabat: neque hanc ille diffitebatur, sed libertatis sæcularis dulcedine (cetera non improbus) irretitus, extricandi sui modum non reperiebat. Sed paulò pòst reluctantem Divino instinctui pœna apprehendit, quam illi Pater prædixerat; ut quantumvis summè percuperet, consequi tamen Religionis ingressum non posset. Provocatus enim in duellum vulnera aliquot lethalia excepit, ex quibus & mortuus est: ante obitum tamen literas ad Patrem suomet sangvine è vulneribus defluo exaravit, testes commeritæ, & ab ipso toties prædictæ pœnæ, rogans ut contempti vocantis DEI, & aliorum peccatorum veniam sibi exoraret, & offensas in se admissas condonaret. Atque ad meliorem animarum directionem singulari eundem discretionis spirituum dono implevit Dominus, quâ dœmonis illusiones à cœlestibus illustrationibus facilè dignoscebat, nè his decepti, in barathrum perditionis præcipitarentur. Erat inter complures alios à Patre adjutos nonnemo literarum alioquin rudis, cui sub forma Angeli sæpissimè comparens dœmon omnia sancta & divina svadebat, prolixas orationes, frequentationem Sacramentorum, adeóque sublimia de SS. Trinitatis mysterio revelabat, ut Pater in Theologia doctissimus negaret unquam similia se audivisse vel legisse: sub ea tamen boni Genij forma larvam infernalem deprehendit Pater, & hominem sacrâ ascesi excultum à ludificatore feliciter liberavit. Nec pauciores fuêre ex altero sexu detectis Averni præstigijs ad meliorem spiritum adductæ, quarum aliqua communiter apud omnes in opinione magnæ sanctitatis, quot diebus ferè SS. Evcharistiam sumebat, opera misericordiæ plurima exercebat; ad hæc orationi prolixæ dedita, multas extases & revelationes patiebatur, sæpius coram SS. Evcharistia visa in aërem sublimis elevari, & in extasi septem ipsas horas citra quempiam sensuum usum durare. Ejus in colloquium admissus Pater, deprehendit rectam orandi methodum prorsus ignorare, nihílque jam dubitans ab atrogenio illusam, quæsivit, an aliquando in suis raptibus visendum se illi obtulisset spiritus tropologicus? quâ negante sibi vel nomen hoc unquam auditum; subjecit Pater, atqui scito quamdiu spiritum hunc non videris, te in imo adhuc sanctitatis gradu hærere. Die insequenti magno gaudio redux ad Patrem fœmina, ajebat sibi tandem, quæ infinita esset DEI misericordia, visum esse nocte præteritâ spiritum tropologicum: ex quo Pater jam planè certus fœminam superbiæ spiritu deludi, rogavit, cujusnam figuræ is esset aut formæ? illam verò multa ludicrè in ejus descriptione effutientem, acerbè increpuit, & minis Divinæ atque humanæ vindictæ exterruit. Et ecce vix seni effluxerant menses, quando arcanorum cum dœmone tractatuum convicta, debitas veneficiorum, sententiâ Inquisitionis, luit pœnas.

Fuit

Fuit autem mira Viri efficacia ad persvadendum hominibus quæ recta essent & salutaria; & disvadendum mala, sive ex loco superiore diceret, sive familiari colloqueretur sermone; hunc enim tot támque efficacibus firmabat rationibus, & spiritu itâ inflammato animabat, ut veluti vinculis adstrictum teneret auditorem. Sanè ex vehementi zelò, quo vires & spiritum omnem inter concionandū exerebat, animo & corpore aliquando Belmonte defectus, alienis è pulpito manibus deferri debuit: & Compluti cùm in annum quartum per ferias Quadragesimales diceret, copiosum cœpit è pectore sangvinem ejicere, coactus idcirco deinceps à pulpito ferè abstinere. Mira eidem inerat svavitas, & in tractandis etiam perditissimorum animis tanta comitas & dexteritas; ut omnes illum adire, de rebus suis confidentissimè agere, & remedia flagitare gestirent: singulos enim mansvetudine excipiebat tractabátque plùs quàm maternâ, ut ex animo malis ipsorum indolere & affligi appareret: támque procul aberat à contemptu cujusquam & aspernatione, ut pejorem se & viliorem omnibus sincerè credere, indignum qui cœlum oculis tueretur. In munere Provincialis quoties ad visitandum aliquod Collegium adveniret, primo triduo lavandis in culina patinis operam dabat; non alia sibi gratiora hospitalitatis obsequia accidere posse dicens, quàm quæ ipse in munijs servilibus erga domesticos exhiberet. Defunctus officio Provincialis in Bœtica, quòd multis & gravibus morbis fractus, vires sibi ad munia Sacerdotum deesse prætenderet, magnis precibus exoravit in partem laborum inter Coadjutores destinari, egítque in Collegio Baëzæ, iterúmque Belmonti triclinij Curatorem. Ex ejusdem humilitatis & paupertatis affectu nunquam veste novâ, etiam Præpositus Provinciæ, indui sustinuit; sed postquam suam ita atteri contigit, ut acum & fila vetustate non ferret; aliam minùs detritam poscebat. Pari abstinentiâ fuit in cibo & potu, ceterísq; corporis necessitatibus, neque per diem nisì semel, plerumque sub vesperam, reficiebatur, nihil unquam ad communes omnibus cibos sibi addi ferens, quantumlibet senio & ægritudine fractus. Orationi duodecim quotidie horas animo itâ collecto vacabat, ut eorum quæ foris interim agerentur, nihil adverteret: unde solitus aliàs à meridie quatuor duntaxat horas meditationi impendere. Cùm die quodam immotus ad octavam usque vespertinam in contemplatione perdurâsset, quæsivit ex obvijs, an quartam horologium sonuisset? Multos interim cœlum in ejus animam depluebat favores, mentis illustrationes, & arcanorum revelationes, quibus etiam cognovit Franciscam Leon Collegij Belmontensis Fundatricem cœlo receptam, & insigni gloriâ inter Divos numeratam. Omnia denique sua consilia cum DEO communicabat: ab illo sibi vires & lumen, afflictis solamen repetebat, præmonebátque nonnunquam alios tempestatis secuturæ, & salutaribus ad eam consilijs præmuniebat. Quantò autem DEO appropinquabat vicinior; tantò à carne & sangvine, & naturali Cognatorum amore fiebat remotior: neque ulli adduci potuit precibus, ut vel unâ vice sororem Madriti nuptâ, cùm is in eo degebat Collegio, inviseret; debuítque à Superioribus illi mandari, ut saltem unâ ante ejus obitum horâ morientem supremo solatio adiret. Ipse autem sexagenario major mortem suam asseveranter quatriduo antè prædixit, obiítque magnâ animi pace & quiete: cujus merita DEO placuit multis beneficijs, per intercessionem vel reliquias ipsius concessis, palàm facere.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 3.

P. JACOBUS DE GUZMAN.

Quantò in oculis hominum munus catechesim rudibus & pueris tradendi vilius apparet & humilius; tantò in conspectu Divino majus & sublimius esse declarat necessitas ministerij, Ecclesiæ suæ adeò necessarij: id quod manifestum facere mundo voluisse DEUS videri potest per tantæ nobilitatis, & sangvinis Regij Virum, P. Jacobum de Guzman, quem speciali Spiritûs sancti unctione ad munus hoc totâ vitâ unicè obeundum, dum per vires corporis licuit, præparare & excitare dignatus est, evectum ad excellentem gradum virtutis & sanctitatis; cujus præclarissimis exemplis doctrinam suam apud tot populos confirmabat. Patrem habuit Rodericum Ponce de Leon & Guzman, Matrem Blancam de Sandoval Comitem de Bailen, primariæ utrumque inter Hispanos nobilitatis; à quibus pijssimis præceptoribus educandus commissus, in ipsa pueritia immutabile conce-



P. Jacobus de Guzman S.J. è Regum Hispaniæ Sanguine fatus, vitam omnem in doctrinæ Christianæ explicatione, et rudium instuctione traduxit. Mortuus Hispali 8 Maij 1606. Ætat: 83.
J. G. Heinsch del. 78. Jeremias Kilian Sc.

concepit propositum, DEI & animarum obsequijs totum se expendendi, adhibereque cœpit peculiari jam tum devotione apud DEUM Patronam, quam deinde ùt Matrem & Dominam suam tenerrimè constanter prosecutus est, Virginem DEIparam. Decimum quartum ætatis annum ingressus, adhibere ad confessiones solitus est Magistrum à spiritu & sanctitate celebratissimum Joannem Avila, Societatis & IGNATII eximium in paucis æstimatorem; cujus nutum & directionem filiali observantiâ in omnibus secutus, operam unà studijs navabat Salmanticæ, sub Præceptore & Doctore Theologiæ Gaspare Loarte: ubi per omnes studiorum annos duos è condiscipulis egentiores victu & vestitu sustentabat, eâ conditione, ut singulis octo diebus secum unà Sacramēta Confessionis & Evcharistiæ accederent. Absolutis studijs etiam Theologicis, suscepto Sacerdotio continuè in animarum capturam retia latissimè expandit, nullo Ecclesiastico admisso beneficio vel dignitate, quâ Apostolicus suus zelus uno certo loco constringi posset; sed cum Magistro suo Loarte triennio ferè diversas Hispaniæ regiones Evangelico ritu peragrans, nullo in comitatum admisso famulo aut pedissequo; catechesi, Sacramentorum administratione, & modis omnibus, queis poterat, ruricolas præcipuè, pueros & rudes DEO lucrari laborabat, magistro interim suo Theologo doctissimo concionibus eosdem adjuvante. Sed DEUS arcanâ suâ providentiâ tam sanctos hominis conatus & virtutem ad sublimiora in Religiosa perfectione provecturus, incitavit eodem tempore Loartem unà & Avi-

Avilam; ut uno veluti consilio Jacobo suaderent ingressum ad Societatem, quod tandem hâc occasione executus est. A. 1552. venerat ab Urbe in Hispaniam S. Franciscus Borgia, è Duce Gandiæ humilis Jesuita, cœpítque virtutum altissimarum splendore totum latè Regnum illustrare: quo eodem tempore Episcopus Calahorranus Doctor Bernal de Lugo, à Magistro Avila aliquos ex ejus in spiritu discipulis ad se mitti petijt, qui Diœcesim suam sanè latissimam Missionibus Apostolicis obirent, prædicando, catechizando, & Sacramenta impertiendo: à quo in tam sanctum munus delecti iterum ex omnibus sunt Jacobus & Loarte, jussi ante omnia sanctum Borgiam convenire, & suam illi epistolam reddere. Vir sanctus utrumque benevolè acceptum, ad obeundam sancti IGNATII ascesim invitavit, in qua tantùm potens Spiritûs sancti virtus in utroque operata est; ut magnis votis in Societatem recipi exambirent. Admissos singulari benignitate S. P. Missionem suam perficere nihilominus jussit, qui ejus anni Quadragesimâ in culturam Pampelonæ ingenti proventu impensâ, reliquum anni unius amplius tempus, percurrendo toti Episcopatui dedêre, prolixiùs tamen locis magè populosis, qualia sunt Logronna, Majara, S. Dominici de la Calcada, Haro: ex quibus singulis maximum animarum innumerabilium fructum retulêre.

Avila de utriusque in Societatem receptu certior factus; dici vix potest quantum animo gaudium perceperit, utpote tam altè de ejus Instituto sentiens; ut affirmaret: *nihil æquè sibi dolere, quàm quòd per ætatem & valetudinem ei sese adjungere, cum Societatis ipsius usu & fructu, non posset*: ex cujus tamen institutione & exercitijs multum se in anima boni commodíque cœpisse profitebatur. Indè non tantum acerrimus semper contra adversarios illius defensor, & facundissimus apud omnes encomiastes extitit; sed discipulis etiã suis, quotquot poterat, illius complectendæ auctor fuit; submisítque complures omnino peroptimos, & magnâ deinde in Societate virtutis & sapientiæ laude florentes. Solitus dicere: *Societatem ab* IGNATIO *fundatam planè congruere cum ea forma, quam in animo suo ipse descripserat, & in spiritu suo sentiebat: verùm se paranymphum instar Joannis Baptistæ fuisse, & gaudio gaudere propter sponsum* IGNATIUM. *Nec aliter sibi contigisse, atque si puer conetur lapidem ingentem attollere, qui dum præ virium infirmitate rem nunquam perficit, vir superveniens robustus, pro virium amplitudine nullo negotio tollit, suóque loco aptè constituit.* Is ergo digressuris ab se in Italiam ad Societatis tyrocinium Guzmanno & Loarti, hæc plena divinæ Sapientiæ, prorsus ex spiritu Societatis, scripto documenta dedit: *Quoniam ad eam Societatem acceditis, quæ in sublevandis animis tota versatur, ante omnia proponite ac persuadete vobis, vestrum id esse unum, fovere atque alere voluntatem de omnibus bene merendi, & precibus apud DEUM de omnium salute esse sollicitos: delectum verò operum, studiorum, temporum ac rerum hujusmodi, per quas in auxilium proximorum elaboretis, nequaquam pertinere ad vos. Ac si qua interdum ejus generis cogitatio animum pulsat, perinde atque alia manifesta diaboli tentamenta repellite. Hæreat menti vestræ Monachi illius vox*: ego veni judicari, non judicare. *Atque adeò à judicandis alienis factis ità refugite, ùt à re tanti periculi, quæ possit à gratia Divina dejicere. Secundò: Credite, Superiores à DEO regi, consiliorúmque suorum habere eos causas & fines, qui vos lateant. Denique nil judicare optimum est, sed objectare sibi*, quid ad te? tu me sequere. *Nisi ità vos extricatis, nulla vobis quies erit, nec vita vitalis: Credite vos & permittite totos obedientiæ, pro insigni eam habentes Divino munere concesso mortalibus, ac sperantes eâ viâ fore, ut vos DEUS regat. Quæ spes non hominis regentis niti sapientiâ, sed DEI pollicitatione debet, qui humilibus præsto est. Perfruemini pace magnâ, multúmque brevi proficietis, si fiduciam in obedientia magnam locabitis. Tertiò: Nihil commoveat vos, quæ tandem in re opera vestra adhibeatur: etenim cum ex conservatione & incrementis hujus familiæ pendeat magnoperè utilitas animarum, quidquid ei conservandæ ac promovendæ conducit, vel ipsas lances patinásque purgare, id demum est animas convertere: & summâ voluntate est peragendum. Cogitatione igitur à proprijs ac certis abductâ operibus, id curate duntaxat ut pareatis: quódque vobis præcipitur, non tam propter ipsam rem agatis, quàm quia præcipitur: permagni æstimantes, quòd ejus corporis membra vobis DEUS dat esse, in quo Majestati suæ exhibeatur obsequium. Quartò: Existimate vos ire ad crucem, & animo ite sic præparato, ut nulli causa velitis esse querimoniæ: sed quidquid vobis ex quolibet accidat; id pacatè feratis & libenter. Dissimilitudo ingeniorum atque varietas nusquam inter homines deest, ubi multorum est cœtus: itaque vobis mira non erit. Sed quem vitæ communitas non probavit, eum nè facilè creditote multùm profecisse. Huc vos præcipuè vires intendite, nul-*

lius ut vestrâ causâ turbetur quies, & cursus impediatur: injurias feratis cum gaudio, proculcari velitis ut lutum; minimi ac novissimi esse pro Christo. Hìc verò attentione opus est; nam si paulùm hæc cura remittatur, est ruina in proximo, quia oppugnatio non remittitur. Quintò: Attendite vobis, fugitéque in ceteros quasi magisterium exercere. Omnia tractate eâ reverentiâ, quâ par est DEI negotia, memores accessisse vos ad visionem DEI in rubo Christi, & locum in quo statis, terram sanctam esse, quæ terrenorum affectuum emortua integumenta non patitur. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, ut penitus renuncietis vobis ipsis, non cupiditati solum ac voluntati, sed potissimùm intelligentiæ ac sensui vestro. Hìc est consolationis cœlestis exterminator, hostis pacis, satelles contumax, censor Superiorum, pater dissidij, rebellis obedientiæ, idolum in loco sancto DEI stans, quod iterum iterúmque moneo ut demoliamini, ut DEUS ibi per fidem regnet; multâ fiduciâ persvasum habentes, eum id velle quod Præsides vestri præcipiunt. Id unicum solatium ac perfugium habetote; id quamdiu stabit, rectè vobiscum erit.

His Magistri hactenus sui instructi monitis, & ad mortem usque inviolabiliter servatis, mittuntur Anno 1554. à S. Borgia Romam cum P. Natale, ubi sub directione sancti IGNATII Jacobus noster magnis indies incrementis in spiritu proficiens, tantum donum consecutus est orationis, ut quovis loco & occupatione DEO inseparabiliter conjunctus, ab ejus præsentia divelli, neque nisì de DEO rebúsque cœlestibus loqui posse & scire videretur. Vocationem autem suam, cùm super omnia mundi regna æstimaret; tantum simul erga illius auctorem IGNATIUM affectũ & æstimationem concepit, ut aliâ nunquam appellatione quàm grandissimi Sancti nominaret. Post legitimam sui Societati approbationem, restitutus est à S. IGNATIO muneri suo Apostolico, ad quod à DEO fictus factúsque videbatur, tradendæ per varias Missiones rudibus & agrestibus doctrinæ Christianæ, quas ille plurimas per vitam suam pedestri semper itinere obivit, in Italia quidem Romæ & totâ illius viciniâ, in Regno Neapolitano, Ducatu Florentiæ, Marchia Anconitana, Insula Corcyra: in Hispania verò per Episcopatus Jaënsem, Cordubensem, Hispalensẽ, Granatensem, Malagensẽ, item Salmanticensẽ, Calahorrensem, Borgensem, Pampelonensẽ, &c. Cùm verò annis vitæ supremis ægritudine acutissimâ ischiadis, seu sciaticæ impeditus, pedes metiri viam non posset; adhibebat asellum ad lustrandas puerorum scholas, pagos & villas, cogebátque rudem popellum ad certum locum, cui catechesim in rhythmos & modulos redactum bonus senex præcinebat & explicabat: quâ simplicitate & zelo incredibiliter animos plebis & capiebat & ædificabat; multóque magìs, quos personæ tam excelsæ qualitates natalium, doctrinæ & sanctitatis minimè latebant: ità nihilominus se deprimentis, ut post molestias itinerum ac tot incommoda, non aliud hospitium deligeret quàm nosocomium, inter pauperes & ægros divertere solitus. Neque contentus in vita erudijsse pueros & ignorantes, etiam de successoribus tam sancti operis prosequendi sollicitus; erexit Hispali Sodalitatem, cui id unicè propositum esset, certámque Clericis eandem catechesim tradituris fundavit pensionem: cujus exemplo Compluti & alibi per Hispaniam plures deinde ei fini fundationes factæ sunt. Neque eo tam humili exercitio quidquam existimationis Patri, seu domi, seu foris deperijt; quinimò tantò majori in pretio habitus. Cùm anno 1561. Jacobus Lainius, Generalis Præpositi munere se abdicare conaretur; ipse suffragio suo vehementer cum quibusdam resistens effecit, ut idem porrò cum ingenti Societatis emolumento administrare cogeretur.

Ad has autem Missiones cum fructu obeundas multiplicem virtutum afferebat apparatum, studium inprimis pœnitentiarum & asperitatum corporis, quod acerbis flagellationibus, & asperrimo cilicio spiritui continuè subjiciebat, etiam postremis per morbos afflictæ ætatis annis. Cúmque ampliùs per annorum & morbi gravitatem non posset; aliàs tamen sui affligandi praxes excogitabat, & baculo gressui fulciendo concesso caput aut pedes, ceteráque membra feriebat. Tenerrimum erga DEIparam affectum semper conservavit, cujus coronam è collo dependulam publicè gestans, multis vicibus per diem percurrebat, viámque laudibus ejus decantandis condiebat. Nec minore devotione prosequebatur SS. Sacramentum, ante cujus aram in Collegijs plures horas de genibus noctu diúque in templo precabatur: & licèt in celebranda Missa multùm impediretur crure uno præ altero notabiliter curtiore (quâ causâ semper privatim litabat) & vexationibus ischiadis, nullo tamen unquam die illam dicere intermisit, copiosis semper affluens lacrymis, & tenerrimis affectibus, novis semper modis & praxibus illam ferventiùs celebrandi excogitatis. Multis etiam annis ex eodem in-

in Christum Eucharisticum affectu, noctem cujusvis feriæ 5. insomnem penitus coram illo in oratione quadam extatica transigebat, donec laboribus & doloribus fracto vetitum id fuit à Superioribus. Ex omnibus ejus dictis & factis, totóque vitæ contextu apparebat, baptismalem innocentiam nunquam ab ipso fuisse deperditam: nec videbatur unquã de aliquo sinistram posse opinionem concipere, vel dictum aut factum perperam interpretari, quantumvis res manifestè mala foret, publica & exploratissima, nec capax excusationis: quo casu silentio rem sepeliebat, aut exitum rei præstolandum, qui sæpe ex malis optimus à DEO eliceretur, dicebat, vel sermonem ad alia transferebat. Cùm aliquando Vir Illustrissimus sobrinus suus illi retulisset processum S. Inquisitionis contra Virginem DEO sacram in Lusitania, quam in varijs erroribus deprehendi contigit, subjecit Pater: *gloria sit & laus benedicto JESU! firmiter credo illam esse magnam sanctam, famulam & amicam DEI!* ad quæ attonitus heros, *& quomodo*, ait: *Pater ità sentire & loqui potes, postquam hæc & illa intercurrisse nôsti?* respondit Pater: *laudemus benedictum JESUM, cujus bonitas & sapientia est infinita, per quam illi Virgini dubitare non debemus concessam esse plenam suorum errorum cognitionem & detestationem, & idcirco mihi persvadeo esse magnam DEI servam & amicam.* Humili de se rebúsque suis sensu ex animo opinabatur, verissimus mundi & vanitatum ejus contemptor, neque unquam de sua familia, cognatísve loqui auditus est, & mentionem ab alijs injectam illico perturbabat, vel ad Divina transferebat. Cùm verò ob ejus vitæ prolixitatem, decedentibus interim fratrib9 & cognatis, bis aut ter hæreditatem & nomen domûs in illum recidere oportuisset, ídque in colloquio à domesticis curiosè referretur, ipse nullo verbo signóve id à se intelligi ostendit: ajebat siquidem malle se coquinâ in Societate occupari, quàm dignitate in seculo qualibet conspicuum videri. Multis annis infirmitate gravissimâ exercitus, quam incredibili patientiâ & alacritate tulit, nunquam tamen deesse sibi quidpiam, aut minùs rectè fieri questus est, sed vultu semper erga Curatorem amœno, nimiam sui curam haberi contestabatur. Ingens interea cupido subijt Magnates quosdam Hispaniæ, Viri tanti sangvinis, sanctitatis & æstimationis effigiem ad vivum expictam habere, quam cùm conscio Patre se obtenturos desperarent, inducto per biduum pictore, spirituali ejus alloquio se teneri præsetulerunt, dum interim pictor velut aliud agens, ex loco ubi observari à Patre non poterat, lineamenta vultûs effingeret: cúmq; deinde effigiem jam perfectam Patri, velut de illo triumphantes, exhibuissent, *laudetur*, subjecit, *JESUS, quòd tam genuinè expictum Judæ vultum obtinueritis.*

Denique cùm fideli servo decrevisset tandem liberalissimus Paterfamilias solvere denarium pro tot laboribus, & exantlato pondere diei & æstûs, ad reliquos ejus multiplices dolores, colicæ cruciatum immisit adeò vehementem & intensum, qui spatio viginti horarum animam è corpore exegit, frustra remedijs quibusvis arte diversorum Medicorum adhibitis. Brevi hoc spatio Sacramentis Ecclesiæ eo articulo consvetis omnibus pijssimè munitus, manu cœlum commonstrans, ingenti jubilo & plausu exclamavit: *venio, venio Domine! lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus!* atque identidem dexterâ pectus tangens, veluti animos ad tolerandum sibi additurus, repetebat: *in cubilibus vestris compungimini.* Itaque beatam animam Creatori suo reddidit Hispali 8. Mâij, Anno 1606, ætatis 83, Societatis 52. Cognito Viri omnium opinione sancti obitu, ad funus Patris sui deducendum omnium primi accurrêre è scholis pueri, doctrinam Christianam cantibus prosecuti, quos ab eo edocti fuerant; tum Religiosæ familiæ omnes in suos ordines divisæ, Canonici, Nobilitas tota, & Judices Curiales; dúmque sacra funebria persolverentur, tantus fuit populi complorantis fremitus & compressio, corpus defuncti videre, & coronas ejus attactu sacrare, vel vestium frustulum in reliquias auferre cupientium, ut neque Patrum Societatis conatus, neque custodia publica, neque opposita violentiæ scamna pietatem reprimere potuerint. Ea fuit omnium de Viri sanctitate opinio & æstimatio.

Ex Nierembergij Tomo 1. de Viris Illustribus Societatis.



FRAN-



Franciſcus Moreno S.J. Coadjutor, Hiſpanꝰ, Vitæ ſanctimoniâ, et gratijs cœleſtibꝰ illuſtris; Animabꝰ ad Deum trahendis, et pueritiæ ſanctè educandæ cœlitꝰ datꝰ: atrocibꝰ ideo infeſtationibꝰ et præſtigijs à Dæmone vexatꝰ. Obijt Villaregij A° 1606. Æt: 72. 79.

FRANCISCUS MORENO.

FRanciſcus Moreno, ob ſingularem in tractanda pueritia dexteritatem, & ad omnem pietatem inſtituendi peritiam, Magiſtris omnibus in ſpeculum & exemplar meritò proponendus, natione fuit Hiſpanus, ſæculi amore ab omni ſtrictiore vitæ genere ità alienus, ut communiter ad rei veritatem firmandam juramenti vice adhiberet: *ità certum hoc eſt*, vel, *ità hoc eveniat*, *quemadmodum certum eſt, me nunquam Religioſum fore*. Verùm cùm parum ad ſua vota res illi ad annum uſque 25. ætatis fluerent, petijt inſtanter à Beatiſſima Virgine cor ſuum immutari,& ſanctiora deſideria ſuggeri : quod & obtinuit, Divino impulſu ad Societatis amorem pertractus. Et licèt ſvaderetur à Patribus, ut priùs ſtudijs operam, quò ſacris Ordinibus recipiendis idoneus foret, impenderet; metuens nihilominus ne temporis lapſu, & ſeculi vanitatibus in tranſverſum ageretur, vitam in Societate humiliorem inter Coadjutores prælegit. Cùm verò ipſo Tyrocinij principio gravi tentatione à dœmone infeſtaretur,quam nullis flagellis, jejunijs, & aſperitatibus ſuperare poterat,impetravit à Rectore poteſtatem publicæ confuſionis captandæ; mendicíque & mediaſtini habitu, corbe ad colligendam eleemoſynam humeros oneratus prodijt; aliàs verò ſimili cultu aquam è publica ciſterna hauſtam domum attulit, innumeris probris & injurijs

injurijs à fæce hominum impetitus. Has & plures ejuſmodi in publico victorias, quas deinceps per vitæ Religioſæ decurſum veniâ Superiorum frequentiùs iterabat, abundè penſavit DEIpara, intimo gaudio cor illius perfundens; audiítque aliquando ſibi dicentem: *ego ero tibi in Matrem, ut te in omnibus protegam:* ex quo is tenerrimam ad mortem uſque erga illam retinuit fiduciam. Præcipua primis annis ejus occupatio erat in coquina, vel horti cultura, aliíſque humilibus Fratrum munijs: quibus tanto fervore vires impendebat, ut membris tandem omnibus doleret. Et nè orationis indè quiete fraudaretur, multo manè ante diluculum ſurgebat, quatuor horas meditationi rerum cœleſtium impendens, cujus inſatiabilem quandam famem habebat. Et licèt infirmis deinde curandis aſſignatus accuratiſſimè omnia perficeret; manebat tamen animo ità DEO conjunctus, & in cœleſtia abſorptus, ut nunquam ab oratione & præſentia DEI diſtraheretur. Fuit autem à DEO ad altiſſimæ contemplationis gradum elevatus, & perfrequenter in extaſi atque raptibus cœleſtibus Divina myſteria edoctus: in quarum una vivaciſſimam cognitionem accepit infiniti Eſſe Divini, ut longo tempore inſtar attoniti incederet, præ admiratione DEI magnitudinis; alias verò in ecſtaſi ad cœlum raptus, in præmium promptæ ſuæ obedientiæ, talia in anima expertus eſt, quibus exprimendis nullam ſufficere lingvam ajebat. Durabant ejuſmodi ecſtaſes plerumque unâ dimidiáve horâ, ex quibus ſummè in DEI obſequio animabatur & creſcebat, paratus omnia mundi ſupplicia & calamitates pro DEO perpeti, majore deſiderio ærumnarum Crucis Chriſti æſtuans, quàm cervus ſitiat fontes aquarum.

Quapropter cùm accerſitæ afflictiones, & communia Religionis onera nimis exigua illi viderentur; inſtitit apud Superiores, duobus è domeſticis negotium imponi, ut in omni occaſione, quavis ratione ſe humiliarent, confuſionibus, publicis reprehenſionibus, & pœnitentijs exercerent: cùm tamen eodem tempore 14. in valetudinario, quod ipſe Roſetum ſuum appellabat, ægros numeraret, quibus unus ipſe omnia ſimul obſequia, Infirmarij, Coci, Pharmocopæi, ac mediaſtini exhibebat, tantâ contentione, ut ad reſpirandum horam nullam diu noctúque haberet, nisì cùm unam alteràmve neceſſario ſomno, & huic tamen ſæpius interrupto, indulgeret. Neque his laboribus ſatur, quidquid reliquis domeſticis poſſet charitatis promptiſſimè exhibebat, verrebat cubicula, lectulos componebat, afferebat aquam, & quavis in neceſſitate ſerviebat: idem ſimul vincendæ naturæ ſtudio lambebat fluentem ægrorum corporibus ſaniem, & ab ulceribus exſugebat, ſorbebat purulenta illorum ſputa; eluebat felle, aliíſque amariſſimis ſuccis fauces, volutabat nudum in ſpinis, urticis, corpus; flagris atrociter concidebat, denique tot tantáque amoris DEI æſtu abreptus accerſebat aſperietates, ut humano judicio limites prudentiæ excedere videretur. Et tamen finem nullum faciebat incuſandi ſuum torporem, producendi in publico errata, & defectus admiſſos, recenſere vitæ ſecularis acta, de quibus ſubinde toto refectionis tempore palàm objurgari impetr bat. Veſtitus ejus ſemper erat, qui domi quidem haberi poterat, viliſſimus; & ſi quando Superiorum juſſu foras prodituros meliorem ſumere cogeretur, nullam partem capiebat quietis, donec iterum abjectiſſimo permutare concederetur; in quo, deprimendi ſui ſtudio, conſultò ſæcularium & puerorum oculis ſpectandum ſe præbebat & deridendum. Denique quemadmodum in votis habebat, in amando DEO nemini mortalium concedere; ità pari ſtudio ardebat plus omnibus adverſitatibus & ærumnis exerceri: ideóque quidquid ab alijs aſperitatum pro DEO ſuſcipi vidiſſet aut legiſſet, id omne in uſum & ipſe conferre ſatagebat. Neque defuit divina Providentia, pro augmento meriti ſervi ſui, tam ardentibus experiendæ crucis Chriſti deſiderijs, ſed plenum amaritudinis calicem ei propinavit, permittendo dæmonem vires ſuas in eo experiri, à quo graviſſimis tentationibus, angoribus conſcientiæ, propè ad inſaniam vexatus, ſimúlque doloribus in corpore, morbíſque varijs, capitis præcipuè atrocibus puncturis, quibus ad orandum penitus ineptus reddebatur, ità exagitatus eſt; ut nulla pars utriuſque hominis vacua tormentorum eſſet. Sic conſtituto facienda venerunt de more Societatis Exercitia, pro emittendis ultimis Coadjutorum temporalium votis: itaque cùm nihil aptè meditari, ſeu flectendo, ſeu conſidendo, vel quovis alio poſſet ſitu, volutabat ſe omnis ſolatij expers inſtar ſerpentis in terra, plagas ſuas & vulnera DEO præſentando, oculíſque in Crucifixum defixis, veniam peccatorum humillimè & miſericordiam flagitando. Quo tempore affatus illum è cruce, magnâ dulcedine Dominus dixit: *non mea causâ pendeo in hac cruce, ſed amore tui, ad auxiliandum & medendum tibi.* Quibus verbis tantum roboris deſolato acceſſit, ut ob gratiam tam boni & amantis Domini,

ni, accessionem suis malis instanter postularet, & quæ hactenus passus esset, nihili penitus ad ejus amorem æstimaret.

Et verò crescebant abinde mala corporis & animi indies; & plaga quædam in pede erumpens toto quinquennio crudeliter illum afflixit, intensissimis capitis & cordis doloribus, aliísque singulorum ferè membrorum, & sensuum pænis conjuncta: intolerandam cumprimis sitim in eo excitans, quâ sibi emori, & in rabiem agi videbatur, tantis puncturis, inflammationibus, & convulsionibus totius corporis exagitatus, ut ad impediendos violentè erumpentes ejulatus, fauces panno involvere cogeretur. Cùm tamen perinde alacriter & studiosè munia omnia, atque sanus & valens, obiret, nihil consveti in Religione rigoris omittendo. Hinc perinde ad orationem matutinam, de genibus semper institutam, consurgebat, licèt totam noctem doloribus insomnem vigilâsset; nec quidquã in consvetis pænitentijs, flagellationibus, cilicijs remittebat. Et tamen ex perpetuis insomnijs, & capitis lancinationibus ità affligebatur, ut totam terræ molem sibi incumbentem ferre videretur, cum intolerabili frigore corpus totum dirissimè vexante. Accedebant ab dæmone, visibili formâ invadente, atroces injuriæ & verbera: velut cùm iter, Superiorum jussu, equo facienti, specie similiter equi in campo apparuit, & in transeuntem rabie leoninâ insiliens, pedibúsque prioribus humeros complexus, rictum vultui ejus, velut discerpturus, admovit, amaro rugitu immurmurans: *& tu non vis locum dare tentationi, quâ tot annis te exagito?* verùm collecto spiritu Franciscus, maledictum appellans, & in nomine Domini adjuratum facessere jubens, remansit omnibus animi corporísque viribus ità prostratus, ut se commovere, & ultrà progredi nullatenus posset, doloribus acerrimis singula per membra excruciatus. Ergo Crucifixo è sinu deprompto ad Dominum conversus, remedium ad perficiendum duntaxat impositum ab obedientia iter deposcit: verùm Dominus in sua effigie plenis amore ac condolentiâ oculis eum de cruce intuitus, tantâ svavitate implevit, ut in lacrymas solutus Franciscus, præ amorosis suspirijs crederetur rupto corde emoriturus. Eodémq; momento omni depulso fascino vires integras recepit, sensítque ab humeris velut ingens pondus devolvi, ut expeditè itineris reliquum perficere valuerit. Quo tempore Coci munus gerebat, sæpius consolatorem & spectatorem habuit puerum JESUM, ubi præsertim laborum multitudine obrueretur; cujus intuitu mirè incendebatur ad opus illud humile totâ diligentiâ implendum. Missus peregrinatum cum socio ad B. Virginem de la Penna, soláque eleemosynâ vicatim corrogatâ parcissimè vivens, venit aliquando pluviâ totus madidus, & frigore ac fame emaciatus in locum, ubi hospitium nullum impetrari potuit. Itaq; in templum se conferens, summo cum jubilo gratulabatur DEO suam hanc sortem, quòd instar filij angustijs ab eo exerceretur: cùm inopinatò venerabili specie mulier templum ingreditur, & utrumque ad cœnam & hospitium invitat: quasi certamen cum servo suo habere videri vellet DEUS, an ipse majore animo adversa perferre, an DEUS præsentius in malis omnibus remedium afferre posset. Idem beneficium expertus est à DEIpara, cùm aliàs ad iconem ejus thaumaturgam peregrinaretur in Gvadalupe, nam in medio densissimæ silvæ viribus ità faméque defectus, ut progredi ultrà non posset: post invocatum devotè Virginis auxilium, vidit accedentem pastorem, à quo ultro oblatô cibô vires integrè restauravit. Nec multò pòst in eodem itinere, cùm repentinum febrium calorem cibi omnis nausea sequeretur, unius duntaxat certi edulij appetentia remansisse sibi videbatur: & ecce in proximum pagum appulsum vir nobilis humanissimè invitat, & excusantem propè cogit domum suam subire, atque in cæna primum ferculum apponit idipsum, cujus appetitu Franciscus tenebatur; qui exinde non potuit satis amabilem & paternam DEI circa se providentiam admirari, & dilaudare.

Tandem Salmanticâ à domesticis Coadjutorum munijs missus est Villaregium, in Provinciam Toletanam, ad pueros docendos, quibus prima elementa, & formandos characteres docendis, penes parentem suum, celebrem in Patria sua Ludimagistrum, insveverat, & cum gratia facturus sperabatur. Quod iter pedibus, & victu solâ stipe collecto emensus, tantis à DEO implebatur solatijs, & divinis ex cujusvis creaturæ aspectu sensibus, ut ijs ferendo nequaquam esset. Quare obvias passim herbas, saxa, & arbores baculo feriebat, dicens: *silete amabò creaturæ DEI, neque tot modis DEUM mihi prædicare pergite!* tot enim illi ipsarum intuitu ingerebantur magnalia DEI, ut ijs ponderandis caput enerve planè fatisceret. Occurrit hìc illi Bartholomæus de Sicilia Sacerdos, Secretarius Marchionis de las Narvas, discipulus in prima pueritia Francisci: is beneficij memor, libera-

beralem illi eleemosynam impertitus, cùm jam digrederetur, Franciscus sevocatum famulum jussit nomine suo hero dicere, quòd secum citra omnem dubitationem esset in cœlo conventurus. Quæ verba tantum in animo Sacerdotis valuêre, ut ratus vitæ genus, quod eatenus tenuisset, minimè ad cœlum ducere, omisso itinere Complutum ad Collegium rectà perrexerit, admissionem in Societatem tantis precibus perurgens, ut negari non potuerit. At Franciscus pueros Villaregij docere exorsus, tantam subitò in mores illorum mutationem induxit, ut modestiâ & compositione puerorum stupefacti cives quærerent, utrùm in ipsa Societate ejus Institutis educarentur? ideóque deinceps non solùm filios literis imbuendos ad ludum mitterent, sed ipsi etiam verba salutis à Magistro audituri, velut ad templum confluerent. Quia verò incolæ plerique agriculturâ, aliísve laboribus vitam ibi sustentant, annuêre Superiores, ut scholæ initium sub vesperum primò per Adventum & Quadragesimam daretur: quo tempore præter pueros accurrebant trecenti & quingenti, etiam ex adultis, tam cœlibes quàm conjugati, cœlestia docentem & svadentem audituri. Atque hoc docendi munus totâ deinceps vitâ retinuit, in varijs Provinciæ Toletanæ Collegijs, Huetæ, Seguræ, Caravacæ, & ternis vicibus Villaregij, ubi & illi officio immortuus est. Singulari siquidem gratiâ à DEO destinatus illi videbatur, ut licèt ob immanes capitis cruciatus putaretur tanto labori minimè suffecturus, quoties tamen de eo avocendo ob virium debilitatem cogitabant Superiores, toties repentè viribus auctus ità revalescebat, ut demum totam vitam illi labori impendere sit permissus. Neque ignorabat dœmon, quantum detrimenti sanctâ illâ pueritiæ educatione sibi afferretur, ideóque principiò cœpit illum impatientiæ motibus ex plena tædij occupatione impugnare: verùm is ad DEUM recurrens, mirabiliter omni tentatione hac liberatus est. Sensit enim die quodam ictum validum pectori infligi, ad intima cordis penetrantem; atque ab eo momento omnis impatientiæ, tædij, & tristitiæ spiritus illum reliquit, ut summo cum gustu, svavitate, & dulcedine, inter pueros versaretur, clarissimâ simul è cœlo luce perfusus, quàm acceptum DEO gratúmque esset illud pueritiæ, ad ejus timorem & agnitionem educandæ institutum.

Illud autem, quod veluti fundamentum spiritualis suæ Institutionis ponebat, erat, instillatio tenerrimi cujusdam in Virginem SS. à primis ungviculis, & filialis amoris: singulis persvadens, ut eam deligerent in Matrem, toto corde amarent & venerarentur: tantúmque valuêre hæc pij Fratris consilia, ut quidam è pueris, quorum tamen nullus excedebat 10. vel 12. annos ætatis, totas subinde noctes insumerent in salutanda, pluries repetitâ Rosarij recitatione, Virgine DEIpara. Alius in ejusdem amorem penitus absorptus, sæpius deprehensus est in svavissimo amplexu hærens Virgineæ Imaginis; lacrymas interim sinè fine oculis, veluti perennibus fontibus effundens & causam ploratûs quæsitus, respondit: meminisse se lacrymarum, quas Mater sua profuderit in morte Filij sub cruce, cui proinde se non posse non collacrymari. Quidam tot horas impendebant adorando de genibus SS. Sacramento, ut idcirco tardiùs in ludum venirent, donec corrigerentur. Unus autem notatus à matre tristior, & cogitabundus incedere, rogatus quid ità morosus esset? respondit, meditari se pœnas inferni, *quæ*, addidit, *ô si Mater nôsses, quàm atroces sint, & intolerabiles!* Passim autem omnes, si verbis asperis, alapâ, aut verberibus afficerentur, in genua provoluti maxillam alteram offerebant, neq; ullum vindictæ indicium ostendebant. Cujus tam sanctæ institutionis famâ longè latéq; vulgatâ, adducebantur sub disciplinam tam S. Magistri à 40. & 50. levcis pueruli maximè dyscoli, qui paucis diebus omnium intuentium stupore, modestiâ & pietate cœlestes genios referebant. Porrò, si quid amissum casu aliquo reperirent, quantumlibet minutum id foret, nunquam id sibi retinebant, quin statim ad Magistrum deferrent, arbitrio illius disponendum. Unus aliquis jussus à parente quidpiam fructuum in alieno horto colligere, respondit: *id ego Pater nullâ ratione facturus sum, quia malum est; mala autem dicit Pater Moreno non debere à nobis committi, licèt ipsi parentes jusserint.* Pusio alius sexennis morti proximus, Patrem suum vocari ad lectulum jubens, hoc veluti supremum dictamen illi reliquit: *Pater mi, video totum hunc mundum esse vanitate plenum, pro quo tamen ità ab hominibus decertatur, sed in fine tandem sepulchrum invenitur: & qui boni reperti fuerint, recipientur in cœlum, malis verò obveniet infernus;* quibus dictis mox expiravit. Tanto etiam amore pueruli hi se invicem prosequebantur, ut quoties sibi occurrerent, aut convenirent, peramanter in mutuos amplexus ruerent: & si quispiam ad parentes domum peregrè à scholis avocaretur, amarissimè separationem hanc deplorarent. Ludum autem

tem literarium quanto desiderio & gustu adirent, vel inde clarissimè patebat; quòd ante diluculum lectulis exilientes, multò antè datum signum ad Collegij januam accurrebant, templi reserationem præstolantes, ut primo Sacrificio adessent. Increpiti verò, cur adeò tempestivi afforent? excusabant, domi varijs laboribus, opificijs, & clamoribus cubiculum occupari, ut sibi locus nullus quietis superesit. Dominicis autem & festis diebus, quòd à schola vacaretur, toti erant in evolvendis spiritualibus libellis, à Fratre copiosè commodatis, & reperiebantur passim in angulis secretâ illorum lectione, vel precatione, occupati: alij verò unà conveniebant, ad instituendas varias devotiones, miscendáque de rebus Divinis colloquia: alij plerasque horas in templis ante SS. Sacramentum, tenerrimas inter lacrymas conterebant. Quòd si copiam subinde disciplinæ à Magistro nanciscerentur, vix post multos dies sæpius commoniti (tanta erat edomandi flagellis corpusculi aviditas) referebant. Sanè puerulus primæ nobilitatis cum lacrymis aliquando petijt, ut juberet se publicè in schola, propter peccata sua, virgis castigari: alij vitia & defectus acerbis sibi verbis exprobrari urgebant: & cùm aliquando circa Domini Natalem audîssent ab optimo Magistro multa de lacrymis, paupertate, & doloribus nostri causâ à JESULO susceptis tenerrimè dici, cui par esset ab omnibus spontaneâ aliquâ mortificatione responderi; non fuit vel unus ex omnibus, qui non instantissimè perurgeret contumelijs, flagellis, verberibus, à Correctore, Magistri, jussu excipi. Verùm ubi audierunt parvulum Dominum usq; eò mitem & bonum esse, ut solâ voluntate seriâ contentus, hæc eis remitteret; tanto dolore & tristitiâ inde se affici declarabant, ut lacrymas ubertim profunderent; cùm tamen alioqui huic ætati nihil super flagella magìs sit formidabile.

Hac adeò sanctâ pueritiæ educatione dici non potest, quàm charus & æstimatus Parentibus, Civitatibus, & toti Nobilitati fuerit, qui illius duntaxat videndi & salutandi causâ remotissimis ex locis ad Urbem provolabant, nec graviùs affligi poterant, quàm si voluntate Superiorum aliò evocandum rescirent. Sanè Huetâ Villaregium transferendum ubi intellexêre; armatas, quibus violentè detineretur, constituêre excubias; nisì Superiores re in tempore præscitâ, repentè & occultissimè illum emisissent. Ubi verò pueri manè ad ludum venientes, charum sibi Magistrum discessisse acceperunt; tantus ploratus & luctus omnium exortus est, ut eos affari & solari Rectorem ipsum oportuerit; qui inter alia dixit: debere magìs ipsos gaudere & gratulari, quòd pro Fratre discedente, Sacerdotē in Magistrū essent accepturi. Sed minimè sedati his pueri, ad Curiam Urbis, magnis vocibus ubique Patrem suum Moreno ingeminantes, accurrunt, & auxilium Senatûs porrecto libello postulant. Qui & ipse discessu viri improviso contristatus, expedito ad Provincialem Cursore, illum sibi restitui multis precibus expetijt. Jam verò cùm tantæ puerorum multitudini, quam nullibi schola capere poterat, in literis & scriptione instituendæ sufficere unius hominis industria nequaquam posset; DEUS manifestè conatibus ejus præsto aderat, ut hi facillimè quidquid docerentur caperent. Unde brevissimo tempore singuli evadebant scribæ ad omnium admirationē eximij, elegantissimos characteres formare docti, ídque sinè magno labore Magistri: quippe dummodo illis characterum formam ad imitandum præscriberet, eos continuè, divino procul dubiô ductu, ità aptè exprimebant, ac si manum ipse cujusque ad singulos apices formandos rexisset. His conscripta elegantiùs folia, ad excitandam puerorum industriam, & publicam gloriam, jubebat palàm in plateis & columnis, ab omnibus transituris conspicienda, appendi. Cùm enim Franciscus DEUM unicè, ejúsque amorem & observantiam discipulorum animis imprimere statuisset; DEUS vicissim profectum in literis, à parentibus in filiorum educatione quæsitum, citra specialem Magistri conatum ipsis impertiebatur. Quo multis experimentis comperto, cœptus est ab adultoribus etiam adolescentibus magno numero frequentari, ut sub ejus directione periti in scribendo evaderent: quo tempore sanctis ipsius præceptis, & vitæ innocentissimæ exemplis, multò majorem in spiritu & virtutibus profectum assequebantur, ut innumeri tam ex his, quàm è pueris, diversas Religiones deinde complecterentur. Denique tam miris effectibus longè latéque vulgatis, cùm undique multi mortales ad eum audiendum de rebus cœlestibus accurrerent; DEUS illius verbis ingens quoddam pondus & gratiam, ad corda mortalium altissimis sensibus permovenda, imprimebat, ut ea semper lacrymæ & singultus, in obstinatissimis etiam peccatoribus, ac miræ conversiones sequerentur.

Disserentem aliquando in maximo Auditorum consessu de amore Divino, audiebat etiam P. Ayala, celebris in Theologia Doctor,

ctor, tantúmque pondere & efficaciâ verborum ipsius commotus est, ut cùm detergendis lacrymis sudariolum eduxisset, repentè velut extra se raptus, manu elatâ, vocéque intensâ clamare cœperit, *ô amor! ô amor!* Qui viri tanti in confertissima multitudine erga DEUM motus, incredibiliter omnium corda affecit, ínque DEI amorem excitavit: ipse verò in cubiculum inde suum evadens, lacrymis penitus frena laxavit. Ad hunc autem amorem in cordibus omnium fovendum, persvadebat pueris Franciscus quàm creberrimam locis & temporibus, plateis & vicis omnibus, earum vocum repetitionem: *Laudetur Dominus JESUS CHRISTUS!* unde fiebat, ut sacro hoc nomine non tantùm vici & Civitas tota personaret; sed ipsi infantes in Matrum sinu verba eadem balbutirent. Ejusdem amore & reverentiâ pueri lusibus sibi interdicebant, abstinebant melioribus in mensa bolis: & si quem in juramenta, vel inhonesta verba prorumpere etiam in publico audiebant, in genua provoluti orabant, ne DEUM inhonorare, & offendere vellet. Ad Catechesim audiendam veniebant eâ per plateas observatâ modestiâ & silentio, ut omnes in admirationem, & eandem auscultandam doctrinam pertraherent: cui aliquando vir ex Ordine S. Hieronymi primarius præsens, ubi parvulos duos quæstionibus è catechesi mirâ gratiâ & modestiâ disputantes auscultavit, flexis præ solatij magnitudine genibus DEO gratias egit, quia ex ore infantium, & pene adhuc ab uberibus matrum pendentium, laudem suam perfecisset. Addebat Franciscus ad majorem doctrinæ hujus gratiam, subinde quosdam veluti dialogos, inductis in scenam parvulis ad Passionem Domini, peccati gravitatem, vel novissima repræsentanda, quorum illicio tota Civitas ad audiendam sacram doctrinam excitabatur, ut nullus capiendæ multitudini sat locus esset, & omnia gemitibus, planctu, & suspirijs personarent. Noverat enim aptissimis modis, præter omnium expectationem, varios affectus elicere; ùt accidit occasione pueruli sexennis, postquam mirâ gratiâ & felicitate quædam memoriter è catechismo recitâsset: vocatum enim in multidinis conspectu Franciscus ad se, interrogat, *an verè Dominum DEUM amaret?* quo affirmante, *plurimùm à se DEUM diligi.* quæsivit ultra Frater, *edissere autem quantum illum diligis? magis utique,* respondet parvulus, *quàm meum Patrem, & Matrem. Multum quidem id est,* subjicit Frater, *sed major adhuc est amor tui ipsius, quàm quæ hactenus commemorasti.* *Imò,* replicat puer, *præ vita mea, præ corde, & præ anima ipsa mea Illum diligo. Verba quidem pulchra sunt hæc,* objicit Franciscus: *sed probemus, an ipso facto id demonstrare possis, & velis. Cedò mihi hùc sis tuas istas vestes* (erat enim pervenustè & noviter indutus) *ut illas impertiar pauperibus parvuli JESU.* At puerulus ingenti promptitudine vesticulam corpori detrahens, *hoc indumentum?* repetebat, *hoc indumentum? apage sis in perpetuum mea vestis, & unà simul facesse meum cor. Benè habet,* intulit Frater, *macte animo tam generoso & heroico! sed nihilne præterea est, quod libenter pro DEI amore expenderes?* tum verò in genua prolapsus puer, altâ voce proclamabat: *Pater, en hic flecto, paratus vitam & sangvinem dare pro amore DEI! eja prodeat aliquis, qui me occidat! prodeat, qui caput mihi auferat!* Atque his & similibus parvulorum exemplis altè in animos spectatorum descendentibus, etiam adultorum corda in DEUM rapiebantur: maximè ubi pauculis diebus viderunt hunc parvulum revera è vita cessisse, quasi acceptâsset Dominus hoc innocens vitæ illius suo amori sacrificium; ut illud æternùm in cœlis præmiaret.

Neque tamen inter tam multiplices distractiones & labores unquam amittebat DEI præsentiam, quem ubique semper, & in rebus omnibus intuebatur, adorabat, alloquebatur, atque singula ad ejus amorem referebat, ut tota ejus vita, omnis actio, verissima fuisse dici possit & perpetua oratio. Rosaria honori Virgineo terna quotidie, & si magìs vacaret, octona recitabat: conscientiam sexies in die ad examen accuratum evocabat; Angelum verò Custodem tantâ familiaritate adstrinxerat, ut quotidianum haberet, quacunque horâ voluisset, à somno excitatorem; imò & lumine quandoque noctu egenti, ignẽ excitaret. Nec raro visendas se offerebant è Purgatorio migrantes ejus beneficio animæ, ut gratias pro suffragijs referrent: & Huetæ quandoque doloribus capitis afflictum invisit DEIpara, ac post cœleste ultra dimidium horæ colloquium, cubiculum svavissimo, supra omnem ambram & terrestre suffimentum, odore redundans reliquit. Cùm ingens siccitas Caravacam affligeret, ad publicas supplicantis populi orationes, Franciscus novenam de suo adjecit ad B. Virginem variarum precum, & gravissimarum corporis afflictionum: quibus cùm nihil aheneum moveri cœlum videret, aliam novenam addidit honori SS. Sacramenti, tantâ contentione; ut defectus viribus omnibus, abrumpere pænitentias cogeretur.

geretur. Manè igitur quodam blandissimè illum allocutus Christus Dominus, *unde*, quærit, *tantopere debilis & fractus es fili? cur à postulanda è cœlo pluvia destitisti? haccíne est fiducia, quam te habiturum promittebas, licèt anno integro ne guttam quidem plueret? bono & læto animo esto, siquidem jam nunc desiderio tuo facio satis.* Et ecce mediæ spatio horæ obductum nubibus cœlum, copiosissimam dedit pluviam: quam & aliàs gravissimè iterum siccitate afflictæ patriæ impetravit, novenâ suarum devotionum honori DEIparæ necdum evolutâ. Sed plus admirationis habuit ab eodem impetratus sitienti solo Villaregij imber, cùm jam fame incolæ laborare cœpissent: nam ad Francisci preces, innube penitus & serenissimum cœlum, momento copiosissimam effudit aquam, quam idcirco incolæ miraculosam vocârunt. Denique nihil erat quod seriò à liberali DEI manu posceret, & non impetraret. Molestum aliquando & prolixum iter agenti, vires & animus ad progrediendum defecerant, quòd pedibus etiamnū febricitanti emetiendum esset, nec quidquam cibi reficiendo corpori, neque hospitium, aut locus ullus ad quietem adesset. Itaque fractus animo, cùm resedisset ad cujusdam petræ radicem, vidit in ejus cacumine aviculam inusitatæ formæ & pulchritudinis, cujus aspectu mirè se recreari sentiens, *ô Domine!* suspiravit, *si propiùs hanc aviculam accedere juberes!* at illa mox veluti imperium sentiens, proximè Franciscum consedit, quietissimè manum illius capientis præstolans. Quam ubi in manibus suis intuitus est, non se capiebat præ animi dulcedine, quam illi ingerebat considerata pulchritudo, bonitas, & sapientia DEI, simúlque omnis ab animo tristitia, & à corpore lassitudo depulsa est.

Atque hæc ferè fuit conditio omnium à Divina manu ipsi submissarum consolationū, vel enim in præmium & remedium immittebantur gravissimæ alicujus afflictionis, vel imminentem proximè tribulationem præcurrebant. Quadraginta totos annos exagitatus fuit tentatione adeò molestâ, ut pœnas & supplicia inferni degustare videretur, magnúmq; dolorem ex compassione moveret Confessarijs, & Superioribus suis: & tamen nunquam de malo ullo, doloribus, & infirmitatibus suis conqueri auditus est, sed è contrà gratias impensè DEO, tanquam pro singulari favore referre, & preces aliorum ad DEO gratias agendum implorare. Solebat etiam ex ea, quam in se ipso habebat experientia, dicere, pluris à se fieri infirmum, ægritudinem cum patientia sufferentem, quàm pœnitentem aliquem spontaneis afflictionibus ad sangvinem usque corpus suum persequentem. Inter reliqua, quibus à dæmone exagitatus est, fuit etiam pœna ranarum, ab Angelo percutiente, Pharaoni in Ægyptijs illata: quocunque enim oculos obverteret, quidquid attingeret, ubiq; super mensa, sedilibus, lecto, & pavimento, fœdissima hæc occurrebant insecta, & venenatissimi assiliebant bufones; adeò ut id etiam quòd manderet & biberet, meri bufones & ranæ in faucibus suis viderentur. Quibus tamen omnibus seu internis, seu externis malis, nunquam patientiæ vel minimum deperditit, sed quò graviùs hæc intenderentur, eò plures afflictationes spontaneas addebat de suo, quòd hac ratione leviores à dæmone immissæ evaderent calamitates. Quare neque septuagenarius cilicium deposuit, & somnum vestitus, in nuda tabula, etiam postremis vitæ annis capere perrexit; frigori arcendo nihil summâ etiam hyeme remedij adhibens, ut idcirco manus pustulis turgidæ, flaccidæ, & propè exangves evaderent. Ad hæc autem omnia alacriter subeunda, excitabat animum ingenti illo solatio, quod in morte experturus esset, si quàm plurima & acerbissima DEI amore in vita perpeteretur. Ejus enim amoris sitientissimus exclamabat sæpissimè: *ô utinam te mi DEUS amavissem ab ipso utero matris meæ! ô utinam hæc mihi felicitas obtigisset, ut nunquam aliud ambivissem, nunquam aliud desiderâssem!* Is verò Creatoris amor, parens fuit in illo amoris erga suas creaturas, ut eis omni conatu ad consequendam salutem æternam auxilio veniret: sentiebat enim legitimum Societatis filium nec passum unum facere debere, qui non emolumentum afferret proximo, sive docendo quanta dignitas sit DEI, ut à nobis ametur, & statuatur centrum omnis beatitudinis: sive avertendo à peccatis, quibus tam indigna summi boni cum vilissima voluptate fit commutatio. Ad hunc porrò zelum perinde nos debere excitari dicebat, velut si videremus puellam quampiam adhuc infantem, summo Principi in sponsam assumptam, interpellari à lixa vilissimo, & ad suas libidines prensari: quam profectò necdum satis fortunam suam discernentem, non omitteremus periculi admonere, & ad fidem sponso Principi servandam efficaciter hortari. Cùm ergo perinde negotium se habere censeret inter seculares & dæmonem, dum illos à DEI amplexibus avulsos, ad peccatum inducit; tanto sese ardore vitijs opponebat, ut cuicunque quantumlibet inveterato peccatori vir-

ri virtutem ſvaderet, is continuè vitijs nuncium remitteret; aut ſi pertinax reluctaretur, paulò pòſt vindicem DEI manum, duritiam ſuam plectentis ſentiret.

Villaregij Civis erat Collegio vicinus, lingvæ in blaſphemias & maledicta prorſus effrenis; quibus magno, pijs auribus, erat offendiculo. Varijs tentatis remedijs cùm nil obtineretur, miſſus tandem eſt ad maledicentiam viri edomandam Franciſcus; ad cujus primam ferè allocutionem homo penitus animo mutatus, atramentum popoſcit & calamum, velut fidem ſuam de futura ſeria emendatione ſcriptô obſtricturus. Interim verò confeſſionem de tota vita exactiſſimam chartæ mãdavit, & Sacerdoti deinceps recenſuit tot lacrymis, & vitæ melioris ità ſeriò propoſitô, ut nullum maledictum ab ejus ore ultrà prodierit. Pari felicitate nobilem luſui perditè addictum, eóque à conjuge, multorum ſcandalo, pertinaciter diſſidentem; & alium laſcivis amoribus ad inſaniam deditum, uno allòquio ità infregit, ut deinceps pueri inſtar nutibus Fratris obſequentes ſe exhibuerint, & præſcriptum vivendi modum conſtanter, magnâ omnium ædificatione, obſervârint. At è contrà nobilis adoleſcens, cùm multis Franciſci monitis & hortatibus odia, quæ cum parente exercebat, ponere nollet; vicinam illi præ foribus mortem, quam DEUS filijs, parentes inhonorantibus, prædiceret, minatus eſt: víxque triduo elapſo adoleſcens repentino malo exanimis concidit. Alius è diſcipulis Franciſci vitam licentioſam, ſupra quàm ætas illa ſolet, ingreſſus, abuſus pecunijs, quas mater è patria ſubmittebat, & favore avunculi curati Eccleſiæ Villaregij, cùm monita & reprehenſiones omnes flocci penderet, tandem zelo quodam incenſus Frater, prædixit, niſi reſipiſceret, paucis diebus illi imminere graviſſima mala; néve fideret in matre, avunculo, vel opulentæ hæreditatis ſpebus, hæc enim omnia amiſſurum. Paulò pòſt inviſurus matrem juvenis, veniam à Franciſco patriam repetendi poſtulat; quem ille denuo commonitum, ut ſapere vellet, jam enim alioqui mala quæ prædixerat inſtare, dimiſit. Vix aliquantum viæ confecerat, cùm obvius illi notus è patria civis rogat, *quò properet? ad matrem,* reſpondet juvenis, *quam multo tempore non vidi. Atqui fruſtra hac causâ peregrinaris,* ſubjicit iſte, *mater enim tua jam vitâ diſceſſit, cujus ſepulturæ egómet interfui.* Conſternatus & in lacrymas ſolutus juvenis, viam nihilominus proſequi parabat, quò ſorori ſaltem pupillæ ſolatio foret: *ſed & hæc,* addit viator, *& quidem paulò ante matrem expiravit, ſuâque morte, oppreſſæ doloribus matri causa repentini obitûs fuit. Heu me miſerum!* exclamat adoleſcens: *at ſaltem, ſi nil ſolatij inter domeſticos parietes ſperare poſſum, apud avunculum meum reperiam:* verſíſque habenis Villaregium repetebat. At enim appropinquanti ad urbem occurrens quiſpiam, *num intellexiſſet,* rogat, *avunculum ſuum Eccleſiæ Curatum, paulò antè fatis conceſſiſſe?* oppreſſus tot cladibus adoleſcens, ſerò tandem didicit, quàm verus malorum vates Magiſter ſibi fuerit, cujus monita pertinaciter contemptui habuiſſet.

Multa ejuſmodi afferri poſſent Divinæ vindictæ in contemptores monitorum ſervi ſui exempla, ſed duo ſolùm adhuc afferam, & finiam. Nobilis erat conjugatus primariæ familiæ, & magnarum fortunarum, quem alienis amoribus implicitum ſæpius hortabatur Franciſcus, ut ſeriam inſtitueret confeſſionem, & vitam in melius mutaret: quod ipſum moneri à DEO varijs caſibus adverſis videbatur, ſi audire objurgantem voluiſſet. Igitur parum ſe proficere Franciſcus videns, quærit ex eo: *num ſcire velit DEI morem, quem cum hominibus obſervare ſoleat?* & libenter annuenti, *DEUS,* inquit, *nobiſcum agere conſvevit, quemadmodum parens cum filio; quem ſi perperam facere deprehenderit, primùm ſimpliciter monet, ne id iterare præſumat; quòd ſi negligi monitionem deprehenderit, adjicit reprehenſionem, & ſubinde ictum ſeveriorem: ſi verò nec id juverit, manibus vinctum & denudatum acerbis flagris ſinè fine cœdit, nec promiſſis jam, nec lacrymis meliora promittentis moveri ferens. Sic Dominationi veſtræ fiet, tot DEI hactenus increpationes temnenti; evaginabit enim repentè contra ipſam gladium ultionis, & uſque ad mortem ſinè miſericordia cedet.* Et verò quinto necdum evoluto die ità prorſus evenit: obrutus enim repentino malo infelix, cùm mortem vicinam ſeriò adverteret, Franciſcum venire rogat; verùm advenientem loquendi uſu jam dejectus, affari impotens, oculis in eum conſtanter defixis vivaciùs alloquebatur, dolorem cordis ſui & pænitudinem de contemptis ſalutaribus monitis declarans. Erat alius parentibus ſuis ampliſſimarum fortunarum hæres & filius unicus, qui medio ſtudiorum curſu repentè urgere cœpit, ut ſtatum & veſtem Clericalem aſſumere ſibi liceret. Tam inopinato filij propoſito perculſi parentes, conſilij causâ Franciſcum adeunt: diſvadet ille multis rationibus, prædicítque ſi fiat, maximo illis dolori futurum, quod non melioris vitæ, ſed ſolutioris deſiderio Clericatum

tum ambiat. Mater nihilominus cæco filij, ùt plerumque accidit, amore, urgenti acquievit; & pauculo à susceptis ordinibus tempore experta est, quod Franciscus prædixit; nam filius instar indomiti equi ruptis habenis in omnem licentiam ferri, parentibus gravis esse & importunus, prodigere immodicè facultates; & si negarentur, acerbè cum parentibus jurgari, & tantùm non verbera intentare. Lacrymis & precibus afflicti Patris motus Franciscus, ingratum filium convenit, & modis omnibus saniora persvadere conatus, ubi nil proficere advertit, his verbis absoluto sermone recessit: *utinam Domine fallar, dum prævideo pœnam impijs in parentes suos filijs à DEO intentatã vobis imminere, & jam præ foribus esse! præparate animum ad felicem mortem, brevissima enim vobis restat vita.* Et verò pertinaci horum omnium contemptori pauculi fluxêre dies, cùm miser repentino fato obrutus, exiguam spem suis reliquit consecutæ salutis, eo ipso in loco, ad quem ingratijs parentum refractarius se receperat, ad DEI tribunal abreptus.

Atque hæc ferè sunt, quæ de virtutibus & gestis magni hujus servi DEI comperimus, quibus illum DEUS ad quietissimam mortem parare dignatus est, pridem anhelantem corporeis vinculis exolvi, & Christo conjungi. Uno mense ante mortem occurrerat illi in DEUM veluti absorpto Collegij Rector, & pro solatio dixerat: *felicem te Frater Moreno, qui majore vitæ parte obsolutâ, pene manibus jam tenes speratam æternæ beatitudinis laureolam!* cui ille, *certus sis Pater*, inquit, *nullâ me hujus rei curâ vel cogitatione tangi; solum id unicè me sollicitũ tenet, quomodo indies magis placeam DEO, & impleam in omnibus ejus sanctissimam voluntatem.* Ità porrò in colloquijs per ultimos vitæ dies de morte sua sermocinabatur, tanquam de re, cujus nullo metu aut consideratione moveretur: monitus verò à Rectore ex Medicorum sententia, illam haud procul jam abesse, tanto repletus est solatio, quantum sæculi amatores demonstrare solent, dum ijs copia rei maximè omnium desideratæ adpromittitur. Quin etiam addidit, nihil sibi pro transitu hoc ad æternitatem remanere disponendum, quippe cùm pridem antè omnia illuc servientia providerit: atque ita plenus quietis & securitatis, animam DEO placidissimè reddidit Villaregij anno 1606. ætatis 72. initæ Religionis 46. Vulgata per Urbem viri omnium opinione sancti mors, acerbo sensu Cives perculit, & præter populum etiam Clerum civitatis ad parentandum servo DEI excivit, nomen autem hodiéque gratâ & perenni celebratur memoriâ.

Ex ejus Vita P. Francisci Cortès, & Nierembergij Tomo 3.

P. JOANNES SEBASTIANUS DEL CAMPO.



SAssaris primaria Insulæ Sardiniæ Civitas, Patria fuit Joanni, Parentibus honoratis & pijssimis in lucem edito anno 1526. quibus nihil æquè curæ fuit, atque filium in literis & pietate Christiana optimè institui. Verùm in studiorum progressu crescente ætate, spem illorum non modicè intervertit, pravorum sodalium (ùt plerúmque improvidæ juventuti accidit) familiaritate seductus, & procul à virtutis & diligentiæ literariæ tramite aversus: neque enim tum adhuc Societas erat nata, aut Gymnasia educandæ juventuti excitata. Respexit nihilominus indolem, alioqui ex se ad honestatem pronam, benignus DEUS, & ad frugem solis interioribus impulsibus, nullius hominis svasione accedente, reducto, propensionem etiam injecit ad statum Ecclesiasticum, quem studijs absolutis suscepto Sacerdotio complexus est. Cum quo repentè animo totus immutatus, cæpit terrena omnia fastidire, spretísque rebus caducis toto animo in cœlestia ferri, magnâ omnium familiarium admiratione. Eóque viri processit ardor, ut humanæ conversationis fugitans, se penitus in Sacellum quoddam Nosocomij Virginis Annunciatæ Sassari abderet, operam omnem pauperibus ægris (quod illi deinde per vitæ decursum solenne fuit) impensurus, & devotioni suæ secretò vacaturus. Ibi vitam propè Eremiticam auspicatus, totum se meditationi rerum cælestium, & operibus pœnitentiæ addixit, novis quotidie favoribus à DEIpara, quam impensissimè colebat, præventus; nam quovis Sabbato perseverabat ante ejus imaginem in oratione de genibus usque ad mediam noctem, ídque gelidissimâ etiam hyeme: præter horas Canonicas dicebat quotidie Virginis Officium, Rosarium, Psalmos Pænitentiales, & Graduales, Officium item pro defunctis, de S. Cruce, & Spiritu sancto. Missam dicebat quotidie, præmissâ ad semi horam præparatione, & tantundem prolixâ gratiarum actione: jejunium Quadragesimale, ferias per annum sextas, & Sabbatha



P. Ioannes Sebastianus del Campo Soc: Iesu, Sardus, à Dæmonibus crudeliter persæpe habitus, eosdem à corporibus et animis Peccatorum exigebat; vitæ sanctitate et magnis in omne genus hominum editis beneficijs conspicuus, extinctus Sassari 1608: 6 Aug: ætat: 82: 80.

tha omnia, traducebat in pane & aqua, ídque per omnem deinceps ætatem retinuit: corpus denique flagellis, cilicijs, vigilijs, ceteríſque aſperitatibus divexabat. Miſeratio in egenos, non tantùm qui Hoſpitali continebantur, ſed & in alios fuit tenerrima: quotquot enim reſciebat ope aliorum deſtitutos per Urbem, aut foris neceſſitatibus premi, magnâ charitate ſubveniebat; ſubtrahendo, quantum poſſet ſalvâ vitâ, de ſuo, & reliqvum totum in miſeros partiendo. Quare de pane & appoſitis edulijs nunquam ultra dimidium abſumebat, æquâ cum pauperibus factâ diviſione: quò fiebat, ut nunquam penitus ſedatâ fame à menſa rediret. Atque his artibus plenum ſui dominium, & victoriam de carne obtinuit, habitúſque totâ Urbe pro homine ſancto; plurimos ad ſui imitationem pertraxit, in colenda præſertim DEI Parente, cujus beneficio omnia, quæ DEUS in ſe operaretur, adſcribebat.

Accidit interea, ut gravis negotij apud Regem Catholicum expediendi causâ, cogeretur Archi-Epiſcopus Saſſaritanus, Salvator de Alepus, vel ipſe Regiam accedere; vel capacem ſui loco Virum ablegare: quare ne Eccleſia per ſuam abſentiam damni aliquid pateretur, Joannem fruſtra reluctantem delegit, eidímque rebus ex voto compoſitis reverſo, opulenta Sacerdotia & Canonicatus obtulit: quos tamen ille efficaciter deprecatus, ſolitudinem ſuam & Hoſpitale repetijt. Inter permultas per hanc peregrinationem à DEIpara receptas gratias, & diſpulſa terrâ maríq; præſentiſſima pericula, ſingulare & prodigioſum fuit, quod redeunti per Catalauniam eve-

nit. Incidens enim in latrones, rebúsque omnibus exutus, nè Magiſtratibus ſceleſtos prodere poſſet, ad ſilvam deducitur, & arbori, mucronibus configendus, alligatur. Cepit hìc occiſores ſuos deprecari, ut copiam ſaltem ſibi facerent, abſque Sacramentis omnibus morituro, tantiſper DEUM orandi, & ſpiritum in manus ejus commendandi: tantúmque apud efferatos deprecatio potuit, ut genibus terræ innixum, brachijs nihilominus & pectore arctè arbori funibus adſtrinxerint, nè ſe commovere poſſet, ſpatio etiam orandi indulto. Tum ille oculis & animo ad Virginem Montis Serrati converſo, cœpit ardentiſſimè opem illius implorare, animámque ferro mox elidendam in manus ipſius commendare: & ecce repentè deprehendit ſe vinculis omnibus liberum, neminémque ex latronibus, cùm diu partes in omnes circumſpiceret, ampliùs præſentem vidit. Quare gratijs DEIparæ redditis, Montem Serratum properavit, ut novo Sacramento Virgini in ſervum ſe offerret: indéque per Barcinonem, navigio conſcenſo, Sardiniam repetijt. Neque diu ab reditu ſolitudine ſuâ perfrui DEIpara Joannem paſſa eſt, perpetuis ſtimulis agitatum, ut magis proximorum quærendæ ſaluti ſe impenderet; quò videlicet ſenſim ad complectendam Societatem tum naſcentem diſponeretur. Itaque hominibus ex Eremo ſua veluti reſtitutus, cœpit prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & privatis alloquijs, promiſcuè omnibus adeſſe: ſcholam quin adeò publicam Grammaticæ, in ſumma illa Inſulæ ruditate, de qua alibi dicetur, inſtituendis abs ſe pueris, aperuit; horis ità aptè ad ſingula miniſteria diſtributis, ut omnibus unus ſatisfaceret. Et quia major indè omnibus de ſanctitate Viri opinio crevit, certatim parentes omnes ſuos illi filiolos cõmittere amabant: quibus leges primariò ſervandæ propoſitæ erant; Beatiſſimam Virginem omni amore & veneratione proſequi: octavo quoque die ſacrâ confeſſione expiari. Et quia reliquis etiam virtutibus inſtillandis aptas pueritiæ adhortationes quâvis occaſione adhibebat, plurimi ex ea diſciplina ad varias deinde Religiones, præſertim ad Societatem, Magiſtri exemplo, ſe recepêre. Neq; contentus pueros ſibi commiſſos cœlo educare, ad parentes eorundem DEO lucrandos curam ſuam extendit; & tam hos, quàm alios permultos ex ordine ſeculari, & Eccleſiaſtico, ad ſeriam ſalutis ſuæ curam permovit. In his præcipui fuêre, Medicinæ Doctor Laurentius de Aliſa, à quo in Philoſophia inſtructus Joannes, illum viciſſim doctrinâ cœleſti utiliore imbuit: & Onufrius de los Montes Sacerdos, magnus deinde in Societate DEI ſervus: Joannes Pogio, in eadem poſtea Societate per Sardiniam Provincialis! & Joannes Petrus Antonius, ſingulari virtutis opinione in Madritano Collegio vitâ functus.

Neque interim juratus virtuti defuit adverſarius dœmon, cujus ignibus ſuccenſa perſona illuſtris, & amore viri, aſpectu, ſtaturâ, & compoſitione tota decori, capta, pedicas ejus caſtimoniæ fatales inſtruxit. Conſciam cupidinis ſuæ ancillam inſtruxerat, ut admiſſo in intimum conclave, velut ad confeſſionem ægrientis audiendam, Sacerdote, portam ſecurè obſeraret: quem nullâ ſiniſtrâ ſuſpicione ingreſſum, cœpit hæc omni arte, & muliebri fallaciâ ſollicitare, ut jam neque relicto in manibus Dominæ pallio effugere nudus cum Joſepho poſſet. Tentavit ille quidem ſummâ contentione mulierem ab inſania deterrere; ubi tamen nihil proficere ſe vidit, conclave circumſpiciens, advertit ad pedem lectuli poſitam ſeceſſui neceſſario ſedem; in quam cubito immiſſo, (quod idem à P. Oliverio Manareo, & P. Claudio Aquaviva factum legimus) faciem totam ſordibus ejus infecit; itáq; de Venere, neque aſpectum hominis tam ſordidè deformis ferente, triumphans diſceſſit. Gravior tamen paulò pòſt illi ſupervenit tentatio, cujus victor non tantùm evaſit ipſe, ſed & alios plurimos ad eandem gloriæ palmam feliciter evocavit. Dum Joannes ſummo conatu laboranti Patriæ opem ferre in educanda juventute ſtuderet, advenere Saſſarim è Societate P. Balthaſar Pinnas, & P. Franciſcus Antonius, auſpicando Collegio deſtinati, quod fundaverat Alexius Funtana Secretarius Caroli V. Cæſaris. Quos ubi Scholas Gymnaſticæ Juventuti aperire, & Societatis Inſtitutum per omnia deſiderijs ſuis congruere advertit, diſcipulis ſuis omnibus ad eaſdem ablegatis, Valentiam trajicere ad Hiſpanos decrevit, tum ut Theologiæ, quam necdum audierat, operam daret, tum ut receptum in eandem Societatem exoraret. Solvit in navigio ſub annum 1562. eóque (utì ſunt inſcrutabilia DEI judicia) pro Valentia, Algerium Maurorum in Africa Urbem, ad multorum infidelium ſalutem devectus eſt. Et videtur Dominus conſilium hoc ſuum Patrem minimè celâſſe; ſi quidem vitia nautarum grandi zelo fruſtra identidem reprehendens, imminentem à Mauris captivitatem veriſſimus vates illis minabatur: quorum piraticas naves è ſummo malo conſpectas,

ctas, ubi effugere labore cassо conabantur, ardentissimè omnes hortari cœpit, (erant enim vectorum plerique in flore ætatis, atque ideo magis de fide deserenda periclitaturi) ad eandem retinendam, mortémque pro ejus confessione subeundam. Certatum aliquamdiu acriter est, propugnantibus navigium fortiter Christianis; donec cum præcipuis militum cæso duce, spontaneâ deditione, Mahometanorum cessit potestati. Reliquis in vincula conjectis, sævitum præcipuè est in Joannem, quòd eum Sacerdotem esse intellexissent; quare fustibus & pugnis contusus, & vestibus ad usque indusium nudatus, in solis lineis tibialibus relictus est: cujus tamen misertus infidelium ductor, indusium restitui, pudori tegendo imperavit. Inclusus cum reliquis captivis angustissimo, ponè ipsam sentinam, angulo; parum abfuit, quin pædore loci & fœtore, indéque ortâ respirandi difficultate, emoreretur, prout aliquot ejus comitibus, in mare postmodum ejectis evenit.

Algerium ubi ventum est, productus vænum in forum publicum, magno quidem suo pudore, sed majore animi solatio constitit, quòd emptores ejusmodi mercium non priùs eas comparent, quàm corpus cum membris omnibus, ipsos adeò dentes, ùt in equis fieri solet, tentando perlustrent. Emptus ergo in mancipium cessit uni à Christianis apostatæ Mauro, homini crudeli & feroci, tantæque avaritiæ, ut ad exprimendum redemptionis peculium immanissimè captivos tractaret. Injectis utrique pedum gravissimis compedibus, certum in agris pensum laboris assignabatur quotidie, majus quàm perfici à debili, & rusticationi insueto posset: ob cujus nihilominus defectum, sub vesperam fustibus toties domi malè exceptus, somnum nuda in humo, vel communi captivorum ergastulo, incænatus capere cogebatur. Atque hæc sævi hominis immanitas toto triennio illi toleranda fuit, tanti ab eo æstimata, ut diceret deinde inter suos, non illam à se pro totidem mundis, cum suis omnibus lautitijs, quot in cœlo stellæ censentur, commutatum iri. Neque interim retinendæ suæ pietatis negligens fuit: dimidio namque noctis consurgens, preces consvetas Divini officij, & SS. Matris, constanter duabus horis persolvebat; inter diurnos labores meditandis cœlestibus ità occupatus, ut nunquam ab animo DEUM dimitteret. Idem quà monitis & hortationibus, quà Sacramento Pœnitentiæ captivis omnibus aderat, non sinè manifesto vitæ, si res emanaret ad Dominos, periculo: maximè cùm Renegatis compluribus (ità vocant à Christo ad Mahometem apostatas) auctor esset ad Fidem redeundi. Denique singulari industriâ comparato ad Divina celebranda mysteria apparatu, transegit cum alio Sassaritano adolescente captivo, Joanne Cordela, cui mitior herus obvenerat, ut sabbatinis diebus auxilio sibi esset ad labores agrestes, etiam pro Dominica assignatos, perficiendos; ut eo die Sacris in carcere operari, expiatos Christi corpore captivos reficere, concionem habere, & cum Renegatis agere posset. Quam adeò egregiam Cordelæ charitatem DEUS munificè expendit, liberum jam à captivitate in eandem Societatem vocando, in qua Coadjutoribus temporalibus accensus, maximâ sanctitatis opinione Sassari decessit. Atque hæc omnia tantâ egit cautelâ, ut nihil unquam hero suo, à quo alioqui certum illi exitium iminebat, suboluerit: fatentibus post sui redemptionem captivis, nisì Patris auxilio & solatijs adjutos, calamitatum intolerantiâ, fuisse proculdubio ad Mahometem defecturos. Præter hos in Fide Christi servatos, longè major eorum fuit numerus, quos è Renegatis Ecclesiæ restituit, & securè ad Fidelium regiones promovit: datis undequaque ad Fidei Inquisitores literis, ut paternâ benevolentiâ & lenitate reciperentur: suæ interea sortis ità incurius, ut attento singulari in tot perditis animabus per suos conatus profectu, optaret nunquam pristinæ libertati restitui.

Nihil verò majore curâ captivis inculcabat, quàm fiduciam & pietatem in SS. Virginem, ut ejus Rosarium dicerent quotidie: útque efficaciùs id persvaderet, retulit in concione quadam multos sibi ab ea præstitos per idem tempus favores; narrando etiam visibilem sibi apparuisse multâ luce & gloriâ, cùm eandem ipsius honori coronam nocte pertexeret. Magìs autem particulares circumstantias recensendo uni è confidentioribus, Gavino del Frasso, addidit, eandem SS. Matrem attulisse tunc sibi copiosum Rosariorum numerum, in singulos captivos partiendum: è quibus unum Gavino tradens monuit, ut quotidie devotè idem absolveret, fore enim, ut præmij loco libertatem certò consequeretur, quod & evenit. Nec minùs admirandum est, quod cum eodem adolescente Gavino Patri accidit. Cùm enim ceteris crudeliùs à Mauris haberetur, & plagis dirè vexaretur, ut ad Mahometem deficeret; tandem animo fractior induci passus est, ut die quodam Turcarum vestitu incedere admitteret, indutus tunicam purpuream auro intertex-

tam, & trabeam cum chlamyde argenteam. Incidit fortuitò in juvenem ità ornatum Pater, graviterque reprehenso atrocitatem facinoris adeò vivaciter ob oculos posuit, ut vestem humi abjectam pedibus generosè calcaret. Damnatus eâ causâ ad ducentos fustigationis ictus, ipso pene motu exanimabatur: sed solatus illum Sacerdos, DEI nomine spopondit, nullum dolorem exinde, neque deinceps ab ullis verberibus percepturum: ídque ità penitus sibi evenisse; juratus postmodum Gavinus asseruit.

Verùm placuit Numini, servum tot adversis probatum, cum copiosa præda servituti dirissimæ modo prodigioso eripere. Erat Algerij inter Cives primarius, & prædives Renegatus, patriâ Italus Genuensis, in copiosa familia magnum è Christianis mancipiorum censens numerum; à quibus multa de sanctitate Patris inaudiens, cœpit secretis colloquijs cum Viro agere; paucísque vicibus, movente conscientiam hominis Divinâ gratiâ, miserabilem suum statum, & animæ discrimen exhorrescens, constituit Fidem, adeò turpiter à se negatam profiteri. Sed res erat plena periculi & difficultatum: uxores, Turcarum more complures, cum majore prolium habebat numero, divitijs & delicijs super alios plerosque affluebat; & hæc omnia perpetuâ egestate commutaret? sed neque via apparebat seu solitario, seu cum charissimis prolibus ad Christianas partes evadendi, ob sagacissimas speculatorum in portubus ubiq; dispositas vigilias. Quæ omnia cùm Patri considerandа aperuisset, hic verò DEI nomine expeditissimam illi ad effugiendum, securámq; viam complanatum iri respondisset, ante omnia Patrem ab suo hero veluti in mancipium redemit; interim verò tanquam patrem animæ suæ liberaliter habuit, multa super fuga sua, & evadendi modo, jam integrè Christianus, consultans. Aliquot interea lapsi fuêre menses, quos nè otiosus in sua libertate transigeret Pater, institit clandestinè cum plerisque Renegatis agere, è quibus magnum numerum Christo conciliatum, in Hispaniam & Italiam, mirè securitatem præstante DEO, remisit. Advenit interea destinatus consilio Patris profugij dies, ad quem comparari capacius jusserat navigium cum velis: quod ubi adfuit, subductis quæ pretiosissima habebat, primariam & charissimam uxorum, cum prolibus omnibus & mancipijs Christianis, ad transtra remigaturis, in eam eduxit, velut animi & aëris recentis captandi causâ (declinabat enim in vesperam dies) otiosè per littoris contermina oberraturus. Negotio ex voto succedente, & nemini subortâ suspicione, quòd sæpius fortè aliàs id genus remissionis, more istic non inusitato, Civis idem captâsset; otiosè vagabatur navis per placidum æquor in littoris conspectu, donec vesper ingrueret; sub cujus crepusculum excusans apud uxorem ventum contrarium, necesse asseruit præstolari tantisper securiorem receptui auram. Cadentibus interim plenæ noctis tenebris, littoralium prospectui ereptam navim jubet pansis velis omnibus Hispaniam versùs propelli; cui Dominus ob merita sui Sacerdotis ventum ità faventem concessit, ut die sequenti Majoricam insulam incolumis teneret. Indè navigatum est Genuam, Renegati patriam, ubi postquam illum Pater cum tota felicissimâ familia, & captivorum cohorte, Archi-Episcopo stitit, ipse gloriosâ veluti pro DEO legatione perfunctus, in suam redijt Sardiniam.

Nec mora, recentibus quasi ex tanta calamitate ad novos labores acceptis animis, quò majore perfectione animarum procurationi vacaret, Societatem ardentibus votis expetijt, receptus ad tyrocinium A. 1566. ætatis 40. in quo ea virtutum heroicarum de se præbuit exempla, ùt à suo Magistro Francisco Antonio, qui postea Mariæ Austriacæ Imperatrici in Germania fuit à confessionibus, Vir sanctitatis consummatæ haberetur, & ab obitu tanquam unus è Cælitibus invocaretur. Exactissima regularum observantia, quasi ex naturali inclinatione promanans, omnibus erat exemplo, siquidem nullam unquàm vel minimam violâsse notatus est; omnium tam æqualium quam Superiorum testimonio, nullius quomodolibet culpabilis defectûs; spatio 42. vitæ Religiosæ annorum reus deprehensus. Theologiæ postmodum studijs, ut tantò aptior juvandis proximis evaderet; admotus, & ad vota spiritualium Coadjutorum admissus, totum se prædicationi, & confessionibus audiendis addixit: in quibus, aliísque proximorum ministerijs, singularis semper in illo resplenduit charitas, tam in Collegijs, quam in plurimis, quas indefessè obivit, Missionibus. Promptissimus enim quavis diei noctísque horâ erat pænitentibus excipiendis, etiam octogenario major, foris & in templo, in nosocomijs, carceribus, omni hominum generi, pauperibus tamen majore inclinatione quàm honoratis; eósque maternâ quâdam svavitate tractabat, senis septenísve horis manè, nec ferè paucioribus à meridie, in confessionario venientes præstolans; & si multi-

multitudine premeretur (quod plerique ad eum velut hominem sanctum accurrerent) prandij cœnæq; immemor, eodem loci ad tenebras perseverabat. Porrò sermones & colloquia omnia, privatim & publicè, dirigebat ad animarum profectum, nunquam alia de re verba faciens, nisi de DEO, fuga vitiorum, & virtutum exercitio, cultu SS. Virginis, & meditanda Christi Passione, quibus admirandas animorum mutationes ubique faciebat, extirpatis inveteratis odijs, proscriptis vitijs, & quàm plurimis ad eminentem perfectionem provectis. Ubicunque verò ageret, præsentissimum erat pauperum refugium, deque uno ad aliud hospitale cursitabat, omnium pater & nutritius, eleemosynis tam largis subveniens, ut quò major egentium & miserorum cresceret numerus, eò plura Patri affluerent dispertienda. Ex quo constans omnium fuit opinio, necesse omnino esse, ut in manibus tàm sanctis prodigiosè crescerent eleemosynæ, quarum nullus unquam defectus notaretur, licèt id pro sua humilitate ipse celaret. Inter hæc tamen eminebat, & humanâ major videbatur, potestas in animos hominum, & quædam cælestis, omnes angores, tristitiæ nebulas, & perturbationes dispellendi; ut nemo quantumlibet perplexus ab eo recederet, nisi redditâ menti serenitate consolatus. Denique omnis ejus cibus, quies, & refocillatio, sita videbatur in animarum procuratione, quarum studio in Missionibus ità diu noctúq; absorbebatur, ut ad capiendum cibum somnúmve adduci non posset, nisi violentè abstractus. Quæ res permovit Illustrissimum Virum Joannem Moros de Molinos, Gubernatorem Regionis, culturæ Patris tum commissæ, ut vicariam à Superioribus Societatis potestatem Patri imperandi, ipsíque necessitatem obtemperandi, in rebus ad valetudinem ejus servandam pertinentibus, postularet: quâ concessâ, eam Pater in parendo exhibebat, quovis negotio abrupto, promptitudinem; quâ majorem ipsímet Christo imperanti nequivisset.

Atq; id ab illo extorquebat profundissima sua humilitas, quâ omnibus se subjiciebat, hominem nihili se reputans, quem ab omnibus despici, contemni, & proculcari oporteret: virtutes suas & DEI dona, quantum posset, ab oculis hominum occulta servabat; neque gravius accidere poterat, quàm si publico aliquo testimonio Divina Majestas sanctitatem suam palàm faceret Nam cùm frequentiùs sub Sacrificio, vel oratione, impetu spiritûs in altum à terra levaretur, obnitebatur ipse quoad posset, manibus & pedibus conatus in terra corpus retinere; summo rubore perfundi se demonstrans, si hæc in aliorum oculis sibi evenirent. In vilissimis domi obsequijs primas semper obtinebat, gradu Coadjutorum Spiritualium mirificè contentus: & in primordijs Collegij Algveriensis (inter cujus Fundatores & ipse censebatur) habitationem elegit in vetusto stabulo, obscuro & fætido, ex quo tamen prodibat nunquam, nisì dum juvandis proximis necessitas evocaret. Sed & aliàs extrema semper pauperies in ejus enitebat cubiculo, cujus tota supellex erat permodica mensula, lectulus, & sedes lignea; quibus tamen vix unquàm utebatur, noctibus humi cubans, & per diem nunquàm non deprehensus genibus humi nitens, vel stans ante imaginem Christi cruci affixi, & urceum aquæ lustralis, contra perpetuas dæmonum infestationes. Supellex libraria consistebat in vetusto Breviario, sacris Biblijs, vitis Patrum antiquorum, quas terebat assiduè, vel librum quempiam de contemptu mundi. Vestitum novum aut commodiorem admittebat nunquam; neque hyeme pluribus quàm æstate induebatur: cibi omnis ità parcus, ut in ultima etiam ætate, & morbis gravissimis, refocillari aliter vix ferret, quàm pane in aqua calida macerato, cúmque micis contriti casei permixto, qui mendicis usitatus ibi est cibus. His adjecit perpetuam internorum & externorum sensuum refrenationem, ut oculos in nullius unquam vultum, aut rem quampiam videndam levare notatus sit, humi constanter in publico defixos retinens, quasi in nullum sibi usum, quàm ad viam gradienti demonstrandam, forent. Postremis vitæ 20. annis omni cum domesticis à mensa colloquio, & quavis animi relaxatione abstinuit, in oratione cum DEO tempus illud traducens; auribus ad omnem humanam conversationem, nisì quam cum proximo de DEO movebat, obseratis. Cilicium admodum asperum cùm poneret nunquam, & vestitus semper cubaret, scatebat mordacibus vermiculis; quos tamen enecare aut depellere non sustinens, si foras in vestitum ereperent, denuo in sinum reponebat. Flagellis in corpus diu noctúque acriter sæviens, nervum etiam bubulum in verbera adhibebat, ictibus haud lenioribus, quàm à Mauris in captivitate expertus esset. Animi potentias omnes Superiorum placitis perfectè subjecerat, neque ullis dæmonum machinationibus ab exactissima obedientia abduci patiebatur. Altâ nocte aliquando, omnibus jam ad quietem compositis,

positis, evocatus à Fratre Janitore, Rectoris nomine (is erat P. Joannes Franco, pluribus annis Sassari Superior) illico accurrit; à quo, negante suo imperio evocatum, redire ad quietem jussus, suspicari cœpit à dæmone vexationem prodire: nè tamen in obediendo vel tantillum deficeret, obstinatus etiam dæmoni, dum Superioris nomen interponeret, parere, iterum in ejusdem Fratris persona ad Rectoris conclave accersitus, continuè festinavit: cùm hic perinde ac priùs abnueret, evocari jussisse. Certus jam diabolicæ illusionis Pater, nihilominus tertiò, ferè post bihorium ab eodem excitus, pari alacritate provolavit; jussúsque à Rectore adducere Fratrem, qui toties mendaciter Patrem suo nomine interpellâsset, Janitorem stitit; sed cùm is sanctè asseveraret, nunquam eâ nocte pedem cubiculo extulisse; intellexit Rector, dæmonis fallaciâ Patrem turbari: præcepítque, nè imposterum, etiam suo nomine cuipiam noctu evocanti, pareret.

Orationis studium toto vitæ decursu semper illi in præcipua cura fuit; cui, vel lectioni spirituali, omnes diei & noctis horas, à laboribus Apostolicis, & brevissimo somno vacuas, tribuebat: cœlestibus in ea illustrationibus & favoribus à DEO mirè cumulatus, quas testabantur frequentes ecstases, & corpus à terra sublimè in aëra levatum. Neque tamen in medijs etiam laboribus, & actione cum proximo, tractatus cum DEO intermittebat, quem semper ubique præsentem ferebat in oculis, in lingva, ut neque sciret aut posset nisì de DEO sermocinari. Eóque processit cum DEO agendi familiaritas, ut sæpissimè Dominus oculis ejus visendum se præberet, & svavissimo colloquio dignaretur: in Missa præcipuè, in qua sub Consecrationem diversis formis spectabilem se exhibebat. Dicenti aliquando Missam, proximè ad aram assistens persona DEO devota vidit illum Hostiam sacram jam jam sumendam digitis complexum, toto vultu incendi, ac velut extra se rapi, singultire, lacrymis infundi, & toto pectore subsultare, spatio ferè unius horæ quadrantis: tandémque dicentem audijt: *Domine non ausim te recipere, nisì ad speciem priorem Evcharistiæ redeas*: post quæ magnâ quiete Hostiam sumpsit, & altero horæ quadrante immotus penitus duravit. Sacro finito, eadem persona evocato ad confessionale Patri, quæ vidisset audissétque narravit: quibus ille pudore suffusus, & ex proprijs verbis proditum se, ità permittente DEO, videns, subjecit: DEUM infantem sibi vivâ specie pro Evcharistia in manibus apparuisse, dixisséque: *quare me non recipis?* ideóque se respondisse: *Domine non ausim te recipere, nisì ad priorem formam redeas.* Aliàs eadem sacrificanti præsens, vidit illum post sumptam Evcharistiam à terra elevatum, atque ab ejus ore radium tanti splendoris emicantem, ut illius lucem ferre impotens, oculos obtegere cogeretur: quod ipsum ubi deinde Patri retulisset, respondit, radium hunc non ab suo ore, sed à Christi præsentis Divinitate, qui splendor est Paternæ gloriæ, dimanâsse. Iterum verò cùm Sacrum publicè in copiosa hominum multitudine diceret, dicto ante ipsam Communionem: *Domine non sum dignus*, aliquamdiu suspensus hæsit; ac tum magnâ omnium admiratione, subitò altâ voce, JESUS, JESUS, JESUS! exclamavit; subjecítque paulò pòst: *Domine obsecro, redi ad formam priorem, quia non sum dignus, neque possum ità te sumere!* Atque ejusmodi apparitiones fuêre perfrequentes, in quibus modò patientis formâ, vulneribus concisus Dominus se illi in sacra Hostia exhibebat, modò gloriosus: prout facilè colligebatur ex verbis & affectibus interim in ipso notatis: tantáque luminis vis aliquando ab ejus ore, dum ad populum conversus precaretur *Dominus vobiscum*, erupit; ut casula, quâ induebatur, viridis coloris, planè candidum videretur induisse. Aliàs verò in ecstasim sub Sacrificio abreptus, durabat in eadem pluribus horis, ut nullatenus ad sensus revocari posset, & pœnitentes illum ad confessionalis sedem præstolantes, domum vacuos redire oporteret. Sanè à Patris morte in juridico processu fuêre diversi jurati testes, quorum aliqui decem & pluribus vicibus sacrificanti Patri præsentes, ejusmodi prodigiosos eventus notavêre. Qui verò litanti de Societate ad altare servivêre, advertebant quasi ordinariè, cùm reliquo Missæ tempore senilia membra vix sustineret, à Consecratione tamen SS. Sacramenti usque ad Communionem, vix summis pedibus insistere, & non rarò toto corpore ab solo levari.

Ex tam arcto cum Divina Majestate commercio, varia cordium secreta, procul dissita, & futuros eventus, tanquam si præsentes intueretur, prædicebat. Quædam famula DEI ægritudine gravi prostrata, vidit nocte quadam vigil & experrecta, more, quo ad ægros solenniter portatur, in domum ubi jacebat, inferri SS. Sacramentum: & cùm neminem præter se domi ægrotare sciret, non parum visione hac perculsa, existimabat imminentem sibi mortem eâ prædici. Invisit eam manè sequen-

ſequenti Pater confeſſionem excepturus, quæſivítque ultro, num eâ nocte contigiſſet eam metu percelli? affirmantem verò juſſit timorem ponere, neque enim ſpectaculo viſo ejus mortem portendi, ſed alterius in domo perſonæ, tum quidem integre ſanæ, ſed paulò pòſt repentino obitu extinguendæ. Attonita mulier hærebat, unde viſio, de qua nemini mortalium quidquam aperuerat, Patri innotuiſſet? ſed ille ultrà quærebat, num perſonam cognoviſſet, ad quam delatum eſt SS. Sacramentum? & neganti ſibi ejus videndæ copiam fuiſſe indultam, eò quod miſſus à Sacerdote unus Acolytorum oculos ſibi clauſiſſet; unde ſolùm licuiſſe audire dici de more ante communionem uſitato: *Domine non ſum dignus. Bene mihi nota eſt perſona illa*, ſubjecit Pater, *ſed non expedit nunc à te ſciri*; perrexítque circumſtantias omnes, & ſeriem viſionis pertexere, ac ſi & ipſe præſens affuiſſet; declarans Sacerdotem SS.Sacramenti bajulum fuiſſe ipſummet Chriſtum Dominum, Miniſtros autem ceroferarios, & odoribus tam admirandis Evchariſtiam incenſantes, extitiſſe Angelos, *quos nónne advertiſti*, inquiebat, *longè aliâ reverentiâ SS. Sacramento adſtitiſſe, quàm ſoleant homines?* explicando ſimul fulgentiſſimam lucem ex vultibus eorũ promicantem, & cæleſtem ſymphoniam, quâ illud proſequebantur, licèt ipſa neſciverit, an hæc intra domum, an foris exhiberentur. Tandem verò & myſterium viſionis illi aperuit; quòd videlicet una è domeſticis perſona, multum DEO accepta, paucis diebus morte ſubitaneâ deceſſura eſſet, quam tamen ſinè Sacramentis minimè obituram, viſio ſignificaverit. Et ecce paulò pòſt ædium Domina, Clara Saſſo, mulier eximiæ virtutis ex tertio Ordine S. Franciſci, in Templo Collegij, SS. Sacramento refecta, in reditu domum deliquijs obruta, ſpatio duarum horarum animam efflavit; ingenti ægræ illius ſolatio, quòd ex Patris prædictione certa eſſet, ſanctè vitâ functam, quæ ſibi in vivis matris loco fuiſſet. Philippa de Cervellon, Comitiſſa de Sedilo, magnâ triſtitiâ opprimebatur, credens maritum ſuum Bernardinum de Cervellon, Genuæ extinctum, quò gravis invaletudinis curandæ causâ diſceſſerat, & nihildum nuncij ad conjugem remiſerat. Itaque cùm dolorem ſuum Patri, quo ad confeſſiones utebatur, explicuiſſet, vetuit ſollicitam eſſe, Comitem enim optimè valere, neque ampliùs Genuæ moram ducere; quæ etiam cauſa eſſet, cur nihil ad eam literarum veniret. Paulò pòſt nuncius advenit, qui dicta Patris, redditâ à marito epiſtolâ confirmavit, quòd optimâ utens valetudine Mediolani ſubſiſteret. Simillima huic fuit altera prædictio, facta Comitiſſæ de Elda, cui de vita abſentis conjugis, Sardiniæ Pro-Regis, ſummopere anxiæ, timorem omnem ſuo de illius incolumitate vaticinio exemit.

Inviſenti aliquando Patri nobilem matronam, occurrit una è pediſſequis juvencula aquam è fonte deferens; hanc Pater in Dominæ præſentia acriter objurgavit, & exprobravit certas petulantias, & vitæ ſolutioris actiones, quibus in æternum exitium traheretur: atque hæc dicendo, lacrymis ubertim infundebatur. Replicuit procaciter illa, quærens, unde hæc talia ipſi innoteſcere poſſent? faſſa nihilominus ab ejus diſceſſu domeſticis, vera ſibi à Patre fuiſſe objecta. Neque deinde apud Heram celavit Pater, ad lacrymas ſe idcirco adactum, quòd prævideret perditam puellæ vitam, & lamentabilem exitum: prout etiam evenit. Reductam à pellicatu mulierculam quidam Societatis Sacerdos matronæ gravi commiſerat, cujus exemplis & monitis in bene cœptis, & Sacramentorum frequentatione perſeveraret. Neque hæc expectationem demonſtrationibus externis fallebat, prolixis orationibus, pœnitentijs, & flagellis voluntarijs ipſam Heram exuperans, ut hæc illius conſortio exultans apud Patrem Sebaſtianum ſibi multum gratularetur. Verùm errorem credulæ detexit Pater, fictè hæc omnia à Veneris mancipio ſimulari aſſerens, quæ pro corpore ſuo parietinas flagris verberaret. Hæſit attonita mulier, unde id Patri compertum foret, cùm nihil ejuſmodi à quoquam domeſticorum adverſum eſſet? verùm ſecretò obſervatâ mulierculâ, verum dixiſſe deprehendit, & perfidam domo ejecit. Quidam Societatis Frater de ſe teſtatus eſt, cùm adhuc in ſeculo ſcholis operam daret, veniſſe ad confeſſionem Patri Sebaſtiano faciendam, in cujus decurſu injecto repentè à dæmone pudore, certum peccatum omiſiſſe. Verùm finitâ peccatorum enumeratione monuit Pater, ut adderet peccatum, quod adhuc occultum retineret, *vide*, inquiens, *fili dæmonem tibi retro adſtantem, & pallium contorquentem, nè confitearis peccatum, quod reticuiſti.* Hæſit attonitus horrore juvenis, vidénſque Patri ſecretum ſuum cœlitus revelatum, lubens jam volénſque aperuit. Perſona quædam pietati & virtuti addicta, certum domi ſuæ laborem circa medium noctis proſequebatur; cùm repentè in conclave moloſſus ingens & nigerrimus irruit; eámque, priuſquam ad aquæ luſtralis

ſtralis urceum procurreret, humi ſtravit, ſemianimi in deliquio relictâ, ut aliquot deinceps diebus domo egredi nequiret. Reſtituta ſibi Collegium illico petijt, & non reperto ſuo Confeſſore, Patri Sebaſtiano peccata aperuit, nullâ casûs iſtius factâ mentione, quem ordinario Confeſſario reſervabat. At is ultro infeſtationem à cane nocturno illi objecit, aſſerens dæmonem ſub ejus ſpecie fuiſſe: monuítque plures impoſterum ejuſmodi inſultus ab Orco paſſuram, à quo & ſplendores illi prodirent, ſæpius in ejus cubile per feneſtras noctibus illabi ſoliti: ſed confideret in DEO, aſſiduâ oratione certam ſemper de hoſte victoriam relatura.

Matthæus de Campo, honoratus Saſſari Civis, Patríque Sebaſtiano cognatus, in eam multo tempore incidit animi triſtitiam, ut in conclave ſe abdens toto triduo & quatriduo neminem ad ſe admitteret, proximúſque maniæ à Medicis crederetur. Afflictiſſima cum prolibus conjunx, Sebaſtianum remedij causâ accedit, qui maritum, dum profundiſſimâ melancholiâ opprimeretur, ad Collegium adducit, ſuóque cubiculo ad plures horas includit, ardentiſſimè interim DEUM pro hominis incolumitate precatus. Redeunti ad cubiculum ille mirè hilaris, receptâ plenâ animi ſerenitate occurrit; redúxque ad ſuos, nunquam ſatis Patris ſanctitatem deprædicare potuit, qui omnes melancholiæ ſuæ cauſas, & cogitationes intimas quaſvis ſibi recenſuiſſet, & orationis efficaciâ univerſas ſimul veluti ſpongiâ è mente abſterſiſſet. Erat eidem Matthæo filius immorigerus, refractarius, planéque dyſcolus, unde magnus erat Parentibus metus, nè publicam honoratæ familiæ aliquando infamiam conſciſceret. Verùm ſolatium præbuit mœſtis Sebaſtianus, aſſerens brevì in aliam terram navigaturum filium, ex qua nunquam rediturus eſſet, neque ipſi quidquam deinceps de illo audituri: utì re ipsâ evenit. Matrona quædam gravem à Confeſſario ſuo offenſam, præter omnem ſpem paſſa, in ancipiti negotio, quod illi ſecretò confiderat, nullum ſibi reſtare credebat remedium vel ſolatium: hanc Pater Sebaſtianus, ubi ſuum confeſſionale acceſſit, priuſquam verbum ullum proferret, aut ſigno aliquo dolorem demonſtraret, prior affatus: *quid times Domina? ait, & cur adeò affligeris? bono animo eſto, negotium quod te angit, exitum habebit quem maximè deſideras.* Obſtupuit illa, unde cordis ſui ſecretum Viro innotuiſſet? multóque magìs, poſtquam die altero vidit eventu optatiſſimo completum, quod Pater pridie prædixerat, cujus meritis & precibus id ſibi conceſſum nullatenus ambigebat. Ipſam quin adeo captivitatem ſuam à Mauris divinitus præſcivit, prout uni ſolvere eâdem navi in Hiſpaniam cupienti prædixit, diſſvadens nè tantæ calamitati ſe expoſitum iret: cujus tamen ipſe penitus incurius, ſponte ſe diſcrimini objecit, charitate in proximũ incitatus, ut captivis inter Mahometanos, quantovis ſuo malo, prodeſſet.

Gavinus de Campo germanus Frater Sebaſtiani, tribus lethalibus haſtæ ictibus ſaucius, fruſtra Medicorum & Chirurgorum tentatâ curatione, morti & ſepulchro neceſſaria omnia, Sacramentis ultimis munitus, paraverat: cùm accitus ad morientem Sebaſtianus, varijs ſpiritûs ſolatijs erectum, juſſit bono animo eſſe, neque enim hac vice deceſſurum, ſed ope SS. Virginis, cui peregrinationem ad Montem Serratum voverat, ſanandum. Mirari omnes adeò abſolutam & ſecuram vitæ, homini deſperato ſponſionem, quam tamen in corpus redire illico ex dolorum remiſſione perſenſit æger. Venêre interim ad religanda vulnera Chirurgi, odoramentis adversùm effluentis puris fætorem armati; quibus cùm æger conſtanter ſe planè ſanum, & doloris expertem affirmaret, illi rem cominus exploraturi, ligamina ſolverunt, & ecce vulnera omnia penitus occluſa & conſanata apparuêre, omnibus miraculum evidens acclamantibus; quod Pater Sebaſtianus Divæ Matris patrocinio, reliqui autem Patris meritis & precibus imputabant. Admovendum erat à Chirurgo Matronæ nobili, ſpirituali P. Sebaſtiani filiæ, ignitum ferrum, ad impediendos noxios defluxus; cujus illa ingenti timore & horrore, ùt mulieres ſolent, percellebatur, ideóque Patris precibus ſe commendaverat. Fecit Pater accuratè quod rogabatur: cúmque Chirurgus vicibus quatuor candens ferramẽtum non leviter affectæ parti applicuiſſet; ipſa tamen nullum penitus ejus ſenſum aut dolorem percepit, perinde ac ſi alienum corpus, aut marmor adureretur. Aliàs eidem, ſtomachi doloribus & nauſeâ ad mortem ægrotanti, ut cibi nihil retinere poſſet, auditâ ejus ſupremâ confeſſione prædixit, S. Gregorij patrocinio, cui ſe devoverat, abſque dubio ſanandam. Et ecce vix à moribundæ domo pedem extulerat, cùm illa ægritudinis omnis expertem ſe ſenſit, valénſque è lectulo conſurrexit. Eadem deinceps annis pluribus lectulo affixa, ex malo Medicis incognito, nunquam cubiculo egredi poterat; donec vice quadam miſeram reviſens Pater quæſivit, an

ſana

ſana fieri vellet! affirmantíque in ſummis id votis ſibi eſſe; ſubjecit: bono, bono animo eſto! Quo dicto, animum intra ſe, veluti pro ægra DEUM oraturus, aliquamdiu recolligens hæſit; at interim miſera veluti vocem ſe ad exurgendum incitantis audire videbatur, conſurge, conſurge! cúmque diu obluctaretur, conſcia invaletudinis, quâ dudum pedibus conſiſtere nequibat: tandem vehementiâ impulsûs victa, corpus non tantùm facillimè levavit, ſed & liberè quolibet progredi per urbem potuit. Clara Zunniga de Pilo, Matrona illuſtriſſimi ſangvinis, excelſæque virtutis, graviter auribus affecta, ſummè dolebat, quòd præſertim neque Sacerdotem in confeſſione ſe alloquentem, neque ad aram ſacrificantem, perciperet: quare die quopiam Patri Sebaſtiano confeſſa, inſtanter expetijt, ut pro ſe DEUM precaretur, & ſanctum Evangelium ſuper malè affectum auditum recitaret. Fecit id illico Pater per confeſſionalis cancellos: ex quo eadem ad altare digreſſa ut Miſſam audiret, continuè depulsâ ſurditate, ſingula celebrantis Sacerdotis verba percepit, ac deinceps belliſſimô & conſtanti auditu uſa eſt. Multa alia id genus prodigiosè per illum patrata memorantur, quæ brevitatis ſtudio omitto.

Quantò autem liberaliùs ſua in P. Sebaſtianum dona effundebat cœlum; tantò infeſtior technis & armis ſuis orcus illum proſequebatur; & quidem apertè & viſibiliter multis verberibus afficiendo, & varijs formis belluarum, ſpectrorúmque infernalium exterrendo. Ità noctibus pleríſque audiebantur à vicinis in cubiculo Patris immanes rugitus, ictúſque reſonantes plagarum, & catenarum tractus, vocéſque illius poſt multos gemitus dœmonibus inſultantis: *agite quod DEUS vobis permittit, ego enim ad omnia ferenda paratus ſum.* Unâ vice omnibus jam ad quietem digreſſis, is qui contiguum Servo DEI cubiculum incolebat, orandi an ſtudendi causâ lumen retinuit, ad quem paulò pòſt ſuam accenſurus lampadem, quòd eam dœmon extinxiſſet, acceſſit; cúmque id ſecundò & tertiò faceret, miratus hic quî toties Patri lumen periret, explorare per ſe ipſum voluit. Igitur egreſſus, dum januæ ipſius appropinquat, audit vocem ſeſe inclamantis: reſeratáque portâ, reperit Patrem utrâque manu fortiter ad eandem januam ferro adſtrictum, ut nullatenus ſe liberare poſſet. Quærit proinde: *quis ejus crudelitatis auctor eſſet? nihil refert,* reſpondit Pater, *te ſcire, quis ferrum mihi injecerit, ſed ut hoc me abſolvas.* Et dicito priùs, inſtitit alter, *ſceleris auctorem, ſi ſolvi à me deſideras:* ursítque eouſque Patrem, dum eum proderet dicens: *illa beſtia hoc fecit,* Aliàs verò tantâ crudelitate fuſtibus, raptationibus, in ſenem deſæviebant, ut ſemimortuus remaneret. Accidit ſemel, ut Collegium accederet homo ex civitate Confeſſarium pro ægro poſtulaturus, ad cujus januam audiens immanem cieri ſtrepitum & tumultum, obſervare cœpit per ejuſdem foramen craticulâ obductum, quid intus ageretur? & ecce videt Patrem Sebaſtianum à quatuor ferocibus Mauris raptari, & pilæ inſtar jactari ab una parte in alteram, & modò alliſum ſolo calcari, modò pugnis, fuſtibus contundi, tantâ furiâ, ut ſemianimis Pater exclamaret: *finite me, neque enim amplius quid in me DEUS vobis conceſſit.* Hæſit aliquamdiu attonitus atroci ſpectaculo ad januam explorator, ignarus quid rei ageretur; tandémque cupiens Patri ſuccurrere, proprio illum nomine compellavit. Verùm eodem momento tantus hominem pavor & horror invaſit, ut præcipiti fugâ domum ſe proripuerit, plures dies loquelæ, & pene omnis ſenſus expers; donec ſibi reſtitutus, quæ viderat, alijs enarravit. Nonnunquam Fratris Janitoris mentito vultu, ad diverſa agenda, vel ægros inviſendos, qui tamen nulli ædibus deſignatis erant, Patrem evocabat: modò ipſius Superioris perſonam aſſumens, ejectionem de Societate illi intentabat: quo nihil graviùs primis vicibus Servum DEI percellere poterat; ſed deprehenſo aſtu dœmonis, tantò validiùs in Religioſæ vitæ propoſito fixum ſolidabat. Aliàs equi ſpecie, vel aſini, calces Patri illidebat, quem tamen unicâ hac voce abegit: *quâ ratione factum eſt, ut tam ſpecioſus quondam & ſuperbus Angelus, in turpem adeò formam degenerares?*

Sed neque in Miſſæ Sacrificio quietem, & fraudium ſuarum immunem patiebatur, partim Miſſale ab ara auferendo, vel in terram dejiciendo; partim indices, quibus dicenda in Sacro annotaverat, perturbando. Semel iter agentem lapidare aggreſſus, denſum adeo ſaxorum imbrem depluit, nemine advertente unde, vel quo auctore jacerentur, ut Pater toto corpore concuſſus, fractis veluti oſſibus humi procumberet: cùm tamen præter ingentem ab ictibus dolorem, nulla plaga noxáve in membris remaneret. Algverij autem ad vindemiã miſſus, dum uvas colligentibus, monita ſalutis quaſi per otium inculcat, exortus repente ſereniſſimo cœlo vehemens turbo, cœpit domûs Vineæ feneſtras & portas ingenti ſtrepitu concutere, tantúſque inde mu-

mugitus audiri, quasi domus tota à fundamentis subrueretur. Jussis nihil indè sibi metuere operarijs, sed intrepidè laborem prosequi, ipse domum ingressus est; unde mox cœpêre audiri plurium dissonæ voces, quasi invicem exprobrantium & contendentium, dum magno clamore oggereret Pater: *quid tibi hoc loco vis bestia infernalis? quid quæris? facesse hinc.* Quæsiêre de hinc operarij, unde tantus ille domûs tumultus? quísve illius concitator? verùm Pater aliud non reposuit, quàm hortando, ut labori suo intenderent. His aliísque innumeris modis per totam Religionis vitam à dœmonibus vexatus, continuum pati videbatur martyrium, à quo tamen nunquam liberari à DEO postulavit, sed magnâ hilaritate & gratiarum actione sustinuit, licèt alios à simili infestatione unicâ oratione liberaret. Ità personam quandam ijsdem spectrorum afflictionibus subjectam solaturus, magnopere hortatus est, ùt potiùs gaudij inde materiam sumeret quàm doloris, neque ab ijs liberationem, sed patientiam magìs ad perferendum exoraret: *ô si scires*, adjiciens, *quàm atrociter quendam mihi optimè notum persequantur infernales hæ larvæ! quàm crudeliter contundant, vinciant, consputent, proculcent! & tamen semper recedant victi & confusi.* Quia tamen eadem persona post quadriennij in ejusmodi certamine tolerantiam, fragilitati suæ diffisa, ab eo eripi precibus Sebastiani cupiebat, fusâ ad DEUM oratione plenam quietem afflictæ conciliavit. Sed & aliàs mirum in dœmones exercuit imperium, neque solùm in vita locis varijs, & corporibus obsessorum potenter exegit; sed & à morte terrori fuit, ut nullibi auderent consistere, ubi quidpiam ex ejus reliquijs haberetur. Expertus est id Vir pius, in quem totis subinde noctibus crudeliter sævire consveverant; ubi tamen frustillum de solo vestitu Sebastiani collo appendit, insultavêre quidem aliquamdiu eminus varijs modis & rugitibus, propiùs tamen accedere, vel contingere nunquam præsumpserunt. Neque dubium est multas eundem perpessum ab immundis spiritibus in animo interiores luctas, tentationes, & prælia, quæ externis illis tantò sunt graviores, quantò periculosiores: sed de his facilè ex prioribus arguet pius lector, æquè enim de his intaminatus semper & victor triumphavit.

Postquam verò placuit Divinæ Majestati fidelem Servum ad recipiendum æternæ mercedis denarium evocare, voluit idipsum, unáque diem beati transitûs, pridem summopere cupienti vinculis corporis dissolvi, revelare; & quidem priusquam ullâ ægritudine tentaretur: prout ipsemet pluribus domi forísque suis in spiritu Filijs valefaciens aperuit. In lectulum doloris dejectus, nihil magìs suspirabat, quàm citò eximi à seculo nequam, & patriæ Beatorum inseri: & cùm festo S. IGNATII die Sacerdos illi assistens dixisset, sperare se, quod & sequentis anni idem festum supervicturus esset, respondit: *id verò haud quidem, nunc enim oportet me ire.* Fratri verò cuidam longiorem similiter vitam illi voventi, reposuit: *nè Frater mi, nè quæso tantum malum mihi optaveris!* Crescente febrili æstu, & omnium nauseâ, Sacramentis devotissimè receptis, impetravit solus sibi relinqui, ad tractandum liberiùs cum DEO: observatus nihilominus per januæ rimas est, nunquam ab ardentissimis affectibus cessare, & binis vicibus arrepto Crucifixi signo in dœmones veluti depugnare, & ab se abigere; qui sicut per omnem vitam illi fuêre molestissimi, ità nec supremo hoc tempore quietum reliquêre. Petiêre multi Viri nobiles & primarij ad eum admitti; sed cùm magnopere hominis cujusvis alloquium deprecaretur, gratiæ singularis locô computavêre, quòd videre saltem per portæ foramina vultum hominis sancti (ità loquebantur ipsi) concederetur, ex cujus solo aspectu maximopere se commoveri & refici ajebant. Ubi verò dies Transfigurationis Dominicæ 6. Augusti anno 1608. vitæ Patris supremus illuxit, magnâ quiete & silentio cum solo DEO internis agens affectibus, pretiosam tot meritis animam cœlo reddidit Sassari, anno ætatis 82. Confestim à morte singulari amænitate facies eluxit, remansítque corpus perinde molle ac tractabile, atque viventis fuerat. Ex quo die sequenti, quô ad sepulturam templo illatum est, cùm innumera hominum accurrens multitudo, nequidquam prohibentibus Patribus, post direptum ornatum, etiam digitos, & carnium frustula resecuisset; recentissimus sangvis ubertim à vulneribus profluxit: omniáque illius cœlestem quendam spirare odorem visa, qui perpetuus deinde omnibus ejusdem reliquijs remansit, fuêréque ad quosvis morbos pellendos, & prodigiosos effectus patrandos, certissima suis devotis instrumenta. Corpus defuncti primùm sarcophago ligneo inclusum, sepultum fuit in vetere Collegij Templo, unde multis beneficijs clarum, translatum est ad novum Domûs Professæ Templum, & lapideâ tumbâ conditum. Desideraverant pridem Socij, effigiem Servi DEI ad suæ pietatis augmentum habere; quod cùm à vivente obtineri non posset,

à mortuo

à mortuo mirabiliter obtentum est. Multo post hominis sepulturam tempore, contigit Româ Fratrem quendam pictorem Joannem Bilvelt nomine, Sassarim venire; qui jussus faciem Patris quoad posset expingere, aperto sarcophago eandem, qualis tunc demortui fuit, excepit: & ecce magno omnium stupore, apparuit in tabula vultus planè viventis ità ad vivum expressus, ut nihil Patri in vivis agenti similius dari posse omnes edicerent, licèt Fratri nunquam antè visus esset.

Voluit autem Dominus in ipsa exitûs beatæ animæ hora, sanctitatis ejus gloriam manifestare. Civis quidam honoratus, & Societati multùm addictus, audito campanæ Collegij domesticæ signo (auguratus id quod erat) monuit conjugem suam, Patrem Sebastianum procul dubio jamjam expirâsse, quare & ipsi cœlum directè petentem oratione suâ prosequerentur, & sui apud DEUM memoriam exposcerent. In genua ambo prolapsi vix precationem inchoaverant, cùm ingentem lucis radium in aëre vident à Collegij tecto in cœlum protendi, simúlque animum uterque suum inexplicabili quodam solatio perfundi; ut jam planè nihil de viri glorificata sanctitate ambigerent. Paulò post Fratri cuidam Coadjutori ejusdem Collegij, magnopere afflicto ex anxijs quibusdam cogitationibus de sua salute, visendum se exhibuit vultu amænissimo, splendore undiq; coruscus: cujus aspectu nonnihil primùm conturbatus, ad pedes ejus se se abjecit, totóque affectu precatus est, ut veniam sibi à Domino peccatorum impetraret. Pater oculis blandè Fratrẽ intuitus, ter pronunciavit, *condonavit, condonavit, condonavit*! paucísque efficaciter monito, ut DEO ferventer serviret, & noxas omnes devitaret, spatio medij quadrantis horæ disparuit; quanto boni Fratris solatio, cogitari meliùs potest, quàm verbis exprimi. Eâdem simul post obitum nocte apparuit mulieri ex capitis doloribus afflictissimæ, à quibus morituram se nihil dubitans, ingenti fiduciâ P. Sebastiani, sui quondam Confessarij, auxilium imploravit. Et ecce subitò videt illum cubiculum ingenti splendore, amictum pretiosissimâ veste, & radiante stellâ in fronte ingredientem, cujus lectulo appropinquãs, caput excruciatum manu contigit, dicẽs, malum ex eo jam omne cessisse. Monuit tamen ut heræ suæ, quæ erat in paucis dives & nobilis, nomine suo duas personas egentissimas, & à sua morte omni auxilio destitutas, commendaret, quarum altera primo manè ventura esset ad petendam eleemosynam. Et verò utrumque mox impletum est: nam & ægra momento eodem omni dolore se liberam sensit; & pauper fœmina diluculo ad januam comparuit. Visus est subinde & alijs pluribus sibi devotis, magnâ gloriâ lucéque conspicuus, ùt referemus in vita Patris Salvatoris Pizqueda; cum quo deinde, sanctè similiter defuncto, quater vel quinquies gloriosus comparuit personæ DEO specialiter devotæ. Multa præterea supra naturæ vires Dominus operatus est per Servum suum, ejúsq; reliquias, quæ juridico processu examinata & probata sunt, auctoritate Sassaritani Archi-Episcopi Andreæ Bacallar, quæ studio brevitatis hìc omittimus: de quibus breviter, sed nervosè testatur P. F. Elias de S. Teresia, in sua Legatione Ecclesiæ triumphantis tomo 1. lib: 2. cap: 31. hisce verbis: *pijssimè obijt cum certissima sanctitatis opinione, P. Sebastianus del Campo; & jam tot miracula per eum DEUS operatur, ut peculiari libro describenda sint.*

Neque hæc vulgi duntaxat & plebejorum fuit opinio, sed Doctissimorum Sapientissimorúmque in utroque statu Virorum; qualis fuit inprimis ipse Sassaris Archi-Episcopus Andreas, familiarissimè Sebastiani operâ & consilijs uti solitus, ejúsque successor Gavinus Manca de Cedrelles, priùs Episcopus de Bosa: Antonius Canopolo Archi-Episcopus de Orestan; Inquisitores Fidei; Gubernator Urbis; Pro-Reges singuli, qui ejus tempore Insulæ præfuerunt, totáque Regni Nobilitas; non solùm viventem & mortuum habuêre ùt sanctum, sed ejus etiam reliquias summo ambitu expetiêre, miros earum virtute effectus sæpius expertos se persanctè testati. Ità Archi-Episcopus Gavinus, nobilitate, vitæ sanctimoniâ, illustrissimus, scripto testatus est, cùm aliquando gravi morbo prostratus ægrotaret, solâ reliquiæ Patris applicatione malum omne momento dispulisse. Joanna de Castro Comitissa de Elda, Vice-Regis uxor asseruit, cùm Conjunx suus graviter apud Regem Catholicum & Aulam ex hostium criminationibus periclitaretur, P. Sebastianum negotio suis precibus commendato, respondisse, curam omnem de marito poneret, brevì enim ab Hispania, rebus omnibus ex voto compositis, lætum & incolumem affuturum: quod etiam evenit. Philippa de Cervellon Comitissa de Sedilo, filia pœnitens Sebastiani, affirmabat, nunquam se ab illo de rebus eventuris quidpiam audivisse (percepisse autem plurima) quæ non omnimodè effectum suum sortita sint. Idem fatebatur Joannes Moros de Molinos, & alij ex prima nobilitate, qui-

bus Pater erat à confessionibus, & spiritualibus consilijs. Stephana Carillo de Zapate, Domina virtutis non minùs quàm nobilitatis excelsæ, eam de sanctitate Patris habebat existimationem, ut quoties morbo aliquo corriperetur, aut dœmonis tentatione infestaretur, ad pedem confessionalis, in quo Pater considebat, secretò adreperet, ubi captatâ opportunitate, nè Pater adverteret, solam vestis superioris fimbriam devoto osculo petebat, indéque certissimum semper malo cuilibet remedium hausisse fatebatur. Taceo virorum de Societate, ejúsque permultos annos Superiorum testimonia; hoc solùm addens, omnibus domesticis, Patribus simul & Fratribus, quotquot ejus aliquando contubernio usi fuerant, magni & perfecti Servi DEI loco habitum fuisse.

Ex ejus vita, & P. Jacobo de Pinto, & Nierembergij Tomo 1.



P. Paulus Hoffæus S.I. Germanus, Hæreticorum Expugnator acerrimus, juvandis Animabus Purgatorij addictissimus. Obijt Ingolstadij 17 Decemb. A.° 1608. Ætat. 85. 81.

P. PAULUS HOFFÆUS.



PAter Paulus natione Germanus, Bingæ ad Rhenum in Moguntina Diœcesi in lucem venit, magnum Societatis & Ecclesiæ per Germaniam lumen, cujus doctrinâ & laboribus potissimùm Fides Catholica ibi conservata est. De quo, & de Petro Canisio usurpabat sapientissimus Bavariæ Dux Albertus, quod Ecclesia canit de Principibus Apostolorum: *Petrus Canisius, & Paulus Hoffæus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Is cùm

Bingæ

Bingæ in patria ex editiſſima turri decideret, vovit ſe, ſi incolumis evaſiſſet, Societatem noſtram vixdum natam ingreſſurum; & illico ſurrexit incolumis. Embricæ, Coloniæ, Romæ, literas humanas divináſque complexus, inter primos Collegij Germanici anno 1552. quod S. IGNATIUS moliebatur tunc in Urbe, clientes adſcitus, triennio pòſt ab eodem Societati tranſcriptus eſt, ac deinde Miniſtrum in Collegio Romano egit. Anno 1558. creatus Bononiæ Theologiæ Doctor, in Germaniam miſſus eſt, & poſt triennium profeſſionem quatuor votorum Pragæ in Boëmia emiſit, ac paulò pòſt regendis Viennæ ſtudijs præfectus, ibidem Jus Divinum interpretatus eſt. Lapſo triennio vocatus Ingolſtadium, illud primò Collegium, tum Monachij alterum rexit, & totis abinde 13. annis Germaniæ Superioris Provinciam moderatus eſt, Principibus tum Auſtriacis, tum Bavaricis, ob inſignem ſapientiam & virtutem ſingulari veneratione cultus. Dici vix poteſt, quot labores & itinera, penès hæc domeſtica munia, exantlârit, ad tuendam contra hæreticos totâ Germaniâ graſſantes Religionem; cum quibus plurima inivit certamina, & voce ac ſtylo errores detexit, & veritatem Catholicam explicavit. Et quia plurimi tum conventus & colloquia per Imperium Religionis causâ celebrabantur, ipſe ſollicitus illis vel adeſſe præſens, vel è ſocijs idoneos ſubmittere ſatagebat, confirmandis in avita Religione Principibus, refellendis novatorum dogmatibus, nè quid res Catholica detrimenti pateretur. In eam rem germanicè reddidit Catechiſmum Romanum, ac paulò pòſt tractatum de Communione ſub una tantum ſpecie: contra quem cùm Smidelinus & Spangebergius Prædicantes noxia ſcripta vulgâſſent, Hoffæus juſto volumine eoſdem confutavit Anno 1565. Quatuor Congregationibus Generalibus Societatis adfuit, & trium Generalium electioni; in quarum ultima deſignatus pro Germania Aſſiſtens, totum decennium illo munere Romæ perfunctus eſt, miſſus deinde Viſitator ad duas in Germania luſtrandas Provincias. Ultimâ demum ſenectâ redijt Ingolſtadium ad onus gubernandi Collegij, quoad fractus omnino, annos extremos DEO totos & patriæ conſecravit, & virtutem ſuam in tanta varietate atque acerbitate morborum, podagræ, chiragræ, calculi, inſigniter probavit.

Hoc in ſtatu corporis ſæpius omnes vitæ præteritæ labes confeſſione generali expiavit, & teſtatum quàm maximè fecit ſuum in omni vita parendi ſtudium, cùm in morbo ità difficili & acerbo nihil quidquàm agere, nè ſurgere quidem lectulo, aut confeſſionem generalem inſtituere vellet, abſque Superioris conſenſu. Menſem deinde poſtremum ſolitò gravioribus doloribus exercitus, rogabat eos qui ægroto adſtituri per vices erant, ſermonis eſſe modicos; decreviſſe enim quod ſupereſt vitæ reliqvum, cum DEO, Patronis ſuis, aliíſque Cœlitibus tranſigere. Quam demum concluſit pijſſimè Ingolſtadij 17. Decemb: A. 1608. ætatis ferè 85. Religionis 54.

Sub eoſdem ferme dies, triduo antequam Hoffæus gravi illo morbo corriperetur, obierat religioſiſſima fœmina, Medici Collegij cōjunx, quæ ſupremo ſuo die Patri tria poma punica deſtinaverat: hæc ſimul ac è vita migravit, viſendam ſe illi obtulit, ſimilis eum ad ſe invitanti, vultu peramœno, & tanquam ſubridente. Cui tum quidem invitanti paruit, paulò pòſt ab hac miſera in meliorem vitam tranſiens; cùm aliàs jam conclamatus ad mortem, mirâ alterius charitate eandem evaſiſſet. Aliquot enim ante annos cùm Provinciam obiret, & Collegij fundamenta Lucernæ moliretur, repentè morbo oppreſſus Auguſtam reportatus eſt, ibíque poſt ſacram Unctionem jam depoſitus, Rectoris Collegij voto, ab ipſo mortis limite revocatus eſt. Erat is P. Joannes Raſtellus Anglus; hic ad ædem Salvatoris octo millia paſſuum profectus, pro tam caro, & Eccleſiæ DEI neceſſario capite ſuum ipſe devovit, ſedulò DEUM precatus, votum utì hoc ſuum ratum haberet. Et habuit omnino ratum DEUS, ſimul enim ac domum prevenit, decubuit & occubuit; ſurrexit verò Provincialis Paulus, pro quo hic fuit hoſtia piacularis. Extemporaneum ſeniculo ſacellum excitaverant domeſtici, quo commodiùs ad ſacra uteretur, quod Bethlehemum ſuum appellabat: ubi aliquando A. 1600. oranti dæmon ſaltabundus apparuit, jactans ſe in expectatum quoddam moliri. Perterritus Pater triſti denunciatione, DEUM anxiè pro avertenda à Collegio noxa precatur: cùm ecce triduo lapſo ſociorum aliquot in ſubruendo vetere pariete occupati, ſubſidente theatro, cui inſiſtebant, in ſubjectam ſcrobem corruunt, luxatus verò quaſſatione murus ſuper eoſdem ruinâ tractus, duos penitus oppreſſit, alios graviſſimè ſauciavit. In hac autem ſenecta manè ante horam tertiam ſurgebat è ſtrato, & uſque ad ſextam ducebat meditationem; mox Sacro facto ſuccedebat lectio ſcriptióque. Tam contumaci & ſeverâ cibi fuit abſtinentiâ, ut illâ unâ infeſtam podagram ultra 70. annum procul à ſe habuerit. Pauper-

tatis Religiosæ sic amans, ut ad res levissimas posceret facultatem. Cultu & pietate in Beatissimam Virginem, quam omnibus pervigilijs jejunio constanter coluit, fuit prorsus singulari, & rarâ in piorum manes charitate: unde sæpe demortuorum animæ ad cubiculi fores auxilium ab illo flagitârunt. Cúmque suaviter aliquando nostris adolescentibus exprobrâsset, quòd nonnunquam sibi liberaliùs aliquid sinè Majorum venia indulgerent, adjecit, hæc illis post mortem piacularibus flammis expianda, forèque ut tum ad se venturi essent, suffragia postulatum.

Ex Historia Societatis & Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 1.



P. Ioannes Lillius, S. I. Angl., ob navatam proximorum Saluti operam, vincula, carcerem, et eqvuleum expertus. Obijt in Anglia, 1609 Ætat: 37.

82

JOANNES LILLIUS.



IOannes Lillius in Anglia Parentibus honestis ex statu civili prognatus, atque ab illis Pharmacopææ Arti condiscendæ juvenis applicatus, eandem septennio Londini publicè exercuit: Catholicæ Fidei non tantùm constanter in se retinens, sed etiam in alios propagandæ ardenter zelans, quà Sacerdotes hospitijs & latebris providendo, quà hæreticos Fidei dogmatibus imbuendos ad eosdem adducendo. Eo nomine delatus ad Magistratus Londini Regios tensus est, & in carcerem Clinkium (quem Atrium Wintoniense appellant) detrusus; paulò pòst socium ejusdem incolam nactus est P. Joannem Gerardum,

dum, cui ergaſtulo inferiore incluſo, ſuus ſupernè Joannis carcer paulò laxior incumbebat. Hinc facilè Gerardo fuit hominis advertere pietatem, & induſtiam experiri, quâ utrâque eò loci in animarum ſalutem diligenter uſus eſt. Poſtquam enim conciliato cuſtode carceris (prout in geſtis Gerardi fuſiùs meminimus) obtentum eſt, ut liceret captivis è ſolitarijs ſuis ſpelæis egredi, colloquia invicem ad libitum miſcere, & congreſſus etiam cum advenis Catholicis celebrare; Gerardus in locum habendorum religiosè cœtuum, veluti ſacellum delegit carcerem Lillij, ſuo cubili imminentem, cujus Lillius æditus ſimul eſſet & incola. Illic ſacrificij Divini, Concionum, Confeſſionum & Communionis, quin & tradendorum S. IGNATII Exercitiorum, quæ primos inter obire voluit Lillius, miniſteria obibantur; donec nefarij Sacerdotis artibus, molitionem in publicum Regni ſtatum proditoriam Gerardo imputantis, è Clinkio ad Turris Londinenſis carcerem Pater translatus eſt. Nihil non egit Gerardus, ut Lillium ſolius Religionis causâ in vinculis attentum, cujus fidem ſinceram luculenter expertus erat, è carcere liberaret, magno uſui in rem Catholicam Patribus futurum, dum tandem ſecretis apud nobiles orthodoxos nunciis effecit, ut repræſentatâ Juſtitiarijs Miniſtris certâ pecuniæ ſummâ, tam ipſe, quàm Richardus Fulwoodus, vetus Gerardi ſervus, liberi dimitterentur.

Tanto beneficio obſtrictus Patrono ſuo Lillius, omne ſuum reciprocè ſtudium, vires & vitam expendit, ut Gerardus tormentis propè enectus, vivus à Turri exiret; fuitque unus è tribus, qui præſentiſſimo vitæ periculo naviculâ ad turrim noctu adrepſit, rudentem funiculo, ſurſum à Gerardo uno ejus fine attrahendum attulit, & in objecta foſſæ ripa ad truncum arboris fortiſſimè altero ejus extremo adſtrinxit, atque eâ ratione veluti pontem per foſſam illi ſtravit, quo Gerardus, rudenti velut inequitans, è turri ſe dimitteret, & cum Ardeno evaderet. Quod licet tandem feliciter repetito alterâ nocte conatu ijs ceſſerit, primâ tamen vice cum rudente turri adnavigantibus quàm malè ceſſerit, quámque præſens ſubmerſionis periculum Lillius cum ſocijs adierit, fusè explicatum eſt in geſtis Nicolai Odoëni *in Societate militante*, & iterum hìc attingetur in P. Joanne Gerardi. Sic è faucibus certiſſimæ mortis induſtriâ ſuâ erepto Patri Lillius perpetuò adhæſit, auxilio futurus in proximis juvandis, dedítque ſe illi conſtantem in ſervum, conditione famulari, amore filij, fidelitate pluſquam intimâ & fraternâ, quæ morte propriâ vitam redemit alienam. Cùm enim in procuratione animarum in omnia vitæ pericula imperterritus cum Patre ſe immitteret, accidit ut Pater illico Londinum regreſſus, in conducta per Lillium ampla domo Nobiles aliquot meditationibus S. IGNATII exerceret; quando ecce tibi quinto vix ab inceptis die, pauculis lapſis à quo è turri profugerat menſibus, infidelitate unius famuli ad Senatum Regium proditi, vident repentè ad januam Irenarchas duos cum ſatellitio. Remoraturus illos Lillius, enſem animoſus ſtringit, dum Pater raptim exutâ veſte talari in cubiculo ſe concluderet; ex quo, Heræ Catholicæ artificio, ad quærendas claves illos ſevocantis evadens, coactus eſt à Lillio latebram intrare, eſto reniteretur, nisì ſocius unà ipſe ſe reconderet. Sed huic reluctandi cauſam, ſuus erga Patrem, & animas per ipſum, ſi evaderet, juvandas amor ſuggeſſit: *nam ſi tecum ſimul abſcondor*, inquit, *quis alius adeſt quem prehendant Sacerdos præter te? domi enim Sacerdos quin lateat non poſſunt ambigere; talaris relicta veſtis, ſacellum ornatu Sacerdotali inſtructum, cubiculum concionum & meditationum ſcriptis refertum id loqvuntur; quis iſta ſua eſſe, ad ſe ſpectare dicet? noctes ergo diéſq; ſcrutabuntur, muros & pavimenta perfringent, dum tibi reperto manus injiciant; quis verò tunc afflictis Catholicis conſolator, quis Pater erit? ego partes tuas hodie ſubibo, tu meas ſis obi, & pro me DEUM ora.* Dixit, & Patre in latebra diligenter clauſo, in cubiculum redit, ex quo Gerardus effugerat. Adſunt, nuſquam clavi repertâ, Irenarchæ, foribúſque denuo pulſatis vim parant ad eas emovendas. Prodit Joannes jam veſte Gerardi togatus & ſerius; & *quis tu es?* rogatur; geſtiens ille quòd Gerardum de facie non nôſſent, alioquin minimè interrogaturi; ſevero ſimilis, *ſum homo*, reſpondit, *quem videtis. Sacerdôſne?* ſubjiciunt. *Hoc ego non dico*, reponit, *veſtrum eſt probare & videre an ſim: ſum equidem Catholicus. Cujus hi libri?* rogant, *cujus ſcripta? mea*, reſpondit; urgent, *tua ſunt iſta omnia? mea ſunt*, iteratò confirmat. Neque plura quærentes, Gerardum ſe tenere certò arbitrati foras producunt, rapturi ad carceres unà cum Hero domûs & duobus famulis. Poſtquam ad aulam inferiorem ventum eſt, ubi Nobiles matronæ & puellæ domeſticæ cum hera collectæ erant, omnes illi reverenter aſſurgunt, & tanquam Gerardum venerantur: & ipſe perſonam ejuſdem graviter ſuſtinens, auctoritate magnâ introgreſſus cùm eas ſalutâſſet,

tâſſet, nullâ earum habitâ ratione, ſuo quaſi jure caput operuit, ſtupentibus illis apud ſe fidem famuli, & induſtriam laudantibus; quibuſdam etiam præ gaudio ſervati Gerardi flentibus, cùm tamen dolere quàm maximè damnis ſuis, Domino in carcerem abrepto, domûs & bonorum omnium confiſcatione, debuiſſent. Tantus eſt Catholicorum Anglorum in Patres animarum ſuarum amor, tantus Fidei fervor!

Digreſſis cum præda quatuor captorum Irenarchis, ad Gerardi latebras curritur, DEO laudes & gratiæ ingenti omnium lætitiâ dicuntur, celebratur fides & ſolertia Lillij. Qui poſtridie citatus ad Senatum, paucis interrogatus deprehenditur Laicus, non Sacerdos; Gerardi famulus, non Gerardus; Pharmacopæus olim per annos 7. Londinenſis; per alios 4. Clinkij carceris pro Fide Catholica incola. Quibus efferati irâ pudoréque Senatores, fruſtra denuo totâ domo Gerardum perfractis muris ſcrutari juſſerunt, primo manè jam fugâ elapſum in ſuburbana Catholicorum, multis Londino milliaribus diſſita, ubi vitam Lillij fervidis omnes precibus DEO commendabant. Acceſſerat enim ad cauſam ejus graviorem faciendam uxor à cuſtode Gerardi, in turris carcere poſt ſuam fugam relicta, quæ in Lillij conſpectum adducta, fecit eum erepti ab turri Gerardi adminiſtrum. Neque negavit ipſe, ultro etiam aſſerens, nihil de ea Gerardi fuga poſſe cuſtodi profugo attribui, curatorem illius ſe fuiſſe & promotorem, uni ſibi & facti meritum & gloriam deberi; tantíque hoc ſibi videri apud DEUM, ut ejus recordatione ingens caperet ſolatium, eſsétque iterum, quoties daretur occaſio, propenſo animo idem, ad Sacerdotes in animarum ſalutem liberandos, tentaturus. Quo mortis & vitæ magnanimo contemptu pars illi magna tormentorum deceſſit, quæ alioqui parabantur. Nam percontantibus, *ubi eſt Gerardus? neſcio*, inquit, *ſed neque ſi ſcirem, dicerem, cùm Chriſtianâ charitate veter; & hominem ejus ſanctitatis & innocentiæ, quam ſeptennio in eo probavi, dare vobis excarnificandum, & reorum infamium necandum ſupplicijs, ſummum nefas duco; ante mihi lingva in tabum effluat, quàm in os, vel in mentem ſcelus tantum admittam!*

Raptum nihilominus in turrim eodem cruciamenti genere, ad eandem columnam, quâ priùs Gerardum, lacerant ſuſpenſum è manibus non plus tribus horis, quòd conſtantiam hominis viderent in propoſito obfirmatam nihil à ſe paſſuram exprimi Gerardo adverſum, priúſque vel comminutis oſſibus frangendum & diſcerpendum, quàm à duritie ſua flectendum. Ærumnoſo ergo ergaſtulo conditus, pares loco miſerias quadrimeſtri toto invictâ patientiâ exhauſit: tranſcriptus deinde in alium carcerem, quo capitalium convicti criminum tenebantur; indè paulò pòſt ad patibulum & ultimam perduellium lanienam raptandus. Illic offendit Sacerdotem Clericum extremi expectatione ſupplicij vehementiſſimè anxium: à quo per quidquid eſt ſacrum rogatus; ut ſi quà valeret, excogitaret modum quo illum reſtitueret libertati, nè in periculum ejurandæ Fidei conjiceretur: ipſe tam felicem & propitium modum invenit, ut ſe cum illo pariter è carcere & morte in libertatem aſſereret. Quantis verò id Gerardi lætitijs, cùm eos præter ſpem, præter cogitationem vidit coràm adſtare improviſos, difficile dictu ſit! potiſſimùm verò cum Lillium audijt novam ſibi deferre profiteríque ſervitutem, nec exantlatis pro illo periculis, carceribus, tormentis, & morte terreri. At enim ſuâ jam dignus mercede ac præmio erat Operarius tam frugi, cujus ſolertiæ & ærumnis tot animarum ſalus debebatur, nec triumphatis denuo committendus periculis. Optârat is pridem adſcribi in Societatem, nec deerant merita, nec teſtis meritorum Gerardus, qui nôrat hominem ubique locorum, occaſionum, temporis & conditionum, promiſcuè ac perpetuò agentem; ejus tamen innocentiæ eſſe tenacem, ut confeſſionem apud ſe peccatorum facturus, non poſſet materiam abſolvendi ſat certam, niſì ex præteritis quidpiam addendo, ſuggerere. Igitur ad Garnettum miſſus, cùm aliquamdiu penès illum latuiſſet, indè ad Perſonium Romam profectus eſt, & in Societatem inter temporales Coadjutores adſcriptus Anno 1602; annum ipſe ætatis agens 30. in qua conſummatus in brevi, intenſo fervore & ſanctitatis irremiſſo ſtudio explevit tempora multa. Correptus ſiquidem lentâ tabe, ſeptennio ſolùm ſuperſtes vixit, remiſſus ad nativam auram, ſi fortè patrium malo mederetur cœlum, in Angliam. Sed cùm neque id radicatæ pridem febri prodeſſet, paulatim contabuit, conceſſítque ad laborum æterna præmia Anno 1609.

Ex Hiſtoria Angliæ Bartoli, & Henrici Mori.

P. WEN-



P. Wencessaus SSwihowsKy Soc: Iesu, Illustrissimo sanguine Boëmus, munus prædicandi Evangelium Christi, cum honorib, Academicis egregiâ arte conjunxit, plurimis hæreticorum ad Ecclesiam feliciter reductis. Obÿt in Böemia Horaždovicÿ. 8 Ianuarÿ Anno 1610. ætatis 42.

83.

P. WENCESLAUS SSWIHOWSKY.

Difficillimis Ecclesiæ Catholicæ in Boëmia, sub Cæsare Rudolpho, & Mathia temporibus, quando maximè Societati JESU infensa hæresis, tumultibus & cædibus omnia, in ipsa Regum sede, Pragæ permiscebat, opportunè Societati se adjunxit Wenceslaus Sswihowsky, ob Familiæ & Natalium splendorem non minimum futurus illi contra factiosos Hussitas, per cognatam Nobilitatem præsidium. Editus in lucem est Anno 1568. pervetusto & Illustrissimo Procerum Boëmorum sangvine, quos à Regibus Boëmiæ Przimyslais, communi cum Sancto Wenceslao Martyre, & Rege Boëmiæ cognatione, descendere, omnes omnino Scriptores Boëmi veteres novíque consentiunt: Patre Ferdinando Sswihowsky, Matre Anna Nowohradska de Kolowrat. In studijs literarum Juvenis magnâ ingenij & virtutis commendatione versatus, anno ætatis 22. in Societatem admissus est, magna Catholicæ Nobilitatis admiratione; Hussitarum autem, ad tantam lucem virtutis, mundana omnia proculcantis, cæcutientium planè stupore, quasi jam tum magnam erroribus suis ab eo stragem inferendam præsagirent. Ipse verò cum veste sæculari totum simul sæculum exuens, totum se virtuti, totum altioribus disciplinis eâ contentione & ingenij felicitate addixit; ut in utroque, p:r maximis in Societate Viris habe-

retur. Ejus rei argumento & Viennæ & Pragæ altiores Philosophiæ & Theologiæ scientias publicè tradidit; & subinde quatuor solennia vota professus, studia omnia Generalis Præfectus Pragæ moderatus est: ac deinde etiam munus Cancellarij, Vir minimè grandævus, in Ferdinandæa Universitate magna cum dignitate sustinuit. Atque has illi eminentis scientiæ sapientiæq; dotes eò contulisse videtur Divinitas; ut existimatione & auctoritate doctrinæ pollens, validior in Fidei hostes consurgeret, tantóque plura & majora spolia ipsis detracta, Catholicis castris adjiceret. Quod ille probè animo reputans, longè ampliùs virtuti dabat & sanctimoniæ; quantò nimirum veriora sunt bona, quæ nos DEO gratos efficiunt, quàm ea, quæ vel suis hostibus sæpe DEUS concedit. Hinc moribus ad omnem moderationem & mansuetudinem compositis, mitissimi Patris apud Socios nomen domi obtinuit: idem cupiditatum omnium & passionum naturæ victor, qui nihil desideraret magìs quàm contemni, ut si id contingeret, tanquam de eventu summis votis expetito gauderet, triumpharet: nunquam auditus Natales suos jactare, ac nè nominare quidem, neque unquam Parentes aut Cognatos suos cũ titulo Illustrissimi appellare, neq; eam laudationem ab alijs profectam, nisì impatienter audire. Morbos, qui eum pluribus extremis annis exercebant, patientiâ & silentio superabat, patientiam verò frequenti ad DEUM oratione roborabat: quoties verò procederet in publicum, magna cum modestia & gravitate id faciebat, unde præcipua Viro auctoritas, & in animos hominum efficacia creabatur. Neque enim splendidis scholarum exedris, multis plerumque fucis ab honore & plausibus Academicis obnoxijs contineri se passus, ad cathedras simul & suggestus Ecclesiasticos frequens provolabat, avidior animarum DEO lucrandarum, quàm doctrinis scholasticis imbuendarum. Tantò verò pondere, animíque ardore verbum DEI tractabat, ut quàm plurimos hæresi detractos, Christo & Ecclesiæ conciliaverit, pietatémque inter Fideles & virtutum studium mirè promoverit. Idem pariter Operarij Evangelici munus solerter exercens, privatis non minùs proficiebat alloquijs; quibus præter promiscua Civium & Virorum insignium capita, Illustres præcipuè fœminas plurimas (qui sexus, cùm ob mobilitatem animi vim argumentorum percipere non possit, obstinatior in erroribus tuendis esse solet:) ad Ecclesiæ partes traduxit; unáque immortalia odia plurimorum dissidiáque, maximè inter cognatos, extinxit. Atque hoc ipsum pacem inter discordes conciliandi studium vitam illi præproperè, in ipso virilis ætatis florido vigore abstulit. Cùm enim ob eam maximè causam Horazdiovicium, Majorum suorum tunc Ditionem hæreditariam excurrisset, in morbum gravem incidit; quo superatus, anno ætatis suæ 42. Societatis 20. Domini 1610. die 8. Jan: evolavit in cœlum. Viri Apostolici nomine, ab ejus ævi senibus constanter honoratus fuit; præcipuè à Ven: P. Alberto Chanowsky (cujus præclara gesta infrà dabimus) illius Boëmiæ Regionis, ubi P. Wenceslaus decessit, Apostolo: qui sæpe dicere auditus est, si optio sepulchri daretur, optare se ad pedes ejus ossa deponere. Sepultus autem est ibidem Horazdiovicij, Civitate juris paterni, in Ecclesia Parochiali ante summam aram, marmore altiùs à solo elato, ità jubentibus suis in nostra absentia, non tam prærogativâ Nobilitatis, quàm sanctimoniæ titulo & æstimatione.


Ex Annalibus Boëmiæ Soc: JESU, & Bohuslai Balbini Boëmia sancta.

P. ROBERTUS PERSONIUS.



Rtus est Vir magnus Personius in Anglia ex inferiori Stoosomerseti Dynastiæ pago Ann: 1546. honestis quidem Parentibus; sed quam à virtute liberaliter instructis, tam parcè à re familiari. Mater nonagenaria, ab hæreticis, omnibus injurijs exercita, maximè postquam filius de Catholica Religione optimè in Anglia meritus, Seminaria passim pro exulibus Anglis in Belgio, Italia, Hispania constituebat; cùm enim hunc ulcisci non possent hæretici, filij odium evomebant in matrem, necaturi omnino, nisì pago relicto, alibi se abdidisset. Mercaturæ primùm apud Fratrem natu majorem condiscendæ applicatus, Joannis Hawardi Canonici Regularis, & Patriæ suæ Parochi miseratione in literis latinis excultus, ea capacis ingenij sese exercentis indicia præbuit, ut in fundationem Collegij studiosorum S. Mariæ Oxonij admissus, Magistri laureâ præside Edmundo Campiano insignitus sit. Mox ad tradendas ibidem disciplinas admissus, Rhetoricam quadriennio, Philosophiam postmodum docuit, Catholicum intus gerens, sed foris non ità con-

stanter



P. Robertus Personius S. I. Anglus, Campiani in conversione Angliæ Socius et Superior, pro extirpāda inde hæresi ad mortem usq; desudavit, quam obijt Romæ 15 Apr: 1610. ætat: 64.

64.

ſtanter retinens, quin ante Doctoris gradum (aliter illum non accepturus) impium dixerit juramentum, quo ſacram jurisdictionem Reginæ Eliſabethæ tribuebat, quæ illi fuit in omnem vitam lugendi materia. Cujus rei pœnitudine jam tum exerceri incipiens, dum Alumnos Collegij Ballionenſis ab eſu carnium per Quadrageſimam dehortatur, communi Academicorum hæreticorum factione ejectus eſt, tanquam Catholicæ Religionis ſeditioſus defenſor, cùm priùs Calviniani Prædicantis munus ſibi oblatum recipere detrectâſſet. Oxonio egreſſus, in Belgium ſpontaneus exul trajecit; & Lovanij à P. Guilielmo Good Anglo perſvaſus, octiduo S. IGNATII Meditationibus animum ſolitarius exercuit, ex quibus ratum fixúmque retulit propoſitum vitæ melioris, nondum tamen aut Clero, aut Religioſæ vitæ obſtrictum. Indè Romam ad annum Jubilæum 1574. & ſpectandam Portæ ſanctæ à Gregorio XIII. pandendæ ceremoniam pellectus, cœpit interiore certâ in Societatem JESU vocatione duci, cujus etiam Tyrocinium anni inſequentis 4. Julij Romæ auſpicatus eſt, eo ſanctitatis ardore & indies profectu, qui deinde palàm toti Chriſtiano orbi factus eſt. Sacerdotio initiatus, in eam domum PatrumSocietatis translatus eſt, qui pœnitentibus Pontificia cum auctoritate aures præbent; ubi per otium totum ſe impendit elucidandis præcipuis controverſarum in Anglia Fidei quæſtionum capitibus, plurimúmq; laboris in fundando ordinandóque Anglicæ juventuti Romæ Collegio impendit. Tandem Pontificio & Generalis Mercuriani juſſu deſtinatus cum Edmundo Campiano, & Ru-

dolpho Emersono Coadjutore Laico in Angliam est Anno 1580. & utriq; Superior præpositus. In itinere Mediolanum delati, toto octiduo detenti sunt à S. Carolo Borromæo Cardinali & Urbis Archi-Episcopo, qui pijs eorum alloquijs magnopere delectatus, ignitis vicissim, pro suo Apostolico ardore, verbis eos ad martyrium animavit. Indè Genevam Calvinianæ hæreseos Synagogam, cùm necessariò ob itinerum pericula transeunda esset, certamine cum Theodoro Beza, & Anglis quibusdam Calvinistis inito, Personius unum eorum Pouvellam argumentis ità constrinxit, ut manus veritati dare coactus, promiserit operam legendis SS. Patribus se impensurum, ad deprehendendos clariùs antiquæ veritatis articulos, & Romam denique abiturum.

Audomarum ubi attigerunt, unde milliaribus haud plus quàm 50. dissita est urbs Dubri in Anglia sita, PP. Collegij crebris nuncijs res Angliæ edocti, nihil omiserunt ut eos à trajectu dimoverent. Suspiciones enim Reginæ ejúsque Consiliarijs injectas memorabant, longè alio quàm religionis & salutis animarum studio ab ipsis Angliam peti, ad rebelliones scilicet & tumultus ciendos : tenendos proinde quocunque appellerent ùt seditiosos : singulorum in portubus haberi nomina, & effigies vultúsque ad vivum expressos, ad quos appulsuri explorarentur. Cui autem bono Angliæ futurum, ex portu rectà in carcerem, ex carcere in furcam raptari ? quæ dici ex vero non ignorans Personius, ideóque neq; negligendam Patrum cautelam, neque ex toto sequendam ratus ; nè Catholici in Anglia, ipsorum spe adventûs à Pontifice impleti, fallerentur, & timiditati potiùs suæ moram adscriberent, quàm necessario timori ; ideóque medium tenere statuit, ut ipse prior solus, tanquam Missionis Superior, trajectûs aleam tentaret, Audomari Campianus remaneret, vel de capto socio cogniturus, vel eum, si feliciter penetrâsset, secuturus. Itaque militarem Ducem veste, gravitate, & vultu simulans, Dubrim cùm applicuisset, Gubernatorem ultro adit, ac veluti multò antè in Anglia domesticus rogat, suis ut mandet, nè Mercatorem Hybernum, Patritium nomine, biduo è Belgio adfuturum (Campianus is erat) morarentur, suâ enim plurimùm interesse ut Londini quàm primùm adesset : quod ipsum Campiano, ad properum adventum cohortans, per navim reducem significat. Verùm insolens Catholicorum ex Personij adventu lætitia, dum eum invicem referunt, etiam ad aures Reginæ pervenit : hinc novum edictum ad Ministros Dubrenses ab Aula missum, de omnium vectorum exquisitiori perscrutatione, nè sub ascititijs personis in Regnum irreperent. Hos tamen quâ ratione cum præsentissimo vitæ periculo eluserit cum Emersono Campianus, diximus alibi *in Societate JESU ad mortem usque militante*, in gestis Campiani. Londini Personius ante ullius hospitij ingressum, custodiam adit, quâ Thomas Pondo, Societati JESU à biennio in ipsis vinculis auctoratus, tenebatur ; salutem Viro fortissimo à P. Generali, & primò omnium solatium debitum impertiturus, ejúsque indicio & consilio ad constituendum sibi & Campiano securum hospitium usurus. Fingi vix animo potest, quanto gaudio Personium Pondo primum omnium de Societate, repentè sibi improvisum viderit ; qui, nè salutatio prolixior suspicionē proditori cuipiam moveret, evocato per internuncium Georgio Gilberto Personium enixè commendavit. Erat Gilbertus jam antè Personio Romæ notus, Juvenis Catholicæ Religionis, præ quàm antè Puritanorum sectæ, zelantissimus, erátque eo ipso die solenniter nuptias cum Nobili virgine, Nobilis & ipse juncturus, hæres unicus opum maximarum. Sed Personij intuitu evanuêre subitò amores omnes, & in sponsæ vicem subijt sempiternæ ardor castitatis, DEO mox voto consecratæ, tanto Spiritûs sancti impulsu ; ut simul Patri in usum prolatandæ Fidei, sua, séq; totum, sudores & sangvinem deferret, nolétque illum ab ullo quidquam sibi aut socijs, spontè licèt oblatum admittere, sed suis tanquam proprijs uti, & vivere sumptibus.

Hìc ubi Personius cohortem fidelium Nobilium subitò à Gilberto coactam salutaribus monitis implevit, docúitque modum internoscendi Campianum venturum, & in Urbem inducendi, mox interiora Insulæ petijt, ubi ab Henrico Nortonio Viro insigni cupidè expectabatur, ad reconciliandam Ecclesiæ Nobilium manum lectissimam, & reficiendos Divino alloquio & sacris mysterijs Catholicos. Neque diu moratus, conversis præter alios ad fidem Viris aliquot Principibus, conscius exuberantis in Campiano zeli & fervoris, Londinum repetijt, invenítque tanto Nobilium concursu ejus conciones & divina frequentari, ut latere diutius non posset, constitutis in ejus caput pluribus jam à Regina exploratoribus. Priùs tamen quàm Londino eum amoveret, Conventum indixit Sacerdotibus Catholicis omnibus ad certum diem, in Ædes solitarias S. MARIÆ trans Tamesim, quibus, & in ipsis toti Ecclesiæ Anglicanæ pri-

mò

mò omnium aperuit causam sui & Societatis in Angliam ingressûs, procurandi nimirum unicè animarum salutem, & dilatandi Religionem Orthodoxam per media sola spiritualia & sacerdotalia. De statûs autem publici quibusvis negotijs vel minimùm attingendis, severissimum eis perlegit interdictum, quo Romæ fuerant obstricti, ut nullum de ijs vel sermonem coram se fieri paterentur. Quod etiam in eorum præsentia sanctè à se & Societate observandum, sacrosancto juramento interposito tactis Evangelijs confirmavit, ut sui & Societatis securos faceret Catholicos juxta & hæreticos. Constituta deinde nonnulla communibus sententijs sunt, ad uniformem Ecclesiæ illius administrationem, de jejuniorum Ecclesiasticorum observantia, de ritibus sacris, & omnium præcipuè sententijs unanimiter definitum, nefas esse Catholicis templa, conciones, & mysteria hæreticorum frequentare, nec posse id ullo titulo indulgeri. Ecce autem dum hæc maximè agunt, proditione hominis nefarij omnes simul intercipiendi erant certissimè, nisi expeditas DEUS per bonum Angelum aliò avertisset insidias. Inter Sacerdotes ad consessum vocatos ibat etiam Robertus Johnsonius, Viri nobilis Capellanus, alieno quidem habitu, agnitus tamen in occursu à Sledio proditore infensissimo, qui anhelans eum continuò ad judicij ministrum vicinum detulit, docuítque si illum absque mora affectaretur, dubio procul furtivum aliquem Catholicorum reperturus esset cœtum, ad quem expectatus Sacerdos solitarius tenderet. Secutus Sledium etsi perinvitus minister, in ipsa Tamesis ripa Johnsonium deprehendit, cujus capturâ contentus, induci à Sledio non potuit ad trajiciendum flumen, in locum ubi Personius cum toto Sacerdotum choro considebat. Traditus Judicibus Johnsonius, crudeli duorum annorum carcere maceratus est, & ex illo ad Tiburnum cum duobus alijs Sacerdotibus raptatus, suspensus, & in partes dissectus, tanquam læsæ Majestatis reus, quòd Reginæ Primatum in Ecclesiam Anglicanam negâsset. Personius celerrimè de proditione Sledij & capto Johnsonio certior redditus, Cœtum dimisit, & Londino maturè digredi properavit, maximè ubi terribile mox edictum Regina promulgavit in Seminaria Anglorum apud exteros fundata, eorúmque Alumnos, quasi in ijs Juvenes à Pontifice & Regibus Catholicis educarentur, ad seditiones & rebelliones in Anglia deinde concitandas.

Quia verò præcipuè edicti ejusdem diris perstringebantur homines de Societate, qui Angliam ingrederentur missi à Papa, ejusq; Legatis (ità loquebatur edictum) ad integritatem doctrinæ corrumpendam, & populos obedientiæ Majestatis Regiæ subtrahendos, agendos in rebellionem, factiones, tumultus, Regni eversionem: ideóque mandabat, eos, eorúmque receptatores & amicos prodi, capi, Judicibus plectendos tradi, sub pœna criminum læsæ Majestatis, & suppliciorum rebellibus & seditiosis infligi solitorum: idcirco Personius priusquam Londinensem Regionem desereret, scripto ad Magistratus Londinenses libello, purgavit Societatem à calumnijs, & sinistris præsumptionibus, edicto Regio illi imputatis: docuítque missos se à Pontifice in Angliam, non ad politici cujusquam negotij partem ullam etiam leviter attingendam, nedum ad scindendum in studia Reginæ contraria populum; sed è contra mandatum habere à Pontifice, inducendi Catholicos omnes ad obedientiam & subjectionem in politicis Reginæ præstandam, explicatâ illis religione obedientiæ, Principibus sæculi, etiam gentilibus & hæreticis, necessariò præstandæ: quod ipsum ubique Catholicis omnibus constanter Patres inculcabant, ut id Magistratibus, & hæreticis passim notum fuerit. Venisse igitur unicè ad ministeria Sacerdotalia desertis Catholicis administranda, eósdemque in Fide roborandos, consolandos, estò id multo sudore, & sangvine ipso in propugnationem Fidei fundendo, constiturum esset. Exinde Campiano in Provincias Oxfordiensem & ei confines dimisso, Personius occasum versùs abscessit usque Derbym, ubique magnâ alacritate Catholicorum exceptus, qui periculorum suorum penitus obliti, de solis Patribus solliciti videbantur. Multi longinqvum suscipiebant iter, de rebus animi sui cum Personio acturi, innumeri autem vacillantes, lapsi, fraude aut dubijs decepti, quibus extricare se nequibant, sunt sanati. Ut autem avaram Indagatorum falleret vafritiem, nihil artis & ingenij omittebat in mutando crebrò nomine, cultu, & loco, comitatus semper à Gilberto, qui vestes, equos, sumptus omnes suppeditabat, & plerumque Nobilium aliquot juvenum manu, qui eum honoris specie, reipsa tutelæ fideíque studio affectabantur, nè facilè vilis quisque indagator auderet eum in via morari, vel interrogatis lacessêre. Quacunque etiam diverteret, præmonitus in tempore hospes Catholicus sacrum Altaris providebat apparatum, & advenam veluti ignotum & casu appulsum excipiens, inducebat in cubiculum, ad hoc longo in recessu electum, si

præſertim in familia aliqui eſſent hæretici; ubi poſt brevem noctis quietem, divino Sacrificio aderant univerſi, & S. Epulo accumbebant, cum largo plerumque & ardenti flectu, quem ipſa quoque diſcriminum augebat magnitudo. Tum conſidebant Patrem audituri, ingenti fervore depromentem ea, quæ inter equitandum ruminando paraverat: quibus concione finitâ projectis in genua, bene precatus, equum repetebat, ſtertentibus adhuc fidei dubiæ domeſticis reliquis; ſic, ut ſubinde dum maturus venerat, vix ultra duas horas loco eodem conſiſteret. At ſi foret locus à frequentia vicinorum liber, vel nullus in eo nisi Catholicus, biduum & triduum Divinis, excitis aliunde etiam ad ſolennitatem Orthodoxis, impendebatur.

Regina comperto Patres urbe elapſos pervagari Provincias varias, volitare per Catholicorum domos, novum Inquiſitorum tribunal locis per Angliam omnibus conſtituit, quibus nihil præterea penſi eſſet, quàm Sacerdotes & Jeſuitas venari, in receptatores eorum, ſocios & amicos inquirere, veſtigatores (Purſevantes illis dictos) magnis præmijs quaquaverſum dimittere: unde illico ebullijt ubique delegatorum, lictorum, exploratorum exercitus, in quibus ſceleratiſſimi Fidei deſertores, pars omnium peſſima, quia apoſtaſiæ paſſim ignoratæ minimè ſuſpecta; quorum unus paulò pòſt duodecim quà Sacerdotes, quà Nobiles ad ſupplicium ultimum tradidit. Fecit hæc ſacrilegorum venalis perfidia cœtus omnes ſacros periculoſos Catholicis, famulos Dominis ſuſpectos, intuta omnia: *furit enim*, ſcribebat Perſonius, *tempeſtas adversùs Catholicos, nunquam immanior ex quo Chriſtum ſuſcepit Anglia; aguntur in carcerem plebeji mixtim & Nobiles, viri & fœminæ, omnis ætas, etiam tenera, trahuntur ipſi quoque catenâ pueri, rediguntur in Fiſcum bona, negatur amicis in carcerem aditus, ſeu conſolaturis miſeros, ſeu ſubſidio aliquo egeſtatem levaturis: nè ſolis quidem lux tenuis, quæ illos utcunque recreet, conceditur. Londinenſe Caſtrum, decumanum antehac reorum Majeſtatis proditorum & rebellium barathrum, Sacerdotibus nunc & omnis generis ſtipatur Catholicis. Provinciarum ceterarum cuſtodiæ veteres, quòd impares ſint multitudini generoſæ, novarum ædificijs auctæ ſunt.* Pergit deinde narrare de pane, quem DEI amore rogatum captivi impetrabant, adeò avarè, ut morti duntaxat, non fami pellendæ ſufficeret; déque aqua, etſi infimis precibus rogarent, ad ſatis extingvendam ſitim negata. Sanè unius tantùm menſis ſpatio inſcripta ſunt capitalium tabulis millia Catholicorum quinquaginta per diverſas regni provincias, omnes jacturæ bonorum, carceri, & reliquis calamitatibus obnoxij, hoc ſolo quòd eſſent recuſantes, id eſt, nolentes ſaltèm in anno ſemel Proteſtantium adeſſe myſterijs, concionibus, pſalmis, à quo tam erant alieni, ut è contra omnes domi exciperent Sacerdotes, licet hoc ipſo fierent læſæ Majeſtatis & capitis rei, ſi à quolibet exploratore deprehenderentur: ídque tantâ divinorum ſiti, ut ſcribat de ſe & Campiano Perſonius: *nos tribus licèt in diem concionibus exhauſti, vim tamen explere amicam & avidam non poſſumus, quâ Catholici apud ſe nos retinent.* Triplex autem pietatis genus ſemper ſibi mirum in ijs apparuiſſe addit. 1. Quòd ſacro quoties intereſſent, in fletum, gemitus, & ſingultus ſemper liberaliter ſolverentur. 2. Pietas erga Pontificem & reverentia cum dulci amore tanta, ut parenti à filijs non poſſet major exhiberi: ità ut dum in Litanijs diceretur: *Oremus pro Pontifice noſtro Gregorio* (qui erat hujus nominis decimus tertius) omnes ore, manibus, oculis in cœlum, mixtâ ſuſpirijs prece, ardentiſſimè voverent: *Dominus cõſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat in terra, &c.* 3. Invicta tot adverſis patientia, ut acerbiora indies dum expectant, nihil tamen optabilius ducant, quàm Fidei causâ majora ſemper ſuſtinere. Atque his incitabatur cum Campanio Perſonius ad labores & pericula omnia ſubeunda, ut metus omnes in gaudium verterent, & quantaſcunque anguſtias, infinitâ dulcedine condiri ſentirent. Sanè unius primi anni ſpatio, præter firmatos in Religione Catholicos, & vacillantes ſuſtentatos, plus decem millibus auctiorem ex converſis ab hæreſi Eccleſiam Anglicam fecerunt, inter quos Perſonij præda fuêre plures Barones, aurei calcaris equites, Viríque alij doctiſſimi, & honorariæ ex ipſa Reginæ Aula Matronæ.

Duo interea adversùs Religionem Orthodoxam, & Societatem JESU prodierunt ab hæreticis excuſi libri, quos 10. dierum lucubratione refutavit Perſonius, libello per totam mox Angliam ſparſo, ità nervosè, ut ſeipſos adverſarij, & calumniarum abſurdam falſitatem erubeſcere coacti ſint. Recruduit per idem tempus controverſia illa inter Orthodoxos Anglos, licerétne Catholicis ſacra Proteſtantium frequentare? ad evitandas graviſſimas pecuniarum mulctas, quibus opulenti ad ſummam paupertatem, pauperes ad mortem ex fame rerúmque omnium defectu adigebantur. Et licèt ea res pridem à PP. decem, per

per Conc: Tridentinum deputatis, discussa & definita fuerit, utì meminimus in gestis Patris Thomæ Dabishier, & fusè refert, cum sententiæ istius rationibus, P. Daniel Bartoli Histor: Anglic: lib: 2. c. 12. confirmata postmodum etiam à Cardinalibus, Toleto, Baronio, Bellarmino, & octo Theologiæ Magistris, ipso tandem etiam Francisco Suarez, & demum Paulo V. Pontifice sententiam eandem definiente: extitit tamen hoc tempore Doctor Langdallus, natione Anglus, qui tractatum edidit suppresso nomine pro parte affirmativa, unde grave inter Catholicos schisma feri necesse erat. Sed accelerato diebus & noctibus remedio subvenit Personius, & solido tractatu argumenta Langdalli refutans, longè alijs rationum momentis sententiam negativam confirmavit. Distractus latissimè statim liber fructuosissimè totum Regnum implevit, visúsque est scribenti DEUS digitum commodâsse, ut planè illa 50. millia, quæ diximus, Recusantium damnatorum huic debeantur, qui nullis machinis adigi potuêre ut Protestantium templa adirent. Hæc inter cùm acerrimæ fierent in Sacerdotes, duos præsertim Jesuitas conquisitiones, Personius Londino se subtrahens in Villam Catholici vicinam secessit; & ecce, post duos ab ejus discessu dies, Nortonus armatâ lictorum familiâ nocte intempestâ hospitium illius Londini cingit, ex flagitiosi exploratoris indicio, foribúsque effractis rectà in cubiculum ejus irrûpit; & quia ex sacris rebus & libris in eo repertis manifestè incolam cubiculi Personium esse deprehendit, bilem & diras omnes evomuit, quòd ipsum non teneret. Omnibus itaque rebus secum ablatis, suspicatus haud temerè est, latere illum fortè, vel alium Sacerdotem in vicinis ædibus; quas furiosè ingressus, Alexandrum Briantum Sacerdotem deprehendit, vinctúmque abduxit, postmodum ejusdem in furca supplicij Campiano socium: qui acerbissimè in equuleo tortus, ut Personij indicium faceret: *non faciam,* constanter respondebat, *tametsi illum non ignoro; vidi hominem & cum eo vixi, ac me quidem ùt vultis laniate, nihil estis ulteriùs expressuri.* Cùm verò per idem tempus, impresso vulgatóque 10. Rationum pro Catholica veritate libello, Campianus ab innumeris emissarijs solertissimè vestigaretur, quàm remotissimè ab Urbe Regia eum amandavit Personius, jussum in Provinciam Norfolciam proficisci, ipse Londinum nihilominus mutato cultu & hospitio repetere statuit. Verùm capto interim, sceleratâ Eliotti Apostatæ proditione, Campiano coactus latere, quantâ maximâ posset cautelâ Catholicos in Fide confirmare perrexit: nulli enim intentiores fuêre Regij, quàm ut Personium quoque interciperent, cujus indicium ut faceret Campianus, acerrimè equuleo tortus est.

Et jam in carceres conjecti erant plerique Personij familiares, & præter Sacerdotes 12. Sotamptoniæ Comes, & Barones Pagettus, Comptonus, Vauxensis: Treshamus præterea, Catesbyus, Arondellus, & Poinezius aurei calcaris Equites, & præter multos nobilis sangvinis, Joannes Stonarius cum omnibus domesticis & Typographis, qui operam libro Campiani imprimendo impenderant; ut diutiùs occultum servari Personium boni omnes censerent impossibile. Itaque his compertis Personius, Gilbertum amicorum fidissimum certo equulei & furcæ supplicio erepturus, in Galliam primò, indè Romam præmisit; ubi egregia Catholici hominis decora, mox etiam Religiosi pariter in Societate ferventis obijt: quem tandem ipse Catholicorum omnium svasu, quadrimestri pòst secutus Rothomagum est, brevi denuo remeaturus (ùt quidem disponebat, in Angliam) ubi furor inquisitorum remisisset; quam tamen nunquam deinceps revisit, longè ampliùs ipsi profuturus foris, cujus intensissimas curas ad usque obitum non dimisit. Et verò miraculo ipsimet erat, toties propè deprehensum, manus tamen & oculos hostium evasisse. Semel contigit, ut nocte mediâ irrumpentibus in domum, quam incolebat, lictoribus, eorum vocibus excusso somno, latebris sub fœno & tegulis vix evaserit. Alias in Bibliotheca Doctoris Catholici prolixiùs libros volventem repentè instinctus corripuit, mali alicujus proximè instantis: cui obsecutus, necdum vicinum evaserat Tamesim, cùm indicio accepto adest satellitum caterva, certissimè illum prehensura, nî recessisset. Sed mirabilius fuit, quod ipsi evenit, ministris Judicum in manus rectà obviam eunti, à quibus Londini expectabatur in diversorio Leonis rubri, vico Olbornio, ad quod illum à Catholicis eâ ipsâ nocte invitatum resciverant. Et illic Personius paulò antè cum Sacerdote Eduardo Resthono fuerat, locum notârat, & signa & nomina: eâ tamen nocte cùm ad domûs fores venisset, sic ejus memoriam transversæ confuderunt phantasiæ, ut licèt oculis obversaretur quæsita domus, nullo tamen signo eam agnosceret. Cúmque ad mediam usque noctem vicum pererraret, in pluribus domibus de hospitij signo quærens, semper tamen ejus nomen, nihil

hil minùs advertens, corrumpebat, & aliud prorſus quàm Leonem rubrum nominabat. Rurſum nihilominus memoriam nihil aberrantem ſecutus, & ad ipſas hoſpitij fores redux, cùm eas turbante phantaſiam bono Angelo non agnoſceret, nunquam tamen cogitavit de reducendo portæ ſemicluſæ peſſulo, vel eâ pulſu ſaltèm ad inquirendum tentandâ. Id ſi feciſſet, actum de illo erat: ſiquidem ſatellites in veſtibulo humi ſtrati opperiebātur, ingredienti manus injecturi. Deſperato igitur inventu ædium, noctis reſiduum in Catholici Nobilis tranſegit ædibus: & ſatellites ſimiliter morarum impatientiâ poſt mediam noctem erumpentes, pro Perſonio Sacerdotem Reſthonum, cum præda 7. Nobilium hoſpitum in cuſtodiam abduxêre. Poſtridie manè, publico ubique rumore audit Perſonius ſe eâ ipsâ nocte captum, depictúmque ad vivum ex vultu, perſona, lineamentis, colore videt, proditis nempe indicijs, quæ exploratores ad amuſſim de illo inſidiantibus fecerant. Sed omnium maximè mirum fuit, eum nunquam proditum fuiſſe à famulo Roberto Alfildo, quem comitem ſecretorum omnium circumducebat, Prædicantis pauperis filio, & in Religione Catholica Neophyto, paulò antè hæretico, ſcelerato, viarum graſſatore, ingenio feroce & mobili, tanto præſertim in caput Perſonij conſtituto proditori præmio, quo magnis erat in omnem & ſuam & parentis vitam ditandus commodis. Sed hanc quidem dum eſſet in Anglia, & nocere Perſonio poſſet, cogitationem Divina Bonitas ab eo avertit: nam ex comitiva ejus in Gallias domum redux, continuè in vitia antiqua relapſus, venalem operam prodendis Catholicis & Sacerdotibus vitámque omnem addixit, intérque hos germanum etiam Fratrem ſuum Sacerdotem manibus carnificum tradidit.

His periculis motus Perſonius, cùm niſi miraculo patente videret ſe tot exploratorum oculos & manus, qui in unum illum toto Regno diſperſi, domos, arces, villas ſuburbanas Catholicorum infeſtabant importunitate intolerabili, eludere diutiùs non poſſe; jámque fidelium multi querelas & mœrorem, ex hujuſmodi ejus causâ illatis ſibi moleſtijs & damnis præſeferrent, æquâ lance penſatis omnibus, concluſit divinitus glorioſum quidem apud DEUM ſibi fore vitam & ſangvinem pro Chriſto fundere, fructuoſiùs tamen Eccleſiæ DEI ejúſque utilitatibus, diutiùs inſudare: poſſe fieri credens, ut neque glorioſa mors reducem iterum in Angliam, poſt utilem pluribus adhuc navatam operam, præteriret. Gerebat enim ingentes ſpiritus, & magnas cogitationes ſemper in bona univerſalia & duratura mittebat: prudentiâ item tam ſolerti erat & acutâ, ut quæ cogitârat, egregiè ſemper viâ optimâ ad exitum duceret: grandi fortíque animo, par difficultatibus, quæ ſemper in magnis intercurrunt, frangendis. Itaque ſecedens in Galliam, ſenos in Anglia ſocios relinquebat, ternos in carcere, Edmundum Campianum, Thomam Cottamum, & Jacobum Bosgravium, & totidem à carcere liberos, Gaſparem Haywodum, Thomam Pondo, & Guilielmum Holtium. Rothomagum appulſus, paulò pòſt de beata Campiani nece intellexit, unáque de ſolenni rebellionis ſententia in caput ſuum juridicè pronunciatâ, mortis eandem pœnam omnibus ijs indicente, qui eum hoſpitio excepiſſent, vel in aliquo juviſſent, aut latebrarum conſcij non proderent. Coactus itaque reditum deinceps omnem, præter ingentia damna nihil emolumenti Catholicis allaturum, deſperare, totum ſe ad juvandam è Gallia & Regionibus exteris Angliam convertit. Et in Gallia quidem Augij Seminarium juvenibus Anglis educandis ſtatuit, Ducis Gviſij & Augij religioſâ liberalitate. Rothomagi autem eorundem Seminario Typographiam copioſam adjecit, ad omne genus librorum edendum, qui poſſent Angliæ prodeſſe, cùm advertiſſet nullâ magis re arrogantiam Prædicantium in Anglia deprimi, quàm eorum nervosâ refutatione; neque Catholicos efficaciùs roborari, ùt piorum librorum lectione. Prodiítque illico ex ea Teſtamentum Novum Anglicè ab Alano Cardinali redditum, & lucubratio quædam Perſonij, *Directorium Chriſtianum* inſcripta, præter quam ſi nihil aliud pro Anglia feciſſet, optimè tamen de ea meritus cenſeri deberet, tam multos id opus in viam reduxit errantes, hodiéque reducit.

Sub hæc animo ad vaſtiora extento, agitare conſilia cœpit de Scotia à Calviniſmo Catholicæ veritati vindicanda: quod ſi ſuccederet, certiſſima via apparebat Angliam quoque ad eam reducendi, vel certè plenam Religionis libertatem in ea Catholicis aſſerendi. Cùm enim Regni illius Angliæ contermini Rex Jacobus, Mariæ Stuartæ filius, Eliſabethâ extra conjugium abſque ſobole demortuâ ſucceſſurus eſſet, utì reipſa contigit, in Jura pariter Angliæ & Hyberniæ; & Calviniſmo tinctus potiùs quàm adhuc imbutus, recenti hæreticorum graviſſimâ injuriâ videretur facilè Eccleſiæ reconciliandus, agere cum ipſo ſecretiſſimis internuncijs cœpit Perſonius,

us, maximísque conceptis ex Regis responsis spebus, Generali Societatis Claudio Aquaviva primùm, tum Regi Christianissimo, summo Pontifici, consilia aperuit, & in eadem pertracturus Regem Catholicum, iter ad eum ipse sibi sumendum putavit. Jámque liberum Patribus in Scotiam ingressum, presśísq; in Anglia Sacerdotibus & Catholicis asylum apud se Rex juvenis concesserat; cum novo atrociore scelere Calvinistæ captum suæ potestatis fecêre, & administratione Regni pro libidine sibi asserta, spes omnes in semine elisêre. Personius itaque duobus aureorum millibus pro augmento Rhemensis Anglorum Seminarij, ab Hispano donatus, dum Parisios repetit, dolore pariter & laboribus periculoso contracto morbo, Biblai Cantabriæ portu decubuit; è quo consurgens periculosiùs iterum in Ognatensi Collegio prostratus, Patrum charitate magìs quàm medicinis revaluit, ut iter perficere posset. Non defuit hìc multorum invidia, qui gratiam Personij tantam apud Christianitatis Monarchas suam injuriam interpretati, indignè ferebant consilia in Patriæ salutem per illum expediri, neque etiam se in partem gloriosi laboris vocari. Erant hi Nobiles aliquot Angli, Parisijs pro Fide exules; qui ejusmodi negotiorum procurationem Nobilitati magìs, quàm Religiosis comittendam jactantes, eousque cœco animum impetu abripi passi sunt; ut conspiratione cum Alumnis Seminarij Romani initâ, palàm queri libello supplici Pontifici tradito de Personio, ejúsque importunitati turbas in Anglia omnes & persecutionem contra Catholicos imputare non erubuerint, instantissimè simul flagitantes, ut deinceps Societatis hominibus ingressus omnis & Missiones in Angliam prohiberentur: quo nihil optatiùs Reginæ & Parlamento evenire potuisset. Verùm deprehensâ turbulentorum fraude effecit Personius, ut tantò plures deinceps è socijs in Angliam submitterentur, per quos magnam partem Ecclesia illa constitit, nè penitus fraudibus Regiorum subverteretur.

Ecce autem nova repentè Ecclesiæ Anglicanæ calamitas! dum armis hæreticorum rebellibus Gallia ardet universa, pluribus Civitatibus violentiâ ipsorum occupatis; Seminarium unà Anglorum Rhemense, & alterum Augiense, è quibus tot Sacerdotum subsidia quot annis in Angliam submittebantur, penitus deletum est. Versabatur tum Personius mandato Generalis Societatis in Aula Regis Catholici, apud quem singulari gratiâ pollebat, & æstimabatur pro Viro capacis ingenij eminentísque judicij & virtutis. Quam ille Regis benevolentiam solerter adhibens ad rem Catholicam, Anglorum varijs subsidijs levandam; inter cetera census annuos obtinuit pro Seminario Duaci, in locum duorum perditorum, in Gallijs erigendo, & altero S. Audomari. Neque his contentus, eò insuper Regem & præcipuos Hispaniæ Magnates permovit, ut in ipso etiam Regno Seminaria Anglis fundarent; unum Vallisoleti: alterum Hispali; in quibus Juvenes in spem martyrij educabantur, & annis singulis in magno populi concursu die solenni ad Altare votum renovabant, repetendæ post susceptum Sacerdotium juvandæque Patriæ, & fundendi pro Religione si necessitas ferret sangvinis: ex quo magnæ venerationi & in amoribus erant Catholicæ illi Nationi, & quoties prodibant in publicum, monstrabantur tanquam martyrij candidati. Et profectò Sapientum omnium sensu vel unis his Seminarijs tantùm statuendis plus Angliæ profuit Personius, quàm si ad mortem usque in ea laboribus Apostolicis insudâsset. Neque ignorabat Elisabetha cum suo Parlamento, quantum suæ hæresi damnũ in ejusmodi Seminarijs pararetur: hinc non multò pôst gravissimis propositis pœnis edictum crudele promulgavit, nè quis suorum subditorum istiusmodi in Contubernijs viveret: quo tamen non obstante, in solo Audomarensi Seminario plus centum adolescentes Angli, ingenuitate, nobilitate præstantes, constanter educabantur.

Post ereptam è vivis Elisabetham cùm ad Regni gubernacula successisset Jacobus Rex Scotiæ; atrocior quàm antea mox tempestas in Catholicos desævijt, novo illis proposito juramento, quo Primatum Pontifici & obedientiam omnem ejurarent, & Regi utramque in rebus etiam spiritualibus assererent: recusantibus jusjurandum, confiscatio bonorum, & carcer perpetuus indicebatur. Consternati edicti atrocitate Catholici multùm inter se agitabant, an salvâ conscientiâ juramentum admittere possent; quos, constitutus à Christi Vicario per Angliam Archi-Presbyter Blackwellus, in apertam ruinam impulisset, licitum id esse non tantum palàm jactando, sed etiam juramentum id, timore mortis perculsus, nuncupando; nisì P. Ricardus Holtbeyus Societatis per Angliam Superior obstitisset, & negotio ad Pontificem Paulum V. Romam denunciato, duplex indè Pontificium Breve recepisset, quo impia juramenti formula apertissimi schismatis damnabatur. Neque omisit Personius impium dogma libro Anglicè vulgato impu-


impugnare, qui avidissimè toto Regno à Catholicis lectus, multa millia illorum in Pontificis obedientia retinuit, ringente cum suis Jacobo Rege, qui in Blackwello Catholicos omnes subversos credebat. Neque hìc finis calamo Ecclesiam tuendi Personio fuit: 18. libros alios incredibili zelo conscripsit, quibus infaustas hæreticorum fidei impugnationes eâ felicitate enervavit; ut sensus fuerit in Anglia multorum, ipsum si nihil aliud in vita nisi scribendo egisset, nostrorum tamen qui erant in Anglia comparatione, plus omnibus ad convertendos hæreticos & perficiendos Catholicos laboràsse. Dum verò ità Personius nervis & viribus omnibus grandia semper veri amoris in Patriam & Religionem studio molitur; tam carô id illi stetit; ut cujus unquam fama fuerit scissa crudeliùs, calumnijs atrocioribus innocentia, & nominis honor libris, literis, edictis, fœdiùs deturpatus, sciam neminem. Nullum Elisabetha suorum & falsorum Catholicorum operâ acerbioribus insectata est diris & furijs; & quem in Anglia perduellionis reum publico edicto damnaverat, eundem in Regionibus externis omni ratione perditum volebat. Nec defuêre conatibus ejus invidentiæ & privata comoda cœcè quærentes quidam Catholici, dum fucatis rationibus ad eum evertendum conspirantes, svadere iterum Gregorio XIII. & rursum Sixto V. ausi sunt, tamdiu graviùs vexatum iri in Anglia Catholicos, quamdiu non ligarentur Personio manus, prohiberetur scribere, Seminaria moliri, rebus Angliæ se immiscere. Sed cùm Pontifices sapientissimi (rati Elisabethâ, Cæcilium, Walsinghamum, capitales Fidei hostes lingvis eorum loqui) delationes suspectas haberent; faciliorem se illis præbuit Clemens 8. jussítque Personium Româ facessere: sed is cautè jussa discessu prævenerat. Nec minus actum est apud Henricũ IV. Regem Christianissimum, ut invisus ei, tanquam Regno malè addictus, fieret; ut taceam atrocissimas calumnias famosis in eum libris contortas, quibus etiam legitimos natales illi ereptum ibant.

Nihil tamen his ab invicta animi constantia deterrebatur Vir mitissimus & humillimus, majore etiam tranquillitate vivere solitus inter adversa & hostium insectationes, quàm inter prospera, & dignitatum oblationes. Sanè cùm Alano Cardinali Anglo è vivis sublato Catholici Angli vota & oculos in Personium verterent, dignum præ ceteris qui Alani locum & mensuram impleret; credere-túrque Rex Catholicus, qui dignitatem hanc Alano impetraverat, favorem eundem procliviùs etiam Personio præstiturus; tantùm ipse ab eo gradu horrorem ostendit, ut scriberet ad Amicum, mortem se præoptare potiùs, quàm ut Societati fidem ac DEO violet, cui votum dixerat rejiciendi dignitates Ecclesiasticas. Neque his contentus, Generalem cum Assistentibus in opem interpellavit, ipsúmque tandem adivit Pontificem, deprecaturus id quod timebat. Erat ejus symbolum & amussis in usu vitæ illud Apostoli: *bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Cujus regulæ quàm tenax esset probavit, cùm sævis excruciatus doloribus, quibus dies supervixit paucos, egit cum Primate Hiberniæ de rebus Ecclesiæ tam tranquillè, ut nullum ei præberet indicium tormenti quo divillebatur. Verbo, ex quo se utilitatibus Ecclesiæ Anglicanæ mancipavit, nullus abijt dies, totis quibus illi superstes servivit annis, in quo illud de se non expresserit, quod Alanus de ipso scripserat ad Generalem Aquaviva: *P. Roberti industria, prudentia, zelus, in scribendo & agendo dexteritas, superat omnem fidem.* Postquam igitur ab anno 1580. ad annum usque 1610. eâ fidelitate bonum Angliæ conatu omni per annos 30. procuràsset, morbo repentè correptus est Romæ tam acuto & sævo, ut paucis diebus spem omnem vitæ abstulerit. Ipse ante omnia intentus animo ad iter æternitatis ritè comparando, simul etiam præsidijs quibus in Anglia muniri posset Societas, scripto illa tradidit P. Generali. Tum epistolam dictavit ad Episcopum Audomarensem, Anglorum illic in Seminario verissimum Patrem: alteram ad Archi presbyterum Angliæ Birckettum, ejúsque Clerum: & tertiam denique ad socios in Anglia existentes. Invisêre ægrotantem Generalis & Assistentes, tum etiam Cardinales Farnesius, Bellarminus, Blanchetius, Bandinus, multóque majore numero Episcopi, & diversorum Prælati munerum: ipse etiam Pontifex Paulus V. cognito extremo ejus periculo ex Cardinali Farnesio, benedictione illum Pontificiâ dignatus, peccatorum veniam indulsit, quam solent Pontifices eo in articulo Cardinalibus impertiri. Instantem sub hæc sentiens discessum, collum sibi fidiculis obvolvi petijt, quibus ejus Sodalis dulcissimus Campianus olim fuerat in eqvuleo tortus, quas piè exosculatus plurimùm doluit, non fuisse illi martyrij socium; gratias tamen DEO agens, quòd annorum saltèm 30. sudores non esset gravatus à se admittere. Sic preces inter & lacrymas Sociorum, & Seminarij Anglici

glici juvenum, ſpiritum DEO reddidit 15. Aprilis, Anno 1610. ætatis 64. Societatis 36. Corpus peculiari ſandapilâ clauſum, & ad dexteram intimi ſui olim Alani Cardinalis ſepultum in templo Seminarij Anglicani.

Porrò Seminarium poſt ejus obitum afflavit illico is ardor pietatis, fervoris, & aſpirantis ad Divina ardoris, ut non dubitarent illum tanquam pignus accipere amoris in ſalutem ipſorum perpetui.

Ex Anglia Bartoli & Mori.



Rudolphus Emerſonus S: J: Anglus, ex animarum zelo ad obſeqvia famularia PP: Campiani, Perſonij, Weſtoni, in omnia pericula, & 20 annos toleratū carcerem promptus. Obijt Audomari in Belgio circa A: 1610.

85.

RUDOLPHUS EMERSONUS.

PRetioſo Virorum Apoſtolicorum Catalogo accenſeri jure optimo meruit Rudolphus natione Anglus, etſi conditione Laicus, qui vitam in Societate omnem laborantibus in cura animarum Sacerdotibus Campiano, & alijs impendit, carceribus eâ causâ Londini, Wisbici, totos 20. annos crudeliter attentus. Poſtquam à Gregorio XIII. Pontifice, Patribus Campiano & Perſonio Anglicana miſſio decreta fuit, additus illis eſt Rudolphus Coadjutor, utì ſtaturâ puſillus, itâ excelſo & ingenti animo, in ſortem modò ſocij, modò famuli & pediſſequi, prout occaſio & neceſſitas ferret ad ſecuriùs agenda per Angliam itinera, & officia tectiùs hæreticos inter adminiſtranda. Cùm quibus in Belgium delatus, relictus eſt à Perſonio præeunte, futurus Campiano in Angliam ſecuturo ad Catho-

licorum hospitia, quorum inprimis gnarus erat, ductor & custos: cui deinceps etiam toto, quo extra carceres operari salutem animarum licuit anno, fidus adhæsit comes & servus, vitam perpetuò in procinctu circumferens, ad eandem fortiter ponendam expeditus, sicubi vafer explorator deprehendisset illum Sacerdoti servire, præsertim Jesuitæ, quod jam tum capitis pœnâ interdictum erat: nullius unquam periculi metu sic exterritus, quin se statim majori objiceret. Vix Angliæ portum cum Campiano tenuit, cùm Gubernatori suspecti redditi, parum abfuit quin tenerentur, nisi mutato repentè, DEI instinctu, animo Gubernator, nullâ aliâ novâ apparente causâ, liberos abire, quò vellent, jussisset. Ex quo tempore Rudolphus sacratam semel DEO vitam, & in omnes pro fidei augmento casus, hostium gladios, carceres, & tormenta devotam, nunquam deinceps habuit pro sua; sed fidus Campiano comes adhæsit, omnium ipsius in animarum quæstu laborum, itinerum & calamitatum particeps: fidelitatis integritate & prudentiâ ità probatâ, ut de utraque certus Personius, etiam Superiorem aliquando sui loco ipsum Campiano præfecerit, jusso perinde atque sibi obtemperare. Discedebant postremùm ab invicem in diversas Angliæ Provincias; Campianus in Norfolciam, in Cantium Personius; & quia severo interdicto adstrictus erat Campianus, nè in ullas Catholicorum ex via diverteret ædes, nisi in publica tantùm, quò lateret securior, diversoria; rogare instanter Personium cœpit, sibi ut ejus voluntate liceret in villam nobilis viri Jattæi, penes quam ipsi transeundum erat, divertere. Personius qui periculum ingens videbat in domo celebri adiri, concursibus sinè dubio Catholicorum ad nomen Campiani futuris, & exitum abeundi nullum relicturis, induci non poterat ut assentiretur: quasi divinitus præsagus secuturæ in ea domo, quæ reipsa deinde accidit, Campiani captivitatis. Donec interfatus Campianus promittit se, si facultas adeundi Jattæos fiat, moræ illic à Personio præscribendæ tempus sacrosanctè observaturum. *At quem*, inquit Personius, *fidei vadem dabis? Rudolphum hunc nostrum*, respondet Campianus: *bene habet*, subjicit Personius: *ego te Rudolphe Campiano in hac expeditione præficio, vices tibi meas committo: tu Rudolpho Campiane obsequium perinde ac mihi debebis: Nolo autem ut plus uno die, vel unâ nocte, horis additis antemeridianis sequentibus, quibus divina omnia peragi possint, eo loco subsistat Edmundus: id quod Rudolphe cavebis diligenter, nè quovis prætextu violetur.* Verùm expugnato instantissimis precibus Catholicorum illic nobilium Campiano, ubi totum resistendi pondus in Rudolphum incubuit, ille principiò satis quidem ferox, postquam tamen rationibus certari cœptum est, brevì homo simplex succubuit, & in ulteriorem Campiani apud Jattæos moram consensit. Cujus suæ facilitatis totâ reliquâ vitâ incredibiliter eum pœnituit, utpote quâ Campiano, sceleratâ Eliotti proditione, ibidem post biduum comprehenso, extremum exitium accersitum est.

Post hujus captivitatem desertus undique Emersonus, in Galliam tandem ad Personium feliciter evasit, in difficillimam mox iterum ab illo expeditionem in Scotiam destinatus, & abeunti illuc Sacerdoti Guilielmo Holto additus, ad tentandum Regis Jacobi in favorem Catholicorum animum. Indè post nefariam Regis, hæreticorum fraude intercepti, comprehensionem reversus in Gallias, jubetur cum P. Westono in Angliæ redire pericula, ab ijsdem quibus Campiano futurus obsequijs, in metatione præsertim & designatione hospitiorum ac locorum, quorum seu pericula, seu commoditates & securitatem longo usu habebat exploratissima. Et jam portum Angliæ securi tenebant, relictúsq; à Westono Londinum prægresso ad sarcinas librorum plenas eodem promovendas Rudolphus, illas tutò ad urbem deduxerat; cum scrutator publicus Regiâ auctoritate excussis sarcinis, libros deprehendit ingenti numero Catholicos, pœnâ capitis in Regnum inferri vetitos: ex quibus de Sacerdotio insuper suspectus factus Rudolphus comprehenditur, & priusquam Westonum Londini vidisset, carceri recondito quasi extra mundum & vivos ità sepelitur, ut Westono per annum integrum nullis aut nuncijs, aut indicijs, ulláve industriâ subolere potuerit, ubi esset, quóve ergastulo, vivus an mortuus servaretur? voluissent quidē libenter Regij extremo supplicio reum addicere; sed cùm Sacerdotij vestigium nullum deprehenderent, & importatos contra leges Regni libros prohibitos, famulārem præcisè operam eorum possessori & domino exhibenti (cujus nomen nullis quæstionibus à se extorqueri patiebatur) imputare non possent: è barathro suo protractum mitiori carcere Clinkio incluserunt, in quo P. Gerardi eodem detenti consvetudine diu potitus, hoc ab illo præclarum meruit elogium: *Rudolphus Emersonus staturâ pusillus, animo excelsus, vir fuit malorum tolerantissimus;* ... *annos*

annos enim complures carcere coarctatus, æquè illic se semper pium valde & religiosum exhibuiti, planè qualem decebat germanum Societatis alumnum. Cujus fideliter tot Viris Apostolicis navatæ operæ, plurimarum animarum salus debetur.

Clinkio alijs cum Christi militibus Wisbicum translatus, deinceps constanter sub Westoni disciplina, perinde atque in Religioso contubernio vixit, omnibus ijs exercitijs quibus Socij in Collegijs DEO inserviunt, perinde in certas horas, & statas mensium atque annorum vices distributis, pijssimè vacare solitus: aliorum insuper obsequijs, servi instar & mediastini, dum per vires & valetudinem licuit, operam instanter impendens. Nam morbo tandem correptus est ex tot ærumnis & calamitatibus, ad accessionem suorum meritorum, lethali, nec diuturnitate medicabili, nec arte. Solutis siquidem paralysi nervis, toto captus corpore inutilis jacuit; quâ sui morte dimidiâ, vitæ passus jacturam dimidiæ, invictæ nihilominus semper patientiæ exemplo fuit. Post annos tandem ærumnosissimæ custodiæ 20. ex occasione publicæ lætitiæ in promulgatione novi Angliæ Regis Jacobi, cum Sacerdotibus alijs anno 1603. deportatus in Belgium, Audomari vitam sancto fine non multò pòst absolvit.

Ex Anglia Bartoli & Mori.

P. ANTONIUS POSSEVINUS.



Pater Antonius natione Italus, patriâ Mantuanus, Vir eximiæ sanctitatis & doctrinæ, de quo Carolus Augustus in vita B. Francisci Salesij testatur; cùm hujus Sancti Parens præceptorem illi pro Philosophiæ doctrina tradenda, verâ pietate & solerti prudentiâ conspicuum perquireret, cœlesti quodam indicio in Possevinum, Societatis postea Theologum incidisse. Neque videri mirum, tantum sapientiæ humanæ divinæque Possevinum comparâsse, cui à prima ætate sciendi ardor is inhæserat; ut cùm ad quietem se noctu componeret, tibiam ad columellam lecti alligaret, ut ubi se à primo sopore commovisset, eo velut monitore ad studia excitaretur. Ex qua puerili solertia, utilis, quam ad ultimam senectam tenuit, consvetudo illi inolevit, ut interruptâ noctu quiete, assvetus insomnijs, horas aliquot curis gravissimis & orationi daret. Ergo scientijs omnibus mansvetioribus, Philosophiâ, ceterísque instructissimus, & Græcè perdoctus, innocentiâ quoque morum, modestiâ ac svaviloquentiâ spectatus, quæ grata oris in adolescente viginti aliquot annorum decorabat majestas, apud Virorum Principum multos, à quibus certatim expetebatur, gratiosus erat. Assumptus post alios est ab Hercule Cardinali Gonzaga (qui dein Tridenti, S. Synodi Præses decessit) & Francisco fratris filio, & Scipioni pronepoti Gonzagis, qui ambo deinde fuêre Cardinales, morum & studiorum moderator est appositus. Diu anceps hæsit, tam multa sibi à DEO credita talenta humíne foderet in terrenas, utì sæculum invitabat, abjecta curas; an ad sua animæ & Domini lucra, quò DEUS identidem vocabat, sanctis negotijs occuparet: quoad DEUS ad superandam carnis luctam nec cogitanti calcar subjecit. Neapolim cum Principibus sibi creditis coactus excurrere, in Sacerdotem Societatis confessurus incidit, qui auctor fuit illi faciendæ generalis de tota vita confessionis, rei antea Possevino inauditæ: quâ per otium & sedulò peractâ, ità profecit; ut bis deinceps in hebdomade SS. Sacramenta Pœnitentiæ & Evchanstiæ obire, & ad vitam Societatis animum adjicere cœpit. Mantuam inde repetentem adeò gravis invasit concertatio carnis ac spiritûs, ut ex fatigatione luctæ in febrim inciderit. Retardabat per speciem pietatis ab Religionis ingressu, tum erga senes parentes & egenos nepotes charitas; tum quòd cùm universalem historiam, magnorum Principũ instinctu, scriberet, videbatur sibi in publicum bonum satis conferre, si exempla virtutum & pietatis incitamenta in id opus aptè locóque insereret. Mantuæ à Cardinali Gonzaga, qui eum familiæ suæ penitus devincire satagebat, S. Antonij apud Fossanum Præceptoriâ donatus; ubi ad ineundam Ecclesiasticam illam possessionem discessisset, videns eas oras hæresi infectas, magnopere commotus est, & accedentibus conscientiæ stimulis, quòd sacros reditus ad se, qui nihil unquam pro Ecclesia fecisset, pervenire cerneret, ad interiora vitæ mutandæ consilia vehementiùs cœpit urgeri.

Itaque Patavium discedens, Patris nostri Benedicti Palmij conciones ardentissimas audire, & bis quavis hebdomade Sacramenta apud nos frequentare cœpit, usus arctissimâ familiaritate Leonetti Gagliardi, nobilis civis Patavini, & adolescentis prudentissimi. Quia vero



P. Antonius Poſſevinus S. I. Italus, perpetuis Miſſionibus ad Fidei propagationem, et Apoſtolicis in Sveciam, Moſchoviam, aliasq; Regiones Legationib9 perfunct9. Obijt Ferrariæ 26 Feb: 1611. Æt: 78.
86.

verò Leonettus per id tempus Spiritûs divini inſtinctu, de Societate cum duobus ſuis germanis fratribus ineunda conſilium agitabat; animum hunc ſuum Poſſevino familiariter aperit, tanto iſtius motu, ut & ipſe remiſſo continuè domum famulo rectà Collegium peteret, noctem illam in Collegio agere poſtulans, ad deliberandum quietiùs de animæ ſuæ rebus. Poſtridie manè SS. Evchariſtiam à Palmio ſuſcepturus, tacitè apud ſe vovet, ſimul atque nepotibus ſuis, unde ſtudia literarum proſequantur, provideritt, in Societatem ſe continuè tranſiturum. Quæ cùm diceret, repentè interiori voce quaſi DEI reprehendentis auditâ: *ergône tuis nepotibus me credis non poſſe ſinè te proſpicere?* voto ſe planè libero ingrediendi obſtrinxit; adjiciens, nec gradum quidem honoris & dignitatis Eccleſiaſticæ unquam admiſſurum? vix votum illud conceperat, receptúſque in Societatem à Generali Lainio fuerat; cùm intellexit agi ab Othone Cardinali Auguſtano de ſe apud Ferdinandum primum Cæſarem ab epiſtolis conſtituendo: eodémque tempore Papa Pius IV. Franciſcum Gonzagam, cujus Pædagogũ eatenus Poſſevinus agebat, in Cardinalium Collegium adlegerat: ut plane adverteret Poſſevinus Divinæ providentiæ erga ſe benignitatem, eo tempore ſæculo ſe eripientis, quo maximum periculum imminebat, nè ambitionis torrente in mundana abriperetur. Ergo ad tyrocinium Romam cum Gagliardis, & aliquot præterea ſodalibus per Lauretum tendens, Anno 1559. antequam Tolentinum venirent, Vincentium Belmagium, alterum è duobus ſuis famulis alloquens, quare Romam ten-

tendat exponit, addítque: *en Vincenti, si ipse quoque inducas animum Christo te penitus mancipare, jam mihi fratris vice eris; & quem mihi hactenus famulatum impendisti, eum ego tibi lubens in Societate rependam.* Sed Vincentius alia omnia cogitans, & praeoccupans relinquere à quo se Romae deferendum intellexit, in patriam retrò iter vertit. Vix Lauretum redux tenuerat, cùm sacrati Sacelli aditus, & Divae Virginis conspectus, totum immutavit, ut omissâ patriae & mundi totius curâ, Rectorem Collegij continuè adierit, & summis precibus Societatem flagitârit, in qua multis meritis & virtutibus conspicuam vitam felici morte ibidem Laureti clausit. Ubi verò Patavij innotuit tot nobilissimorum juvenum (nam Possevinus 26. annorum tunc erat) ad Religionem transitus, mox eorum exemplo è primoribus Urbis familijs plures adolescentes, eodem ardore incensi, Societatem complexi sunt.

Post bimestre ferè tyrocinium (utì tunc adhuc mos erat ob penuriam Operariorum) ad Collegium Romanum studia sacra prosecuturus è Domo Professorum transijt, cùm illo eousque Fossani in ditione sua Ecclesiastica non comparente, rumor ibi vulgatus est, morte extinctum esse. Quâ occasione cùm eam possessionem cupidè quidam invasissent, mittendum eò ad res componendas Possevinum Lainius duxit, mox anno insequente 1560, estò necdum votis religiosis, sed privatâ duntaxat devotione nuncupatis, illigatum; eâ maximè causâ, ut rem Catholicam omni conatu illic promoveret, & ejus conservationem Duci Subaudiae commendaret. Et verò usus eâ occasione DEUS est, ad hominem nobilitandum multis de hostibus fidei victorijs. Ducem enim conveniens, dissimulando tum quidem se de Societate esse, eâ dexteritate & prudentiâ versavit, ut ad ditiones suas, haeresi passim inquinatissimas, ab erroribus expurgandas animatum, ea sola premeret difficultas, quòd modum non reperiret, morum & fidei tam latè propagatam corruptelam extirpandi. Sed illum sapientissimè suggessit Possevinus, svadens: 1. Quoniam in Religiosorum monasterijs miserum in modum severior disciplina conciderat, ac plerique religioso habitu indigni, per morum ac doctrinae corruptelam trahebant secum populos in exitiū, daret ad Generales Ordinum & Protectores Cardinales literas, quibus rogaret ea cœnobia visitari, & melioribus submissis praedicatoribus reformari. 2. Quaestuarios Abbatiarum nè id negotij per haereticos, apostatas, aut scandalosos Sacerdotes administrare pateretur: quod utrumque Dux magno animo citra ullam dilationem executus est, & Tridentina Synodus Quaestuarios ejusmodi paulò pòst penitus abolevit. 3. Sacerdotia & curata officia deferri non nisì ijs sineret, qui fideliter ac prudenter commissam sibi possent, velléntque Domini familiam pascere. Ad quod ingemiscens Dux: *rectè quidem tu mones*, ait, *sed unde in tantis tenebris támque sterili saeculo, talis copia Sacerdotum, virtute ac scientiâ praeditorum? Ferdinandus Caesar*, subjicit Possevinus, *ad homines ejusmodi efficiendos duplici utitur viâ, primò bonae spei Juvenes Romam in Collegio Germanico educandos, sub disciplina Patrum Societatis mittit. 2. Eidem Societati in omnibus suis Provincijs Collegia fundat & Gymnasia, quorum industriâ domi etiam idonei ad Sacerdotia formentur: quo praesidio fatetur Imperator, uti & Dux Bavariae, Rex Lusitaniae, nullum praesentius miserrimis hisce temporibus se invenire subsidium, quo & tenera aetas religiosè educatur, & Catholici confirmantur; nec virus modò haereticorum, nè serpat, comprimitur; sed eorum multi ab errore abducuntur.* Atque haec ità probata sunt Duci, ut continuè à P. Generali Lainio postulaverit Viros de Societate ad duo Collegia incolenda, quae ocyùs in sub Alpinis fundare destinabat: scripsítque unà ad civitatem Anessiensem, magnopere illos hortatus ad ponendum apud se Societati Collegium.

His ità magno rei Catholicae bono confectis, Fossanum Possevinus excurrit, ac Praeceptoriae rebus ex animo constitutis, haeresísque vicinae statu cognito, Ducem admonuit, in Valle Perosa publicè impunéque ab eis conventicula haberi. Neque is moratus, haereticos omnes indè & totâ ditione suâ proscripsit, & de praecipuis quibusdam errorum seminatoribus igne supplicium sumpsit, quo reliqui perterriti vel solum verterunt, vel Ecclesiae (quod à plerisque factum) reconciliati sunt. Verùm in Valle Lucernae, & Angroniae, ubi receptaculum & colluvies omnium haeresum fuit, magìs obfirmati, ausi fuêre armatam Ducis manum, ad comprehendendum primarium haereseos ministrum missam, invadere, & plerosque militum crudeliter trucidare. Quo scelere exacerbatus Dux cùm armis subigendos rebelles statuisset, nè tamen intentatum mitius remedium ullum relinqueret, Possevinum ad eorum animos tentandos praemisit, qui 4. oppidorum Vallis Angroniae praefectos, & aliquot haeresis magistros ad colloquium invitatos convenit. Comparuêre

14. &

14. & in his caput illorum Stephanus quidam Gallus Apostata: cum quibus de Fidei præcipuis capitibus consertâ disputatione Possevinus, estò necdum Sacerdos, nequedum Tyrocinij biennium egressus, cùm mysteria Catholica ex Scriptura, SS. Patribus, totâque Ecclesiæ primitivæ antiquitate evidenter probâsset; (cui rei accuratè per otium, totum Canisij magnum Catechismum, in quo PP. omnium testimonia recitantur, evolverat) argutè, ùt sibi plaudebat, ministrorum unus: *unde constat*, inquit, *eos libros Auctorum esse, quos nomināsti*? cujus stultitiam cum uno verbo refellisset, *indè penitus constare, unde constet ipsis Evangelia à Sanctis, quibus imputantur, esse conscripta*: tum Hortensius apostata ex Cœnobio Neapoli cum muliercula profugus, prehensâ Possevini manu: *juro*, inquit, *si quæ ex Irenæo protulisti, ex ipso ejus codice verè ostenderis, manus me cum omnibus his daturum.* Possevinus præsentibus omnibus in testes sponsionis acceptis, expedito mox cursore, Augustâ Taurinorum petitum Irenæum profert: sed qui ad sacrilegia omnium generum occaluerant, jusjurandum polluere haud pensi ducebant. Ergo Dux frustra lenioribus tentatis remedijs, immisso in eos exercitu, summam Ecclesiasticæ rei Possevino, auctoritate Nuncij apud se Apostolici, committit; subactísque perduellibus, 34. è primarijs Vercellas evocati, omnium nomine in templo principe, hæresim, præeunte formulam Possevino, à quo priùs in Fide eruditi fuerant, ejurârunt. Indè Possevinus Vallis utriusque oppida & pagos, non sinè præsenti vitæ periculo lustrare, verbum DEI ubique prædicare, libros hæreticos igni damnare, & Catholicos pro illis dispergere, Canisij Catechismum ubique explicandum constituere. Quibus rebus zelo Apostolico ingentíque fructu gestis, ità se Duci, Episcopo Genevæ & Nuncio Apostolico probavit, ut non defuerint Principes Viri, qui rogandum Pontificem putârunt, ut tantum Virum honoribus Ecclesiasticis ornaret, ignari adhuc, illum de Societate esse. Sed ipse rem odoratus, diligenter Lainio perscripsit, ut molimina eorum interverteret, sibi enim certum esse ex pridem edito voto, licèt necdum Societati votis religiosis adstricto, dignitatem nullam Ecclesiasticam, nè à Pontifice quidem oblatam, nisì sub peccato adstringatur, admittere.

Anno insequente 1561. per vota religiosa legitimè Societati adjunctus, unáque Sacerdotio initiatus; cùm, demortuo Francisco Gallorum Rege, Angronienses in perfidiam relapsi, inito cum finitimis Delphinatûs hæreticis fœdere Duci rebellâssent, missus iterum in eos miles est, adjuncto eidem, quâ priùs potestate, Possevino. Denuo itaque majore violentiâ subactis, Possevinus primùm è Ligurum & Mediolanensium cœnobijs selectos 40. Concionatores evocavit, pérque loca opportuna distribuit, quibus impendia in alimenta libenter Sabaudus & Nuncius Apostolicus ex reditibus Ecclesiasticis constituit: deinde minoris catechismi Canisij innumera exempla, & in patentibus folijs opportuna monita ad cavendas hæreses, excudi sumptibus Ducis, Vercellis, Genuæ, Venetijs curavit, toto illo tractu dispergenda, & publicis ubique locis, in diversorijs etiam & cauponis affigenda. Quibus rebus, & assiduâ suâ prædicatione vehementer rem Catholicam promovit, etiam in Gallorum terris, Cherij primùm, tum etiam Turnone. Et Cherij quidem (quò irrepentes Calvinistæ, illud pro Geneva in Italiæ faucibus destinabant) cùm dicere cœpisset, Gallorum Calvinistarum præcipui illum laudibus extollere, prædicare eloquentem doctrinam, tum sponsam lectissimam apud se, & primum inter ministros locum deferre. Sed à castissimo Sacerdote rejecti, Burdillonium Regis Christianissimi Taurini Præfectum monent, si Possevinus Cherij concionari sinatur, urbem Sabaudo propediem cessuram. Accersitus à Burdillonio Possevinus rogatur, quid ità Pro-Regis injussu Cherium venerit? at ubi docuit, se facultate Taurinensis Episcopi intrâsse, ostendítque quo loco res Catholica ibi sita esset, etiam cum honore à Catholico Præfecto dimissus est. Taurini deinde in principe æde populum docens, opportunitatem conveniẽdi Lainij ex Gallica legatione reducis, nactus, vitæ suæ concionúmque rationem illi pro Societatis more reddidit. Neque aliud, perceptis omnibus, sciscitatus ex eo est sapientissimus Generalis; nisì, an concionibus habendis augeri sibi perfectionis suæ desiderium sentiret? id enim argumento esse, rem ordine rectéque administrari. Posthæc Ripolim concionibus excolens, paulò pòst missu Nuncij Apostolici ultra montes ad Allobroges transiit, & Camberij potissimum rem strenuè gessit, effecítque, ut Senatus decreto statueret catechismum Canisij in scholis tradi, hæreticos verò libellos omnes aboleri, neque ullum deinceps ex hæreticis in urbem admitti. Quibus promovendis cùm necessariam esse videret Pater catechismorum & librorum Catholicorum gallicè copiam, Lugdunum ad eam paran-

parandam migravit. Sed præter ſpem omnia à Calviniſtis ibi turbata reperit, Præfecto Urbis Comite à Saltu illis non modò favente, ſed occultè etiam poteſtati eorum Urbem dedere moliente. Quare dicere pro concione ferijs Quadrageſimæ ad Italos aggreſſus, priore concionis parte in Evangelij explicatione & caſtigatione morum conſumptâ, initio poſterioris Inſtitutiones ipſas Calvini in manus ſumens, *videamus*, ajebat, *de hodierno Evangelij loco, quid adverſarij doceant*. Tum recitatâ Calvini ſententiâ, tum vafrè allegatis ab eo Patrum & Conciliorum ſententijs; continuò ipſa illorum volumina, quæ ſemper in promptu in cathedra habebat, & quidem omnia Baſileæ impreſſa, nè cavillari poſſent eſſe à Catholicis corrupta, aſſumens, ea ipſa teſtimonia clarè diſtinctéque pronunciabat. Quâ viâ cùm palàm deprehenderetur Calvini nequitia, triumphabant meritò Catholici; ringebantur autem in Poſſevinum hæretici, & ſæpius de medio ſuſtuliſſent, niſi nobiles duo Melitenſes Equites eum ſibi cuſtodiendum ſumpſiſſent. Adjecit & Catechiſmi in templo PP. Dominicanorum gallicè explicationem horis poſt meridem, quæ hactenus auribus Lugdunenſium nunquam inſonuerat: ſimúlque edidit libellum de diviniſſimo Sacramento, cum blaſphemiarum Calvini confutatione, & utroque certum ſibi vitæ periculum creavit.

Interceptâ enim paulò pòſt fraude hæreticorum urbe, direptíſque cum profanatione templorum ſacris omnibus, Poſſevinus ab ijs captivus detentus eſt, mortem illi certam interminantibus, niſi vicini oppidi Montis Lulli Præfectus Gubernatori Lugdunenſi ſignificâſſet, quo loco apud Sabaudum Poſſevinus eſſet; cui ſi injuria fieret, Ducem non inultè laturum; atque ità ut incolumis dimitteretur, expreſſit, evitatis mirâ DEI providentiâ, qui in inſidijs ad eum necandum poſiti erant, militibus. Cherium itaque regreſſus, 10. menſium catecheſi & concionibus ex Arce illa Calviniſmi, ſedem veritatis & propugnaculum effecit; & præter multa alia ſalutifera opera, florentem Sodalitatem inſtituit SS. Sacramenti, legibus his devinctam, ut præter hebdomadariam concionem, publicâ ſupplicatione S. Evchariſtiam deferret ſingulis menſibus ad unum è 4. templis præcipuis. Quod cùm inſigni animorum ardore fieret, non modò profuit arcendæ procul ab urbe hæreſi; ſed aliqua ex parte ſarciebat honorem Chriſto Evchariſtico à Calviniſtis impiè detractum. Recepto à Chriſtianiſſimo Rege Lugduno, revocatus illuc ad habendas Italicè conciones Poſſevinus, eas magno ardore & fructu, inter hæreticorum vexationes & injurias conſtanter obivit; expiabat unà noxios, catecheſim rudibus explanabat, nec ullam certaminis cum novatoribus occaſionem omittebat, quorum permultos Eccleſiæ adjunxit: eâ rerum Lugduni, DEO juvante, converſione; ut incolæ ipſi, & P. Edmundo Augerio ibidem laboranti, ſalutem ac religionem ſuam præcipuè ſe debere profiterentur. Interim ſuborta peſtifera lues, magnam laborum materiam Poſſevino attulit, qui vitam pro ſalute proximi exponens multis animæ & corporis ſaluti fuit, quam eandem charitatem aliàs laboranti in Gallijs ex peſtilentia Pontificio exercitui, invicto animo exhibuit. Quia verò Italos mercaturâ ferè Lugduni occupatos, multa per negotiorum iniquitatem peccare adverterat, 80. concionibus ad fœnus & injuſta lucra extirpanda incubuit: nec quievit Pontificem ipſum Pium V. interpellare, quoad proprio diplomate injuſtitiam illam damnavit. Quibus curis perpetuam illam ſuam interſerebat ſeu ſcribendi, ſive ab alijs editos pios libellos longè latéque diſſeminandi: quam ejus providentiam cordi ſibi eſſe prodigio DEUS declaravit. Namque in ſuburbio cùm fortè ignis illapſus in ſtabulum ceteras abſumpſiſſet mulioni merces; ſarcina in quam erant faſces aliquot eorum libellorum impoſiti, medias inter flammas intacta permanſit. Venerat ſub hæc Lugdunum Rex Galliæ Carolus, cùm Petrus Viretus, Chriſti & Ordinis S. Franciſci deſertor, ſpe ſuæ ad Catholicos reverſionis Regem, Reginam, & Nuncium Pontificium lactans, aliquem ab iſto expetijt, cum quo de Fidei dogmatibus colloqui poſſet. Aſſignatus Poſſevinus licèt nullo fructu colloquium iniri prædiceret, in præſentia Nuncij Sanctacrucij ità eum revicit; ut mutire ſenex inveteratus in contrarium nil poſſet. Certamen igitur pro illo ſubijt Aquenſis olim Archi-Epiſcopus, nunc Hugonottus teterrimus, ſago & armis accinctus; ſed cùm neque is quo reſiſteret, inveniret; illud cavillari incepit, quòd inter teſtes veritatis Poſſevinus etiam S. Bernardum adduxiſſet: *quia nè ſexcenti quidem ſunt*, inquiebat, *anni, cùm ille vixiſſet*. Cui Pater, *obſecro*, reſpondit, *Calvinus, quo vos nitimini, quamdiu natus eſt?* quâ voce velut inevitabili telo Hugonottus perculſus, admotâ manu, *nóſne tu irrides?* inquit. indè frendēs, in maledicta & minas excedit; ut Sanctacrucius auctoritate interpoſitâ certamen abrumpere, haud alio exitu, quàm Pater

prædixerat, coactus sit. Non præsumebat eatenus Possevinus, Gallicâ lingvâ, quòd eâ minùs promptè uteretur, præter explanationem Catechismi, pro concione dicere, cùm per id tempus Anno 1564. divinitus ad id impulsus est: quiescenti siquidem homo visus est caput illi manibus apprehensum in alteram partem vertere: móxque experrecto, impatiens subijt cupido perdiscendæ lingvæ, & gallicè dicendi: ídque brevi negotio confecit, ut nobilissimis postea in urbibus pro concione maximo fructu egerit.

Anno 1565. excitato Avenione Societati Collegio, Rector primus illi præpositus est Possevinus; brevíque Bajonam in præsidium Catholicæ Religionis missus, innumeros Catholicos libros, quæ ipsius perpetua, summéque salutaris erat industria, totâ latè viciniâ sparsit, ad obruendos Calvinistarum libros, quorum illi veluti nundinas ibi exposuerant, ad vicinam Hispaniam corrumpendam. Accidit ibi, ut gravium scelerum reus agendus vivus in rotam educeretur, comitante Religioso Sacerdote, sed de integritate Fidei suspecto. Viam sibi Possevinus ad reum inveniens rogat, num peccata confessione expiârit? quo negante ullam sibi ejus rei mentionem factam; jusso facescere impio Sacerdote, eum ad theatrum spectaculo ferali erectum deducens, publicè in scabello consedit, & totius vitæ peccata retexentem audivit, ingenti deinceps patientiâ crurifragium illud perpessum. Quæ res mirè totum populum Societati conciliavit, & ad Regem usque divulgata, non minimum calcar adjecit, ad Societatem Parisijs stabiliendam; id quod à Societate Gallica missus ad eum Possevinus sollicitabat. Rothomagum dehinc à Cardinali Borbonio evocatus, binas Dominicis, & 4. ac 6. feriâ conciones notabili tempore habuit, reliquis autem diebus Catechesim populo explicavit, tam manifesto in Urbem totam emolumento; ut Cardinalis cum Civibus vehementer cæperit Collegium apud se constitui flagitare. Eandem industriam Avenione constanter ad firmandos Civium animos, inter gubernationis curas adhibens, identidem tamen ad varias Urbes expetebatur: nam Massiliæ per vernum jejunium Anno 1568. quotidie concionatus, plurimas injustè partorum restitutiones persvasit; eámque ad Sacra frequentiam induxit, ut in aliam à se transivisse Civitas videretur. Assiduus simul erat in Nosocomijs, ergastulis, & Scholarium ludis, ubique Catechismi rudimenta inculcans, ejúsque innumera exemplaria universis disperti-ens, nam in eam rem Bibliopolam secum semper circumducebat, ut si etiam vellent, libros Catholicos pretio comparare possent. Quæ omnia perinde adhibuit magno zelo anno 1570. Rothomagi, ubi etiam sodalitium ad juvandos ægros & miseros instituit. Inter reliqua saluberrimè hìc prospexit apud maritimum Regni tribunal, ut damnatis ad triremes (quorum salutis nulla penitus antehac cura habebatur, licèt illorum plura censerentur millia) suus Sacerdos assignaretur, pateréque semper Societatis hominibus ad eos juvandos aditus. Ad hæc, cùm discrimine nullo hæretici Catholicíque mixtim remiges haberentur, nè fideles à perversis inficerentur, segregandos curavit: móxque initio sacro operi dato, aliquot pijs Sacerdotibus in socios assumptis, triremes omnes, plerósque de tota vita confitentes expiavit, & sacro epulo refecit, multis etiam ab hæresi reductis. Et cùm singulis Rosaria, piósque libellos impertijsset, 160. ex ijs Caroli Regis indulgentiâ in libertatem pristinam vindicavit.

Anno 1569. profectus Romam, ut 4. vota Professorum in manibus ipsius Generalis S. Francisci Borgiæ nuncuparet, dum ibi moratur, accidit Avenionem literas Pontificias Pij V. perferri, quibus de Cleri disciplina restituenda, & moribus reformandis agebatur, ac nescio quid de inquisitione etiam in violatores Religionis significabatur. Ansâ indè arreptâ novarum studiosi rerum, quibus pridem Collegij fida custodia erat sal in oculis, omnia hæc Possevino, velut Pontificem ad ea inducenti, imputare, velle nimirum ipsum Avenionem inquisitionem Hispanicam inducere. His inter plebem gliscentibus, publico tumultu Collegium irrumpere, socios vel trucidaturi, vel Urbe ejecturi, tentant Cives, eorúmque seditione adactus Senatus consultum edit, quo & donatam in Collegium domum, & reditus, aliáque omnia abrogat: cùm de his certior factus Possevinus, qui Româ rediens Augustam Taurinorum jam attigerat, indoluit scilicet Sociorum ærumnis, & dæmonis fraudes detestatus est. Sed innocentiam Possevini publicis literis apud Avenionenses tuendam suscepit ipse Pontifex, & primario turbarum auctore metu supplicij ab Urbe profugiente, veritas facilè patuit, restitutáque suis juribus Societas est, & iniqua ab ipso Senatu rescissa sententia. Redux autem Possevinus eximio omnium plausu exceptus, magnis Senatûs precibus adactus est cum altero Consulum in Regis curiam, ad promovenda quædam Urbis negotia, proficisci. Turonibus

bus tum Regia versabatur, in qua Possevinus negotia commissa feliciter pertractans, in concionibus simul assiduè desudabat, ingenti non populi tantùm, sed Principum etiam concursu. Vice quâdam fortè intervenit supplicio militis, qui inserto in laqueum collo, revinctâque ad trabem reste, jamjam dejiciendus erat de gradu; cùm Pater conspicatus totum sangvine circa collum ac pectus sordentem, causam sciscitatus inclamavit, vetuítque gradu dejici. Miles enim educendus, raptum à latere carnificis pugionem desperatus in jugulum sibi adegerat, indéque semivivus à profluo sangvine, hoc festinatiùs raptabatur impœnitens ad furcam. Possevinus ergo scalis animosè conscensis, excitatum ad spem salutis & dolorem peccatorum expiat, Coronáq; Virgineâ manibus morituri insertâ, ad cœlum transmittit. Laudavit tum Civitas, tum Regia tota insignem charitatis industriam: Possevinus autem occasione usus effecit, nè deinceps unà cum corporibus ità incuratæ noxarum animæ projicerentur. Posthæc in castris Regijs insigniter in militum cultura laborans, Deppam subinde & Rothomagũ quotidianis concionibus, per dies autem festos binis & ternis excoluit, vitâ etiam propriâ in pestiferorum obsequium prodigè iterum expositâ. Audierat inter alios mercatoris Parisiensis opulenti ex vulnere lethali decumbentis confessionem, eâ re maximè anxij, quòd librorum obscœnorum & noxiorum lectione, quos domi habebat, sibi & alijs multùm damni attulisset, quod resarcire cupiebat. Cui Possevinus: *nôsti*, inquit, *plurimos in Nosodochijs, Custodijs, & domi suæ otiosos sæpe versari, qui si piorum librorum copiam nanciscantur, facilè lectitent: tu facultatem præbeto, simulque hæredibus testamento injungito, ut certam quotannis pecuniam in hoc impendant. Ità si quid per te cuipiam nocitum est, compensabitur; & quidquid indè proficietur, particeps fies.* Paruit ille, & pensione annuâ hæredibus in id impositâ, præsentes ipse aureos 200. Possevino mox attribuit; quibus ipse comparatos Canisij catechismos, ampliùs 3000. in populum distribuit, alios per custodias & tabernas, nonnullis per catenulas in publico, ut legi ab omnibus, non tamen auferri possent, affixis. Quâ arte dictionibus suis additâ, non paucos ab hæresi revocavit, & consvetudinem illam turpiter inolitam inambulandi per sacras ædes & confabulandi, penitus sustulit; inveteratas simultates redintegratâ pace submovit.

Deppam ad Oceanum Britannicum situm oppidum, pridem Calvinianâ peste infectum cùm venisset, initio Januarij aliquoties habitâ concione & catechesis explicatione, discessum urgebat Aquas sextias, quo jam pridem à Cardinali Strozio evocabatur ad Quadragesimæ conciones; sed rogatu primorum Urbis quatriduo subsistens, cùm novies ijs diebus ad populum frequentissimum dixisset, tanta omnium commotio secuta est, ut omnem comprehendisse Divina flamma civitatem videretur. Ergo iterum equo jam inscenso abiturientem per vim retinent, datísque ad Regem & Cardinalem literis sibi concedi extorquent ad usque initium Quadragesimæ, quo tempore 1900. ad Catholica sacra reduxit. Rothomagum ad Quadragesimales dictiones transgressus (nam Aquasextias P. Oliverius Manaræus jam destinatus erat) præter conciones quotidianas, ferijs 2, 4, & 6, à meridie catechesim tradebat, custodias lustrabat, in quibus mirus ei casus accidit cum duobus nobilibus fratribus hæreticis, & virgine Catholica eorũ famula. Convicti erant testibus, eos maximo natu fratri, cujus corpus repertum erat in puteo, necem attulisse; quo nomine ad mortem damnati, Possevino adsignificant, se iñocenter condemnatos; & quia ejus sermonibus veritatem Fidei agnoscerent, velle Catholicos decedere. Possevinus firmitate utriusque exploratâ ubi sacramentaliter absolvit, & ad mortem etiam innocenter æquo animo sustinendam hortatus est, ad feralem excipiendum ictum in medium fori eosdem deduxit. Famulâ suspendio priùs enectâ, cùm natu major præbiturus cervicem in genua procubuisset, quærit secretò ex eo Possevinus, veréne extra noxam sit? nam alioqui inustam Senatui injustitiæ notam publicè revocandam esse, si salvus fieri velit. Respondit adolescens, ipsos fraudis undique immunes esse; cui Possevinus: *visne igitur, ut hujus populi precibus te commendem?* quo annuente, quantum potuit Pater vocem contendens, nec sinè lacrymis populum cohortans: *si cui*, inquit, *ea pietas est, ut velit Sacrum pro eis curare, manum attollat!* nemo non sustulit, cùm tamen ad 40000. hominum spectaculo interfuisse, ex fenestris, tectis & foro oppleto crederentur. Tum dextera prius, dein cervix utrique præcisa, prorsus innocentibus, ùt, vix lapsis sex hebdomadibus compertum est, sontibus comprehensis. Anno 1571. Lugduni Rector Collegio datus, quotidie ad Cives gallicè; ad Mercatores dicebat italicè: cùm postmodum Vesontionem ad Concilium Provinciale ab Archi-Episcopo advocatur, in quo

Conc:Tridentinum promulgari cupiebat. Hìc in pulcherrimo aliquot Episcoporum, Abbatum, Doctorum & 1300. Sacerdotum consessu, Possevinus binas quotidie orationes habuit, & plerorumque confessiones de tota vita excepit, excultis etiam ad omnem pietatem 120. Nobilibus, quos Archi-Episcopus ex Burgundia secum adduxerat.

Comitijs interim generalibus Ann: 1573. demortuo S. Francisco Borgiâ, ad successorem eligendum indictis, Possevinus eò profectus, electo Generali Everardo Mercuriano Secretarius Societatis universæ adjungitur, quod munus toto pene quinquennio magnâ approbatione obivit. Cùm verò posthæc spes non vana affulsisset Anno 1577. Regni Sveciæ Catholicæ Religioni restituendi; Pontifex Gregorius XIII. conscius dexteritatis & Apostolici in Possevino fervoris, eum ad Joannem Sveciæ Regem ablegat, piam ejus in Fidei integritate restituenda intentionem promoturum. Pervenit eò magnis terrâ maríque exantlatis periculis Anno 1578. cum aliquot socijs, sæculari habitu, neque sub nomine Pontificij, sed Imperatricis Mariæ post Maximilianum Cæsarem Viduæ, Legati; à qua, post literas Regi redditas, solenne officium super Cæsaris obitu solvens, id nomen religionis tractationi prætexuit. Multis cum Rege colloquijs tandem eò rem Pater deduxit, ut Hic emissa fidei professione hæreses omnes execratus, confessionem de tota vita apud illum instituerit, atque sub una specie Eucharistiam receperit. Quâ Regis conversione Pater exhilaratus, cùm in medio Regij conclavis procumbens DEO gratias egisset, commotus Rex, ad eum accurrit, arctéque complexus, *& ego te amplector*, exclamavit, *& Ecclesiam Romanam in æternum*! Confirmandæ deinceps Regis constantiæ, & spargendæ in populum pietatis vias omnes animo versans, redeundum sibi ad Pontificem duxit, ut Catholicorum Principum, ac præcipuè Pontificis literis Rex confirmaretur; obtineretque Svecorum adolescentum contubernia, ad propagandos legitimos Sacerdotes institui, quorum aliquot secum Romam ducebat: ac denique ut quæ dispensari Rex, ad faciliorem totius regni conversionem petebat, proponeret; quò via saltèm mollissima negandi inveniretur, cùm ea concedi minimè posse probè Possevinus sciret. Ea autem erant præcipua: ut Sacerdotibus matrimonia; usus sacri Calicis populo; Missa vulgari lingvâ indulgeretur. Quatuor interim socij Sacerdotes, schemate sæculariũ Magistrorum, ad juventutem scholasticam erudiendam ibi remanserunt, ex qua prodiêre insignes deinceps Operarij, quorum industriâ in hanc usque diem semina Catholicæ Religionis in Svecia perdurant. Excepit læto animo redeuntem Gregorius, & ex præcipuis Cardinalibus ac Theologis Conventum indixit super Sveci Regis postulatis. Anno insequente rursum in Sveciam à Pontifice Legatus Possevinus, solennibus literis ad Regem, Reginam, & filium Sigismundum, qui postea Rex Poloniæ fuit, instructus, iter per Bavariam instituit; cujus Duci ad multa pro conservanda Religionis integritate instituenda, auctor fuit. Interim Georgius Rheni Comes, ac Sveci affinis, cùm nescio unde rescivisset ire & redire quosdam in Sveciam, ut Regem ab Evangelio abducerent; exploratores constituerat, qui Possevinum cum socijs interciperent. Sed ejus loco captus est Episcopus Rossensis Scotus, quasi is esset, qui Svecam rem tractaret: Possevinus autem elapsus Pilsnam est, præclaram Boëmiæ Urbem, quæ nunquam Hussitico errori, ullíve hæresi, aut rebellium contra Ferdinandum Cæsarem conjurationi subscripserat. Hàc superiore anno transiens Possevinus, acceperat à Senatu Pilsnensi literas ad Pontificem, & nunc referebat ab eodem responsa, quibus is Civitatem sub perpetuum Divi Petri patrocinium recipiebat, ejúsque clypeum clavibus Ecclesiæ, cruce, Angelo Tutelari, & gentilitijs suis montibus augebat. His literis Boëmicè versis, publicéque recitatis animati Cives, communi gratulatione decreverunt, ut is dies, quo literæ Pontificiæ per Legatum Possevinum sunt redditæ, anniversariâ celebritate festus esset; útque publicâ supplicatione gratijs DEO actis, in æde principe S. Bartholomæi monumentum suscepti patrocinij, ac Pontificiæ benignitatis, aureis literis poneretur.

His Pilsnæ gestis, per Pragam Olomucium contendens, Seminarium istic Pontificium pro Svecis ad statum Ecclesiasticum educandis instituit, & alterum Brunsbergæ. Mox Cracoviam ad ponendam Societati stationem progressus: eâ sufficienter firmatâ, Varsaviæ Reginam Poloniæ & Nuncium Apostolicum, ac demum Vilnæ Regem ipsum Stephanum convenit, magno sanè operæ pretio, tum ob alia bene gesta, tum ob pestilentem Volani Calvinistæ librum, quo nonnulli ex Aulicis in fraudem jam inducti erant, in tempore oppressum. Possevinus enim prolixâ, ad Regem inscriptâ super eo epistolâ, itá Regem movit; ut continuò in Volanum inquiri, librum sceleratum flammis aboleri jusserit, licèt Volanus

Regem

Regem ipſum ſeducere conatus, librum ei conſcripſerit. Ejus epiſtolæ lectione primarius Regis Secretarius, quem liber jam propè corruperat, ad ſanam Fidem redijt. Bransbergam indè repetens, firmato Svecorum Seminario, navi à Sveco ſubmiſsâ Stokolmium venit, habitu cultúque Societatis: ſed omnia ibi turbata deprehendit. Rex ſiquidem Lutheranorum Principum minis exterritus, & Caroli Fratris Sudermanniæ Principis potentiâ conſternatus, à propoſito deſciverat: & ſuper omnia difficultatem augebant negata à Pontifice, quæ maximè concedi deſiderâſſe Regem diximus. Cupiebat Pater reſponſa Pontificis non primo congreſſu Regi referre, ſed poſtquam is lectis Catholicorum Regum & Principum gratulationibus, à quibus pleriſque afferebat, primos impetus fregiſſet; & factus eſt voti compos. Nam Upſaliæ Regem conveniens, inter colloquendum febri corripitur, coactúſque dies aliquot decumbere, toto nihilominus conatu incubuit ad legendos adoleſcentes, qui continuè ad Seminaria inſtituta mitterentur. Meliuſculè cùm haberet, revocatus à Rege, duarum horarum difficillimo colloquio in exponendis cauſis, cur ea poſtulata Pontifex negâſſet, laboravit; ínque erigendo ad fidendum Divinæ protectioni Rege, quem amittendi Regni metus totum occupaverat. His nonnihil commoto Rege finitus eſt ſermo, novæ tractationi loco relicto: & Poſſevinus undeunde augendæ Religioni occaſionem captans, Legatos Tartari Præcopenſis duos, cum ſex famulis Chriſto initiavit. Demum ſuperante metu Regis animum, cùm nihil ad reconciliandum Eccleſiæ Regnum promoveri poſſet, & peſtis graviſſima exorta Sveciam premeret, Poſſevinus cum ſocijs in Inſulam quandam Saxeam permodicam ſe recepit, excitatóque tuguriolo vitam quaſi anachoreticam egit, pauculis quibuſdam cum Præfecto Inſulæ ab hæreſi reductis. Catechiſmi etiam aliquoties mille Svecicè & Germanicè Stokolmiæ impreſſi, latéq; per ea loca in populum diſperſi ſunt.

Tandem Poſſevinus cùm videret nullam ſupereſſe ſpem operæ cum pretio in Svecia ponendæ, petitâ modeſtè veniâ diſceſſit, unà cum ſocijs duobus; relictis apud Reginam Catholicam, conſervando præcipuè in fide orthodoxa Sigiſmundo Principi, cum P. Staniſlao Varſevicio tribus ſocijs Sacerdotibus. Ante digreſſum Virgines DEO ſacras in Waſtanenſi monaſterio, oſſibus S. Brigidæ, & S. Catharinæ ejus filiæ nobilitato, plurimùm ad conſtantiam in Fide retinendam confirmavit. Vivebant illic Virgines 22. ſub Abbatiſſa ætate & ſenectute venerabili, quæ 13. annis jam præerat, nunquam nacta legitimum Antiſtitem, per quem confirmaretur. Septem item Virgines aliquot jam annos hominem expectabant, cui ritè profiterentur. Poſſevinus pro tradita ſibi à Pontifice poteſtate, 7. illas ad profeſſionem ſolennem admiſit, & Abbatiſſæ præfecturam confirmavit, omnibus SS. Evchariſtiam impertijt, orationibus habitis ad formam 40. horarum, ante SS. Chriſti Corpus palàm expoſitum. Quæ geſta omnia ſunt tanto Virginum ac Patrum ſenſu, ut hi cunctas ærumnas abundè unâ illâ cœleſti voluptate compenſatas ducerent. Erat præterea Vaſtenis ſchola 100. ferè diſcipulorum, cui præerat Ludimagiſter à Patribus ad Catholicam Fidem reductus; hic itidem à Poſſevino in ea roboratus, pleroſque ex ijs in eadem educavit & conſervavit. Vix in Italiam redux, Pontifici rationem ſuæ legationis reddiderat Anno 1581. cùm actis ejus omnibus vehementer probatis, denuo ipſo illo anno in Moſchoviam legationem Pontificio nomine obire jubetur, ad Joannem Baſilij, magnum Illius Ducem, comite Joanne Paulo Campano Rectore Brunenſi, & ſocijs præterea quatuor. Premebatur tunc Moſchus magno exercitu à Stephano Poloniæ Rege, & ad conſilia pacis adigebatur: quam ut æquiorem obtineret, Legatum ad Gregorium expedivit orans, ut Polonum à Chriſtiano (quamvis ſchiſmate Moſchovia laboret) ſangvine fundendo averteret, & ad conjungenda adversùs communem hoſtem & Tyrannum Turcam arma induceret. Pontifex cùm pridem optâſſet Religioni Catholicæ aditum in Moſchoviam aperiri, ídque fruſtra tentâſſet; ſperans hac occaſione effici aliquid poſſe, præ alijs Poſſevinum delegit. Is conciliato multâ prece Deo, acceptis à Pontifice non ſolùm ad Stephanum Polonum, Joannem Moſchum, ſed etiam ad alios omnes in itinere Principes Catholicos (quos ex Legati munere adire jubebatur) ad Senatum Venetum, Archi-Ducem Carolum (cujus Conjugi roſam auream à Pontifice deferebat) ad Archi-Ducem Erneſtum, & ad Rudolphum Cæſarem literis, Aprili menſe ab Urbe diſceſſit: auctúſque Pragæ (ubi Seminarium Alumnorum Pontificiorum, iterúmq; Græcij Styrorum excitaverat) Cæſaris ad Moſchum mandatis & epiſtolis, Stephanum Poloniæ Regem ad Diſnam Albæ Ruſſiæ oppidum in caſtris convenit, & concione latinâ ad præliandum bella Domini incitavit, illacrymante ad eam Rege. Qui etiam ſtimulis Poſ-

ſevini incitatus, ſtatim curam ad conquirendos Concionatores in Hungarorum militum doctrinam convertit, juſsítque omni deinceps conatu captivos Moſchos tentari, ſi quâ ratione ad Sacra Catholica adduci poſſent.

Accepto à Rege viæ ductore Baſilio Coſacorum Ductore ad Moſchoviæ confinia Poſſevinus, comitate & ſapientiâ tam leniter & dextrè illum tractavit, ut à Ruthenica ad Orthodoxam fidem traduxerit. Moſchoviâm per immania prædonum diſcrimina ingreſſi, ante omnia fixo tentorio Sacris operati ſunt Sacerdotes, DEO gratulantes, quòd ad id loci incolumes deduxiſſet, ejúſque ſanctiſſimæ voluntati in omnem eventum ſe committentes. Mox advenientibus publicis à Moſcho literis, cum viæ ductore præcipuæ nobilitatis (Priſtavum Moſchi dicunt) & 60. armatorum nobilium præſidio, per ingentia viæ, aëris, ciborum inſvetorum, incommoda, Smolenſcum primo tenuit, exceptus à 400. primo obviam egreſſis equitibus, holoſerico auróque fulgentibus, deindè à 1200. peditibus, magnáque vi concurrentis populi, inter feſtas exploſiones tormentorum & bombardarum. Sed in tanta humanitate, ità arctâ aſſiduáque cuſtodiâ (qui mos apud illos cum omnibus externorum Principum Legatis ſervatur) ſepti ſunt; quaſi hoſtium, non hoſpitum loco haberentur. In arce Staritia, 400. à Smolensco millibus paſſuum agebat tunc magnus Dux: huc appropinquanti Poſſevino primùm novus Priſtavus cum 15. equitibus; mox alij Priſtavi tres cum ſplendido ornatu 300. equitum occurrunt, nomine ſui Ducis ſalutatum excipientes: à quibus equo magnificè inſtrato impoſitus Poſſevinus, Staritiam intravit 17. Sept: A. 1581. ad hoſpitium pro regionis uſu magnificum deductus. Biduo pòſt in conſpectum Ducis in ſolio ſuperbiſſimo ſuos inter Proceres conſidentis adductus, officia Legationis ſuæ ſolenni ſalutatione peregit, & munera Pontificia obtulit, Ducali menſæ adhibitus. Inter alia Pontificis munera eminebat effigies DEIparæ, raræ opus ſubtilitatis, ebeno, argento, auróque & gemmis incluſa; ea tamen tradi non potuit, quia cognitum erat, Duci gratam non fore, quòd in genu Matris, JESUS infans ſedebat nudus, & hunc puellus alter Joannes Baptiſta item nudus adorabat: quæ, cùm pictores noſtrates in artis oſtentationem elaborent, cæteríque mirentur, Moſchi multò ſapientiùs ferre non poſſunt. Tantum abſunt (quod ſanè cultiorum nationum probrum eſt) ab ſimulachris obſcœnis tolerandis! Inſequentibus diebus in negotia Poſſevino à Pontifice commiſſa, incubitum eſt. Poſtulabat Pontifex; ut Joannes, quod per Legatum ſpoponderat, ſi Polonico expediretur bello, arma cum ceteris Chriſtianis Principibus contra Turcam converteret: ut commeandi facultatem per ſuas terras Pontificijs Nuncijs, ſi qui ad Perſas & Tartaros mitterentur, daret: Catholicis Mercatoribus comercia in Moſchovia libera eſſent, utì & templa ritúſque Catholici: ad quos, & Romanæ Eccleſiæ communionem paternè Ducem hortabatur. Multum ſuper his actum; nec cetera ægre impetrata: de Religione mutanda cùm penitus abnueretur, illud demum expreſſum eſt, ut integra res ad reditum Poſſevini à Rege Poloniæ, pacémque confectam reſervaretur. Magnis igitur itineribus Poſſevinus ad Regem profectus, interpretem ſibi à Moſcho adjunctum in via, Eccleſiæ reſtituit; Regémque in oppugnatione Pleſchoviæ, Urbis Moſchoviticæ deprehendit; dum interim Campanus ad Cæſarem, Venetos, & Romam, jungendi commercij & armorum causâ regreditur, ſocijs reliquis apud Moſchum relictis. Tandem multis ultro citróque actis Poſſevinus, pace feliciter anni ſequentis initio confectâ, Moſcuam repetijt, ingenti utique gratulatione exceptus.

Nec mora; urgenda Pontificis poſtulata, quibus conficiendis potiſſimùm Legationem ſuſceperat, toto conatu aſſumpſit; cui Dux Epiſcopos Ruthenicos ſex oppoſuit: ut clarè jam appareret, quod Poloniæ Rex prædixerat, & Poſſevinus ipſe ominabatur, eum nonniſi pacis æquioris à victore Polono obtinendæ causâ, verba Pontifici dediſſe. Ægre igitur poteſtas facta eſt Patri ſacrum negotium attingendi: tum ità impotenter in congreſſu Princeps ſe gerere, ut paulùm aliquando veritate preſſus, repentè exardeſcens nec contumeliâ abſtinuerit, miratíque ſint adſtantes manum abſtinuiſſe, nè Poſſevinum protinus (utì crudeliter paulò antè natu maximo filio fecerat) ſcipione ſuo, ferreâ ad imum cuſpide armato, confixerit. Sed Pater libertati admiſcens modeſtiam, impetum illum prudenti comitate lenivit: nullis tamen minis induci potuit, ut ſacris Ruthenicis intereſſe, vel Metropolitæ Moſcuenſis dexteram oſculari vellet. Cùm verò nihil ad ſubſtantiam Religionis effici poſſe videret; appetente vere (quo tempore viæ per illas terras omnium ſunt impeditiſſimæ) impetratâ libertate multorum è Catholicis captivorum, Moſcuâ cum ſocijs diſceſſit, à 300. Nobilibus comitatus. Adjunxit eidem novum Dux ad Pontificem

Lega-

Legatum, per quem significabat, placere sibi cum suis jungi Catholicorum commercia, & potestatem faciebat negotiatoribus Catholicorum commercia, & potestatem Sacerdotes habendi, qui sua privatim Sacra obirent, terrâ item ad sepulturam permissâ: simúlque Pontificijs Legatis transitum liberum per Moschoviam, si ad Tartaros vel aliò mitterentur, & commeatum spondebat, & profitebatur velle sibi cum ipso amicitiam usúmque perpetuum esse. Possevinus per Albam Russiam, Polociam profectus, Disnam indè Duneburgum, ac postea Illuxen Curlandiæ oppidum ipso Sabbato sancto delatus, cùm locus vel domus Catholica nulla adesset, in ipsa Lutherani ministri domo, arâ loco secreto tutóque excitatâ, sacram litavit Hostiam: & à primæ Nobilitatis Viro filium impetravit, in Seminario Brunsbergæ, vel Olomucij Catholicè educandum, in spem patriæ aliquando juvandæ. Rigam indè ad Regem Stephanum perveniens, literas à Pontifice accepit responsorias, quibus placere sibi indicabat Seminarium Vilnæ constitui ad Ruthenos & Moschos catholicè erudiendos, annuis in eam rem vectigalibus destinatis Romam tandem iter magnâ celeritate profecut., Legatum Moschi Pontifici stitit; qui collaudatâ Possevini in rebus tam arduis & propè desperatis perficiendis industriâ, eundem denuo ad deducendum in fines Poloniæ Legatum Moschi destinavit: mandatis insuper oneratum, ut condendis nationum variarum, sumptibus Pontificijs, Seminarijs Vilnæ & Claudiopoli in Transylvania insisteret, componendísque controversijs, quæ Stephano Regi cum Cæsare, ac Rege Sveciæ restabant.

Et verò plures annos Possevinus in his regionibus traduxit, ingenti Ecclesiæ profectu, maximè conciliandis inter se Cæsare & Polo■o intentus, multis interim laboribus & itineribus ultro citróque exantlatis, plurimísque mortalibus per Germaniam & Poloniam hæresi ereptis. Egregiam etiam operam navavit Varsaviæ in comitijs Polonicis Stephano Regi Anno 1585. in causa Religionis contra hæreticos Proceres tuenda, his ipsis plerisque Regis exemplo, ità Societatis rebus faventibus; ut non plus facturi fuerint, si in eam rem fuissent mercede conducti, Paulò pòst cum potestate missus visitandi Collegia Poloniæ, Derpati, & Rigæ in Livonia, quam per conditiones pacis recenter acceptam Collegio Stephanus illico munierat, plurima Fidei propagandæ salutaria in hæreticis illis Urbibus constituit; Seminario etiam Derpati condito, ad juvenes è Provincijs circumquaque hæreticis piè castéque educandos. Tandem annis jam gravis, & susceptis in Christi causa laboribus pene fractus, nè quam vitæ partem duceret vacuam utilitate mortalium, ad scribendum se totum convertit, & lustratis compluribus Academijs & Bibliothecis, suppeditante etiam summo Pontifice ad parandam librorum supellectilem expensas, ea elucubravit volumina, quæ hominis virtutem, animarum zelum, doctrinæ copiam, & inexhaustum legendi studium cum acerrimo conjunctum judicio, luculenter ostendunt, & pleraque omnia ad conversionem hæreticorum, confutationem errorum, & propagationem Fidei Catholicæ collimant, ùt videre est apud Alegambe in ejus Bibliotheca Scriptorum Societatis. Demum vivendo fessus, Ferrariæ diem clausit extremum 26. Febr: Anno 1611. ætatis 78. Fuit Possevinus Vir non tantùm omni virtutum genere ornatus, & consummatæ sanctitatis, sed prophetiæ etiam dono à DEO illustratus, prout testatur Carolus Augustus in vita S. Francisci Salesij, cujus in juventute præceptorem Possevinus olim egerat. Huic enim annis adultioribus de studiorum suorum ratione dubitanti, Theologiæne an Jurisprudentiæ operam addicerèt; *bene feceris fili*, inquit, *si sacræ scientiæ te totum tradideris in Theologia, DEUS enim te destinat in Episcopum Genevensem, ubi vide ut commissas tibi oves pascas, velut bonus Pastor.* Id quod eventus in S. hoc Genevensium Episcopo ad amussim verum declaravit.

Ex Hist: Societatis, & Nierembergij Tomo 1.

P. BERNARDUS COLNAGUS.



Catana Siciliæ Urbs vetustissima P. Bernardum orbi dedit, illustribus pietate & nobilitate Parentibus satum Anno 1545. & ex baptismo Marci Antonij nomen sortitum, quod ipse jam grandior in Bernardi commutavit, ut eum in colenda & amanda DEIpara Virgine se æmulaturum profiteretur. Philosophiam tredecennis puer maximâ ingenij famâ emensus, illibatum innocentiæ baptismalis florem, exquisitâ sensuum custodiâ & corporis maceratione, Religioni intulit, ad quam 14. ætatis anno à DEO vocatus, & post

ingen-



P. Bernard, Colnagus Soc: Iesu. Siculus, Vir excel sarum Virtutum: in salutem proximi se totum impendit, miráqꝫ in animarum & corporum salutem vivens et mortuus patravit: Obijt Catanæ 21. Apr: 1611 ætatis 66.

87.

ingentes cum Parente & Cognatis luctas admiſſus, tyrocinium Meſſanæ auſpicatus eſt anno 1560. Et cœpit hìc illico meritorum ejus apud DEUM vis ſeſe exerere, quando claudicanti equo, & ad iter agendum penitus inepto, brevi oratione greſſum integrè reſtituit. Sacerdotio ſuſcepto, Philoſophicis, Theologicíſque diſciplinis tradendis Meſſanæ, Romæ, & Neapoli admotus, S. Thomæ placita, quem tenerrimo pietatis ſenſu ſemper coluit impensè & amavit, aliorum Doctorum ſententijs tametſi acutis, quin & proprij ingenij induſtriæque inventis conſtanter antehabuit. Ex quo nomen & famam Viri doctiſſimi indeptus, Philoſophiam ac Theologiam in Sicilia erexiſſe, ac mirum in modum illuſtrâſſe ferebatur; regendis ijſdem ſtudijs ſupremus Præfectus datus, & ſcripta ſua typis evulgare ab Generali Societatis Claudio Aquavivâ juſſus. Neque ferè alio nomine Neapoli appellabatur quàm Magiſtri, nullâ aliâ deſignatione appoſitâ: ſinè cujus conſilio nihil ferè majoris momenti Curia vel Civitas moliebatur. Inter quos plauſus ità nihilominus ſe abjiciebat, ut viliſſima quævis Domûs miniſteria ſibi vendicaret: ſtabulum ſibi purgandum ſumere, aliorum lectos componere, mediaſtinum agere, & ad inferiorum claſſium lectiones explicandas, quoties neceſſitas occurreret, deſcendere. Verùm Dominus, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, nullâ virtutis mediocritate in Bernardo contentus, ut ad celſiſſimum ſanctitatis gradum illum proveheret, ad imum ſui abjectionis profundum depreſſit: ex quo veluti fundamento totam reliquam Evangelicæ perfectionis ſtruem

Ber-

Bernardo in alium penitus hominem mutato, consurrexisse est in confesso.

Volvebatur Annus Domini 1579. ætatis Bernardi 34. quo Neapoli Theologiæ arcana magno omnium applausu & famâ decennalis jam Professor explanabat; cùm Divina ardentiùs meditanti DEUS molestissimam eam mentem injicere, ut si amore erga illum sincero flagraret, iret protinus, & centonem quempiam obvium pro veste religiosa indutus, amentis in modum per Urbis plateas cursitaret, & gestu incondito, motibúsq; incompositis sannas & cachinnos plebis in se provocaret. Hunc importunissimum animi impulsum nitebatur ille multis rationibus sopire, tanquam imprudentiæ plenum, & plus damni quàm commodi allaturum, ideóque vel maximè ab Societatis spiritu aberraturum. Quantumvis enim hoc facto mundi fastum amorísque proprij mollitudinem generosè proculcaret; alienæ tamen saluti dispendium maximum illaturum esse, sive revera in amentiam incidisse, sive stultitiam duntaxat simulâsse (quod extremæ vecordiæ foret) crederetur. *Quis deinceps*, disceptabat ipse secum, *sanum ab insano consilium expectabit? quis non eorum, quibus ad eum diem doctrinæ & melioris vitæ Magister fui, me aversaturus est? quis conscientiæ ducem & directorem sustinere volet? quis etiam sapientissima quæque monita non habiturus suspecta? nam qui vel semel deprehenditur fuisse emotæ mentis, rarò tantùm sibi constare creditur, ut aliorum regendis par esse queat mentibus. Ad hæc tolerabile foret, si in mea unius infamia pernicies sisteret, sed universæ Religioni & sociorum omnium famæ insignem maculam aspergeret factum adeò insolens, quod sapientum nemo approbaturus est, damnaturi omnes. Non deesse alia sui heroicè vincendi & deprimendi media, ex Societatis legibus & praxi usitata, quæ nihil habeant admixti in proximum scandali, cùm istud præter heroicam sui victoriam nihil ad aliorum conferat ædificationem; sed è contra vulgo sanctæ ejusmodi simulationis ignaro, grave scandalum pariturum sit.* Interim ex adverso oppugnabat Bernardum invictus DEI amor, hâc sui in publicum prostitutione quàm maximè declarandus. Urgebat Salvatoris pro hominibus ludibrium facti irrefragabile exemplum, excitabátque in æstuantis corde ingentem luctam, quæ nullam quietem diu noctúque permitteret: ità quidem, ut affirmaverit deinde, faciliùs sibi visum fuisse ad Pontem ire vel raptari à carnifice capite mulctandum, quàm per urbem hoc probroso habitu incedere pueris puellísque deridendum: quod tamen nisi faceret, molestissimâ intus in animo exprobratione arguebatur, nullo in pretio DEUM & amorem illius habere. Ad hunc modum 30. ipsos dies insolenti luctâ secum ipse dimicans, ut veluti indagine cinctus nullam evadendi viam reperiret; statuit tandem rem totam Superiori aperire, sine cujus annutu factum adeò exoticum aggredi non liceret; nihil dubitans potestatem ejus exequendi sibi denegatum iri. Igitur trepidè quidem januam pulsat, & mox admissus breviter menstruam exponit in corde suo Divini propriíq; amoris pugnam, veniámque postulat publicum de se Urbi Neapolitanæ spectaculum, tanquam mente capti exhibendi. Vix effatus erat, cùm Rector Collegij Pater Antonius Spinellus, Vir literis, prudentiâ, & vitæ sanctimoniâ notissimus, facilè liberalitérque Divino utique motus impulsu annuit: tanto Bernardi ex improvisa concessione horrore, ut penè animo obriguerit.

Ergo certus jam mentem illam sibi à DEO injectam esse, torporem omnem generoso & cœlitus roborato spiritu excutit, positáque veste religiosâ, centones abjectissimos induit, humeris manticam injicit, & sic ridiculè ornatus funéque cinctus, stulto proprior quàm mendico in plateam prorumpit, frequentiora Urbis compita & vicos, eo tempore quô fora commeantium multitudine maximè fervebant, lento passu obambulat: ac tandem ad Domum Professam Societatis ità squalidus gestu & incessu, oréque incompositus divertit, ut ab socijs quoque haberetur mente captus. Nec defuêre quæsita eo ambitu vulgi ludibria: nam promiscuæ fæcis homines alij sibilo & cachinnis, alij luto & putridis pomis tergo impactis, velut insanum largiter insectari: prudentiores verò de potestate mentis seriò dejectum credere & miserari: quidam gravis alicujus culpæ noxam ab ipso expiari arguere: pauci admodum amicorum & discipulorum id quod erat arbitrari, & latentem sub hoc schemate virtutem suspicere. In hunc modum triumphatâ mundi gloriâ per longas ambages domum revertit, in alium penitus ex eo momento mutatus Virum: siquidem eâ ipsâ quâ sapientem stultitiam absolvit horâ, admirabiles, nullíque exprimendas verbis è cœlo hausit toto pectore voluptates, tantúmque simul cœlestis sapientiæ combibit, ut se & alia admiranda novo quodam lumine collustratus penitissimè perspexerit, mundóque deinceps totis viribus infestus, DEO unicè constanter in summa vitæ sanctimonia adhæserit.

ſerit; quam certum eſt ab hac ſui victoria ortum habuiſſe: ſiquidem ex eo tempore alijs oculis humana omnia intuens cathedris ſcholaſticis valedixit, & ſalutis alienæ ſiti incenſus totum ſe concionibus addixit, & in eo munere ad mortem uſque cum innumerabilium animarum ſalute perſeveravit. Acceſſit & aliud per eos dies, quo vehementer ad opus hoc Evangelicum incitari ſe ſenſit: vidit enim canem aliquot catulorum matrem, quæ ad eos in profundiſſimum puteum dejectos, de ſobole ſervanda ſollicita, imani ſaltu ſpontè in certiſſimam mortem ſe præcipitavit: ex quo ſpectaculo vehementer ille commotus, *itáne verò*, ajebat ipſe ſecum, *plùs canis ſuos catellos, quàm ego animas diligam? fortiùs illa nitatur etiam cum ſua pernicie eruere foveâ demerſos, quàm ego vitiorum & inferorum barathro propè jam abſorptos?* Quare toto animo ad juvandas animas inardeſcens, ubi inſuper eodem tempore clarum DEIparæ imperium acceſſit, omnibus obſtaculis perruptis, operi Apoſtolico ſe accinxit. Hæc enim ſumma cum gloria & inexplicabili pulchritudine viſendam illi ſe exhibens, in ſignum maternæ benevolentiæ ejus pectori manu impoſitâ, ità affata eſt: *labora gnaviter, & indefeſſo ſtudio ad hoc connitere, ut peccatorum ſalutem ſemper quæras, & quà publicis de ſuggeſtu, quà privatis ſermonibus animas mihi adducas: hoc enim obſequio neque mihi, neque Filio meo jucundius gratiúſque præſtari poteſt.*

Et verò præſtitit id prolixè Bernardus, totâ non modò Siciliâ incredibili fructu auditus; ſed per Italiam etiam à præcipuis Urbibus expetitus, dum Venetias, Genuam, Neapolim, Mantuam, Brixiam, Anconam, Luccam, ac denique Romam ipſam excoluit, tanto mortalium ad ipſum audiendum concurſu; ut Neapoli armato Germanorum ſatellitio, Romæ verò Helvetorum cuſtodiâ ſepiendus fuerit, nè turbæ impetu opprimeretur: nec rarò in publicum campum transferri ſuggeſtũ oportuit, quòd capiendæ multitudini nulla templa ſufficerent. Unde vulgò Apoſtolus, Seraphinus, & novus Paulus appellabatur, currebatúrque ad eum veluti ſanctum audiendum à multis milliaribus, & grande operæ pretium gaudebat quis ſe retuliſſe, ſi cùm dicentis vocem ob multitudinis concurſum audire nequiſſet, geſtum ſaltèm perorantis vidiſſet. Certúmque eſt, Neapoli obſtinatum Turcam, ſolo dicentis ardore geſtúque commotum (neque enim concionantem intelligebat) Chriſti ſacra expetijſſe. Quid verò non exprimeret ab auditore dictio, cujus Orator antequam pro concione lacrymas ab ejus oculis eliceret, flagellis prius aſperrimis è proprio corpore ſangvinem ſemper expreſſit? indè nimirum ſequebantur totius concionis ipſo perorante lamenta, ploratus, & peccata ſua deflentium ejulatus, ut interruptam dolentium ſingultibus dictionem ſæpius intercalari neceſſe fuerit. Et tamen licèt hoc fervore perſæpe unâ die quinquies vel ſexies verba faceret, de ſuggeſtu rectà ad ſacrum tribunal, totus ſudore madidus accurrebat, ut expiare mentem volentibus aures præberet: tandémque exhauſta viribus membra non aliter quàm duro aſſere, vel nudâ humo reclinabat. Nec minimum dictioni pondus accedebat à patrocinio S. Antonij Patavini, & S. Franciſci de Paula, cum quibus ſibi chariſſimis conciones ſuas communicabat: quos etiam Genuæ dicentis latera utrimque ſtipare, & quæ promenda eſſent, gnaviter dictando ſuggerere, Vir notæ ſanctimoniæ ex Ordine Reformatorum S. Franciſci Seraphici conſpexit. Neque alia defuêre è cœlo ad pondus Bernardi dictis faciendum adminicula: nam & vultus concionantis viſus eſt modò lucidiſſimis radijs coruſcare; modò ijſdem capitis vertex in modum coronæ incingi; modò ipſe toto corpore in altum elevari: aliàs verò lucidiſſimâ nube veluti nebulâ totus involvi, & pro verbis ardentes ſagittas in corda mortalium ab ore jacere: demum aliàs totum cœlum ad ejus imperium viſum eſt in obſtinatos armari, quando ad ejus vocem vindices è cœlo ignes, tonitrua, fulguráque depoſcentis, ſubitâ mox ferrugine aër involvi, conglobari nubes, undique emicare fulgura, volare ignes, & horrenda tempeſtas ultima omnia minitari cœpit. Quibus denique omnia cedebant durata quantumlibet in adamantem ſceleratorum pectora, inveterata proſtibulorum & Veneris mancipia, vix ut concio ulla tranſiret ſinè inſigni alicujus obſtinati peccatoris converſione.

Quæ, ad revocandos in vitam mortuos in peccatis, virtus inerat concionibus Bernardi; eadem erat ad excitandos in eminentem ſanctitatem lethargo tepiditatis ſopitos Religioſos. Paſſim enim in Sicilia & in Italia, præcipuè Romæ, Neapoli, Anconæ, Catanæ, & ubicunque laxitas in Religioſum alterutrius ſexûs clauſtrum irrepſiſſet, rogabatur ut ad incolas ejus verba faceret: faciebátque communiter, ut primâ ejus allocutione cætus totus in lacrymas ſolveretur; eóſque vitæ perfectioris conciperet ardores, qui fræno jam magìs quàm calcaribus indigerent. Experta id po-

id potiſſimùm fuere quàm plurima Virginum Cœnobia, quæ ad inſignem ſanctitatem provexit; cùm antea ſæcularibus etiam eſſent ſcandalo. Nec remiſſior vis inerat privatis ſermocinationibus, ut nemo cum eo ageret vel loqueretur, quin melior evaderet: ſatíſque erat multis vel ſemel in ejus familiarem congreſſum veniſſe, ut nuncium rebus humanis perpetuò remitterent. Sic Franciſcum Cajetanum Marchionem Sortini; ſic Robertum à Ponte ampliſſimæ & nobiliſſimæ Domûs hæredem, poſtea in Religione, ob memoriam ſui in ſpiritu Magiſtri, Bernardum appellatum, Societati adjunxit: & fœmina Princeps poſt Ducem Adriæ Vidua cùm ex eo quæſiſſet: *quid Divina Majeſtas à ſe fieri poſtularet?* illéque oculis tantiſper in cœlum elevatis reſpondiſſet: *DEI voluntas eſt, ut mundo nuncium remittas, & in Parthenone religioſam vitam, paulò pòſt morte abrumpendam, tranſigas*: ad quæ verba veluti cœlitus ſibi nunciata nihil illa differens, Religioni vitæ reliquum conſecravit, multis maximíſque ſanctimoniæ ſignis poſtea decedens; atque hac ejus cum poteſtate loquentis efficaciâ contigit, multa cœnobia pænè vacua ſexûs utriuſq; incolis repleri, qui felicitatem ſuam unicè Bernardo grati adſcribebant.

Ad hunc modum ſalutem animarum ſollicitè procuranti, alteram quoque virtutem DEUS adjecit, langvoribus corporum medendi: teſtatúmque publicis tabulis habetur, plus quàm centum claudis, cæcis, & vario morborum genere oppreſſis, perfectam ſanitatem impertiviſſe: Anconæ Virgo DEO in Ordine S. Dominici ſacrata, dum brachio ſuo multis annis arido & contracto non impetrat ut benè precetur, & crucis ſignum imprimat: furtivè per Monaſterij crates porrectam ægram manum, Bernardi manui applicans, momento ſanam integre retrahit. Vincentiæ Chianæ pridem paralyſi proſtratæ ſimúlque mutæ, neſcio quis fruſtulum ex pallio Bernardi reſciſſum donavit; id illa dum ore maſticat, loquelam, & plenam à paralyſi ſanitatem recuperat. Alteri fœminæ curationem ab eadem paralyſi precanti negavit primùm ſe Medicum eſſe: mox tamen ſanam conſurgere fidenter juſſit, & momento vigor emortuis membris perfectè redijt. Similem è veſtigio curationem ſolâ perbrevi Patris oratione expertus eſt Franciſcus Nicoloſus Catanenſis, à longo graviq́ue renum dolore & triennali ſangvinis fluxu liberatus. Uti & Nuncia Bonanno nobilis matrona, ab hæreditario quodam & fatali mamillæ tumore (ex quo & mater ſua deceſſerat) ſanata. Plus tamen mirabilitatis habent ſanationes aliæ, cum varijs prædictionibus conjunctæ. Maurus de Paterno, Familiæ Benedictinæ adhuc tyro, ſcabie ſævâ inſtar lepræ laborabat, quæ utì capillos omnes defluere fecit, itá propter enormem deformitatem cum periculo contagionis conjunctam, Religioni inhabilem reddidit, ut judicio Medicorum incurabilis, propediem dimittendus eſſet. Interea fortuitò Monaſterium Bernardus accedit, ad quem adductus tyro, omnium interceſſione, matris præcipuè adjutus, malo remedium flagitat. Pater commiſeratione tactus, bono animo matrem eſſe jubet, filium & ſanitate potiturum, & in Religione Abbatis munere cum laude perfuncturum: tum ad Divi Antonij de Padua honorem jubet tyronem dicere Pater & Ave; ipséque ſimiliter aliquamdiu precatus, adoleſcentem amplectitur, & ſcabioſo capiti facie admotâ oſculum imprimit, ac ſimul ſcabiem omnem diſpellit. Is poſtea Catanenſis Monaſterij creatus Abbas, & laudatiſſimè illi multis annis præfuit, & duplex Bernardi in ſe beneficium gratus prædicavit.

Virgo ſanctimonialis diro carcinomate jam vigeſimum annum exedebatur in pectore, cùm in eam ſpem venit, ſi à ſacra Bernardi manu tangeretur, dubio procul ſanam fore. Tali deſiderio & ſollicitudine æſtuantem, quod deſperaret id à caſtiſſimo Viro impetrandum, ſomnus oppreſſit, in quo à Patre per viſum ſibi comparente ſenſit exeſam mamillam tangi, ſimúlque ex integro ſanari: prout etiam diſcuſſo ſomno ſtupens deprehendit, ſævâ cancri laniênâ ſe penitus exemptam. Simili contactu puerum claudum curvíſque tibijs ægre incedentem, invocato S. Antonio Paduano, & pueri cruribus ad ſuos pedes applicatis, momento plenè ſanavit: ſimúlque effecit, ut qui hactenus multorum annorum nanus nihil omnino creſcebat, quotidianis indè incrementis juſtam obtinuerit ſtaturam. Quin & addidit, grave illi periculum imminere, quod biennio pòſt incautum comprehendit, dum è ſummo majoris templi tholo decidit, Bernardi meritis (judicio omnium) ab ultimo exitio ſervatus. Panormi duæ erant filiæ pauperi viduæ, utraque non tantùm membris capta, ſed & oculis orbata, pro quarum ſanitate dum Pater rogatur, ſacrificat; utrique ſubitò vigor integer oculorum & membrorum omnium redit. Id Mater à Sacrificio redux conſpicata, dum vix oculis ſuis credit, & modum receptæ incolumitatis exquirit, illæ candidè fatentur: *cùm paulò antè,*

tè, inquiunt, *in templo abesses, vox ad nos allapsa est: Eja surgite, ambulate & oculos aperite: simúlque lux affusa est oculis, & vigor membris redijt.* Petro Castello Societatis Scholastico, Messanæ tunc Metaphysicæ vacanti, sex non ampliùs vitæ horas concedebant Medici: quod audiens Bernardus, in cubiculum secessit, ut DEUM pro illo precaretur: subitóque rediens, nequaquam eo morbo moriturum edixit, qui etiam depulsâ mox febri paulò pòst integre convaluit. Francisco Sidoto jam 40. dies lethargo in certam mortem sopito, remedium à Bernardo mœstus parens per literas expetijt, quòd is Catanâ tunc abesset. Rescripsit Pater certas ad S. Antonium Paduanum & S. Franciscum de Paula preculas, eorúmque patrocinio procertò sanandum spopondit. Sed Parens in Collegio strophiolum insuper Bernardo usuale impetravit: quod ubi primùm moribundo applicuit, discusso mox lethargo æger cibum poposcit, & refectis viribus salvus è lectulo surrexit. Aliàs cùm pro absente amico febribus domi æstuante opem à Patre amicus postulâsset; ille expresso super hujus pectus crucis signo, idem super febrienti amico fieri jussit: quo peracto confestim febris ab ægroto discessit.

Ut verò multis sospitatem corporis, ità nonnullis & mortem vaticinatus est, ut animis mederetur. Panormi fortè classem Grammaticæ ingressus, cùm nonnulla frequenter de pretio castimoniæ, excitandis ad ejus amorem adolescentulis dixisset; repentè in DEUM abreptus, defixis in nobilissimum Grammaticæ tyronem Franciscum Justinianum oculis, inter singultus dixit: *ah oculi, oculi! modò plus nimiùm vivaces! claude illos mi fili! quando maximè te credes felicem, & à sirenibus fascinatus floridam sperabis adolescentiam, mors tibi eos occludet!* Paucis pòst annis, morbi violentiâ genitori ad extrema deducto, juvenis jam exequias parabat, paternæq; opulentiæ hæres futurus, longam sibi pollicebatur ætatem; cùm insperatò convalescit Parens, & è contra ardenti febre correptus filius, eâdem, quam Patri paraverat, pompâ funebri tumulatur. Ibidem anno 1588. cùm pro concione diceret, repentè oratione contra munitionem maritimam ibi vicinam, vulgò Castel là mare dictam, conversâ, horrendam illi propter scelera incolarum eversionem, & ultimum per flammas excidium propediem imminere comminabatur. Et ecce paucis pòst diebus tormentarius pulvis, incertum quo casu accensus, Castellum magna ex parte funditus eversum disjecit, saxa immania longè latéque dispersit, incolas ferè omnes miserandum in modum discerpsit, exussit, aut in mare explosit. Sed ut ad lætiora vaticinia redeamus, evocatus aliquando ut in domo Principis fœminæ parturientis, sacris operaretur, Missâ finitâ prædixit masculam fore prolem: cujus paulò pòst graviter ægrotantis faciem pileo suo contegens, *sanet te*, inquit, *S. Antonius*; & mox egestis humoribus infantem integre sanatum reliquit. Catanæ à D. Fabritio Ribbiba rogatus, ut amitam graviter Romæ decumbentem DEO commendaret; post unius horæ in altissima extasi orationem fidenter Fabritio asseruit, amitam Romæ divinitus plenæ sanitati restitutam esse: quod eâdem penitus die & horâ accidisse paucis diebus Româ nunciatum est. Id verò per S. Antonium se obtinuisse indicabat dicens: *hodie sanctus meus Antonius in mei gratiam Romam ivit & redivit, ut bono me nuncio exhilararet.* Drepani Illustrissimæ Dominæ Franciscæ Grimaldi prædixerat, parituram quidem filium, minimè tamen longævum: alterum tamen quem enixura esset, familiæ bonorúmque fore hæredem; quod utrumque ità evenit.

Contigit semel, ut inter navigandum ardentiùs peroranti ad nautas & vectores, pileus clericalis vertice fortuitò excussus in mare decideret: de cujus jactura monitus à vectoribus placidè subjunxit, *rediturum brevi ad navigium*, cæptúmque sermonem ad finem pertexuit. Et ecce pileolus undis innatans navem quantumlibet plenis velis volantem insequitur, quódque omnibus summæ fuit admirationi, omni ex parte siccus, donec sponte ità vicinus accessit ut manibus prehendi posset. Catanæ fortè ad littus maris inambulantem obsecrabant piscatores, ut felicem eis sandularum piscationem à DEO obtineret: quibus morem gerens, elevatis in cœlum oculis, crucis formam super mare & retia dexterâ expressit, votíque compotes proximâ nocte futuros præmonuit. Et verò cessit è sententia piscatio, quæ pluribus antè vicibus spem omnem deluserat: cujus eventu stupefactus unus è nautis, quoties deinde piscatum exiret, in nomine Bernardi consvevit retia jacere, maximum semper lucrum se fecisse luculentis testibus demonstrans. Iterum verò aliàs per mare Siculum navigabat, cùm labores & lassitudinem remigum miseratus, aliquantulum vini, quod vix duobus in unum haustum sufficeret, ab amico expetijt, & viritim in remiges omnes largiter distribuit, ut

omnes

omnes abundè haurirent. Quod cùm secundò fecisset, omnésque iterum ad satietatem bibissent, gens nautica prodigium tandem advertit,& *miraculum,miraculum*! exclamans, exscensione factâ ità divulgavit, ut ad aures denique Episcopi pervenerit. A quo propè adjuratus Bernardus, ut rem prout gesta erat exponeret: *nescio sanè*, respondit, *quî vinum creverit: id scio, me cùm illud siticulosis hominibus propinarem, DEO supplicâsse, ut abundè omnibus sufficeret.* Hæc prolocutus, velut magni sceleris ex propalato DEI favore reus, labra dentibus ad sangvinem usque commordit, lacrymísque loquacitatem suam diluere aggressus est, ut ipse Præsul doleret, se hujus tormenti causam Patri præbuisse. Hoc verò prodigium sæpe patravit aliàs, unde vinum ejusmodi residuum curandis infirmis religiosè passim asservabatur.

Tot, tantísque in dies miraculis latè inclarescentem, non dubitârunt quidam excitandis etiam in vitam mortuis implorare. Neapoli certè mulier cum mortuo infante ad Collegium accurrens, cùm Bernardum peregrè quopiam discessurum, & equo jam insidentem deprehendisset, abjecto ante equi pedes infantulo, negavit se indè recessuram, nisì vivum illum sibi restitueret. Hìc verò Pater rubore perfusus, & miseratione tactus, DEO preces fudit: atque ubi exauditum se sensit, admotis equo calcaribus indè se, nullo verbo dato, proripuit. Mulier contemptam se rata, dum filiolum, utì opinabatur, mortuum à terra levat, vivum sanúmque reperit, incredibili suo gaudio, & adstantium, qui plurimi aderant, stupore. Admirabilius fuit quod Panormi accidit, quando ad Probationis Domum iturus, in ipso limine infantem extinctum intra matris brachia, vitæ non rogatus restituit: ab eodem novo & inaudito prodigio matri, quæ beneficij auctorem ignorâsset, proditus, *Pater Bernardus me vitæ restituit.* Maximè autem stupendum fuit, quod Catanæ Ecclesiam S.Francisci Seraphici cum socio ingredienti accidit, ut scilicet S. Antonium Patavinum,dulcem Amicum & Advocatum suum, in ejus ara veneraretur. Jacebat in uno templi Sacello,super feretro demortui juvenis cadaver mox terræ mandandum; ad quod ille,spectante magnâ hominum catervâ accedens, juvenem 21. annorum, obesum, procerum, quem vix plures commodè levarent, unâ manu prehensum perfacilè in pedes erexit: atque in omnium oculis diu multúmque secretis cum illo sermonibus habitis, demum eâdem facilitate quâ erexerat, rursus unicâ manu in sandapilam iterum exanimē reposuit. Quæ res per totam Urbem vulgata non aliter accepta est, quàm facinus humanis viribus majus & prodigium, quo Pater adolescentem fortè non satìs antea expiatum vitæ eo usque restituit, ut salutari pœnitentiæ remedio plenè DEO reconciliari posset.

In tam excelso gradu posita Bernardi virtus, & tot præter naturæ limites signis illustrata, non potuit non oculos aliorum perstringere, & viris etiam cordatis,si non suspecta, certè lubrica & penitiùs rimanda videri, nè patientiæ materia illi deesset, sinè qua nulla virtus firma fixáque diu consistere potest. Et primò quidem ob aliqua pro concione supra vulgi captum prolata in suspicionem de puritate doctrinæ adductus, periculosa ad populum dogmata spargere insimulatus est, ità ut reum erroris in Fide quidam apud Inquisitores agerent. Doluit enimvero atrox calumnia Colnago, præsertim quòd multo demum sudore vix dilui,& ex hominum mentibus penitus deleri potuerit. Sed gravior illum tolerantiæ seges & diuturnior domi exercuit, quando inusitata ejus facinora,frequentes inter orandum extases,& in publico etiam coram multitudine non dissimulatæ à sensibus alienationes, ac multæ Regularum & ordinis domestici, dum cœlestes & minimè alijs consvetos impulsus in animarum procuratione sequitur, in speciem transgressiones, æqualibus scandalum, Superioribus autem spiritûs cujusdam exotici & periculosi suspicionem ingenerârunt, nè sub palliolo sanctitatis affectata quæpiam ostentatio, & plausuum consectatio lateret. Graviter ergo privatim & publicè in eum invecti reprehendebant acriter, puniebant severè, & quasi arbitratu suo vivens communes Domûs & Ordinis leges insuper haberet, non perfunctoriè animadvertebant. Nec defuerunt qui eum vel illusum, vel infessum à malo genio arbitrabantur; qui à potestate mentis dejectum, aut ob mira,quæ patrabat, ad sacros Quæsitores cum Societatis infamia citandum. Quæ tamen ille omnia incredibili mansvetudine non perferebat solùm, sed & rectè ordinéque Superiores hæc omnia sancto zelo inflammatos agere defendebat, ut neque DEO, neque sibi gratius quidpiam accidere posset. Accidit inter reliqua, ut Siciliæ Provincialis Pater Joannes Carminata virtute & sapientiâ clarissimus, tot querimonijs tandem fessus, ex Consultorum suorum quoque sensu,Bernardo per Collegij Ministrum ultima omnia denunciârit, nisì modum faceret suo inconsulto fervori,

 vori,

vori, séque ad morem Societatis & disciplinæ ordinísque domestici normam accommodaret. Sed Bernardus cælitus horum omnium præscius occurrit ipse Ministro, ad hæc nuncianda cubiculum suum accedenti: *& satisne armatus in me venis? non nescio cujus rei causâ pedem huc tuleris, quídve Provincialis, quid Patres tibi in mandatis dederint*; & cum dicto exponit exactè singula. Tum subjungit: *Non sibi persvadeant in mea manu esse id, quod præter opinionem plausibile quandoque mihi accidit; vellem animatus abstinere; sed nequeo, quia supremus rerum Arbiter non sinit. Cœli decretis & impulsibus nemo impunè aut sinè noxa repugnat. Neque ego cupio singularis videri: neque in leges peccare me puto, cùm animarum, Divinæq; gloriæ studio Dictatorem summum audio, tardiúsque ad mensam venio. Amor meus pondus meum, illo feror quocunque feror.* Obstupuit ad hæc Minister, probè conscius quàm secretò solus à Provinciali hæc in ejus conclavi accepisset. At Provincialis ubi dicta Bernardi intellexit, certus à DEO ipsi revelata hæc fuisse, *sinamus*, inquit, *hominem, faciat quod DEO aspirante videbitur, magnus enim est sanctus.*

Ut tamen populari plausu exemptus, ignotus alibi minore Societatis periculo viveret, Romam evocatus est sub annnm 1605. futurus librorum censor, ubi nullâ cum proximo agendi copiâ, non secus ac hesternus tyro sæpenumero inter abjectissima Domûs munia delitescens, velut clausa sub modio lucerna soli fulgebat cœlo, brevì tamen rursum terris omnibus radios ab orbis capite sparsurus: quod ità evenit. Fortè orabat in Æde S. Catharinæ Senensis, cùm illi cœlitus suggeritur fore, ut ægrotanti Ecclesiastæ in Lateranensi Basilica succederet. Vix domum reversus est, cùm jubetur in Laterano pro concione dicere: quod eâ satisfactione præstitit, ut cùm alijs media dicendi hora non amplius concederetur, Bernardo nullum limitem præfigi Canonici voluerint. Fama deinde per Urbem sparsa non plebem tantùm, sed summos quoque Auditores attraxit: & famam exuperans virtus præcipuos quosque Cardinalium conciliavit, ut jam & Romæ crederetur nihil non apud DEUM posse, licèt naturæ leges transcenderet; cui opinioni non raró cœlum suffragabatur. Jacebat in febris incendio octo jam dies & noctes insomnis Societatis Sacerdos; hìc à Bernardo rogatus: *quid maximè in votis haberet? somnum*, respondit; tum ille manu utrâque ægri tempora blandè complexus, frontémque exosculatus, pulvillo molliter composuit, & ut dormiret imperavit. Obdormivit illico æger, & post aliquot horarum somnum brevì convaluit. Quantum tamen poterat, laborabat favores in se cœlicos & mentis in DEUM raptus occultos habere: unde quòd aliquando Joannem Brivium Episcopum Cremonensem in rheda Tusculum comitatus in extasim abripi se passus esset, in qua cœli Reginam cum sancto Antonio Paduano à sese conspectam verbis & toto vultu prodidit, sensibus deinde restitutis adeò sibi iratus est, quòd in hominum oculis DEI dona non cautiùs celâsset; ùt è spinis contextam coronam validè capiti infixerit, ex qua sangvinei per caput rivuli copiosè decurrerent. Rogatus ab eodem Brivio Antistite, ut Parentis sui Marchionis Brivij valetudinem Mediolani ad extrema deductam Numini commendaret, in secretius cubiculum secessit, ínque preces perdiu effusus tandem sæpiùs exclamavit: *surge & ambula*; móxque ad Episcopum conversus: *ego Domine*, inquit, *Mediolani modò D. Parentem & reliquos affines ipsi adstites invisi, ideóque de salute Patris jubeo te esse sinè metu.* Simúlque & locum ubi æger Marchio jacebat, & propinquos omnes ità descripsit, ut licèt nunquam Mediolanum antea viderit, dubitari non posset in ea extasi omnia inspexisse. Et verò paucis diebus Episcopo innotuit Parentem Mediolani convaluisse, ídque eô die & horâ, quâ Bernardus in oratione exclamavit: *surge & ambula.*

Clementinæ Bruni, Matronæ inter Romanas perhonestæ, in gravi quodam mœrore & afflictione, rogatus ut remedium afferret, nocte insequente à somno excitatæ, disertè, tanquam si præsens adesset, dicere auditus est: *quærite primùm Regnum DEI:* ex quo illa plurimum mœroris dispelli persensit. Postero die cùm ad eandem visendam venisset: *timuistine hâc nocte*, inquit? & mox sententiam absolvit: *& hæc omnia adjicientur tibi*; quo dicto anxiam vanis timoribus penitus absolvit. Denique & vaticinijs Romæ plurimùm inclaruit; nam & Viro nobili Societati peramico, liberis omnibus eatenus destituto, hæredem masculum spopondit, indicato simul die quo mater illum enixura esset. Vincentio autem de Dominicis, Cardinalis Joannettini Doriæ Vicario, sævissimis lateris doloribus excruciato, sanitatem ab S. Antonio Paduano spopondit: & de veritate promissi, quòd dolor increscens certam mortem afferre videretur, dubitanti, tertiò idem asseruit. Et ecce lapidem repente è vesica enixus est

materi-

materiem cruciatuum; quos deinceps in omnem vitam nullos persensit. Quin & mortem sororis suæ, Catanæ in Sicilia vivis ereptæ divinitus Romæ intellexit, & piaculari Sacro mox adjutum ivit. Adest multò pòst nuncius cum literis; quas antequam reciperet, nè dum aperiret, mortem sororis nunciare prædixit: negantíque nuncio quidquam ea de re sibi compertum: *imò pridem*, subjicit Pater, *antequam venires, sororis obitum cognovi, & pro ea ad aram litavi. Sed bene habet, jam est in paradiso.* Lauretum aliquando peregrinatus, incidit in mendicabulum, cui oculus cavo suo dimotus, & in maxillam fœdè pendulus erat: quem Pater manu suâ repositum in foramine mox stabilivit, dolorémque simul omnem abstulit. Romæ verò ad rusticum, cui ligna cædenti aberrans securis, ínque pedem totis viribus impacta propè absciderat, ab uxore ejulante adductus, perbrevi ad DEUM fusâ precatione cruce pedem signavit; ex qua vulnus, citra ullum aliud medicamentum, ità coaluit, ut die sequenti ad labores agriculturæ incolumis redire potuerit. Atque his aliísque virtutum Apostolicarum & miraculorum splendoribus Romæ coruscans, Paulo V. Pont: Maximo in pretio fuit & amoribus, ut eum varijs ad DEI gloriam gerendis rebus felici semper eventu admoverit, & in consilium non rarò perplexis rebus adhibuerit: eâ præsertim tempestate, quâ inter Illum & Venetos eruperat in apertum bellum dissensio: de cujus eventu cùm illi & Bernardo sermo esset, mirificè Pontifex erectus est, quando Patrem audijt disertis & vaticinio gravibus verbis finem belli, intrà 15. dies sanciendo fœdere, prænunciantem; quod eventus mox secutus comprobavit. Itáque Bernardum per id tempus peregrinationem Hierosolymam meditantem, & obtentâ à Superioribus facultate Genuam jam digressum, Pontificio Imperio ad se revocavit, & purpuræ dignitatem in Cardinalium Collegium adsciscendo seriò obtulit, nisì eam infimis precibus ipse cum lacrymis deprecatus ab se rejecisset.

Crescebant interea cum annis morbi, licèt in acie & assiduis concionandi laboribus perstaret Bernardus, ut non nisì stando caderet, & mors pridem antè illi meditata, præcognita, & sæpius apud diversos prænunciata appropinquabat. Illi siquidem continuò præ oculis habendæ, mortuale cranium multis annis ad caput lectuli affixum servabat: de quo cùm anxius aliquando esset, nè fortè domicilium olim animæ ad inferos damnatæ foret, DEO supplex accidit, certus inimicum illi caput in suo conclavi non tolerare. Cùm ecce tibi funesto calvaria tremore horrendùm succutitur: & Pater cœlesti hoc signo monitus, procul illam ab se confractam abjicit, atque aliam melioris sortis assumit. Pridem etiam certam obitûs sui notitiam à DEIpara accepit, quando Drepani ante ejus aram precanti vox à statua virginea allapsa est, quæ annum, diem & horam mortis, atque in cœlum ingressûs denunciabat. Iterúmque anno 1601. Panormi nocte concubiâ precanti S. Petrus, cum Agatha & Ursula comparens, decimo abhinc anno è vita evocandum prædixit; interim verò in gratia DEI confirmandum, nè gloriâ perenni excideret. Quo nuncio ille velut extra se positus, & Cœlitum delicijs ebrius non potuit se cohibere, quin amico præ cæteris fideli rem omnem aperiret, ac deinde pluribus confideret. Hos inter Vir nobilis & apprimè doctus piúsque fuit Cataldus Fimia; cui, post decennium Catanæ ad cœlum se evocatum iri, prædixerat. Sed quia interim Romam evocato Bernardo decimus jam propè à prædictione appetebat annus, & Pater neque Româ unquam discessurus, nec Siciliam visurus ferebatur, addubitare de veritate vaticinij cæpit, atque hoc ipsum Panormi Societatis Sacerdoti, cui Romano nomen, questus est. Sed necdum colloquium abruperat, cùm literas accipit, Bernardum Catanæ vicinum adesse: quo obstupefactus, in viam ocyùs se dedit, ut amico huic suo morienti assisteret. Namque illi sextum supra sexagesimum vitæ annum ingresso, iterúmque ante biennium de instante morte præmonito, copia facta est in Siciliam ab Urbe redeundi, quem Panormitani eo Anno 1611, ut per Quadragesimam apud se verba faceret ab Generali Societatis impetraverant. Verùm ut sua alteri vaticinio perstaret fides, quo pluribus ab hinc annis Pater ad populum Panormi verba faciens, disertè palam è pulpito edixerat, ultimam hanc suam Panormi esse concionem, neque ampliùs Panormum unquam visurum; vix in Siciliam applicuit, quando paralysi & gravi ægritudine occupatus, Catanam magìs deportandus visus est, non tam paralysi levamen in aura patria quæsiturus; quàm ex Divina voluntate ibi daturus spiritum, ubi hauserat.

Catanæ tanquam homo quidam cœlestis sanctúsque exceptus, sorori primùm ex alijs charissimæ imminentem sibi transitum aperuit; & mox Thomæ Aimundo unà & ipsius migrationem indixit, fore enim brevì ut in Paradiso simul conveniant, qui etiam octavo post

poſt Patrem die vitâ exceſſit. Idem & Octavio Ramondettæ Viro clariſſimo prædixit, quando graviter Catanæ ægrotantem inviſens, eóque maximè afflictum, quòd procul Panormo à filijs ſuis & domeſticis avulſus moreretur, ſolatus eſt, convaliturum ex eo morbo promittens, ut ad ſuos Panormum remeare poſſet: ibi tamen paucis menſibus ſuperſtitem, quindecim diebus ante ſe vivis exceſſurum. Excepit eam vocem ſoror Octavij lectulo aſſiſtens, quæ regreſſo Panormum fratre, ubi poſtmodum, ùt mox dicemus, Bernardum animam agere intellexit, ſinè hæſitatione credidit Octavium Panormi jam extinctum, prout mox allatus nuncius de illius 15. planè diebus ante Bernardum obitu vaticinationem explevit. Interea Bernardus, Majorum imperio, tres Catanâ leucas thermarum virtutem experiri juſſus, ubi modico earum uſu contra paralyſin aliquantiſper ſe obfirmatum ſenſit, properè in Patriam revertit, ut per eſuriales ferias conciones extremùm haberet. Earum labore defunctus, cùm nihilominus poſt Dominicam Anaſtaſim dicere ad populum perſeveraret, Dominicâ ſecundâ poſt reſurrectionem in Æde S. Franciſci de Paula concionatus, vale ſupremum Auditoribus dixit, & penultimam ſibi eam concionem fuiſſe, unámque ſolam de bono Paſtore in Templo Societatis habendam ſupereſſe, apertè pronunciavit. Nemo fuit qui non poſtremùm locuturum Patrem audire cuperet; unde nondum albeſcente cœlo ad dictam diem ingens pro valvis Templi & Collegij præſtolabatur hominum multitudo. Ipſe autem non neſcius ſacrum Miſſæ Sacrificium ſimiliter eô die ultimum, ſibíque pro viatico in cœlum fore, animam exomologeſi accuratiſſimâ apud Rectorem Collegij expiavit, & Sacrificium ſupra duas horas celebrando produxit: ac tum conſcenſo pulpito, ſub ipſum pænè dictionis exordium repentina capitis defluxio cor oppreſſit, ut reſpirationem & verba ægre moliri poſſet. Quia tamen ultimis collectis viribus, quoad liceret, cæptam concionem proſequi non deſtitit, novo irruente fluxu proſtratus, pronus in ſuggeſtum incubuit. Fit clamor & ploratus totius concionis, cujus manibus & comitatu ad Collegij valetudinarium deportatus, ùt primùm redeunte ſpiritu verba formare potuit, denuo prolixum de cœli gaudijs ſermonem duas horas ad eos habuit; donec tertium apoplectico humore planè obrutus, omni ſenſu deſtitueretur, ſolo nutu extremùm ungi poſtulans: quanquam poſtea compertum eſt, id non tam morbidam à ſenſibus alienationem, quàm mentis extaſim, & in DEUM extra ſe raptum fuiſſe.

Atque ad eum modum ſinè cibo, clauſis plerúmque oculis, dies omnino quinque inſtar mortui jacuit, in DEUM & cœleſtia totaliter immerſus: nam qui attentiùs è vicino eum obſervabant, Divinis occupatum colloquijs, Pſalmíſque recitandis intentum audiebant. Interea totos hos dies perpetuus quidam ex omni hominum ſtatu ad eum accurrentium tenuit affluxus, partim manus ad cœlum mox migraturi exoſculari, partim mortem ſanctam ſpectare cupientium; quibus omne quod tetigerat religioſè conſervandum diſtribui debuit, futurum contra omne genus morborum ſalutare amuletum. Et jam feria 6. illuxerat, quâ ſæpiùs cum moriente DEI Filio moriturum ſe antè prædixerat, cùm ultimam animæ commendationem proſequentibus circa lectulum domeſticis, velut è gravi ſomno excitatus, plenè ad ſenſus redijt: & dum inter Cœlites, ut in extrema lucta certanti adeſſent, S. Agatha quoque ceu Bernardo chariſſima invocatur, oculos in cœlum ſuſtulit, vultum omnem ſerenavit, & blandè ſubridens, inclinato capite animam exhalavit, eâdem quâ Chriſtus in crucem actus eſſe creditur meridiei horâ 12. anno ſæculi 1611. ætatis 66. die 21. Aprilis. Ad ſepulturam publico totius Urbis luctu elato, parentatum ſimul eſt à Religioſis omnibus & Canonicorum Collegio, & quamvis tuendo corpori contra multitudinis impreſſionem mortuale ferculum ferri ſepimento munitum fuerit (triduo enim inhumatum ad ſpectaculum & venerationem relinqui debuit) brevì tamen clathris effractis populus ſe infudit, & poſt direpta pleraque veſtimenta, capillos etiam & id genus alia decerpſit. Felicem autem illius animam Cœlitum choris mox inſertam fuiſſe plurimis oſtentis & prodigijs illico patuit. Eâ ipsâ nocte quæ mortem illius præceſſerat, Vincentius de Ramundo Juris Conſultus vir gravis, poſtea Societati adſcriptus, vidit in Collegio ſplendidum fieri à Cœlitibus apparatum, & in ejus aula Societatis Sacerdotem venerandâ calvitie ſpectabilem inambulare; cúmq; rogaret quis ille eſſet? audijt: Generalem Societatis huc adveniſſe. Id die ſequenti domeſticis recenſens, vereri ſe dixit nè P. Bernardus animam agat, ad quam in cœlum deducendam S. IGNATIUS deſcenderit: & vix ea dixerat, cùm adeſt nuncius, & obijſſe monet. Eâdem nocte in morbum incidit Paulus la Motta, cujus impetu mox obmutuit. Repentino ejus malo perculſus frater, Vir Eccleſiaſticâ

sticâ dignitate gravis, Bernardum invocat: *& si vera est*, ait, *quam de sanctimonia tua concepi existimatio, loquelam fratri ante solis ortum restitue.* Neque diutiùs factum quàm Psalmus 50. decurri possit, cùm loquelâ integre receptâ, manè simul optimè valens surrexit.

Inter complures quibus à morte visendum se in cœlesti luce conspicuum præbuit, fuit etiam, qui accepto de obitu illius nuncio summopere dolebat, tam beatæ amici morti non adfuisse, & suprema officia neglexisse. Sed adfuit illi per noctis quietem multâ circumfusus luce Bernardus, sub umbella Regio more spectabilis, promisítque se illi peccatorum veniam impetraturum: quam sponsionem secuta mox est summa & perpetua animi tranquillitas, in amici pectore relicta. Fuit & mulier Panormi sanctimoniæ non vulgaris, quæ nuncios de obitu Bernardi anxia explicabat; sed nuncios prævenit ipse coràm se sistēs, aperuítque agonem suum non nisì extasim & cœlestium contemplationem fuisse; mortem verò rectum ad Prophetarum in cœlo sedes transitum. *Ad te autem, quod attinet*, adjecit, *scito, te brevì in cœlo gemmis lucidissimis coronandam.* Hærebat illa anceps unde hæc sibi è pretiosis lapidibus competeret corona, cùm paulò pòst sævissimis calculi doloribus corripitur, quibus excarnificata, & post longam patientiam vitâ functa, ijs quas ipsa elaboraverat gemmis est insignita. Laudomia Gravina Catanensis matrona nobilis, violentiâ morbi ad extremum discrimen redigebatur, cùm defuncti recèns Bernardi indusium, amici morienti superinjiciunt: cui mox conspicuus Bernardus adfuit, blandéque consolatus malum omne dispulit. Sed & alij Catanæ civi ipsos decem annos immani renum dolore confixo, per noctis quietem adstare visus, morbum ità abegit, ut nunquam deinceps rediret. Prospero Siragosæ Medico filiolus erat triennis non modò mutus, sed & leprâ toto vultu coopertus, quæ nullâ vi medicâ abigi poterat. Evenit autem ut ancilla pueri gerula, Bernardo adhuc viventi occurreret, & deformatam scabie faciem parvuli ostenderet: cujus ipse misertus, manu capiti impositâ, lepram omnem signo sanctæ Crucis efformato abstersit. Quia verò vitium lingvæ Bernardo nō exposuit, remansit puer instar piscis mutus: donec elato ad sepulturam Bernardo, pueri mater per confertam populi turbam ad feretrum vix penetrans, manúmq; religioso osculo venerata, detractum digito annulum labris defuncti admovit, eóq; attactu velut sacratum puello deosculandū præbuit. Et mox cum omnium stupore puerulus A.A.A. exclamavit, atque absterso lingvæ impedimento, sensim infantum more loqui cœpit. Michaël Pappalardus sexennis pusio mutus & herniosus, ad sandapilā itidem Bernardi ubi penetravit, eámq; pio osculo veneratus est, illico malo utroq; integrè liberatus expeditè loqui cæpit.

Petrum Micchiche duorum annorum invaletudo ad extrema redegerat, ut jamjam expiraturus crederetur: cum nobilis Vir Cataldus Fimia quiddam ex reliquijs Bernardi illi applicat, solóque earum attactu velut à mortuis revocat: nam ille mox clausos in mortem oculos aperuit, & redeunte membris vitali calore assurrexit. Simili recularum Bernardi attactu, vel solo manûs in feretro jacentis osculo, piáve patrocinij illius invocatione, erysipelas quinquennio genam insidens matrona quædam deperdidit: pauper alia amissum ab ubere pascendo infanti lac recuperavit: cancrum alia incurabilem à pectore: alia decennij puncturas acerbissimas à latere depulit: quidam fluxum sangvinis 40. dies perpessus stitit: Josephus de Marino morbum epilepticum: Ludovicus Argentina octennalem capitis dolorem amisit. Pluribus puerperis partim abortûs discussum periculum, partim diu luctantibus facilis obtentus partus: depulsi febrium ardores, & pertinacissima viscerum tormina: multi à phrenesi, podagrâ, anginæ, dentium, oculorum doloribus liberati: surdis auditus, cæcis visus, mutis loquela restituta: ac denique tot alij ex quavis hominum sorte, ab omni genere malorum soluti sunt, ut constans fuerit opinio omniúmque sermo, non fuisse à sæculo Sanctum, qui pluribus in vita & morte claruisset miraculis quàm Bernardus. Nam & filiolo Didaci de Valle, Doctoris laureâ insigniti mortuo, pijs votis imploratus vitam restituit; & malos genios à nobili juvene ad sepulchrum suum confugiente expulit: utì etiam ab Elisabetha Augustini Stilla Brixiæ Archigrammatei filia; quæ omnia publicis tabulis & juratis testimonijs consignata asservantur. Neque desunt hodiéque invocatione Bernardi prodigia, variáque ejus meritis à DEO concessa mortalibus beneficia, non modò per Italiam & Siciliam, ubi vivens prædicationibus suis innotuerat; sed in alijs quoque Christiani Orbis Provincijs & Regnis, prout varia anathemata, votivæ tabellæ, & munera diversa à gratis Clientibus DEO partim domi oblata, partim Catanam transmissa testantur, quæ privatim interim in Societatis Collegio asservantur, olim tumulo servi DEI appendenda, si quan-

si quando Cœlitum numero ab Sede Apostolica illum inseri contigerit.

Ut verò de heroicis Bernardi virtutibus paucula attingamus, mirâ fuit in DEUM fide & fiduciâ, cujus in alios quàm latissimè propagandæ, & pro eadem fundendi sangvinis desiderio, ardentissimis votis Indias expetijt: jussúsque à DEO in Europa remanere, ut quàm plurimi alij vitæ sanctimoniâ & ardore celebres tam de Societate, quàm alijs Ordinibus in Orientem mitterentur, auctor fuit. Cùm enim Montaltus Cardinalis quatuor millia aureorum annui proventûs obtulisset, ipsius arbitrio seu Societati, seu ad aliud pium opus applicanda; Pater post fusas in eam rem preces persvasit, ut summam illam PP. Carmelitanis Discalceatis pro sacris in Orientem ipsorum expeditionibus elargiretur: ex qua etiam erectis in Persia pluribus Missionibus, PP. Carmelitani hodiéque aliquot ibi sustentantur. Ex ea quam de Christi in Evcharistia præsentia habebat fide, Altare vocitabat suum paradisum; ad quod litaturus animum semper confessione eluebat, totúsque in DEO tempore Sacrificij mersus diffluebat, solitus id non rarò ad duas horas protrahere, itâ ut Romæ in Natali Domini ternas Missas sex horas produxerit. Neque solùm ipse flammis cœlestibus tunc adurebatur interiùs, sed & non rarò ijsdem coruscabat exterius: & cùm in domestico Sacrario aliquando celebraret, post verba Consecrationis prolata, visus est locus omnis favillis plenus, quæ vario fluxu super aram sursum deorsúmque ferebantur, quoad ipse sacram hostiam absumpsisset. Indè tantum illi erat sacrificandi desiderium, ut in ejus omittendi periculo non minùs quàm in summo vitæ discrimine prodigiosam ex cœlo opem deposceret. Accidit ut in Templo quodam celebrare volenti sacer apparatus deesset, in turri scilicet occlusus; itaque ad aram Matris Virginis ardenter auxilium precatus portam turris accedit, *& aperire*, inquit, *sinè clavi*: simúlque manum illi leniter admovit; cùm illa momentô patuit, quæ alioqui vix multâ vi expugnari potuisset. In ejus celebratione sæpissime à sensibus ad cœlestia abripiebatur, ut neque vellicationibus, neque succussionibus revocari posset: & Panormi elevatâ in sublime hostiâ, eam in alto (extasim passus) tenere perrexit, nec ante dimidium quadrantem, quidquid vellicaret aut retraheret minister, excitari potuit. Sæpius tunc illi contigit vitreas ex altari cadere ampullas, neque diffringi: quas tamen semel iterúmque in frusta dissilientes, cruce leviter ductâ signatas redintegravit.

Orationi quantum acquiesceret, declarabat ardor & constantia illi impensa; siquidem tempus omne, quod à studijs vel juvandis mortalibus vacuum habuit, in genua prostratus illi consecrabat: tam arctè affixus DEO, ut neque rerum agendarum cura, neque dæmonis astus aliorsum flectere animum orantis posset. Imò profundè adeò se Divinitatis pelago immergebat, ut perquam frequenter domi & foris, in templis & palatijs, in campis & in mensa extra se raperetur, & cœlesti quodam fulgore radiaret, aut sublimis à terra levaretur: quod quia in consvetudinem jam verterat, vix ampliùs admirationi in publico fuit. Certè peregrè aliquando profectus, quòd in diversorio ignotus ipsas septem horas in extasi absque ullo sensu, respirio, & motu durâsset, pro emortuo cadavere habitus, sepulchro jam destinabatur. Lacrymarum donum itâ commune habuit, ut sive horarias DEO, sive coronarias DEIparæ preces persolveret, sive ad populum verba faceret, vel patientis Christi meminisset; ceu gemino fonte aperto, ex oculis lacrymarum rivos deplueret, quibus sinum & vestem inundabat. Neque unquam per 23. ultimos vitæ annos, nisi bis térve, sinè lacrymis Missam dixit, quibus exiccandis plura strophiola æditus apponere cogebatur. Denique continuo precandi studio eò intimæ familiaritatis pervenit, ut à DEO, ceu amicus ab amicorum optimo nihil non speraret, nihil non impetraret. Quem si difficiliorem subinde ad vota sua deprehenderet, religiosâ quadam violentiâ aggressus, imaginem infantis JESU piè simplex, veluti captivum amoris obsidem arcæ includebat, illud Jacobi Patriarchæ usurpans: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Atque itâ semper eum propitium expertus, audacter quasvis calamitosorum causas apud DEUM agendas suscipiebat; quas scripto notatas, non secùs ac libellos supplices Crucifixo super lectulum deposito blandissimis verbis offerebat; & si duriorem experiretur, lacrymas, suspiria, sangvinem flagris expressum adjiciebat: auditus aliquando ægro sanitatem itâ postulare: *hanc mihi quæso Domine fac gratiam, & sana infirmum, volo enim eum sanum fieri.* Quòd si nec his cœlum flecti videret, cibo obstinatè tamdiu abstinebat, donec votis annueret; prout fecit accepto nuncio de Principe viro ad extrema deducto: *ego verò*, inquiens, *nihil hodie cibi degustabo, sed precibus dabo operam, & ad meam S Agatham & Antonium adibo, pro moriente litaturus, dum convalescat*: & peracto Sacrificio Princeps extra periculum fuit.

Divina

Divina non tam meditabatur, quàm altâ contemplatione defixus aſpiciebat, cœleſtibus interim affluens illecebris, ut niſi lacrymis frena laxaret, & viam ſuſpirijs, gemitibus clamoribúſque panderet; ſacris è cœlo flammis ſeſe conſumendum & ipſe fateretur, & alij rerum conſcij metuerent. Sat erat vel paucis verbis inter colloquendum DEI meminiſſe, & jam ſcintillabant oculi, ardebat vultus, lingva, manus, pedes geſtiebant, totúſque ſui impos modò dulcè cantillabat, modò ſubſultabat; ut qui hominem non nôſſet, emotæ mentis crederet. Fecit autem ut nonnunquam alij quoque paribus delicijs inundarentur, quorum unus illis ferendis impar ad Patrem accurrrit, modum illis imponi flagitaturus, *Pater*, inquiens, *ego gaudio emorior*; cui tamen aliud non reſpondit, quàm, *bene habet fili!* Ex conſideratione è contra vulnerum patientis Domini tanto animi compatientis dolore excruciabatur; ut exhauſtus, enervis, pallidus & emaciatus aſpicientibus commiſerationi eſſet. Sextâ quâque feriâ in lignea cruce procumbens brevem capiebat ſomnum, contra Crucifixi imaginem in lectulo floribus ornato collocatam. Eodem die, quoties de Paſſione Domini ſermo fuit, vel ſacrificium Miſſæ operabatur, acerbiſſimum in latere cordis cruciatum perſentiebat, quaſi lanceâ perfoderetur, dolore pro magnitudine fervoris creſcente; quod tormentum ipſe ſibi, velut inſigne DEI munus, multis precibus accerſivit; cujus violentiâ quoties ab Altari digrediebatur, ad mortem uſque cor torqueri ſentiebat. De ijſdem Domini cruciatibus verba ad populum quoties faceret, ità exardeſcebat (præſertim quando acceptam Crucem huc illuc ingenti ardore vibrabat) ut in fletus planctúſque commoveret univerſos. Quâ ſpiritûs contentione cum vires ſanitáſq; plurimùm detererentur, ex majorum imperio ſignum crucis cathedræ clavo bene magno, nè à Patre revelli poſſet, affixum eſt: quod tamen perinde ac ſi ſtuppa eſſet ferrum, multò quàm aliàs expeditiùs manum apprehendentis ſecutum eſt. Perſæpe caput capiti Crucifixi Domini apprimens adeò ſolvebatur in lacrymas, ut à capite ad pedes totum perplueret, quas ipſe dein relambens pro nectare, inter amoroſos cantus reſorbebat. Sed & Dominum de Cruce ſibi quandoque locutum fuiſſe ipſemet confeſſus eſt: & eundem ſub ipſa conſecrationis verba ſpectavit in ſacra hoſtia quinque è vulneribus largiter ſangvine manantem: quâ re exterritus, inter lacrymas & ſingultus quæſivit: *egóne mi JESU ſic te laceravi? ego ſangvinem expreſſi?* cui Chriſtus: *non tuum hoc eſt ſcelus; ſed per ſuperiorem Templi portam modò ingreditur* (erat autem Ædes S. Nicolai) *qui atroci flagitio* (& nominavit illud) *hæc mihi vulnera inflixit.* Amore ejuſdem myſterij percupiebat ſextâ feriâ defungi vitâ, ſæpius hoſce verſiculos dulciter modulari auditus: *nonniſi die Veneris optata mors adveneris: ità precatur ſervulus, & non negabit Dominus: quæ ſexta lucet feria, volo mihi ſit ultima.* Neque aliter quàm cecinerat evenit, & eventurum die antè in concione prædixit. Æneam Crucifixi imaginem diu noctúque gerebat in corpore, ut adeò vix mirum ſit, viſam aliquando fuiſſe intrà Bernardi oculos ad vivum expreſſam Crucifixi effigiem, quam ità aſſiduè in corde gerebat.

Primo poſt DEUM cultu & amore proſequebatur MARIAM, cujus nullam iconem tranſijt quin officioſè ſalutaret; Coronam Roſarij jam indè à prima pueritia eidem dicere ſolitus. Nominis MARIÆ appellatio illi præ nectare & melle dulceſcebat, cui novos ſemper & ſvaviſſimos titulos, quoties eam nominaret, excogitabat. Tenebat Romæ in cubiculo ejus ſtatuam antiqui operis lapideam & ſubfuſcam, quam ſuam nigellam appellabat: neque ad illam perfugit unquam, quin impetratum, quod petebat, auferret. Indè Româ in Siciliam delata, in Catanenſi Templo Societatis quot hebdomadis ad conſtitutam diem à populo perfrequenti colitur. Ad eandem frequentes exarabat literas non rudis amator, & Lauretum aliáque Mariana loca tranſmittebat, & non raro corporali velo veluti ſupplices libellos, celebraturus ſubſternebat, reſponſi gratiæque ſecurus: quam ex ſacra Cappuccinorum Familia Vir perquam Religioſus in Sicilia, velut DEIparæ internuncius, illi aliquando expoſuit ſcribens: *bono eſſet animo, magnam ipſi gratiam & ſingularem à Cœli Regina promitti, quam & ſibi pollicita eſſet.* Similem epiſtolam, per noſtræ Religionis hominem, Drepanum ad DEIparam miſerat, quam ille ſub ſcabello Statuæ Virgineæ ità depoſuit, ut eximi non poſſet. Hunc ex peregrinatione reducem Bernardus mirè lætus excepit, faſſus ſe ab Auguſtiſſima Cœli Imperatrice reſponſum jam accepiſſe. Eodem pietatis lenocinio ab ea certior reddi, an è numero prædeſtinatorum foret, ad hunc modum impetravit. Pagus eſt Catanæ vicinus, & Virginis ab Angelo ſalutatæ imagine totâ Siciliâ celeberrimus, ubi literas magnæ Matri ad manus ſecretò traditurus, januis clauſis, ſocium

ſocium foris ad poſticam & aræ vicinam portam aſſiſtere, & ſacrificanti de more reſpondere juſſit: qui tamen ſacrâ curioſitate victus, cum duobus Patri familiariſſimis Viris nobilibus Franciſco Bolano, & Octavio à Valle, per rimam januæ quid ageret obſervavit. Hìc ille primùm à majore porta nudis genibus ad aram uſque reptavit: pòſt conſveto ritu ſacrificans, ubi ad Hoſtiæ DEO oblationem ventum eſt, epiſtolam ſimulachro Thaumaturgæ Virginis porrecturus, manum ſuſtulit, ſimúlq; chartam illico evaneſcentem dimiſit. A Sacro redeuntem interpellare ſuper ea re non auſi, quia gravi mœrore oppreſſum videbant: ubi die ſequenti, ſimili ratione peracto ſolitariè ſacrificio, reducem inſolitis perfuſum gaudijs tripudiare notârunt, importuni ſemel iterúmque tam diu inſtiterunt, donec expugnato pertinaci ſilentio fateretur, hoc die tandem, quod herì fruſtra ſibi manifeſtari petierat, impetrâſſe; ſcilicet amicorum intimum Divinâ electione prædeſtinatorum ſyllabo adſcriptum eſſe. Plurimùm autem de ferendis ejuſmodi ad Virginem epiſtolis deligebat innocentes puerulos: & licèt aliquando in naſutulos & curioſos, quid literis contineretur, incidiſſet; vel nullatenus reſerari potuerunt & legi, vel ex manibus evanuêre. Ità cùm aliquando ex Catanenſi Collegio duobus è ſchola juvenibus epiſtolam ad Virginis aram, cum officioſa ſalute deferendam commendâſſet, Thomas Leonardi ex vicino id obſervans, nuncios ſecutus, locum quo charta poſt DEIparentis imaginem depoſita fuerat oculis deſignavit, iiſque digreſſis, ut epiſtolam curioſiùs perlegeret accurrit, neque tamen ibi, vel quovis alio circum loco quidquam reperit: ſicut nec juvenum alter, dum facti pœnitens quòd epiſtolam non antè perlectam aræ impoſuiſſet, die altero ad eam auferendam fruſtra redijt.

Tam confidentem & incenſum ſui abſentis amatorem ut ſolaretur caſtiſſima Virgo, perſæpe illi ſe multâ luce conſpicuam viſendam exhibuit. Ità cùm aliquando ad imum aræ gradum ſublatis in altum oculis diu immotum conſiſtere, pòſt verò in cubiculo humi proſtratum jacere notâſſet miniſter: *mi Pater*, quæſivit, *quid ſuper ara vidiſti?* cui ille ratus fortè eadem ipſi viſa, *ſpectabilem habui*, inquit, *hiſce oculis DEI Matrem, in ipſo aræ faſtigio albo & raſili ſerico pulcherrimè veſtitam.* Accidit aliàs in ipſo Aſſumptæ Virginis feſto, ut inter dicendum è ſuggeſtu totus repentè expalleſcens, deinde fixo in cœlum obtutu, caneti ſimilis, magno ſenſu & gaudio ingeminaret: *video te Domina noſtra, video te!* Rurſum Catanæ feſto illius Conceptionis die, quam ab omni labe puriſſimam ſemper ipſe fortiſſimè tuitus eſt, vix ad aram illius litaturus acceſſerat; cùm in eam oculis defixis, non jam imaginem, ſed Virginem ipſam luce plùs quam ſidereâ circumfuſam conſpexit, in hæc primùm verba erumpens: *ô quàm pulcra es, quàm pulcra es!* dein ad ſocium: *quàm vereor*, inquit, *ut hodie ſacrificare queam!* quæ verba identidem ſub ſacrificij progreſſum lacrymis perpetuò manantibus repetens, ægre illud ad finem horæ ſpatiò perduxit. Indè ad cubiculum per hortum inter extaticos clamores contendens, miniſtro ut omnia curioſè obſervaret veſtigia ſequente, laxatis ſanctæ lætitiæ habenis porrectus humi, & facie ſolo appreſsâ altùm ingeminabat: *quàm pulchra! quàm jucunda! quantíſque delicijs circumfuſa!* Atque tum pavimentum de lingva à porta uſque ad oratorium oſculis delibans, ac propè everrens, totus in laudes pulchritudinis Virgineæ abſorptus eadem repetebat. Tantus autem in concionibus erat Bernardi, támque efficax pro aſſerendo Virginis immaculato conceptu zelus, ut eo permota Sicilia univerſa Urbium ſuarum omnium Præſidem & Patronam legerit DEI Matrem, ſub titulo Immaculatè conceptæ.

Qui tam familiarem habuit Angelorum Reginam, quid mirum eſt, ſi Angelos amiciſſimâ conſvetudine pænè habuerit ùt ſodales? Tutelarem ſuum in Collegio Romano frequẽtiſſimè aſpectabili formâ præſentem coluit, atque ad ejus Angelicam oris & morum compoſitionem ſuos ipſe motus, vultum, greſsúſque conformare didicit. Hunc in rebus omnibus conſulere, ab eo Divini amoris mutuare flammas, conſtitutis horis à ſomno excitari, ad orandum, ſtudendum, legéſque ad amuſſim ſervandas invitari, & in leviſſimo levis etiam noxæ periculo moneri ſolebat. Hunc ille viciſſim ſummâ veneratione, etiam cùm non adeſſet conſpicuus, colebat, reverentiſſimè alloquebatur, honoratiorem in cubiculo locum, in ingreſſu vel egreſſu primas concedebat, decumbendi facultatem, cùm ſomnus opprimeret, petebat, & tanquam Pædagogo in omnibus morem gerebat. Pridie S. Michaëlis peregrè ad civitatem quandam magnâ corporis fatigatione delatus, rogatúſque communi Civium & Nobilitatis nomine, ut die ſequenti ad populum audiendi cupidiſſimum diceret, negotium ſuſcepit, & rejectis omnibus laſſi corporis, quæ charitas domeſticorum offerebat, refocilla-

mẽ-

mentis, exhausta membra in nuda humo quieturus deposuit, ligneo scabello pro cervicali usus. Cùm verò ità deprehensus amicè moneretur, ut saltèm necessarias concioni futuræ vires commodiore cubatu instauraret, reposuit: *nisi hunc in modum dormiero, quâ ratione die crastino de Principe Angelorum dicam? cujus excellentiam nemo nisi vel Angelus, vel DEUS ipse satìs explicet.* Atque in hunc modum nocte exactâ, sequenti luce ad omnium stuporem præclarè dixit. Studebat Bernardus omnium, præcipuè Angelorum, in parendo promptitudinem imitari: quam declaravit maximè, cùm imparatus Moderatorum annutu jussus est in suggestum prodire, de B. V. verba facturus, non plùs temporis quàm ut Sacrum perageret concesso. Hìc ille, quod solum poterat, ardentissimis precibus DEUM, Virginémque adegit; ut exorati, Angelum insigni specie de cœlo submiserint; cujus præsentiâ ingens animo robur ingeri persensit, conscensóque suggestu tantâ verborum copiâ, sententiarum pondere, conceptuum sublimitate, ardoréque peroravit, ut nunquam uberiùs.

Jam verò inter cœli Indigetes, in quibus præcipuo cultu prosequebatur Apostolorum Principem Petrum, S. Ignatium Parentem suum, SS. Thomam Aquinatem, Bernardum, Vincentium Ferrerium, Ursulam, Brigittam, Catharinam Senensem: inprimis tamen & super omnes colebat S. Antonium de Padua, S. Franciscum de Paula, & S. Agatham veluti concivem suam. In eorum gratiam rogatus, nihil unquam negabat, eos per diem creberrimè invocabat,& vel in ipsa mensa,panis frustula, cruce signata singulis dicabat: eorum icones semper apud se gestabat, & ubi posset in concionibus eorundem amorem & cultum populis svadebat. Cui vicissim creberrimè ipsi aspectabiles se exhibere, familiariter colloqui, arcana cœlestia aperire, dum & annum locúmque suæ mortis insigni favore ab eis edoctus est. Et quidem in S. Antonij Paduani familiaritatem adeò se penetravit, ut dubites illiúsne in Cœlitem confidentiam, an hujus in mortalem propè domestica humanitas palmam retulerit. Fuit sanè cùm ipse repentinâ animi voluptate perfusus socio referret, S. Antonium admirabili specie & fulgore sibi nocte adfuisse, staturâ quatuor digitis se altiorem: qui me, asseri de more, inquit, incumbentem longo blandissimè recreavit colloquio, amplexu adstrinxit, & integram Cœlitum cohortem unà adduxit, ínque his Joannem Mariam Colnagum Panormi è vita digressum commonstravit. Nec intermisit Bernardus omnibus vicissim Sanctum prensare obsequijs, sepulchrum ejus quoties fas esset adire, versiculos in ejus laudes componere, in Templis suis ubique ex via adire, salutare, flosculis ornare, lacrymas & suspiria affundere, schedas ceu supplices libellos, varijs diversorum necessitatibus remedia implorantes deferre, ac denique admiranda supra omnem naturæ vim ejus nominis invocatione patrare. Antonius quidam nostræ Societatis adjutor, in sepulchro Dominico apparando sanctiore hebdomade in multam noctem laborans, fallente vestigio ex alto decidit, artubúsque confractis in lectum delatus est. Bernardus id resciens ad imaginem Sancti, quam in cubiculo servabat illico refugiens: *S. Antoni*, orat, *necesse est fratrem Antonium die crastinâ incolumem ad absolvendum Domini sepulchrum redire; quare age, sanitatem restitue.* Simúlque ad decumbentem accurrens crucem bene magnam formavit, *S. Antonius*, inquiens, *te sanet; cras incolumis esto, & ultimam sepulchro manum impone.* Paruit æger, seipsum miratus surrexit, & viribus integris, omnium stupore,quod cæperat absolvit.Neapoli primæ nobilitatis puellam à Medicis jam propè depositam invisens: *S. Antonius*, inquit, *ad te invisendam venit, qui tibi longioris vitæ gratiam obtinuit. Euge bono esto animo, non est porrò quòd timeas!* Et vaticinium consecuta mox sanitas approbavit. Ad Joannam MariamTodescam Sanctimonialem cum morte luctantem,Parentum rogatu,invisens, dum ad crates cum una Monialium de moriente colloquitur, solitâ simplicitate quærit: *volumúsne Joannam restituere sanitati?* ad quod illa subridens, *omnino sanemus illam Pater. Ergo*, subjungit hìc, *ut eam sanemus, oremus sanctum Antonium.* Et cum dicto genibus flexis, sublatísque in cœlum manibus, ter repetitâ bene precandi formulâ: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti*, Coronam suam precatoriam Moniali tradit, Joannæ admovendam: quam ubi attigit, periculum vitæ & morbum omnem dispulit. Ad Mariam de Consulo tertij Ordinis S. Francisci ab integro anno mutam, & membris omnibus trementem evocatus, quæsivit ex ea quo nomine vocaretur? sed reponentibus domesticis, eam ab uno anno loquendi potestate destitui: *ego verò*, subjungit, *per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM & S. Antonium, impero, edic, quod tibi sit nomen*: simúlque lingvam mutæ cruce signavit. Nec mora, nomen sibi Agathæ in baptismo datum ægra respondit.

Cúmque adhuc minùs expeditè verba eluctaretur, vini pauxillum priùs à se delibatum illi obtulit, ex quo semper magìs lingvam habuit expeditam. Sub hæc caput cæteráque ex ordine membra cruce signata, in Domino JEsu & S. Antonij nomine tremorem ponere, manus contractas explicare jubet: atque in hunc modum admiratione defixis quotquot aderant, plenâ sanitate langvidam impertit; ultimò adjiciens: *jam sana es, vicesimo abhinc die etiam ambulabis:* quod & factum est. Denique vix ullum morbi genus est, quod invocatione hujus Sancti non fugaverit. Gravi vulnere hians cujusdam brachium, impresso super illud salivâ Crucis signo, & sancto Antonio invocato, mox coalescente vulnere curavit. Claudos, membris mutilatos, cardiaco morbo oppressos, cæcos, atræ bilis intemperie ad amentiam propè redactos, partim invocato Sancti nomine, partim ad illum suo nomine orandum remissos, malis omnibus exemit. Quin & flosculo ad Sancti poplitem attacto, oculos à Medicis jam deploratos restituit: febrim dato ad manducandum, quem S. Antonij vocabat, fructu extinxit: acerbissimos dentium dolores solo ejusdem imaginis attactu dispulit: pauperculæ pallium furto sublatum ità à Sancto reddi impetravit, ut in ipsa ejus ara (quod Bernardus rogaverat) à muliere reperiretur. Locus est ad maris littus unâ solùm à Catanæ mænibus levcâ dissitus, amœnus inprimis & angvillarum capturâ notissimus. Illuc aliquando Superiorum jussu ad relaxandum animum discedens, dum sodales ex cætu S. Agathæ, quibus concessus erat, per omne littus piscibus capiendis dant operam, ipse Divinum officium interim orando persolvit. Post quod ad eos reversus, quàm felix sit piscatio rogat? audiens verò pisces quidem permultos, sed nullam angvillam prehensam, arrepto obvio hamo & in pelagus abjecto: *age*, inquit, *beate mi Antoni, ex profundo maris sinu angvillam mihi porrige.* Vix finierat, cùm adhamatam extrahit, sed parvam. Ad quam subridens, *& quid hoc*, ait, *ô mi Sancte? pisciculus est non piscis quem das; itáne hoc sit tuâ munificentiâ ac beatis manibus dignum donum? restituo illud: & quia hic non sufficit omnibus, majorem ut largiaris, demissè supplico.* Et cum dicto pisce hamóque denuo in undas projecto, subitò angvillam insolitæ magnitudinis extrahit, quæ omnibus simul in prandium suffecit: à qua tamen ipse, omníque alio cibo diem illum jejunus abstinuit. In rebus autem quibusvis deperditis, quibus recuperandis S. Antonius potissimùm Patronus invocatur, communiter ab omnibus ad Bernardum recurrebatur, & ab hoc ad S. Antonium. Amissam casu seu furto mulam totos 40. dies frustra requisiverat nonnemo, ideo Bernardo supplex factus, ut precibus suis eam restitueret, ab eo ad aram S. Antonij cum flosculo caryophylli (quem fortè manu tenebat Pater) remittitur, spondétque jumentum à Sancto, oblatione precum & flosculi delinito, reducendum. Fecit is quidem imperata; sed mulâ non comparente, aliquot elapsis diebus ad Bernardum mœstus redijt, jussus denuo Sanctum ante illius aram precibus fatigare. Ecce tibi sub auroram diei sequentis pulsant hominis fores duo Franciscani; & alter quidem mulæ tamdiu quæsitæ insidens, nutu significantes, ut ad illam recipiendam descendat. Decurrit illico, & mulam quidem præstolantem reperit, at neminem ex Franciscanis totâ plateâ deprehendit. Lugebat & alius apud Bernardum rem magni pretij sibi perijsse, qui filium ejus, juvenem simplicem & rectum ad aram Sancti apud PP. Franciscanos ablegavit, jussítque salutem à se Divo dicere, rogaréque suppliciter, ut dignaretur pandere, ubi locorum quod Parenti perierat, reperiretur? quod si nollet indicare, lampadem ante ejus aram bene multis diebus sinè oleo à Bernardo destitutum iri. Ecce autem juvenis vix Templum ingressus obvium habet Virum Franciscanæ Familiæ, formâ præstantem, & quà modestia vultûs, quà flore ætatis conspicuum, à quo rogatus quid vellet? sinè ambagibus jussa Bernardi exponit. Tum ille subridens Syriaco idiomate respondit, quî & quo in loco res invenienda esset? Hìc rei novitate attonittus juvenis, loco sibi Syriacè indicato rem perditam feliciter quæsivit, eáque repertâ longè magis attonitus est, quo pacto peregrinam neque unquam eatenus ab se auditam lingvam intellexerit, quam Syriacam fuisse deprehensum est. Pari ratione mulionem perdito mulo mirè anxium ad Sancti aram ablegavit, duósque illi cereos accendere, & suo nomine hæc dicere jussit: tuus Bernardus vult, ut non priùs hæc dies effluat, quàm mulum mihi reducas. Vespere sub ipsum salutationis Angelicæ signum, audit fores pulsantem, mulúmque à Franciscano adductum lætus inducit, parùm de adducente sollicitus. Donec collecto ex nimia lætitia animo ad cœnobium S. Francisci accurrit, gratias relaturus: sed nemine quidpiam de mulo, eô præsertim tempore horâ secundâ noctis sciente, ad Bernardum redit, à quo edocetur benefi-

beneficium id ad S. Antonium pertinere. Rustico qui multis frustra diebus amissum equũ deplorabat, prædixit ope S. Antonij brevì reducendum. Et ecce paulò pòst audit agricola clamantem ad januam: *eja age, equum tuum recipe.* Descendit, & equum tertiâ noctis horâ fræno sellâque ornatum deprehendit. Sic & alij duplici jacturâ, muli & annuli amissi afflicto, annulum quidem restituendum, sed pro equo pretium recuperandum prædixit. Adfuítque mox die altero qui pro equo 50. scuta numeravit, & alius qui annulum retulit. Denique si tardior subinde ad postulata sanctus videretur, accedebat Bernardus, confidenter cum eo expostulare, piè queri: voti autem compos factus, blandiri, corollas ex floribus ejus imagini deferre, metra in laudem componere, decantare. Accidit ut Bernardus mulieri amissum equum reddi à Sancto postularet, quem etiam maritus illico insciâ uxore recuperavit. Hæc cùm tristior ad Patrem rediret, arbitratus ille suas preces non habuisse pondus, puerum quendam (postea S. Francisci de Paula Religiosum) ad Sancti Ædem ablegat; & dato in manus lapillo, *dic*, ait, *S. Antonio: P. Bernardus, ô Beate, ait, cor tibi esse hoc saxo durius, quòd beneficium tantopere desideratum non concesseris; probatio amoris est exhibitio operis; ad quid tam prolixa mora, ubi celeratam necessitas opem flagitat?* His fideliter à puero relatis, lapillóque super ara deposito dum recedere parat, videt ex summa ara Franciscanum prodire, qui blandè arridens: *ecce tibi tuum lapidem,* inquit, *redi ad Patrem, eique ex me nuncia, ipsum magis in corde lapidem circumferre, qui toties experientiâ doctus, nondum sibi persuadeat gratiam pridem esse concessam.* Romæ quoque tardiorem Sanctum ad audiendas preces expertus Bernardus, tria in papyro, supplicis libelli vice, exaravit verba: *cunctatum satis est*, & super oratorio reliquit. Quæ manè super mensa metro lepidè divinitùs absoluto reperit: *vicit patientia vicit.*

Nec inferior fuit in S. Franciscum Paulanum seu pietas, seu confidentia. Incidit aliquando in puerum sexennem strumis deformatum, super cujus collum cruce ex saliva ducta: *abi*, inquit, *ad S. Franciscum de Paula, téque à me missum dicito, ille nè dubita sanitatem tibi impertiet*, quod & factum. Genuæ, Matronæ nobilissimæ sobolem sibi exorari à DEO postulanti, persvasit ad Sanctum conscriberet ea de re supplicem libellum, cujus ipse bajulus esse vellet. Hunc sacrificaturus Corporali supponens: *Mi S. Francisce*, ait, *hæc ad te venit epistola: non te fugit, quid illa velit, quídque tibi faciendum incumbat?* A Sacro regressus, masculam prolem enixuram matri prædixit, & eventus vaticinium firmavit. Catanæ ex longa imbrium inopia sterilitas agris, & lues corporibus certa imminebat: quibus avertendis urbis Antistes publicam supplicationem ad Ædem S. Francisci de Paula, delato Sacerdotum humeris S. Agathæ corpore, indixit, simúlque Bernardo concionem ad populum imposuit. Ille fune in collum inserto, nudis pedibus, lacrymis perfusus, Divæ tumbam secutus, suggestum conscendit, & ardentissimâ dictione populum omnem ad lacrymas, ejulatus, & misericordiam DEI implorandam permovit. Cúmque cœlum etiam tunc aheneum perduraret, ad S. Franciscum conversâ oratione: *Tu verò Sancte mi amantissime, dulcis Pater & benefactor, intercede, quæso, ut pluviam nobis DEUS largiatur. Aquam, aquam peto, promisisti mihi pluviam, sta ergo promissis.* Sed cùm necdum plueret, finitâ concione populo tertiùm bene precatus est; nemine tamen recedente, quòd magnum aliquid omnes expectarent, siquidem ipse in suggestu perseveraret. *Ego verò*, inquit Bernardus, *è Divi templo non recedam, nisi impetratâ ejusdem precibus pluviâ.* Itaque postulato ad Divinum officium persolvendum Breviario, necdum primum Psalmum orando percurrerat, cùm nubibus repentè contractis tam copiosus imber decidit, ut nemo jam domum ire, si vellet, posset. Panormum, Superiorum jussu, Messanâ navi discedens, multis precibus Navarchum diu reluctantem, quòd tempestatem cœlum portenderet, tandem permovit ut ad portum Malazzo deflecteret, vestigijs S. Francisci duro saxo impressis, nobilitatum; ubi calcatis sicco pede maris undis primùm terram attigerat. Vix anchoras jecerant, cùm obortâ procellâ mare intumuit, & immanibus jactata fluctibus navis tantùm non aquis absorpta interijt. Omnibus ergo nautis pietatem Patris veluti stolidam incusantibus, & mille maledicta ingerentibus, ad templum Sancti properavit, multísque illum pro navis incolumitate deprecatus, frustulum ejus sacri Caputij à Religiosis impetravit, & coactâ aliquot puerorum, Sancti nomen implorantium, extemporaneâ supplicatione, ad mare venerabundus detulit. Ibi omnibus in genua provolutis postquam mari reverenter illud immersit, mox à littore tranquillitas rediens usque ad navim Bernardi sese porrexit, ut alijs contra ventorum fluctuúmq; injurias periculosè luctantibus sola quiesceret, donec conti-

continuatisBernardi precibus toto mari malacia rediret.

Sanctam demum Agatham à puero tenerrimâ pietate complexus, domo vix unquam prodibat, quin ad Cathedralem Basilicam diverteret, ejus tumulum veneraturus: cujus lipsana quoties in supplicationibus deferrentur, sequebatur ipse multis semper perfusus lacrymis, velut à sensibus alienatus. Habuit verò illam creberrimè inter dulcissima colloquia aspectabilem, ut eam sibi de facie tam probè notam diceret, ut vel penicillo expingere posse confideret. Contigit aliquando ipsum horâ noctis secundâ clausis jam omnibus portis Catanam curru revehi, cujus custodes aliò dilapsi, cùm diu multúmque aurigæ vocibus frustra evocarentur, parabat ad aliam Urbis portam ingressum tentare. Sed Bernardus id prohibens, ad vicinum S. Agathæ extra pomœria Templum, olim verò ejus carcerem, primò se convertit; deinde curru egressus, velut exploraturus ipse an porta pateret (quod prior antè auriga, magnâ vi eam moliri connisus, frustra tentaverat) eâ leniter percussâ, submissiore quidem, sed quam auriga cum Patris socio percipere posset, voce *Agathula soror mea*, inquit, *non audis? aperi mihi ô Virguncula* CHRISTI! *non te fugit fractas corpusculi mei vires sub Jove frigido noctem sinè damno ferre non posse? Itaque necessum est, ut nisi in pristino scruciatus revolvi servulum velis, portas Ipsa, quod potes, actutum pandas. Et dabis hoc amanti, qui nihil meritus omnia sperat.* Vix dixerat, & porta minor non ampliùs, quàm ut ipsi socióque transitus esset, patuit. Quare novis precibus Divam aggressus: *Agatha, spes mea*, addit, *quid me ludum facis? mancipium tuum audi, sed fidum tibi per omnia. Curru opus est, majorem portam, utramque laxa valvam.* Et cum dicto etiam aurigam currúmque admisit porta. Tum Bernardus aurigæ: favit planè fortuna, ait, quòd apertam adhuc portam invenerimus. Hic verò miraculo attonitus, neque respicere, quis aperiret, quísve clauderet ausus, sacro quodam horrore penè extra se raptus est, cùm jussus à Patre portam, nè quid indè damni custodiæ paterentur, obserare; illam pavens treménsque invenit seris & vectibus de more occlusissimam. Syracusas aliquando Catanâ naviganti cœlum in atrocem adeò tempestatem inhorruit, crebrísque fulminibus, procellosis ventis & fluctibus navem instar pilæ jactavit, ut omnes desperatâ vitâ ultima remedia corpori animísque circumspicerent. Bernardus inter hæc svavè subridens S. Agatham & S. Antonium magnis vocibus implorare omnes jubet: simul ipse efformato crucis signo, tempestate omni momento dispulsâ mare tranquillavit. Laborabat iterum Catana multo tempore imbrium penuriâ, spémque omnem futuræ messis cœlum æneum propè jugulaverat. Cùm Bernardus inter concionandum ad Sanctam, cujus octava agebatur, ardenter preces fudit: & repentè cœlum tam densos effudit imbres, ut torrentes per urbem latè ruentes egressum è templo prohibuerint. Eadem in urbe puerulus erat, quatuor jam menses defluente in oculos humore penè excœcatus, ut Parens non ex vano metueret, nè malum fixis radicibus visum penitus filio adimeret. Quare à Bernardo remedium cum lacrymis orat, jussus ab eo templa SS. Agathæ, Luciæ, Francisci Paulani, & Antonij Paduani cum filio supplicatum adire, neque defore Divorum patrocinium. Mirum dictu! redux domum Pater, natum ex integro sanum reperit: & seu oblivione, seu negligentiâ voti jam compos effectus, neque puerum ad præscripta Templa deduxit, neque ipse adijt. Paucis ergo diebus redit pristina cæcitas: quæ tamen, lustratis quas Pater innuerat sacris Ædibus, in perpetuum deinceps fugata evanuit. Exæstuans aliquandò Æthna torrentibus igneis vineas & agros longè latéque involvebat, jámque vineto Viri nobilis & amicissimi cladem ultimam minabatur. Accurrit Bernardus, & in quatuor vineæ lateribus modicum de gossipio S. Agathæ defigens, metam voracibus flammis posuit: quas non ausæ transgredi, omnibus circumquaque ruinatis, visæ sunt magno spectantium stupore plenis vorticibus assilire, sed arcanâ vi repulsæ in adsitos undique campos diffundi.

Nec defuêre ejusmodi plura alia, quæ semper in promptu habuit quoties DEI honor aut utilitas proximi exigeret, prodigia. Sermo illi aliquando erat in domo quadam super amabili SS. Trinitatis mysterio, cùm dœmon id perosus repentè densas totâ domo tenebras, magno omnium horrore, diffudit: sed has Bernardus facto Crucis signo momento dispulit. Aliam fortè domum ingressus, cùm reperissetMatremfamilias parandis ad furnum panibus occupatam, unum ipse manibus è massa formatum pinsi & asservari jussit: qui per annos complures incorruptus, multis saluti contra omnis generis morbos degustatus fuit. Erat Canonicus graviter ab alio dissidens, & ad redintegrandum amoris vinculum flecti nescius: hunc familiariter conveniens Bernardus, crucem ejus pectori vix sentienti im-

impreſſit, & animum ſinè mora ità compoſuit, ut mox Templum ingreſſus, ínque genua provolutus, preces pro inimico fuderit. Et verò ſingularis inerat ad tranquillandos & ſanctâ jucunditate exhilarandos animos verbis Bernardi gratia, quâ mirè captus Clemens VIII. Pontifex Maximus, crebrò illum accerſebat, quoties præſertim curas ſapido de Divinis rebus colloquio lenire vellet, jubere ſolitus: *vocate nobis illum ſanctum Patrem.* Nunquam auditus ſiniſtrè de aliorum fama loqui, dicta factáve carpere: ſed neque ab alijs nomen proximi obteri ferre potuit. Nobilis publico Judicis decreto Catanâ ejectus, Romæ ante omnia Bernardum convenit, ſuam illi calamitatem relaturus: à quo ſolatij vice graviſſimè reprehenſus eſt, quòd Patriâ diſceſſiſſet, nec antè famam Viro nobili, quem falſo teſtimonio in judicio oppreſſerat, reſtituiſſet. *Actutum,* inquiens, *Catanam redi, & inuſtam alienæ famæ notam dele. Properato opus eſt, nam de ſalute animæ tuæ agitur; noli moras nectere, quia brevis ſupereſt tibi vitæ mora. Domino curæ erit, nè Magiſtratus in te graviùs aliquid, quòd exulare juſſus redeas, decernat.* Conſternatus ille cùm inopiam & viatici defectum prætexeret, corrogatâ à Patre præſenti pecuniâ adjutus, vix Catanam attigit, cùm in lectulum fatalem concidit. Ergo Scribâ publico accerſito faſſus calumniam, teſtimonium antè datum reſcidit, & animam tam gravi ſcelere exoneratam mox feliciter egit.

Jam quid ego de heroica ejùs in adverſis tolerantia, de injurijs ab inferno & mundo illatis dicam? ſæpe ab his peſſimè acceptus, ſæpe ab integra dæmonum cohorte, lecto everſo terræ alliſus, & crudeliter cæſus, ut plagarum reliquiæ livor & vulnera in vultu hærerent. Ut dicentem è ſuggeſtu præpedirent, modò moloſſi ſpecie horrendis latratibus, modò inſanis vocibus per obſeſſos homines concionem inquietabant: at juſſi à Patre ſilere, illico ità conticeſcere cogebantur, ut ſolutâ concione in priſtinos ſubitò clamores prorumperent; quò manifeſtum fieret, cujus imperio obmutuiſſent. Accidit ut in colloquio plurium Abbatum ſubitò ex omnium conſpectu ablatus non compareret; at paulò pòſt quàm indignè à dæmone vapulâſſet, facie lividâ, ſordidâ veſte, debilitatis artubus redux oſtendit. Quibus tam parùm animo debilitabatur, ut hoſti etiam contrà inſultaret. Cùm enim ab Energumeno obſtinatum exigeret, illéque minacibus verbis, *ego te Bernardone* (ità per contemptum vocabat) *in ruborem dabo,* exclamâſſet: confeſtim Pater, *& ego,* inquit, *in DEI nomine, hoc ut facias præcipio.* At dæmon, *ohe! Bernardus cælo inſiſtit,* dixit, & ſe devictum faſſus exceſſit. Aliàs quoque ad deſerendum obſeſſum urgens avernalem hoſpitem, cupidus aliquid pro Chriſto (erat enim feria 6. patienti Domino ſacra) patiendi, impetravit, miſſum ut faceret hominem, & concubiâ nocte in ſuum migraret cubiculum. Itaque futuri certus, ſocium monet, nè quid timeat, ſi quid per eam noctem turbetur domi, aut manè ipſe probè contuſus appareat. Et verò quàm cumulatè voti compos evaſerit, manè cadaveris inſtar porrectus humi, ac ſemianimis corpore fracto, livore ſuffuſis oculis, totóque vultu tumefactus, domeſticis abundè declaravit. Quibus cauſam mali quærentibus, in malum ſe impegiſſe ſcopulum repoſuit: & remedia opportuna parantibus, ſolâ luſtrali aquâ damnũ omne momento citiùs abſterſit. Neapoli quoque inter horum hoſpitum exercitus, in cubile magno fremitu irrumpẽtes, plures è Patribus ad viſendum quid apud Patrem tumultûs ageretur excivit, qui anhelantem quidem & ſudore lacrymíſque madidum, nemine tortorum viſo, invenerunt: ipſe tamen aſſerebat, ſentire ſe immanibus velut urſorum, leonúmque morſibus lacerari. Aliàs renuenti dæmoni ab obſeſſo unde exigebatur exire, poteſtatem obtulit nocte inſequenti ad ſuum migrandi conclave. At ille, *excedam quidem,* ait, *ſed ire nolo ubi torquear, ſcio enim probè quid in cubiculo tuo actites,* ità dixit & Energumenum deſeruit. Iterum Catanæ Templum Societatis ingreſſa Energumena, veniente ad prædicandum eodem Bernardo pedem referre omni conatu laborabat: ſed eâ per vim à circumſtantibus retentâ & ad Patrẽ deductâ, impatiens ejus præſentiæ dæmon, horrendo cum ululatu liberam dimiſit. Sicut & in Parthenone, quem Siculi vulgò Converſarum vocant, pari facilitate ejectus à Novitia, (Paula dicebatur) infelix hoſpes, in ſignũ ſui diſceſsûs clavim ferream bene magnam ex puellæ zona dependulam confregit. Jumentô aliquando Mazzarâ Panormum iter agens, preces de more perſolvebat, cùm mulus antè ſemper manſvetiſſimus, arte ſtygiâ in furorem actus, rupto fræno excuſſum vectorem, & loris ephippij, pede adhuc implicitũ, per avia & devia, per ſaxa ſtirpéſque longo ſpatio raptare, ut nihil ambigeret ſocius, Patrem eliſo cerebro fractíſque artubus jam vixiſſe, aut ſaltèm animam agere. Ille interim lætâ voce hymnum trium puerorum con-

cinens, omnia Domini opera ad benedicendum illi provocabat: atque ubi jumento consistente socius accurrit, lætus planéque incolumis assurrexit, discrimen id ope S. Antonij Paduani dissipatum affirmans. Nec minùs anceps iterum in mari periculum cum pluribus è Societate Viris sævissimâ tempestate adierat, adeò ut ipsi nautæ talium experti, ubi insuper nescio quis piscis, certus naufragioru̅ index comparuit, etiam vestes, nè impedime̅to essent natantibus, abjicerent. Solus Bernardus ingenti fiduciâ Numinis imperterritus, signo Crucis tumultuanti pelago benè precatus est, statímque fluctus & ventos compescuit; ominosum piscem abegit, & optatam serenitatem citissimè reduxit.

His aliunde malevolentiâ hostium conscitis adversitatibus, non inferiora erant intestina, quæ à morbis, doloribus, animi desolati angoribus, voluntarijs pœnis, majorem vitæ partem expertus est. Acutissimi lateris dolores, prodigiosi pectoris cruciatus, jam lingvæ, jam pedum & brachiorum ceu paralysis aut apoplexia, diu permolestè lecto affixum tenebant: neque tamen aliud expresśere, quàm ut divinas etiam æger laudes decantaret, semper serenus, semper sui similis. Sortini nescio quo infortunio è scalæ gradibus prolapsus dextrum crus confregerat, cùm lætus exclamavit: *ecce, ecce divina, sancta, justa & dulcis providentia amantissimi mei* JESU! Ejus dolori accessit simul immanior longè in brachio lateris sinistri, de quo ad familiarem Cataldum Doctorem scribens: *benedictus sis*, ajebat, *mi dulcis* JESU, *quòd dolorum tuorum partem modicam propinâsti degustandam; neque te latet exoptâsse me, ut hi cruciatus diu sæviant, quo tui similior fiam. Domine mi Catalde, sæpenumerò pœnas mei dulcissimi* JESU *seriò pensitare & contemplari solebam: sed fateri necesse habeo, me illos nonnisi per somnium intellexisse, nunc autem didici ex ijs quæ patior & passus sum. Benedictus* DEUS, *quòd nunc in modum Crucis decussatim pugnent dolores, à dextro scilicet crure ad sinistrum brachium, &c.* Et tamen quoties breves inducias morbi fecissent, evocatus ad alios etiam minùs ægros, promptissimè advolabat, quíque antè claudicaverat, hìc instar cervi alacer accurrebat. Par erat inter calumnias & convitia robur. Invitatus in una Civitatum Italiæ ad solennem disputationem, nervosis argumentis premebat more suo adversarios: quibus expedire se cùm nequirent, literariâ pugnâ in furorem versâ, stomachum omnem maledictis in Bernardum, velut bardum, stolidum, superbúmque caput effuderunt. At ille nihil offensus, & pisce magìs ad omnia mutus, explicatâ fronte in discessu perhumanum se in convitiatores exhibuit, gratijs etiam pro sui invitatione relatis. Neque remissiùs aut minùs rarò domi, etiam à Superioribus, in quo tam inusitati motus animi, ratio vitæ insolita, & res supra consvetum naturæ ordinem patratæ, magnas non rarò in eum procellas excitabant, dum ferè quisq; Moderatorum acrioribus humilitatis ipsius pertentandæ experimentis, an spiritu Divino ageretur, probandum sibi assumpsit. Commendaverat Siciliæ Superioribus Claudius Aquaviva Societatis Generalis, Bernardi virtutum & sanctitatis intimè gnarus; ut illi, quoties vellet, domo exeundi & socij copia fieret. Persæpe tamen id Patri negabatur; & quidam experiendæ patientiæ causâ, humillimè socium pro exitu flagitanti non tantùm abnuit, sed verbis insuper severis, ceu hominem inquietum, vagabundum, Superioribus importunum, domestico ordini gravem, indiscretum, fugitantem & osorem solitudinis, objurgavit: nec tempus modò esse, nec socium fore qui comitari velit, nisì pro imperio jussus. Ad quæ Bernardus permodestè, nemini suâ causâ velle molestiam creari, solùm reposuit: lætúsque totum diem domi hæsit. Rursùm cùm in negotio ad gloriæ Divinæ singulare incrementum expediendo diutiùs præter intentionem in urbe hærens prandij horam neglexisset, jussit Rector ut redeunti prandium negaretur: id Pater intelligens, instar catelli aut mendicabuli humillimè ad cubiculum Ministri se contulit, & portâ lenissimè pulsatâ, duo tantùm hæc verba, Bernardus esurit, tam diu támque patienter ingeminare perrexit, donec cibi quidpiam exoraret. Quòd si verò nemo esset qui foris Bernardo ægrè faceret, intus immittebat DEUS laniatus animo quandoque ità sævos, ut diceret, se Purgatorij flammas optione datâ præ illis electurum.

Sed & ipse prædurus in se vindex! nè in cibo sumendo quidquam experiretur oblectamenti, illum absynthio, aceto, nimio sale, insperso cinere, rutâ, vel acerbis fructibus dextrè corrumpebat, vel præcalidum sumendo, palatum adurebat. Quibus artibus id effecit, ut demum nullum edulij cujuslibet saporem, dulcis an amarus esset, perciperet. Hinc pallor in ore pænè mortualis, tanta in corpore macies, ut duplicatâ pelle stomachum operire posset. Accedebant frequentissima quibus à puero assveverat jejunia: quibus quantum offenderetur dœmon, luculenter Messanæ

næ declaravit, cùm in cubiculo, quo tempore alij mensæ accumbebant, inambulanti, pyrum insolitæ molis & elegantiæ in mensulam objecit: at Pater adoratus hostiles technas, Crucis signo pyrum disrupit, quod illicò flammam cum teterrimo odore evomuit, ipsámq; mensulam adussit. Totos insuper 25. annos ficum nullam (quod in Italia Siciliáque, ficubus imprimis exundãte, permirum & difficillimum est) degustavit, quippe is fructus præ cæteris ejus palato arridebat. Vestitus illi semper fuit totâ domo vilissimus summéque attritus, id quod summis precibus à Moderatoribus impetrabat, ut veluti mendicabulum ex trivio centonibus potiùs malè tectus, etiam in Principum & Magnatum accessu, quàm aptis vestibus indutus incederet: nisi fortè pro imperio aliud Superiores jussissent. Cubiculum, quod incolebat, carcer poterat videri, ità arctum, & sub ipsis Collegij scalis erat: cujus tota supellex continebatur mensulâ, lecto, Crucifixi effigie, vetustâ DEIparæ statuâ, Calvariâ, flagello, & tribus quatuórve dilectiorum sibi Cœlitum chartaceis iconibus. Libri parandis concionibus, quas in meris schediasmatibus conscribebat, vix ulli; nam si quibus opus haberet, Bibliothecam adibat ipse, tanquam mendicatis usurus. Lectulus autem non tam quieti serviebat quàm tegendæ virtuti, quando compluribus annis nuda illi humus pro culcitra fuit; aliàs Crux lignea prægrandis: & si in lectulo decumberet, scutellarum fragmina, spinæ, linteamini substratæ, & capiti saxum aut liber pro cervicali suppositus. Nihil siquidem magis illi in votis erat, quàm vitam cibi somníque expertem agere. Invitatus aliquando Neapoli à Patribus Carthusianis, cùm aliquot consequenter diebus pias ad eos exhortationes, magno illorum in spiritu profectu, habuisset; rogatus summopere, ut tergiversari ultrà non posset, quâ maximè dape cænare cuperet? *due starne*, italicè respondit. Ergo sollicitè totâ Urbe aves hæ conquisitæ, cum gaudio parantur, & mensæ imponuntur, quos tamen Pater nè attigit quidem. Mirantibus autem, & ad edendum desideratas volucres hortantibus, errâsse toto cœlo illos respondit: *non has ego in delicijs habeo, sed due starne* (significat autem *starne*, seu *starsene*, idem etiam, quod *vivere*) *starne senza mangiare, starne senza dormire*: id est, *duplex vivere, vivere sinè cibo, vivere sinè somno.* Quod etiam utrumque eô die præstitit, dum post parcissimam cænam, ante lectum totam noctem in oratione prostratus duxit insomnem. In alio S. Benedicti asceterio simili de causa versatus, cum cæteri à cæna quieti se darent, ipse in templo observatus est in aræ gradu super duro marmore procumbere, & ante auroram in cubiculum se subducere, ibíque genibus flexis orationi vacare. Præter has supra humanum modum potiore noctis parte in oratione vigilias, addebat quot noctibus, etiam dum in sæcularium domos diverteret, prolixam & crudelem flagellationem, deprehensus aliquando noctem integram sinè intermissione se flagris proscindere. Suggestum verò ascensurus, catenâ ferreis muricibus intextâ lumbos, impressis altùm aculeis adstringebat. Non rarò etiam observatus est fluentem ex cauterio saniem sibi & alijs, dum peregrinorum pedes ablueret, exsugere: & inter ambulandum per campos, vepribus sentibúsque latenter manus immersas lacerare. Aliàs flagello laceratum lividúmque corpus, gelido demersum stagno, propemodum extinxit: & in quodam Italiæ loco sub ipsos Caniculæ ardores glacialem specum nudus ingressus, donec pene congelasceret, hæsit; indè in apricum prosiliens, ardentibus solis radijs ustulandum se exposuit, donec adustâ carne usque ad ossa penetraret incendium, duarum spatio horarum in hac sui carnificinâ consumpto. Denique in sepulchrale Collegij conditorium ingressus, ibíque recèns defuncti Sacerdotis caput manibus prehensum diu tacitus velut extra se positus tenuit, tandémque defluam ex putredine tabem, quæ manibus infusa hæserat, ingenti spiritu hausit: duo indè rara cœli dona consecutus, ut nullas ex eo die sordes, tabémque ægrotorum fastidiret, itémque ut miro pietatis sensu, ac cœlesti quadam dulcedine semper deinceps infunderetur.

Atq; ex his facilè conjectu est, quantâ animi & corporis puritate enituerit; quam Angelicam fuisse ex vero dixero, quia supra consvetum naturæ ordinem egressa, nullis unquam pravis motibus, imò nec cogitationibus labefacta fuit: cujus gratiam & donum suis precibus miro quodam modo etiam alijs impertiebatur. Ità pio cuidam ex certa Religione Viro, gravissimis carnis, quibus impugnabatur, tentationib9 remedium postulanti, Crucis impresso signo, tactis utráque manu casto amplexu lumbis, omnem, momento citiùs, libidinis flammam in perpetuum extinxit, ut nè quidem scintilla superesset. Alius quidam Societatis nostræ Vir ad lectum Bernardi pendulum funiculum variè in nodos contortum advertens, quæsivit, quid hoc vinculum sibi velit? cui ille: *hoc laqueo ad-*

ſtrictum teneo fornicationis ſpiritum, nè domum noſtram pererret, & ſervos DEI inquietet. Riſit ille, ſerióque exploſit has nugas, & anilia deliramenta, queîs dœmonem adſtringi poſſe, nimìs ſuperſtitioſum eſſet credere: aquam luſtralem, cæteráque id genus ſacra amuleta illi fugando eſſe adhibenda, non funiculos, muribus colligandis vix idoneos. *Falleris,* repoſuit Pater: *nónne baculus Eliſei in fugam dare potuit inferni ſatellites? & væ tibi! niſi arctiſſimè hoc funiculo jam nunc ſpiritus libidinis alligatus contineretur.* Sed alter opinionis ſuæ tenax, & erroris Bernardum coarguens funem ſolvit, vincula enodavit, & cum riſu abſceſſit. Vix aliquot paſſus abierat, cùm velut agmine facto irruunt ejus animo imagines Venereæ, & conjuratæ cupidinis acies, adeò infeſtæ; ut talium inſvetus, propè interitum, ipsáſque inferni fauces ſe adeſſe ratus, ad Bernardum recurrere, opémque flagitare neceſſe habuerit; qui denuo adſtricto in nodos funiculo, unico hominis complexu flammam voluptatis penitus extinxit. Nec impunè alteri fuit, ſtrophiolum virgineo Patris ſudore imbutum ab amaſia lenocinio accepiſſe. Servabat illud inter ſacratiora pignora pia Matrona, quod ancillarum una furto ſublatum amaſio ſuo donavit, & aliam furti ream fecit. Hæc cùm innocentiam ſuam tueri aliter nequiret: *faxint Superi,* inquit, *& P. Bernardus, ut naſô mutiletur is, qui ſtrophium habet.* Nondum lapſa erat ſemihora, cùm ancillæ furacis amaſius ad ipſas heræ fores in rixam armatus venit, & luculentam plagam in naſo, furti indicem, accepit. Tantus ergo vitij, caſtimoniæ oppoſiti, cùm eſſet Bernardus oſor, eámq; virtutem omni per totum vitæ decurſum conatu integerrimam ſervare adlaboraret; promiſſa in cœlo caſtis mentibus præmia magnam partem in vita adhuc mortali adeptus eſſe videtur: quando DEUM non quidem per lumen gloriæ, ſicut in ſua DEItate à Beatis cernitur, ſed in humana carne ſæpiùs habuit viſibilem, in Sacrificio præſertim, cùm illum è cœlo ſub Evchariſtiæ ſpecies evocaret. Ità aliquando cùm Hoſtiam ſacram ſumpturus manibus teneret, apparuit ſub ea Filius DEI elegantiſſimi Juvenis ſpecie: cujus pulchritudine oculis abundè ſatiatis cùm eundem intrà ſe recipere arderet, & Chriſtus necdum ſub panis veluti nubem ſe reciperet, ſuppliciter oravit: *non ampliùs Domine, non ampliùs, quomodo aliàs ad plenum tuâ ſatiabor Divinitate? quo pacto intra mea viſcera te ſumam ſub hac forma? redi, obſecro, redi ſub ſacratæ figuram Hoſtiæ, & conſolare animam ſicut oculos beâſti.* Quo impetrato, incredibili pietatis ardore ſacram ſynaxim ſumpſit.

Jam verò qui DEUM toties vidit, quid mirum, ſi & cogitationum occulta, & futurorum eventus eodem monſtrante penetravit? Joanna Requeſenia illuſtris Virgo, ſponſalibus nobiliſſimis contractis nuptias jam parabat, cui tamen conſtanter Bernardus aſſeveravit, nequaquam terreno, ſed cœleſti Sponſo intrà cœnobium copulandam; quin & cruciatuum S. Agathæ Martyris fore participem. Cùm repentè contra omnium expectationem ſponſalibus diſſolutis, Virgo in Monaſterio votis emiſſis, diris gangrænæ doloribus in pectore ad mortem uſque excruciata, plena meritis ad Chriſtum migravit. Mulier quædam in primo matrimonio quinque filias ſuſceperat; hæc in ſecundo percupida mares gignere, Bernardi preces popoſcit: cui ille ſeptem parituram maſculos ſpopondit, quos totidem, neque plures, nullâ ampliùs ſuſceptâ filiâ in lucem edidit. Paduæ Societati in Collegio jam fundatæ templum ſplendidè ædificabatur, cujus Rector Jacobus Lambertengus per nobiliſſimam fabricam Bernardum circumducens, omnem illum ſumptuoſiſſimum apparatum & pretioſa marmora oſtentabat. Cui poſt omnia diligenter perluſtrata in lacrymas ſolutus Pater: *non erit hoc ô Patres, non erit Templum Societatis, alijs paratur elegans hæc ſtructura: antequam aperiatur à nobis, aliorum uſibus relinquetur, neque noſtris Sacrificijs hæ aræ initiabuntur.* Tam triſti denunciatione omnibus attonitis, non multò pòſt cùm in eo eſſet ut Templum panderetur, Societas è Venetorum ditionibus emigrare juſſa, etiam hoc Templum unà cum Collegio amiſit. Meſſanæ ad maris littus fortè inambulans, repentè in genua provolutus, idem ſocium facere juſſit, & pro homine in urbe eo ipſo temporis articulo ab hoſtibus ſuis occiſo orare. Id quod ad Urbem redux ſocius ad ungvem deprehendit. In maximam trepidationem adduxerant Catanam univerſam complures Turcarum naves mare illud pervagari conſpectæ: de quo metu & periculo admonitus ab amico Bernardus: *non petit hæc littora,* blandum arridens reſpondit, *claſſis inimica; ſed aliò vela facit. Brevì quidem eodem modo ipſo S. Martini die ſe denuo in conſpectum dabit, propiùs tamen haud accedet.* Quæ ità eveniſſe læta civitas vidit & obſtupuit. Cùm Noſter aliquis cum morte ſummos inter dolores luctantem matrem intueri non valens, domum reverſus, Bernardo felicem matri obitum exorandum commendâſſet, ille nullo dato reſponſo

ſponſo, per unum horæ quadrantem in eodem hærens veſtigio, velut in ſtatuam obriguit: tandémque velut è ſomno evigilans: *bene habet*, inquit, *mater evaſit*. *Imò mortuam eſſe*, reponente filio: *hoc morbo fatis non concedet*, ſubjecit conſtanter Pater, *jam liberata eſt*. Idémque expeditus ad filium lætus nuncius mox confirmavit, eô ipſo temporis articulo velut à faucibus mortis ereptam matrem revaleſcere cœpiſſe ſignificans. Ad S. Placidi Benedictinorum Aſceterium quinq; ab Meſſana leucis diſſitum, ex itinere delatum Bernardum honoraturus loci Prior, juvenem Monachum ad cellam cum vitrea ampulla pro vino afferendo miſerat: cùm paulò pôſt Bernardus ad adſtantes converſus: *Patres*, ait, *quem miſiſtis hauriendo vino fraterculum, jam charitatis & obedientiæ tulit pretium, fallente veſtigio præceps per gradus lapſus, nullo tamen vitri viníque damno*. Atque ità prorſus eveniſſe mox deprehenſum eſt. Erat Joſepho Anſelmo civi Miletenſi domeſtica inter mancipia Mauris progenita ancilla, de Chriſtianis Sacris nè audire quidem ſuſtinens: de cujus obſtinatione, tranſeunti fortè cùm Romam tenderet Bernardo, queſtus, ex eo audivit: *Domine, ſervæ veſtræ corpus nigricat quidem, at verò erit, cùm candicabit animus*. Frequentibus indè Româ literis Anſelmo cùm commendaret eandem *Mauram, corpore fuſcam, corde candidam*: paulò pôſt illa fatali morbo obruta ſummis votis baptiſmum expetijt, eóque vix tincta decedens, animam ſupra nivem candidam cœlo tranſmiſit. Meſſanæ accidit, ut quatuor è noſtris juvenes, Joannes Renda, Andreas Evdæmon, Hugo Griſit, & Alexander Nevola, omnes Philoſophiæ Auditores ad piam relaxationem conſiderent: quibus ſe adjungens Bernardus, & molliter arridens ad Rendam: *Frater*, inquit, *niſi me fallo, vehementer properas ſcribendo literas. Macte animi, primus omnium obtinebis quod efflictim petis. Andrea, tu proximus eris: tertium locum Hugo ſibi vendicat, poſtremum Alexander*. Atque hoc prorſus ordine ipſi ad mortem pervenerant, ſub his verborum involucris à Patre prædictam; qui literas deproperatas, inflammata cœli in Renda deſideria intellexerat. Hieronymi Juſtiniani mater cùm adhuc illum utero gerens percuperet, ut filius ſuus natu major, qui Panormi degebat, DEO in ſacra quadam familia ſe conſecraret: *minimè ille*, inquit Bernardus, *id facturus eſt; ſed quem adhuc intrà tua clauſum viſcera geſtas*. Dictíque veritatem dies aperuit. Sacerdos erat è noſtris Joannes Baptiſta Marinus, Collegio Catanenſi datus Miniſter, omnium æſtimatione probus & religioſus: quem tamen Bernardus liberè pronunciavit è Societate dimittendum, & infelici fato tollendum. Dimiſſus paulò poſt ab Ordine, Meſſanæ ad paternas ædes, cùm nocte profundâ tenderet, à fratre glande plumbeâ trajectus obijt, & inhumatus canibus in prædam, qui cadaver fruſtillatim devoraverant, ceſſit. Invitatus ad virum nobilem, Januario nomen erat, morti proximum, allatis ſecum S. Januarij lipſanis: *ecce*, inquit, *Domine Januari, S. Januarius te priſtinæ reddit ſanitati. Tu fac ut flagitioſam emendes vitam; ſi ad priſtina redieris, ſcito infelicem tibi mortem impendere*. Redijt ille ad vetita, & turpiter à ſervis in flagranti ſcelerum occiſus, pœnam terribilem luit, fidei Bernardo negatæ. Multùm è contra profuit alteri, dicto ejuſdem fuiſſe audientem; qui à Patre monitus, nè in ea domo quâ conſvêſſet noctem ageret, cùm lubens aliò commigrâſſet; ignarus licèt, cur eam noctem alibi tranſigeret; poſtero manè didicit, omnes ejus incolas illâ nocte in vinculâ abreptos fuiſſe. Nullum finem invenirem, ſi prædictam ex vero quàm plurimis è varijs morbis partim mortem, partim incolumitatem, ſingillatim perſequerer. Inter ea quæ ex intimis cordium arcanis Bernardus in lucem eduxit, ſingulare eſt, quod Curioni ruralium Sacerdoti, paucis ab Catana leucis pago diſſito contigit. Venerat is ad Collegium, in certis quibuſdam conſcientiæ nodis explicandis, Patris auxilium & conſilium rogaturus: at is neſcio quibus alijs impeditus, per Janitorem redire illum ad Parochiam ſuam juſſit, neque ullâ aliâ re in præſenti opus fore. Paret ille, ſed ægro adhuc & perplexo quid ageret animo: cùm paulò pôſt adveniunt à Bernardo literæ, quibus illi caſum omnem, & quæcunque occurrebant dubia, nulli hactenus mortalium quovis indicio revelata, & quid facto opus eſſet, explicuit, atque ità omnem exemit dubitationem, ut Sacerdoti deinceps Bernardus, tanquam homo divinus in ſumma veneratione eſſet. Petebat alius quidam, perditis opem oculis à Bernardo; quem ille animæ priùs oculis medelam per ſacram exomologeſin adhibere juſſit. Fecit ille quidem: ſed rurſum ſeriò gravitérque juſſus accuratiùs excutere animi receſſus, ſecundò & tertiò Pœnitentiæ Sacramentum repetijt, & ſuâ quidem opinione integre cordatéque. Verùm quartò ad majorem accurationem adhibendam remiſſus, tandem neſcio quas antiqui odij in proximum & rancoris reliquias, nunquam ante-

tea confeſſione expiatas deprehendit, quibus expiatis ad Bernardum redux, & benigniſſimè receptus, acceptum caryophyllum (quod fortè manu Pater geſtabat) juſſus eſt S. Antonio Paduano deferre, & ſuo mittentis nomine medicinam oculis flagitare, quam etiam è veſtigio impetravit. Perierat repentinâ ab inimicis nece ſublatus dilectus matri filius, cujus animam DEO commendare rogatus Pater, fecit quidem; ſed ſtatum ejus animæ nunquam Parenti mœſtæ aperire voluit, triſti ſilentio abundè miſerum illius exitum declarans. Amicorum tamen cuidam percharo æternis addictum ſupplicijs eſſe aperuit, quem inter ſacrificandum tetrâ ſpecie formidabilem conſpexiſſet. Neque enormium duntaxat, ſed & leviorum, quantumlibet occultarum, noxarum reos commonebat. Acceſſerat puella, pro ſanitate oculorũ, ejus precibus recepta, gratias relatura; cui Pater, quid verò de vicini gallina factum? Illa rubore perfuſa, quòd mortalium nemini id cognitum ſciret, ingenuè faſſa eſt illam ab ſe occiſam & abjectam: cujus tamen pretium, à Bernardo juſſa, ſcitè & occultè vicino perſolvit.

Obedientiam ipſius ad ſummum perfectionis apicem provectam qui nôſſe cupit, ex eo præcipuè conjiciat: quòd Superiores non contenti ordinaria & conſveta illi imperare, ad probandum inſuper illius ſpiritum, ob tot exoticos & extaticos eventus ſemper ferè ſuſpectum, ardua plerumque, inſolita, & rectæ rationi diſſona imponebant. Ità ſub ipſum prandij tempus quâdam vice ad ægrum fortè evocato, domúmque reduci, cùm ad triclinium tenderet, Superior vetuit cibum ſumere, ſed totum diem jejunum manere. Interim ſero veſpere accidit, ut ſororem inviſeret, quæ Fratris ex jejunio debilitatem miſerata, modicùm reficiendo corpori potum obtulit, cui ut ſatisfaceret, & Rectoris tamen juſſa non præteriret, ori admovit, ſtatímque quod prioribus labris hauſerat rurſum exſpuit: *ſancta*, inquiens, *obedientia aliter jubet*. Hinc prodigio ſimile videbatur Superioribus ejus parendi ſtudium; & Demetrius Licander illius Catanæ Rector ſanctè aſſeverabat, ſimilem Bernardi obedientiæ nullam ſibi eſſe cõpertam. Laborantem ex hectica febri Neapoli, ut vix pedibus ultra niti poſſet, Catanam in patrium cœlum miſerant Superiores; ubi necdum firmatâ valetudine, alia à Provinciali Siciliæ ſupervenêre mandata, Panormum ad conciones per vernum jejunium habendas ſe conferre jubentis. Paruit illicò, licèt tunc adhuc à concionum apparatu minimè inſtructus, utpote qui recens à Theologiæ cathedra amotus, vix ſcholis valedixerat. Ex via Panormum delatus, mirantibus inſolens id Superiorum mandatum Patribus, lætus reposuit: *Nunc certè meæ capiam obedientiæ experimentum, quæ ſinè oculis, caſum non metuit. Quid ſi DEO viſum eſſet fractis meis & collapſis viribus multorum erigere ſpem & ſalutem? video piſcatum ampliſſimum, rete autem meum lacerum & emarcidum. Illud tamen in verbo ac nomine JESU ſtrenuè laxabo.* Neque DEUS ſpem fefellit: quando inter concionandum ſemper ſeipſo validior, tandem hecticâ febri penitus expeditus eſt; tanto ſimul fructu, omniúmque applauſu auditus, ut affluentium multitudini vaſtum non ſufficeret templum, & iterum iterúmque apud ſe dicere, ſi fas eſſet, univerſi optarent.

Vetuerant quoque Superiores, ſive humilitatis in Viro probandæ causâ; ſive quòd illuſionibus obnoxia vererentur tot mirabilia, quæ per veſtes, ſudaria, Roſaria, aliáſque id genus Patris reculas indies fiebant, nè cui mortalium, niſi domeſticorum, precatoriam concederet coronam, vel aliud quidvis quo tam mira patrari ſolebant. Paruit ille quidem proniſſimè ad unguem; & mulieri, cui fiſtula alterum propè oculum ademerat, Roſarium commodatò poſtulanti conſtanter denegavit. Illa verò certa à templo non recedere, niſi quid remedij ab ipſo acciperet, tamdiu moras traxit, donec Pater litaturus ad aram accederet. Tum verò fiduciæ plena palpando ad altare propiùs adrepſit, & quo Pater expueret ſagaciter advertens, ejectam ſalivam oculo allinivit, ſimúlque cæcitatem momento depulit. Sed & brutas animantes tam obſequenti erga Superiores ſuos Bernardo voluit eſſe obſequioſas. Meſſanæ ſtabat in littore maris, Divina ſecum agitans; cùm repentè omnes illius tractûs piſces ad ſe evocat: qui mox ingenti numero ad ripam adnatantes, capita ſuper aquas velut arrecturi aures extollunt, prolixéque de DEO, quantus ſit in parvis magníſque rebus, quàm bonus & potens, quàm ſapiens & juſtus differentem, útque eum pro viribus agnoſcerent, laudarent, ac venerarentur, hortantem audiunt. Tandem illis Crucis ſigno benè precatus, mirabilem à ſe concionem dimiſit; hæc verò inclinatis reverenter capitibus concionatori plauſum dedit: ſpectantibus, & portenti novitatem demirantibus aliquot nobiliſſimis Viris. Habebat idem in more, ut à concione mox ad culinam feſtinaret, ſuámet manu gallinis cibum paraturus & diſpertiturus. Id cùm ali-

aliquando faceret, & de Divinis perfectionibus similem ad eas sermonem haberet, illæ propiùs ad Patrem accurrentes, porrectis auribus summo silentio & quiete auscultare, nec antè objectum pabulum involare, quàm bene precatus Pater, ejus sumendi facultatem dedisset. Jusserat nonnemo, ut grex caprarum ad Patrem adduceretur, ab eo faustâ precatione donandus: cùm ecce tibi spectante hero, sponte accurrunt capræ, arrectísque auribus de DEO dicentem tamdiu audiunt, dum apprecatione sacrâ donatæ dimitterentur. Quo spectaculo in uberrimas lætitiæ lacrymas solutus herus, ad proximum convolavit Templum, DEI clementiam prædicaturus. Stitit & aliàs ad concionem audiendam obvium caprarum gregem, súbque finem unam ex ijs coloris albi ad se evocavit: quæ statim paruit, cæteris in vestigio defixis, Patrémque secuta, ad gregis custodem accessit, sedulò illius curæ à Patre commendata, donec à socio monitus inclinatâ jam die, gregem cruce signatum discedendi facultate impertijt. Adiens aliquando sororis domum, duos ibi sturnos recèns ex aucupio illi donatos vidit; quibus ad se vocatis bene precatus, imperavit ut dicerent: JESUS MARIA, JESUS CHRISTUS. Et ô rem prorsus admirandam! mox eadem sanctissima Nomina sturni silvestres distinctè & elatâ voce identidem repetiverunt. Aliàs in amæno horto cum pluribus familiaribus versanti jucundissimis modulis aviculæ accinebant: quarum tamen inarticulatum cantum ille aversatus, silere eas jussit, & novam inchoare melodiam, quâ CHRISTUS JESUS articulatè exprimeretur, præcepit. Paruêre illico, & peregrinâ inauditáque melodiâ sanctissimum Nomen creberrimè repetendo, audientium animos prorsus attonitos velut extra se rapuêre. In sanctimonialium ad S. Juliani Monasterio pro more ad eas verba facienti Bernardo, hirundines importuno garritu obstrepebant: quàs cùm silere, quoad ipse loqueretur, jussisset, conticuêre omnes ad usq; concionis finem, atque tum mox ad pristinos garritus redière. Neapoli è contra Marchionis de Capurso Principem conjugem invisens, de rebus Divinis sermonem in multorum Nobilium corona exorsus erat, cùm ejus filiolus magno ejulatu & lacrymis dictionem turbare cæpit, quòd avicula è manibus rupto filo per aëra effugisset. Itaque Pater ut lacrymas dictioni obstrepentes abstergeret, manum in sinum suum conjicit, & novo prodigio aviculam priore multò pulchriorem extractam infanti donat: stupentibus quotquot aderant tam raræ pulchritudinis volucrem adeò repentè in sinu nasci potuisse. Inciderat fortè in equum planè indomitum & ferocientem, quem nullâ ratione quotquot aderant vel accedere, taceo capere poteranr. Ipse tamen leniter subridens accessit, staréque jussum verbo unico in perpetuum reddidit mansvetum. Sed magìs fortè prodigiosum est, etiam inanimes creaturas imperia ejus sensisse. In oppido quod Paternò vocatur, rogatu Civium, turrim conscendit, eatenus crebris fulminibus infestari solitam. Ibi fusis ad DEUM precibus, & delineatâ S. Crucis obvio carbone figurâ, turrim deinde ab omni fulmine immunem fore, & prædixit & effecit. Messanæ ex itinere reduci Bernardo pedes de Societatis more calidâ abluendi erant, eáque causâ socij ignem in frigido foco excitare parabant: sed ille hauriri jussit ex lebete longiùs à foco distante, quæ prorsus calida extracta est Cùm verò Patrum aliquis Thaumaturgum illum ex tam miro eventu diceret: *non ego*, reposuit, *sed S. Antonius hæc facit*. Aliàs quoque clausâ culinâ frigidam è fonte allatam solo Crucis signo ità calefecit, ut manibus lavantis sustineri nequiret: quam alibi quoque in vinum convertit. Carduos etiam præacutos, spectante cum pluribus Duce de Monte alto, velut per jocum manu versabat, & ceu rosas stringebat; monitus verò fore ut laceras ab hoc ludo manus referret, negavit carduos se premere manu, sed rosas; quas etiam explicatâ palmâ exhibuit, attonitis ad tam miram metamorphosin adstantibus. Viro nobili, nescio quem in finem, pauxillo aceti opus erat, nec tamen ad manum aliud quàm vitrum generosioris vini aderat: quod Bernardus simplici præcepto acetum esse jussit, & acetum mox optimum repertum est, multô dein tempore in rei memoriam asservatum. Barij in Apulia vitreum è manu ipsius vasculum incauto exciderat, terræque allisum in frusta dissilierat: sed ille brevi ad DEUM aspiratione integrum prorsus solidúmque, cum omnium admiratione, è terra sustulit.

Ut verò hæc fuerint in Bernardo summa prodigia, humilitas tamen ejus longè magìs æstimabatur prodigiosa, ex qua in censum eorum, qui ad domestica Marthæ ministeria admittuntur, venire ardentissimè flagitabat: & se peccatorum omnium maximum & scelestissimum, & qui in Societate toleraretur prorsus indignum, ex animo reputabat. Non raró ab imperitis rerum Divinarum, verbis factísque malè acceptus, & pro stulto habitus tractatúsque, inter contumelias gaudio ge-

stie-

ſtiebat. Frequens illi pænéque quotidianum erat, domum ſtabulúmque à ſordibus expurgare, pabulum jumentis præbere, quòd magìs ſe paſcendis animalibus, quàm hominum animabus nutriendis idoneum diceret. Hoc perpetuo ſeſe demittendi ſtudio tam perfectam ſui cognitionem adeptus eſt, ut ab inani gloria nè modicè quidem unquam titillaretur, licèt idipſum in novam ſui depreſſionem referret. Monenti cuidam, ut mira quæ DEUS per ipſum operabatur parciùs in vulgus ſpargeret, reſpondit : *ſe tam imbecillem eſſe, ut* DEUS, *nè forte à tam molli hoſte oppugnatus ſuccumberet, etiam prima inanis gloriæ tentamenta ab ſe amoliretur.* Idem ferè Claudio Aquaviva totiùs Societatis Præpoſito Generali quærenti, num quid tumoris ex DEI donis ſentiret? repoſuit dicens : *ſi Paternitas Veſtra pretioſa alijs vaſa oſtenderet, quæ Principes Viri ejus fidei credita depoſuiſſent, haberétne unde aliquid gloriæ venaretur? profectò nec ego habere poſſum, qui quidquid eſt in me boni, non neſcio Numinis eſſe, non meum; unde nec pulviſculus ſuperbiæ, quod equidem DEO in acceptis refero, mihi adhæreſcit. Cùm DEI potentiam rebus inſolitis quandoque perpetratis fortè manifeſto, id facio quod in ſcena tragœdus, qui ut Imperatoris agat perſonam, dum pro arbitratu quidvis imperat, nihil ſuo nomine, ſed ejus quem repræſentat auctoritate jubet. Et eſt profectò ad magnam DEI gloriam, omnibus palàm fieri, illum meâ viliſſimi hominis opellâ uti, & rudiſſimo omnium inſtrumento tam grandia conficere.* Romæ Anno 1607. cùm pro concione diceret, confluebant ex Cardinalium Præſulúmque numero permulti, qui perſæpe ex ſuggeſtu deſcendenti, nè ab irruente ad veſtium baſiationem turba opprimeretur, præſidio erant, quandoque uſque ad januam Sacriſtiæ. Ille verò plenus verecundo rubore & dolore dicere ſolebat : *ſæpe viliſſimum quoque mancipium propter inſignia veſtémque in honore eſſe: ità hanc officioſæ charitatis ſignificationem non ſibi, ſed religioſæ veſti exhiberi.* Rogatus aliquando veráne eſſet fama, tot veneris mancipia ab eo fuiſſe ad caſtimoniæ leges traducta? hoc ſolùm reddidit : JESUS CHRISTUS *multum fecit per hunc peccatorem.* Nunquam de alijs queſtus, nullam unquam detrectavit pœnam, aut in triclinio publicam reprehenſionem, etiam nullo ſuo merito inflictam : & à fratre triclinij Præfecto, quòd ſeriùs cæteris velut eximius, ſuíque arbitrij homo ad menſam veniendo negotium alijs faceſſeret, aſperè & inurbanè increpitus, tam blandè mollitérque veniam rogando iratum demulſit, paratus etiam cibo abſtinere, ut audientes omnes miro ſolatio perfunderentur. Tibur humili aſello proficiſcentem obvia ruſticorum fæx, quòd malè accinctum lento paſſu progredi obſervaret, cachinnis & ſarcaſmis liberaliter acceperat. At ille nihil ſtomachatus, ut majorem ſui ridendi opportunitatem præberet, ſubſtitit, hilariter arridens : *jure vos*, inquiens, *Fratres, mei lepidum hoc ſpectaculum oblectat; res enim ſanè nova eſt, aſello aſinum inſidere.* Graviter è contra ſororibus ſuis ſuccenſuit, quæ ſui effigiem ad vivum expingi fecerant, non hominis ſed aſini imaginem eſſe dicens; minis inſuper adjectis, niſi eam procul ab omnium oculis auferrent, ſe in earum conſpectum nunquam ampliùs venturum. Paruerunt illæ quidem, ſed tantò religioſiùs ſancti fratris imaginem ſecretò aſſervatam habuerunt, non ſinè ingenti ſuo lucro. Cùm enim Bernardo Romam demigrante agrorum ſterilitas totam Siciliam fame afflixiſſet, ſorores illam fratris effigiem ceu ipſummet præſentem veneratæ : *non te latet*, orabant, *ô Pater, famis imminens nobis periculum; fac ergo, ut parum id quod ſupereſt in arca frumenti in annum præſentem ſufficiat.* Ità imaginem ſimul frumenti ciſtæ includunt, magno pietatis ſpeíque fructu. Etſi enim totius anni decurſu, quantum in familiam decem capitum totúmque famulitium neceſſe erat frumenti quotidie promeretur, & ad amicos perſæpe, omnibus præcipuè Sabbathis, panes aliáque ex farina munuſcula liberaliter mitterentur; exeunte tamen anno tantum ſuperfuit frumenti, quantum ſufficeret etiam in annum conſequentem. Atque hoc tam magno ſui deprimendi, & miracula omnia in Cœlites transferendi ſtudio delectatus Dominus, nova ſemper & nova per illum mira efficiebat. Patiebatur nonnemo diros adeò capitis cruciatus, ut veluti gemino confixus clavo nec oculos attollere poſſet. Huic Pater ad ſe pro auxilio recurrenti, *quid tu?* ait : *erras planè ſi Medicum me arbitrâris, juvabo tamen ùt poſſum.* Impoſitáque ægro manu, factáque cruce : *Bernardus te tangit*, inquit, *Antonius te ſanat.* Simúlque omnis in perpetuum dolor evanuit. Sic etiam cocum totâ ambuſtâ manu mori jam ſe præ dolore clamantem, juſſit eam proximæ S. Onuphrij imagini applicare, & momento evaneſcente dolore, modicum duntaxat aduſtionis remanſit veſtigium. Idem Catanæ beneficium exhibuit Syracuſano mendico, nullum ſinè ſubalaribus grallis paſſum promovere valenti, quem manu tactum ad S. Agathæ & Antonij

Tem-

Templa invisere, séque pro certo sanum credere jussit. Ivit, & Sanctos ex præscripto veneratus, tertio die abjectis fulcris expeditè ambulavit. Anno 1598. Joanna de Leonardo, fulmine lethaliter tacta, licèt non in vestigio extincta, quavis vigesimâ quartâ ab ictu horâ ceu denuo fulmine icta emoriebatur, sangvinéque è vena perstrictæ tibiæ profluente, totum corpus sulphureum fœtorem exhalabat. Fluxerat jam quartus mensis, incassum adhibitis Medicorum artibus; cùm eò delatus fortè Bernardus impositis super ægræ caput manibus, precibus lacrymísque fusis monuit, S. Antonio ut deinceps devota viveret. Illa cùm sulphureas exindè toto triduo sudâsset stillas, eô præterlapso, ab omni integrè malo liberata est. Idem hoc sui deprimendi studium præcipuum erat telum, quo infernales spiritus superabat. Ità cùm obsessâ muliere dœmonem exigeret, ille collectâ spurci oris salivâ in adstantium cujuspiam faciem ejecturum, & corpus ejus ingressurum minabatur. At Pater, *ecce tibi*, inquit, *meam frontem, hanc conspue, viliorem non habet mundus locum*; *en tibi corpus meum, dignum tali hospite domicilium!* Itaque hanc Viri modestiam non ferens superbus spiritus, illæsis omnibus excessit. Aliàs in simili congressu cùm dœmon immensis laudibus Patrem ex obsessa efferret, & *quid ages miseranda Catana?* exclamaret; *modò Bernardus Româ avocatur ad res maximi momenti conficiendas. Non agnoscis gemmæ pretium, quod in capite fers, ideóque non satis æstimas. Sub lacera veste, crede mihi, nobilem tegit animam, nec scientiâ nec sanctitate ulli secundam: æterna illi debetur memoria, quia magnus est sanctus.* Sed Bernardus fraudem superbi spiritûs odoratus, *plus sua sibi peccata quàm virtutes notas esse*, respondit: momentóque illum ab obsessa exegit. Denique in alio energumeno acriùs à Bernardo pressus, cùm exclamaret: *nisi cessas, faciam certè ut egregiè erubescas:* ille arbitratus sua sibi peccata fortè palàm exprobranda, id se & mereri & percupere dixit: Tum dœmon, *audite*, ad circumfusam turbam ait: *hic Bernardus super asserem cubabit*; simúlque hospitium deferens, omnino Bernardum in ruborem dedit, ad suas laudes semper erubescentem.

Ex eodem humilitatis fonte profluxit tanta illa in Viros aliarum Religionum observantia, ut obvios fortè etiam in publico foro omni reverentiâ, & quandoque in genua coram illis provolutus consalutaret, & eorum honori, emolumentis, omni ratione serviret: non minori vicissim ab ijs veneratione cultus. Anno 1590. cùm Bernardus Drepani ageret, evenit, ut R. P. Ambrosius Ordinis S. Benedicti in monte Regali, per calumniam gravis furti duarum pretiosarum iconum reus arcesseretur, propè jam à suis Superioribus condemnatus. Ergo in solo DEI adjutorio confidens Drepanum ad Bernardum accurrit, cilicinâ secretò ad corpus veste indutus. Hunc Bernardus prior svaviter consalutans, quòd setosum corpori cilicium induerit collaudat; satis declarans, se totius negotij cœlitus jam factum conscium. Ex quo iste majore fiduciâ conceptâ ubi rem totam confidenter Patri aperuit: *mactè animo*, subjecit Pater, *dicam ego ad honorem sancti mei Antonij unam duntaxat salutationem Angelicam, & illum ad quærendas imagines mittam.* Sub ejus recitatione in extasin abreptus, ubi se recepit, mirè lætus: *en sanctus meus*, inquit, *jam reperit icones: jam tua, Pater amande fama salúsque in tuto est, & innocentia domi patefacta. Imagines Domino suo Antonio de Messina duo PP. Cappuccini à fure receptas restituent: quare actutum ad Monasterium revertere, in cujus limine bonum tibi amicus feret nuncium.* Dum hilaris redit, in ipso aditu Monachum habet obvium, Joannem Evangelistam Catanensem, à quo totius rei eventum, planè uti Bernardus prædixerat, & quomodo palàm à Prælato innocens declaratus sit, edocetur. Patrẽ Archangelum Vattiatum è Prædicatorum sacra familia, malum quodpiam in dextro brachio per decennium ità affecerat, ut sinè magno cruciatu neque sacram Hostiam elevare, neque illam sinè adminiculo sinistræ ori admovere posset. Ità afflicto supervenit Bernardus, orat, brachiúmque cruce signat, & *abi*, inquit, *consolabere*: atque ex eo temporis puncto dolor omnis cessit, & liberum dexteræ usum reliquit. Concionatorum aliquis ex certa Religione delatus ad sacros Inquisitores, ob quædam (ut videbantur) periculosè dicta, vehementer de causæ eventu anxius, omni quâ poterat contentione Bernardo se commendavit. Is totâ nocte insomni traductâ, ut argumentis quæ Ecclesiastæ objecta erant faceret satis, ea descripta accusato transmisit: quibus plenè Judicibus satisfactum est, & reus absolutus.

Ex sincera nihili sui agnitione nascebatur ex opposito summa aliorum æstimatio, & studium DEO lucrandi totum Mundum si posset, ut efflictim sæpiùs à Superioribus mitti ad Indos & Barbaros expetierit, corporibus æquè ac animis juvandis semper intentus. Innumeras propè ab infami vitiorum cœno mulier-

lierculas miris artibus extraxit: inter reliqua nobilioribus Matronis imponens, ut singulæ talem aliquam protriti pudoris personam, sponsione præmij, secum ad concionem adducerent: quas deinde ardenti dictione ità agitavit, ut pleræque semper ad frugem se reciperent. Morituris etiam infami supplicio adesse perlibenter solitus, plurimis saluti fuit. Quorũ uni satis ad salutem fuit promissum à Bernardo pro ejus anima unum Missæ sacrificium. Ingenti namque exinde perfusus gaudio, nil nisi mortem, quantumvis ex æquo infamem & acerbam, exoptavit. Tanti autem apud DEUM id fuit, ut Divinâ revelatione innotuerit, eum non ampliùs triduo in piacularibus flammis fuisse detentum. Fuit alius capitis jam damnatus, in flagitijs suis impiè mori ità obstinatus, ut nullum ab eo pœnitudinis signum quavis arte extorquere, seu in carcere, seu in prolixa ad furcam via, ipsóve patibulo, & laqueo jam in collum inserto, Bernardus posset. Ergo Carnifex actum agi conspicatus, indignum vitâ, ut in æternam dejiceret mortem è scala deturbavit. At Bernardus arrepto cultro funem intrepidus incídit, eámque ob rem à furente satellitio minaciter reprehensus, *quid*, inquit ille: *vobis tam vilis est anima, Christi sangvine redempta? at non mihi. Vestrâ parum refert, unius horæ spatio seriùs citiúsve animam agat, meâ autem plurimùm interest, ut bene.* Dein ad suspendiarium conversus, tanto spiritûs ardore illum aggressus est, ut tandem manus dederit, & totius vitæ peccata confessus, magnâ pietatis significatione vitam clauserit. Non procul Cattanisettâ opulento Viro per latrones omnibus fortunis exuto, plagísq; miserandum in modum mulctato, & ad se pro consilio opéque confugienti, solatium ut efficax impertiret, crastino die ad se redire præcepit. Interea Bovinæ Ducem Principem fœminam de calamitate hominis reddit certiorem, à qua 232. aureos rarâ liberalitate donatos misero largitus est, præ lætitia & stupore inexpectati subsidij vix sui compoti. Drepani cùm ageret, annonæ penuriâ totam Siciliam affligente, curam totius plebis in ea Urbe alendæ suscepit: atque in publicum, ut vicatim famelicis stipem emendicaret, egressus, ab uno fortè obvio magni ponderis torquem aureum, ab alijs 600. Philippæos, & plura deinceps ab alijs accepit, ut non solùm ipse Urbis illius egenos facilè sustentârit, sed per universam Siciliam hoc exemplo Nobiliores excitavit, ut liberalissimam ubique manum in famelicos aperirent. Et quia ex hoc plus quam materno in pauperes affectu omnia quæ habebat, nec vestibus quibus tegebatur parcens, in pauperes profundebat, necesse habuerunt Superiores id saltem prohibere, nè alioqui vestibus se exuens indecorè in publico incederet. Romam cùm Mantuâ iter haberet, donatum sibi à Duce equum ad iter commodiùs agendum acceperat. Nondum longiùs ab Urbe recesserat, cùm pauper multorum filiorum pater illi obvius rogat, sibi ut equum donet, in dotem nubili filiarum uni suffecturum: ille confestim ex equo descendit, atque, ut erat, ornatum pronissimè largitur: id solùm dolens, quòd ad manum non esset, unde filiabus omnibus dotem impertiret. Itaque deinceps iter pedibus prosequutus, scipionem pro equo habuit. Interea vix cum equo ad Urbem pauper ille redierat; cùm Cives aliquot equum agnoscentes, rem ad Principem deferunt, ex quo, quid à Patre factum esset, intelligens, lecticâ suâ properè submissâ, Patrem Romam usque deportari fecit. Neque interim omisit DEUS hanc in miseros Patris profusionem prodigiosis vicissim remedijs, quoties ipsi necessaria deessent, pensare. Platea Civitas est Siciliæ, in quam fortè delatus Pater ad publicam cauponam, ignarus eatenus loci, divertere coactus est: incommoda reliqua hospitij lubens perpessurus, sed eô solo mœstus, quòd locus deesset, in quo suæ vacaret pietati, & quotidianæ corporis afflictationi. Hæc secum versanti, repentè adstat juvenis formâ super humanam eleganti, ad sequendum se invitans: cum quo ad nobilis Viri ædes perveniens, pulsato ostio: *heus vos*, exclamat, *ecce coràm adest P. Bernardus Colnagus* DEI *servus; adeste! & excipite ùt decet.* Quod & prolixè factum est, Patríque copia facta, totam noctem secretò consvetis pietatis exercitijs impendendi. Cùm verò tanta ejus esset in proximos affectio, ut pluribus simul in locis (si fieri posset) percuperet illis inservire, placuit Divinæ Majestati hujus eum quandoque compotem fieri. Messanæ cùm jam sacris operaretur, tristi nuncio ad ægrum simul evocabatur: cui quòd adesse actutum non posset efflictim dolens, pro æigriente impensè DEO supplicabat, nuncijs adgeniculando, finem sacrificij præstolantibus. Interea nihilominus apud ægrum simul aderat, blandissiméque illum consolatus, febrim omnem ipso primo accessu depulit. Quare actutum submissus est alius nuncius, qui priores domum revocaret, nè frustrà Patrem in Collegio præstolarentur, qui jam ægro adfuisset. Isti verò stupore

miro

miro attoniti non capiebant quî adesse ægro potuisset, quem ad aram facientem ex oculis nunquam sive ipsi, sive alij omnes in Templo præsentes amiserant. Alcani ejusdem Siciliæ Urbe in diversorium fortè delatus, statim occulto DEI instinctu pernovit delitescere illic Virum mulierémque, devota Stygi Veneríq; capita. Sed dum animo versat quâ ratione illos DEO lucraretur; violenter propè, à Viro Nobili ad ædes ejus divertere coactus, cum januâ interclusâ exitus nullus totâ domo relinqueretur, nocte tamen eodem in hospitio comparuit ad focum sedentibus, & mierculam graviter de occulto impudicitiæ cæno corripuit, tanto ardore virum sceleftum aggressus, ut victas uterque manus DEO darent. Ubi diluculavit, mox in vulgus innotuit & scelestorum emendatio, & Patris in diversorio nocturna concio, simúlque in ædibus Nobilis per juratos testes probata eodem tempore pernoctatio: totiúsque Urbis testimonio patuit, Bernardum in duobus simul locis eodem tempore adfuisse. Ejusdem in parvulos & innocentes in Bernardo charitatem sæpius DEUS prodigiosis eventibus remunerari dignatus est. Victoriæ de Toledo nobilissimæ Matronæ filiola erat Joanna nomine, septimum ætatis mensem necdum egressa. Hanc fortè conspicatus Pater rogat, num fari posset? negant cum risu adstantes id ætatis infantes loqui posse. At Bernardus super lingva parvulæ ducto S. Crucis signo, *loquere*, inquit, *Joanna loquere: Tatta, Mamma, P. Bernardus.* Et mox omnibus stupore attonitis hæc articulatè pronunciavit, identidémque eadem, quoad per ætatem plura posset, singulari alacritate repetijt. Euphemiæ quadrimulæ puellæ citrinum vel aureum pomum donaverat, admonitæ, contra capitis dolores usui futurum. Fuítq; omnino id religiosè observatum, ipsi bis infestis dolorib9 capitis afflictæ, sæpiùs verò alijs fuisse mali remedium. Ad nobilissimum quendam adolescentem in extremis constitutum, funeralibus omnibus jam præparatis, evocatus, lætissimè eum consalutavit, svavitérque amplexus: *beatissima Virgo*, inquit, *Domina nostra, vitæ tibi longioris gratiam facit.*: qui ex morbo restitutus, domum totam maximâ hilaritate complevit. Idem ferè Francisco Paterno à suis jam comploratо præstitit, nam ad morientem evocatus ut solaretur, incolumem fore & prædixit & in vestigio præstitit, dum arreptâ obviâ clavi os ægri non sinè violentia aperuit, ac indè vermem prægrandem pilísque horridum à faucibus extraxit, unde brevì perfecta sanitas consecuta est. Viderat fortè Franciscam Ferdinandi Castelli filiolam, cùm matrem inviseret, &, *ô quam est pulchra!* inquiebat, *DEus condidit illam pro se*; ad hæc mater, puellam brevì morituram interpretata, *quid ais Pater? quid dicam?* subjecit ille: *mihi priùs moriendum est: me proximè sequetur puella: tu brevi illam.* Dictum, factum; eodem anno defunctum Bernardum Francisca secuta est, & nono tandem mense Maria mater. Et puella quidem morti vicinior Bernardum habuit spectabilem, *ô domina Mater*, exclamans, *P. Bernardus me vocat; ecce illum, hìc præsto est.*

A charitate in vivos ut tandem transeamus ad mortuos; frequenter sanè vel aspectabiles habuit è purgatorij pænis suffragia postulantes, vel divinitus de eorum pænis & liberatione edocebatur, ut eis subveniret. Rogatus à Joanna & Philippa sororibus, ut pro quibusdam defunctis (quos tamen reticebant) Sacrum faceret, altero mox die in utriusque præsentia Missam obtulit, in qua post consecrationem miro gaudio gestire visus, peracto sacrificio utramque allocutus: *beatam te*, inquit, *ô Joanna, quæ filium in cœlo jam habes. Tu quoque Philippa gaude, cujus filius paradiso fruitur. Uterque veluti candida columba in cœlum evolavit.* Ità nunc filium Joannæ, pòst & ipsam Joannam, etsi longissimè positus, in cœlum abeuntem vidit. Romæ degens, Matronæ Principi de Adria confitenti præbebat aures; cùm repentè in dulces solutus lacrymas, ab illa causam fletûs rogatur; respondit: hoc prorsus temporis articulo Catanæ Joannam sororem suam vitâ defunctam in cœlum migrare. Scribit illa mox in Siciliam, & ità planè evenisse edocetur. Eâdem prorsus ratione inter dicendum ad Sodales mirâ repente lætitiâ gestiens, fassus deinde urgentibus Sodalibus est, avunculum suum Joannem Bolanum, ex eadem Sodalitate nuper demortuum, à se fuisse in cœlum abeuntem conspectum. Vehebatur fortuitò per Urbem, quòd pedes incedere ex morbo non posset, cùm in platea repentè quempiam affatur: *quid rerum*, inquiens, *tu hìc facis?* cui alter: *anni jam fluxêre 43, ex quo hìc, DEO sic jubente, miser hæreo, quia nemo est qui pro me vel sacrificet, vel sacrificium procuret.* Cui Pater: *ego, ego id modò faciam, ut cœlum tibi patefiat.* Obstupescens ad hæc auriga, qui neminem videbat, & colloquentium tamen verba audierat, quærit, quo cum illi sermo fuerit? *anima*, inquit, *est hominis tot ab hinc annis vitâ functi, & unico sacrificio ad sui liberationem indigentis.* Pro qua

qua in Æde Mariana peracto sacrificio, dum rediens ad eundem locum pervenit, aurigam sistere jussit: cui anima, *gratias*, inquit, *refero, & gratias quàm maximas pro tanto beneficio*. Cui Pater: *bene habet: vade jam in paradisum*. Et illa: *jam vado*. Habebat etiam ex more Bernardus demortui hominis ad caput lecti calvariam: ex hoc audijt aliquando, cubiculum ingressus, mœstâ voce ingeminari: *væ mihi!* sed semel pro ejus capitis inquilino re Divinâ factâ, quietem illi procuravit æternam. Innumera alia ejusmodi, & in quovis alio virtutum genere exempla & prodigia omitto, & quæ hodiéque de cœlo mortalibus præstare non desinit beneficia; de quo cum veritate dici potest, totum, quantus quantus erat, meram fuisse charitatem.

Ex ejus vita & Nierembergij Tomo 1.



P. Iacobus Stizius S: I. Helvetus, incredibili ardore pestiferis serviendo extinctus Constantiæ 19. Iulij A° 1611. quadragenario major: et post illum in simili ægrorum per Germaniam obsequio alij 24. Socij.

P. JACOBUS STIZIUS cum alijs 24.



Onstantia P. Jacobo patria, eadem & sepulchrum fuit, obsequijs Civium suorum, pestilentiâ grassante, immortuo. Potiorem hic vitæ suæ partem in expeditionibus Apostolicis, per omnia ferventis Operarij munia, fructuosè impendit, nam & vitæ religione, & agendi felicitate, plerosque cum quibus ageret ad optima permovebat: quod in Illustrium Virginum Collegio luculenter patuit, quas cùm alij multi ad paupertatis servanda consilia reducere nequidquam contendissent, eas unus ipse veteri disciplinæ solerter

ter restituit. Rebus humanis & negotijs sæculi constanter se, & omnem operam negabat, soli gloriæ DEI & animarum saluti intentus: quarum ardenti zelo incredibiliter flagrabat, ut eô penitus consumi videretur; nihil æquè in votis habens, quàm pro ijs animam suam ponere. Hinc pridem inter pestiferos vivere cupidus, cum Superioribus egerat, ut hoc malo alicubi ingravescente ea sibi provincia mandaretur. In quam deindè sententiam, sæviente jam veneno inter pestiferos agens, literas ad Rectorem Collegij, ignem merum spirantes dedit, quarum partem referre juvat, ad cognoscendum penitus hominis sui prodigendi desiderium: *Si mihi liceret,* inquit, *pluribus adesse locis, in quibus sævit pestis, inque ijs non modò operam meam impendere, sed iterum mori; id mihi non tantùm peroptatum, sed jucundum foret. Adeò autem mori non horreo, ut inter utramque hanc cogitationem, alteram, quâ fingo vobis incolumem me restitui, & vestrâ charitate exhilarari; alteram, quâ mihi videor hìc claudere diem meum; utraque quidem jucunda, posterior tamen accidit jucundior. Non sanè ideò quòd non timeam mori, ob insequens judicium DEI; timeo enim mihi, & timui semper ultrà quàm ego dicam, vel alius credere possit, utpote conscius mihi mei ipsius; sed quòd sperem DEUM vel ob hoc ipsum genus moriendi fore propitium. Itaque me ipsi offero & trado in mortem quotidie, maximè autem cùm contingit vocari, aut ultrò accedere ad infectos: quod ità facio libenter & hilariter, ut subinde nonnihil hæream, & concutiat me cogitatio, nè propter meam causam nimìs gratum habeam nuncium, cùm mihi de nova alicujus domûs infectione affertur: & plus placet hoc, quàm aliud genus morbi nominari. Id autem fit, tum quia certus sum nullius fore jacturæ mortem meam, tum quia confido eandem mihi profuturam plurimùm, & postulat causa mea; & quia diu malè vixi, saltèm quæram quoquo modo bene mori, & spontaneo aliquo vitæ impendio infinitos & inexplicabiles vitæ superioris errores castigare. Utinam autem eam gratiam à Patre misericordiarum impetrem, ut sive peste, sive aquâ, sive igne, sive alio quovis modo, dummodo aliquo immoler DEO, cui me tot modis debeo. Quod dum ex imo animi sensu scribo, loquuntur DEO defluentes in chartam lacrymæ, & misello mihi misericordiam poscunt, &c.* In libello autem, cui animi sui arcana inscribere solebat, ità loquitur: *Quartô Julij volens lubénsque votum concepi mortem oppetere, etiamsi communis moriendi necessitas non esset; idque primò ob DEI gloriam, cui omnia mea debeo: secundò in honorem* CHRISTI *Domini, pro me ultima perpessi: tertiò ut gratiam ceteris ejus beneficijs referam: quartò ut à meis criminibus pœnam sumam; denique ut* CHRISTI *mortem imiter. Atque eo pacto rem ceteroqui necessariam habebo mihi insuper votivam. Placeat id supremæ Majestati, & conducat paupérculæ animæ meæ!* Ceterùm, ubi ea lues Constantiam invasit mense Majo, anni 1611, dimisso Gymnasio, & plerísque Collegij socijs, Sacerdotes 9. Adjutores 6. delecti fuêre, qui adjuvandæ Civitati remanerent: horum duo cum socijs singulis totâ die Urbem percursare, & nosocomium ac plebejas ægrorum casas petere, cibos illis per Urbem precariò quæsitos comportare, ubique omnes juvare conspiciebantur; in locum cadentium novis semper Operarijs succedentibus: sex enim ex eorum numero vitam amiserunt. Domum sub vesperam reversos non tam corporis, quàm animi vires instaurandi cura habebat, quas partim flagris & cilicijs, partim jejunijs aliísque carnis macerationibus exacuebant. Primus ex his, qui ardore animi præcellebat, sublatus est 19. Julij, P. Jacobus Stizius, natus annos ampliùs 40. Quem proximè secutus est 3. Aug: is, qui ex Adjutoribus, ut Patri in ægris cōveniendis socius adderetur, iteratis precibus impetrârat, Henricus Neweiles ann: 24. Tertius 17. Aug: P. Castulus Agricola Bavarus, annorum 59. exactis in Societate plùs 40. Veteranus & primi nominis inter Coadjutores Spirituales Operarius. Mox ad 10. Septem: Petrus Fuchsius Moguntinus ann: 46. Duos verò reliquos eadem dies 14. Sept: eripuit, Patrem Christophorum Gebhardum gente Bavarum, & Collegij Ministrum, natum annos 30, Virum præclara virtute, humilitate præcipuè, de se infimè sentientem; & si quà opus erat, tam modestè alijs imperare solitum, ut rogare crederetur. Et Guilielmum Mang, Sueviâ ortum, ann: 37.

Sed, & in alias Germaniæ Urbes eadem lues hoc anno propagata, diversos è socijs in eam pro salute proximorum decertantes sustulit. In Tyroli quidem Halæ P. Gregorium Winckler, Svevum, ann: 50. P. Georgium Nidermayer Bavarum ann: 45. ac Stephanum Enzemberger item Bavarum, ann: 48: Oeniponti verò P. Albertum Tanner, Constantiæ natum, ann: 49. postquam novennio Philosophiam & Theologiam Moralem explicuisset. Itémque P. Gasparem Melchior Brixiensem, ann: 46. post tres menses in obsequio infectorum naviter exactos. Confluentiæ pariter

ter duo, qui se ultro in mortem pro salute Civium dederunt (nam alioqui novem in Collegio eâ peste decesserunt) prior die 17. Sept: P. Joannes Ediger, Trevirensis ann: 54. post Sacra omnia percepta, flexis genibus decessisse repertus. Alter Pater Joannes Fuchsius Gottingensis ann: 70. die 28. Octob: Ingolstadij P. Joannes Sartorius, Augustanus, ann: 43. ex simili obsequio Biburgensibus exhibito afflatus, & ægrè eam in Urbem delatus, triduo ad diem 3. April: expiravit. Herbipoli quoque P. Joannes Pernottus 18. Febr: & Petrus Billich, incertum quo die. Confluentiæ 19. Octobr: Sexagenarius decessit An: 1607. Henricus Duisdorff, Coloniensis, non uno tunc ea in Urbe pestiferis exhibito obsequio, sed pluribus jam antè in locis præstito; & singulari in permovendis ad pænitentiam animis gratiâ conspicuus, quâ etiam senem inter Anabaptistas verbi Ministrum, frustrà à Viro inprimis erudito tentatum, ad Ecclesiam reduxit. Eodem anno Wormatiæ P. Gilbertus Bernardi, gente Hollandus, 25. Octobr: vitam posuit, ex morte in salutem Civium obita tanti ab Urbe æstimatus, ut in Æde maxima condendo sepulchrum idem cum Nobilitate decreverit, & piaculare ibidem Sacrum primo, septimo, & 30. die iterandum: & 30. insuper illis diebus quotidie sepulchrum aquâ lustrali, solennibúsque precibus ac cæremonijs lustrari fecerit. Utque alios ejusdem charitatis & gloriosæ mortis athletas, qui prioribus aliquot annis per Germaniam sponte vitam, pestiferorum bono immolârunt, hic expediam, anno 1607. Friburgi Helvetiorum Thomas Huiter Belga, cùm sese promptâ voluntate socium Sacerdoti inter pestiferos adjunxisset, post aliquot laboris hebdomadas victima cecidit 14. Sept: exactis in Societate annis 29. Fuldæ quoque in eadem Civium infectorum obsequia segregatus à Collegio Sacerdos, cùm toto pestilitatis tempore eodem anno indemnis perdurâsset; duobus socijs amissis, tandem & ipse carbone notatus occubuit 12. Decemb: Erat is P. Franciscus Fabritius, Belga Lovaniensis, annorum 46. Fratrum autem qui prior 13. Octobr: extinctus est Thomas Dusbergius Coloniensis, ann: 52. Posterior, & prioris successor, Joannes Nicolaus Lotharingus 27. ejusdem, ann: 50. Lucernæ Helvetiorum anno 1575. P. Antonius Balduinus Belga, dum infectorum ædes & nosocomium percursat intrepidè, correptus & ipse ad sancti laboris præmium evolavit 2. Octobr: cùm in Societate Philosophiam & Theologiam de moribus explicuisset. Pari felicitate in eadem causa Treviris decesserunt anno insequente, P. Georgius Sturmius Herbipolensis, 3. Januarij, & Petrus Hackenswagen 9. ejusdem.

Ex victimis Charitatis Alegambe.

P. SEBASTIANUS SARMIENTO.



Illustrissimo Hispaniæ prognatus sangvine Sebastianus, Patrē habuit Commendatorem de Calatrava, Præfectum Stabuli Regiæ Principis Mariæ, & avunculum Episcopum Franciscum Sarmiento de Astorga: à quo ad scholas Societatis missus, vix mansvetioribus literis imbutus, Societatem expetijt; incitatus præcipuè exemplo S. Francisci Borgiæ, calcato mundi fastu eandem complexi. Tyrocinium Villagarziæ magnâ Episcopi avunculi approbatione auspicatus ann: 1581. vitæ sanctæ fundamenta posuit, neque conceptum semel virtutis ardorem unquam deinceps remisit. In studijs Theologicis Salmanticæ occupatum, continuis scrupulis & tentationibus à dæmone exagitari permisit DEUS, in quibus tamen non defuêre liquidissima è cœlo solatia, dum aliquando solitò tristiori duo astitere cœlestes Genij, inter Angelorum Symphoniam hæc concinendo: *Quando divina Bonitas hanc animam respexit, per duras crucis semitas ad gloriam evexit. Æterna Sapientia hunc modum adinvenit, ut suâ opulentiâ ditaret, quem redemit. Coronâ namque Dominus Rex magnus tunc donabit, supremus vitæ terminus cùm illum cœlo dabit.* His incredibiliter animatus, recepto Sacerdotio nihil in se mediocre passus est, heroicis actibus ad summa virtutis contendens, & quidquid sanctorum exemplorum legeret aut videret, imitatione exprimere studens. Concionator in paucis evasit eximius, nihil aliud dictione ardoribus plenâ sectatus, nisi Divinam gloriam, & salutem animarum: cui DEUS eam vim indebat & efficaciam, ut nulla peccatorum quantumlibet obstinatissima corda, illi resistere possent. Sanè quâdam ejus in publica vitia invectivâ itâ persona malè sibi conscia commota est, ut vehementiâ doloris de suis criminibus concepti, intrà paucos dies expirârit. Sed non potuit Viri zelus terminis unius Hispaniæ contineri, in quâ cùm nobilissi-



P. Sebaſtianus Sarmiento Soc: Ieſu, Illuſtriſsimo ſangvine Hiſpaniæ; potens opere & ſermone Concionator, & Miſsionarius. Mirum in Dæmones exercuit imperium, durè idcirco ab ijs tractat9 ſæpius: sed à Virgine Deipara & Christo D. apparentib9, in Morte præſertim, recreatus. Obijt Burgis A° 1613. 8. Augusti. Ætatis 49.

biliſſimas Urbes, Valliſoletum, Burgos, & pleraque Provinciæ ſuæ Collegia prædicandò peragrâſſet, ſummo ardore Indiam expetijt: cujus loco montana Hiſpaniæ, Miſſionibus excolenda Superiores illi deſignârunt, in quibus dici vix poteſt quanto labore, neque minore ſucceſſu, in vitijs extirpandis, & in imprimenda Chriſti doctrinâ inſudârit. Cùm verò alicubi minùs adhortationibus ſuis proficeret, grande è cœlo malum toti regioni vaticinatus eſt: & ecce repentè ſæva peſtilentia totam invaſit, & crudeliter depaſta eſt. Neque tamen in ea calamitate bonus paſtor ingratas oves deſeruit, ſed vitam pro æterna illarum ſalute exponens, & animis & corporibus quovis obſequiorum genere deſervijt. Mirum imperium exercuit in dœmones, quorum plures ab obſeſſorum corporibus exegit, & ab eorundem infeſtationibus ſpectríſque innumeros liberavit; ſolitus DEUM precari, ut has dœmonum vexationes in ſe transferret. Et verò peſſimè ab his DEO permittente, habitus eſt, verberibus & plagis perſæpe mulctatus, è quibus tamen ſemper invictæ conſtantiæ palmam retulit.

Atque in ſimilibus proximi juvandi munijs per omnem vitam occupatus, eandem virtutibus pulcherrimis, & ſanctimoniæ exemplis illuſtrem reddidit. Atque univerſim dici ex vero poteſt, totam ejus vitam fuiſſe continuam orationem; ità animo nunquam à DEO avellebatur, omnes actiones & negotia in eum referens, & perpetuis aſpirationibus eadem interſtingvens. Quinque nihilominus horas quotidie, præter Sacerdotes & Religionis preces, meditationi impendebat, ità

ità, ut nunquam per omnes Religionis annos id intermiserit, nocturnis in subsidium evocatis, si diurnæ defuissent, horis: maximis DEI favoribus, visitationibus, & illustrationibus sub oratione donatus. Sacrificio Missæ prolixum præmittebat apparatum; & quoties id seorsim offerre sinè arbitris licebat, producebat celebrationem ad plures horas. Ut verò spiritum ad cœlestia redderet vegetiorem, asperrimis pœnitentijs atterebat corpus: nam per biennium tyrocinij ter quotidie flagris illud excipiebat, exemplo S. Dominici, cui addictissimus erat; sed jussus à Superioribus rigorem moderari, unam solùm deinceps quot noctibus, dum alij quiescerent, flagellationem instituebat, quæ tamen rigore & productione ternis illis æquivaleret. Pro cilicio adhibebat primùm thoracem, & saccos cilicinos, quos toti corpori induebat; hos deinde nimiùm lenes existimans, commutavit in ferreas catenas, uncinis & aculeis efferatas, aliásque circumdabat collo, brachijs, & suris, aliàs femoribus, pectori, & dorso: quandoque autem si vel necessitas major, vel devotio urgeret, omnes simul admovebat, ut singula membra suos experirentur cruciatus: dicere tunc amicis suis solitus: *hodie necesse est omnia in hostem arma expedire*. Quoties autem sentiret vanæ gloriæ suggestiones, crines capite evellebat, aut digitos in lampade adurebat, scrupos indebat calceis & tibialibus, quibus inambulans vexaretur. Ad pectus etiam præacutas gestabat è ferro cuspides, quas identidem sinui manum ingerendo, quasi strophium prompturus, altè carni imprimebat, quoties verbo aut cogitatione inani laberetur, aut suggestione dœmonis infestaretur: Quantum verò armis his in DEUM ipsum, ad expugnandam sceleftissimis misericordiam posset Sebastianus, patuit in latrone quàm criminoso, tam obdurato: hic supplicio commerito afficiendus, cùm nullâ vi ad pœnitentiam induci posset, Pater noctem solidam in omnibus suarum asperitatum instrumentis coram Crucifixo orando perstitit; & die sequenti ad carcerem redux, latronem penitus in alium hominem mutavit, ut cum lacrymis peccata confessus, eadem per plateas omnibus clamosè, dum ad furcam educeretur, propalaret, mille supplicijs dignum se professus, & summâ omnium ædificatione demortuus. Et tamen, qui in se adeò durus & immitis; in alios, etiam in bruta animantia, erat mansvetissimus. Incidit aliquando in pueros ludum sibi ex avicula filo alligata facientes; cui demum cùm plumas, misellam enecturi, evellerent, rogavit Pater nè id agerent, sed liberam ad laudes DEO canendas dimitterent. Paruêre monenti parvuli, & avicula deinceps ad Patris conclave identidem advolans, totis diebus accinebat, veluti pro servata sibi vita grates rependens.

Certum eidem in tentationibus & adversis omnibus DEIparæ fuit præsidium, quam filiali semper affectu & devotione prosequebatur, à puero illam Sabbatino, & pridiano ad singula ejus festa jejunio venerari solitus. Inter eximios ab ea receptos favores, singularis fuit, quo è præsenti castimoniæ lædendæ periculo liber evasit. Persona primariæ nobilitatis, formæ & ætatis floridæ, cupidine Sebastiani, quem sæpius pro concione audiverat, exardescens, ægritudine prætensâ, illum ad lectulum veluti confessura, evocavit; cujus impurissimam mentem ubi intellexit Pater, ad Virginis illico auxilium implorandum toto animo se convertit: & suggesto ab ea in arena consilio, ad vicinum conclave erumpens, unam ex ancillis, quasi à Domina ad quidpiam obsequij accerseretur, evocavit, séque interim à conspectu & tota domo proripuit. Domum redux totum se exorandæ Virgini pro misera illa prostravit, quæ subitò ingenti pudore & pænitudine suæ turpitudinis tacta, vitam castiorem & planè sanctam instituit. Sub hæc Burgos ad habendas secundâ vice conciones evocatus, paulò pòst in morbum fatalem incidit, ex quo, priusquam ullatenus ingravesceret, moriturum se divinâ revelatione præcognovit, ideóque generali exomologesi multis cum lacrymis animam expiavit, Rectorémque rogavit, nè se, ubi decubuisset, invisuri, sermonem ullum nisì de DEO inferrent. Inter acutissimos laterum dolores, & totius corporis æstus, nunquam tamen à colloquijs cum DEO, Divísque cessabat: à quibus illum aversuri dœmones, ternis vicibus visibiliter interturbare conati sunt: primùm quidem specie nigrarum avium lectulum circumvolantes; secundò ingenti rugitu & reboatu perstrepentes; tertiò felium & catorum formâ dentibus in eum frendentes: quæ omnia etiam domesticis ægro assistentibus conspicua fuerunt. Sed ille imperturbatus dœmones increpabat dicens: *nocete, & invadite si potestis, miseri & infelices, qui vestrâ superbiâ DEUM amisistis.* Adfuit mox illi Virgo sanctissima, animos addens morituro, à cujus conspectu spectra omnia magno strepitu edito in perpetuum evanuêre. Invisit pluries servum suum & CHRISTUS Dominus, ingentíque solatio implevit, adductis

ctis secum Genijs cœlestibus, qui symphoniâ cœlesti ægrum recrearent: cúmque hic reverentiâ tantæ Majestatis grabato levari, ut coram Domino in terram prosterneretur, expeteret, confessarius autem id fieri prohiberet: *annon audis*, inquiebat, *mi Pater, harmoniam, quam Cœlites ob Domini præsentiam faciunt?* Eodem tempore declaravit illi Dominus æternam suam salvationem; unde ille tanto gaudio delibutus est, ut nullum finem gratias agendi, ad quas secum reddendas omnes invitabat, faceret. Rediêre iterum sub ipsum animæ exitum cœlestes phonasci, quos an Patres audirent supremùm percontatus, purissimum mox spiritum, cœlo ab ijsdem inferendum, DEO reddidit 8. Augusti 1613. ætatis 49. Religionis 33. Visendum mox eâdem horâ se præbuit cuidam raræ sanctitatis Virgini, plenus gloria cœlesti, ùt ipsa affirmabat, cui aliquando fuerat à sacris confessionibus. Plures alij conspexêre eundem magno Angelorum comitatu in cœlum deduci: cujus idcirco res omnes à devotis in reliquias direptæ sunt. At verò ubi corpus ejus, ut decenti sepulturæ pararetur, indui necesse fuit; tum verò apparuit totum vulneribus catenarum & flagrorum, plagis dœmonum, planè excarnificatum: dorsum adusque ossa pertusum, caro membris omnibus flaccida & arida, ad horrorem Medicorum & spectatorum: quod decenti loculo impositum, spectabili tumulo conditum est, &c.

Ex ejus vita P. Francisci Prado & Nierembergij Tomo 1.

P. JOANNES ZEHENDER cum alijs 8.

PRæclarus Fidei Catholicæ athleta P. Joannes Zehender, quatuor vota in Societate professus, ortus fuit è Svevia, à puero hæresi Lutheranæ ità innutritus, ut ejusdem tuendæ & propagandæ zelo, Ministrorum ejus numero accenseri voluerit, & ingenij acrimoniâ promeruerit; annos 26. natus Jacobo Marchioni Durlacensi, è Principum Badensium Familia, factus Aulæ Prædicans. Qui Marchio à puero quidem domesticâ institutione & consvetudine sectæ Lutheri addictus, accedente ætatis & mentis robore, Catholicæ Ecclesiæ tot sæculorum consensu firmata dogmata doctrinæque constantiam cum Lutheranorum novitatibus, atque errabunda mobilitate conferens, ac præcipuè conversione Joannis Pistorij ad Fidem Orthodoxam (quo Medico & Consiliario utebatur) commotus, avebat explorandæ veritati eundem cum Andrea Smidelino, Lutheranorum tunc in Germania glorioso antesignano, committere. Sed hic inferius suâ dignitate ratus, si Theologus cum Medico de Fidei mysterijs congrederetur, Jesuitam in disputationis æmulum & adversarium deposcit. Invitatus igitur à Principe advenit Molshemio Badam, velut ad certaminis locum, Collegij Rector P. Theodorus Busæus (is qui deinceps multis in Societate perfunctus muneribus, Germaniæ Assistens Romæ decessit) adsuítq; evocatus, cum nulla declinãdi potestas esset, etiam Smidelinus pluribus verbi Ministris comitantibus. Initur pugna in magna Nobilium corona, à qua miserè fatigatus victúsque discessit Smidelinus, frustrà opitulantibus Erebrando & Gerlachio Lutheri primarijs præconibus, ut omnibus ludibrio esset: ex quo ad tædium vitæ compulsus, brevì diem supremum explevit. Erat tum ex parte Smidelini etiam Zehenderus noster, & ùt erat acer ingenio, sustinuit diu conflictum pene solus, sed eâ modestiâ & morum svavitate, ut vel ob eam sæpiùs illi familiariter P. Busæus prædiceret, non Catholicum modò, sed Jesuitam ipsum brevì futurum. Verùm ùt solent adhærescere opinionibus suis, ægréque divelli magna ingenia, quamvìs jam ferè errorum convictus, restitit tamen aliquamdiu, & unà secum Principem in Lutheri secta retinebat, pergebátq; ejusdem dogmata de suggestu populo prædicare. Fluctuabat nihilominus animo de veritate dubius; & cùm Symmystarum quispiam theses disputationi exposuisset, ipse Catholicorum argumentis ità hominem obruit, ut quò se verteret non inveniret. Tandem majore DEI gratiâ & lumine affulgente, quò studiosiùs nervis omnibus moliebatur sua tueri, eò magìs nuditatem erroris sui advertens, palàm execratus est falsitatem. Eô facto tam acriter pupugit Collegas suos, ut cùm Princeps ipse ejus exemplo videretur in sententia nutare, nec auderent ampliùs cum Pistorio Medico, nedum cum Jesuita dimicare; ipsum Zehenderum novum Catholicum, nondum ab hæresi Catholicè absolutum, provocârint ad pugnam. Theatrum certaminis Urbs Emetinga fuit, ubi Marchio morabatur, Antagonistæ 19. Prædicantes, Antesignano Joanne Pappo, Argentinensium Ministrorum primario: solo & unico veritatem Catholicam pro-



P. Ioannes Zehender S.I. Svevus, ejuratâ cum Ministelli officio hæresi, ardens Fidei propagandæ Athleta, victima charitatis inter contagiosos cecidit Viennæ Austriæ 25 Sept: A. 1613. ætatis 49. cum Socijs 10. 90.

propugnante Zehendero; nam ut Busæum Jesuitam, tunc fortuitò illac transeuntem, vel inter Auditores admittere paterentur, impetrare nec Princeps à sectarijs potuit. Disputatum quatriduo est, & Pappus cum suis ità profligatus, ut cùm non inveniret quî honestè ex disputatione excederet, deliberationi trimestre petierit, ut argumentis Zehenderi se maturâ responsione expediret. At verò Marchio nihil ultrà prolongandum ratus, auditô pleniùs & consulto Busæo, bidui præmisso jejunio, & contemplatione rerum Divinarum veterísque vitæ examine, atque ultimâ pervigilatâ nocte, confessionem sacramentalem eidem peregit, fidémque ex Tridentini formula professus, primus omnium Principum à Lutherana perfidia ad Ecclesiam redijt. Mox ejusdem Religionis totâ suâ ditione propagandæ studio, concionatores hæreticos omnes, qui Catholici fieri nollent, exire jussit: bonis omnibus plaudentibus, & certâ spe omnium subditorum ad Ecclesiam reditum præcipientibus; nisì præproperus Principis occasus, paucis à conversione sua hebdomadis propinato ab hæreticis veneno extincti, in ipso limine eam evertisset. Hanc ille mortem animo excepit pietatis plenissimo, armatus Sacramentis omnibus, die 17. Aug: A. 1590. cujus sobole carentis hæreditas & jura Principatûs omnia, in Calviniani fratris manus sunt devoluta. Igitur Zehenderus videns nihil ultra istic spei sibi superesse, in clientelam se dedit Austriaci Cardinalis Andreæ Episcopi Constantiensis, apud quem factus Sacerdos, neque ità multò pòst Romam ad Germanorum Collegium promotus, quadriennium sa-

cræ

cræ Theologiæ ſtudio impendit; animo interim tacitus verſans, quâ ratione ſe popularibus hæreticis quàm maximè redderet fructuoſum, & magnas per univerſam Germaniam hæreſum ſtrages ederet. Cùm verò nihil ad ea præſtanda congruentiùs occurreret, quàm ut Societatis Inſtitutum amplecteretur, ingenti animo ſuum illi nomen adſcripſit.

Neque ſecus deinde negotium aggreſſus, aut ſegniùs executus eſt, quàm animo deſtinârat; quando ad Germaniam juvandam reverſus, non modicos hæreticorum greges paſſim Catholicis adjunxit, tam incitato ſemper ardore converſioni ipſorum inhians, ùt cùm frequentiùs in hæreticorum congreſſus & ædes importunè penetraret, non rarò cum graviore contumelia exturbaretur; ſic tamen, ut per indignationem rejectus, alacrior eodem iterum ardentiórque rediret. Nullius ſiquidem ex omnibus vitæ actis majore pœnitudine tangebatur, quàm ſuâ doctrinâ & prædicationibus abalienatos olim non paucos fuiſſe à Catholici nominis ſtudio; quam noxam ut penſaret expiarétque, nihil adeò in hac vita durum atque acerbum ducebat, quod non ultro ſibi ſubeundum eſſe arbitraretur: eadémque cogitatione tam ſibi vilis erat, ut nullis honoribus vel rebus humanis caperetur, adverſis autem & contemptibus etiam exultaret. Inter Germaniæ Provincias vix ullæ ad meſſem Evangelicam æquè paratæ erant, & laborum feraciores, quàm quæ Auſtriacorum dominio ſubjiciebantur Regna & ditiones, Ungaria, Boëmia, Auſtria, Sileſia, Moravia, Styria, &c. quæ omnes unicâ Societatis Provinciâ, ſub Auſtriæ nomine continebantur. Laborum quidem & ſudorum ſeges maxima exinde proveniebat, quòd omnes magnam partem errorum & hæreſum contagiô infectæ, vix unam vel alteram urbem integrè Catholicam cenſebant: & à quibus cultura expectari debebat, ipſimet in omnem vitæ licentiam & Venerem effuſi, abjectâ animarum curâ, moribus vix ab hæreſum Magiſtris differebant, zelo & ardore propagandæ Religionis etiam illis inferiores. Albas tamen & meſſi maturas efficiebat Fidei fervor in Principibus Auſtriacis, nihil induſtriæ omittentibus, quò è terris proſcriptâ hæreſi univerſi in unum Eccleſiæ horreum colligerentur. Huc ergo ſuam præcipuè immiſit falcem Zehenderus, Provinciæ Auſtriæ adſcriptus, & copioſos legit manipulos Caſſoviæ in Ungaria, Viennæ & Lintzij in Auſtria, datus etiam tunc Reſidentiæ primùm hìc erectæ Superior. Ad animarum capturam præibat omnibus, & nè quis ægrorum inexpiatus decederet, de nocte domeſticum tintinnabulum obſervabat; ſimul ac increpuerat, ſtrato ſe ejiciens, etiam cum Rectorem deinde Viennæ ageret & Caſſoviæ, ut ad ægros juvandos vocatus invocatúſve procurreret. Socijs omnibus ultro citróque illac in Boëmiam, Styriámque commeantibus pedes ipſe abluere, lectos conſternere, aliáque his inferiora præſtare, nequidquam repugnantibus hoſpitibus: Cùm verò Viennæ Operarij, Concionatoris Templi domeſtici, & Cathedralis, Aulicíque munus expleret, ingentem Civium & convenarum ad Aulam Cæſaream numerum hæreſi detraxit: in omne ſimul calamitoſorum genus adeò propenſus, ut mortuum univerſi communi luctu deflerînt, tanquam Parentem & unicum levamen ſuum. In reos verò, qui ad extrema raperentur ſupplicia, præcipua ſe charitatis ejus probabat induſtria; quibus comes aſſiduus, & ad ſubeundam alacriter mortem exhortator, dum vitam exorare non poſſet, aderat. Spectabili aliquando toti Viennæ exemplo, dum ad necem parricida raptaretur in trahâ reſupinus, & crebro ad humum capitis illiſu in raptatione concuteretur; ipſe confeſtim in traham inſilijt; & convolutum in globum pallium ſuis humeris detractum, hominíſque occipiti ſubſtratum, magno ſui neglectu & fatigatione fulcire, atque identidem ùt impetu raptationis evolvebatur, involvere iterum & reconcinnare, uſque ad deſtinatum ſupplicio locum perrexit. Atque ità per Apoſtolicas functiones vitæ ingenti zelo traductæ, coronidem longè pulcherrimam glorioſâ heroum morte impoſuit, in obſequio lue contactorum Civium enectus. Decubuerat malo jam ictus Sacerdos, cujus ad id miniſterium ſegregati eæ vices fuerant; hujus ille partes tam cupidè, tam conſtanter, atque etiam importunè ab Rectore depopoſcit, ut poſtulato excludi poſſe non videretur. Simul igitur atque voti compos factus eſt, eô impetu ac contentione animi formidabilem alijs campum eſt ingreſſus, & ità ſe penitus inſinuabat in peſtilentium intimas ædes, retruſas caſulas & angulos omnes perreptabat, ut quia nullius loci aut diſcriminis habebat delectum, eum vanæ parúmque prudentis temeritatis quidam arguerent. Sed ſagaciſſimi Vir ingenij pridem perſpexerat, quàm multis & ſæpe levibus ex cauſis homines abducerentur (nè ictos ſe peſte palàm fieret) ab exquirendis animæ ſubſidijs, ità ut mallent non rarò Sacramentorum expertes emori: id quod cùm uſu permultis Viennenſium venire pri-

mis ſtatim aſſumptæ provinciæ diebus didiciſſet, ſedulò ſibi putavit providendum, ut nè inſanus ille pudor exitio cuiquam, indaginem ſuam effugienti, foret. Utq; eorum inſuper animi ad inſigniores religionis & pietatis motus ipſo etiam venerando, dum Sacramenta adminiſtraret, aſpectu erigerentur; priuſquam ægri conclave Eucharistiâ vel Unctionẽ extremam collaturus ingrederetur, ad ejus fores induebat ſibi ſuperpelliceum, ſtolam item, & capiti clericalem pileum: tum ſiniſtrâ, Chriſti cruce affixi ſignum, dexterâ facem ardentem præferens, ingrediebatur: atque his & alijs ejuſmodi præclaris artibus ſuſcitandâ in omnibus erga DEUM fide, reverentiâ & ardenti amore, multorum dubiam confirmavit fidem; neque paucorum planè deſperatam ſalutem reſtituit. Ità dum igneo fervore, nullâ ſibi à perpetua fatigatione reſpirandi indultâ morâ, noctu diúque deſudat, poſt quintam laborum hebdomadam ipſe quoque lue contractâ ſublatus eſt 25. Sept: anno 1613. ætatis 49. Societatis 18. æternâ ſui apud Viennenſes, ceteráſque Provincias, tanquam integerrimi ſanctíque Viri memoriâ relictâ.

Paucos poſt dies 19. Octobr: P. Joannes Montanus Mollenſis, Belga Antverpienſis, Collegij Rector, ex eadem lue à pœnitentibus contracta decedens, cùm paulò ante obitum Litanias de Omnibus Sanctis ſibi prælegi voluiſſet, ubi ad SS. Sacerdotes & Confeſſores perventum eſt; pro ea, quam de ſanctitate P. Zehenderi compertam uſu habebat, notitia, illorum ſyllabo tenerrimo pietatis affectu, etiam illius nomen attexuit, tertiò ingeminans, B. P. Joannes Zehendere, ora pro me! Natus erat annos 53. exactis in Societate 33. Philoſophica, Theologicáque laureâ pridem clarus, quarum etiam doctrinas vicenos annos, præcipuè in Viennenſi Academia tradiderat. Quo tempore Zehenderus tanto impendio foris peſtiferis ſerviebat, ipſe domi reſidere coactus, promptam omnibus adventantibus operam in confeſſionario exhibebat. Et accedebant quàm plurimi, ubi primùm ictos ſe advertebant, nè Patris alterius in domũ ſuam accerſitu, lue contacti proderentur; à quorum aliquo afflatus halitu, immani tubere peſtiferum ulcus ſecundùm aurem concepit, cujus malignitate non toto triduo conſumptus eſt. Utrique viam æternitatis prævivit Frater die 17. Auguſti, qui primo Sacerdotum, agonem hunc, ſublevandis Civibus ingreſſo, ſocius adhæſit, Dietmarus Stamwert, 30. annor: & in Societate 10. Sed & ſuperioribus annis plures in eodem certamine vitam ibidem poſuêre: P. Michaël Reithamer Carinthus anno 1597. ætatis 40. die 18. Februarij. Unáque Auguſto ineunte P. Petrus Phrearius Colonienſis, annorum 33. Iterum verò anno 1606. contagione Viennam depaſcente, duo ex auxiliaribus ſocijs periêre, P. Paulus Chriſtinus Moravus Olomucenſis die 14. Sept: ann: 48. cùm altero jam anno in hoc obſequium extra Collegium ſegregatus, in pertinacem peſtilentiam decertaret. Hunc ſecutus eſt in eodem opere, & 1. Octobris, etiam in mercede P. Stephanus Kelbelius, Boëmus Budvicenſis, annor: 33. cùm ea in Academia Matheſim doceret. Iterum verò Anno 1625. in Septembri glorioſè cecidêre ibidem P. David Ferner Germanus Dambswegenſis annorum 31, & Marcus Hillebrand Styrus, necdum 20. natus annos.

Ex Victimis Charitatis Patris Alegambe.

P. MARCUS SOLDANUS cum alijs 15.



Ater Marcus Antonius Soldanus in Italia natus; anno ætatis 21. Societatis militiam ſortitus, ac deinceps Provinciæ Boëmiæ (quæ adhuc eadem cum Auſtriaca cenſebatur) accenſus eſt. Quia enim Regionibus his majorem partem hæreſi variíſque erroribus adhuc inquinatis, non poterant ex indigenis operæ ſufficientes in Societatem adlegi; debebant aliunde ex diverſis nationibus ad neceſſariam incolarum culturam expeti & conſcribi. Gerebat is Pragæ Boëmiæ metropoli, Italici Mariani Sodalitij, ex ijs qui iſtic negotiationis causâ magno numero degebant, collecti curam; quod concionibus omníque aliâ diſciplinâ ſic inſtituebat, ut ex Sodalium virtute in totam Urbem exemplis fructúque uberrimo dimanante, ſenſim Civium Boëmorum non pauci illis aggregari petierint; donec horum augeſcente numero, aliquot poſt annis in proprium Cœtum, ſub eodem tamen Virginis Aſſumptæ titulo, eos ſeparari neceſſe fuit. Ut verò eorum pietatem & in DEUM religionem ſplendore etiam Oratorij, ornatúſque exteriore promoveret, Sacellum Italorum, Conventibus habendis ſanè perauguſtum, corrogatis undique, ipſorum præcipuè ab liberalitate eleemoſynis, in Collegij Societatis fundo molitus eſt, & formâ uſque eò Pragæ non visâ perfecit. Idem Italicũ Hoſpitale inſtituit, excipiendis curandíſq; illius



P. Marcus Soldanus S. I. Italus, Auctor Sacelli Italici, et Hoſpitalis Pragæ; lue inter ægrorum obſequia ictus, mortis nuncium à SS: Ignatio et Xaverio accepit: ibidem extinctus 23. Nov: A° 1613. præter alios 15 in Boëmia ſimili morte coronatos.
92.

illius gentis ægrotis & egentibus; cui præter idonea vectigalia, ædium amplitudinem ex collectâ gentium ſtipe, omnia ſingulari ipſius virtuti & zelo deferentium, attribuit. Cujus Noſocomij egregia diſciplina, perquam appoſitis à Patre temperata legibus, ità ſub adminiſtratione Magiſtratûs ejuſdem Sodalitij perſeverat; ut DEO bene cœptis favente, novis ſubinde dotatum reditibus, non paucis hodie etiam ex gente domeſtica pauperibus præbeat receptaculum; propriâ eidem adſtructâ Æde ſacrâ, & inſtituto Divinis habendis ſtipendiario Capellano. Alia ejuſdem quam plurima illuſtriáque in Cives Pragenſes merita, pridem illum unicè charum omnibus gratioſúmque Regni Proceribus fecerant; ſed illa miniſterij procuratio, quæ hominem tandem confecit, in qua per continentes diro tabo Civium pereuntium clades, ſuæ ſalutis oblitus, ardentiſſimè ſerviebat alienæ, ídque non ſemel, ſed pluribus contagionum annis, incredibilem illi omnium Statuum amorem, parémque conciverat venerationem. Sed neque illa tam operoſa juvandorum infectorum ſollicitudo impediebat, quò minùs curam privatim extenderet in egentium neceſſitates totâ Urbe eodem tempore ſublevandas; quapropter Pater pauperum ab omnibus audiebat. Itaque cùm anno 1613. exorta Pragæ peſtilitas, ab Julio menſe ad anni uſque exitum, crudeliter & latè, ſi unquam alias, Urbem depaſceret, vix ut domus ulla tabô immunis abierit; tantâ ferociâ ſæviens, ut non plus triduô, ex quo teter halitus quempiam afflârat, ſuperſtitem relinqueret: P. Soldanus, qui jam ternas æſtates in hoc certaminis ge-

nere funestis Pragensium, suo periculo depellendis, cladibus egerat; nunc quartùm in campũ jam veteranus & exercitatus miles prodijt: duravítque mali jam quasi assvetudine audacior ad Novembrem usque, dum pestiferæ expirationis labe jam penè detersâ, gloriosum laborum finem, & præmia virtutis consecũtus est, eâdem lue extinctus ad diem 23. Nov: Divo Clementi Papæ & Martyri, sub cujus nomine & patrocinio Collegium Pragense gloriatur, sacrum. Et quidem prodigio communiter ab omnibus imputabatur, neminem præterea ex pluribus Collegij PP. & FF. qui juvandis Civibus cum illo relicti Pragæ fuerant, infectum fuisse, vel extinctum, nè quidem ex ijs, quibus urbem & domos totum diem obeuntibus, pestiferorum incumbebat lustratio: cùm tamen etiam Templi nostri valvæ promiscuè omnibus semper paterent, & in eo frequentiâ pœnitentium & communicantium continuum veluti Pascha celebraretur. Cùm enim ob repentina funera omnibus Urbis partibus, ac ferè ædibus singulis, ex manifesto veneno pereuntium, eorum etiam quos nec leviter afflatos esse apparebat, omnes in Urbe pro depositis se non frustrà haberent; singuli Sacramentis muniri, tanquã præsidijs ad supremum agonem quærebant, & quotidiano concursu Sacerdotum aures fatigabant. Nec inanem fuisse eorum providentiam inexpectatus bene multorum prodebat occasus, ubi primùm nostra ex Æde, Christíque Mensa, domos essent regressi; qui tamen pestilentem sui corporis affectum aut ignorabant, aut verò dissimulabant. Soldanus ubi primùm ictum se persensit, ad felicem transitum omni pietatis industriâ animum comparare instituit: cujus feliciter, ob præclara virtutum suarum facinora, absolvendi ut certa spes illi fieret, paucis ante occasum diebus SS. PP. IGNATIUS & XAVERIUS, in choro ceterorum de sua Familia Cœlitum, ei se augustâ claritate fulgentes spectandos præbuerunt, & instantem è vita mortali in æternam exitum nunciârunt.

Complures aliàs quoque, ex eadem obsequiosa in proximos charitate, vitam in eadem Boëmia socij posuêre. Brunæ quidem anno 1584. P. Leonardus Corcelius Belga, Collegij & Novitiatûs Minister, vir insigni opinione sanctitatis. Hic pestilentem ab ægrorum ministerio bubonem domum referens, triduo antè de obitu suo Rectorem admonuit; quem leni risu cùm Rector exciperet, confirmavit ille, duobus antè mensibus sibi jam de morte significatum fuisse. Itaque præsidijs omnibus ritè munitus, præstituto die, Octobri ineunte, spiritum DEO reddidit. Nec ità multò pòst ejusdem Collegij Concionator Boëmicus & Germanicus P. Ambrosius, gente Boëmus: aliíque vulgatâ domi contagione (qui tamen in horum syllabum heroum computandi non veniunt) decem & sex. Præter Ernestum Precknitz Novitium, in Silesia illustri locô natum, & nuper ex honorario Rudolphi II. Cæsaris Ephebo, cui etiam ob Parentis, Legatione apud Turcas defuncti, merita percharus erat, Societatem complexus. Hic necdum licèt gravioribus, imò nec integrè mansvetioribus disciplinis excultus, & in Religione adhuc Tyro, adhiberi tamen ob eminentem quendam zelum, & in dicendo gratiam jam tum in eo promicantem, ad conciones interdum publicas cœperat, demirantibus ejus fervorem spiritûs, atque additam à natura facundiam, quotquot eum differentem audirent. His accesſêre Anno 1599. iterum peste Triurbem Pragensem depopulante, juvandis incolis addicti P. Stanislaus Wociescowius, natione Polonus, 8. Sept: annorum 35. & Lucas Roll, Boëmus die 6. Octobris extinctus, annorum 52. Et Viennæ Austriæ Joannes Sartorius, Silesius Mietritzdorffensis, in Augusto anni 1617. Sicut & P. Andreas Wunder, Silesius Fraienwaldensis, ibidem anno 1619. die 19. Nov: Iterum verò Olomucij Anno 1623. P. Joannes Kapplerus, Novoforo ex Silesia oriundus, 23. Aug: cecidit, ætatis ann: 50. Is post administratam annis aliquot in statu Clericali Parochiam, rerum humanarum pertæsus, ad Societatem animum appulit, gradum Coadjutoris spiritualis in ea sortitus: pestéque exortâ, summis votis periculo devoveri, pro solandis juvandísque morbosis expetijt; eo præcipuè argumento expugnatis Superioribus, quia jam olim Parochus experiundo didicisset malum illud superare. Itaque campum peramplæ & populosæ Urbis ingressus, uberrimam laborum segetem habuit, quòd nemo un, Parochorum totâ Urbe vellet experiri discrimen, eíque se vel ob deferendum ægris expetitum Evcharistiæ Sacramentum objicere. Ipse verò dum suo magìs ardore, quàm necessitate langventium, metitur operam suam, illósque attrectare, versare, in lectum componere non abstinuit; tactus plagâ malignâ, & apostemate totum à capite latus sinistrum occupante, interemptus est. Socium laboris & beatæ mortis habuit Adamum Krazman, in Boëmia Pragæ natum, cui etiam ante se 3. Aug: extincto, suprema mysteria impertijt, cum Frater in Societa-

cietate vixisset annos 30. Eandem in morbidos charitatem Brunæ per idem tempus sectatus, & similem exitum 16. Aug: consecutus est P. Joannes Hollzelius, Austriacus Mislingensis; postquam cum una primùm contracta peste decem dies luctatus, alteram & tertiam superavit; & neque sic tertiùm ictus campo excedere sustinuit, à novissima tandem victus, ad percipienda victoriæ præmia discessit. Crumlovij pariter Moravorum, licèt nullam sedem ibi haberet Societas, quia tamen Missionem ibi convertendis ad Fidem heterodoxis per ea tempora constanter obtinebat, Sacerdos ejus anni Missionarius suarum partium esse credidit, etiam peste infectis, & quidem tantò impensiùs operam locare. Erat is P. Nicolaus Mužik, Silesius Czochoviensis, natus annos 41. Vir magno spiritu, & acri studio animarum, quarum unius adjuvandæ gratiâ longa etiam pedester suscipiebat itinera, nec rarò totum diem per inediam ducebat, idémque martyrij cupientissimus. Ergo hanc opportunitatem vitæ DEO immolandæ nactus, ingenti charitate omnium obsequijs se obtulit: nec quidquam lue jam prostratus ægriùs tulit, quàm à salutari procuratione animarum se morbo arceri: DEUM etiam ardenter precatus, nè jacentem & quasi residem in lecto emori sineret. Ideóque quanto potuit nisu, lectulo doloris desiliens, flexis humi genibus, & in B. Virginis Matris imaginem oculis firmè defixis, inter brachia Novitij, quem socium habebat, animam edidit, bonorum operũ meritis exornatã, die 15. Sept: Sed & Hranicij, ejusdem Moraviæ Oppido, cùm eadem de causa Missionem exerceret Societas, P. Joannes Scutellanus, Moravus Ostraviensis, qui biennali culturâ incolarum quàm plurimos hæresi detraxerat, illatâ Hranicium anno insequente 1624. populari lue, omnia Parochi munia moribundis exhibenda suscepit; quoad & ipse virus ab infectis hausit, & triduo confectus est ad diem 13. Aug: anno ætatis 45. humatus in eodem Parochiæ Templo, unde Ministellum hæreticum nuper exegerat, ibíque ante aram maximam solenni pompâ depositus. Sed neque hujus anni funeribus exaturata libitina, cùm pestem sequenti iterum anno 1625. in novas clades revocâsset, Olomucij scholasticum unum demessuit 25. Junij, infectis adjuvandis devotum, M. Georgium Pabelium, Boëmum Glacensem, natum annos 25. Pragæ verò 21. Julij P. Joannem Faber, ex ordine Coadjutorum spiritualium, Germanum ex Eisfeldia, annor: 43. Et alterum ex Coadjutoribus temporalibus 29. Aug: Christophorum Neümer, Bavarum 59. annorum. Ac tandem Crumlovij 16. Octob: P. Joannem Janum, in Lusatia Cotpusij natum ante annos 48. Hic olim è Tyrocinio ob graviter affectum pedem dimissus, nullâ proficiente Medicorum curâ, veritus nè reditum ad Societatem perpetuò haberet occlusum, supplex cœlesti Medico factus, præsentiorem sanitatem celeriter, & receptum in Tyrocinium invenit. Ante mensem in contagiosis totâ Urbe juvandis evolutum, cùm ejusdem veneno intoxicatus concidisset, voluit demortuum Collegij Rector ignobili humo, per obscuræ noctis silentium, vespillonum operâ mandare: verùm Senatus id subsentiens fieri vetuit; deberi pompam Patriæ Patri, & publicas inferias. Itaque clarô die, solenni & frequentissimo etiam Cleri, cum copiosis funalibus comitatu, elatum est funus Senatorum humeris ad Ecclesiam, & ritu solenni parentatum.

Ex Victimis Charitatis Alegambe, & Annal: Prov: Boëmiæ.

P. GUILIELMUS BATHEUS.


Atus est P. Guilielmus in Hybernia Dublini A. 1566. parentibus illustrissimis, & multarum ditionum in Provincia Lagenia dominis: à quibus in omni virtute & pietate educatus, eandem cum fide Catholica constanter retinuit, cùm demortuo patri in jura omnia, tanquam major natu, successit. Cùm verò per id tempus Hyberniæ Pro-Rex ad certa negotia componenda Virum perquireret idoneum, Legati titulo ad Elisabetham Angliæ Reginam mittendum, Guilielmum post longam deliberationem elegit, in juvenili ætate canâ prudentiâ senibus æqualem: quod munus magnâ Reginæ gratiâ gessit, eo etiam nomine ipsi acceptissimus, quòd omne genus musices instrumentorum scitè & eleganter tractare nôsset. Nihil tamen favores hi & blanditiæ Reginæ, deliciæve florentis Aulæ mentem Bathei de constantia in Religione, aut gradu virtutis moverunt, quin adeò robustior in utraque, & vanitatum mundi pertæsus, jam tunc decrevit totum se obsequio DEI addicere, & animo disciplinis omnibus exculto vitam cœlibem in statu Ecclesiastico amplecti. Reducem in Hyberniam, primariæ Familiæ affinem sibi, ditissimo-

rum



P. Guilielmꝰ Bathæꝰ S.J. Hybernꝰ Illustrissimis Natalibꝰ, singulari gratiâ tradendi Exercitia sacra à Deo præditꝰ, Animarum Zelotes egregius. Obijt Madriti, 17. Junij, Anno 1614. Ætat: 48.

92.

rum connubiorum delatione, fieri deposcebant, quòd non solùm potentem opibus & ditionibus, sed gratiâ etiam singulari apud Reginam & Vice-Regem florere viderent: sed ille propositi tenax, repentè magnâ omnium admiratione, jura primogeniti in fratrem suum juniorem transtulit, & rerum omnium abdicato dominio Oxonium ad Philosophiam transijt, non minùs literis quàm pietati, & studio pœnitentiæ se totum sacraturus. Vitam igitur exorsus omnino sanctam, & omnimodis asperitatibus arduam; tempus omne studijs vacuum, dabat orationi; dignus qui validis impulsibus à DEO vocaretur ad statum Religiosum; quem amplecti jam certus, perplexè duntaxat hærebat & anxius, quem magis deligeret: solitudinis siquidem amore trahebatur indè ad Carthusiam: rigoris indè & pœnarum ambitu ad Cappuccinos: desiderio autem & zelo juvandi proximos ad Societatem JESU. Quibus curis & perplexitatibus aliquando multum fatigatus, obrepente fesso capiti somno, audijt disertè sibi inclamari ex Joann: cap: 10. verba illa: *ingredietur & egredietur, & pascua inveniet*: quorum vim & sententiam assequi non valens, cùm ad orationem refugisset, sensit sibi internè dici, per ingressum & egressum intelligi vitam activam Societatis in proximorum salute operanda; in qua tamen non desunt pascua contemplativorum, per assiduum orationis & præsentiæ Divinæ, medijs in laboribus studium. Lætus itaque ex cognita DEI voluntate in Belgium trajecit, ac Societatem illico expetijt, receptúsque in tyrocinium Tornaci anno 1596. ætatis 31. ea primis statim mensibus adultæ vir-

virtutis & magisterij spiritûs dedit specimina; ut etiamnum tyro, Instructori Novitiorum datus sit ad reliquos virtute imbuendos socius.

Biennio exacto ad Collegium Anglorum S. Omari translatus est, educandis magno numero ex ea gente juvenibus, in spem unicè propagandæ in patria Fidei Catholicæ, præfectus: quibus solidâ virtute & scientiâ, quæ par esset securibus & patibulis Angliæ, imbuendis, dum non verbis magìs quàm exemplis insudat; nimio rigore & assiduitate valetudinem haud parum afflixit: mandato proinde Præpositi Generalis in Italiam evocatus, & Theologiæ arcana Paduæ prosequi jussus est. Cæpit hìc, Sacerdotio initiatus, zelo animarũ incredibili ardere, qui totâ deinceps vitâ nunquam refrixit, ut neque de ulla alia re loqui posse videretur, neque quidpiam objici posset tam arduum & difficile, quod non perrumperet vel unius animæ juvandæ causâ. Noctu diúque paratus erat quocunque evocaretur, ipséque sollicitus perquirebat in plateis rudes, quos Fidei & Virtutum rudimentis informaret, pauperes & ægros quos sublevaret; assidu, in visitandis carceribus, Nosodochiis, & vestigandis locis, in quibus auxilij seu spiritualis seu corporalis indigos latere suspicabatur. Atq; hæc fuêre veluti præludia graviorũ, quæ ipsũ manebant, laborũ, & semina ingentium fructuum, quibus Ecclesiam ditavit. Cùm enim per id tempus Pontifex destinâsset Nuncium Apostolicum in Hyberniam, ad confirmandos incolas gravi bello ab Anglia hæretica pressos ob Fidem Catholicam, P. Ludovicum Mansonium è Societate, Virum excelsæ virtutis, doctrinæ & sanctitatis; comitem illi Præpositus Generalis adjunxit P. Bathæum. Hunc ergo secutus in Hispaniam, unde certa Legationi petenda erat à Rege instructio, quia repentè pacis fœdera inter Hispanos & Anglos sancita sunt: Legationis negotio omni discusso, constanter deinceps hæsit in Hispania. Et verò Salmanticæ Theatrum illi Deus paravit gloriosum, ad triumphandas inferni potestates, & plurimas ex ejus faucibus animas eripiendas, ínque libertatem filiorum asserendas. Ut enim nihil dicam de conatibus, quos eosdem atque Paduæ ad salutem proximorum magno successu adhibuit, contulit illi Deus singulare donum & gratiam ad tradenda ingenti fructu exercitia, ità singularem & insvetam, ut nemo hæc illo directore obiret, quin desideratam animi quietem referret: hinc nunquam Domus nostra vacabat hospitibus ex omni hominum genere & statu exerceri ab illo cupientibus. Maxima indè secuta est morum in Nobilitate & Civibus mutatio, & in juventute Academica, quæ in celeberrima illa Universitate veluti flos colligitur ex tota Hispania, tantus fervor; ut Monasteria omnia tyronibus implerentur; afflueréntque indies Illustrissimi adolescentes, qui in sacra illa ascesi omni efficaciâ negotium salutis tractare expeterent. Porro emolumenti ab inde provenientis magnitudinem vel indè collige, quòd præter consvetam morum in omnibus emendationem, solæ in hominem alium, cum insolito eventu, & admirandis circumstantijs mutationes, fuêre supra trecentas.

Propriam eodem simul tempore curam Batheus assumpsit pauperum, catechesi & eleemosynis undique corrogatis juvandorum: nec minore providentiâ Sodalitatem Nobilium excitavit, hodiéque Salmanticæ primævo suo fervore florentissimam: ac denique Seminarium nationis suæ juvenibus in ea Universitate fundavit, de quo sub cura Societatis annis sequentibus prodiere in culturam vineæ Hybernicæ, à vulpibus Anglicanæ hæresis adeò vastatæ, plures 300. ferventissimi Sacerdotes; & multi diversas Religiones complexi evasêre eximij Theologi, & primarum cathedrarum in celeberrimis Europæ Academijs Professores: nec pauci creati Episcopi, Archi-Episcopi, Prælati Ecclesiarum, tam intrà quàm extra Hyberniam: quidam carceres & vincula pro Fide, ipsámque mortem perpessi, & miraculis ante ac post mortem clari. Horum non exiguam partem evocavit & collegit Pater Batheus, & in spiritu promovit: profectûs interim sui minimè incurius, quem continuâ quadam cum DEO tractatione, & terna per anni decursum in ascesi Ignatianâ decemdiali spiritûs sui instauratione urgebat; menstruo item per diem integrum (quem, cibi penitus abstinens, traducendo, diem suæ reformationis vocabat) actionum suarum omnium velut ad Divinum tribunal examine & castigatione. Castimoniam illibatam summâ sensuum omnium custodiâ conservavit, & muro paupertatis Evangelicæ ità obsepsit, ut novis indui vestibus nunquam sustinuerit, vetustis & malè sartis contentus. Peculij omnis vel manibus attrectandi, nisì summa urgeret necessitas, parcissimus fuit; hinc nullum ejus valorem, & numi unius ab altero diversum pretium dignoscebat; cogebatúrque, si quid in juvenum aut pauperum alimoniam pecuniæ offerretur, valorem illius apud Domûs Ministrum indagare. Somno super nuda tabula bre-

breviſſimum dabat tempus, perinde ac per diem veſtitus; tantóque ampliùs indulgebat quotidianis flagellationibus, & aſperrimo cilicio. Quibus rebus celebre ferebatur totâ Hiſpaniâ Bathei nomen, & gratia præcipuè tam ſingularis ſpiritualibus commentationibus animos exercendi: qua ipſa ex cauſa evocatus Madritum anno 1614. ut ad eaſdem præcipuos Aulæ Miniſtros manuduceret, repentinâ ægritudine in ipſo apparatu oppreſſus, ſeptiduo extinctus eſt Madriti 17. Junij, Anno ætatis 48. cujus æternam ſalutem paulò pòſt magno cuidam ſervo ſuo DEUS manifeſtare voluit.

Ex Alegambe Bibliotheca, & Nierembergij Tomo 1.



P. Guilielm9 Weſton9 S.J. Angl9, Apoſtolico zelo plen9, quem inter carceres annis 17. toleratos, Judicum Tribunalia, Dæmonū infeſtationes, abundè probavit. Obijt Valliſoleti in Hiſp: 9. Apr: 1615. Ætat: 75.

J.C.H. del. 93. *J. Kilian sc.*

P. GUILIELMUS WESTONUS.



Patria Guilielmo Anglia fuit in lucem edito Maidſtonij; ubi puerilem egreſſus ætatem, in Oxonienſi Academia ſtudijs literarum, æqualis Campiani, incubuit, creatus Artium Baccalaureus. Hic animadverſis fallacijs poſtquam animum ad fidem Catholicam adjeciſſet, annos natus 25. Romam proficiſcens adſcriptus eſt in Societatem Añ: 1575. atque anno ſequenti à Provinciali Bœticæ Montiliam deductus, expleto ibi tyrocinio, Philoſophiam repetijt Cordubæ, & Theologiam audivit. Sacerdotio initiatus, Gadibus primùm, mox Hiſpali inſigni cum fructu adhibitus eſt ad Anglos præcipuis ijs

Empo-

Emporijs juvandos, non ſinè opinione ſanctitatis. Notabatur jam tum indefeſſum in illo precandi ſtudium cum aſpera corporis tractatione conjunctum, ut etiam plerumque flexis genibus ſtudere à domeſticis notatus fuerit, nè mens ità ſpeculationi tota ſe immergeret, ut cor affectibus pijs deſtitueretur; ſui item infra omnes demittendi ambitus, quem innata affabilitas condiebat. Anno 1582. cùm Perſonius necato Campiano perduellionis damnatus in Galliam rediſſet, illum potiſſimùm ſibi ſucceſſorem à Generali Aquaviva impetravit; cui itineri cùm datæ fuiſſent interiores veſtes novæ, ijs ùt erant relictis, tulit quas gerebat longo uſu attritas & interpolatas, ajens fore, ut DEUS in his pro ſuo illum faciliùs agnoſceret. In equo, magnâ ùt decebat Superiorum charitate, ex Hiſpanijs miſſus, milliaria poſt pauca equum remiſit, itineris reliquum per Galliam ſanè longiſſimi pedes exegit ad portum uſque, ex quo in Angliam erat trajecturus. Priùs tamen à Perſonio Pariſios evocatus, & trimeſtri facilè detentus eſt, ut quà libris opportunis, quà monitis pleniùs edoceretur ad Provinciam, quam ſummis periculis adibat, fructuoſiùs adminiſtrandam. Socium illi adjunxit Rudolphum Emerſonum, eundem qui Edmundo Campiano fuit ab obſequijs, cujus etiam venerationi Weſtonus pro *Guilielmo Edmundus*, deinceps nominari voluit; ſperans aſſiduâ nominis hujus appellatione fore ſibi ſemper in mente Campianum, ad acrem ſtimulum divina ejus virtutum decora exprimendi.

Rothomago ſolvens, Angliæ littori, gemino teli jactu proximus, excendit in ſcapham, & ex hac in deſertam plagam, unde per devia & calles ambiguos Londinum versùs properavit ad notam domum prope Urbem, deferendis ad illius heram à Perſonio literis. Sed cùm hæc literas & indicia à Perſonio data ſeu reverà non agnoſceret; ſeu metu graviſſimorum diſcriminum, ſi Sacerdoti hoſpitium præbuiſſe deprehenderetur, ſibi ignota fingeret; humaniſſimè quidem exceptus, ſed ante noctem aliud diverſorium quærere juſſus, diverſo miniméque trito calle Londinum intravit, & diverſorium apud Civem Catholicum ſecurum invenit. Adeſt etiam non multò pòſt Emerſonus, qui ad ſarcinas librorum in navi relictus fuerat, & eas cum reliquis navis oneribus Londinum deduxerat: ſed non licuit priùs eas eximere, quàm forent cum reliquis mercibus à ſcrutatore publico evolutæ; qui, dum Weſtonum per Urbem requirit Emerſonus, in ejus abſentia ſarcinas excutiens libros animadvertit, ex quibus Emerſonum Sacerdotij ſuſpectum habuit, ideóque reducem carceri mancipavit & Judicibus ſtitit, à quibus varijs quæſtionibus tentatus negavit ſemper ſe Sacerdotem, de Weſtono autem conſtanter tacuit; detruſus nihilominus in anguſtum, cæcum, & ſubterraneum ſpecum, in quo annum egit velut à memoria & conſpectu omnium hominum eraſus. Sic deſtitutus ſocio Weſtonus, qui, quà eſſet eundum, ubi & quales latebræ captandæ monſtraret, totum ſe DEI tutelæ commiſit, habuítque præſtò mirè propitiam ad vitandos ungves flagitioſi cujuſdam apoſtatæ, qui ejus veſtigijs extra Urbem jam per aliquot millia paſſuum inſtabat, erátque omnino prehenſurus, niſi repentè & quaſi fortuita Weſtono cogitatio incidiſſet (cujus ipſe cauſam advertebat nullam) viâ hactenus calcatâ excedendi, quâ illum proditor venabatur.

Subijt inter hæc animum viſendi in carcere turris Londinenſis P. Haywodi graviter ex podagra decumbentis, cui in munere Superioris ſuccedebat, & ſperabat ad eum, Medici ſpecie, ignotum exiguo periculo penetrare poſſe. Inductus eſt ad eum à ſorore Haywodi Catholica nobili fœmina, quæ exoraverat ab Optono ut dies totos ægro fratri adeſſe poſſet: diémque integrum illi collocutus egit de præſenti Catholicorum & calamitatum ſtatu, cavendis apoſtatis & proditoribus; unáque didicit de carcere F. Emerſoni, de ſui ipſius adventu in Angliam ad Conſiliarios Regios jam delato, & innumeris ad eum capiendum exploratoribus dimiſſis. Sed nihil profuêre iſtorum inſidiæ quem Divina manus cuſtodiendum aſſumpſerat, volebátque ad multorum ſalutem ejus operâ uti, quâ per id tempus nullius alterius erat ad urgenda veræ Religionis incrementa fructuoſior; ut quicunque ab Anglia de progreſſibus Fidei trans mare ſcriberent, Weſtono ferè tribuerent omnia. Illi, præter innumeros alios etiam è Nobilitate, debetur converſio Philippi Arondeliæ Comitis, quem ad vitam ſumma cum pietate & virtute ducendam ſalutaribus præceptis inſtruxit, firmavítque. Fuit is facilè inter Proceres Aulæ primus & nobiliſſimus, & paulò pòſt Fidei ſuſceptæ causâ carceri mancipatus; poſt quem decennio integro toleratum, ſeu veneno ſeu longâ malorum perpeſſione extinctus eſt, omnibus idcirco Catholicis pro Martyre habitus. Sub mortis autem articulum memor cui poſt DEUM ſalutem deberet, Patri Weſtono grati animi pignus Breviarium ſuum miſit, donum quidem tenue Principis

pro Christo pauperrimi; hoc ipso tamen Westono similiter tum durissimo ergastulo incluso gratissimum. *Conciones illius & conversatio*, scribebant diversi ex Anglia, *plurimorum saluti prosunt: possessis à dæmone liberandis magnum conciliat Catholicæ Fidei nomen: æquiparatur vulgo beatæ memoriæ Campiano, adeò illi vivendo est geminus & agendo.* Laus tamen ejus meritorum minima, constabat laborum assiduitate in lucris animarum, major illa multóque augustior, continuâsse labores morte semper à tergo instante: nec enim interdiu poterat se cuiquam tutò credere, aut à proditore & falso fratre quenquam discernere: noctu non licebat nisi semisomni & pene arrecto quiescere, apertis latebris ad vitandas fugâ incursiones subitas insidiatorum, noctes præsertim illi intercipiendo captantium. Quibus nè interceptus in domo cujuspiam, in idem secum Majestatis læsæ supplicium traheret hospitem apud quem foret repertus, statuerat sibi in nemore, Londino haud procul metari latebras solitarias: nam quoad se jam totum DEO permiserat, perinde pro illo mori paratus, ac in strenuo & laborioso ejus opere vivere.

Hæc deliberanti occurrit Nobilis vir pietatis generosæ, invitat urgétque urbanè restitantem, apud se divertat: paret tandem invitanti, & conscensis sub seram noctem equis in palatium deveniunt, leucis à Londino tribus situm in media silva. Die postero benè manè, collectâ in Sacellum familiâ omni, ut Sacro interesset; (nam præter Catholicos habebat neminem) en adest anhelus ex cursu nuncius, Patri fugam præcipitem indicit, instare illi Consiliarios Regios, de ejus illùc receptu conscios, & jamjam cum satellitio adesse. Sacris igitur omissis vestibus ad quas in procinctu erat, in hortum se conjicit quo palatium cingebatur; ubi à servo admonitus adventare satellites, nec teli ampliùs abesse jactu, in remotiorem fugit silvam, & deserto mapali latuit ad solis occasum humi affixus, & rimis parietum observans quà & quónam iter vestigatores intenderent, immersurus se in silvas inextricabiles, si conspicaretur ex adverso venire. At illi diu frustra lustratis omnibus palatij angulis, & prædâ fraudati, deceptos se rati ab exploratore, vacui abiêre. Patri verò sub noctem missus ab amico cum equo dux viæ famulus, illum per callium ambages & perplexa invia in tutum aliò subduxit. Aliàs exploratorum quidam lynceis oculis suspiciosè observârat è fenestra juvenem nobilem Westono transeunti se profundiùs inclinantem, quàm exigeret vilis quo incedebat cultus: ergo, arguebat apud se, occultat alium sub veste abjecta, & quem nisi Sacerdotem? statímque cum armis advolat comprehensurus, nisi is, nullibi moram ducere doctus, jam evanuisset: & cautus Nobilis, respōsis ambiguis & jocosis quærentem de illo ità circumduxit, ut Pater immixtus turbæ longiùs evaserit. Gravius aliud valde incautè periculum creavit socrus: nam Pater in usum Sacrificiorum & Communionum multas, quas dicimus hostias, sibi paraverat, eásque socio ferendas tradiderat, qui telâ candidâ obiter involutas in sinum recondit, unde nunc binæ, mox ternæ, & plures equitantis succussu excidêre, tandémque 20. simul ante fores Ministelli in oppido defluxêre: donec post viæ medium, animadversâ jacturâ, Pater fidenter aggressus iter relegere, præsentissimo vitæ contempto periculo, hostias omnes humo collegit, & illa Sacerdotis vestigia ab oculis insidiantium removit. Iterum aliàs in loco deprehensum mirabiliter DEUS tutatus est, nam exploratori veluti invisibilis evasit, & ex ejus oculis prorsus evanuit. Aliquando ad eum intercipiendum scrutatores convenerant; per medios ipse fidens intactúsque pertransijt, viatorem assimilans itineri alacriter accinctum, cùm senem ipsi, ùt ijs descriptus fuerat, & imbecillem expectarent.

Verùm inter innumeros ejusmodi casus nullus eum morti admovit propiùs, quàm à quo minùs timuerat. Sacris operatus ruri in ædibus Nobilis, monetur à famulo turbam adesse satellitum & domum vallare: ille in subterraneum cavum properantiùs se recipiens & diligentissimè clausus, libros excepto Breviario omnes reliquit. Ingressi cubiculum milites ex libris facilè divinant non posse Sacerdotem abesse longiùs, maximè cùm in altero angustissimo conclavi (sub cujus pavimento inclusus latebat Westonus) & calicem, & suppellectilem totam Altaris invenissent; tunc enim audiebat illos ipse de præda sibi gratulantes malleos & ligones deposcere ad perfodiendos parietes, & tabulata dissolvenda. Actum jam de se credebat Westonus, & ultro è latebris prodire séque intrepidè captivum sistere cogitabat: cùm altiore instinctu, turbato satellitũ consilio, turmæ dux, loci angustias arbitratus, negavit tantillo spatio posse latebras vel uni condendo homulo parari, ideóque frustra illis perquirendis fatigandos. Igitur depositâ vestigandi Sacerdotis curâ, & direpto Altaris ornatu, Dominum ædium, & servatorem Patris famulum, cum omni-

omnibus domesticis Viris captivos secum abduxêre. De Westono interim quid factum esset cùm ignoraretur ab omnibus, quæ solæ domi remanserant fœminis, latebræ illius inconscijs, lugebant illum velut unà à militibus abductum: & ipse vicissim quid foris ageretur ignarus, & neminem sentiens qui sibi ad exitum obicem panderet, credidit ædes etiãnum à milite obsideri, hæsítque illic diem insuper & noctem sequentem integram, mediâ hyeme, cœco & humido cavo, in quo nec locum jacendi angustiæ concedebant; tandem scalis conscensis, cùm nec vocem ullius, nec strepitum, rimis operculi diu arrectâ fixus aure perciperet, experiri cœpit an posset, humeris connisus, sursum attollere barathri sui operculum; quo tandem vi magnâ iteratis impulsibus, ferreis licèt muniretur repagulis, dimoto, viam sibi ad exitum fecit, non absq; diuturno postea humeri utriusque dolere. At ubi pulverulentus, aranearum telis sordidatus, frigore tremens coram domesticis apparuit, velut à mortuis redivivus exceptus est, & refocillato nonnihil corpore securiora quæsiturus discessit, mirantibus omnibus potuisse illum indeprehensum militibus, etiam tum in omnem eventum circùm palantibus, evadere. Nunquam tamen his toties expertis absterreri se passus est periculis, ab adeundis, quoties expeteretur, seu Catholicis, seu Protestantibus; eâ tamen ubique cautelâ, quæ temeritati non plus tribueret quàm fervori. Quare aures confitentibus dabat plerumque inambulans, velut in familiari colloquio, & more valedicentis sub discessum à peccatis absolvebat. Divinam Evcharistiam in hospitijs publicis, ùt minùs suspectis, aut in silvis & ruri, pro necessitate temporum & personarum ministrabat. Nunquam tamen induci potuit, ut ad latendum sub aliena persona securiùs, conditionis splendidæ ornatum assumeret, cultum illum Sacerdotem & Religiosum pauperem dedecere ratus.

Inter aliquos quos ab hæresi frustra conciliare Ecclesiæ laborabat, tragicum ipsemet exemplum refert, in cautelam de Divina misericordia stultè præsumentium. Senex erat in paucis doctus, jurísque potissimùm peritus, & quod ei exitio fuit locupletissimus, terebátque assiduè Catholicos Theologos, sed refellendi magìs studio, & ad suam intutæ conscientiæ quietem stabiliendam trahendi, utpote quem rationes domesticæ impellebant vellet magìs ùt hæreticus videri quàm esse. Convenit senem rogatu Filij Catholici Westonus, ejúsque se primùm in notitiam dedit, tum etiam in familiarem, dissimulato semper sacerdotio, explicatísque illi Theologorum nostrorum sententijs, illam persvasionem quâ fingebat duobus Dominis posse servire, esse in corde Catholicum, & profiteri exteriùs hæreticum, tam clarè dedocuit; ut magnis vocibus inveheretur senex in hæresim veritatis hostem, nihílque sibi deinceps cum illa commune fore juraret. Verùm retorto mox in damna oculo, quæ illum manerent ubi se primùm Catholicum proderet, vitæ periculum, rei totius familiaris tot sudoribus partæ jactura, filiorum mendicitas; revolvebatur miser in jactationes pristinas, statuítque simulare ùt antè Protestantem, Catholicum animo premere. Cùm autem id probè nôsset, absq; perpetua culpæ lethalis noxa usurpari non posse, quæ aliter quàm Sacramento tandem Pœnitentiæ deleri nequiret, excogitavit stolidus humanâ prudentiâ, elusis Divinis judicijs, salutem in tuto locare; quâ plures hominum vesanè imbuti, credunt se plus DEO sapere, & vel ipso invito in cœlum post vitam scelestè actam irrepere posse. Domos habebat duas, Londini unam, alteram suburbanam, quas alternis & statis anni vicibus incolebat; utrobiq; in illis providit Sacerdotem; qui, utravis in domo periculosè ægrotâsset, præstò adesset morienti, & à simulatæ perfidia hæresis absolutum, repentè scilicet cœlo assereret. Dũ ità securus ultimæ expiationis liberè cæteroquin agit, morbi violentiâ repentè in ipso migrationis ex una in domum alteram itinere corripitur tam sævâ, ut mori se sentiẽs, Sacerdotem mox advocari juberet. Dum curritur, reditur, Sacerdos confestim sistitur, non jam moribundo, sed mortuo vehementiâ paroxismi lethalis, qui in hospitium publicum interim illum deferri compulerat. Sic duos alens binis in ædibus Sacerdotes ut confidentiùs improbè viveret, uti neutro valuit ut fidenter & piè obiret, extra utramque domum repentè extinctus. Atque hâc eâdem stultitiâ, piæ mortis fiduciâ, impiam simulatæ hæresis vitam interim ducentes, multis deinceps annis sequentibus, Anglorum plurimi laboraverunt, DEO propterea tantopere exosi, ut inexpiatâ morte confessionem ad usque mortem dilatam æternùm luerent, esto in eum casum domi constanter Sacerdotem, aliqui & duos secum semper in procinctu alerent: quorum tam multi confidentiâ stultâ frustrati, terribili fato absque omni exomologesi interierunt, ut possit ex ijs volumen integrum compilari.

Ceterùm Westonus his & periculis & labori-

boribus insudans dum redit Londinum, de appulsu cognoscit P. Henrici Garnetti, & Roberti Southuelli, & paulò pòst incredibili gaudio utrumque Londini convenit. Mutuâ brevi potitis consolatione, moram omnem in urbe indicavit Westonus periculi plenam, quòd sub omni saxo lateret scorpius, hoc est explorator Catholicum indutus, reipsa desertor & proditor: quare postridie ad leucas decem illos perduxit in domum Catholici Nobilis & opulenti, qui non verebatur direptione bonorum & vitæ ipsius jacturâ decorare nomen Catholici, nullo in familiâ nisì masculæ virtutis & Catholici roboris assumto. Illic octiduo morantibus ibat totum matutinum tempus in officia Divini cultûs, in Sacello egregio cultu ornato; diurnum in consilia, quibus modis juvari res possent Catholicorũ miserè afflictæ. Quo peracto, suas illi Westonus divisit ad excolendum provincias, domos assignavit Catholicas eorum receptui promptas, iteratísque complexibus ultimis & felici apprecatione, suam quisque in sortem discessêre, nunquam mutuò revisuri. Desiderabatur Oxonij Westonus, ubi ejus ope & consilio egebat Catholicorum familia nobilis: quâ charitatis operâ perfunctus, Londinum versùs remensus est iter, & cadente jam sole de via regia deflectens, in solitariam amici domum procul in silva abditam se recepit, sui colligendi & cum solo DEO agendi causâ, quod ante sociorum adventum, cùm esset solus in tantis Ecclesiæ necessitatibus, perficere non poterat. At enim servo suo ad usque sociorum plurium duntaxat adventum servato, alium secessum destinabat DEUS in diem crastinum, haud minùs ab interpellaturis liberum, & ad annos 17. in diversis ergastulis duraturum. Vix domum intraverat, & adest nobilium par notæ perspectæque virtutis, multísque precibus Londinum deducunt, ad opitulandum familiæ Catholicæ, repentino ex casu graviter laboranti. Die albescente in Urbis conspectu divertunt ad sua Nobiles, Westonus quò accersebatur; erátque domus foro vicina rustico, nõ frequenti situ: respexit nihilo seciùs, an quis à tergo sequeretur; vidítque hominem solum & inermem, proinde sibi minimè suspectum; qui tamen pulsantem ad fores ædium assecutus brachio prehendit, jussítque Reginæ nomine ad Tribunal sequi; quod se ultro facturum respondit Westonus, tantùm nè alteriùs loco & nomine per errorem comprehenderetur precatus. *Nullus hìc error est*, rèponit proditor: *ipsissimus es quem volo Edmundus Westonus Sacerdos Catholicus & Jesuita.* Gratulatus est sibi mirificè hanc prædam Walsingamus, cujus proditionem multo ære captaverat, ut ad furcas Tiburnas solenne de illo spectaculum ederet, magìs quàm unquam Catholicis ignominiosum. At Westonus pro animi sui robore lætus, quòd biennium saltèm Apostolici laboris liberum habuisset, pergebat in carcerem; eo maximè gaudens, quòd extra ædes captus nulli suorum hospitum creabat periculum, ut sui causâ in mortem aut vincula traherentur, quod unicè semper à DEO flagitabat.

Carceri mancipatus, post triduum nocte intempestâ miratur campanas Londini omnes in sonos agi solennes & festos: cujus causam sciscitatus à suo custode, intellexit hos publicæ lætitiæ sonos edi, ob deprehensam à Regni Consiliarijs Papistarum conjurationem formidandam in Regnum & Reginæ caput, ad substituendam illi Mariam Stuartam è carcere liberandam, revocandum ad Catholicos Regnum, statuendum in sede Londinensis Episcopatûs Edmundum Westonum Jesuitam: nominavítque Patri ex conjuratis aliquot ipsi notos juvenes nobiles. Ex quibus facilè conjecit Pater, hanc unam esse ex fabulis, ministrorum fraude confingi solitis, ad Catholicorum invidiam, odia & damna, maximè cum in stropham hanc induceretur ipse velut personam agens præcipuam, partésque Episcopi Londinensis. Nec quidquam artium omisit Walsingamus, ut conspirationis istius reum perageret Westonum; hinc cùm per eos dies, 13. Nobiles viros cum Antonio Babingtono cepisset, quos scelestissimâ priùs arte per duos emissarios itidem Nobiles, Catholicam fidem mentientes, in conspirationem ad eripiendam carcere Mariam Stuartam induxerat, nullis tamen equulei tormentis, conjurationem ultrò fatentibus, extorquere ab ijs potuit, Westonum in aliquam ejus partem conscium venisse, etiã dum extremo perduellium supplicio damnatis, vivis evellerentur vitalia, & quadrifariam scinderentur. Neque ullus per illum & sequentem annum capiebatur, aut torquebatur, aut morti addicebatur Catholicus, quin à sagacibus illis versandorum reorum & implicandorum magistris, varijs quæstionibus de Westono urgeretur, ut suspicionis saltèm umbra in illum deflecti posset. Sed cùm nè syllabam quidem contra viri innocentiam expiscarentur, adijt tandem illum ex præcipuis unus Capitalium ministris, & de Babingtoni machinationibus obiter mentione factâ, ut imprudenti per discursum aliquid excideret, ser-

ſermonem detorſit ad Eccleſiæ contra dœmonem exorciſmos, eorúmque vim miram, quam in Weſtono ſtupebant etiam Proteſtantes, cui ſingulare ad ſpiritus impios de corporibus obſeſſis pellendos imperium DEUS conceſſerat. Et circumferebatur certa fama, magnâ vi ab ipſo dœmonem adactum ut ex arreptitio migraret, poſt eluſa diu juſſa, diſceſſurum ſe denique, ſed hâc lege dixiſſe, ſi liceret in Reginam Eliſabetham tranſire: quod cùm maximè negaret Pater: *quin ab ea te*, dicens, *maximè & vehementiſſimè arceo, cui potiùs felicia omnia & opto & à* DEO *precor*: *ergo*, infert immundus ſpiritus, *ſi per te licèt, corpus tuum intrabo. Si per* DEUM *licet*, repoſuit Pater, *ipsèque id jubet, me etiam volente veni.* Sed enim dœmon: *haud ſum ità ſtolidè furioſus*, ſubjicit, *nihilo ſiquidem apud te futurus ſim melius, quam in vaſe luſtrali aquâ pleno*: quo dicto mox ab energumeno diſceſſit.

His & ſimilibus quæſitis cùm nihil penitus in rem ſuam è Weſtono Juſtitiarius ille eliceret; paucis pòſt diebus evocatur Pater trans Tameſim in domum honeſtam, ubi à cauſarum cognitore in plurium conſeſſu locum digniorem capere, capite operto juſſus, interrogatur, quid de Primatu Reginæ in Eccleſiam Anglicanam ſentiret? quid de poteſtate Pontificis in illam? de Babingtono? de Mariæ Stuartæ captivitate quid? & hæc quidem obiter ferè, aliud enim ſpectabant rogata, nempe ut Weſtono excuterent aliquid, quo virum nobilem eúmque locupletiſſimum bonorum omnium jacturâ damnarent. Sed enim cautior ille in reſponſis, quàm acuti forenſes in quæſitis, nihil ſibi quod inſonti officere poſſet Nobili excidere paſſus eſt: itáq; in ſuum carcerem, & ſexto poſt menſe in eũ, quem Clinkum nominant, traductus eſt: de quo ſæpius inquirens Regina, cùm criminis nihil in eo deprehenſum dici poſſet, fateri demum audita eſt: *Jeſuitam Weſtonum probatæ perſpectæq; innocentiæ virum eſſe.* Sed ſatis ad conficiendum crimen, ergaſtulo perpetuo piandum, erat Jeſuitæ nomen, unde rogati à Nobilibus Catholicis, quibus parentis loco Weſtonus habebatur, primarij ex Aulicis, ut ſuâ apud Reginam interceſſione innocenti faverent, nullus in ijs repertus eſt qui aleam tentaret: & unus ex ijs reſpondit: *ſi de latrone, homicida, ſicario, pirata res eſſet, auderem, ſpe aliquâ conficiendæ rei*: *Jeſuitæ nomen, etiam innocentis, atrocius aliquid apud Reginam ſonat, nec auſim in ejus auribus id nomen efferre.* Nec erat inanis hic metus, tantum ſiquidem Eliſabethæ erat nominis hujus odium; ut cùm Legatus Chriſtianiſſimi Regis ſummo ſtudio ageret apud Turcarum Imperatorem, nè Jeſuitas Conſtantinopoli ejiceret, vel ſuis apud Chriſtianos miniſterijs arceret; Eliſabetha è contra per ſuum Miniſtrum omnibus apud illum Principem officijs in oppoſitum ardenter inſtitit: Quid ergo ab illa domi ſuæ fuit expectandum, quæ tam procul, & domi alienæ, tam infenſum in nos gerebat animum? Annum integrum & ampliùs in Clinko egit Weſtonus, ſuperiore carceris parte cum Nicolao Smitheo Sacerdote incluſus, cujus diem nullum ſibi fluxiſſe deinde aſſeruit, quem vitæ poſtremum non crederet, vel ſententiæ capitalis in Weſtminſterienſi Tribunali audiendæ. Paſſim enim & palàm ferebatur, ſic illi decretum à Conſiliarijs patibulum eſſe, ut conceptam mortis ſententiam ad ejus examen & cognitionem cauſæ ſecum ferrent: cujus etſi prætextum nullum haberent, accituros tamen facilè credebant, poſtulando diſtinctam explicationem & ſenſum diplomatis, quod Pius V. in Eliſabetham contorſerat, excommunicationis & privationis Regni; non acquieturi diſtinctionibus & exceptionibus ad certas conditiones arbitrarijs, ſed diſertum de eo judicium & ſententiam extorturi. Sed technas illorum omnes Vir ſapiens ità eluſit, ut nè pilum quidem, unde læſæ Majeſtatis reus teneretur, deprehendere omni conniſu valuerint.

Interim Catholica Nobilitas largâ multorum contributione certabat de Patre redimendo: quod ubi ipſi innotuit, ſcripſit ad illos vehementer dolens; partim, quod contra rem ſuam & ſpem fundendi pro Chriſto ſangvinis venirent, increpitans; partim, ut deſinerent, infimis precibus rogans. Inter hos conatus redimendi è carcere Weſtoni, inviſit eum mutato in vulgarem habitu Princeps fœmina Comes Arondelli, quam pijs monitis ad Chriſtianam patientiam, à conſilio præſertim ſui è captivitate pretio redimendi avertit. Neque interim varia illi è cœlo deerant ſolatia, quorum pars non minima extitit trium ex Carcerarij ipſius familia ad fidem converſio, & ſacrificij continua diu celebratio, cujus ſupellectilem & materiam mirâ arte Catholici ſuppeditabant. Acceſſit converſiò nautæ eodem carcere incluſi, quòd furibus operam elocâſſet ad exportandas occultè merces ſubreptas. Petijt hic à Weſtono pecuniæ ſubſidia, quâ libertatem redempturum ſperabat: *dabo*, inquit, Weſtonus, *at tu libertatem non impetrabis; provide itaque animæ tuæ, eámque*

in tuto

in tuto colloca : ſimúlque quid eſſet agendum docuit, & Catholicum fecit. Paulò pòſt damnatus capitis, quæſitus ad cœnam Calviniſticam cum ceteris facinoroſis ante mortem ſumendam, profeſſus ſe Catholicum, recuſavit : & licèt vita cum libertate offerretur ad Calvinum revertenti, perſtitit in fide conſtans, & vitam præſentem certâ ſpe gloriæ ſempiternæ commutavit. Erat inter captivos Catholicos inferiori carcere attentos alius, olim hæreticus, hic arte ſibi notâ recludendi ſeras piè uſus, in ipſa Chriſti natalis nocte omnes ſui carceris ſocios tranſtulit in ſuperiorem Weſtoni cuſtodiam, ubi multis cum lacrymis, & alacritate ſanctâ terno ſacrificio adfuêre, omnes à Patre expiati & cœleſti Epulo paſti, & ante lucem omnes eâdem ſui artificis operâ ſuo carceri redditi. Poſt menſium aliquot mortis aut vitæ moras ambiguas, vocatur improviſus denuo ad examen, in quo bene longa ſeries forenſium capitalium conſederat. Ante omnia jubetur tactis Calvini Biblijs juratus ſpondere, ſe clarè atque ſincerè ad interrogata reſponſurum : ſed negavit ſe ad hæretica Evangelia juraturum ; & nè quidem, ſi Catholica forent, hominibus laicis & hæreticis id facturum, nè illorum tribunali tanquam legitimo auctoritatem jurando ſanciviſſe videretur. Reſponſurum tamen ſincerè & clarè ad omnia, quibus integra conſcientia permitteret ; ſi autem Religioni & Catholicis eſſent obfutura, nè verbum exprimi à ſe, paſſurum. Quare omiſsâ juramenti cautione venitur ad interrogatoria, quibus illum tam multis, tam perplexis, longinquis, captioſis, mutatis vicibus laceſſivêre ſeorſim ſinguli, ut horas 4. ſolidas quærendo tenuerint, nunquam eo vel ad ungvem deflectente à reſponſionibus ſinceris & perſpicuis, ſi fas eſſet, aliàs religioſo ſilentio infanda premente. Inter reliqua quæſitum fuit : *quas eſſet partes ſecuturus, Hiſpano exercitu Angliam premente?* reſpondit : *neutras, cùm obſervaretur in carcere tam bellè, ut paſſus quatuor prodire, ſui non eſſet arbitrij.* Sed urgentibus, *quid facturus eſſet, ſi juris ſui foret?* repoſuit, *ſi bello ſacro claſſicum caneretur, cujuſmodi plurima in Turcas geſsêre Chriſtiani, ſequerer labarum Chriſti : de bellis ceteris abeſt à me tam procul ut cogitem, quàm à Sacerdote ut velit tranſire in militem.* Replicat alius callidiùs : *ponamus arma quæ minatur Hiſpanus, Religionis titulo moveri, quæ ſi tu ſequi nolles, quid conſilij daturus eſſes petenti, quibus accedere debeat?* cui, nihil cunctatus, *de me*, inquit, *hoc certum habetote, nunquam tunc fore me cuiquam auctorem conſilij, ex quo poſſit Eccleſiæ Catholicæ detrimentum ſequi.* Nec adduci præterea valuit, ut explicatius aliquid captioſis adderet. Remiſſus indè ſuum in carcerem expectatiſſimus venit Catholicis, quos carcer claudebat inferior, ſcripto enim dari ſibi ab eo reſponſa rogârunt, ad idem tribunal examinandis uſui futura.

Pendente in hunc modum Weſtoni causâ, en illi repentè adeſt Vir nobilis, qui è carcere illum in cubiculum inducit, ubi expectabatur à Proteſtante Miniſtello, ſcientiæ inter ſuos nomine inſigni, & *hunc*, inquit, *ad te Weſtone Theologe, Theologum pariter adduco, ut de capitibus fidei docentem placidè audias*; cui Weſtonus, *ego*, inquit, *ut diſcam hâc ætate quid à me credi oporteat, egeo nemine. Ergo*, infert nobilis, *inter vos ſaltèm de ijs ſolidè conferte. Cui bono*, ſubinfert Pater, *ſoli id agamus in ſecreto? ſi enim meâ causâ id fit, tempus & opera luditur : ſi ad luculentiorem veritatis perſpicacitatem, cur non palàm in publico hominum conventu?* Sed excuſatione rejectâ, Nobilis obductis ſerâ foribus, in quartam pòſt horam rediturus, utrumque concluſit. Erat miniſter hæreticus, affabilis moderatíque ingenij, cui proinde ſua modeſtè proponenti ſolutiones ſimiliter, procul contentione, claras Weſtonus ſubdebat & ſolidas, ignorans adeſſe latentes qui audirent. Inter alia tam validis Pater argumentis probavit, interpretationem S. Scripturæ non eſſe cujuslibet ſpiritui privato promittendam, ut miniſtrum plenè convictum habuerit ſecum penitus conſentientem. In Confeſſionis Sacramento, & alijs quibuſdam, multa quoque concedebat, aliqua non item : ſic ut regreſſus tandem Nobilis, illum reperiret nec ſatìs Catholicum, nec integrè ampliùs Calviniſtam. Poſt triduum adeſt Weſtono quidam amicus viſendi causâ, & poſt quædam optatum diſputationis exitum gratulatur : animadvertens autem peregrina ſe Patri dicere, narrare orſus eſt: Sacerdotes duos, quos metus tormentorum & Prædicantium fraudes in tranſverſum egerant, latuiſſe in contiguo diſputationibus conclavi, viſámque illis tam clarè & invictè ſoliditatem Catholici dogmatis à Patre exponi, ut parum abeſſet identidem, quin reſumptâ Chriſtianâ generoſitate latebras rumperent ad objurgandam miniſtri cœcitatem. Indè verò manſiſſe expeditos ad veritatem Fidei, quàm antè ejurârant, per mille ſupplicia & mortes, maximo Catholicorum omnium hinc ſolatio propugnandam. Et certè eorum alter non diu pòſt, datâ pro Chriſto vitâ, inconſtantiæ notam,

notam, quam vacillando contraxerat, ſangvine eluit. Londini alter conſcenſo pulpito, quod ad crucem extat cœmiterij S. Pauli, coram multitudine, omnia alia expectante, palinodiam altè canens, execratus eſt Calvini errores, ſtatímque propterea furente in eum populo raptatus in carcerem, & compedibus oneratus. Sed in vinculis denuo relapſus in hæreſim, & liber dimiſſus: iterum reſipiſcens, à miſerantibus hominis inconſtantiam Catholicis in Belgium tranſmiſſus eſt, ubi diem orthodoxus & pœnitens clauſit.

Ubi ergo actum ſe cum Weſtono agere experti ſunt Conſiliarij, quem eâ ſolâ causâ in vivis ſervabant, nè morte illius majorem in modum proritarentur Catholici illius amantiſſimi; quos, propinquante jam Hiſpanorum contra Angliam claſſe, nolebant exulceratos; Wisbicum, deſertum in finibus Regni Caſtellum, cum pluribus Sacerdotibus illum relegârunt, extra omnes homines illic ſepeliendum. Diſceſſuro dantur tres dies ad captandum oſtiatim, laici habitu, ex amicorum pietate viaticum, cum adjuncto ſibi ad latus milite: ſed hic mercedem pactus, liberè ſolum quò vellet excurrere permiſit, ut ſuo ſe duntaxat ante noctem carceri referret. Nec fidem hæretici militis ſanctitas Viri fefellit, utentis eâ libertate magno multorum bono, firmandis in Religione Catholicis, & lapſis ad eam revocandis, Nobili præſertim Catholico ad fiduciam ſalutis. Jacebat deſperabundus in extremis, ſéque dæmonibus, quibus refertum videbat cubiculum, datum in prædam vociferabatur. Sudavit plurimùm apud eum Weſtonus, confideret duntaxat DEO, & veniam rogaret, dare ſeipſum pro illo vadem veniæ obtinendæ. Cùm nîl proficeret, ſvaviter tandem ex illo quærit de culpis anteactæ vitæ, & informat pedetentim veri doloris ſenſu, quô idonea cõfeſſionis ſacræ fierent materia: quam ùt ſeriò inchoavit, vidit impuros qui lectum arctabant ſpiritus paulatim abſcedere, ac tantò longiùs, quantò in confeſſione pergebat ulteriùs, quoad tandem omnes conclavi excluſi reſpectabant ſubinde ex foribus, eíque iratis vultibus terrorem & minas ciebant. Abſolutus demum à peccatis, vitâ pariter ſolutus eſt paulò pôſt, mirâ ſalutis fiduciâ, ſacro inſuper viatico à Weſtono munitus. A quo paulò quàm ſpiritum efflaret rogatus, unde illi tam deſperabundæ cogitationes, Catholico, & multos annos pro fide moleſtias carceris perferenti? Pœna, reſpondit, meo ſceleri apta, qui pergebam miſer in carcere accumulare offenſas in DEUM perpetuas, nunquam tamen illas Sacerdoti niſì mutilas & ex parte pandebam.

Conſtituto profectioni die cum Sacerdotibus 11. præſidio militari Wisbicum deducitur Weſtonus, & Gubernatori committitur; à quo, die poſtero ad augendam ignominiam, ſolennibus nundinis in caſtellum deducuntur, ſua quique in ærumnoſa ergaſtula detrudendi, additi veteribus ejus de Societate incolis, Patri Thomæ Mettamo, qui glorioſâ ibidem morte obijt Anno 1592. Thomæ Pondo, & Roberto Bicklego, etiam tum Novitio. Eſt Wisbicum in Cantabrigiæ loco inſalubri, reſtagnationibus aquarum obnoxio, Caſtrum quondam Epiſcoporum, nunc ſemirutorum conclavium reliquiæ veteres, muro forìs & foſsâ ad cuſtodiam præcinctæ. Has ante Weſtonum Viri magni carcere ſuo, virtutibus, & morte pretioſâ conſecrârunt, Thomas Watſonus Lincolmenſis Epiſcopus, Joannes Fecknamus Abbas Weſtminſterienſis, Wodius Reginæ Mariæ Confeſſarius, pluréſque alij. Incolebant triſtia rudera 35. ùt plurimum, clauſi omnes tam arctè primis ſex annis, ut egrederentur nunquam niſì omnes ſimul ad eandem menſam: Grajus curator carceris, Puritanus, homo ferus, & ab Catholica Fide tam pertinacibus odijs averſus, ut profiteretur demens, ſi ſibi conſtaret DEI gratiam & ſalutem niſì Papiſtis nemini concedi, ſibi fore optatiùs damnatum mori, quàm Papiſtam æternùm ſalvari. Cujus impijſſimi voti compos, vitam peſſimam morte clauſit, quâ ſuos etiam Puritanos conſternavit, & filiæ Urſulæ in Fide Catholica ad mortem uſque ſanctè durandi calcar addidit. Captivos affari, vel adire clauſos fas erat nemini, niſì miniſtellis acturis de Religione, & quibuſdam piorum ſtipem, quâ ſuſtentabantur, ad eos ferentibus. Cuſtodia militum duplex, pars intus ſtatione perpetuâ obſervabat, pars totam noctem foris Caſtro circumibat: Præfecti ſubinde ergaſtula introgreſſi perſcrutatione improvisâ omnes angulos rimabantur, nunquam tamen ità felices, ut deprehenderent latebras, quibus Divina ad ſacrificandum ſupellex condebatur, quod erat unicæ afflictis conſolationi. Exactô ſexenniô exorârunt à Præfectis, ut loci anguſtijs ſoluti, cuſtodiâ liberâ fruerentur, intra Caſtri duntaxat ambitum concluſi; viſerentur amicè per diem à Catholicis quibuſvis, colloquerentur liberè, talarem induti Clericalem incederent, ſuáque, quod erat maximum, Sacerdotum obirent officia. Igitur auctor reliquis fuit Weſtonus, ut li-

ut libertatem illam in Religiosi cujusdam Cœnobij disciplinam formámque redigerent, agebanrúrque omnia ad signum campani domestici, horaria manè oratio, examina conscientiæ, sacra lectio, statæ prælectioni de Theologia morali, de Scriptura sacra, de lingvis Græca & Hebræa (quæ omnia unus explicabat Westonus) Concionum quoque exercitationi horæ: quæcunque autem piorum largitas ministrabat, omnia servabantur in commune. His longè famâ celebratis, prodigio erat Angliæ universæ Wisbici carcer, illuc ex Academijs ventitabant Doctores curioso juvenum comitatu, disputaturi de Fidei capitibus, illuc è toto Regno Catholici accurrebant, partim ad celebrandos augustiore formâ dies festos, partim extricaturi gravissimos conscientiæ nodos, quorum solutiones indè ab omnibus Provincijs petebantur, & responsa scripturis Proreſtanrium reddenda.

At ecce ram sanctus & nobilis carcer paucorum intestinâ discordiâ repentè in contraria omnia pessundatus est! duo vitæ solutioris Sacerdotes cum Medico, tricipiri suâ factione abduxêre post se alios tredecim è triginta duobus, quos diu carcer ille omni probitate instiruerat, & secessione à reliquis factâ, omni convitiorum & injuriarum genere Westonum cum suis (qui illum Directoris appellatione veluti in Superiorem unanimiter, multùm licet restitantem elegerant) impetebant, atrocibus in eum calumnijs per famosos libellos quaquaversum, Romam usque ad Generalem Societatis summúmque Pontificem sparsis: quorum scelus & actiones infandas DEUS eventibus diversis horrendùm ulrus est. Quatuor nihilominus ex eis insuperabili Westo i parientiæ argumento retracti à consortio improborum, ad illum redière: ex novem residuis cùm duo aufugissent, unus eorum miserè contabuit; alius à Fide apostata Londinensis Episcopi emissarius factus est; alius sacrilegè impudens, etiam Prædicantis munus inter Protestantes obijt; Medicus repentè mutus, pòst etiam mente captus, subitaneò tandem apoplexiæ tactu impœnitens decessir: omnes post vitam solutiorem morte formidabili extincti. Quem autem inter hæc Westonus se exhibuerit, testati ad Generalem & Pontificem concordibus literis sunr omnes reliqui carceris incolæ; implacabilem scilicer insuper fuisse odio sui corporis, & cruciamentis ejus spontaneis, cùm in alios esset melleus & affabilis, patientiam in hostes servâsse tam imperrurbatam, ut contumelias inter & injurias nihil ei exciderit iratum, æquabilitate animi & vultûs colore eodem semper rerento. Somni erat paucarum horarum, ac ferè in tabulis storeâ instratis; noctis reliquum ibat in preces: conciones illius omnes excipiebat magnus lacrymarum in auditoribus imber: ægroti verò noctes rotas apud se pervigilem habebant. Consulebatur idem veluti oraculum in cunctis ad scientiam & pietatem pertinentibus, quibus omnibus pandebat brachia & pectus, dabat consilia in casus lubricos & periculosos calamirosæ illius Christianitatis; tum oretenus, tum epistolis prolixis solabatur Catholicos, lapsos excirabat, tenerirer cum ijs flens & dolens eorum vulneribus medebatur.

Hæc tanta ejus ab omnibus celebratio, causa fuit septem residuis è Wisbicensibus factiosis, ut Romæ contra Westonum non auditi, Londinum supremo & inaudiro scelere adhuc in facie Carholici verrerentur, & Westonum accusarent perduellionis in caput Reginæ, cum suis Sacerdotibus reum. Adest idcirco repentè Londino mandatum ad Wisbici Præfectum, Westonum cum tribus, quos de nominè vocabant, Sacerdotibus, & Thoma Pondo Londinum transportet; cum quibus omnem pariter discessisse consvetudinem precandi, & piarum rerum familiarem usum, testati sunr qui remanserunt Sacerdotes. Illuc in militum custodia ingressi, duas horas inter soluriſſimi popelli scommata & jocos, quibus maximè Westonus in Societatis habitu petebatur, traducti sunr; & decreto consilij, suo quisque seorsim carceri in turri Londinensi inclusi. Westonum excepit ram horrenda, præter alias sui specûs ærumnas graveolentia, ut (quod ipsemet scribit) præfocaretur illius mephiti, sentirétque fore naturæ procliviùs semel mori, quàm diem unum in tanris durare miserijs; siquidem addir, eorum quoscunque in vita passus est dolorum & morborum gravitarem, diei unius & noctis ærumnas non æquâsse, quas tamen quadriennium in eo carcere exegisset. Nam neq; somnus illic capi porerat, nisi confectum vigiliâ & viribus corpus humi prostratum concidisset: undè dicebat, somni sui per dies & noctes ſo.capti, minutiæ si colligerentur, non confecturas spatium decem noctium: ut proinde fatererur singulari planè DEI beneficentiâ caput sibi constirisse, nè in deliria solveretur Lucis continuo defectu, quod aditu, foramine balistario non majore, ingrediebatur, propè oculos amisit; ad id tempus omne, quod à prolixis multarum horarum meditationibus superfluebat, applicitus, sacras per-

perpetuò legebat relegebátq; paginas, ut tandem totas memoriâ complexus fuerit. Evolutô istic bienniô custodem accepit mitiorem, qui ascensum ei pandebat in solarium ergastulo imminens, ad captandam liberiorem auram: sed beneficium corrumpebat illius ibidem neglectus, dum eò inductum postquam recedens clausisset, ante quartam interdum noctis horam non redibat, cœlo interim imbribus, nive, frigore, ardoribus ingruente; nec rarò à colluvie hominum, ex editioribus in vicinia locis convitiorum grandine, probris, saxis & lapidibus in Westonum depluentibus; unde ei non dabatur aliud receptaculum, præter sui cavum ergastuli, cui denique postliminiò restituebatur. Atque hoc patientiæ quæstuosum & nobile studium decurrit Westonus ab Anno 1587. usque ad Elisabethæ mortem, & inde per aliud biennium; quanto virtutum heroicarum usu & exemplis, testatus est turris Londinensis custos Præfectus: *Papistarum, quos ipse clausos habuisset, fuisse neminem patientiâ heroicâ, & virtutibus Westono parem: & in Noctono quidem Calvinista suæ itidem curæ commisso, habuisse diabolum Protestantem; in Westono autem Jesuitam sanctum.* Wisbicensis autem carceris custos similiter hæreticus, cùm in legendo Wattsoni Apostatæ libro pervenisset ad quædam ab illo propudiosè de Westono narrata, librum à se iratus projecit, mentiri librum & ejus auctorem jurejurando vociferans, cùm ipse tot annos vitam Patris præsens observans comperîsset tam insontem & sanctum, ut fide licèt ab eo diversus, ipsum tamen apud DEUM sibi intercessorem exposceret. Sed & Wattsonus, conjurationis postea in caput Jacobi Regis Angliæ convictus, cùm fune jam ad gulam alligato staret sub furca, fassus est magnâ voce: *adversùs Westonum & PP. Societatis elucubrâsse, typisque mandâsse varios libros, omnes autem falsos, confictos, & scandalosos: ideòque veniam illorum ab ijs rogare.*

Ubi tandem Elisabetha Anno 1602. fato defuncta est, & novus Angliæ Rex Jacobus promulgatus, aperti sensim undique sunt carcerum exitus; & morte Reginæ suscitati, velut è sepulchris mortui Sacerdotes itidem omnes, eâ lege emissi sunt, ut simul Angliâ exirent, nisì mallent templa Protestantium frequentare: quæ nefaria conditio, quis credat? nonnullis tamen placuit. Serius alijs mense uno carcere missus est Westonus, Senatoribus procrastinantibus subscriptionem ejus libertatis, quæ tandem anno sequenti 1603. octiduo ante Festum Pentecostes secuta est. Ejus liberatio custodi etiam carceris accidit jucunda, qui patientiâ Viri incomparabilis conciliatus, convivam ante digressum in prandio habere voluit; & in viaticum dono regales nummos 80. dedit, amplâ ejus visendi facultate Catholicis omnibus factâ. E turri cum custodibus ad abitum egressum præstolabatur multitudo ingens, tum Protestantium, tum Catholicorum; illorum, ut viderent hominem qui annos 17. varijs sepultus carceribus, fama ubique clarebat sanctitatis; istorum, ut fausta sibi ultimùm adprecantem de genibus venerarentur, quod multis gemitibus & lacrymis utrinque peractum est, & iterum ab alijs ad maris littus in Itio Cantuariæ portu repetitum. In Belgium deportatus, primùm mox scripsit ad Personium, sic se oculis, viribus, & mente ultimo carcere exhaustum, ut non posset ultra quatuor passus progredi. Erat enim præter calamitates alias etiam contra dæmones & spectra illi pugnandum, aspectabili conflictu svadentibus ultimam desperationem & restem, cultrósque ad manum ingerentibus, quibus se ergastuli intolerandâ graveolentiâ, solitudine, frigore, cruciatibus liberaret: siquidem spatio mensium 54. hominis faciem non vidit, nisì tantùm custodis, & dæmones assimilatos in horrendas larvarum species, plagis atrociter in eum sævientes. Ex Belgio missus in Hispanias, vixit tot malis suis superstes annos 12. Vallisoleti præcipuè Seminarij Anglorum curam gerens, omnibus nostris & externis mirè carus, & in ea veneratione, ut ei passim adgenicularentur Viri etiam illustres, poscentes ab eo benedici. Anno demum ætatis 75. Societatis 50. mortis nuncium excepit canens: *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus:* ivítque planè, ùt æquum est sperare 9. Aprilis 1615.

Ex Historia Societatis, & Anglia Bartoli & Mori.





P. Sebaſtianus Barradius Soc: Ieſu, Luſitanus, à concionibus et libris Orbi notiſsim9; ingentes animarum fruct9, ardenti zelo, et Inferni tormentorum, quem in raptu vidit, comminatione retulit. extinctus Conimbricæ 14 Aprilis 1615. Æt: 73. 94.

P. SEBASTIANUS de BARRADAS.



Ater Sebaſtianus Barradius, perfectum virtutis & ſapientiæ Chriſtianæ ſidus, magnum Patriæ ſuæ, licèt aliunde inter urbes illuſtriſſimæ, lumen attulit, parentibus avitâ nobilitate claris progenitus Olyſſippone in Luſitania, anno 1542. de quo cum veritate uſurpaveris id, quod de S. Gregorio Nazianzeno fratre ſuo aſſeruit S. Baſilius: *familiam & genus ſuum traxiſſe à DEO, virtutem computâſſe pro Patria, in qua natus, ejuſdémque in ſinu & gremio educatus ſit*. Sæcularis adhuc, ea in oculis civium virtutum præbuit ſpecimina, ut Religionem Societatis JESU complexus, diceretur domum ſolam & veſtitum, non vivendi normam mutare. Emicabat primis ſtatim annis in puero ſingularis ingenij & indolis vivacitas: ob quã adhibitus aliquando inter reliquos Scholares ad ſalutandos theatrali dramate Luſitaniæ Reges, agendi dicendíque gratiâ ità præ omnibus placuit, ut Catharina Regina Joannis III. Conjunx, puerum indice evocatum ſingulariter Patribus adſtantibus commendârit: *habete*, inquiens, *ſpecialem hujus pueri curam, & præ alijs majore diligentiâ educate, evadet enim in Virum magnum, & hominem excellentem.* Receptus eſt in Societatem anno ætatis 16. ſæculi 1558. juſſus ab ipſa DEI Matre diſtinctâ voce illius Inſtitutum complecti, cùm ante illius prodigioſam iconem, *de Scala* dictam,

dictam, in Ecclesia S. Dominici precaretur: ex quo beneficio filialem in eam affectum, & conceptam fiduciam, totâ vitâ retinuit, ùt colligere est è libris ab eo editis, præcipuè tomo 1. de Concordia Evangelica. De eadem pro concione loquens, seipsum superare videbatur, ità efficaciter ejus amorem & patrocinium commendabat, tantâ varietate dotes & prærogativas explanabat; ut non homo, sed Angelus loqui videretur. Plantatus in Religionis horto tam nobilis flos, odorem illico virtutum latissimè sparsit, solo intuitu omnes post se in amorem sanctitatis excitatos trahens: unde brevì famâ ipsius per Regnum universum diffusâ, veniebant à locis etiam remotis ejus videndi, & si fieri posset, vestem duntaxat attingendi causâ; reponebántq; in magno beneficio, si quid de segmentis illius vestium, capillísve attonsis referrent. Quoties prodibat in publicum, vix progrediendi locus dabatur, ob multitudinem accurrentium, & certatim vestem exosculantium, útq; bene sibi precaretur flagitantium: quare vix aliud gravius Viro humillimè de se sentienti accidere tormentum poterat, quàm dum exeundum domo esset; fuítque idem, animarũ alioquin vix per Missiones Apostolicas DEO quærendarum sitientissimo, præcipuo ad residendum inter domesticos parietes argumento, ubi Superiorum voluntate manum scribendis libris applicare coactus est. Professus est initio Sacerdotij Philosophiam & S. Scripturam Conimbricæ & Eboræ, cujus penetrandis mysterijs cùm animo toto incumberet, sic ut nihil præterea agere videretur; contigit illum ab Janitore vocari ad januam, nescio quo ejus alloquium flagitante: cui Pater: *vide sis ne erres, novennium siquidem elapsum est, ex quo nunquam ad januam accersiri me contigit.* Ut minimè mirum videri debeat, evasisse illum tanto sacrarum literarum studio potentem adeò in sermone, & efficacem in librorum elucubratione.

Ex ingenti, quo animarum salutem deflagrabat, zelo, cupiebat vitam omnem in expeditionibus Apostolicis, diversa loca peragrando, ubique pauperes evangelizando, & modis omnibus juvando, traducere: obivítque complures Missiones per diversas Lusitaniæ partes, magno paganorum profectu, pedestri plerumque itinere, ostiatim corrogato pane vitam sustinens; Apostoli nomine passim per regnum (tanta in actionibus & gestis viri promicabat sanctitas!) appellatus, cœlo ipso gloriosum agnomen prodigiosis conversionibus comprobante. Agebat loco quodam homo multis sceleribus contaminatus, ad quem repentè vox è cœlo allapsa commonuit: *tali die venturus est ille Apostolus, cui si peccata confessus fueris, ab omni sorde mundaberis.* Id ille domesticis palàm cùm retulisset, magnâ expectatione eventum prædictionis præstolabatur: & ecce statuto die Pater adfuit, magno ipsius bono, & incolarum omnium solatio. Neque omittebat DEUS gravissimas ab obstinatis, & consilia Patris amplecti respuentibus, sumere pœnas: è quibus nonnemo sæpiùs à Patre commonitus, ut per seriam pœnitentiam mores in meliorem vitam commutaret, quia pertinaciter resistebat; Pater demum altiore instinctu erumpens: *quando,* inquit, *obsequi monitis meis recusas, scito brevì venturum tempus, in quo frustra id à te omissum summopere dolebis.* Et pauculi dies lapsi fuêre, cùm miserabili casu, & ruinâ totius suæ domûs oppressus interijt. Mitiùs aliàs, quia ad salubrem emendationem, desævijt cœlum in pervicacem mulierculam, quæ nullis hortatibus servi DEI induci poterat ad ignoscendum inimicis, & frequentandam, quàm Pater sedulò explicabat, Christianam doctrinam: cui subitò ferventiùs id vice quadam inculcanti dum in faciem resistit, lapsum repentè cœlo fulmen mulierem tanto timore concussit, ut jam meliora spondens totam se potestati Patris permiserit. Nequivêre tamen Missiones in patrio solo vastum ejus animum explere, quòd diceret has condimentis ærumnarum, periculorum, & adversitatum destitui, quibus arduæ illæ inter gentiles & barbaros abundarent: ideóque maximis ambiebat desiderijs Indiam vel Japoniam, quarum Operarios plurimi faciebat, & identidem de his sermonem cum domesticis ingerens, magno fervore & copiosis argumentis de eorum felicitate disserebat: *Quæ nugæ, aut quæ compedes,* exclamabat, *nos detinent, quin baculo in manus sumpto curramus de populo ad populum, & annunciemus Christi Evangelium?* Cùm verò opposuisset nonnemo, utilius videri id ab ipso omitti, quòd alioqui spatium deforet tam proficuos scribendi libros: respondit alto suspirio: *omnes ego lucubrationes meas igni libens cremavero, dum concedatur more Apostolico Christum annunciare!* Neque aliud ætate & viribus fractus queri auditus est, quàm pedum sibi facultatem peragrandis Evangelio regionibus deesse: addebátque, si persvasum sibi, dum viribus adhuc & ætate florebat, fuisset, se minimè in Indiam missum iri; futurum fuisse, ut interclusô præ dolore spiritu animam exhalaret.

Gratia dicendi, muneri Ecclesiastico necessaria, admiraculum Viro inerat, spiritu fervoris superni ità animata, ut Paulum Apostolum prædicantem excipere se Auditores crederent; & ferè illius, vel Prophetæ, aut Apostoli nomine insignirent. Anno 1592. conciones habebat Conimbricæ, omnes de rebus Novissimis, vanitate rerum mundanarum, ardore cœlesti plenissimas, quibus incredibiles animorum motus, & commutationem morum excivit, & Academiam illam celeberrimam, plurimis ad Religiosorum claustra sese recipientibus, propè expoliavit. Supra 60. fuêre, qui ad solum S. Francisci Institutum simul recipi flagitabant: quorum sanctam importunitatem admiratus Monasterij Gvardianus, Rectorem Collegij conveniens ajebat, vel non esse Patrem Sebastianum ultrà ad pulpitum admittendum, aut certè Societati suscipiendam alendorum tot juvenum, Religionem suam certatim ambientium, curam; siquidem tot sustinendis domus sua par minimè foret. Et quidem plerique adolescentum erant loco nobili nati, excellentis ingenij & doctrinæ, & quidam primarum Cathedrarum candidati. Nihil verò minus in animos egit, effecítque Olyssippone, ad populum in S. Rochi templo dicens: quò seriùs ad audiendam Missam aliquando accedens juvenis notæ petulantiæ (quòd noctem illam totam hilarijs & vagationibus per urbem consumpsisset) solum concionis epilogum excepit, quo suam de vanitate mundi orationem magnâ affectuum concitatione Pater concludebat. Et suffecit id telum abundè sauciando penitus adolescentis cordi, ut ab audito Sacro extemplò ad PP. Cappucinorum Cœnobium properaret, & severo ipsorũ Instituto adscribi efflictim postularet. Cùm verò reponsum accepisset, oportere illum, si seriò recipi vellet, non sago splendidè vestitum, sed rudi ipsorum sacco indutum venire; continuò ad officinas discedens, pannum rigido habitui idoneum comparavit, quem humeris injectũ palàm per urbis medium de vanitate sæculi triumphans ad Monasterium secum detulit. Et erat omnino lingva Sebastiani sagitta potentis DEI acuta, & carbonibus vitiorum omnium desolatorijs inflammata, cujus vel unico verbo, quoties inter dicendum exclamaret: *O æternitas! æternitas!* velut profundissimo ictu transfigebantur corda, & salutari vulnere ad internecionem omnium vitiorum sagittabantur. Id autem unde vis tanta & efficacia in conciones Sebastiani derivabatur, erat Viri comperta sanctitas, & vita exemplaris, cujus unico conspectu plerique ajebant potentiùs ad DEUM sese excitari, quàm multis aliorum dictionibus. Et cùm senio & imbecillitate jam penitus fractus perorare ultrà non posset, instabant nihilominus Ulissipone apud Rectorem, ut in Capella Regia conciones habere juberet: quo impotentiam Servi DEI excusante, urgebant interpellatores, non opus esse multa ab eo verba fieri; suffecturum vel solum ipsius super exedra conspectum, ut fructus in animos auditorum dimanaret, posséque vel mutum, nullo prolato apice, denuo abhinc domum se recipere.

Porrò dicendorum materiam hauriebat ab oratione mentali, cui mirè erat deditus, videbatúrque ad literam implere consilium Christi, semper orare jubentis, neque unquam animo à præsentia Divina avelli. Postremis vitæ annis, 12. quotidie horas orando expendebat, mente & sensibus in Divinitatem ità absorptis, ut nihil eorum quæ circa se agerentur perciperet audirétve, quantumvis sonorè inclamaretur, vel etiam vellicaretur. Observavit illum aliquando è Fratribus unus in medio Sacelli, ante simulachrum Christi cruci affixi, in genua projectum, atque inter orandum magno ardore spiritûs exclamantem: *ô Domine mi JESU, unde meritus est hic peccator, ut ejus causâ in crucem actus, mori sustineres?* Sub quæ verba animadvertens Frater illum in terram prolapsum mortui instar jacere, trepidus accurrit, tentatáque arteriâ, veste à pectore divulsâ, nullum in ullo sensu, licèt corpore prostrati huc illuc versato, vitæ indicium deprehendit. Post longam moram redijt sensus Patri multum erubescenti, fuisse à Fratre observatum; quem silentio adstrictum dimisit, séque orationi prosequendæ restituit. Atque ejusmodi extaticos raptus jam inde à principio vitæ religiosæ frequenter patiebatur, præcipuè dum Sacram mensam accederet, miráque interim arcana percipiebat: cujusmodi raptus æstimabant primitus domestici ab epileptico malo, alióve morbi genere procedere, dissimulante humili Sebastiano deliquium esse amoris Divini: donec evocatus Medicorum expertissimus Thomas de Vega, à scriptis etiam de arte medica notissimus, tentatâ alienati à sensibus arteriâ mysterium aperuit, vetuítque remedia ulla adhiberi, hoc adjecto voto: *utinam ejusmodi deliquia mihi obveniant, quibus latentia in animo mala penitus decoquerentur!* spectandæ illius menti sub quadam meditatione vivacissimè fuêre oblata inferni supplicia, quorum horrore sibi restitutus, velut si ejus ignibus & ipse

ipſe ambureretur, cubiculo attonitus excurrit; præfocandum ſe fuiſſe aſſeverans, ſi longiorem in oratione moram traxiſſet. Rara & tenerrima fuit ejus in SS. Miſſæ Sacrificium devotio, cui litando præparabat animum duarum, vel etiam trium horarum meditatione, unam in ejuſdem celebratione inter uberes plerumque lacrymas inſumere ſolitus, animo non rarò in DEUM ità abſorptus, ut vellicatione eundem, tractúque caſulæ ad ſe revocari à miniſtro oportuerit. Ipſi adeò menſæ accumbens, animo in epulas cœleſtes ità immergebatur, ut neque quid ederet ſciret, neque guſtum ciborum perciperet, & ſæpè ſui oblitus in geſtus & verba prorumperet, quibus in medio orationis æſtu ad DEUM utebatur: quare Superiores decernere adacti ſunt, ut ſoli deinceps ſeorſim cibus præberetur. Canonicum Officium ſummâ pietate, & lentiſſimâ attentione dicebat: cujus omiſſionem aliquando Medico propter graviorem ægritudinem ſvadenti, ſubridens repoſuit: *non jubeor ad ſanitatem colloquia hominum ſubterfugere; nemo mihi perſvaſerit, me non poſſe pariter cum DEO familiarem tenere ſermonem.*

Ut verò ſpiritu ad cœleſtia tractanda expeditiore uteretur, corpus crudeliter planè perſequebatur, nec mitiùs quàm hoſtem facinoroſum habebat. Mediâ nocte ad orationem conſurgens, atroci priùs flagellatione in ſe deſæviebat, quam, lapſâ orationis horâ, implacabiliter reſumebat, repetebátque ferè toties, quoties ad orandum DEUM animus componendus eſſet. Ad cilicij ſenſum cùm nimio uſu penè occaluiſſet, urticis lectum copiosè inſternebat, ínque ijs membra volutabat: neque patiebatur à cimicibus, volentem aliquando Fratrem eam charitatem præſtare, cameram ſuam emundari; quòd diceret, à minutis hiſce vermiculis, ſibi vitam neutiquam erepturis, majores alios vermes depelli. Abſtinentiâ ciborum fuit admirabili, neq; ullum adhibebat condimentum, ſed quantum poſſet ſaporem corrumpebat, animo ſemper ab eorum guſtu avulſo: etſi calidius à foco ferculum obveniret, non præſtolabatur, aut procurabat ut deferveſceret; ſed ità ut erat fervidum ingerebat ori, non ſinè palati & lingvæ aduſtione. Idem faciebat ſi ultra modum frigida obvenirent, nè unquam calore adhibito emendarentur. Quòd ſi lautius ægro prandium offerre vellet Miniſter Domûs, reliquias ciborum ab alijs ſemeſas dare oportebat, has enim pauperi explendo apprimè convenire dicebat. Novi & recentis aliquid ſive in veſtitu, ſive in uſuali ſupellectili, nihil admittebat, nè amphoram quidem teſtaceam pro aquæ in lotionem uſu: quod ſi Majorum juſſu fraude aliquâ vetuſtis nova ſupponerentur, ità lacrymis & precibus inſtabat, ut eximendæ ſenis afflictioni antiqua reſtitui, vel alia è domo deterrima concedi oportuerit. Itaque incedebat veſtitu planè detrito, lacero, undique ſegmentis verſicoloribus ſarcito, ut neſcires quâ ejus parte indumentum primitus conſtaret: dicerént que qui eum videbant, neminem mendicorum æquè centonatum & pannoſum prodire. In his triumphabat ipſe, tantóque gaudio geſtiebat, ut præ teneritudine lacrymis temperare non poſſet: præſertim ubi thoracem, quòd acum & ſarturam ultra non ferret, perticæ ad uſum purgandi furni alligatum, à veſtiario recepit, quem ſemiuſtulatum exoſculatus, & gaudio illacrymans reinduit. Libros apud ſe præter Biblia & Concordantias, nullos penitus retinebat; ut ſi quis conſulendus eſſet, vice qualibet Bibliothecam adire cogeretur, idonea ſuis lucubrationibus ibidem excerpturus: quare meritò ajebat magnus ille Theologus Franciſcus Suarez, miraculo ſimile videri, potuiſſe à Sebaſtiano libros tam copiosè & eruditè conſcribi, in tanta ſupellectilis librariæ penuria, & ſtudendi incommoditate, pleróſque enim in epiſtolarum involucris, reſciſſis marginibus, & rejectitijs chartulis conſcribebat.

Hoc tenore arctiſſimæ vitæ attigerat annum ætatis 73. quando ad metam deſideriorum ſuorum appulſus, & è virium omnium defectu vicinam tabernaculi ſui depoſitionem advertens, biduo ante obitum, S. Viaticum & Unctionem extremam expetijt, recepítque admirabili devotione, quâ adſtantibus intimæ pietatis lacrymas expreſſit. Rogatus à Collegij Rectore, ut documentum aliquod ædificando Fratrum ſuorum ſpiritui relinquere ſupremum vellet, licèt tum vix articulatam pectore exprimere vocem potuiſſet, obedientiæ tamen ſatis facturus, voce gravi, qualis optimè valentis erat, dixit: *humiliamini ſub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore tribulationis; aliud melius & utilius quod ſvadeam non habeo: niſi ut imitatione DEI & Salvatoris noſtri ſimus quàm humillimi, qui per omnem vitam unicè laboravit, ut virtutem hanc nobis verbo & exemplo perſvaderet, ideóque moriens etiam caput humile inclinans, tradidit ſpiritum.* Atque hoc ipſo ſitu, acclinis ſiniſtrorſum capitis P. Sebaſtianus, imitaturus & in hoc expirantem Dominum, animam Creatori ſuo reddidit Conimbricæ 14. Aprilis, anno 1615, ipsâ horâ Dominicæ mortis à meridie

die tertiâ. Procidêre illico venerabundi ingenua, quotquot lectulo adstabant, fletu largissimo, nescias doloréne, an mortis tam sanctæ solatio, irrigati; ut corpus tot cruciatibus emaciatum venerarentur: inde ad sacra spolia versi, certatim quisque è rebus ipsius aliquid ad devotionem & pietatem privatam diripere; dum superveniens tota cum Universitatis DoctoribusNobilitas reliqua omnia abstulit,& ungves,capillos, vestium frusta, in sacras reliquias resecuit. Tantus verò die sequenti universæ Civitatis fuit concursus, coronas, imagines,ceteráque id genus,contactu corporis sacrare cupientium, ut Ecclesiæ cadaver inferri nequiverit, donec superveniens cum Clero & Nobilitate Episcopus, exitum armatâ custodiæ manu aperuit. Officio quidem divino à toto Clero & Universitate illi parentatum est, cujus tamen voces exaudiri nequivêre, tantus fuit gementis toto templo populi ploratus & suspiria! qui cùm in singula momenta novo affluxu increscerer, necesse fuit Officium abrumpi, & Missam illico decantari, ne compressione populi, violentè ad feretri contactum nitentis, aliqua cadaveri inhonora mutilatio inferretur, vel certè aliqui in tanta multitudine præfocarentur. Fuit enim omnium opinione Vir sanctus, eo agnomine semper celebratus, etiam ab illuminatissimo Doctore Francisco Suarez, non alio, quàm Sancti senis appellatione ipsum indigitante: erátque communis omnium sensus, si Sebastianum mori contigisset sæculis prioribus, quibus voce acclamantis populi Servi DEI fideles catalogo Divorum accensebantur, illico à morte sua ipsum Sanctorum syllabo inserendum fuisse.

Ex Nierembergij Tomo 3. & Bibliotheca Alegambe.

P. ANTONIUS DE CARDENAS.



Ratia non destruit naturam, sed eam perficit & exornat, inquiunt Theologi; præsertim si indolem reperiat Nobilem, & natam ad altiora, prout in Antonio viro contigit. Natus in urbe Hispaniæ Xeres, Diœcesis Hispalensis, Parentibus illustrissimæ non minùs prosapiæ, quàm pietatis, magnam suo exortu illis attulit lætitiam, cujus heroicarum virtutum veluti præsagus Pater, jam tum illum Divino obsequio destinabat, magno Familiæ suæ futurum ornamento prædicens. Miseratio in pauperes quàm verè ab infantia cum illo cresceret, declarabat omnibus luculentè, quando nihil graviùs accidere puerulo poterat, quàm si pauperem videret, cui quo succurreret ad manum non haberet: unde domestici si gratiam supremam & gustum illi præbere vellent, nummos suppeditabant aliquot,in mendicabula dispertiendos. Nactus ætatem bono à malitia discernendo capacem, totum se ad virtutis amorem transtulit, ut ne in minimo honestatis leges transgrederetur: à cujus ore nullum unquam mendacium, convitium, aut verbum Christianis moribus adversum audiri contigit: fuítque idcirco coævis Nobilibus frænum ad coërcendam petulantiam,ut ab omnibus susplceretur, & nemo in ejus conspectu auderet verbo aut facto in virtutem delinquere. Assiduus erat in adeundis Templis, & SS. Sacramentis; jam tum afflictationibus corporis per jejunia flagelláque deditus: & nè ab æqualibus ad minùs utilia colloquia, ludos,& officia frequentaretur, rarus domi manebat,in Religiosorum ferè & piorum Virorum consortio, aut locis pijs lustrandis occupatus. Et hac morum maturitate nomen apud omnes obtinuit Adolescentis sancti, in juventute senilis, prudentis, & circumspecti; qui licèt in vestibus, equis, famulitio nihil omitteret suæ Nobilitati demonstrandæ congruum, solitus & equis decurrere in circo, & hasti ludijs, gladijs certare, adesse spectator taurorum agitationi, & spectaculis honestis, ubique tamen eam præferebat moderationem & gravitatem, ut suo aspectu universos ad parem modestiam componeret, & consilia ejus jam tum à varijs expeterentur, adhiberetúrque ad lites, controversias, & odia inter Nobiles componenda. Nihil tamen eousque de ineunda Religione, aut mutando vitæ sæcularis statu cogitavit, donec placuit DEO voce apertâ eundem ad suam crucem ferendam invitare.

Adierat Hispalim cum fideli suo paris ferè nobilitatis amico adolescente, cùm die quodam Templum ingressus, sensit inter audiendum Sacrum vehementi instinctu actum impelli ad statum Religiosum, simúlque vocem distinctè audivit Domini invitantis: *sequere me.* Perculsus vocatione adeò inseparatâ & repentinâ, cùm tota simul difficultas deserendi sæculi, & complectendæ Religionis menti se ingereret, vehementer turbari cœpit, ut in colore vultûs mutato id legeret sodalis,



P Antonius de Cardenas Soc: Iesu, Illustrissimo sanguine satus in Hispania; in Societate humilita-le, pauperum curâ, rudium praecipuè et Ægrorum procuratione indefessus Operarius excelluit. Obijt Xeresij Anno 1615 die 22 Aprilis

95.

dalis,& magnum aliquod animo agitare suspicaretur, licèt id aperire Antonius nollet. Igitur doctum & prudentem Confessarium inquirens, quid sibi accidisset exposuit: jussus ab eo negotium majore studio DEO commendare, & lumen distinctius exorare ad cognoscendum,quæ potissimùm ex tot Religionibus deligenda foret. Hæc inter contigit die quodam sub vesperum Antonium cum suo sodali per urbem inambulantem repentinâ pluviâ obrui;cui vitandæ in proximam domum quæsito receptu, in eam incidit, quàm Sacerdos magnæ sanctitatis, ex disciplina Joannis de Avila, incolebat, nomine Mata. In hujus atrio dum consistunt & fabulantur,progressus è suo conclavi Sacerdos, ubi aliquamdiu elegantiam utriusque, & splendidum ornatum contemplatus esset, paucula hæc subjecit: *si interior homo pari cultu in vobis resplendet, atque exterior; næ vos in oculis Domini gratiosi estis!* & his dictis extemplò secretum suum repetijt. At illi altissimo icti vulnere,nullo inter se ampliùs collato verbo, domum quisque suam contendêre, noctéque insomni inter atroces spiritûs luctas traductâ, eodem animo, licèt neuter de altero sciret, domum Sacerdotis repetiêre: ad quos ille egressus, cùm neutrum unquam antea vidisset, novisśetve: *Domine Antoni Cardenas,*ait, *Dominus noster vult, ut ejus famulatum in Societatis JESU Religione subeatis: vos verò,* alterum compellans, *vocat DEUS ad Ordinem S. Augustini;* neque ultra verbum prolocutus, utrumque deseruit. Atque hoc sancti Viri oraculum in animas Juvenum Divino amore sagittatorũ tantùm potuit; ut eâdem horâ ab invi-

invicem ſejuncti rem quiſque ſuam agerent. Et Antonius quidem maturo conſilio cum Patribus Societatis habito, in ejuſdem gremium paucis diebus eſt receptus. In Tyrocinio Montillæ vitam Religioſam auſpicatus, tot tantíſque è cœlo inundabatur ſolatijs, ut ijs ferendis vix par eſſet, neque ſufficeret agendis DEO pro vocatione tam ſancta gratijs. Neque tamen otioſos paſſus eſt abire ſublimes hos DEI favores, ſed irremiſſo virtutum exercitio penſare ſtudebat, erátque primus in culinæ viliſſimis munijs, eluendis ollis & patinis, & deterrimis eorum, quæ domi eſſent, pro ſuo uſu captandis.

Conſvetis orandi temporibus, aliquot die noctúque horas, cum ſcitu Superiorum, idq; ferè coram SS. Sacramento addebat, quod illi deinde per omnem vitam ſolenne fuit: à ſacra verò Evchariſtiæ Menſa vultu adeò incenſo, quaſi extra ſe raptus apparebat, ut facilè colligeretur, quantis amoris Divini flammis conflagraret. Sacerdotio autem initiatus, quoties Sacrificium offerret, toties in ſvaviſſimas diffluens lacrymas, amictum, corporale, mappáſque inundabat, ut hæc plerúmque ab ejus Sacro permutari alijs oportuerit. Quidquid verò xeniorum & munerum (quæ non pauca nec vilia erant) miſſitarent parentes & amici, nihil unquam attingebat, ad Superiorum diſpoſitionem omnia, in uſum ferè infirmorum, remittens. Victus ejus continuum fuit jejunium, quem condiebat acris quotidie flagellatio, & cilicium vix unquam à corpore dimotum: quibus rebus magnum domeſticis de ſe creabat ſtuporem; ijs præſertim, quibus conſtabat, nunquam illum peccato mortali primam gratiam amiſiſſe. Nihil moleſtiùs accidebat, quàm ſi mentionem ſuorum natalium moveri, vel eorum intuitu eximium ſe à vilioribus munijs fieri videret: dicebat enim ſe non aliò vocatum ad Societatem, quàm ut in abjectiſſimis exerceretur, & viliſſima in domo DEI obiret: quemadmodum reipſa per totam vitam, devitatis ſpecioſis, ſibi vendicare conabatur. Licet enim & Philoſophiæ docendæ, & gubernando Valliſoleti Collegio poſtmodum admoveretur, ſolenne tamen ſuum tradendæ per urbis compita rudibus catecheſeos nunquam intermiſit: idémque frequens erat in viſitandis xenodochijs, ergaſtulis, & remedia corporibus æquè ac animis miſerorum curandis adhibebat. Tanta verò in infimis illorum obſequijs elucebat in Patre charitas, ut cùm obſervaretur à nonnullis, vulnera & ſcabiem ulceroſorum eluere, mundare lectulos, expurgare vaſa, & cameras, & ſuiſmet manibus cibos paralyticis indere, non pauci hoc ſpectaculo ad ſtatum Religioſum expetendum permoverentur. Idem ſolenne tenuit Granatæ, & poſtmodum in urbe Derez, quô à morte Parentum, Superiorum juſſu, commigravit, ità ut ſuâ ætate computaretur inter ferventiſſimos Hiſpaniæ Operarios. Ad confeſſiones pauperum potiſſimè audiendas primo manè conſidens, non recedebat, donec conſtaret neminem adeſſe, qui audiri vellet: niſì fortè ad ægros juvandos acciretur, quorum nemo totâ urbe ejus auxilij & ſolatij expers eſſe volebat. Sollicitus autem quâ ratione toti urbi, omníque hominum conditioni prodeſſet, ternas inſtituit Sodalitates, quas unus omnes non minore fructu quàm laboris impendio adminiſtrabat; Cleri & Sacerdotum, hominúmque Eruditorum unam, ex qua comites plerumq aſſumebat Apoſtolicarum per omnem latè viciniam Miſſionum: alteram Nobilium, & ſtatûs digniotis perſonarum: tertiam Civium & plebejorum: tanto ad ſingulas, per dies cuique aſſignatos, hominum concurſu, ut nulla Oratoria capiendæ multitudini ſufficerent.

Nulla fuêre inveterata odia, inimicitiæ, aut controverſiæ, quas componendas aſſumeret, quin pace mutuâ feliciter conciliaret: auctoritatem & reverentiam illi præſtante, quam apud omnes habebat, excelſæ ſanctitatis & opinione, & avitâ ſangvinis claritudine, modeſtiſſimæ humilitati conjunctâ. Par efficacia fuit in ſedandis conjugalibus diſcordijs, ut uno plerumque alloquio æquiores uxoribus maritos redderet, & per vitia extra matrimonij leges evagantes in ſemitam continentiæ reduceret. Imò dominium quoddam in hominū voluntates conſecutus videbatur; non rarò ſiquidem accidebat, ut in homines nunquam antea viſos aut cognitos in foro incidens, exquiſitâ affabilitate alloqueretur, ſvavitérque in Collegium unà invitaret, reluctantes, non rarò, & negotia obtendentes, tandem tamen, ne in officioſi audirent, coactos ſequi: quos deinde in ſecreto tantâ efficaciâ verſabat, ut cùm nō rarò pluribus añis impœnitentes, animam circumferrent gravibus ſceleribus oneratam, è veſtigio illam confeſſione apud eundem expurgarent. Auditi poſtmodum magno ſuo ſtupore dicere: *quid hoc hominis eſt?* qui quod nemo hactenus à me impetrare potuit, nullo negotio perſvaſit. Aliàs ædes matronæ principalis ingreſſus, plures nobiles perſonas ſuperbo ornatu collectas deprehendit, cum quibus derivato ad res Divinas colloquio ſub diſceſſum edixit: *revera*

Domi-

Dominæ in cœlum non intratur cum hoc splendido ornatu, sed magìs procuratur, ut malâ morte defunctis linteum tandem vilissimum superinjiciatur. Et satis fuêre hæc verba, ut mundum illæ superfluum ponerent, séque in spiritu dirigendas integrè Patri committerent. Atque ad ejusmodi miras animorum conversiones placuit DEO illum donare spiritu prophetico, ut arcana cordium, & futuros eventus, perinde ac oculis res præsentes pervideret. Ità quàm plurimis statum vitæ, quem secuturi essent, ínque eo varios successus prædixit: alios de secretissimis, quæ animo volverent, desiderijs & cogitationibus admonuit: & licèt à nemine evocaretur, persæpe ad januam Collegij pallio jam instructus descendit; miranti Janitori, dicebat: jamjam affuturum hominem, à quo ad moribundum, vel alium peremptorium casum componendum evocaretur. Et fiebat prorsus, ut vix exituro socius adveniret, cùm nuncius jam adesset, P. Antonium præproperè ad hunc vel illum animâ agentem, vel in rixa mortaliter saucium accurrere flagitans: quæ res domesticos omnes attonitos reddebat, & admiratione suspensos. Aliquando in medio cum domesticis colloquio repentè exclamans: *maledictus sis ô Lucifer, qui tantum conatûs impendis, ut homines in desperationem adducas! sed mox videbimus, quis palmam referat*: cum dicto pallium temerè humeris injecit, obviúmque fratrem secum peremptoriè abripiens, totus anhelus ad domum in vico remotiore pervenit; hæc cùm obserata esset, ad unum tamen pedis ictum, (Divinâ sinè dubio virtute) patuit; quâ Pater ingressus, semotum & abstrusum quoddam conclave rectà petijt, in quo hominem reperit cum morte luctantem; fune, ex quo se ipsum de trabe suspenderat, etiamnum collo inhærente. Igitur continuè laxato laqueo, Divinâ magìs quàm humanâ ope periculo ereptum, in spem & vitam erigit, solatur, & ad sceleris pœnitentiam inducit; qui tanti beneficij magnitudinem recognoscens, nunquam alium ad confessiones suas, præter P. Antonium adhibuit.

Versabatur quadam vice in laboribus Missionis per pagos circumsitos, cum aliquot Congregationis suæ Sacerdotibus in laborum partem assumptis; & quia fervore Apostolico quot diebus ad populum concionem habebat, fructus inde legebatur usque eo copiosus, ut audiendis pœnitentibus noctes diebus jungere cogerentur. Igitur cùm die quodam ex eo labore in multam noctem producto, fatiscens Clericorum unus recedere ad hospitium quieturus pararet, rogàvit Pater moram paulisper duceret: *brevi siquidem Dominus*, inquiens, *duos ad te adducturus est pisces reti jam conclusos, ad magnum gloriæ suæ, & salutis animarum incrementum.* Paruit ille, quamvìs lassitudine fractus: & ecce paulo pòst duæ mulieres, velis ora, nè agnoscerentur contectæ, Templum ingrediuntur, prostratæq; ad ejus pedes, audiri de tota vita postulant; & cùm tergiversaretur Sacerdos, in crastinum eas differre conatus; negant se aliàs, nisì jam audirentur, redituras. Tenuit illum horas aliquot hic labor ultra noctis dimidium, quod ab annis 16. inconfessæ, per omne interim genus vitiorum volutarentur, nũc verò dictione Antonij cõmotæ, præ doloris magnitudine & lacrymis vix loqui possent. Reducem indè ad diversorium Clericum rogat Antonius: *quem successum habuisti mi Frater? nunquid opere pretium fuit tantisper in templo remansisse? scito tamen grandiorem piscem te in crastinum manere.* Hic verò fuit grandævus aliunde advena, serâ iterum nocte abiturienti Clerico adrepens, & expiari postulans, quòd conscientiam circumferret gravissimis sceleribus oneratam. Multos siquidem años propriâ filiâ, justæ instar uxoris, abutens, pluribus ex ea susceptis liberis, nunquam id scelus in confessione, quam tamen sacrilegè quot annis & sacram Mensam adibat, aperuerat. Alio tempore cum eodem Sacerdote Clerico in Apostolica expeditione alibi versatus, quodam die repentè allocutus, jussit extemplò, licèt tum gravi & periculoso oculorum defluxu laboraret, in Xerez urbem redire, ubi gravissima necessitas personæ ipsi charissimæ præsentiam ejus exigeret; quod cùm singulari quadam efficaciâ valde seriò asseveraret, absque mora in viam se dedit. Et ecce in ipso urbis ingressu rescit sororem suam periculoso morbo conflictari, quam ocyùs invisens, Sacramentis ad viam æternitatis præmuniri fecit, pauculis deinde diebus extinctam. Jam verò quoties in urbem prodiret, accurrebant in plateas quotquot difficultatibus, & angustijs premerentur, solatium auxiliúmve postulaturi; ut plerumque vix sub serum diem redeundi domum potestas fieret: tanta verbis ejus inerat efficacia, tanta mansvetudo! unde non minùs familiaribus alloquijs proficiebatur, quàm concionibus, & utrísque perinde innumeri cæno vitiorum & sæculi extrahebantur, ut ambientibus vitam Religiosam non ampliùs cœnobia sufficerent.

Jam verò tantam in hominum mentes potesta-

teſtatem, & propriè violentiam, indipiſci videbatur à DEO Eucharistico, in quem propenſiſſimâ devotione ferebatur; ut quoties domi à negotijs vacuus ageret, vix alibi, quàm in templi odæo ante illum proſtratus reperiretur. Idem teſtabantur tot illius raptus extatici, elevationes à terra, oris ſplendores, & ſermones, quoties de hoc myſterio inciderent, prorſus igniti. Solenne illi fuit, quibus diebus ludi publici & ſpectacula in urbe celebrarentur, ſive taurorum agitatione, ſive equorum curſibus, colligere ſodales ſuos ad preces ante SS. Sacramentum inſtituendas, ne quid damni periculíve in his cuiquam conciretur. Igitur quodam veſpere repentè à precibus conſurgens, Clericum ſibi obvium ad virum nobilem properare juſſit, rogatum ſuo nomine, nè eo veſpere equeſtri certamini intereſſe velit, plurimùm enim id illius referre. At ubi intellexit, nihilominus ad ſtadium decurrendum equitem abijſſe; redux ad ſodales, impensè commendavit, ut preces ad DEUM pro incolumitate illius perſonæ multiplicarent. Jámque ingruentibus tenebris ſodales domum Pater dimittebat, cùm anhelus adeſt nuncius, ſignificans Nobilem illum in ipſo curſu datum in præceps unà cum equo ruiſſe, ut ab omnibus mortuus conclamaretur, & ſanus nihilominus penitúſque illæſus conſurgens, non nisì miraculo ſervari potuiſſe crederetur.

Ità in laboribus Apoſtolicis plurimo animarum fœnore traductam ætatem, ſanctâ non minùs morte, à concionis ardore conſcitâ, concluſit. Concionabatur ibidem de more ad populi multitudinem per ferias Quadrageſimæ; cùm die quodam ſolitò ferventiùs peroranti corpus repentè frigore inter dicendum obrigeſcere cœpit, & membra omnia flacceſcere. Domum ægrè redeunti æſtus nihilo remiſſior ſucceſſit; & quia in horas novis augmentis increſcebat, veritus nè poteſtate mentis excideret, Sacramentis omnibus ad iter parari expetijt. Pauculo inde tempore ad extrema deductus, cùm neque Medicus, neque domeſtici quidquam ſupremi periculi ſuſpicarentur, agonem in ijs verbis feliciſſimè conſummavit: *in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, die 22. Aprilis, anno 1615. Corpus ab obitu perinde ac viventis mobile & tractabile, vultúſque ſupra humanam ſpeciem formoſior, omnes omnium Ordinum homines ad CollegiumTemplúmque excivit, deducentibus idem ad ſepulturam cum Clero omnibus in Urbe Cœnobitis: tanto Civium dolore, populíque lacrymis, ut parentem cujuslibet ad tumulum efferri crederes. Juſta funebria Patri amantiſſimo poſt alios egêre novem continuis diebus, inſtitutæ ab illo Congregationes.

Ex Nierembergij Tomo 4.

P. ROGERIUS LEA.

INter præcipua P. Gerardi ad piſcandas animas per Angliam inſtrumenta, meritò cenſendus venit Rogerius Lea. Is nobili loco in Anglia natus, mores congruos natalibus ità conjunxerat, ut eximiâ urbanitate & comitate aulicâ univerſim omnibus gratus evaderet: cúmque Catholicus ſimul eſſet pius & fervens, dici vix poteſt, quàm multos æqualium, in eorum familiaritatem dextre penetrans, ſive ab hæreſi, ſive à ſolutiore vita abduxerit, & reconciliandos atque in virtute perficiendos Gerardo ſtiterit. Apoſtolicum hunc in Adoleſcente zelum magìs incenſurus Gerardus; perſvaſit, ut Exercitijs S. IGNATII animum excolere vellet; fuítque inter illos, qui quintum diem Meditationibus vacabant, cùm Delegati Regij in domum irruperunt Gerardum captivaturi, nisì fidelitate & ſolertiâ Lillij pro Gerardo tenti, diſcrimen in latebra evaſiſſet. Volentibus autem etiam Rogerio manus, tanquam Gerardi familiari injicere, conſvetâ ſuâ eloquentiâ, humanitate, & morum gratiâ evicit, ut datâ cautione dimitteretur, tanquam recenter eò introgreſſus. Defunctus tanto periculo non ceſſavit Gerardo adhærere, ſed ad alias ædes extra Urbem ſecedentem, ut cœptas commentationes proſequeretur, ſecutus eſt: quo itidem ſecuta illos, proditorũ ſcelere, ſuſpicio pietatem interturbâſſet, nî ſe paratis latebris cum Patre occuluiſſet. Et quia meditando didicerat quantum de DEO mereretur, ſi non ſoli ſaluti propriæ procurandæ, ſed & alijs ab hæreſis & mundi laqueis extricandis totis viribus conniteretur; illuc omnes cogitationes ſuas & ſtudia convertit. Itaque ſive cum ſodalibus aucupio volucribus inſidiaretur, ſive feris inſectandis exerceret corpus, dum alij his animum oblectarẽt, ipſe ad ſeria mente tranſlatâ præcogitabat quos ex ſocijs, & quâ arte ad fidem, ad pietatem pelliceret, & in utraq; promovendos Gerardo ſiſteret: fiebátque

iden-



P. Rogerius Lea, S.J. Nobili Sanguine in Anglia natus; inter ipsa desideria navigandi ad conversionem Patriæ extinctus in Belgio Dunkercæ. A.° 1615. ætatis 47.

96.

identidem, ut majore animarum onuſtus prædâ, quàm ſodales volucrum aut ferarum numero, ex venatione rediret.

Verùm exiguum hoc, quidquid veluti carptim DEO lucraretur, vaſto illius animo videbatur; ratúſque muneris ſui eſſe totum & unicè animarum ſaluti ſeſe expendere, Angliâ cum ſpebus omnibus relictâ Romam diſceſſit; & aliquandiu in Seminario ſuæ Nationis verſatus, Societatem efflictim expetijt, & impetravit 27. Oct. Anno 1600. ætatis 32. Contendentem cum optimis in virtutum & ſapientiæ ſtudio, jámque Sacris initiatum ægritudo invaſit, judicio Medicorum vix aliter, quàm auræ ſive patriæ, ſive huic affinis mutatione curanda; quare in Belgium dimiſſus datus eſt Alumnis Collegij Anglicani Audomari Miniſter. Quo in munere cum vigilantia prudentiam, cum charitate ſeveritatem, gravitatem cum comitate tam ſcitè conjunxit; ut præter obſervantiam diſciplinæ amorem univerſorum lucratus, animos eorum quolibet inflecteret, & aptiſſimis documentis ad vitam Apoſtolicam inſtrueret. Et quoniam ſpiritualibus S. Ignatii Exercitijs ſenſerat ſe plurimùm adjutum, horum uſum in florentem illam juventutem induxit eo fructu, ut ferventiores ex Clero & majoris zeli operarios Anglia vix priùs viderit, quàm ex ea Rogerij educatione ſubmiſſos. Sed his in ſalutem animarum parandis remedijs minimè contentus, alias eodem tempore ſummæ utilitatis diſponebat ex altero ſexu operas. Frequens eſt per Belgium numerus Virginum, quæ à ſeculo ſpontè avulſæ, privatim vel in communi ſua ſtudia conferunt in puellas omni

omni genere disciplinæ illi sexui congruente imbuendas; quarum aliquæ ad tempus, aliæ in perpetuum colendæ castitati se devovent, ex quo *Devotarum* illis nomen acquisitum est. Exiguum id quibusdam ex Anglia Virginibus exulibus visum est, quæ præter excolendarum puellarum studium perfectæ Religionis viam, additis Castimoniæ votis insuper Obedientiæ & Paupertatis, inire meditabantur: neque tamen nocturnis diurnísve Canonici officij precibus, aut certæ domui & loco adstringi optabant; sed more Societatis JESU ad quælibet ubivis charitatis officia suo sexui, inter fideles & infideles præstanda, liberæ perseverare. Quæ præcipuæ inter has erant, fixerant Audomari sedem, favente initijs Episcopo Blasæo, atque ad totius sui Instituti concinnandam formam, & excellentem cum puellarum institutione conjungendam pietatem, utebantur plurimùm Rogerio; qui excelsa quælibet, & ad Divinum obsequium, bonúmque proximi amplificandum eximiè utilia, sectabatur semper & promovebat. Et jam earum diligenti culturâ eò rem promoverat; ut famâ tam utilis operæ in commune Christianitatis bonũ, novæ hujus veluti Religionis, permoti Viri Principes & Magistratus, eas passim in Magistras filiarum suarum optaverint, & sedes fixas in suis Provincijs & Urbibus destinaverint, fuerintque expetitæ Leodinum, Treviros, Monachium, Viennam Austriæ, Pragam in Boëmiam, Posnaniam in Poloniam, Presburgum in Ungariam, denique ipsam Romam. Et potuissent fortasse cum tempore Religionis à sede Apostolica gaudere privilegijs & nomenclaturâ, nisi ultrà præter directionem Rogerij progressæ, nimiùm Societatis moribus adhærere, sub eadem appellatione, regula, vestitu, gubernatione vivere voluissent: quod tandem neque Societati, curam mulierum etiam Claustralium, ex ipsa sui Instituti ratione respuenti, neque Christi Vicario placere potuit.

Hos inter conatus & curas quàm latissimè Regnum Christi propagandi, Rogerius hecticâ corripitur, cui remedium quia certiùs in alia reperiendum aura svadebant Medici, Lovanium primùm, mox Bruxellas missus est. Sed utrobique illo frustratus, in patrium tandem Angliæ cœlum destinatus, incredibili gestijt gaudio, eandem invaletudinem nunc sibi viam ad labores & ærumnas eò aperuisse, quæ eatenus occluserat, tanquam impedimento munijs Apostolici Missionarij futura. Dum itaque ad iter expeditus navigij opportunitatem avidè præstolatur; separatus vi morbi, ad portum æternitatis beatæ appulit, pijssimè defunctus Duynkercæ anno. 1615.

Ex Anglia Henrici Mori.

P. DOMINICUS VALESIUS.



Pater Dominicus Valesius, Foro Julij oriundus Italus, Societatem in Provincia Boëmiæ (quo tempore hæc eadem cum Austriaca computabatur) complexus est Anno 1598. in Brunensi Probationis Domo, postquam humaniores literas rarâ ingenij, modestiæ & pietatis commendatione decurrisset. Et quamvìs Tyrocinij biennium, & 6. consequentes vitæ religiosæ annos, magnâ omnium ædificatione, usque ad præclara virtutum domesticis præbita exegisset exempla; ipse tamen minimè sibi & præcelsæ vocationi satisfecisse visus, octennium illud damnare, & sinè fructu in teporis veterno deperditum computare cœpit. Ergo ad DEIparam principem Advocatam suam conversus, & patrocinio ejus confisus, ardentes animo ad sectandam arctioris vitæ sanctimoniam faces subjicere, & totum se perfectioni adipiscendæ impendere statuit: dum tamen hæret & non rarò respicit, & quod fieri in ejusmodi subitis de tepore in fervorem mutationibus amat, vult & non vult piger, difficultatibus novæ vitæ absterritus, aliquot ei in primis conatibus menses pænè vacui fluxêre; donec auditis in lectione ad mensam præclaris S. Catharinæ Senensis & B. Aloysij Gonzaga gestis, mirè in eorum æmulationem exarsit, speciali viso oculis mentis objecto in novo proposito divinitus confirmatus. Siquidem illo anno 1605. die 15. Novembr: dum manè lectulo consurgit, pulcherrima quædam species virtutis illi se obtulit in excelso fastigio magnificè collocatæ, & magno Divorum agmine, præcipuè verò S. Catharinæ & Aloysij stipatæ, quæ amarâ partim irrisione, uti quondam Augustino in gravi spiritûs & carnis luctâ constituto, exprobrabat, potuerunt isti & illæ, & tu non poteris? partim gravi cohortatione ad se invitabat. Ruere ille in amplexus, séque totum illi devovere, & salubres fannas intimis medullis persentiscere. Dum tamen iterum hæret, & ipso animi pusilli & corporis pondere pressus tepescit, biduo pòst appetente Sabbato,



P. Dominicus Valesius S.I. Forolulienſis Italus, magnus Crucis et mortificationis amator; super qua etiam noctu cubabat; in obsequio pestiferorum, contracto morbo, extinctus Crumlovij in Böemia, 9. Iunij Anno 1615. ætatis. 34.

97.

bato, quod ſimul Præſentationi Virgineæ eô ännô pervigilium erat; inter curarum & triſtis luctæ ambigua totum ſe in ejus fiduciam erigit, ac veluti opis Virgineæ certus ad quietem componit. Et ecce manè experrecto, & ijſdem luctantis animi motibus agitato, auguſtâ ſpecie viſendam ſe, non quidem corporeis, ſed mentis oculis præbet DEI Parens, ſpecioſum præ filijs hominum lævo brachio ſuſtentans: tantâque ſimul replet lætitiâ, ut omni abſterſâ puſilli animi mœſtitiâ nihil non auderet, vitæq; novæ Patronam & Advocatam ſibi illam ſtatueret. Ergo manu alacriter ad aratrum, & ſubigendum ſpiritui corpus miſsâ, dum magno fervore opus perfectionis urget, & cœleſtibus interim ſolatijs præter ſolitum inundatur, cœpit varijs dœmonis artibus ad reſpiciendum retro tentari: primùm quidem excitato in ejus corde anxio metu & anguſtis ſuſpicionibus, nè fraus aliqua teterrimi hoſtis, Angelum lucis non rarò mentientis, impulſibus illis & mentis illuſtrationibus ſubeſſet, & ipſe fervorem inſpiratum ſecutus, extra limites Inſtituti ſui & vocationis in peregrinum ſpiritum abriperetur. Alter non minùs periculoſus illi ſcopulus objectus eſt, ex diſcrimine vanæ gloriæ, cui ſe per hoc vitæ ſcilicet exoticæ genus, & à communi vivendi modo diverſæ, exponeret: poſſe teneri ſalvâ ſanctitate tritam communiter & uſurpatam pleriſq; vitæ normam, ab omni hominum palpo & laudibus ſecuram, & procul ab omni præcipitij periculo ſejunctam. Sed imploratâ DEIparâ, utroque dœmonis laqueo mox Tyronem ſuum abſolvit; cujus potiſſimùm inſtinctu, quod hactenus præpoſtero humilitatis ſtudio delu-

delusus omiserat, decrevit ad evitandas hostiles technas omnia Superiori suo pandere, & quidquid hactenus in animo suo Cœlestium impulsuum, gratiarum, & luctarum acciderat, aperire, neque nisi ex ejus arbitrio quidquam agendum aut omittendum suscipere. Ea res ipsi non modò in præsens, sed in omnē deinceps vitam admodum salutaris fuit, ut Moderatores omnes arcanorum suorum & omnium cogitationum cuperet esse quàm maximè conscios, expertus (ùt ipse alicubi graviter annotavit) nihil ad figendum altiùs in animum heroica cogitata, & ad eblandiendas copiosiores Cœlitum divitias, esse potentius. Ergo cùm Præfecto spiritûs depactus est, vellet tolerare secum de rebus animæ suæ quot hebdomadis minimùm semel prolixiùs agi, seu colloquio seu scripto: Superiores verò accedebat mensibus singulis; rationem conscientiæ, alioquin semestri duntaxat iterari solitam, redditurus. Quâ praxi consecutus est magnam heroicæ mentis in operibus arduis, & amori proprio valde contrarijs, clàm, palàm, prout res ferret, aggrediendis libertatem, nil pensi habens, quidquid homines existimarent, nullo unquam vanæ gloriæ metu ab his suscipiendis abstineri passus.

Et verò sancto quodam odio effervescebat in eos, qui oculos hominum in rectè factis nimiùm reformidarent, & mallent in occulto virtutem suam latere, quàm palàm heroica agendo, humilitatis discrimini se objicere. De quo ità secum aliquando ratiocinatū accepimus: *Quid est Dominice? quòd te ab aggrediendis palàm fortibus, & manifesto virtutum cultu deterreat? periculum aucupandæ gloriæ? ille sibi potiùs factisque suis blanditur, qui sua occulit, qui gloriam, si in apertum prodeat, timet; nisi enim ea, ad quæ agenda stimulatur, magnifaceret, quid est cur lucem fugeret, elationem vereretur? Opinatio hominum de se splendida trepidum torquet? jam ergo superbiæ succubuit, qui se talem opinionem suscitare posse cogitavit. Et demus, Spectatores operum tua laudibus efferre, quid aliud quàm DEUM & ejus dona, non tua commendabunt merita? videant, non videant homines, perinde habe; tu modò videri nè appete. Solidiùs tibi constabit humilitas, quò minùs dona DEI abdideris. Expertus id es: semper pumili manent, qui nè magna moliri videantur, sese in tenebris condunt: vix pedem à terra levabunt ejusmodi, & montes se rebuntur transilijsse. Contrà pulcherrimis facinoribus insistet alius, & se suáque ad DEI amplitudinem relata, tanquam pulvisculum despiciet. Nihil enim omnino, nihil est, quod tantæ Majestati mortales immortalésque impendimus, &c.* Commodùm interea accidit, ut Theologiam Græcij in Styria prosequenti, annua de more S. IGNATII ascesis obeunda esset, in qua miros DEIparæ favores & ad sanctitatem stimulos expertus, tenerrimo quodam & filiali planè in eam exarsit affectu, ut nunquam deinceps ejus meminisset, quin nectare quodam cœlesti cor ejus exuberaret & colliquesceret, notaretúrque ab socijs ad solam nominis ejus mentionem quodammodò à sensibus tantisper abripi. Nunquam ejus iconem quolibet loco præteribat, quin de genibus illam, si sinè arbitris esset, aliàs verò capite aperto, humili inclinatione, salutaret: ejusdem maternam opem quavis in necessitate constanter expertus. Acri aliquando genuum dolore in frequentiore Missæ sacrificij auditione correptus, medelam ab ea expetijt, & dicto citiùs sensit sibi, velut athletico quodam oleo, nervos poplitum ad prolixas quasque in futurum genuflexiones consolidari. In eadem ascesi persensit animo suo insolitum quendam ardorem & cupidinem ingenerari, sui penitus edomandi, & passiones animi corporísque per omnes vexationum molestias spiritui subjiciendi, ut hac etiam ratione DEO toties ab se offenso satisfaceret. Itaque negotium seriò aggressus, expiatâ per generalem exomologesim cònscientiâ, renovatísque Religiosis votis, quidquid ad confusionem sui, & pessumdandam apud alios existimationem, proculcandósque hominum respectus serviturum mens suggereret, Superiorum veniâ exequi constituit; & quidquid approbâssent, generosâ sui victoriâ constanter exantlavit. Atque exinde nunquam per reliquum vitæ in heroico proposito intepuit; sed memor, quem sibi & contentioni suæ scopum præfixisset, hoc agere, hoc unum in præcipuis curis habere, ut in studio semel suscepto esset quàm ferventissimus. Huc intentissimâ curâ observabat omnes auræ cœlestis ad perfectiora impellentis afflatus, & quocunq; his urgeretur, explorato conscientiæ suæ gubernatoris arbitrio illuc laxata parati cordis vela dabat: unicè sollicitus, nè facilè DEI instinctum aliquem negligeret; quòd sciret eorum auctorem Spiritum Divinum, si contemptui haberentur, deinceps subtrahere solere. Alterum vitæ sanctiori adminiculum adhibuit, ut primis illis vitæ è veterno suscitatæ auspicijs & propositis mordicùs inhæreret, nec ab ijs desultoriâ levitate ad alia, quasi melioris vitæ blandimento lenocinantia, transiliret: hoc enim qui agerent, in aggrediendo ac

ac velut tentando viam perfectionis semper esse, nec unquam in ea promovere: locustarum instar subinde subsilire, sed mox ad ima detrahi, quos nimirum tartareus impostor fucatis rationibus, jam hoc jam illud incremento sanctimoniæ conducibilius esse persvadens, gyret ac verset pro libidine, & derisui tandem habeat. Tertio studebat in se eminentissimam de perfectione existimationem excitare: hanc enim solam ob causam tam multos in Religionibus hærere in imis, quòd nescirent pretium cœlestis hujus sapientiæ æstimare; alioquin Regum sedibus, & rebus universi omnib9 eam præposituri, omniáque pro nihilo in ejus comparatione habituri. Quartum adhibebat, in heroicis ac sublimibus actibus exercitium, ut nè ullus dies sinè aliquo ejusmodi vacuus transiret: plus enim uno hujusmodi ajebat profici, quàm sexcentis remissioribus. Quòd si talium occasione destitueretur, eorum desiderium vehemens in se excitabat, ut eximium aliquid & magnificum pro DEO efficiendi cupiditate semper conflagraret. Quintò, omnia opera rectissimâ in DEUM intentione peragere studebat, contentissimis viribus, & fervore ac desiderio gloriæ Divinæ per ea promovendæ quasi Seraphico: quæ idcirco meritis & sangvine Christi semper investiebat. Et quamvìs talia forent, nihilominus post quodvis opus severissimè inquirebat, sicubi nævus aliquis se admiscuisset. Fugiebat denique otium, profectui maximè inimicum, ut nullum tempus inter unam ac alteram actionem vacuum internarum saltèm operationum transiret. Tandem opera sua omnia volebat esse quàm liberrima, & nulli humano respectui judicióve obnoxia: ut perinde illi esset secretò ac publicè, in theatro, ac post siparium agere, mente in solum omnia intuentem DEI oculum intentâ. Ad hæc constanter observanda ut exemplis etiam se excitaret, haberétque practicam ob oculos normam, quam inspiceret, imitandos sibi ante alios delegit S. Catharinam Senensem, & B. Aloysium Gonzagam, ad quorum exprimendum vitæ genus potissimùm incitari se experiebatur: itáque feliciter id perfecit, ut ad vicinas Boëmiæ Provincias, ipsámque Urbem Romam brevì fama pervolaret, in Austriæ Provincia novum existere Aloysium.

Itaque vilissimis coquinæ & mediastinorum domi munijs videbatur non posse exatiari, ut adeò consensum à P. Ministro expresserit, quoties aliquis seu in culinæ, seu triclinij obsequio deforet, vices absentis supplendi, Gestiebat ad omnem sui contemptum & depressionem, útque hanc domi forísque obtineret, ità actiones omnes, vilissimum vestitum & mores componebat, ut ex Coadjutorum temporalium numero unus censeretur. Cúmque inter fervoris sui primordia risui æqualibus, utì fieri amat, & varijs censuris, ùt simulator, exoticus, vanæ gloriæ captator, pateret; nihil absterritus, constantiam tenuit, vel ob hoc ipsum, ut contemptui, velut sanctitatis simulator haberetur. Quibus eam humilitatis æstimationem indeptus est, ut frequenter deinde fidentioribus fateretur, nescire se utra ex virtute majorem voluptatem & solatium caperet, ex vilipensione & depressionibus sui, an ex ipso Divini amoris suavissimo incendio. In spontaneis corporis afflictationibus perpetuo frœno op9 erat, nè velut in hostem capitalem crudeliter sæviens, illud omnino pessumdaret: in quibus tamen exorandis planè Superioribus importunus fuit, dicere solitus, hoc solo in negotio licere Superioribus, citra obedientiæ & debitæ venerationis jacturam, molestum esse. Et quia desiderijs suis infirmitas virium & debilitas corporis (erat enim teneræ & imbecillæ valetudinis) unicè & semper obtendebatur, dolebat ex animo, deesse sibi robur Herculis, tam amatis doloribus ferendis idoneum; quorum tam anxiâ cupidine flagrabat, ut inter secretiora sua annotatum reliquerit, nihil sub sole reperiri, quòd cruciatibus istis præponeret: feliciùs & optatiùs sibi videri multa hìc pro DEO perpeti & affligi, quàm gaudijs cœli perfrui. Ut adeò scriptor illius vitæ testatum reliquerit, nullum genus mortificationis apud ascetas reperiri, quod ipse non usurpârit: & quando austeriores, quia valetudini ejus impares, denegabantur; haud paulò sensui molestiores concessas in supplementum advocabat, quas constanter in praxim deduceret: Pulicum, & id genus animalculorum permolestas mortificationes impediebat nunquam, aut abigebat: in colloquijs & congressibus minùs commodum standi vel considendi locum semper prensabat: embamma nullum degustabat, & quovis modo saporem ciborum corrumpebat; & si quid præter quotidianum ciborum dimensum pro diei solennitate apponeretur, nunquam attingebat, déque ipsis quotidianis unum plerumque intactum relinquebat. Extra consveta mensæ tempora nullius invitatu aut precibus adduci passus est ad aliquid degustandum: intrà ipsam mensam potûs ità, summâ etiam æstate, parci, ut domestici Superioribus edicerent, hâc cibi po-

potúsque tenuitate Dominicum brevì vitam cum valetudine profligaturum: sæculares autem, inter quos jam Sacerdos Missionarium agebat, crederent ipsi miraculo vitam produci. Atque ex hoc affligendi sui ardore effloruit insignis in eo veneratio & amor S.Crucis. Mense Septembri, quô illius recolitur Exaltatio, grandem sibi è rudibus truncis efformatam cubiculo intulerat, quô totô pænitentijs & cruciatibus præter solitum majoribus indulgens, noctibus super ea ferè, vel illius complexu accubabat, preces omnes ante eam persolvebat, mille osculis, amplexibus, & lacrymis venerabatur. Die verò eidem sacro aram illi in suo conclavi, quanto posset ornatu instruxit, bonáque Moderatorum veniâ, domesticos confidentiores ad ejus venerationem invitabat: quòd etiam hâc publicâ ejus veneratione crederet se fortiorem contra omnes humanos respectus evasurum.

Hoc crucis amore, & dura pro DEO patiendi desiderio inflammato, illud mox primis à suscepto Sacerdotio annis exsatiandi opportunitas data est, quando Nissam, Episcopalem in Silesia Urbem, Missionarius destinatus est, hæresi Lutheranâ tum potiore incolarum & viciniæ parte depravatam; at hodie erectoSocietati apud se Collegio, integrè illius operâ cum toto Episcopali Ducatu Catholicam. Huc ille delatus, quamvìs Germanici Patriæ idiomatis parùm gnarus, confitentibus tamen aures indefessus dare, spiritualibus alloquijs omnes in DEUM excitare, & domos hæreticorum æquè ac Catholicorum invisere, quin & pro concione publicè, ægrè à Superioribus obtento assensu, dicere. Metuebant enim, nè plebi, hæreticorum præcipuè, derisui magìs quàm fructui reportando esset: quibus tamen ad seriam pœnitudinem, & non paucis ad sanam Religionem promovendis, vel solus ejus vivam sanctitatem spirantis aspectus, & virtutum vitæque intaminatæ exempla suffecêre. Cùm enim sub ejus adventum exorta pestilentia graviter Urbem cum vicinia affligeret, ipse habitationi suæ loco intrà pagum Urbi vicinum, nè cui Civium molestiam facesseret, capto, manè quolibet sub auroram ingressus, horâ 5. Sacrum in æde Parochiali, ac post illud ad collectum magno affluxu populum ardentem sermonem habebat, ac tum singulis visitatis ædibus, ægris omnibus solatio spirituali æquè ac corporali totum diem aderat, vilissimo cibo semel duntaxat quotidie refectus, & cilicio pro omni contra infectionem armatura accinctus. Victum & pharmaca, quæ tenuioribus apud divites totâ urbe corrogabat, suis ipse manibus ad contagiosos afferebat; nihil viam lutosam, nihil aëris inclementiam & pluviam, vel corporis imbecillitatem moratus, cùm non deessent à pijs hominibus in auxilium ipsi designatæ famulorum manus: quorum tamen operâ ad nullum sibi exhibendum obsequium, nè quidem ad linea eluenda, ipse omnia proprijs manibus emundans, uti sustinuit, nisì juvandis ægris ipse unus non sufficeret. Præcipuâ tamen curâ aderat heterodoxis pestiferis; neque, semel iterúmq; rejectus, ab invisendis abstinuit; sed varijs asperitatum, flagrorum, jejuniorum pænis conciliato obstinatis Numine, opportunè, importunè reversus, quotquot sub ejus manum venerunt, DEO & Ecclesiæ conciliavit. Neque aliud haud minùs gloriosæ mortis, si lues ultrò se ingerenti parceret, periculum adijt ab heterodoxis Chirurgis, quòd eorum avaritiam in lucris, & immodicis pro ægrorum cura exactionibus rapinísque, implorato efficaciter Senatu, coërcuisset: resciens enim sibi eâ causâ à furibundis necem destinari, ingenti solatio perfusus: *Faxit DEUS*, exclamavit: *ut corona illa mihi obveniat!* Extinctâ subinde contagione, Glacium providentiâ Superiorum ad Collegium Societatis revocatus, ut vires ex naturali complexione semper debiles, nunc autem tantùm non omnino profligatas instauraret, in morbum mox incidit gravem & diuturnum, toto semestri lecto affixus: quem sub ipsa primordia fatalem sibi fore ominatus, ante omnia generali totius vitæ exomologesi per quatriduum animam expiavit, quantâ suâ inter copiosas lacrymas contritione, tantâ Confessarij admiratione, obstupescentis in homine innocentissimo tam dolorosam, & cum summa exactione adeò prolixam sui accusationem, amarè deplorantis eas defectuum minutias, in quibus alij nec imperfectionem adverterent. Toto hoc ægritudinis suæ semestri ea Glacensibus socijs virtutum omnium, atque inprimis patientiæ dabat specimina, ut plerique sæpiùs illum in die visitandi, quòd ejus vel solo aspectu se ad sanctitatem sentirent accendi, copiam à Rectore flagitarent: nulla siquidem ab ejus ore prodibat querimonia, nullum doloris indicium, nulla inter acerbos cruciatus vox mollior, sermo omnis de DEO, ut Angelum magìs quàm hominem intueri sibi viderentur. Remittente postmodum morbo, ubi primùm itineri ferendo par visus est, quia sperabatur in Crumloviensi Boëmiæ cœlo certiùs valetudinem firmaturus, eò destinatus est: ubi tamen contra omnium expectationem mortem

inve-

invenit, tertio ab adventu die, quæ erat feria tertia Pentecostes, Junij dies 9. extinctus, ætatis año 34. Societatis 16. sæculi verò 1615. totius quidem Provinciæ maximo dolore, sed Crumlovienſium pari ſolatio, quòd in ejus exuvijs peculiari ſarcophago aſſervatis, peculiarem in cœlo advocatum habituros ſperarent. Quotquot enim vitæ illius familiariùs conſcij virtutes ejus penitiùs cognoverant, religioni duxêre piaculares pro anima defuncti preces & ſacrificia offerre, ſed magìs reliquias ex demortui ſeu corpore, ſeu utenſilibus efflagitabant, in privatæ devotionis amuletum, & pignus certi apud DEUM patrocinij.

Neque ex vano ſibi polliceri poterant ad videndum DEUM facie ad faciem tranſijſſe, quem in mortali adhuc corpore noverant oculum mentis in DEUM ubique præſentem contuendum (in quo ille maximum perfectionis ponebat momentum) ſemper habuiſſe defixum. Huc ille magno ſtudio mentem ab omni ſenſuum evagatione, inquiete, creaturarum affectione etiam non mala, & qualibet diſtractione continebat: eámque per creberrimas ad ſuperna aſpirationes & jaculatorias preces in DEUM erigebat; omni rerum novarum & curioſarum aſpectu & auditu adeò ſeverè illi interdictâ, ut nè ſpectaculis quidem theatríſve Academicis unquam intereſſet. Atque inde illud etiam conſecutus eſt, ut ſui ſemper ſimilis in exteriori homine appareret, nunquam moroſus, vel minus in aliquem affabilis, hilari modeſtiâ & manſvetudine ità in geſtibus omnibus, totóq; vultu promicante, ut indè omnes domeſtici & ſeculares ad pietatem ſeſe incendi faterentur; clarúmque fieret, nil aliud ipſum cogitatione, nisì quod cœleſte & ſalutis foret, verſare. Quam Divinæ præſentiæ praxim in colloquijs identidem commendans, ajebat per eam acquiri vivam quandam divinæ Majeſtatis & dignitatis exiſtimationem, ut præ illa quis terrena omnia deſpiciat, & reputet ùt ſtercora, viáſque ſimul novas ſemper inquirat illi placendi & gratificandi, & omne quo offenderetur evitandi, non ex timore ſervili pœnæ, verùm ex amore præſentis ubique tam amabilis & amiciſſimi DEI. Atque in hoc exercitio dulciſſimè acquieſcens, non rarò à ſenſibus penitus abripiebatur, ut plures quandoque horas immotus, inſtar ſtatuæ eodem loco, etiam publico & omnibus pervio, conſiſteret: aliàs verò (quod in meditatione maximè eveniebat) totus in amoris tenerrimi lacrymas difflueret, non ſinè oculorum periculo, nisì Superiorum imperio coactus eſſet temperando eorum profluvio ſupernis admittendis ſolatijs, mente à Cœleſtibus retractâ, modum ponere. Et nè ullâ creaturarum cogitatione à DEO avelleretur; ſollicitudinem rerum futurarum, præſertim quæ metum aliquem vel angorem ingereret, ità averſabatur, ut nullam eventuum circa ſe curam admitteret, ſed eorum ſucceſſus omnes in DEI providentia unicè reconderet: quo etiam illud obtinuit, ut agenda quælibet ſibi repentè injuncta, totâ animi & virium applicatione exequeretur, gnarus ea ab obedientia impoſita internam quietem perturbare non poſſe. Quare in nullam rei alicujus vel occupationis eligendæ, vel repudiandæ partem inclinari ſe ferens, totus in DEI nutum ſuſpenſus, ab eo expectabat, quid per Superiores delaturus eſſet; atque in illud cæco impetu, perinde ac ſi à DEO immediatè veniret, ferebatur. Illum etiam DEI timorem, & pacem cordis turbantem anxietatem, quæ in timoratis conſcientijs etiam ex veniali quolibet lapſu reſultare ſolet, intimâ de eo doloris elicitâ pœnitudine confeſtim repellebat: latentis ſuperbiæ & proprij amoris indicium eſſe dicens, ſi animus quâlibet fragilitate ità dejiceretur, ut de ſvavi in DEI pietatem fiducia vel tantillùm decerpi, & quietem ſuam interturbari pateretur. Erat illi confidentior ſodalium unus, cui ob idem altioris perfectionis ſtudium, & fervidæ virtutis æmulationem, ſanctâ familiaritate, quòd non parùm ex ejus colloquijs & exemplis proficeret, inſveverat: ubi tamen frequentiorem ejus memoriam per diem animo incurrere, & deſideria cum illo agendi etiam inter orandum ingeri advertit, mox ab ejus conſortio ſe retraxit, & affectum omnem repulit. Eadem ex cauſa ſilentij & ſolitudinis obſervantiſſimus, extra indulta relaxationis domeſticæ tempora, nunquam ad colloquendum, etiam de rebus Divinis, à ſodalibus induci paſſus eſt; dicere ſolitus, aliud eſſe cum DEO, aliud de DEO loqui. Jam qui in DEUM omnimodè ſenſibus abſconditum quovis loco tanto affectu conjunctus ferebatur, latentis in SS. Sacramento veneratione & præſentiâ ſatiari nunquam poterat. Illum per diem adibat quàm ſæpiſſimè, & diebus ab occupatione ſcholaſtica vacuis, totum antemeridianum tempus in odeo templi genibus perpetuò humi defixis, ſvaviſſimis cum eo ſermocinationibus tranſigebat, neque ullo tranſeuntium ſtrepitu motúve alio, oculis aut mente aliò divertebatur. Coram illo preces abſolvebat omnes, etiam Canonicas initiatus jam Sacerdotio; & ante quodlibet inchoandum

dum opus vel laborem, ſtudium, colloquiũ, utì & in fine, itum ad ſcholas & reditum, officioſus ſalutator ad obſequia illi ſe ſiſtebat: nec raro noctibus, ſi præſertim ſomnus illum fugeret, ad januam odei in oratione pernoctabat. Atque hæc omnia cæteráque ſpiritualia exercitia, ſecretò, palàm, in muſeo, in publico, peragebat ſinè ſcabello, alióve manuum & corporis reclinatorio, ſuper nuda humo: donec Superiorum juſſu adactus eſt prolixiores ſaltèm preces decurrere ſuper genuum ſcabello, brachijs ſubſtaculo ſuffultis: ex quo tamen major illi crevit moleſtia, ob inveteratam pectoris affectionem, quæ illi hoc fulcimento duplicata eſt. Eâdem auctoritate prohibitus, nè deinceps nudis genibus devotiones ſuas etiam privatim proſequeretur, omnibus alijs è poplitibus ſtudiosè demotis tectorijs, ſolis tibialibus incumbebat. Quoties etiam exiret cubiculo muſeóve, in genua procumbens bene ſibi DEUM ejúſq; Matrem precari, & in reditu pariter fauſtum eundem dicere velle depoſcebat, nihil aliorum de ſua hac obſervantia judicia moratus; cui in privato cubiculo addebat inſuper in reditu & exitu oſculum liminis januæ. Meditationes & examina ut in praxim ſemper & certiorem fructum redigeret, non in incertum, aut genericum duntaxat in vita ſpirituali profectum collimabat, ſed in ejus diei res maximâ, quâ poſſet, perfectione agendas, cogitandas, proferendas, ità derivabat; ut ſimul & earum occaſiones, modúmque ſingulis exequendis, cæteráque adjuncta particulatim diſponeret: quòd diceret, generalia propoſita, vitæque ſanctiùs exigendæ deſideria, inflammare tantùm ad perfectionem; particularia verò efficere, ut nulla meditatio elabatur abſque fructu; cujus lumine practico ad currendam viam mandatorum DEI dicere poſſimus cum Apoſtolo: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum.* 1.Corinth: 9. Atque hâc induſtriâ conſecutus eſt, ut actiones omnes ordinarias extraordinario modo, & quodam Seraphico ardore exequeretur, miríſque à DEO favoribus & illuſtrationibus etiam in medio actionum exteriorum, & indifferentium occupationum, etiam dum cibum ſumeret, perfunderetur. Regularum omnium quantumvis minimarum eam habebat æſtimationem, ut nullam, citra grandem jacturam profectûs, violari poſſe cenſeret: neque ullum ad perfectionis celſiorem gradum conſcenſurum, qui vel unius transgreſſionem parvi duceret. Obedientiam, ad quemvis Superiorum nutum, planè punctualem ſervabat & cæcam, nec unquam auditus domeſticæ campanæ ſonus inchoatam literam ab illo perfici deprehendit. Laborem certis diebus in domo vel cubiculo everrendo, ſcholaſticis præſcriptum, nunquam intermiſit, licèt mundus & ſordium omnium vacuus eſſet locus. Nondum ad exitum perducto Theologiæ ſtudio, juſſus repentè ab eo continuando deſiſtere, & Theſes improviſò ex univerſa propugnare, paruit promptiſſimè, nè verbo in excuſationem prætenſo, DEIq; auxilio confiſus ad omnium ſatisfactionem perfecit. Denique tam exactè B. Aloyſij vitam moribus & actionibus adumbravit, ut ejus agnomen inter ſocios pœnè proprium ſibi effecerit.

Ex Alegambe Victimis Charitatis, & ejus vita.

THOMAS PONDO.



Irum Apoſtolicum non tam laborib, & prædicatione, quàm ærumnis & paſſione damus in Thoma Pondo, qui pl, quàm 30. añorũ perpetuis carceribus Londini & Wisbici pro Chriſto exercitus, Miniſtris Apoſtolatûs Chriſti meritò accenſendus venit, quia cum S. Paulo gloriari potens: *in laboribus* ſe fuiſſe *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* 2.Cor: 11. Primus Societatem JESU in Angliam invexit, ſimul & in carcerem, ex quo literis & internuncijs à Generali Societatis Româ illam expetijt (nullus enim tum adhuc è Societate Angliam ingreſſus erat) impetravit: ominatiſſimo ſanè præſagio, futurum ut Societas in ipſo illic nata in carcere, in catenis creſceret, & quæſtionum tormentis exercita, demum idonea evaderet, quæ curru capitali publicè ad furcam veheretur, ubi coram innumerabili ſpectatorum & audientium populo, Fidei Catholicæ veritatem & voce liberâ prædicaret, & toto ſangvine prodiga confirmaret. Natus eſt Thomas Belmontij 31. Maij Anno 1539. Parentibus magnarum opum & avitæ Nobilitatis, Guilielmo Pondo, & Annâ Wriotesleâ, ſorore Comitis South-Hamptoniæ. Editus in lucem, dexteram in egreſſu capiti præmiſit, quod egregij olim pugilis in omen victoriæ ab illo reportandæ Parentes habuêre. Nec facilè dictu eſt, plu-

ribus



Thomas Pondo S.I. è Comitum avita Familia Anglus; ob zelum propagandæ Fidei ultra 30. annos carceribus afflictus. Obijt Belmontij in Anglia. 5. Martij. 1616. ætatis 76.
98.

ribus animi, an corporis dotibus natura puerum cumulârit; formosior quidem in omni ætatis & virium gradu apparuit, quem ornabat proceritas corporis, membris omnibus eximiè apta & agilis: lòcupletabant mentem placendi præsidia, quæcunque possunt Nobilem singulariter commendare. Nihil eo magnificentius, nihil urbanius, comptius, ingeniosius, cum amplitudine pectoris & intrepido robore. Politioribus literis excultus est in Collegio DEIparæ Vintonensi, ad annum ætatis 23. ubi sui gratulatorij Poëmatis recitatione Reginam Elisabetham excepit, tulítq; ex eo non vulgarem latini Poëtæ approbationem. Indè Londinum ad Sapientiam, Jura Regni & Leges cogniturus, venit; sed paulò pòst Patre vitâ functo, sui jam arbiter, scholam Aulâ mutavit, ubi Regina hilaritatibus liberaliter indulgens, latum juvenili animo pandebat campum, apud quam ut indies veniret acceptior, dotes animi eximias patrimonij divitis sumptuosâ profusione explicabat: salutis negotium inter hæc tam nihili curans, ut mente Catholicus, ceterà Reginæ hæresis haberi vellet sectarius. Juvenem tot abruptis in ultima præcipitantem exitia Divina miseratio in viam reduxit, & per eadem ipsa quibus peribat abrupta in tuto positum, ad fastigium evexit excellentissimæ virtutis.

Solebant in Aula jam hæretica dies Christi nascentis & alij per annum sacratiores, proscriptis pietatis & devotionum exercitijs, chorearum, musices, ludorum, & comœdiarum apparatu incredibili celebrari, quorum & sumptuum in ijs faciendorum cura uni cuipiam ex Aulicis à Regina demandabatur. Incidit

cidit Anno 1569. ea procuratio in Thomam, iisque honorem hunc sibi plurimùm est gratulatus, quòd & in sumptu faciendo gaudebat videri splendidus, & quòd in arte saltandi, & elegantia corporis parem in Aula habebat neminem. Et verò saltavit tam eleganter & doctè, ut ei tota applauderet scena, & manum ejus prehenderet Regina nudâ dexterâ, saltationis laudatæ præmio valde singulari, galerúmque LeicestriæComiti abreptum, capiti ejus sudanti ipsa imponeret, ac post interludia quædam invitaret ad iterandam saltationem. At hic dum se rotat, & in gyros multiplices ex summis pedis unius articulis corpus agit; seu fatigatione, seu vertigine oculos nubilante, humi toto corpore prosternitur, exploditúrque non minore sannarum & ludibrij sonitu, quàm quo illi antè ad plausum fuerat. Accessit Reginæ sarcasmus crudelis, *bovem*, illum dedecorosè, *surge Domine Bos*, compellantis. Et surrexit ille quidem, genúq; inflexo Reginam veneratus, vulgatum illud latinè protulit: *sic transit gloria mundi*: & exinde Aulam, & Urbem, & publicum exosus, Belmontio suo se condidit solitarius; ubi præmium reputans servitutis in mundi obsequia collocatæ, virorum stultissimum se incusare; quantóque secum beatiùs ageretur, si DEO sacrâsset quæ Reginæ oculis in DEI contemptum tum egerat, tum passus fuerat atque profuderat, reputare; magnam denique indè sui miserationem & horrorem concipere, & propositum futuri emendandi tam constans fixúmque, ut per annos abhinc 44. (erat verò tunc annorum 30.) aliùs omnino à se vixerit. Ante omnia igitur DEO & Ecclesiæ, quam turpiter in oculis Aulæ, hæresimReginæ simulando, negaverat, ardentissimâ pœnitentiâ restitutus, paterni castri habitationem cum privata civis Catholici domo mutavit, in eáque solitariam eremum assiduâ oratione & vitæ asperitate paulò plus biennio exercuit. Meditationi Divinorum mediâ nocte horam dabat, sequebatur lectio librorum piorum ad usque auroram, indè tres & quatuor horæ Meditationi resumebantur, diei reliquum sanctorum Patrum lectio occupabat, præter duas vel tres sub vesperam horas orationi denuo impensas. Hæc, & jejunandi assiduitatem, somni in servili strato humi duritiem, imminuto cerebro aut superstitioso tribuebant hæretici, familiares Catholici imprudentem in se vocabant sævitiam: at is nihil omnibus motus, nihil de suscepto vitæ pondere detrahens, istis exemplo, illis evasit admirationi. Omnibus festis & dominicis, & quotiescunque aliàs Sacerdotis copia dabatur, præmissâ Confessione, SS. Evcharistiam sumebat, & alijs ut id facerent auctor erat, in tam magnis animæ, hæreticos inter medios, periculis. Votum quin etiã perpetuæ castimoniæ concepit, & alterum suscipiendi Sacerdotij, ubi priùs per septennium pijs in operibus illi se præparâsset: tum etiam Societatem JESU, de qua jam nonnulla ex lectione nostrorum ab India epistolarum acceperat, complectendi, eâ potissimum causâ, quòd dignitates omnes voto repudiaret.

Biennio sanctè itã transacto visa est animi, quam unam sui gerebat, cura, in aliorum etiam utilitates dividenda. Noctem igitur servabat sibi, & consvetas cum jejunijs afflictationes, diem dabat alijs, juventuti præsertim Catholicæ quam domi cogebat, & in Religionis dogmatibus instructos, ad constantiam in ea retinenda firmabat: nec majore triumphabat gaudio, quàm ubi cum 16. aut pluribus socijs, Sacrificio Divino vel epulo aderat. Hos inter duo illius fuêre nepotes, parentibus hæreticis sati, quos Catholicè penès se educatos, bonorum deinde suorum hæredes dixit. Nec ulli parcebat largitati (esto adhuc ex matris viventis penderet nutu) ad pauperes sustinendos, quos egestas in Fidei agebat discrimen; hæreticis ipsis liberaliter beneficus, ut corde emollito, aures veritatis Catholicæ capaciores efficeret; &, si facultas largiendi deesset, sibi libenter necessaria in victu & vestitu subtrahebat, vel à Nobilibus amicis exorabat stipem, Confessoribus maximè Christi intra carceres, Fidei causâ, summâ egestate & miserijs oppressis elargiendam: de quo beneficentiæ præclaræ studio, librum scripsit ad Henricum Comitem South-Hamptoniæ cognatum suum, insignem ibi rei Catholicæ Patronum. Quibus artibus, & peculiari suâ ad persvadendum facundiâ multos fulcivit labantes, erexit lapsos, vacillantes firmavit.

Dum itã Pondo servandarum siti animarum maximè uritur, redux in Angliam Româ Sacerdos quidam Henricus Alvarus, retulit ei quàm plurima de Societatis Instituto, de ejus in juvandis proximis ardenti zelo; quibus animus Pondo, desiderio ejus vitæ itã accendebatur, ut nisì matre adhuc superstite prohiberetur bona sua largiri in pauperes, quòd alioqui in suo discessu essent in fiscum redigenda, Romam illico navim ad Societatis tyrociniũ esset conscensurus. Inter hæc DEUS familiaritatem illi obtulit juvenis, ijsdem desiderijs inflammati, cui Thomæ Stephani nomen, quem

quem domi habebat sodalem, & tantùm non ùt parem; foris autem ad eludendas hæreticorum nares exsugendis Catholicis insidiantium, ad speciem servum. Cum hoc, exacto biennio impatiens ulterioris moræ, statuit conflatâ ex venditis quæ ad manum erant pecuniâ, quidquid de bonis suis post discessum fieret, suo cum Stephano Angliâ sese eripere, secúmque juvenum lectam manum Romam perducere, quos Societati pepererat. Rebus omnibus comparatis Londinum discedens, quò minùs continuè navim conscenderit, hospitis illum istic sui tenebat miseratio, quem ut ab hæresi evolveret, noctes aliquot nihil non egit: verùm perfidiâ hominis omnia elidente, decrevit manè, ùt primùm lucesceret, prono Tamesi ad mare descendere. Verùm ipsâ illâ nocte en adest familia Pseudo-Episcopi Londinensis, invadítq; Pondo, qui non minùs sereno vultu & animo in carcerem ductores sequebatur, quàm erat navim in Italiam petiturus. Mortem nihilominus præsentem cernebat, si vel sola scripta sua deprehenderentur contra hæreticos, & Reginæ potestatem Ecclesiasticam elucubrata, quæ secum ferebat in sarcinis. Captivationis causa videbatur, Catholicorum ejus adhortationibus in recusanda hæreticorum communione firmitudo; Vintoniæ præsertim Urbe Episcopali, quo ipse identidem excurrens, magno fervore in proposito recusantes solidabat: ad quod accessit suspicio, discessum è Patria in Regiones Catholicas illum moliri: quod certò deprehendere, multum intererat marsupij Episcopalis, è confiscatis Pondo dominijs copiosè ditandi. Incarcerati constantiâ incredibiliter animo motus hospes ille amicus, quod nulla priùs ex eo argumentorum vis evicerat, unicum Pondo alloquium, & generositatis Catholicæ observata in eo argumenta expresserunt, ut cum uxore omníque familia Ecclesiæ conciliaretur. Magnâ hìc urbanitatum fallaciâ & blanditijs tentatus fuit Pondo ab Episcopo plenam libertatem pollicente, si ad publicam satisfactionem in hæreticorum concione vel semel appareret: quod ipse constanter inficiatus, post semestrem carcerem precibus Comitis Sout-Hamptoniæ liberatus est, qui se vadem pro illo constituit, spondens fore ut ab Anglia non discederet, neque se negotijs ad Religionem spectantibus immisceret. Sed cùm ille Belmontium commigrans, prædominante zelo, fluctuantibus firmandis, & illuminandis hæreticis nunquam abstineret, raptus denuo est ad tribunal Horni Episcopi Vintoniensis; & quia illum hæresis suæ palàm in conferta multitudine revicerat, traditus est Judicibus laicis, atque ab his Londinum transmissus ad causam in supremo Regni tribunali dicendam.

Londinensi è carcere non facilè ad libertatem exitum ampliùs sibi concedendum ratus, statuit per internuncium à Societatis Præposito Generali admissionem in Societatem exposcere, ablegato Romam cum literis familiari suo Thomâ Stephani Año 1575. postquam integro quinquennio sanctum id desiderium animo volvisset, & irritò tentatâ è Regno fugâ complere laborâsset: qui negotium ità feliciter pro se & Domino suo egit, ut uterque voti compos effectus; Pondo quidem patiendo in carcere, Stephani autem Sacerdotio post Tyrocinium Societatis suscepto præclara agendo in Indijs, vocationi suæ liberaliter responderint. Postquam enim in Orientalem Indiam Thomas navigâsset Anno 1579. per annos 40. Christianitatem magnam in Salsettæ Insulis collegit, & Fide pietatéque excoluit, quinquennio etiam Salsettani Collegij Rector, & postmodum Visitatoris Indiarum socius. Extant istius ad Societatem receptionis à Generali Mercuriano datæ ad Pondo Anno 1578. literæ, quibus inter reliqua hæc inserit: *Etsi ità Instituta nostra ferant, ut nullum, nisì bene multis probatum experimentis in numerum nostrum recipiamus, tamen tam luculento tum Stephani, tum aliorum testimonio permoti, & pro diuturna probatione tot annorum labores & ærumnas accipientes, pro ea auctoritate, quam nobis licèt indignis Dominus DEUS dare dignatus est, jam nunc Dominationem Vestram tanquam filium & fratrem amplectentes, illam in Societatem nostram recipimus, & admittimus, & ùt verum membrum in totum hoc corpus insertum, deinceps quoque nostrorum omnium operum, laborum, meritorúmque consortem ac participem facimus.* Monet deinde illum, ut neque vestitu & habitu, neq; verbis & sermone cuiquam prodat se de Societate esse, donec meliora affulserint tempora, nè in rabiem concitati scilicet Regij, tantò acerbiùs in Catholicos sævirent, majúsque impedimentum poneretur socijs in Angliam, quò Anno 1580. penetrârunt, sese insinuandi. Et reverà merum tyrocinium videri poterant, plus quam biennio toleratæ ab illo hactenus carcerum ærumnæ, deinceps enim per annos ferè 30. continuos, ijs per omnia Londini ergastula calamitatibus exercitus est, quas nisì Vir fortis & virtutis veteranæ superare

nequi-

nequivisset; incredibiliter ad eas etiam hilariter ferendas animatus Mercuriani literis, suiq; in Societatem auctoratione.

Duodecim Londini computantur celebriores carceres (quos ad multorum deinceps historiam meliùs capiendam semel recensuisse juvat) olim facinorosorum & latronum receptacula, hodie Confessorum Christi sæpius ità constipata hospitia; ut ijs recipiendis nequaquam sufficiant: tres nimirum in tribus Urbis portis, in ea, quam *Novam*; altera quam *Luddi*; postrema quam *Domûs Westminsteriensis portam* (fuerat enim porta olim Monasterij ad Occidentem positi) vocant. Trans Tamesim quinque, *Bancus*, seu Sedes Regis: *Mariscalli Sedes*: *Clinca*, seu *Atrium Wintoniense*: *Leo albus*: & *Domus supputationum*, seu dicas *Nomistirion*, aut *Computatorium*. Sparsi per Urbem alij tres, *Fleta*, & aliud *Nomistirion* seu *Computatorium*: & *S. Brigittæ Fontes*, in quos ferè ære alieno graves, vel vagi nebulones conjiciuntur. Denique extimæ parti Urbis, Orientem versùs, Arx imminet, quam *Turrim Londinensem* dicunt, custodia eorum, qui læsæ Majestatis, & gravissimorum criminum postulantur, cùm ad *Novam portam* plerumque relegentur latrones, sicarij, facinorosi. Octonos ex his, præter ergastula extra Londinum *Wisbicense*, *Framingamium*, *Storfordium*, vinculis suis trivit Pondo; septennio captivus in Arce Londinensi, quatuor in Mariscalli Sede, sesquianno in Storfordiensi, decem in Wisbicensi, tres Framingamiæ, reliquos ad usque trigesimum sparsim in alijs: martyrio tantò acerbiore, quanto ardebat magìs ad Tiburnas furcas Londini illud absolvere, à quibus centies passu vix uno distans nunquam potuit pertingere. In his detrudebatur plerumque ad subterranea, gelida, humida loca, expertus etiam angustissima, fœtidissima, & rimâ qualibet malignæ lucis carentia, similiora sepulchris quàm custodijs: quâ perpetuâ captivitate impeditus, nunquam ad Sacerdotij characterem recipiendum pervenire potuit. *Sæpe*, scribit ad Catholicos varijs distractos custodijs: *Examen subij apud Dominum Younge, bis à quinque vel sex Commissarijs, semel publicè productus in maximam hominum frequentiam onustus ferro; dum hinc abripior ad Novam portam (quia liberiùs stetisse pro veritate coram ijs videbar, quibus non libebat audire) carnifex quasi jam damnato abripit cum pallio pileum, quódque mihi æquè ùt illi dolebat, caput salvum relinquit: intecto caput, & gravi ferro progredienti, acclamat plebs: crucifige, crucifige; & omnino abundè satìs & liberaliter Viduæ Novæ-portensis eleemosynam (tormenti genus certum sic vocant) mihi impertierunt. Decretoriam sententiam quatuor jam horas à meridie expectâram, cùm ecce derepente educor, ferro manus & pedes eximuntur, redditur capiti pileus, pallium humeris, mittor ad Collegium Lincolnense, quinq; illic reperio judices delegatos, quorum unus Toplifus. Ijs Regina mandârat me blanditijs, minis, aut quocunque tandem modo ab Instituto revocarent; sed cuncta illis in cassum cecidêre. Urgent, si fidum me velim Reginæ, si amantem subditum demonstrare, necesse esse eorum nomina ut edicam, cum quibus, & queis in locis mihi fuerit consvetudo. Respondi, me ad fidelitatem meam & ipsorum jurejurando firmandam esse paratissimum: ceterùm nefas esse, hominem Catholicum & probum, nec genere nec educatione ignobilem, conscientiæ curam aliquam gerentem, amicis & innocentibus damnum aut periculum, eorum nomina indicando, creare: sic frustra tentatum, in carcerem urbanè remittunt. Adest biduo pòst Toplifus* (Catholicorum inimicissimus rabula) *cum custode carceris, omniq; comitate animi mei constantiam pertentant: multa hìc disceptatio, profectus nullus, conditionem meam deplorant; id maximè ijs dolet, de quo plurimùm ego glorior, Fides atque Fidei causâ captivitas. Brevi pòst evocor ab Younge, familiarissimis verbis demulcere conatur, ut familiares meos prodam, ut arcanum quidpiam enunciem, quod scilicet ei usui esse posset ad nequitiam. Sed dum nihil effecit, hortatur tandem ut ad Cancellarium Regni scribam, gratiam impetraturus; ac scripsi quidem, sed in eam sententiam, ex qua pro reo habitus sum, ità ut deinceps minùs me curarent, pertinacem scilicet hominem, & inter Catholicos publicæ Regni salutis, id est hæresis, inimicissimum. Nunc ergo teneor secretâ & solitariâ custodiâ, spe nullâ solitudinis mitigandæ, nisì si denuo proximo judicio cum Novæportensibus reis sistar, fidelitatis erga DEUM & Religionem Catholicam reus.*

Londino subinde deportatus Storfordiam in subterraneum antrum missus est, omni mortalium allocutione & aditu privatus, nè illos, utì semper Londini faciebat, ad sanitatem Catholicam revocaret. Illic dum faber aptandas cruribus producit compedes, demisso capite eas Vir DEI pio osculo libavit, quod nescio quomodo interpretatus Faber, elatam subscudem ferream in caput ipsius impegit, non sinè sangvine è vulnere prorumpente: cujus aspectu Pondo nihil immutatus: *ab utinam*, exclamat, *hic sangvis ex intimis meis præcordiorum venis efflueret, in tam bona pro* qua-

qua patior causa! Perculsus faber tantâ patientiâ, quærit, unde illi tam certa veræ Religionis fiducia; quando tunc passim per Angliam Catholicus à scelerato & facinoroso nihil diversum sonaret? Eas illi edidit rationes Pondo, ut faber ex ijs fieret Catholicus, & eâ similiter causâ carceri mancipatus sanctè in vinculis moreretur. Quibus ejusmodi eventibus, Reginæ administris erat intolerabile, quòd Pondo nullis cruciatibus, dolore, & custodum hæreticorum injurijs domari & emolliri posset, imò vegetior evaderet, & fortitudinis suæ spectaculo Protestantes quoque salubriter commoveret. Post sesquianni tenebras Storfordienses, lumen in eo Fidei debilitatum sperantes Magistratus, Londinum reducunt, tentaturi per Ministellorum disputationes, num penitus extingvi posset. Immittuntur duo tenebriones Trippus & Croulegus, experturi cum Pondo de Religione; sed eò soliditate argumentorum redacti, ut in lucro discessum ponerent: questi idcirco magno apud Episcopum Londinensem tumultu, Thomam insolescere indies superbiùs, tantúmque abesse ut ad Calvini partes inducatur, ut scripto è contra pestilenti ad reddendas sectæ suæ rationes eos provocare audeat; simúlque ab eo traditam sibi chartam exhibent. Ille naturâ ferus & in Catholicos furiosus, extemplò mandat iterum Londino procul abductum sepeliri arcto cavo, & nocte tristissimâ absque ullo lucis spiraculo condi, nullius aditu vel alloquio recreandum; nullo strato, nisì quod nuda & limosa præberet humus, manicis & compedibus vinctum. Quibus non exatiata Nortoni, unius ex Assessoribus Præsidis Londinensis Castelli crudelitas, persvadere conabatur, publico judicio capitis damnandum; ac tum supplicio, specie misericordiæ condonato, Bedlami stultorum & maniacorum ergastulo perpetuò includendum. Sed in flagranti sua nebulonem pœna à DEO secuta est, dum paulò pòst ejus uxor mente dejecta, in Bedlamo stationem sortita est, quàm Confessori Christi destinaverat maritus. Wisbicensi subinde Castello (de quo fusiùs in gestis P. Guilielmi Westoni) inclusus, singulari DEI patrocinio in vita servatus est. Accumbebat inter alios mensæ, cùm lacunar vetustum suopte depressum pondere concidit, oppressurum Thomam, nisì præter morem cubiculo tunc abfuisset. Quod nè casu factum putaretur, de lacunari corruente tantum parieti affixum pependit in aëre, quantum erat necesse, ut subjectam Aram instar umbellæ protegeret, nè quidquam damni sentiret, quidquid in ea sacri erat repositum.

Defunctâ fato Reginâ Elisabethâ, meliora Pondo sub Rege Jacobo, Mariæ Stuartæ filio, sicut & omnes Catholici confidens, ausus est è carcere supplici libello apud Regem queri de hæreticorum in Orthodoxos crudelitate, eâ maximè, quà ultimò innocentes duos Lancastriæ solius Fidei causâ supplicio perduellium sustulerant. Verùm rebus omnibus in deteriora adhuc vergentibus, Pondo in judicio publico calumniæ postulatus mulctatur aureorum millibus quatuor, & præcisione auricularum, in pœnam injuriæ æquissimis scilicet Judicibus intentatæ, ac perpetuò insuper carceri addicitur, nisì socios suos nominet, Catholici dogmatis defensores. Sed cùm nullis terroribus verbum aliquod ab eo excuti posset, quod ulli Catholicorum periculum crearet, intercessione tandem Legatorum Galliæ & Venetæ Reipublicæ, septuagenario major liber à Rege carcere dimissus est. Doluit enimvero Christi pugili quàm maximè, palmam sibi martyrij toties speratam velut in manibus infringi, toties capitis in publicis judicijs postulato; eò quòd nullum dilabi occasionis articulum sineret, quin palàm & publicè, privatim & ubique, ipsis quoque pro tribunalibus negaret Reginam Ecclesiæ caput esse, aut plus aliquid sacri juris præ qualibet alia fœmina habere. Evenit aliquando ut Sacerdos coram tribunali cum eo consistens, in ea quæstione: *censendúsne esset in Ecclesiasticis supremam per Angliam potestatem obtinere Pontifex, an Regina*? timidè dubius hæreret, & in diverticula se implicaret; sed imperterritus Pondo palàm ei acclamavit: *dic, Pontificem obtinere, cui enim alteri id jus competat?* licèt id profiteri nefas capitale esset. Nimirum incredibile pro Christo moriendi desiderium in tantum contemptum vitæ Thomam adduxit, ut decem etiam rationibus emolumenta & solatia istiusmodi mortis complexus sit, quibus assiduè ruminandis animum ad generosè illam oppetendam incitabat. Ad illam disponebat se flagellationibus cruentis, somni incommodissimi brevitate, continuatâ inediâ usque ad decrepitum ætatis. Ac jejunium quidem unius in die refectionis continuâsse se ait annos 40. vocátque hamum efficacem ad capturam uberem animorum, in sua ad P. Personium epistola. Precatio, sermo (ubi poterat) de Divinis ad socios carceris bonam noctis partem, dies totos occupabat; quanto rei Catholicæ lucro, Episcopi furo-

furore suo apertè testabantur, dum illum propter multorum ubique conversiones suis ejectum custodijs, abduci procul in alias atque alias jubebant, & solitarium sepeliri, quòd in templa carcerem verteret & domos religiosas. In carcere Wisbicensi præter alios complures Sacerdotes, nactus etiam captivitatis socium P. Guilielmum Westonum nostrum, vitæ quotidianum ordinem per omnia ad normam & amussim Collegiorum ordinavit.


Tandem libertati restitutus, Belmontium in avitum bonum remissus est, ubi 11. annos superstes sanctissimè vitam egit, sub obedientia Societatis Superiorum, ex quorum præscripto vitam omnem ordinabat. *Captus pro Christo*, (scribit ad Personium, tanquam Superiori rationem suarum rerum reddens) *30. annos per varios carceres Christi & Evangelij causâ raptatus sum, cùm 16. aurei primùm; deinde per 20. annos aurei 80. in singulos menses fuerint à me in ærarium Fisco pendendi, qui cum alijs mulctis summam unius & viginti mille excedunt. Navigaturus ex Anglia, possessionibus meis in nepotes duos translatis, quos ex hæreticis ortos Catholicè educaveram ùt filios, uno pede quasi jam navim conscendi; cùm à Superiore meo, cujus ad nutum me formavi quasi senis baculum, jubeor subsistere, donec quid Pater noster, vel quid R. V. suaderet, cognosceretur. Itaque spe omni exutus, & gravibus insuper calamitatibus conflictatus, nudum me Rev. Vestræ & pauperem sisto, ut si quid hoc misero vitæ meæ residuo peragam dignum laude, penes Rev: Vestram ejus meritum sit & lætitia. Quærit ex me Rev: Vestra pro sua charitate quid agam? quî vivam? quo animo in Religiosa vita proficiam? si fas est dictu quod planè sentio, bene feliciterque me dicam agere. Nam quod Capitalium Ministris professus sum, qui me Framingamium in carcerem ducebant, hoc idem nunc & profiteor ultro, & sum ùt spero æternùm professurus: hanc, quam pro Societatis toga gero vestem, coronâ Regiâ minimè mutaturum! Dego meis duobus cum nepotibus parco victu, nec sum quem me multi autumant ampliùs opulentus, quia me vident in pauperes meis vicinis largiorem. Ferè autem idcirco à nobilioribus diligor, quòd à me bona, quibus tantopere inhiant, nullo loco haberi videant. Cibus mihi præparvus, vinum nunquam, post unam refectionem in meridie, vesperi panis & caseus cœna, cerevisia potus est; medicinam nullam admitto, cibus est medicina valenti. Ab hoc vitæ tenore familiariores ut me dimoverent, importunissimam his tribus annis exhibuêre molestiam, duravi nihilo segniùs, durabóque ad mortem, favente DEIparâ cœlóque universo, nec enim arbitror me comprehendisse, sed destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis. Rev: Vestra me juvet suis, cujus indignissimus sum filius, precibus. Ex ædibus olim meis Bellomontij 3. Julij 1609.* Tandem ad coronam heroici certaminis vocatus anno 1616. die Martij 5. obijt eodem in conclavi, ubi ante annos 76. nascendo brachium capiti extentum præmiserat, futuræ omen victoriæ. Nomen ejus in afflicta illa Ecclesia viventis & mortui clarissimum est, tametsi vivens se ferret ægerrimè à scriptoribus illorum temporum laudari.

Ex Anglia Bartoli & Mori.

P. BERNARDINUS REALINUS.



ADmirabilis, si cujus alterius etiam ex Viris sanctissimis, vita fuit & sanctitas P. Bernardini, tum prodigiorum vaticiniorum, apparitionum, ante & post mortem multitudine, tum virtutum & præclarè sanctéque gestorum magnitudine, ùt hìc recenseri sigillatim neutiquam etiam per compendium possint. Igitur plerisque mirabilium in genere duntaxat insinuatis, ea solùm recensebimus, quæ propiùs ad curam animarum Apostolicam & illius decora ac virtutes pertinent. Fuit igitur P. Bernardinus natione Italus, Patriâ Carpensis, natus Anno 1530. 1. Dec: antiquæ Nobilitatis Parentibus, à quibus omnem virtutem & probitatem, & singularem potissimùm erga DEI Matrem pietatem, educatus est: à puero misericordiæ & liberalitati ità deditus, ut egentioribus in schola condiscipulis libros coëmeret, aut proprios elargiretur. Juvenis operam navavit Philosophiæ ac Jurisprudentiæ, in quibus Doctoralem adeptus lauream Bononiæ, aliquot etiam Magistratibus ab Hispaniarum Rege delatis perfunctus est: tam parùm nihilominus solidæ quietis in ijs expertus, ut persæpe voces has ingeminaret, postmodum etiam in Religione sibi familiares: *Æternitas! æternitas! ô res horrenda, semper & semper!* Quæ cogitatio nunquam eum à recti tramite deviare sinebat, sive cùm Prætorem ageret Felizzani, Cassini, Castraleoni; sive Fisci Advocatum Alexandriæ; unde semper erat in expediendis actionibus celer,



P. Bernardinus Realinus S. I. Italus, salutis animarum sitientissimus; vaticinijs & prodigijs clarus, decessit Lupijs in Italia 2. Iulij. 1616. ætatis. 86.

99.

celer, in puniendis malefactoribus ad aliorum terrorem justus & acer, in defensione miserabilium strenuus, accessu facilis & affatu, recti bonique apud omnes custos acerrimus. Demum à Marchione Piscariæ totius suæ ditionis Inspector creatus, cùm fortuitò Neapoli duos Societatis adolescentes inambulantes conspexisset, rarâ ipsorum castigati oris incessúsque captus modestiâ, quæsivit ex Comitibus, quinam essent? cúmque audisset de Societate esse, exarsit illico ingenti desiderio Instituti, in quo tales Angeli (quo nomine semper deinceps socios vocabat) degerent. Nec multò pòst Ecclesiam Societatis die festo ingressus, audijt Joannis Baptistæ Carminatæ, celeberrimi eâ tempestate Ecclesiastæ, concionem; quâ intimè sauciatus, è vestigio constituit generalem totius vitæ confessionem apud illum peragere: sed monitus, utiliùs longè illam peractum iri, si dierum aliquot per meditationes recollectionem præmitteret, paruit libenter, & obivit utramque animoso constantíque perfectioris vitæ proposito. Quod suum propositum dum postea ardenti oratione DEO commendaret, apparens SS. Virgo cum puero JESU in ulnis, clarâ luce orantem implevit, hortata ut Societati JESU nomen daret. Susceptus à Provinciali Alphonso Salmerone uno è primis decem sancti IGNATII socijs, priusquam Tyrocinium ingrederetur, Commentarios à se elucubratos in profanos Poëtas, & id genus alia opuscula magnis sumptibus à Bibliopolis & Typographis quotquot extarent exemplaria redemit, igníque damnavit, dolens non posse omnes ubique jam sparsos vel sangvine delere, in quibus

quibus tempus & operam tam inaniter perdidisset. Exolutis deinde quæ fortè contraxerat debitis omnibus, quidquid superfuit in pauperes erogavit; itáque vacuus terrenorum Tyrocinium Neapoli auspicatus est anno ætatis 34. tantâ humilitate suíque abjectione, ut unicè tunc & totâ vitâ doleret, se non in numerum laicorum Coadjutorum, quod unicè flagitabat, redactum: donec viribus demum & oculis penitus in ultima senecta defectus, gavisus est se in eorum sortem quasi restitutum, quòd sacrificandi & officij Divini recitandi impotens, cogeretur communione laicâ, & recitandâ B. V. Coronâ esse contentus.

Exacto per omnia virtutum & maturæ sanctitatis exempla tyrocinio, ac subinde repetitâ Philosophiâ, Sacerdotio initiatus est; & ob emicantem virtutum omnium splendorem, præter communem Societatis morem, discipulus in Theologia existens, Collegij tamen Neapolitani Confessarius & spiritûs Præfectus, imò & Tyronum Magister renunciatus, jussus insuper in tertio Theologiæ anno à S. Francisco Borgia Generali quatuor solemnia Professorum vota emittere, unâ cum suo in Theologia Professore, quem tamen etiam deinceps audire discipulus perrexit. Tanta autem Viri jam tum erat sanctitas, ut remedij causâ eum accedentibus evanescerent interiores molestiæ mox, ùt primùm erant cubiculi januæ propiores, quasi tentatore odorem sanctimoniæ non ferente. Ipse verò ab impuris imaginibus penitus liber evasit ope Beatissimæ Virginis, quæ se identidem ipsi maximè Coronam suam recitanti spectabilem præbebat, utì & alij creberrimè Cœlites. Adhibuit etiam ex parte sua perpetuam cautelam, ut nunquam in fœminarum vultum, etsi cum plurimis ageret seu confessionis, seu consilij causâ illum adeuntibus, oculos defigeret. Obscœnis autem phantasijs vexatos docebat, ut decubituri Crucis signo ter pectus munirent, totiésque orarent: *per sanctam Virginitatem tuam purissima Virgo MARIA emunda carnem meam, in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti*: quod amuletum multi efficacissimum experti sunt. Neque resplendens Viri sanctitas latere diu etiam sæculares potuit; certatim enim ad illum cœptum est confessionis & animæ regendæ causâ, totâ Neapoli concurri; & quidam vitæ licentioris ad aperiendam illi conscientiam inducti, ad primum confessionalis ingressum tanto peccatorum dolore compungebantur, ut toti in lacrymas solverentur, & efficacissima vitæ corrigendæ proposita conciperent. Crescente verò latiùs ejus per Urbem nomine, res eò venit, ùt clàm illi à confitentibus subsecarentur frustilla vestium, & quæ contrectâsset, reliquiarum vice quærerentur: agerent quin etiam Primores Regni, ut ad baptizandos illorum filios concederetur. Interim ipse in se durissimus, Quadragesimam solo pane secundario eóque sicco & vetusto, & brassicâ in pura aqua elixâ transfigebat; reliquum verò anni tempus solo pane in vinum intincto, & exiguo ad summum caseo: testantúrque multi à se diligentiùs observatum, supra 5. aut summùm 6. uncias cibi sumere solitum non fuisse. Natu jam grandis vernum Quadragesimæ jejunium traduxit solis contentus panum micis: & sub Christi Natalem mansit quatriduo integrè jejunus. Post absolutaTheologiæ studia ardentes ad populum conciones per aliquot annos fructu præcipuo, & maximorum peccatorum conversione habuit, allocutiones item apud Moniales exitu non dispari: præter curam Turcicorum & Maurorum mancipiorum, quæ Neapoli Catechesi laboriosissimâ instituebat, & eorum non paucos ad sacrum denique fontem perduxit.

Lupios deinde celeberrimam Regni Neapolitani Urbem missus, & publico totius Nobilitatis occursu plausúque omnium Civium exceptus; die sequenti, dicto Sacro, mox carceres publicos adijt, operam vinctis spiritualem & temporalem navaturus: indè ad Nosocomia etiam leprosorum se contulit, atq; ex eo die constantem illorum solandorum & suis manibus juvandorum curam assumpsit. Capite damnatis supremum ad usque spiritum præsto semper fuit, eos in ipsas scalas cum Crucifixo comitando; ex quibus deinde velut de suggestu eo impetu mentis & igne verborum alloquebatur Spectatores, ut pœnitudine scelerum in fletus dissolveret. In his sceleratissimus reus in repellenda confessionis sacræ medicina erat obfirmatissimus, cujus tamen salutem Pater minimè desperans, eodem curru per Urbis fora circumvectum comitatus est, ejúsque candenti forcipe laniati vulnera miserando, osculando, solando, blandiendo, tandem ad eluenda sumo cum dolore crimina feliciter permovit. Nec institutionem à varijs sectis mancipiorum hìc etiam omisit, quorum pleraque, catechesi laboriosissimè imbuta, Christo lucratus est; pœnitentibus unà multas horas concedendo, invisendo ægros, & omnium saluti instantissimè consulendo. Taceo conciones manè & post meridiem festis omnibus diebus habitas, Monialium adhortationes, institutionem puerorum

& ru-

& rudium, ad quam ætas etiam grandior & senum ex utroque sexu confluebat, fructu tanto, ut in lacrymas uberes plerumque soluti Auditores, multi eorum non priùs templo excederent, quàm animi sarcinas ad pedes Sacerdotum abjecissent: multæ meretrices ad frugem redirent, multi abrogarentur injusti contractus, & inveterati pridem inter cives abusus. Ad hæc consulebatur ab omnibus Ecclesiasticis & sæcularibus, nec quidquam decernebant Provinciæ Gubernatores, Duces, Marchiones, Episcopi vicini, nisi rogatâ Bernardini sententiâ, quam veluti à DEO profectam sequebantur. Ejusdem in rebus quibusvis dubijs per literas sententiam exquirebant remotiùs dissiti, quibus ità plenè satisfaciebat, ut nihil anceps in mente sua remanere confiterentur. Neque id mirum; experti enim erant, illum non tantùm de præsentibus optima dare consilia, sed de futuris etiam & remotissimis ità certa dare responsa, ut legere illa in Divinæ sapientiæ libro, nunquam de eventu falsus, videretur. Tot enim ejus admirandæ fuêre & eventu certo semper firmatæ prædictiones, ut aliquibus tantùm obiter recensendis in ejus vita Lugduni anno 1645. edita, capita 7. non suffecerint. Quos ejus tam fœcundos labores exosus dœmon variè illum divexabat, nunc cibum illi fœdando, nunc somno lectóque excutiendo, ut fractus opere ac vigiliâ alijs prodesse non posset: sed DEUS è contra prodigijs etiam conatus prosequebatur, dum ad solum illius in domos & cubicula varijs morbis affectorum ingressum, sanitatem repentè integram concedebat, ejúsque precibus de vita & fama periclitantes admirabiliter juvabat. Multa quidem illi à Civibus mittebantur donaria, & quæ ad victum pertinebant; sed illa omnia, solo necessario pane in cibum reservato, ad pauperes & hospitalia destinabat: donec ex laborum pondere oppressus, coactus est Medici præcepto vinum album bibere, quod rogatus Vir nobilis pronissimè dari jussit, si quid in exhausto doliolo residuum esset: & stillavit tum quidem quantùm præcisè opus erat, verùm duos præterea menses deinceps, ingenti domûs admiratione, vas illud vacuum bis quotidie petenti sincerum vinum & optimũ reddidit, nec priùs aruit, quàm actis gratijs significaret Pater Nobili, se illo subsidio non ampliùs agere.

Atque his Bernardini tum laboribus, tum exemplis permota Civitas, Collegij apud se Societati perpetuò fundandi tam efficacem curam suscepit, ut intra biennium in templo illi erecto primum concionem habere ipse potuerit; non minore diligentiâ assurgente mox Collegij & Gymnasij fabricâ, tanto splẽdore & impensis, ut nemini ea in Provincia cedat, nisi Neapolitano. Revocatus exinde majorum jussu fuit Neapolim, ac subinde sæpiùs Romam, tum ab Everardo Mercuriano, tum à Claudio Aquaviva Præpositis Generalibus, cupientibus illum nunc Collegio Romano, nunc alijs majoribus Societatis munijs admovere; verùm quoties in viam se dare tentavit, toties repentinâ febri, aut alio gravi malo, vel tempestate ità obrutus fuit, ut progredi non valens ad reditum cogeretur. Certior aliquando factus Everardus, cum ipsâ nocte, cujus manè profectionem pararat, febri occupatum, scripsit nihilominus veniret Romam, ubi revaluisset. Verùm cùm per octo menses protraheretur febris, rescripsit denique, maneret, nec de Romano itinere cogitaret: animadvertit nempe cùm DEO pugnari, nolente Lupios ejus ope privari. Quibus literis Bernardinus acceptis, febri statim liber, brevì plenè convaluit, & Apostolico muneri se restituit. Juvit autem DEUS mirabili gratiâ operam quam navabat Turcis, Mauris, Hebræis, & diversissimarum nationum mancipijs convertendis, quantumlibet in secta sua obstinatissimis, quorum & varias lingvas percipiebat, & ab ijs vicissim Italicè loquens intelligebatur, quanquam recenter advectis, aliósque Italicè loquentes non capientibus: nec cessabat eos DEUS per visiones prodigiosas, dœmonum spectra, suppliciorum inferni minas exterrere, æternæ beatitudinis promissione alios invitare, donec assensum doctrinæ Patris præberent, quorum etiam nonnullis ad mortem ægrotantibus repentinam ex baptismo sanitatem contulit. In horum quibusdam, ùt Mauri præcipuè sunt stipato & angusto ingenio, doctrinâ sacrâ imbuendis, dici non potest quantum, quàm parco fructu sudaverit. Accidítque ut ternas quotidie per quinque dies horas insumeret ad ista quatuor tantùm verba: *Ave MARIA, gratiâ plena*, in caput unius defigenda: ut misertus Patrem socius, *mitte Pater*, diceret, *cum isto caudice tantum temporis frustra conterere*: cui ore hilari subridens: *minimè gentium*, inquit, *sed vincendus est patientiâ hic dœmon, qui obstupefacit misellis sensus, nè quæ sibi traduntur concipiat*; & vicit planè, ac discipulum tandem scitu necessarijs instruxit. In alio mancipio dum horas complures hærentem Sacerdos diu spectâsset, ut paucula illi symboli verba instillaret, affectúmque se mirificè diceret exem-

exemplo tam ſedulæ charitatis: *imò mi Pater,* reſpondit: *ſuam hic mihi pauperculus patientiſſimam pietatem magnopere probavit, cui totâ die cùm obſtrepuerim atque obtuderim, nè minimùm quidem nauſeantis animi ſignum dedit.* Nempe hunc laborem dulcedo interior diluebat, quam prodebat quoque exterior ſpecies docentis, flectebat enim ſemper cum mancipijs genua, & principio diſcendi cum ijs orabat: *Da Domine mi JESU Chriſte ut bonus evadam Chriſtianus!* quod idem ſtatim à B. V. ſimiliter poſcendum ijs præibat. Jam verò quoties eorum aliquem ſacro lavacro admoviſſet, tantis incedebat lætitijs, quantas occupato hoſtili Regno terrenus Princeps vix caperet: erga quos Chriſto jam regeneratos Patrem ſe per omnia exhibebat, adibat ægrotantes, commendabat heris ut mitiùs haberentur: Erat enim incredibili in animas hominum charitate, & quidem quantò quis erat vilior magíſque ab omnibus deſertus, tantò erat in eum propenſior. Miſeratione in flagitioſos intimâ pungebatur, dicere ſolitus: *ſe quidam noxas abhorrere, at noxarum reos haudquaquàm, ſic enim meipſum odiſſem plurium reum. Et me erga illos commiſeratione hâc dignatur DEUS, ut quantò ſunt graviorum rei, tantò illos amplectar audiámque libentiùs, cùm ab ipſo vocari DEO, ab ipſo invitari, pellici, ac ſollicitari non dubitem; non facit ſcabies inviſum Matri filiolum, ſed curationis & medicaminum aſſiduitatem ſvadet.*

Sæpius illum menſæ jam cum alijs aſſidentem evocabat vox DEI interna: *Surge Bernardine, in templum abi; confeſſiones excepturus!* reperiebátque tum vel maximè eâ indigentes. Eaſdem excipienti frequenter DEUS noxas ſuggerebat, quæ confitentibus memoriâ excidiſſent, de quibus eoſdem commoneret ut expiarentur. Narravit quidam Lupienſis Clericus, cùm apud illum ſero veſpere peccata ex ſcripto recenſeret, abrumperéq; defectu luminis cogeretur, ſubitò accenſam facem à tergo comparuiſſe, nullo qui eam ſuſtineret comparente, peractáque exomologeſi repentè evanuiſſe. Quovis loco, tempore, tempeſtate cum pœnitentibus eum vidiſſes: feſtis diebus ſummo manè reſeraturus templum Æditu, in ſede jam illum cernebat, flexo poplite eos præſtolantem: eodem ſe portandum curabat cum pedes ire non poſſet, poſtremus indè abſcedebat, nec priùs quàm adeſſet nemo qui ejus operam optaret: & poſtquam ſediſſet ibi horas 8. & plures, à prandio ſtatim eodem recurrebat, durabátque in ſeram noctem. Ajebátque, miniſtrandis confeſſionibus nullum illuſtrius, nullúmque dignius ad DEI gloriam, & proximorum ſalutem miniſterium Societati eſſe: cujus tam conſtante exercitio dici non poteſt quàm multis ademerit pellices, quàm multis æris alieni reſtitutionem perſvaſerit, inimicitias, odia, ſcrupulos exemerit, quàm multos ad diverſas Religiones miſerit. Ut primùm enim quis incepit Confeſſarium illum adhibere, unà quoque novam inibat vitæ rationem. Nec minore charitate neceſſitates corporis miſerorum ſublevabat, inviſendo ægrotos, recreando, ſuccurrendo, eleemoſynas conquirendo, omni ope, humanitate juvando. Invaſerat morbus Collegij ſervum, hyems erat dura, tempeſtas infeſta, noctu tamen Pater per apertam aream ad ægrotum conſtanter itabat, conſolabatur, juvabat, trullam adeò lecticariam expurgabat. His ille per Noſocomia & Ergaſtula juvandis, Sodalitatem Clericorum ſub titulo Aſſumptæ Virginis inſtituit, quos magno Urbis exemplo & ædificatione ad levandos ſolandóſque ægros & vinctos, ad ejuſmodi publica loca ductabat. Dedit etiam Numen verbis Bernardini eam vim & efficaciam, ut nullo negotio ſummè ardua perſvaderet, quæ factu antè impoſſibilia videbantur. Hydruntinum quendam peccandi ex aſſvetudine veluti neceſſitas eò adegerat, ut non poſſet niſi turpiter vivere. Lupios fortuitò delapſus, Patríque confeſſus, ſic ejus verbis reſipuit, ut continens de reliquo facillimè viveret. Par huic alius Bernardino neceſſitatem ſuam ad malum fidenter cùm narrâſſet: *nihil mirum id videri,* placidè reſpondit, *poſt inveteratum tot annis peccandi uſum; ſed oratione omnia ſuperari:* Orationem Angelicam quotidie octiduò diceret coram DEIparæ Imagine, complanatas iri difficultates omnes. Redijt poſt octiduum homo, pronum ſibi factu videri jam dicens, quod prius ineluctabile cenſebat, peractáque exomologeſi, longè aliam vitam vivere cœpit. Innumera ſunt ejuſmodi exempla quæ in ejus vita videri poſſunt, quibus implacabiles inimicitiæ momento extinctæ, homicidia impedita, reſtitutiones famæ, æris alieni, perſvaſæ.

Inter hos ejus tot labores valetudo crebris morbis tentata eoúſque defecit, ut quinquagenarius baculo greſſum fulcire opus habuerit, quo mira ſubinde patrari ſupra naturæ leges, ùt olim virgâ ſuâ à Moyſe DEUS voluit. Vix eo uti cœperat, cùm apud ægram pœnitentem illum oblitus, repetere ubi domum rediſſet ſtatuit: quem interea ægræ domeſtici decente loco, ſed fruſtra deponunt, ijs

ijs enim repentè videri desijt, & ad cubiculum Patris prior redivit. Apoplexia mortalis à Comite Beneventana, ejus baculi nudo attactu; ægritudo gravissima à Nobili Joanne Maramontio; febres, dysenteria, paralysis, hydrops, plevritis, stranguries, alijque lethales morbi à plurimis depulsi; partus felices conciliati sunt: ut idcirco crebris & sanctis insidijs fulcrum illud senile Patri subtractum, & alij atque alij priori persimiles baculi subtrusi sint, veteribus in ejusmodi prodigiosa amuleta contra pertinacissimos morbos reservatis, quorum aliquot à nobilissimis familijs in diversis Urbibus hodiéque auro & argento pretiosissimè inclusi in thesauro habentur; unum Mutius etiam Vitellescus Societatis Generalis sibi abstulit, novo substituto. Tantáque fuit sanctitatis ejus apud omnes æstimatio, ut Episcopi, Principes, Marchiones, ipséque Provincialis Neapolitanus Robertus Bellarminus postea Cardinalis, non nisì de genibus eum in congressu salutarent, & osculum manibus venerabundi figerent: cujus etiam præcisè videndi causâ à remotissimis locis Nobilissimi quique Lupios veniebant, ut Virum sanctum aspicerent; & quia diutiùs præsentiâ ejus frui non poterant, effigiem ad vivum depictam secum auferebant, aut quidpiam de vestitu; ídque tanto in pretio habebant, ut Anna Mendozzia Comes Sant-angeli donatum sibi frustum cinguli aliquamdiu à Bernardino gestati genuflexa exceperit, collo quasi torquem pretiosissimum injecerit, sibíq; non minùs gratum venisse munus testata sit, quàm si Regnum integrum accepisset. Et infinitus sim si omnia ejusmodi recensere velim, cùm non meminerim ulli præterea alteri etiam ex Sanctis, plura ejusmodi viventi exhibita venerationis indicia fuisse, & subrepta pio dolo vestium ac utensilium frusta, tot in flagranti miracula patrâsse. Sanè Dux Andriæ cùm Lupios venisset salutandi Bernardini unicè causâ, ejus pallij laciniam ex pietate sua ipse manu sibi amputavit, quod tamen pallium, mirum dictu! in Ducis oculis subitò ità crevit, ut integerrimum appareret, quasi nihil resectum fuisset. Quæ pia furta licèt maximâ cautelâ à devotis fierent; quoties tamen in eorum notitiam veniebat, invitum maximè & summo dolore perculsum animum præferebat, neque absistebat dum reciperet.

Jam verò molestias ex morbis consćitas patientissimè tolerabat Bernardinus, illóque solo se affligi ostendebat, quòd decumbens aliorum obsequia admittere cogeretur: túmque etiam ità nullam præteribat sui asperiùs tractandi ansam, ut muscas ori ac manibus insidentes abigi vetaret, in exercitium ùt ajebat patientiæ. Rector Collegio Lupiensi præesse jussus, nihil eorum quæ ad proximi salutem operari aliàs consveverat omisit, & misericordiæ opera in immensum etiam auxit, nullum pauperem absque stipe dimitti à janua passus, datâ omnibus domesticis generali potestate, egenis omnibus eleemosynas è penu domestica partiendi; accidítque aliquando, ut pane omni dispertito, sexies unâ die furnum pinsendis panibus incendi oportuerit. Ex quo facilè conjici potest, quàm maternâ in suos fuerit charitate, mediastini instar commodis omnium serviendo; qui tam profusus fuit in alienos: & licèt paupertatis amator esset ità sanctus, ut nihil non vetus, consutum, & interpolatum in se & cubiculo pati posset, suis tamen in omnibus volebat ad usque commoditates consultum; ægros visitabat quotidie ad duodecies, vigilias ad lectulum agebat, cibos è culina, frigidam è fonte, ligna ipsa ad focum afferebat, expurgabat vasa, everrebat cubicula, hilaritatem piam in ægris fovebat, & verborum suavitate velut mater optima erectos consolabatur. Senio gravatus sæpius odio & operâ dæmonis humi allisus, verùm anno ætatis 80. ex præalto loco præceps magno impulsu afflictus est, & in sangvine suo natans à Rectore inventus; quod ubi populo innotuit, ad quem tum adhuc concionabatur, certatim in Collegium confluere, sangvinem humi sparsum de genibus legere, veluti magni pretij margaritas, eo strophia, fascias tingere, quæ statim variè ægrientibus applicatæ certissimam præbebant medicinam: è cubiculo ejus ità omnia surripere, ut neque pileolum, neque Rosarium, nec ejus manu scripta, nec zonam, vel cingulum, & ejus generis talia reliquerint. Quinquaginta dies ex tam gravi casu lectulo affixus, inter acerbissimos dolores jacuit, quos ut levaret Dominus, visendum se illi exhibuit in cruce suffixum, sed ineffabili gloriâ circumfusum, blandissimè illum alloquens: ex quo præter liquidissimâ voluptatem, visus est sibi fidei arcana, manifesta in luce perspexisse, sic ut postea scriberet ad fratris filium: *totis quibus decubui 50 diebus nunquam internâ dulcedine carui, certóque agnosco esse mihi occasionem ejusmodi denuo optandam.* Mox iterum eadem in ægritudine confectum se illi supplicijs Christus exhibuit, direptámque è capite spinam unam, sed absque cuspide, Patris capiti imponens quæsivit: *ecquidnam doleret?* cui æger, *nihil penitus dolere, quòd etsi spina*

esset,

esset, mucronem tamen in Christi capite reliquisset, proinde nihil cruciatûs, sed multùm gaudij afferre. Quoties autem à Chirurgis & Medicis obligabatur, tollebantur è manibus illorum à perpetuò illic confluentibus detracta vulneribus emplastra & fasciæ, imbuebantur strophia sangvine è vulneribus profluo, ex quibus duo Catharina Aquaviva Dux Nucensis recepit, alij cruorem à Valetudinario ampullis vitreis conditum, quarum una Lupijs in Collegio sincerum liquidúmque sangvinem usque hodie monstrat, alias diversæ Principes & Nobilissimæ familiæ conservant, singulas innumeris prodigijs claras. Earum una penes Lucretiam Petrasolam asservata Neapoli, non tantùm sangvinem exhibet rubicundum, recentem & fluidum, sed etiam perpetuâ gratissimi odoris fragrantiâ redolentem, quæ in Paschate, Natali Domini, & celebrioribus anni festis ad sensum auctior percipitur.

Ex eo morbo convalescens, ità nihilominus in reliquos pauculos vitæ annos debilis remansit, ut domo exire impotens, aliter proximo quàm confessionibus audiendis, ad quas in templum adrepebat, prodesse non potuerit: in se tamen constanter pergebat flagellis sævire, quorum unum verberationibus attritum sibi P. Provincialis vendicavit. Undique nihilominus ab eo remedia omnis generis necessitatibus postulabantur, quibus juvandis ejus Valetudinarius chartulas ab eo inscribi curabat hâc formulâ: *JESUS & MARIA nobiscum adsint! his tertiò dictis, bene tibi erit. Bernardus Realinus.* Profuerúntque omnibus quibus obvenerunt, duobus etiam in Collegio Patribus decumbentibus: tertius autem obijt, cui, mirum dictu! nunquam potuit eam syngrapham exarare, nam calamum sumenti deficiebat omnino visus, experientiq; identidem, nunquam facultas fuit conscribendi. Optavit Cæsar Dux Mutinensis precationem ab eo componi, quam ad impetrandam suorum optimâ gubernationem recitaturus esset: eam Bernardinus in hæc verba concinnavit: *DEUS à quo bona cuncta procedunt, largire quæso supplicanti mihi servo tuo, licèt indignissimo, ut semper cogitem te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciam. Fidelésque tui, quos mihi in viam pacis & justitiæ dirigendos benignè commisisti, id ament quod præcipis, id desiderent quod promittis: ut inter mundanas varietates, ad laudem & gloriam sanctissimi Nominis tui, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum, &c.* Quam orationem singulis deinde diebus Dux adhibuit, ac post eum Ranucius Farnesius Parmensis. Tot autẽ undiq; procul ex locis diversis ejus petebantur reliquiæ, ut coronam B. V. ultra unum diem vix retineret, cogeretúrque Valetudinarius grandem earum numerum ejusdem cum prioribus formæ reponere, nè repulsâ offenderetur petentium pietas, inter quos erant Prælati, Principes, & primæ Nobilitatis personæ: idémque ferè quoad cincturas, pileolos, & similia usuveniebat.

Tandem occupatus morbo lethali, Sacramentis omnibus ad agonem munitus, ab omni genere hominum, mortem hominis sancti videre cupientium, visitatus est: qui in genua coram lectulo procidentes, etiam Episcopus Lupiensis, & alter Segnensis, Rosarijs rebúsque alijs eum contrectabant, manus deosculabantur, tanto recularum attactu ejus sacrandarum numero, ut continuò ijs opertus lectulus cerneretur. Syndicus Civitatis cum delegatis à Senatu suam illi Urbem in perpetuum commendârunt, cujus illam patrocinio jam tum suffragio publico committebant. Tandem die 2. Julij festo Visitationis Virginis Anno 1616. actam sanctissimè per 86. annos, in Societate per 52. Lupijs verò per 42. vitam, placidissimâ morte conclusit, quam multò antè pluribus etiam quoad tempus de se prædixerat; odore tam potenter è corpore dimanante, ut vicinam porticum impleret, & rebus quoque admotis adhæreret, quarum in nonnullis usque hodie perdurat. Signo per domesticam campanam dato, totâ simul Urbe lugubri sono compulsatum est; nec aliter ea res animos omnium consternavit, quàm si de summa rerum esset desperatum, ploratus per omnes domos Civium, clamor & ejulatus turbæ, communem Patrem & Tutelarem deflentis planè insolitus, quæ tanta ex vicinis etiam oppidis confluxerat, ut per multas horas transitus ad Collegium non pateret, debueríntque custodiæ militares ex Senatus-Consulto Collegij foribus, quarum valvam unam jam effregerant, apponi. Eædem quoque magno numero funeri, quod publicis Urbis sumptibus ab Episcopo & universo Magistratu celebratum est, adhibitæ; nulla tamen vi prohibere potuerunt, quin vestes ejus, & quidquid aliud poterat, discerperetur ad venerationem. Neque DEUS ipso morientis servi sui die miraculis defuit, ad contestanda illius merita: cuidam acutissimo capitis dolore laboranti, & magno conatu in cubiculum morientis per confertam multitudinem ingresso, cessavit penitus omnis deinceps dolor. Infanti anniculo eâdem die ex sontico morbo ad

ad extrema deducto, superposita capiti corona precatoria momentô sanitatem restituit. Antonius Baresius 15. annorum puer multos dies graviter ægrotus, ùt primum ad osculum defuncti pedum admissus est, simul valens ac vegetus domum redijt. Frustulum ex ejus veste resectum à Francisco Padasso, ùt primùm filiæ ex plevritide & febri acuta ægræ applicatum est, malum omne depulit. Josepho Mezzano crus lævum minaciter turgens, & acerbitate dolorum propè vitam intercipiens, coronâ ex Patris corpore allatâ, contactum humorem omnem visum est, cute integrâ, transpirare, ipséque eo die tam sanus & vegetus ambulavit, ac si nihil unquam noxij humoris expertus esset. Qui idem coronæ attactus puellæ septenni jam agonizanti plenam momentô sanitatem reddidit: & viro gravissimâ podagrâ discruciato, invocatus sub horam sepulturæ Bernardinus, eam subitò in perpetuum depulit. Reliqua sanitatum & beneficiorum diversorum prodigia ejus interventu patrata tot fuerunt, ut eorum quædam duntaxat recensita, novem ultima supra memoratæ vitæ illius capita impleant. Corpus loculo geminâ clave obserato impositum, terræ tantisper mandatum est, dum opere magnifico tumulus extrueretur, in quem postmodum illatum est, & innumeris cereis, anathematis aureis, argenteis, laminis, tabellis, ob infinita quæ hodiéque miraculosè percipiuntur beneficia, honoratum.

Neque destitit devota Bernardino Civitas, donec legitimos processus auctoritate Ecclesiasticâ institui obtineret, pro eo aliquando in Sanctorum numerum referendo: in quibus miraculosè innumeris restituta ab eo in terris partim degente, partim inter Cœlites recepto, narratur sanitas, plerumq; desperata & à Medicis deposita, omnes juratis testibus in legitimè instituto Tribunali firmatæ, prout legere est in ejus vita quatuor diversis editionibus vulgatâ. Et quidem in his plura sæpius intercurrêre prodigia, dum imploratus per longa terrarum intervalla absens, præsens nihilominus visendum illis se præbuit, vel è cœlo opem clientibus allaturus comparuit, vel secuturam sanitatem quantumlibet in desperatis morbis verissimè prædixit. Quo tempore Gonzalez de Rueda Gallipolitanus Episcopus causam ordinabat pro Bernardini canonizatione, interrogavit aliquot Moniales è S. Joannis Cœnobio: at enim Aurelia Venturia multorum admirabilium conscia, sed religione ac metu ducta, à vero fortassis præter mentem in tanto negotio deflectendi, nolens interrogationibus subjici, hæc sibi à P. Bernardino jam vita functo dici audivit: *I modò Aurelia, ut de acceptis per me beneficijs & miraculis die crastinâ testeris.* Paruit, & hanc ipsam omnium primò apparitionem, inter alia à se contestata, narravit. Joanni autem Salicio Sacerdoti Lupiensi, qui primus ad quæstionem vocatus est causæ quam dixi instruendæ, de nocte visendum se præbuit Bernardinus, paulúmque submotis lectuli cortinis: *totam,* inquit, *diem meâ causâ laborâsti, ad quæsita respondendo; habeo collatæ operæ gratiam.* Antonia Quartaria in visitationis Cœnobio Monialis iniquè ferens Bernardinum passim *sanctum* appellari, *probum* duntaxat & *devotum* dici debere contendebat. Sed per visum spectavit supplicationem à Cœlitibus ejus honori institutam, quod cùm etiam tunc indignè ferret, videre sibi visa est in ultimo agmine ipsúmmet Bernardinum, & sic audire compellantem: *nôsti me soror Antonia?* quâ negante; *sum,* inquit, *Bernardinus; & scito: quod non sum, paucis abhinc annis me futurum.* Quibus exterrita & expergefacta, erupit clamans: *O! parce beate & sancte Bernardine, & DEUM pro me deprecare!* habuítque illum deinceps inter primarios suos SS. Tutelares. Marcus Antonius Zimarius numeraverat creditori suo 13. millia ducatorum, & præstitæ solutionis fidem facere nequibat, quòd fide nimis bonâ accepti syngrapham à creditore amico non tulisset, qui ob exortas inimicitias acceptam negabat. Ergo pridie quàm esset à Regio consilio damnandus, quiddam à lipsanis Bernardini cervicali subjecit, & ecce in somnis verba illius audivit, locum designantis, ubi essent pignoratitiæ literæ, quibus (etsi nunquam id advertisset) de exoluta pecunia constaret. Experrectus locum adit, repertas Judici literas offert, causam evincit.

Atque has tantas à DEO præter ordinem singulares gratias, & dona gratis data merebatur Bernardinus inculpatissimâ vitæ, ex quo Societatem complexus est, innocentiâ, tanto nitore constanter observatâ; ut ex proposito quidam illius morum observatores nihil unquam notâ ullâ dignum deprehendere valuerint: ejus verò Confessarij sanctè testati sint, nihil unquam ab eo in confessione quotidiana allatum esse, quod voluntariam etiam tenuem culpam contineret, & absolutionis Sacramentalis capax esset; ideóque communia quædam ex sæculari vita in materiam absolvendi coactum revocare. Et licet Angeli similior viveret quàm hominis mortalis; mortem

tem tamen ea etiam ex causa in votis habebat, nè posset DEUM deinceps offendere : *quæ cùm sit*, scribebat nonnemini, *peccandi finis, vel ex hoc solo est invidenda & amore digna*. Amor autem in DEUM ità flagrans fuit & ignitus, ut in vultu flamma promicaret, & corpore toto scintillas illi erumpere multi observarent. Hujus occasionem & materiam è rebus & objectis omnibus capiebat, nec quidquam magìs ardebat, quàm in DEI & fidei causâ mortem oppetere : DEO semper conjunctissimus, ejus unius desiderio possessus; caduca & quæ seculum saperent, nè cogitatione quidem dignabatur. In ejus adoratione à sensibus plerumque ità abripiebatur, ut frequenti tractione vix revocari posset, statuæ instar immobilis, & exploraturi aliquando viri etiam primarij accederent, an reipsa corpus animâ destitueretur : cujus orantis vel sacrificantis faciem lucidissimis radijs coronatam, plurimi tum domestici tum externi observârunt, tanto subinde fulgore coruscam, ut oculos in eam figere non possent, & ab eo locus ipse non minùs quàm à sole illustraretur. Situs privatim orantis plerumque erat expansis in crucem manibus, vel ante pectus decussatis, in medio cubiculi semper de genibus; quo situ etiam æger medijs noctibus à Curatore deprehendebatur ; notatúsque à multis est maximam noctis partem orando expendere, ac post eam nudis in tabulis ad somnum se componere; quem summùm ad horas quatuor capiebat: interdiu autem quidquid à studijs, & juvando proximo vacabat, id omne in preces conferebat : imò studenti quoque, edenti, & colloquenti, erumpebant ignita verba, quæ occupatam Divinis prodebant cogitationem. Erat autem ejus precatio dono ubere lacrymarum semper irrigua, tam potens, ut obtineret quæcunque voluisset, illámque plurimi hujus efficaciæ non ignari undique ambirent, Cardinales, Episcopi, diversarum Religionum Superiores, Principes, & cujusvis Magistratûs & dignitatis, præter innumeros privatos, Magnates. Quo tempore sæpissimè alloquio fruebatur invisentis se D. JESU, modò glorioſi; modò inter supplicia suæ sacratissimæ Passionis, prout ea passus fuerat, dolorosi; SS. Matris, filiolum etiam suum in ejus brachia deponentis, cujus SS. Virginis aspectu postremis annis quasi continuè ubivis visibiliter præsentis fruebatur. Nocte Natalis Domini confitentibus in templo jam septuagenarius dans operam, rigore tam valido (erat enim hyeme perinde atque æstate leviter vestitus) succutiebatur, ut sedem unà sedíque innixos pœnitentes concuteret, quorum hortatu remissus est à Rectore ad cubiculum, jussúsque illi foculus adferri. Interim Mysterio ejus noctis cogitatione altè insistenti, videndam se exhibet fulgenti in luce DEI Mater, Angelis stipata, svavissimo concentu asperam noctem mulcentibus, & puerum JESUM in amplexus & oscula illi tradit, eâ refusæ lætitiæ copiâ, ut audiretur exclamans identidem : *tantillum adhuc ô Domine ! pauxillum adhuc remorare!* nec reliquâ hyeme, præ conceptâ interiùs flammâ, quidquam externi frigoris sentiret. Aliàs eandem Natalis noctem acerbissimo in frigore meditando transigenti, lux Divina cubiculum repentè implevit, sensítque se nomine appellari : rogans verò : *quis eum vellet? en adsum*, infit CHRISTUS Dominus, séque in circulo splendido infantem exhibuit, diductis à pectore panniculis illum in cor suum invitans. Demum ex illa erumpens luce in Bernardini amplexum evolavit, qui tam dulce pignus appressum pectori horâ ferè mediâ continens, ità calorem emortuum suscitavit, ut esset hyeme illâ totâ multò quàm aliàs vivacior.

Addictissimus inter alia erat SS. Evchariſtiæ; Ea quoties publicæ pro Ara venerationi exponebatur, hærebat coram per multas horas genibus nixus, & ubi populus templo digressus esset, expansis plerumque in crucem brachijs; erátque non raro indè à Superioribus revocandus, ut tantisper in cubiculo quiesceret. Accurrit ad illum tunc vice quadam mulier quadrimũ filiolum adducens, quæ pavens & multùm indignans querebatur, eũ in conferto populo S. Evcharistiam unà percepisse; cui subridens Pater : *fecisset*, inquit, *DEUS, tam sanctè illam perciperem ego, quàm sanctè percepit puer !* móxque illam in pueri pectore positis genibus adorans, jussit illum quoque de genibus recitare precatiunculas quascunque memoriâ tenebat. Svadebat quà verbis, quà literis, frequentem sanctæ mensæ usum, & profitebatur hoc se uno tantũ vitam consolari, quòd posset quotidie sacro epulo recreari. Admirandum autem fuit, quòd frigus nullum sacrificans persentiebat, etiam ipsâ Natalis nocte sacris ter operans, cùm multis aliàs pileolis caput fovere cogeretur : & cùm omisso per senium Sacro ad communionem se sisteret, prodigio par cunctis apparebat, curvum alioqui & depressum stare tunc adeò erecto corpore, ut videretur CHRISTUS, quem sumebat, juventutem ejus renovare. Secundùm hoc mysterium devotissi-

tiſſimus erat cultûi Virginis DEIparæ, cujus aliquam effigiem omnibus ſvadebat, ut privatim in cubiculo affixam ſervarent, ſalutandam quotidie dicto *Salve Regina*: ipſe verò coronas illi dicebat aliquot, & annis ultimæ ſenectutis duodecies interdiu & ſæpius eam revolvebat, nunquam ferè è manibus dimittens; & alterum tantum noctu. Neque ullam magis è vocalibus æſtimabat orationem quàm Dominicam, & ſalutationem Angelicam: *eminent enim*, dicebat, *precationibus ceteris, habéntq; ſuum ex ſeſe pretium, ùt multi Doctorum arbitrantur, præter illud quod ex operante accipiunt & precantis pietate; & utraque authorem habet ipſum DEUM.* Habetúrq; ex ejus literis, *Virginem ex ea ſalutatione multùm honoris & gaudij percipere, & beatarum Ordines mentium his eam in cœlo verbis decorare: Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum. Unde agnovi eam magni faciendam; primò, quia à SS. Trinitate ſit ordinata, nec enim ſolent nuncij, qualis fuit Gabriel, referre, niſi quæ à Dominis ſuis accepta habent, ubi præſertim agitur de titulis & appellationibus. Et licèt pars altera in terris compoſita ſit, ab Eccleſia, tota tamen in cœlo contexta eſt, cùm tota authorem DEUM habuerit. Secundò, quia ab Angelo primùm recitata, eóque ſupremo. Tertiò, quia ad SS. Virginem relata eſt, magnos enim magna decent.* Poſt DEIparam præcipuâ pietate colebat Ordines SS. Angelorum, auditus frequenter cum ijs in cubiculo colloquia miſcere, S. Nicolaum Tolentinatem, & Sanctam Irenem Martyrem, multáque ſupra naturam utriuſque reliquijs patrabat: S. Carolum Borromæum, Xaverium & Ignatium, licèt necdum Beatis adſcriptos. Hujus nomen, cùm Bernardini frater ſignificâſſet uni filiorum indidiſſe: *mox ingenua*, reſcribebat, *id legens cecidi, & ſacras SS. Matris Litanias pro tanti beneficij gratia exegi. Domi ſiquidem monimentum tenere Societatis JESU Fundatoris, non eſt caſui aſſignandum, ſed gratiæ, ex qua certò ſpero acceſſionem tibi & toti familiæ interioris præſidij non vulgarem: curam veſtri omnino B.* IGNATIUS *potiſſimam geret.*

Jam verò fiducia illius in DEUM, & DEI in ipſum fidelitas quanta fuerit, difficile eſt explicare. Pane omni aliquando in pauperes, ità illo tum Rectore mandante, diſpertito, nihil in menſam domeſticis ſupererat, ad quam tamen reſtitantem Refectorij Curatorem pulſare conſveto tempore juſſit. Dum coëunt in triclinium, en ad fores mulier nunquam viſa panes 24. ingentes, optimos, inſvetæq; eo loci formæ in caniſtro affert, tortáſque totidem placentas. Aliàs præter dolium ſemivacuum nihil vini Collegium habebat, monitus de defectu à Cellario, jubet nihilominus largiter perinde non tantùm domeſticis omnibus, ſed & pauperibus deinceps quotidie dari: *eleemoſynis enim egentiorem fieri neminem.* Factum diu quod imperaverat, dolio nunquam fallente. Luſtratur tandem vas prodigioſum, ut videatur num quid præterea ſuperſit: mirum dictu visúque! amoto ſuperiore operculo tam plenum dolium deprehenditur, ac ſi nihil ex eo fuiſſet hauſtum. Cùm interdum febrim acceſſuram, multò antè ab ægrotantibus refectione corporis præviâ occupari Medici juberent; ægrorum autem Curator cibos imparatos adhuc excuſaret; monebatur à Patre, tantùm confideret, omnia tempori parata fore: ac neſcio quo pacto, quáve manu, breviſſimo tempore cocta omnia, condita, paratáque in præſcriptam horam cernebantur. Bis Æditum pœnâ affecit, quòd campanam templi majorem breviùs quàm oportebat pulsâſſet: cauſanti ejus molem, quæ ab uno moveri non poſſet, ſubjecit: *ſi fidenter Angelos beatos orâſſet, fuiſſe adfuturos*; cujus memor poſtea æditus, tantâ facilitate illam agitavit, ut evidenter adverteret, manum ſibi Angelos præbere. Tres aliquando, Patris permiſſu, Fratres in hortum exierant animi causâ, quos diſcedentes cùm ad prandium redire domum juſſiſſet, miſit tamen deinde qui prandium foris eos præſtolari ſubmittendum moneret. Poſt duas horas juvenes quinque ſpecioſiſſimi, penitus ignoti, cibos in ciſtis lautiſſimos afferunt, iiſque traditis recedunt. Sub veſperum monentur ab alio cænam ibidem expectare, quæ tempeſtivè à diverſis adoleſcentibus allata fuit, alijs tamen à prandio delicatiſſimis ferculis, magno fruentium ſtupore. Domum ùt redierunt, Frater qui relaxationem illam impetraverat, enixiſſimè Bernardinum rogat, unde tam exquiſitæ, tam lautæ ſportulæ, ut nihil in vita guſtâſſet, nil vidiſſet jucundiùs, affluxiſſent? tergiverſanti ad hæc DEI ſervo, & ſermonem aliò avertenti, vehementer ille inſiſtit, flexis genibus per Virginem Matrem ſupplicans, nè hoc ſibi neget ſolatij, quod eſſet, ſi ſic juberet, religioſo ſilentio preſſurus. Tandem, *promittis*, ait, *te, quoad vixero, ſecreto habiturum?* ſpondentíque; *ſic habeto*, inquit, *SS. Virginem prandium vobis cænámque miſiſſe*: nec præter hæc aliud ab eo de juvenibus portitoribus, quos Angelos fuiſſe dubitari vix poteſt, extorqueri potuit. Fuit autem tenerrima prorſus illi erga ſuos charitas, hinc

hinc cùm Fratris cujusdam simplicior imprudentia ab eo petijsset ascetica quædam pro sua devotione ab ipso describi (& erat volumen Æneide Virgilianâ haud minus) suscepit officium senex tot laboribus undique distractus, & oculis æger, cæpítque quotidie aliquid ex ijs describere. Id animadvertens quidam noster juvenis Rhetoricæ studens, quæsivit reverenter: *quid pulchri tam laboriosè lucubraret?* cúmque factum simplicissimè rescîsset, non se tenuit, quin indignaretur palàm, & imprudentiam Fratris argueret: &, *cedò*, inquit, *mihi Pater juveni & vacuo laborum hæc describenda.* *Imò*, respondet Pater, *meum istud est, ex quo hanc animi sui consolationem is Frater expetijt.* Paulò minoris imprudentiæ fuit alter, qui ejusdem argumenti minorem librum ab eo describi pro se petijt, & impetravit, etsi postea manu alterius est adjutus; & hic Neapoli hodie in sacrario Societatis asservatur.

Tanta inter hæc Bernardini fuit humilitas, suíque infra omnes creaturas sincera depressio, ut nullum majorem se peccatorem, nullum DEI donis magìs indignum & ingratum crederet: cùm ei tot honores à summis etiam Viris, veluti sancto exhiberentur, vel in literis ad se scriptis aliquid de se suísque rebus opinionis legeret, tum verò fletibus inconsolabilis se totum dabat, quòd pro sancto, bono, thaumaturgo haberetur, hunc enim esse manifestissimum errorem; erátque multis inducendus, ut hunc Societati, cujus membrum esset, non sibi honorem deferri crederet. Nihil è contra gratius illi accidere poterat, quàm si reus alicujus facti traduceretur, aut malevolorum lingvis proscindi se intelligeret. Monitus aliquando publicâ fuit reprehensione in Refectorio, videri de sua apud alios fide ambigere, quòd inter loquendum *certò*, *certò*, iteratam affirmationem crebrò adhiberet: pro Divino monitum habuit, eáq; deinceps in perpetuum abstinuit. Superiores suos quot hebdomadis instar Novitij adibat, rationem animi redditurus, suos in charta notatos defectus ferens, & quidquid interiorem suam spectabat curam, in omnibus arbitrio ipsorum acquiescens; tamdiúque aperto manebat capite, dum tegere juberetur. Literas ad se undique venientes, nisì effracto saltèm à Rectore sigillo, nunquam sustinuit legere, quamvis ab ipsomet eas acciperet. Attributo sibi postremis annis Fratri Adjutori non secùs parebat ac Præposito Generali, nolebátque rogatu etiam Principum fœminarum, unicè ipsius conveniendi causâ remotè venientium, ad Templum descendere, nisì Frater juberet. Affligendi sui studiosissimus fuit, neque dum per valetudinem licuit, vestes decubiturus exuit, uno tantùm deinceps stragulo hyeme & æstate usus; mirantibúsque tolerantiam frigoris æquè ac caloris, piè scitéque asserebat, se verbis illis: *benedicite glacies & nives Domino*, calorem: illis, *benedicite ignis & æstus Domino*, frigus cõtinuò evocare. Jussus ob morbi gravitatē detractis vestib, inter linteamina decumbere: *mihine*, inquiebat, *infernum toties commerito lectum mollem & commodum?* nec interea lacrymas tenebat. In eluendis ollis & lancibus, quod munus sæpissimè obibat, utebatur aquâ tam urente, ut cutem manibus detraheret, nunquam enim illam frigidâ temperabat. Easdem frequens per hyemem gelida lavabat, calculosâ arenâ confricans: *quò magis*, ajebat, *ad Sacrum niterent*: quas eo modo miserè cruentatas commiserantibus, subridens asserebat: *tolli earum callos haud aliter posse.* Tonsores imperitos studiosè sibi adhibebat, voluítque Fratres Collegij omnes ejus artis rudes, suo in capite per vices exerceri: cúmque nonnemo illius aure forficibus perstrictâ, illo nihil sensûs monstrante, conturbatus, vulneris veniam rogaret: *cujus*, inquit, *vulneris? perge porrò, nihil enim istud est*: fluebat tamen eâ copiâ sangvis, ut sudoriolis & mappis diu non potuerit exugi. Infestissimos Lupij culices ab se nunquam abigebat, quamvis diuturnâ punctione sangvinem prolicerent, maléque faciem tuberculis deformarent. Cùm senio fractus, supinus aliquando cum sede concidens, caput graviter in terram allisisset, implicitísq; sedi cruribus inhærens, per horam ferme ob debilitatem se non evolveret, intranti exclamantíque ad horrorem casûs infirmorum Præfecto, arridens ait: *nihil hoc esse, séque bellissimè valere*: ex eo tamen per multos dies cum magna doloris acerbitate decubuit.

Atque his tot modis inclemens in se, lenissimus & plenus miserationis erat in alios, quorum incōmodis magnopere afficiebatur, & pronissimè subveniebat. Horatium Persicum de Societate, ob gravem & subitam colicorum torminum rabiem noctu flentem audiens senex misericors, ad eum è vestigio accurrit, recitatísque coràm aliquot precatiunclis illico sanavit. Neque hæc in afflictos miseratio cum defuncto sepulta est, quàm multò luculentioribus indicijs hodiéque ad se recurrentibus exhibet. Josephus mensium sex infantulus, filiolus Astolphi Rilliani & Vincentiæ Mosciæ, post inflationem totius corpusculi novemdiali febri tandem interijt, cui

cui mœstissimus parens funebria candida ex serico fieri curavit. Corpusculum exanime Mater decenter composuit, & tristi ministerio perfuncta, toto illo die orbitatem suam cum domesticis, & vicinis ad eam solandam affluentibus, deflevit. At sub primam noctem cum filijs duabus lamenta renovans, filioli corpus exanime inter brachia tollere, suaviari amaris osculis, complexu stringere, perfundere lacrymis : inter quæ Bernardini memoriâ mentem subeunte, à quo multa in vivis beneficia perceperat : *quid verò adeò magnum foret*, inquit ruptâ cum gemitu voce, *si post tot mira tua, ô Pater, hoc etiam mihi indulgeres toto orbe prædicandum, & hanc meam lucem filiolum suscitares ? annue Pater infelici, & hoc per Christi supplicia obsecranti* ! Hæc & similia cùm amor dolori suggereret, miratur diducta infantis labia, velut uberi aptata : mammam præbet, vidétque sani de more papillam prendere, lac sugere, ac sublatâ voce, Bernardini miraculum proclamat. Advolat parens, familia confluit, summus omnium stupor ad improvisum spectaculum viventis infantuli, vegeti ac valentis, qui multas horas mortuus, rigidus, sepulchro jamjam inferendus jacuerat. Cujus prodigij veritatem octo personæ pro testimonio juratæ confirmârunt. Verùm non videretur omnibus absolutum numeris ejus in miseros præsidium, nisì illud respuentibus etiam & invitis ultro oggereret. Fæmina fuit in quadam inter Cisalpinas Urbe, virginitatis voto pridem religiosè DEO inserviens, huic in vehementes concupiscentiæ & sensuum insultus cùm nullæ preces, afflictationes, vel Sanctorum reliquiæ sufficerent, datum est à Patre suo confessario pauxillum ex indusio Bernardini, tacito quidem illius nomine, verùm spondente fore, ut ab Sancto, cujus essent reliquiæ, juvaretur. At hæc talia sæpius antè in cassum experta, non multum inde concepit fiduciæ : pòst tamen ad sanctam accedens Mensam, & rata has esse S. IGNATII reliquias, tentavit ab eo suis ærumnis opem implorare, volénsque in preces S. IGNATIUM vocare, invita & nolens *S. Bernardinum* semper nominavit : *sancte Bernardine*, inquiens, *pro me DEUM precare* ! Advertens autem quid diceret, suspecta sibi fieri de amentia, ob tentationum vehementiam conscita, cæpit : *quid enim*, ajebat, *quid nunc mihi cum S. Bernardino, quem nunquam hactenus cogitavi ? nunc autem efferre alium non queo*. Conatáque rursus S. IGNATIUM appellare, pro illo coacta est *S. Bernardinum Carpensem* nominare. Tum verò nihil jam addubitans se de omni statu deturbatam, quo, licèt reluctante : *Bernardinum Carpensem* diceret, cùm præter *Senensem* alium *Bernardinum* nesciret. Conturbata ergo, gemens & anxia, S. CHRISTI Corpus suscepit. Indéque magnâ animi & corporis serenitate omnibus abstersis tentationum molestijs gaudens, redit biduo pòst ad Confessarium, ut de Sancti nomine resciat, cujus beneficium per reliquias acceptum celebrabat : narratáque omni sui successûs historiâ, didicit esse *Bernardinum* nostrum *Carpis* in lucem editum, apud Lupienses & Neapoli vitâ & miraculis clarum.

Ex ejus vita & Nierembergij Tomo 1.

P. THOMAS STANNÆUS.



ANglia tot heroum & virorum Apostolicorum mater, natale solum Thomæ Stannæo fuit, honestis natalibus in Diœcesi Sariburiensi edito : quam tamen, salutem suam in tuto locaturus, primâ statim juventâ deseruit, & securum in Catholicis Regionibus asylum quæsivit. Adscriptus in numerum Alumnorum Collegij in Urbe Anglicani, postquam duobus annis in Philosophia, totidémque in Theologia morali versatus est, impetravit in Societatem JESU admitti Anno 1597. & ex illius Tyrocinio, magnâ virtutis commendatione exacto, navigare in Angliam. Efficaciam laborum ejus in ministerio Apostolico, multa quidem alia probabant, sed omnium maximè inconcussa in Fide, qui illam ipso ductore semel susceperant, etiam inter tormenta & supplicia constantia : quales fuêre tres Religionis causâ crudeliter in patibulo necati laici, Swithimes Wells, Rodulphus Miller, & Laurentius Humphredus, quibus ipse ad pietatem & perseverantiam magister fuerat & hortator. Quia verò minimè se feliciorem alijs futurum credebat, quin paulò pòst in vestigatorum manus proditione aliquâ incideret, duplicandam sibi industriam, & cujuslibet diei morâ tanquam ultimâ ad fructificandum concessâ, utendum statuit; quâ etiam pauco illo libertatis tempore multos mortalium ab hæresi Professioni Catholicæ restituit : tot interim insidijs emissariorum appetitus, ut frequenti sui in latebris perincommodis occultandi necessitate, valetudinem frigoribus & fame non parũ læserit.



P. Thomas Stannæus S. J. Angl. ex Apostolicis laboribus, & carceris ærumnis, prostratâ valetudine, Podagram, aliosq; morbos, aqvâ benedictâ leniebat. Sublatus Audomari An: 1617. 28 Maij. Ætatis 62.
100.

Demum comprehensus, & in carcerem ærumnosum compactus, brevì ex ejus incommodis multiplicem morbum contraxit, conflictatus calculo, strangurie, herniâ, tussi, podagrâ, nervorum contractione, quos ille omnes patientiâ summâ coronabat. Tandem è Patria proscriptus, ad longum Martyrium exul in Belgium deportatus est A. 1606. consedítq; Audomari in Anglorum Collegio, æger ipse valetudinario Præfectus. Quo in munere minimè otiosus, cùm poterat, labore & infimis ægrorum servitijs se occupabat; semper autem pijs narrandis exemplis ægros adolescentes sanctè oblectare studebat. Podagræ dolores aquâ benedictâ pedibus adspersâ, vel Superioris adprecatione, lectione item gestorum S. IGNATII leniri dicebat, universim autem solâ oratione solabatur, nullum aliud admittens medicamentum, nisì juberent Superiores. Jámque annus in hac patientiæ palæstra fluxerat, & ipse 27. Maij visus sibi restitutâ uti valetudine, cùm vacua esset ab infirmis adolescentum habitatio eam scopis everrere & constanter mundare est aggressus; quo in humilitatis opere repentè concidens, sopitis sensibus humo fixus hæsit. Munitus igitur ultimo Unctionis Sacramento (manè autem sacram exomologesim & rem Divinam perfecerat) morbo in apoplexiam desinente, sequenti die sublatus est A. 1617. omnium virtutum quæ Religiosum virum ornare solent, & laborum perpessionúmq; mercedem ab eo, qui dives est in omnes, recepturus. Numerabat annos ætatis 62. Coadjutor formatus ab anno 1601.

Ex Anglia Henrici Mori.

P. JULIUS



P. Juliꝰ Mancinellꝰ S.J. Italus, per omnia Charitatis opera Salutis Animarum, in Europa, et Africa, Zelator Apostolicꝰ. Obijt Neapoli 14. Aug: Anno 1618. Ætat: 81.
401.

P. JULIUS MANCINELLUS.



EDitus in lucem Pater Julius Maceratæ in Italia anno 1537. die 13. Octobris, Parentibus illustri inter suos prosapiâ, inter fratres primogenitus. A puero in literas & virtutis amorem propensissimus, omnem peccati, falsitatis præcipuè puerili alioqui ætati familiarem speciem tantâ circumspectione vitabat; ut toto vitæ 81. annorum decursu, unum solum leve mendaciolum puero decenni exciderit, ad puerilis gloriolæ captationem prolatum. Quo ipso ætatis anno absolutis Humanioribus literis gradum ad Logicam, ac deinceps Jurisprudentiam fecit, eo progressu, qui illum 15. ætatis anno absolutâ Juris facultate in Consultorem illius extulit. Quo tempore omnis æqualium societatis & conversationis fugitans, dedit se lectioni concionum S. Vincentij Ferrerij, quarum pijssimo ardore permotus, statuit rebus humanis nuncium remittere. Et licèt varijs domesticorum & externorum sollicitationibus, dæmonisque fraudibus agitatus, propositum salubre toto quinquennio exequi distulerit, ex eo etiam, quòd statuere certò non posset, quale ex omnibus Religionis institutum deligendum foret; quia tamen animo quietem coram Crucis simulachro prostratus, Divinæ Majestati magno ardore & sui audiendi fiduciâ supplicavit, dignaretur se permolestis hisce tricis tandem expedire: tum enimvero

ro oculis in cœlum erectis, visus sibi est patefacto cœlo DEUM videre, facie inter serenam & seriam mediâ, innuentem ipsi; procederet porrò in arrepto proposito, se enim illi adfuturum ad finem usque perducendo. Indè totus ad orandam DEI Matrem conversus, sensit sibi animo ingeri Societatem JESU, quam eatenus nunquam visam ex nomine solùm noverat. Igitur decrevit Lauretum, ubi Societas domicilium Pœnitentiariæ habebat, se conferre, de eorum instituto penitiùs cogniturus: ubi visis Patribus, ex hospite suo quodam Canonico suscitatus est, quod hominum genus? quod eorum institutum esset? tum verò Sacerdos Canonicus non secùs de ijs locutus est, quàm si mortalium omnium pessimi & scelestissimi forent. Verùm non invenit fidem apud Julium scelesta detractoris narratio, qui negotio intentato domum reversus, cùm mentem eandem toties animo ingeri, quoties DEIparæ supplex fieret, experiretur; iteratò clàm Lauretum repetijt, commodéque obvium habuit P. Montagnam ex Pœnitentiarijs unum, apud quem peractâ totius vitæ exomologesi demum etiam propositum animi inquieti aperuit, petiítque aliquam de Societatis vita, ad quam impelli se sentiret, instructionem. In cujus ministerijs & vivendi explanato genere mirè acquiescens, rogavit ad Rectorem, Societatis flagitandæ causâ deduci: hic cùm per se potestatem juvenem admittendi non haberet; recepit, se Præposito Generali Romam, qui tum erat S. IGNATIUS, perscripturum. Interim Julius Maceratam redux, ubi de admissione sua à S. IGNATIO responsum accepit, Venetias iter simulans, equum comitante famulo conscendit: sed eum mox, ubi ex oculis Macerata evanuit, per famulum domesticis remisit, devotionis causâ pedes iter confecturus. Laureti Collegium 14. Maij ingressus, receptus est in Societatem annos natus 20. cujus tyrocinium de more ab Exercitijs S. IGNATII exorsus, tanto sui odio exarsit, ut cùm flagella Societati usitata nimiùm lenia viderentur, lapidem de pavimento eruerit, quo sævum in modum pectus, exemplo S. Hieronymi, tam diu verberavit, quoad illi vires & brachia sufficiebant. Atque ab hoc in corpus sæviendi rigore totâ vitâ non destitit, à cujus inclementia parum aliquando visus est abesse ut emoreretur. Cùm verò 11. vel 12. tyrocinij die ex lectione Instituti advertisset, post illius biennium tria vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, emitti solere; incredibili statim DEO se penitus consecrandi desiderio accensus, ijs se continuè ex consveta illorum formula obligavit.

Sed enim ubi Maceratam nuncius de Julij facto perlatus est, dici non potest, quantum Parentibus dolorem, Urbi universæ admirationem peperit. Misêre ad eum in sæculum retrahendum fratres, & familiares diversos, tandem accessêre Parentes ipsi; eo eventu, ut inter amarissimas lacrymas solo ejus aspectu immutati, etiam benedictionem paternam ad perseverandum in sancta vocatione impertirentur. Maceratam autem propemodum universam exemplum ejus ad imitandum concitavit; præterquam enim quòd Societati Collegium absque mora apud se statuerunt; nobilissimi quique certatim ambiebant nomina dare varijs Religionibus, ac præcipuè Societati, receptíque præter alios sunt Julius Planus, qui postea apud Indos grandia fecit: tum Hieronymus Acosta cum duobus germanis Fratribus, qui Societatem deinde, summis functus officijs, magnoperè illustravit: item Oliverius, è prosapia Mancinellorum, qui cum Valignano navigavit ad Indos; demum & Matthæus Riccius, magnus ille Sinarum Apostolus; omnes magnâ & illustri prosapiâ, & Julio vel sangvine vel amicitiâ juncti. Semestri toto probatus Laureti Julius in officijs culinæ ferè & triclinij, Romam ad Novitiatûs reliquum evocatus est: & quia iter pedibus agendum erat, tum ex complexionis teneritate, tum ex corporis asperitatibus attriti debilitate, mox altero die ità defecit, ut sæpiùs in terram pro mortuo deciderit: tertio die DEI bonitas tantas illi vires suffecit, ut *fortis factus sim*, (loquitur ipse de se) *instar equi, & pluvias inter & lutum nudipes ambulare quiverim absque omni defatigatione.* A Tyrocinio ex integro Philosophiæ cursum exorsus, ac deinde Theologiæ, quantum in utraque processerit, gradus Professionis 4. votorum illi collatus unà cum Doctoratûs laurea, declaravit: uti & plurimi eruditissimi juxta ac devotissimi ab eo libri conscripti, quos magnus ille Societatis Asceta Nicolaus Lancicius, non facilè absque lacrymis se legere potuisse scribit, servieruntq; ad multorum peccatorum conversionem. Suscepto Sacerdotio assiduus semper fuit, quantum per munia alia licebat, in visitandis hospitalibus, carceribus, nosocomijs; nam post literas annis aliquot Senis & Florentiæ magnâ sanctitatis & doctrinæ opinione traditas, Ministrum deinde etiam egit & Procuratorem; tum Collegijs quatuor Rector præfuit, à S. Borgia Generali tandem primus Domui

mui Probationis Romæ ad S. Andreæ Magister datus. Provinciam postea universam gubernare jussus, tantâ efficaciâ deprecatus est, ut Generalem Societatis modestiæ Viri cedere oportuerit. Inter hæc autem munus ad populũ pro concione dicendi nunquam intermisit, fuitque hoc illi à 25. ætatis anno, usque ad 65. omino perpetuum. Dicebat autem multò libentiùs in compitis, foro & campis ad plebem & vulgus, quàm in exedris & templis ad Nobilitatem & Summates, esto faterentur Romæ Cardinales & summi Viri, se non audivisse majorem Oratorem. Non raró contigit, ut in theatra Agyrtarum circumforaneorum qui populum nugis ac clamoribus detinebant, incidens, illis facessere jussis, in ea sublimis evaderet, atque indè quot verba tot fulmina spargens, adstantium corda magìs quàm unquam aliàs in lacrymas & contritionis suspiria scinderet. Accedebant frequentes Missiones, in quibus tantus animarum fructus labores ejus sequebatur, ut per Italiam Episcopi, Archi-Episcopi, beatos se putarent, si in visitandis Diœcesibus assistentem illum & socium, vel etiam loco sui Visitatorem Vicarium habere possent, cujus decreta & sancita libentissimè approbabant. Has autem Missiones peragravit plerasque omnes pedibus, emendicans ostiatim victum, & itineris molestias oratione perpetuâ condiens: divertebat ad publica valetudinaria, & medius inter ægros capessebat somnum in stramine. Cibus ejus quotidianus erant frusta panis mucidi emendicata, cum pauxillo frigidæ, nucibus, & hujusmodi obvijs fructibus, quos humi sedens capiebat. Cùm aliquãdo diversorijs exclusus circumiret, coactus est hospitari in Sacello quodam, ubi cibum suum super sepulchralem lapidem sumens, vidit Christi de cruce pendentis marmoream statuam benigno admodum vultu sibi abblandiri. Somnum plerumque capiebat, ubi valetudinaria deerant, nudâ humo, sub dio, vel in cœmiterijs, aut jumentorum stabulis. Quibus Apostolicarum virtutum exemplis tantam sibi existimationem sanctitatis comparavit, ut passim flexis genibus salutaretur, nec aliter quàm sancti nomine appellaretur. Interim ex tot incommodis corripiebatur sæpe non unâ febri, vel à nimio frigore, vel calore, aut diuturnâ inter Nosocomij putores commoratione: cui ille non aliter medebatur, quàm vel longiore inediâ, vel sudore ambulatione elicito, cui tamen abstergendo nunquam aliud indusium adhibere sustinebat.

Omnium tamen maximum fructum tulit è Pœnitentiæ tribunali, in quo assiduus fuit per totam vitam usque ad annum ætatis 81. maximúmque summorum Peccatorum numerum convertit. Sub auroram quotidie ad illud mox se conferens, non indè discedebat nisì ultimus serum sub vesperum, neque abrumpebat nisì cùm faciendum esset Sacrũ, dicendum pro concione, eundum ad mensam; ibidem suas preces interpolatim peragere, & conciones elucubrare solitus. Eadem ex causa carceres, cauponæ, hospitalia, remiges, transtra, visebantur ab eo identidem, licet inter eos fœtores sæpius animi deliquium pateretur. Constantinopoli, Algieri in Ægypto, totas noctes traducebat in confessionibus audiendis, inter horribiles putores catenatorum Christianorum, non aliam secum auferens mercedem, quàm stipatos semper animalculorum greges, qui ei adhærebant. Summa ejus erat gloriatio, habere se pœnitentes, præter pueros, cæcos, claudos, rusticos, mendicos, mancipia, etiam mente captos, latrones, satellites, lictores, carnifices: cùm tamen interim summi etiam Principes, Episcopi, Archi-Episcopi, Cardinales ipso ad exomologeses uterentur, quos longè inferiore propensione audiebat, dicere solitus, his nunquam deesse Confessarios utì prioribus. Ut verò omnibus nationibus audiendis idoneum se præstaret, præter Latinam & Italicam, lingvas condidicit Hispanicam, Gallicam, Belgicam, Slavicam, Walachicam: cui solertiæ summè prodigiosam gratiam adjecit DEUS, intelligendi intra Sacramentum, & quæ ad ejus integritatem spectarent, quovis alio maximè peregrino idiomate loquentes, ità ut & ipse vicissim ab eis perciperetur, licèt extra illud se invicem in nullo verbo intelligerent. Quin etiam mutis & surdis impetrabat à DEO intra Sacramentum loquendi, fatuis verò sapiendi facultatem, & lumine divinitus sibi concesso pervidebat arcanissima pœnitentium peccata, quæ sive ex oblivione, sive verecundiâ reticentibus revocabat in memoriam. Horum fructuum admirabilitas cum latè famâ vulgaretur, ad aures etiam summi Pontificis Gregorij XIII. pervenit, permovítque, ut amplissimam ei offerret potestatem ab omnibus casibus, censuris, hæresis, apostasiæ, etiam soli suæ Sedi reservatis, absolvendi: quo privilegio ipse usus, magno numero apud Turcos apostatas, præcipuè mulieres Turcis nuptas Ecclesiæ restituit, repetitis plerumque à 30. & 20. annis, ut minimùm semper à 15. in multis etiam à tota vita confessionibus. Ipsi debetur inducta Romæ consvetudo cur-

ſandi per compita & plateas, ad navigia in littoribus, illícque rudibus prædicandi verbi DEI, & pauperes feſtis diebus ad confeſſionem invitandi. Per pagos & caſtella, ubi invaluerat abuſus non niſi ſemel aut iterum in anno confitendi, cùm fruſtra ſvaderet ejus frequentationem, alliciebat ad eam præmiolis pueros, quorum exemplum paulatim ſecutis adultioribus, nemo manebat inexpiatus. Idem faciebat cum damnatis ad triremes, ubi cùm nemo vellet eſſe primus, incipiebat ab infirmis & junioribus, & ſic plerúmque omnes alios lucrabatur. Semel rogatus à Navarcho ut triremes Neapolitanas expiaret, cùm nemo remigum id admitteret, converſus ad Navarchum: *eja*, inquit, *tu id feliciùs exemplo, quàm auctoritate perſvaſeris, præeuntem ſequentur.* Quâ invitatione perculſus cùm renuere non poſſet, ſecuti eum fuêre ad unum omnes. Utebatur & alio artificij genere, quod venationem ſuam vocabat. Quos enim magno labore convertebat notoriè ſceleratos, eos adhibebat ad alios cicurandos, & emittebat ſingulatim in obſtinatorũ circulos, quaſi etiamnum ex ſorte ipſorũ impœnitentes eſſent: móxq; ſuperveniens, ſi contumaces adhuc ad ſalubria pœnitentiæ monita deprehendebat, monſtrabat illos ſuos emiſſarios (qui ex condicto promptè ſe ad pœnitentiam, quaſi tum primò confeſſuri, offerebant) & imitari hortabatur: fiebátque ùt plurimùm, ut his denuo à Julio in aliorum oculis expiatis, certatim illi omnes accederent, facilem veniam ſe quoque conſecuturos ſperantes, quam videbant adeò benignè pejoribus ſe indulgeri. Quòd ſi nec ſic perſvaſiſſet, tum enim verò accenſus zelo contra reos, Divinam ipſis & humanam minabatur vindictam, nî reſipiſcerent; valuítque ſæpe incuſſus terror ad obſtinationem perfringendam. Hujus ſortis erat mulier nobilis juvenis vidua, quæ valde moribus improba, contumaciſſimè repudiabat Confeſſionem. Legationem ad eam miſit Julius, aut veniret ultro ad exomologeſin peragendam, aut preces ſe fuſurum ad DEUM, ut eam gravis invaderet morbus, id quod alijs plurimis, nunquam ſinè conſecuto effectu, minari ſolebat. Renuenti itaque pœnitere, tridui ſpatio adeò intumuit venter ingenti cum doloris cruciatu, ac ſi gravida ferret uterum. Vexatio hæc & morbi & infamiæ, cùm nollet videri quod non erat, reduxit illam ad mentem saniorem: peractáque apud Julium confeſſione, tumor extemplò unà cum doloribus reſedit, & ipſa laudatiſſimam, ad totius urbis ædificationem, deinceps vitam egit; quæ ſimilis ſanitas mox à confeſſione redibat omnibus, quibus plerumque eam pœnitere recuſantibus à DEO exorabat. Conſvetum etiam illi erat percurſare angulos illos & compita, in quibus mulierculæ deliteſcunt libidinoſorum decipulæ; ubi protractâ è ſinu, quam ſemper gerebat, Crucifixi imagine, *ecce*, dicebat ad malè ſanos, *Redemptor veſter, qui ad vos quærendos deſcendit in terras! non videtis quomodo dæmones per portas & feneſtras erumpant, vóſque per harum meretricum laqueos pertrahant ad flagitia, ut præcipites agant ad inferos? decernite tandem alterutrum è duobus; utrùm arridet?* Aliàs ſecum portabat mortuorum calvas, aliàs agmen graviter ſe verberantium illic deducebat. Et fuit mos iſte, quem quatuor annis conſtanter tenuit, adeò efficax & ſalutaris, ut ſubinde contenos ſecum peccatores ad templum confeſſuros deduxerit, & è meretriculis aliquando 18. ut teſtantur articuli pro ejus ſanctimonia collecti.

Neque in hoc munere ullam vitæ ſuæ rationem habuit, in noſocomia leproſorum, atrociter ex ulceribus fœtentium, contagioſorum & peſte infectorum ſe penetrabat, & quorum aliter excipi non poterant, proſternebat ſe ad latera, & auriculâ eorum oribus applicatâ, jacens excipiebat confeſſiones, neq; rarò expiatis perfectam corporis ſanitatem conferebat. Et videbatur cum DEO inijſſe pactum, ut ad ſe graviſſimos quoſque peccatores deſtinaret, quibus à DEO impetrandis ſpecialem dicere ſolebat orationem. Fuit autem uſitati inſtar miraculi, quotiescunque illi in mentem venit fundendæ ejus orationis, toties aliquem grandem peccatorem illi ſubmiſſum à DEO fuiſſe, cùm aliàs talis inſtinctus ei non ſuggereretur. Neapoli juvenis erat totos 15. annos, magno dolore matris, impœnitens, quam ſolatus Pater juſſit rogare DEUM, brevì ſuppetias laturum. Corripitur illico filius morbo ità pertinaci, ut intra biduum loquendi copiam interceperit: ad quem evocatus Pater, poſtquam confeſſionem, omnium judicio morituro, perſvaſit, quantò juvenis in ea ampliùs progrediebatur, tantò fiebat loquendi & virium potentior, & ſub ejus finem prorſus à febri ardentiſſimâ liber, ità ut pro S. Communione recipienda ſequenti manè templum adire potuerit, omnimodè ſanus domum reverſus. Florentiæ autem homo pauper die feriali confeſſurus Julium acceſſerat, qui rogatus à Patre cur id die tali faceret? *Dominus*, inquit, *meus JESUS CHRISTUS me huc miſit.* Tribus enim menſibus æger lecto affixus quia omni ope & auxilio cum mea familia

milia destituebar, in eam actus fui desperationem; ut cùm DEUS nec in ultimo quidem hoc articulo suppetias mihi ferret, statuerim illum abjurare, méque dœmoni tradere. Quæ cogitans, rapior obtutu in imaginem Christi spinis redimiti ad lectum pendulam, dúmque dolorem ex meis calamitatibus per mille gemitus & suspiria exprimo, & ipse mihi collacrymavit Christus, & solatum animatúmque jussit ad hoc vestrum me templum conferre, & reperto hìc Sacerdoti confiteri, quod & facio. Dixit; & confessus, calamitate utrâq; levatus est. Perusij juvenis 23. circiter annos natus cùm in Paschate confiteri Patri Julio, quòd integro anno omiserat, vellet; *videtúrne tibi ô bone*, alloquitur illũ Julius, *factum bene, confessionem tamdiu distulisse? vade in pace, non te audio.* Tunc juvenis, *ô Pater! si scires, quis me huc mitteret, audires me extemplò!* *ecquis igitur huc te misit?* subjungit Pater; & ille, *nostra Domina me mittit.* Scito enim hostem mihi fuisse capitalem, quem pluribus locis & temporibus quæsitum ad necem, tandem ipsâ feriâ 6. Parasceves occisurus præstolabar prope hortum, transiturum ad concionem de Passione Domini audiendam. Quò priusquam me conferrem, ingredior pro mea consvetudine Sacellum, salutaturus Dominam nostram. Cujus imago ad me conversa ità affatur: *miserum te! quò ruis? ecquid cogitas? DEUS malum hoc avertat à capite tuo! vade ignosce, in pacem, ac Jesuitas adi, confitere.* Parui mandatis, pacem hosti obtuli, & nunc tibi me sisto paratus confiteri: auditum itaque magno suo solatio Julius, optimè animatum dimisit. Romæ similiter juvenis se ad confessionale Patri stiterat, qui rogatus quamdiu circiter peccata expiâsset, subfrigidè & per ambiguas voces respondit: *ante annos aliquot; at nunc demum veni, ex quo nocte prægressâ inter dormiendum, audivi vocem expressam dicentem, confitere apud PP. Jesuitas! quam vocem excitatus & vigiliterum audio, itáque percellor, ut nox videretur longa, crescente cum morâ desiderio confitendi.* Audijt illum Pater, & præter alias pœnas imposuit, ut per biennium in singulos menses semel confiteretur: útque oscitanti posset aurem ex condicto vellicare, voluit de illius domicilio cognoscere. Mensis fluxit, & homine non comparente, Julius multis precibus pro eo fusis sæpiùs proposuerat eum audire; verùm nunc inopiâ socij, nunc oblivione res trahebatur in longum, donec vice quâdam jam sub vesperum ad Collegium redeunti subit hominis memoria. Ecce autem invenit illum ex morbo morti vicinum, obstinatum tamen non confiteri, per quidquid amici & præsens Parochus urgerent. Solo tamen Patris aspectu fractus, eo adhuc vespere confessus est, & ut appareret cùr morbus immissus fuerit, à confessione illico revaluit, & in multos annos piam & sanctam vitam produxit. Dœmones quin etiam coëgit DEUS huic pio Patris zelo velificari, & peccatores ad ejus tribunal remittere. Diverterat Pater in certa extra Italiam urbe ad Religiosorum quoddam domicilium, ubi eum Vir inter suos honoratus adit, per 19. annos gravi quodam scelere in confessionibus pertinaciter celato in meris sacrilegijs degens, cui eandem per biennium mensibus singulis iterandæ confessionis pœnam medicinalem Julius injunxerat. Sed quia primo statim mense defuit officio, precibus pro illo Pater accumulatis, videt illum octiduo pòst ultro se accedentem, & post confessionem audit recensentem, quo pacto depositâ omni confessionis cogitatione nocte præcedente dœmon in forma prægrandis bufonis illi comparuit, furioso cursu lectum impetens, ex faucibus naribúsque flammas ejaculans. *Quo territus,* inquit, *evigilo, conjugem inclamo, quæ Crucis signo, & invocatione SS. Nominum JESU & MARIÆ, monstrum quidem fugavit, signum tamen ustulationis ab eo relictum in brachio retinuit.* Julius indè regressus in Italiam, cùm post 8. annos Civitatem illam, ultrà progressurus, transiret, festinus rogatur ad ægrum moribundum: excusavit ipse lingvæ inscitiam; verùm intellecto ægrum optimè callere Italicam, & nî acceleraret periculum esse ne æger amitteret fandi copiam, aut certè confitendi recentissimum propositum, prout toto trimestri pertinaciter id rejecisset, properè eò se contulit, deprehendítque eundem hominem esse, à bufone infernali ante octennium infestatum. Expiatus itaque à Patre & S. Viatico munitus, plenus sanctæ spei post triduum migravit ad Dominum.

Ubi autem fama de P. Julij virtute, & tam insigni dono maximos peccatores convertendi vulgata est, cœperunt illum Civitates, Episcopi, populi, Provinciæ integræ, ipsi adeò summi Pontifices, ad varias Missiones certatim deposcere. In his sub auroram quotidie operabatur Sacris, dicebátque ad illos qui manuali labore vitam sustinere cogebantur: à prandio tradebat doctrinam Christianam parvulis: sub vesperum dissertationem habebat ad omnem ætatem & sexum de modo confitendi, de dubijs conscientiæ, Sacramento-

mentorum usu, & rebus maximè ad salutem spectantibus: reliquum diei dabat excipiendis confessionibus. Festis diebus perorabat ad populum, instituebat processiones parvulorum, cum quibus Litanias & Hymnos per plateas decantabat: in foro verò subsistens jubebat repetere de memoria, quæ per hebdomadam didicissent, quibus ipse explicationem difficiliorum mysteriorum ad accurrentem populum intermiscebat, subinde etiam pium aliquod drama exhibebat. Quidquid exinde vacabat temporis, insumebat in visitandis nosocomijs, carceribus, Virginum cœnobijs, quorum plurima ad clausuræ Religiosæ rigorem induxit: in componendis invicem inimicis, tollendis simultatibus, & quibusvis abusibus. Atque hi servi DEI conatus juvabantur creberrimis è cœlo prodigijs: nam quocunque illum pervenisse increbuit, adducebantur undique è vicinis locis infirmi, fascinis corrupti, dœmonibus obsessi, qui quasi omnes liberabantur per aquam, quam à se benedictam illis Pater propinabat. In urbe quadam cùm certum pustularum genus venenatum plurimos funerâsset, quotquot superstitum eam aquam sumpserunt, nemine ampliùs mortuo evaserunt omnes. Hinc Matrona triduo jam ex partu cum morte luctata, cùm Medici ad eam servandam consilium agitarent de fœtu, omnium judicio mortuo, frustillatim extrahendo, ubi haustum de illa sumpsit, statim feliciter enixa est infantem marem. Quod ubi ad aures plurium matronarum pervenit, extemplò Patrem adeuntes rogabant, ut filios suos pridem sepultos ad vitam revocaret, omnino certæ, si ipsis assentiretur, ex mortuis suscitandos. Missione finitâ cùm aliò discederet, incredibili dolore & lacrymis omnium dimittebatur; nec aliter quàm de genibus ei valedicebant, petentes sibi benedici. In his peregrinationibus duodecies incidit in latrones diversos per Italiam famosissimos, & nemini alioqui (quin saltèm despoliarent) parcentes, à quibus tamen nihil unquàm pertulit molestiæ, neque ejus comites: dicere solitus cum dolore, non fuisse dignum qui ab ipsis spoliaretur, verberaretur, ligaretur, prout eam gratiam alijs concederet DEUS. Sacerdos semper aliàs cum Julio securus, ubi tantisper ab eo declinavit, nudatus est à prædonibus usque ad indusium. Faciebat aliquando iter cum tabellario & pluribus viatoribus Româ Neapolim, cùm illi è patria proscripti prædones recto impetu in illos ferebantur prædæ causâ, mox tamen viso Julio velut externati ultro recesserunt sinè cujusquam damno: quod ipsum fore, trementi ex metu tabellario, utpote jam quintùm ab ijs rebus omnibus despoliato, prædixit Julius, quòd eam gratiam à DEO manè in sacrificio postulâsset. Sed magìs mirum est, ausum fuisse Julium eodem cum latronibus his non semel divertere hospitio, scelera exprobrare, hortari ad pœnitentiam; cujus rei duo è multis dabo exempla. Non procul ab Senis nocte oppressus Julius, horâ post occasum alterâ venerat ad hospitium, quod dœmonum dicitur, ubi quatuor Banditas mensæ assidentes cum totidem meretriculis, infanda dictis & factis agentes deprehendit. Cùm verò præ lassitudine nec pedibus insistere, nec vocem proferre posset, invocato tamen brevi oratione in auxilium DEO vires omnes colligens mensam accedit, itáque potenter de gravitate peccati, de severitate Divini judicij, de gehennæ incendijs disserit; ut consternati latrones relictis mulierculis continuè se subduxerint: quarum una stemmate nobili prognata primùm, tum & reliquæ ad genua Patris provolutæ, rogabant veniam scelerum, quas ille pœnitentes Senam deducens, victu & hospitio in reliquam vitam piorum munificentiâ providit. Similiter aliàs coactus à procella imbrium subitanea pernoctare in hospitio solitario; vix eò se receperat, cùm Vir intrat prævalidus, qui paulò antè è publicis carceribus, duobus eorum custodibus lethaliter contusis, eruperat, quærens ex Veredario indè advena, quî haberent illi duo lictores vulnerati? comperto autem mortuo uno, alterum non procul abesse à morte: pudet me, subjecit, non expedivisse ambos. Hìc verò zelo accensus Pater gravitatem homicidij & peccati lethalis adeò nervosè ob oculos posuit, ut ille totus compunctus de confessione apud ipsum peragẽda seriò condixerit: Caupo verò non dissimilis farinæ homo ijsdem commotus, peccata sua continuè apud ipsum expiârit.

Nullibi autem majora fortis animi dedit specimina quàm in Missionibus Turcicis, quas totis 20. annis non precibus tantùm, sed & acribus flagellis, jejunijs, pœnísque alijs à DEO expetijt, de quibus aliter obtinendis cùm desperaret, optabat à Turcis in servitutem rapi, ut vel sic copia daretur eos convertendi. Providit nihilominus illi DEUS occasionem in Turciæ partes se penetrandi, postquam Archi-Episcopus Ragusanus ad lustrandam Diœcesim suam, quæ Turcis partim tributaria est, partim subdita, illum impetravit. Biennio

toto

toto gentem illam jugo turcico afflictissimam excoluit, inter continua à Turcis pericula, quòd multos ad Mahometem à Fide apostatas Christo conciliârit, summam inopiam inter pauperrimos incolas perpessus, ipso etiam pane ad vescendum destitutos, & ùt plurimum solis leguminibus, oleribus, herbis sylvestribus victitantes. Nec erat magna Alpestribus illic locis Christianorum à Turcis distinctio, quorum multi per ipsos 40. annos nunquam viderant è Sacerdotibus latinis aliquem, quòd hi Turcici jugi impatientes, penuriâ victûs, redituum parsimoniâ, rusticanis idiotis Parochis pauperculum populum permiserant, qui ex ritu Græco victum pro se, uxoribus, filijs, stivâ & ligone quærebant, totúmque illum populum ad ritus schismaticos perduxerant. Incredibilis Julio labor exantlandus fuit, in illis ad rectam denuo fidem traducendis, quod tamen itá feliciter quotidianâ catechesi, & Sacramentorum administratione indefessâ perfecit, ut ad Sacrificium Missæ confluerent quotidie avidissimi, & Cereos Agni benedictos non nisì de genibus præ reverentia à Patre reciperent. Ab hac Missione jussus est à Pontifice Gregorio XIII. rogatu Regis Christianissimi, & Venetæ Reipublicæ, Constantinopolim cum quatuor Socijs proficisci, & Missionis perpetuæ Societati Sedem illic auspicari, quam deinde Sixtus V. ejus successor confirmavit. Ad quam ipsam Missionem destinandum se, priusquam de ea à Pontifice quidquam cogitaretur, ipse longissimè Româ absens ità certò cognovit, ut dixerit cuidam è nostris: *Ego ità sum certus profectionis Constantinopolim, quàm certus sum me hic tibi adstare*: Sedem fixerunt in ea Constantinopolis parte quæ Galata dicitur, fuítq; eorum, & est hodie officium, pueritiam moribus Christianis & literis instituere, confirmare in fide mancipia & captivos, qui alioqui plerique deficiebant à fide, administrare Civibus Sacramenta, & verbum DEI prædicare. Iter quod 40. diebus habuit per Albaniam, Bulgariam, Græciam, Macedoniam, & Thraciam, tam sanctè & piè egit, ut Turcæ ipsi magnam reverentiam, nullâ præbitâ molestiâ, exhiberent, preces ejus & consilia implorarent; quorum unius conjugi solâ aspersione aquæ benedictæ facilem partum expedivit, quæ jam à triduo periclitata doloribus pro deposita habebatur, ferro medici hebræi jam jam secanda: plures etiam schismaticos Energumenos, Ecclesiæ priùs restitutos, eodem remedio à dæmonibus liberavit. Constantinopoli ante omnia templum usibus Societatis decentissimè adornavit, quod idcirco certatim ab Armenis etiam & Græcis, ipsísq; renegatis (ità appellantur, qui ejurato Christo ad Mahometem transeunt) orationis causâ frequentabatur. Et licèt in corde fidem Christo à se servari protestarentur, non admittebantur tamen ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisì cydarim Turcicam, infidelitatis signum, deponerent: expiabantur tamen eorũ uxores sincerè cum lacrymis, vel ad genua Patris provolutione perfidiam execratæ; quarum etiam proles baptizabat Pater, esto id facienti pœna ibi constituta sit rogi & impalationis. Quin adeò Turcæ ipsi ægros suos ad Julium afferebant, precatione illius sanitati restituendos, quam recipiebant vel aquâ lustrali aspersi, vel signo crucis in fronte signati.

Coëgit deinde suâ industriâ integram veluti synodum omnium Religiosorum & Sacerdotum orthodoxorum, sparsim per Turciam circa Constantinopolim agentium; in qua, ut in procuratione salutis earum animarum conformiter procederent, sequentia decreta sunt. 1. Baptizandos esse Turcarum filios & Renegatorum, dum Parentes ità volunt, promittúntque Christianè ipsos educaturos. 2. Fœminas Catholicas posse nubere maritis Græcis, dummodo ad ritus maritorum non cogantur. 3. Vicissim viros Catholicos posse ducere uxores græcas, dum pollicentur, vel spem faciunt se Catholicis accessuras. 4. Non licere Christianis devovere, execrari, vel mala in Turcas imprecari, multò minùs ipsorum bona diripere, usuris accidere, etiam in bonum finem, ut v. g. mancipijs Christianis redimendis sumptus augeantur. 5. Apostatas & Renegatos non debere sacramentaliter absolvi, nisì infidelitati profitendæ instituta signa penitus abjiciant. Brevì etiam in familiaritatem Monachorum S. Basilij Schismaticorum se insinuavit, qui in Macedonia per 24. Cœnobia divisi, ad eum veluti spiritualem Patrem recurrebant; utì & Calogeri Græci Religiosi, ipsíque adeò Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ, magno numero ad Patrem ventitabant, fatebantúrque ingenuè Ecclesiam se amisisse; è quibus etiam convicti Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus, Romam Virum de suo gremio miserunt, qui Pontifici tanquam summo Ecclesiæ Capiti obedientiam suo nomine deferret. Pari fortitudine restitit conatibus Legati magni cujusdam Germaniæ Principis hæretici, nè templum exercitijs suæ Religionis Galatæ à Turcis obtineret: cum quo familiariùs agentem

Legatum quendam Principis Catholici, quòd preces ante mensam communiter cum illo dixisset, excommunicavit, vetuítque ad templum orthodoxum admitti; nec priùs absolvit, quam publicam egisset de scandalo dato pœnitentiam. Quibus rebus in tantum contemptum Hæreticum Legatum adduxit, ut nemo etiam è Turcis & Schismaticis agere cum illo sustineret, excepto uno Hebræo veteratore. Sed in nullo ardentiùs sudavit Apostolicus Julij zelus, quam in juvandis Christianis captivis & mancipijs, quorum publica ergastula, quæ thermas dicunt, frequentabat omni feriâ 5. Ibi coràm altari decantabat Vesperas cum Religiosis & Sacerdotibus captivis, quorum illic semper est magnus numerus: tum concionem habebat ad plura quingentis semper mancipia, quam ordinariè excipiebant singultus omnium & lacrymæ peccata sua plangentium, quibus expiandis continuè aures dabat per noctem solidam, ad usq; auroram feriæ 6. quâ sub Missæ Sacrificium eos Evcharistiâ reficiebat, ut reliquam diem Turcarum obsequijs impendere possent, quæ illis eâdem superstitione colitur, quâ Judæis Sabbatum. Sic brevì ergastula illa vitijs antè non minùs quàm sordibus & pædore contaminosissima, speciem Domûs Religiosæ acceperunt, fatentibus vetustioribus captivis: *tu*, inquiebant, *Pater hæc loca adventu tuo consecrâsti: antea non erant aliud, quàm ipsissimus infernus: ludebatur totis noctibus, nec aliud audire erat quàm diras execrationes, blasphemias, ebrietates, & enormissimorum quorumque scelerum colluviem.* Ut adeò Turcæ custodes, & ipse adeò Subasius custodum princeps, tam mirâ mutatione commoti, Patrem orarent & vocarent, ut eò sæpius se conferret: quia verò Pater monstrabat se renitentem, nè suspicionem & periculum pali incurreret, quasi fugam captivorum promoveret, (quod alijs Sacerdotibus acciderat) dicebat Subasius: *tu Pater, bene, optimè tua facis, veni, accede quoties libet.* Tantáque erat de Patris integritate custodum fiducia, ut si quandoque ergastula ipse adire nequiret, ducerent ipsi captivos ad nostrum Templum Sacramenta percepturos, qui tunc Patri in eleemosynam semper offerebant quindecim asperos, sive nostrates obolos quos tamen nunquam acceptabat; sed è contra donabat Agnos DEI, Cruculas, sacras imagines, quas & Turcæ, & Subasius ipse, magnâ gratiarum actione acceptabant, miros per eas sæpius effectus experti. Neque tamen ità cautè agere potuit, ut suspiciones & pericula gravissima captivitatis, impalationis, rogi apud perfidam gentem evaderet; & speciatim semel à Renegato quodam delatus pro exploratore Pontificio, ubi per triduum, quo causâ ejus agitabatur, semper expectanda mors fuit. Præter quæ pericula non semel lapidationibus impetitus, fustibus, alapis, & omnis generis contumelijs exceptus est, prodigiosè tamen ex illis, nè vitam penitus auferrent, liberatus. Utì accidit semel in transitu penès Moscheam, templum Turcicum, ubi Turca Sacerdos grandissimos duos silices sustulerat, ex alto in caput Patris ejaculaturus, cùm manus ejus in ictum libratas, sic ùt erant immobiles, in aëre DEUS suspendit, non valentis ictum absolvere, donec incolumis Pater transivit. Quibus tamen minimè absterrebatur, quin multos è Renegatis Ecclesiæ conciliaret, alios verò ab ejuratione fidei absterreret: quales fuêre Religiosus unus, apud suos Ecclesiastes insignis, alter Sacerdos Italus, tertius Doctoratûs gradu excellens, & tres militiæ ChristianæDuctores, quorum etiā fidei, Christiani Principes arces & munimenta crediderant: eâ ratione Constantinopolim transfugæ, ut Alcoranum reciperent; quos tamen minis cœlestibus concussos ad Regiones Christianorum dextre promovit, supplicio vivi comburij luiturus, si proditus fuisset.

Tam prosperis ejus inter Turcas successibus in Italiam perlatis, revocatus Neapolim mittitur in Moream, priscis Achaiam dictam, Provinciam Africæ, in civitatem Algieri, pro redemptione captivorum Siculorum & Neapolitanorum apud Turcas. Ubi ijsdem artibus, captivorū spiritualibus obsequijs se impendens, dum insuper plurimos eorum in libertatem pecunijs subministratis asserit, incredibiles passus est difficultates & persecutiones à Renegatis Janitzaris, quorum unus furijs amens dum binis vicibus cubiculum Patris irrumpit, grave aliquid in illum tentaturus, utráque vice solo Patris aspectu momento in blandientem agnum mutatus, semel quidem floribus rosarum in mensa jacentibus illum conspersit, aliàs verò reverenter manu protensâ, veluti rem sacram eum contingens, eandem retractam venerabundus osculatus est. Complures nihilominus etiam hìc ex Renegatis Ecclesiæ restituit, quos inter fuit & Sacerdos quidam Theologiæ Doctor, & alius militiæ Capitaneus, quos consilio suo & industriâ in Italiam promovit. Et universim felix præ alijs fuit in convertendis ad Christum Turcis, quorum aliquando Florentiæ 26. ad baptismum perduxit: quos inter unus, indi-

gnatus

gnatus socium suum Christo accedere, & imaginem DEIparæ lectulo affixam venerari, cùm eam discerpsisset, ipsâ nocte Regina cœli aspectabilem ei se stitit, & Christiana Sacra recipere jussit. Idem pluribus Neapoli præstitit. Constantinopolim redux, non potuit eâ solâ Urbe contineri, sed zelum suum quàm latissimè in animarum venationem prolaturus navigavit in Natoliam, venítque Chalcedonem & Sardos, ubi Archi-Episcopo Græco septuagenario persvasit, Romam ut transire unionis cum Ecclesia Romana faciendæ causâ vellet. Indè trajecit in Valachiam & Moldaviam, schismati Græcorum integrè utramque addictam, & Lutheri hæresi multùm infectam, cujus Principem Waiwodam & præcipuos è nobilitate, virtute & vitæ sanctimoniâ ità in sui æstimationem pertraxit, ut conatu omni retentum, vellent apud se Episcopum creari: quæ res tanto magis illi discessum properum persvasit; quem antequam susciperet, permovit Waiwodam ad ferendam suis legem, nè porrò sub gravissimis pœnis ullum Ministrum hæreticum in Provinciam reciperent. Hinc profecutus iter in Podoliam & Russiam, ubique multum operæ reconciliandis Ecclesiæ schismaticis posuit, sed Italis potissimùm & Armenis Sacramentis Catholicis adjuvandis: donec per Leopolim Cracoviam delatus, in eo recenti Collegio stabiliendo plurimùm laboravit. Nam & confessionis causâ illum accedebat pleraque Universitatis illius Nobilitas, & Doctor præcipuè ejus percelebris, eatenus Societati perperam affectus: eo successu, ut Doctor ille alíique primæ nobilitatis juvenes certatim dederint Societati, aliísque Religionum cœtibus nomina. Instituit & Sodalitium Scholarium, octavo quoque die Sacramenta frequentantium: & Sacerdotum collegit conventum, quibus & casus conscientiæ explicabat, & sanctis exercitationibus eorum mores excolebat. Neque hìc diu moratus, per Silesiam, Moraviam, & Boëmiæ confinia, Viennam devenit, ubi parti per eum fructus, & exercitum in dœmones maximè imperium, opportuniùs referentur inter illius infrà virtutes.

Tandem denuo revocatus in Italiam, iter ùt plurimùm agere debuit per terras hæreticorum: ubi quanta incommoda & pericula, sicut & tot in alijs peregrinationibus ipsum pati necesse fuerit, facilè æstimari potest. Sanè ut sola navigationum pericula in Græciam, Asiam, Africam, & diversas Europæ Provincias attingam, Anconâ naviganti Ragusam navis quatriduo toto procellis jactata tantum aquæ quartâ nocte hausit, ut illi exhauriendæ insufficientes nautæ, alij in scapham desilirent, alij tabulas queis enatarent, circumspicerent. Pater, qui toto illo tempore nauseâ laborans, somni nihil ceperat, factâ prolixâ oratione & flagellatione, cùm ampliùs non posset vigilijs & inediæ resistere, conversus ad Dominum dixit: *en mi DEUS, feci per vires quantum licuit, nunc saltèm dum animo & corpore deficio, oro te aliquantum somni & quietis mihi indulge.* Dixit, & in tabulatum se abjiciens, prolixè per totum illud periculosissimæ noctis tempus dormivit, usque in lucem sequentis diei, quâ precibus ejus sedata tempestas conquievit. Pari felicitate longè atrociórem alteram tempestatem marè nigrum enavigans, cùm omnes de salute & vita jam conclamâssent, precibus compescuit: quâ eluctata navis cùm iterum in syrtes ità impingeretur, ut liberari nullâ vi humanâ posset, & nautæ desperatis rebus in mare se præcipites, natatu salutem quæsituri, agere pararent; ubi Pater ardenti ad DEUM fusâ prece votum omnibus Christianis persvasit, invisendi sacram DEIparæ in Walachia, quam petebant, ædiculam, extemplò navis se ipsam, nemine manum commodante, levat & movetur. Rursum illo mare Moreæ sive Achaicum naviganteAlgierium, & indè captivos redemptos in Italiam revehente, duplex exorta fatalis procella, navim tantùm non obruit, quam tamen ardentissimis precibus utramque sedavit, invocatione præsertim defunctorum è Societate, beatitudine cœli jam gaudentium, qui etiam in oratione ei spectandos se magno splendore exhibuerunt, placido & ridente vultu animos addentes.

In omnibus autem peregrinationibus suis & Missionibus primam curam ponebat in juvandis pauperum animabus & corporibus, pro quibus copiosissimæ undique ei submittebantur eleemosynæ, & ipse nihil industriæ quò ijs succurreret omittebat. Colligebat enim apud sutores & sartores dum in Italia versaretur, rejectamenta & frusta, quæ in centones ipsemet consuebat operiendis nudis, ut ventriculo saltem tegendo sufficerent. Quotiescunque autem miseris aliquid elargiebatur, addebat spirituale documentum & adhortationem vel ad confessionem, vel ad orandum DEUM, aliúdve pium opus: & assuebat vestimentis plerumque rubram crucem ad pectus, mercedem hanc suæ liberalitati cum ijs pactus, ut eam manè & vesperi devoto salutarent osculo, & aliquot Pater & Ave venerarentur. Inter hos gratissimum illi

illi ſemper erat hoſpitium in noſocomijs & valetudinarijs, nec alibi jucundior converſatio, quibus etiam induſtrijs novum hoſpitale in terra Italiæ S. Angeli fundavit; firmis verò eorundem bono & utilitati montem pietatis erexit. Sæpius per multos menſes inſerviebat ægrotis & contagione infectis, maximè Conſtantinopoli in duplici peſtilentia, indefeſsè ægris aſſiſtendo, & tam corporibus quàm animis medicinas parando. Rector Collegiorum Florentiæ & Peruſij ità liberaliter profundebat eleemoſynas, ut neceſſaria etiam exinde domeſticis deeſſent, quæ DEUS viciſſim miraculosè rependebat. Sic cùm panes in menſam paratos juſſiſſet egenis, in aliorum defectu, diſtribui; & nihilominus domeſticos pulſu conſveto ad triclinium vocari; repentè caniſtrum panibus albiſſimis plenum ad januam allatum eſt à ſervula nemini cognita: & cùm paulò pòſt deeſſent ſtragula neceſſaria pro lectis, mercatorum unus nihil monitus ultro miſit, quod opus habebant. Solæ puellæ ab ipſo, dum Rector eſſet, honeſtis proviſis dotibus, nè earum pudicitia periclitaretur, elocatæ ſunt 35. In eleemoſynam data per ſolum biennium 162. ſcuta: familiæ paſtæ & proviſæ lectis 269. ex quo brevi ſpatio colligatur, quantum per omnem vitam pauperibus per eum ſit erogatum. Certè cùm Neapoli quidam arbitrio ejus reliquiſſet hæreditatem facilè nonaginta millium ſcutorum, ipſe eam totam addixit Dominæ noſtræ Viſita populi dictæ, cum obligatione, ut certus puellarum numerus quotannis honeſtis dotibus elocaretur. Quo exemplo perſvaſit Prænobili Carmignanorum Familiæ, Patri intimè addictæ, ut in ſingulos annos ſtatueret elocare Virgines pauperes 10. cum dote ſcutorum 36. in ſingulas. Meretrices, concubinæ, maritis redditæ, vagæ libidinis victimæ, tot ab eo ubique ſunt vitæ honeſtæ reſtitutæ, ut integrum poſtularent volumen. Audierat Conſtantinopoli agi de quodam juvene Sardo Turcis vendendo, quòd ſperaretur in tenera ætate facilè ad Mahometem tranſiturus: ſtatim illum Pater 80. ſcutis, quod totum erat reſiduum ſubſidium ſuſtentandis ſecum ſocijs, redemit, & in Patriam Sardiniam liberum remiſit. Sed ùt dicebam quò plus donabat, hoc amplius DEUS illi ſubmittebat: unde cùm aliquando interulam ſuo corpori detractam operiendo nudo impendiſſet, ſequenti die magna illi pretioſarum pellium vis allata fuit ex Polonia: rurſus cùm ægræ perſonæ modicum uvarum, quod ipſi in cœna obtigerat, miſiſſet, mox ipſi in vicem aliunde ciſtella plena nobiliſſimis uvis fuit ſubmiſſa. Idem illi accidebat in pecunia, licèt ipſe à nullo unquam mortalium quidquam pro ſe mendicaret, nisì cibi reliquias in Miſſionibus, utì dixì, ad obviam refectionem. Jam verò in morbis, pauperum præcipuè curandis, dum medicinæ deeſſent, miraculis Patri ſemper aderat DEUS. Pauperi colono nulla humana vis ſiſtere potuit ſangvinem pertinaciſſimè diu profluum, ſtetit momento Julius præmiſsâ oratione, & facto in miſeri fronte crucis ſigno: quod idem præſtitit alteri multos menſes quartanâ laboranti. Alij ex alto in palum deciduo, quò guttur illi transfixum eſt, & ultra vitæ conſcitum periculum loquendi facultas ablata, interveniens fortè Pater modicum aquæ à ſe benedictæ, à Medicis jam depoſito bibendum dedit, ſimúlque uſum lingvæ & vitæ reſtituit. Fœminæ cuidam ad extremum vitæ omnium judicio deductæ, permanens ipſe in Collegio miraculosè apparuit, eámque conſolatus ſanitatem promiſit, quæ brevì conſecuta eſt. Denique idem fuit ab ipſo tangi, cruce ſignari, aquâ benedictâ potari, & ſanum à qualibet ægritudine fieri. Habebat autem certa in animo à DEO indicia & impulſus, an quem DEUS ſanum fieri, an mori vellet: ſi enim ſanandus eſſet æger, ſentiebat ſe ſupra modum à DEO impelli ad orandum pro eo; ſi autem moriturus, ſentiebat animum mirè ad orandum pro illius vita repugnantem.

Porrò illi qui his modis à Patre ſanabantur, fuerunt abſque numero, & non abibat dies, maximè Neapoli, quo non ſanaretur aliquis; unde Medici ſi depoſitum fortè haberent ægrum, & viderent Patrem comparere, gaudebant magnopere, tanquam certi de felici ſucceſſu. Idq; Neapoli ità fuit notorium, ut egreſſo Patri fortè è Collegio, omnes infirmi ſe tranſeunti ſiſterent in platea cruce ſignandi. Imò ſæpe fiebat, ut ægri commendantes ſe duntaxat tacitè abſenti, prout commendare nos Sanctis ſolemus, reciperent ſanitatem. Frequenter etiam apparuit ægris & afflictis abſentibus & remotis, conſolans illos & ſanitati reſtituens; ità ut ſolæ gratiæ ſanitatum ab illo vivente & poſt mortem collatæ juſtum volumen implerent. Huc etiam pertinet illa gratia, quam DEUS P. Julio conceſſit, opitulandi conjugum ſterilitati, quarum quàm plurimas fecit ſolo crucis ducto ſigno fœcundas, eſtò multis annis vixiſſent ſinè prole; ídque ex omni ſtatu, Principum & Illuſtriſſimarum fœminarum, ipſam etiam Neapolis Pro-Reginam. Cúmque uni naſcituram

ram didiciſſet ex revelatione à DEO puellam, integratis precibus filium pro ea concedi, contra omnem naturæ vim impetravit. Quibus inſuper plerumque prædicebat, marémne an fœminam edituræ eſſent; ipſum etiam vitæ ſtatum futurum & longævitatem prolium indicando. Neque ulla ex omnibus gratijs P. Julio cœlitus conceſſis magìs ipſi in promptu fuit & frequentior, quàm hæc ipſa poteſtas contra ſterilitatem conjugum: ad quam exorandam ſequentem compoſuit orationem, quam dicebat ipſe, & conjugibus frequenter orandam præſcribebat: *DEUS, qui de nihilo omnia creâſti, & de ſicco lapide aquam produxiſti, & de ſterili muliere prolem generâſti, & de Virgine Filium tuum unigenitum concipi & naſci mirabiliter effeciſti, ex eâdem bonitate, potentia & ſapientia tua infinita, perſonis, pro quibus à te humiliter ſupplicamus, ad obſequium & gloriam tuam, prolem permanentem concede. Per Dominum noſtrum, &c.*

Ad hunc modum P. Julius dum totum ſe animarum lucris expendit, non omiſit dœmon atrociſſimis illum infeſtare intus & foris pugnis ac tentationibus. Erat Angelicæ virtutis fervens adeò amator, ut ipſi Societas debeat ſanctionem illam & prohibitionem, ad quam ille Claudium Aquavivam Generalem impulit, nè quis noſtrorum doceret, ſive quoad praxim ſive ſpeculationem, in materia delectationis Venereæ quæſitæ dari parvitatem materiæ: dicebátque DEUM ſibi revelâſſe, diſplicere ſibi magnopere etiam illas blanditias, quæ teneris infantibus demulcendis fieri ſolent. Itaque non ſolùm virgo ad mortem perſeveravit, ſed etiam nullum aliud quodcunque lethale peccatum totâ vitâ admiſit. Non ceſſavit tamen illum ardentiſſimis libidinum facibus dœmon ſuccendere, quas ut reſtingveret, aſperrimo flagello aliquando totum corpus ità dilaniavit, ut uno continuo facto vulnere rivi undique currerent copioſi ſangvinis. Sed cùm & hoc fruſtra eſſet, ad SS. recurrit Sacramentum, ante quod in oratione proſtratus, ibi tandem remedium invenit. Quin & aſpectabili comptæ mulieris formâ ad lectulum comparens, auſus eſt ad libidinem eum provocare: quo ſimul tempore & ſæpius aliàs nequam ſpiritus ejus oculis ſe ingerentes, volabant per aërem carbonum inſtar accenſorum ob oculos, nunc in forma æthiopum abſque manibus, nunc in ſalamandræ ſpecie, felis, & aliorum animalium, inſinuantium ſe in lectum. Imò ſentiebat ab ipſis penetrari arterias & venas corporis cum impetu, inducendo in illud commotionem omnium ſpirituum, planè ad eum modum, quo in obſeſſis facere conſveverunt. Rurſum aliàs in lectulum dormientis in forma ſcolopendræ, vermis nigri & piloſi, capite & caudâ ignei irrepens, ità ejus mentem cum examine turpiſſimarum imaginum opplevit, ut venis ejus omnibus & ſangvine ferventer accenſis, vim ſibi afferri, quæ nequaquam à ſe vinci poſſet, in cœlum clamaverit. Ad cujus orationem illico adfuit Beatiſſima Virgo, cœleſti formâ & claritate in limine ejus cubiculi aſſidens, & placidè eum intuita, dœmones opprimentes momento fugavit, ſolatáque eſt caſtitatem ejus in ſalvo eſſe; confideret, ſemper ſe ei auxilio futuram. Non tamen deſtitit dœmon illum impugnare, excitando in diverſarum mulierculàrum pectoribus erga Patrem impuri amoris flammas, earum maximè, quas ab ejuſmodi vitijs ad pœnitentiam abſtractas regebat in ſpiritu, quarum tamen illecebras omnes & artes glorioſiſſimè triumphavit.

Hujus victoriæ congruum præmium à DEO recepit, magnam in dœmones auctoritatem & dominium; ità quidem, ut ſtatim eos, ubi locorum erant, cognoſceret, atque effugaret. Et obſeſſos quidem plures trecentis liberavit, ùt plurimùm aquæ à ſe benedictæ oblato potu. Romæ quidem mulierem à quinque dœmonum Principibus, quorum quiſque mille alios ſub ſe habebat: & alteram à quatuor, ſingulos ſimiliter mille aliorum præſides, coactos priùs per os mulieris venerari SS. IGNATII & XAVERII reliquias, quos altiſſimo loco in cœlis donatos fatebantur. Puellæ cuidam in Diœceſi Caſtellana apparebat dœmon DEIparam mentitus, identidem domi & in templo; jubebátq; Provincias circumire prædicando pœnitentiam, ad placandam filij ſui iram: útque fidem veræ revelationis faceret apud alios, prædixit illam octiduo mutam fore, & alio octiduo abſque omni cibo duraturam, quod & factum eſt. Sub hæc orans inter populum ante miraculoſam DEIparæ imaginem, viſa eſt ſibi audire eadem quæ priùs inculcari, & brachium inſuper de muro ad ſe protendi, quod ipſius manum apprehenſam veluti blandiendo mulceret. Id ubi circumſtantibus puella retulit, omnes certatim beatæ ipſius manui oſcula figere, quam ſuo contactu Regina Cœli ſacrâſſet: útque id commodiùs omnes exequerentur, eam ſupra ſcabellum Altaris in ſubſellio Epiſcopali collocârunt. Anxius apparitionum inſolentium Epiſcopus loci, Patrem Julium ſollicitè evocat, qui non multis inter-

interrogationibus puellæ,& Parochi ejus Cōfessarij, apud quem singulis octo diebus confitebatur, illusam à dœmone deprehendit, qui sub specie sanctarum imaginum ipsam decipiens, miserè ejusdem simplicitate abutebatur. Itaque Parentibus auctor fuit, ut eam matrimonio elocarent, postquam generali totius vitæ exomologesi expiatam, ab incubo dœmone liberavit. Major tamen longè difficultas Patri fuit in corrigendo ejus Confessario, quamvis & illum denique convicerit. Parem impressionem faciebant dœmones, sed majore violentiâ Senis virgini cuidam devotissimæ, cui diversorum Angelorum specie identidem apparebant S. Evcharistiam ei ministraturi, hortantésque ad frequentem Communionem. Sed cùm illa Patri, eam dissvadenti ex causis certis, obedientissima, constanter respueret; videbat ab hostia fictitia prodire fœdum serpentem: Quare dœmones fraudes suas non procedere indignati, eam deinceps verberibus, fustuario, ustionibus crudelissimè vexabant; donec post multa cum ijs certamina victrix virgo migravit in cœlum. Viennæ Austriæ energumena anno integro frustra exercebatur ab Episcopo sacris exorcismis, cùm Pater eò veniens semel duntaxat ei locutus, cœpit domi coram SS. Sacramento, ipsâ horum penitus ignarâ & à suis domi inclusâ, orare, & quovis vespere plagis asperrimis corpus divexare. Interim dœmon per os puellæ multa ad domesticos convitia in Patrem illum Italum non cessabat conjicere, qui omni vespere circa horam 8. se divexaret & torqueret. Paulò pòst invisit illam iterum Pater, cujus oratione immensum torqueri se ejulantes dœmones, migrare tandem compulsi sunt. Florentiæ cùm haberet sermonem ad Moniales, vidit ex lampade Altaris ascendere carbones ignitos, qui per aëra volantes intrabant ad chorum Monialium, cognovítque dœmones esse, qui aliquot virgines obsidebant. Vespere flagellavit se pro ijs liberandis acerrimè, rescivítque deinde ex Antistita, illámet horâ tres virgines per cœnobium cursitâsse mentis impotes, vociferantes: *P. Julius nos torquet.* Sed duplo plus eosdem in eadem Urbe torsit, cùm promulgato Missionis suæ Jubilæo omnem propè Civitatem ad confessionem adduxit. Siquidem nocte ante S. Cōmunionem in oratione vigil, audit illos per Urbem cursitare desperabundos, quòd tot bona fierent in Urbe. Pari felicitate solvebat fascinis quibusvis aut magijs innodatos, & sæpe jam in mortem tabescentes, statímque eos solo aspectu in ægrotis dignoscebat, qui alioqui diverso penitus morbi genere laborare credebantur.

Jam verò quàm durus fuerit & immitis in se, ex eo colligas; quòd sæpius fateri auditus sit, in nullo exercitio spirituali majorem gustum se reperisse, quàm in obeundis pœnitentijs & afflictationibus corporis; tantus sui neglector, ut caput pecteret nunquam, faciem in anno quinquies vel sexies vix lavaret, nisì fortè oculos solos, qui ob continuum lacrymarum imbrem non parùm offendebantur; remedia & medicamenta nulla unquam inveteratis suis morbis admittebat, neque ullis unquam bellarijs aut dulciarijs vescebatur: vestitu antiquo semper & ab alijs priùs detrito induebatur; quem, si laceraretur, ipsemet sarciebat: Pallium viatorium duravit illi 22. annis, estò etiam noctu serviret pro strato. Affligebat illum mirum in modum frigus pedum, neque tamen unquam focum accessit, vel lineis infra ordinaria tibialia, soccísve usus fuit: sed noctu supra centonem simplicem imponebat pedibus libros, aut aliud pondus, ut compressione calefierent. Eodem ex frigore ventriculum ità affecerat, ut totas noctes ex ejus doloribus cogeretur insomnes ducere, manus autem haberet gelu tumidas ac fissas, genua ex assidua in summis etiam frigoribus orandi consvetudine hiulca, quæ identidem manarent sangvine. Cilicia portabat in thoraces integros cum manicis, indusiorum instar, è crudis setis implexa, ex quorum uno pertinaciter aliquando diebus noctibúsque gestato, vidit se post dies quindecim quasi decorticatum, & corpus vulneribus plenum, ut fuerit compulsus illud deponere. His addebat circa collum ad humeros catenam circumplicatam, vel coronas grandibus granis, instar rosarij contextas, quas multis annis eâ constantiâ magno suo cruciatu portavit, donec carnibus infixi penitus globi, ipsum etiam os sub collo, quod à pectore tendit in humeros, confregerunt. Unum è cilicinis ejus thoracibus absque manicis cōservat Patria illius Macerata, multis clarum hodiéque prodigijs. Primum accidit in Lucia uxore Petri de Valentino, Maceratensis; quæ à sex mensibus gravida repentè doloribus & oppressionibus cordis ità pertinaciter occupata fuit, ut nihil proficientibus pharmacis à Medico desperaretur. Igitur spe omni humani subsidij depositâ ad Beatissimam Virginem de Rosario confugit; cùm somno correpta sentit sibi tangi pectus, ubi dolor erat acutissimus: quo tactu expergefacta videt Religiosum Dominicanū sibi astare; quem facessere jubens

jubens, dum indormire denuo conatur, sentit ibidē iteratò se ab illo tangi, qui ore renidenti ipsam allocutus: *nè timeas,* inquit, *utere non alijs remedijs, mitte ad Galeotum pro illo thorace, applica illum ad corpus, & eris sana.* Adstātes loqui eam cum cœlesti illo Religioso audientes, delirare credebant, & nè inconfessa decederet, Confessarium evocant Collegij Ministrum. Huic visionem ipsa narrat, sed meram ægrientis phantasiam esse credenti; cùm de thorace apud Galeotum nemo quidquā sciret. Quærit nihilominus ex obvio Galeoto Pater, num quem sacrum thoracem habeat? qui reposuit, habere se cilicium P. Julij in modum thoracis contextum. Affertur igitur, & ægra illo induitur, subitóque omni dolore absterso perfectè convalescit. Quo vulgato prodigio, quotquot Maceratæ malo quopiam corriperentur, eâdem fiduciâ thoracem experierunt, subitò exinde sanitate potiti; quorum multa jurata testimonia manu Notarij recensentur in processu pro P. Julij sanctitate. In quo illud insuper sanè est mirabile, quòd thoracis beneficio juvandꝰ æger nullam ex eo, nudo corpori applicato persentiat puncturam, cùm tamen ijs qui gratiam non consequuntur permolestus sit & mordax. Disciplinis cædebat corpus quotidie ad copiosum usque sangvinem; quarum una, hodiéque magnâ veneratione asservatâ, filis constat ex aurichalco fusis, dimidiæ libræ pondere: nec verberationem unquam intermisit per itinera, occupationes, morbos etiam lethales, vel ullum sociorum respectum, donec caro ejus redacta est velut in insensibilem; & tum cædebat pedum tibias, vellebat pilos barbæ, pedum, manuum, ex candela accensa derorabat guttas inflammatæ ceræ in brachia, pedes, humeros, pectus, sic, ut exasperatâ carne videretur contraxisse lepram: quòd si candelæ eum deficerent, adurebat ad ignem membra ustulanda, contrectabat accensos carbones. Quæ omnia acerbissimum moventia dolorem non sinebat præterea DEUS nocere ejus valetudini, aut in ùlcera purulenta degenerare. Juratus testis P. Cæsar Vivo Societatis JESU Domûs Professæ Neapoli Præpositus testatur, illum vocatum ad suum nepotem parvulum, cui agonizanti apparatus funebris jam erat in promptu, cùm pro ejus sanitate juxta lectum diu orâsset, neque tamen valetudo puero rediret, secessisse in conclave seorsum, & apprehensam ab Ephebo facem accensam in suppositum brachium nudum ità destillâsse, dum totum ardente cerâ perfusum adureretur. Observatum autem tunc simul fuisse, ad modum & moram liquefactæ facis morbum puero recessisse, ab eóque momento cœpisse convalescere, superstitem deinde quàm alij sui Fratres 30. annis diutiùs.

Nec minùs rigidus erat in jejunijs, quæ aliquot diebus in hebdomada, maximè per Adventum, transigebat in solo pane & aqua, & sæpe nihil penitus degustans: carnibus foris plerumque semper abstinebat, domi autem ità dextrè pane solo in jure tincto vescebatur, ut jejunium assidentes non facilè deprehenderent. Abstinere autem in mensa à ferculis quæ palato arriderent, fuit ipsi perpetuum; sicut è contra unicè vesci insipidis, & à quibus abhorrebat à puero instar veneni, ex quorum solo afflatu, utì ex caseo, solitus erat pati deliquium. Quam ejus asperitatem juvit etiam DEUS alio medio, immittendo in ejus palatum & gingivas defluxiones capitis admodum graves, quæ 12. per annos durârunt cum ea mandendi difficultate, ut ipsi comedere pœna esset & dolor. Neque ullum aliud cruciatuum spontaneorum admittebat temperamentum, nisì solum peccati periculum, nè sæviendo ampliùs id incurreret. Unde longè majorem afferebat magnanimitatem ad illata aliunde incommoda & adversa, quæ illi unquam deerant. Fecerat aliquando iter equo alioqui mansveto, quem dœmon ità efferavit, ut inconditis saltibus sessori recalcitrans, os illud, quod humeros cum præcordijs conjungit fregerit; de quo malo, Patri à se conscito, die sequenti per energumenam gloriatus est. Ingentes per omnem deinceps vitam Patri fractura illa dolores & molestias concitabat, cui tamen medicinam nullam applicare sustinuit, nec Sacrificium unquam ideo intermisit, etsi mense integro cogeretur uno duntaxat uti brachio, omnia perinde ùt ante Missionum itinera pedibus ferè conficiens. Dixit quin etiam pro concione per ipsos 50. dies, dolore ipsum excruciante vespere præsertim & manè, cùm vestes ponendæ erant & induendæ, ad quod nullius auxiliarem manum admittebat. De novo autem hæc ipsi ruptura postea renovata est, cùm ad evitandum vitæ periculum coactus desilire ab equo, illud ipsum brachium violentè ad terram allisit, cui nè tunc quidem medicinam ut applicaret induci potuit. Chirurgum tamen censentem non rectè os illocatum esse, ideóque de novo emovendum, libenter admisit, quòd ea cura novum ipsi dolorem esset allatura. Sæpius incidit in flumina & torrentes, ipsúmque mare, ut vix evaserit. Quin etiam permisit DEUS, ut Superiores & Valetu-

tudinarij ejus nullam curam haberent & attentionem; neque unquam Medicum aut chirurgum malis ejus curandis advocarent; eum veluti inutilem & omnium postremum haberent; cubiculum omnium semper in domo vilissimum attribuerent; quandoque prorsus nullum, nisì quod hic vel ille infirmus deserebat; & in certo Collegio per 7. annos integros non fuit ipsi assignatum cubiculum certum, verùm incolebat quodvis temerè vacans; ex quo, redeuntib, inquilinis, oportebat illum cedere in aliud: quæ omnia charitati Societatis prorsus insolita, fassus fuit DEUM à se rogatum permisisse. Semel etiam granarium ipsi attributum fuit, nulli alioqui, propter frigus inhabitari solitum, quod ipsi digiti uni, nervum ad tres annos obstupefecit. Jussus erat Valetudinarius à Medico ipsi lavare caput frigore glaciatum, qui lixivio nimiùm forti & insuper bulliente usus est, ut cutis Patri creparet & rimas ageret, marcescente subtus pure; neque tamen Pater ullum doloris vel impatientiæ signum ostendit. Taceo injurias nomini ejus & famæ illatas, revelationes ejus fatuas & meras illusiones, ipsum verò mente captum, scelestum, hypocritam, spargentium; in quibus tamen vir humillimus absque ulla contradictione nunquam se purgabat. Occupationes ejus in Collegio studiosissimè quæsitæ, erant, scutellas & ollas eluere, reliquias ciborum pauperibus colligere & dividere, loca secreta & vasa nocturna sociorum mundare, ad quæ occultè infirmis purganda, ipsemet æger, clam alijs surgebat, cubicula verrebat, & omnia mediastini munia obibat, etiam jam grandævus. Nec solùm avebat æstimari ab alijs homo rudis, bardus, & parum sanæ mentis; sed eam opinionem studiosè etiam procurabat, incedendo per plateas Romæ veste conscisså & lacerâ absque pallio, excutiens & emundans se in vijs publicis coram prætereuntibus à pediculis, quorum magnos greges ex nosocomijs, stabulis in quibus dormiebat, referebat collectos; incedendo in conspectu P. Generalis & aliorum gravissimorum Patrum pallio inverso, unde illum riderent omnes tanquam hominem simplicem & nullius advertentiæ. Cùm semel è stabulo fuisset ejectus tanquam suspectus furti, & illud ipsum ei Parochus loci exprobrâsset, vocando Cleri opprobrium & dedecus, hominem vagabundum, qui si frugis alicujus esset maneret utique domi suæ, incredibilem eâ re plausum in animo sensit, putabat enim se dignissimum, qui ab omnibus è toto mundo ejiceretur.

Atque hâc sui omnimodâ exinanitione consecutus est P. Julius ut esset plenus DEO, cui ità animo & potentijs omnibus ubique & semper manebat conjunctus, ut violentè à Divinis mentem avertere magno conatu cogeretur, nè in negotijs humanis ad necessaria commercia & conversationem exerraret. A distractionibus autem in oratione abhorrebat tanquam ab Idololatria, *quia*, inquiebat, *per eas DEUS contemnitur, & dum fingimus nos eum adorare, defertur certo modo illa adoratio rebus, ad quas vaga mens divertit, præfigendo sibi illas loco DEI, quasi ad illas dicatur, Pater noster qui es in cœlis, &, adoramus te, benedicimus te, &c.* Quare propter continuam DEI præsentiam, liquefiebat tanquam cera ad focum, cum difficultate mentem divertendi ad res alias, & quasi in pectore ingens arderet ignis, quem inclusum tenere non posset; vel erumpebat foras per clamores & fremitum; vel elevabatur corpore in altum animo totus in extasim raptus; vel instar pilæ inquietus rotabatur & cursitabat, quasi exitum vehementi spiritûs incendio quærens. Atque hujusmodi violentias ipsis 20. annis expertus est, seu vacaret orationi, seu litaret ad aras, seu cum DEO misceret colloquia. Exorsus aliquando agere cum Nobili Equite Neapoli de rebus Divinis, tali fervore gemitus inter & clamores cœpit agi, ut totum corpus subsiliret in aëra: cujus ex pedibus Nobilis se suspendens, nescias an cum eo in cœlum avolare, an secum in terra retinere voluerit. Idem prorsus fecit Coadjutor Societatis 60. annorũ, cùm sub Missam in altum tolleretur in Sacello Principis de Bisignano A. 1602. cujusmodi raptus sæpe ter quater in uno Sacrificio repetebantur post consecrationem. Similes elevationes ei contigerunt publicè Neapoli in Sacro Anno 1603. & in Palatio Marchionissæ de Bracciliano A. 1613. & rursum in domo Dominæ Dorotheæ de Tufis. In domo autem Domini Ferdinandi Pagani Equitis Neapolitani A. 1612. disserens de amore ærumnarum pro DEO tolerandarum, in præsentia multarum Dominarum & Virorum (prout id omnes jurato chirographo testantur) in extasin repentè raptus, & unà cum sella cui insederat, omnium stupore, in aëra elevatus est. Quod ipse ad se reversus, advertens, cùm statim ex pudore quodam discedere vellet, januam pro exitu invenire non potuit, donec ad eam duceretur. Quin etiam Superiorum jussu adactus sua manifestare, fassus est ipse, Senis in quadam contemplatione deprehendisse se elevatum in ea altitudine super aëra, ad quam

quam oculus humanus non possit pertingere. Hujusmodi autem contemplationibus & orationibus mentis non solùm dies, si quando vacaret, aut per morbum agere aliud non posset; sed etiam noctes integras indulgebat, genibus ex ejus diuturnitate tandem ità debilitatis, ut erigere se nequiret in pedes. Sed & medijs in occupationibus animo semper in DEUM fuit collectus, dicere solitus: inter plurimas Missionis occupationes expertum se fuisse majorem solitudinem & collectionem, quàm cùm esset privato in cubiculo solus intra Collegium; hócque donum esse DEI, quo remuneratur nostros, qui dum Missionibus distinentur, valde se Instituto sancto Societatis conformant. Ex qua cum DEO perpetua unione rarissimum illud donum obtinuit, discernendi conscientias & statum hominum bonum & malum, ità ut sensibiliter quasi perciperet fœtorem peccatorum, & è contra fragrantiam continentium. Indè cùm A. 1613. illum accessisset consilij gratiâ persona vitio carnis multùm dedita, talis putor Patrem afflavit, ut cùm amplius non esset ferendo, sermone abrupto coactus fuerit discedere. Aliàs cum legisset librum, quamvis tractantem res spirituales & sanctas, sensit tamen ejusmodi aversionem, ut nequiverit progredi in legendo: móxque intellexit eum librum ab Ecclesia esse confixum. Innumera ejusmodi sunt exempla, quæ compediosè hìc referri non possunt; utì neque illa, quæ ipsius erga animas purgatorij affectum & compassionem, toleratas pro eis gravissimas pœnas, multiplicatas preces, ac tandem earundem liberationem concernunt. Certum est centenis plures illi comparuisse in diversis tormentis constitutas, suffragia implorantes, præter eas, quas Divinâ revelatione cognoscebat pœnis purgantibus attineri, ut ijs eripiendis opera sua applicaret.

Nec minùs Angelus Custos statum earum animarum ipsi revelabat, ità Patri familiaris, ut se illi oculariter videndum sæpius exhibuerit, monens de varijs necessitatibus & periculis etiam viventium, & procul existentium, itáque potenter ad orandum pro illis impellens, ut resistere non potuerit. Quare Patri familiares si quando adversitate repentinâ premerentur, orabant Angelum Patris Custodem, ut eum admoneret de facienda pro se oratione, & infallibilem sentiebant effectum. Eodem impulsore cognoscebat occultissimas necessitates animorum & corporum, ad ijs subveniendum, cùm aliunde nullum indicium vel motivum haberet id faciendi. Celebraverat Sacrum Colmurani, vicino Anconæ in Italia Castello, animo postea concionandi: verùm dum ad Sacrarium revertitur, omnes dilapsi sunt: dilapsura etiam erat vidua quædam, jámque sub ostio templi erat; cùm Pater, ità internè stimulatus potente versùs DEUM impulsu, illam stitit, & quasi incantatam compulit redire, ultro rogantem confiteri. In confessione deprehendit Pater illam per annos plurimos confessam sola peccata externa omissis internis, ritéque dispositam absolvit. Paucis pòst diebus Anconæ in Xenodochio more suo diversatus, rescivit ex viduæ filio, illam diem suum obijsse, ex quo singularem DEI providentiam in salvandis prædestinatis prædicavit. Affirmabat autem maximè sibi Missæ tempore DEUM monstrare arcana eorum qui liturgiæ interessent, eósque à se videri in Divina bonitate quasi in speculo: quo modo cognovit gravissimam tentationem unius è nostris egressum à Societate meditantis, quem efficacissimis verbis in vocatione confirmavit: idq; illi cum pluribus alijs contigit. Transiens aliquando in platea, sensit se vehementer ad domum certam intrandam impelli: vix intraverat, cùm hominem invenit suspendio animam elidere molientem, quem ritè expiatum, ad saniora reduxit. Simili violentiâ instinctus, ingressus est domum, in qua neminem, & ipsum nemo noverat, vidítque gradus altissimos, ab habitatoribus inobservato periculo mox casuros, quos de periculo monuit, & gradus adhuc eo ipso die magno fragore conciderunt. Idem internus impulsus eum proprio periculo eripuit Ameliæ, ubi studebat in cubiculo expoliendæ concioni; repentè enim sensit se stimulari ad exeundum & orandum Breviarium, cui voluntati licèt repugnare conaretur, quòd necdum tempus orandi esset, paruit nihilominus, & Breviarium in pergula exorsus est; venerat ad tertium Psalmum, cùm horrendo tumultu tabulatum cubiculi corruens, duplici trabe sedem ac mensam ubi studuerat penitus oppressit. Nunquam finirem, si omnes casus ab hoc interno instinctu profectos recensere vellem: qui ipse spiritus Divinus res longinquas ipsi præsentes sistens, haud rariùs vicissim ipsum rebus longinquis præsentem stitit, quin eum loco ubi erat moveret, ut articuli pro ejus obtinenda sanctitate impressi testantur. Sic interfuit morti sui Patris ac Matris, etsi plus centum milliaribus abesset. Sic adfuit Sacerdoti graviter in lecto suo contra honestatem tentato, qui Patri confessus, in alium prorsus homi-

nem ex eo die mutatus eſt. Sic Neapoli Dominæ Beatrici Gvevarræ Comitiſſæ de Rocca & Aſpido, ad mortem decumbenti adſtitit, cùm pro eo accerſendo nuncius Beneventum pergeret, conſolans illam atque animans, neq; enim ex hoc morbo, ſed poſt aliquot demum annos morituram.

Jam verò revelationes & viſiones, quas P. Julius à DEO habuit, admirandæ penitus ſunt & quàm plurimæ, tum de ſingulis ſeorſim divinis Perſonis, tum de SS. Trinitate, myſterijs vitæ Chriſti, SS. DEI Matre, aliiſq; Sanctis, ùt legere eſt in vita ejus à P. Jacobo Celleſio conſcripta toto ferè lib: 3. è quibus pauculas referemus, quæ propiùs Apoſtolicàm ejus animarũ procurationem, & in ea obitos labores concernunt. In reditu Conſtantinopoli apud Archi-Epiſcopum Leopoli ſupra modũ ex ærumnoſiſſimo itinere & laboribus Miſſionis fractus, & inſuper à dœmone acerbiſſimis vexatus tentationibus, recurrit ad orationem: in qua vidit ad caput lectuli in quo decumbebat æger, Chriſtum crucifixum dorſum ſibi obvertentem; cúmque ferventiùs orare pergeret, Dominus pietate motus oſtendit illi faciem ſangvine & livore pictam, ac ſupra modum mœſtam, ſimúlque innuit ut circumſpiceret; circumſpexit, vidítque magnum Martyrum numerum: unde didicit etiam ſe paratum eſſe debere ad patiendum. Cum diſparente autem viſione, mœſtitudo ſimul, morbus, & tentatio omnis abſceſſit. Jam verò Beatiſſima Mater, quoties ferè ad illam ferventiori precatione ſupplex recurreret, toties illi viſendam ſe exhibebat, præter ſpecialia illius ab Eccleſia inſtituta Feſta, in quibus eidem præcipua vitæ, & gloriæ ſuæ cœleſtis myſteria revelabat. Commendaverat ſe illius patrocinio filius unicus Locumtenentis Cameræ Regiæ Neapolitanæ, Laurentum per ingentia latronum pericula peregrinaturus, & præcipuas aliquot Italiæ Urbes; ſpopondítque P. benedictionem diſcedenti impertiens, ſalvum & incolumem rediturum. Nocte inſequenti iterum pro eo oranti comparuit Beatiſſima Mater ſtans, in majore ſolito ſtatura, vultu majeſtate pleno, pallio pretioſo cooperta. *Domina*, dixit P. Julius, *commendo tibi incolumitatem illius juvenis: in eo agitur fides tua & mea, quam obligavi tuâ fretus fiduciâ; illum itaque periculis exime, parentibus ſalvum ſiſte, ac ſi non in itinere, ſed domi ſuæ intra cubiculi parietes manſiſſet.* Attendebat Virgo vultu placido ac benigno; cúmque ille finiviſſet, ſinum illa pallij explicans, *tuere huc*, inquit, *intrò*: vidítque intus incluſum juvenem illum genuflexum, cujus capiti manum unam beatam impoſitam habebat. Poſt menſem redijt juvenis ſalvus, plurima itineris enarrans pericula, febrium tentamenta, &c. ex quibus ajebat ſe non niſi prodigioſè ereptum. Atque ex his tam crebris cum divina Majeſtate, & SS. Virgine commercijs, redundabat in P. Julium quædam auctoritas cœlica & majeſtas, ità ut ejus ſola præſentia & aſpectus tranquillaret perturbatos, placaret crudeles, Turcas, hæreticos, latrones, prædones; id quod non aliunde poterat provenire, quàm à luce Divinæ gratiæ ab ipſo tranſparente. Quódque magìs ſtupendum, & feræ ipſæ id experiebantur, prout Algieri contigit in leone Patri blandiente, manum ejus oſculo baſiante, & intrà fauces impoſitam innoxiè allambente. Semel furioſè invaſus fuit à duobus moloſſis, qui tamen ſimul ac illum tetigerunt, ſtatim omni feritate poſitâ facti ſunt non ſolùm manſveti, ſed etiam blandi & feſtivi. Dœmones ipſi timebant illum, neque audebant in obſeſſis faciem ejus intueri. Infirmitates ad nudam ipſius præſentiam ſæpe diſparebant, tentationes fugiebant, Viri Religioſi ſolo ejus intuitu elevabantur ad DEUM; ipſe denique Pater affirmabat, ſe ſibi frequenter fuiſſe ſacro cuidam horrori, contemplanti DEI in ſe præſentiam, quali percelli ſolemus, dum videmus oſtendi Chriſti Domini vel magnorum Sanctorum reliquias, ex quarum conſpectu ſtatim experimur ſingularem pietatis ſenſum. Et licèt raro DEUM, aut Beatiſſimam Virginem viderit ſolitariè abſque Angelorum vel Sanctorum comitatu, ſæpiſſime tamen etiam Angeli ſeorſim ſe illi ſpectabiles præbebant, clientum ſuorum neceſſitates ejus precibus commendando, ſolando, in periculis tuendo, & in laboribus ac difficultatibus erigendo.

Anno 1608. 12. Aug: totum diem ambulaverat pedes, jam 73. annorum ſenex, veſtigia cujuſdam ſui pœnitentis ſecutus magni peccatoris, ut illum ad confeſſionem aliquamdiu intermiſſam ſolicitaret. Æſtus erat intolerabilis, acceſſerat aſperrimus dolor palati & gingivarum, cum intenſo cruciatu, adeò ut peſſimè haberet. Et quia malum hoc oris & dentium jam per 20. annos continuos inveteratum, vix ceſſaturum, ſed potius incrementum cum ætate ſumpturum videbatur, imò & doloribus ærumníſque mortis ſenſim ſe opprimi ſentiret, cogitare cœpit, annon petere tandem finem vitæ à DEO expediret? Factus tamen animoſior, & abjectionem animi interpretatus *nolle pati*, decrevit patientiam

am magìs & fortitudinem petere : ftatímque acri præmiſsâ flagellatione, & conſvetis alijs corporis vexationibus, orationi ſe dedit & examini conſcientiæ. Tum enim verò ſenſit ſibi intimè dici, ſervis DEI minimè peregrinum videri debere, *pati*, imò potiùs gaudere oportere, quòd hinc magnum illis meritum & gloria accederet in cœlo : quam veritatem ubi Pater mox pleno conſenſu approbavit, ſtatim vidit ſe in amœniſſimum translatum locum, tanquam hortum omnibus delicijs affluentem, ubi chorus pulcherrimorum Angelorum vocibus, & omni genere muſices inſtrumentorum pſallebant, utque illum magìs demulcerent, textum harmoniæ verbis his inceperunt : *ô cœli civis atque incola ! eja mitte mœroris nubila* : & plura in hunc ſenſum ; donec immenſa dulcedo terminavit viſionem, omni interim abſterſo in corde Patris mœrore & nubilo. Nunquam tamen plures & ſæpiùs vidit quàm in Miſſæ Sacrificio, modò incredibili reverentiâ & modeſtiâ Evchariſtiam venerantes ; modò ſpirituales gratias in ſpecie fulgentiſſimi auri, gemmarum & lapidum pretioſorum, ex vaſis ditiſſimis in aram effundentes. Nec parciores fuêre Sancti in ſeſe ipſi viſendos præbendo, nominatim SS. Petrus Apoſtolus, Matthæus, Joſephus DEIparæ Sponſus, Gregorius Magnus, Felix Martyr, Franciſcus Seraphicus, Laurentius Martyr cum S. Adriano, Mauritio, Fabiano & Sebaſtiano, Antonius Abbas ; S. Catharina, Barbara, Lucia, Priſcilla, Cæcilia, cum plurimis alijs : & omnium maximè S. Agnes, cui à puero deditiſſimus fuit, ejúſque præſidio & auxilio mira fecit. Audiverat aliquando Florentiæ, Jubilæi occaſione, majore diei hyemalis parte confeſſiones, ut congelatus frigore fruſtra tentaverit capeſſere ſomnum : quare ſomni loco auſpicatus orationem, pœnam illam DEO conſecravit, cum gaudio illud ſui affliĉtandi complexus ſtudium. Sed DEUS è cœlo ſubmiſit per manus plurium Sanctorum lectulum longè molliſſimum & calidiſſimum, in quo ſvaviſſimè acquievit, ut nullum deinceps frigus perſentiret. Inter reliquos comparuit & S. Agnes, illum mirificè corroborans ; quam ipſe non tantùm quotidiano cultu invocabat, ſed etiam ejus virginalis pudicitiæ memoriâ, omnes minùs honeſtas cogitationes diſpellebat, dictitando ſibi ipſi : *adverte ſis, ſi conſentis huic cogitationi, amittes tuam S. Agnetem.* Sed & alijs de caſtimonia periclitantibus ejus invocationem unicè commendabat, non ſinè optato ſucceſſu : cúmque ejus vitam obſtinatiſſimæ cuidam prælegeret mulieri Turcæ, quæ nullâ ratione ad Chriſtũ converti poterat; ità ejus fregit duritiem, ut libentiſſimè S. Fonti ſubderet caput, Agnetis nomine appellata. Jam verò Cœlites è Societate noſtra longè majore familiaritate cum ipſo viſibiliter egerunt : atq; inprimis S. P. Ignatius prorſus frequentiſſimè, qui etiam ſeptennio antè futuram ſuam in numerum Beatorum relationem ipſi revelavit, indicando ſimul certum Cardinalem, qui omnium maximè illi refragaturus eſſet ; quòd cùm Pater mox ſcripto annotâſſet, in ipſo eventu omnes deinde oculis deprehenderunt. Nec minùs S. Franciſcus Borgia, cum quo etiamnum vivente maxima fuerat P. Julio conſvetudo : præter quos, plurimos alios vidit inter choros Cœlitum, licèt necdum ab Eccleſia numero Sanctorum adſcriptos.

Atque in his tot viſionibus mira fuêre P. Julio revelata, tum ad privatam quorundam utilitatem, tum ad commune Eccleſiæ bonum ſpectantia, longo etiam tempore antè quàm evenirent ab ipſo prænunciata. Ità prædixit Pontificatum Sixti V. Gregorij XIV. Leonis XI. Clementis VIII. & longè pluribus aſſumptionem in Collegium Cardinalium, in quibus Toleto & Bellarmino, quos è Societate ad illud promovendos incredibile prorſus videbatur : item Octavio Bandino in tenera adhuc ætate exiſtenti ; & de altero Innico Caraccioli necdum in lucem edito, eundem Cardinalatum ipſius Parenti ſignificavit. Nec minùs ex vero prædixit bellum in Hungaria ſub Rudolpho II. Turcicum, omnéſque ejus in partem utramque ſucceſſus, amiſſionem & receptionem Jaurini ; ſucceſſorem in Imperio Romano Rudolphi Mathiam ; & in Turcico Amurathis ejus filium, cujus electionem ipsâ horâ, quâ Conſtantinopoli celebrata eſt, in ſpiritu cognovit Romæ, & ſolennitatem omnem, exploſionem tormentorum, &c. deſcripſit, quæ omnia deinceps cum nunciorum relationibus convenire deprehenſa ſunt. Promiſit eundem fore addictum Chriſtianis, quod prorſus ità evenit : & paulò pòſt mancipium Chriſtianum narravit ipſi P. Julio, ſe loquentem filio adhuc ante Amurathis mortem rogâſſe, quando aſcendiſſet ad ſolium, ut dignaretur meminiſſe ſuæ & aliorum Chriſtianorum mancipiorum fidelitatis : ad quod ipſum reſpondiſſe, ità facturum : orarent proinde ut ipſe fieret Imperator, prout factum eſt, & ſanè ſtetit promiſſis erga Chriſtianos. Simili modo præcognovit clarè victoriam illam navalem Joannis de Auſtria contra Turcas, & multis prædixit : item Conſtanti-

ſtantinopoli exiſtens mortem Henrici III. Galliæ Regis; de qua, & florenti ejus Regni ſtatu, in quem poſt eam reverſurum eſſet, multas revelationes habuit. Verùm haud ſcio an plùs admirationis habeat, an in DEUM fiduciæ, revelatio per P. Julium facta Franciſco Pro-Regis Neapolitani filio, cui poſtquam & fortunatum matrimonium, & primos in Aula honores prædixiſſet (fuit autem deinceps & Legatus Regis Catholici Romæ, & primus in Aula miniſter) orabat is jam maritus unà cum uxore identidem Patrem, ut hæredem maſculum (nam plures ipſis à DEO concedendos prædixerat) primo enixu illis impetraret. Tandem quodam die Pater coram Principe de Rocca ſciſcitatur ex eis: *cur tantopere expeterent prolem, & quidem maſculam?* & quia reſponderunt, *ad honorem DEI*; ipſe repoſuit: *ſi ità eſt, habebitis certò*; tum Princeps replicans, *atqui Pater, nos*, inquit, *gratiæ obtinendæ præfigimus terminum*: *ſum contentus*, ſubjecit Pater, *volo duos præcipuè annos, quantum opus eſt orationis ad impetrandum filium vobis*. *Nimiùm*, reſpondit Princeps: *nos aſſignamus duos menſes non amplius*. Tum Julius aliquantum ſe recolligens, *fiat itaque*, dixit, atque diſceſſit. Neque duo menſes effluxerant, cùm Domina apparuit gravida, & ſuo tempore peperit filium. Quibus ſimiles ſtupendas prorſus & inſolitas prædictiones legere eſt in eodem vitæ P. Julij libro. Nec pauciora divinitus prænovit Societatis, & aliarum Religionum ſtatum concernentia, nam & Generalis Mercuriani obitum, & illi ſucceſſorem Claudium Aquavivam; & iterum poſt hunc, Mutium Vitelleſcum pridem ante prædixit, & alia quàm plurima brevitatis causâ neceſſariò hic omittenda.

Atque his & ſimilibus tum virtutum tum miraculorum geſtis, admirandam apud omne genus hominum ſanctitatis opinionem conſecutus eſt, cujus pedibus etiam magni Principes & Marchiones genuflexi accidebant, eos exoſculaturi, tranſeuntis per plateas veſtibus roſaria & imagines populus applicabat, contactu illo velut ſacrandas in reliquias, quibus mira frequenter poſtea efficiebantur. Porrò ad reliquias ex eo petendas ipſe DEUS aliquos excitabat, & ſi haberi ob ejus modeſtiam non poſſent, ipſe prodigioſè illas ſuggerebat; prout accidit Dominæ Mariæ Brancacciæ, vitæ caſtiſſimæ ſanctimoniâ, & revelationibus claræ. Hæc manè quodam cùm Pater ſtaret in procinctu ad Sacrum faciendum, cupida aliquid habendi de ſervo DEI, ferventer oravit Dominum: viditque mox ex ore ejus gemmulam inſtar cryſtalli cecidiſſe, quam illa ſollicitè collegit, accepto à DEO mandato, illam ut tanquam rem pretioſam ſervaret, utpote intra paucos annos mira patraturam, prout & factum eſt. Tantus etiam omnium extitit in Patrem amor, ut ſi fortè ægriùs illum habere intelligerent, publicas pro eo preces & pœnitentiæ opera indici facerent: erátque videre Principes & alios viros magnos, præter privatos, qui capita ſua & vitas non dubitabant offerre DEO ad eum in vita retinendum, optantes pro ipſo mori. Quin & DEUS vitam ipſius in conſpectu ſuo pretioſam, tantúmque ad gloriæ ſuæ propagationem utilem, ſæpe per miracula conſervabat: quale fuit, dum illo Capuæ graviter decumbente, cœlum totum atrâ tempeſtate turbatum detonuit, ex quo vidit fulmen æquè fuſcum ac ſubnigrum directè ad ſe feriendum excuti. Et erat non ampliùs evitabilis ictus, unicum vix cubitum à pectore fulmine diſtante; cùm ecce manus inviſibilis illud arte & odio dæmonis excuſſum, aliò avertit.

Verùm ubi tandem labores illius cœleſti coronare præmio Superis viſum; mens Societatis Moderatoribus injecta eſt, ut eum à Miſſionibus Neapolim ad domicilium ſtabile Domûs Profeſſæ revocarent, ubi aliquot poſtremis vitæ annis incomparabiles legit fructus, ex confeſſionibus maximè, quibus perpetuam indefeſſus dedit audiendis operam. Habuit autem multò ante tempore revelatum ſibi mortis ſuæ annum, locum, & diem, quem ſummoperè gaudebat fore pridianam vigiliam Aſſumptionis SS. Virginis, cui ſemper tenerâ devotione addictus vixerat. Itaq; ſeptem circiter antequam migraret menſibus, incredibilibus pro animarum ſalute exhauſtus cum ſenio laboribus, coactus eſt decumbere; in qua diuturna ægritudine, ejuſmodi illius, ſi unquam, fuit patientia, mentis hilaritas, ac Divina cum voluntate conformatio, ut in exemplum & ſtuporem traheret univerſos qui eum inviſebant. Id quod vehementer ſtygi diſplicuit, paucíſque ante mortem diebus dœmon ipſum brachio arreptum & raptatum per cubiculum, ſub lecto ità viribus deſtitutum reliquit; ut metu, nè mox expiraret, ſtatim fuerit ultimis Sacramentis muniendus: pars autem brachij quam hoſtis corripuerat, perſtitit fœdùm nigra, & ferrugineis bullis interfuſa. Et jam vigilia Aſſumptæ DEIparæ adveniebat, cujus nocte versùs horam quartam eunte, cùm in vicino cubiculo ipſius

ipsius Curator valetudinarius acquiesceret, audivit sibi voce clarâ distinctè inclamari: *tuus P. Julius hìc moritur, & tu hìc dormis?* qui sinè morâ accurrens reperit Patrem multùm aggravatum, & rogantem vocari Sacerdotem, mortem enim adesse præ foribus. Convenerunt statim moniti complures, in quorum comprecationum corona paulò pòst, oculis in effigiem SS. Ignatii & Xaverii primò defixis, indè velut in svavissima extasi ad cœlum elevatis, facie amœnissimâ & renidente expiravit Anno 1618. ætatis 81. Religionis 61.

Morte per urbem vulgatâ fuit concursus ad ejus funus ex omni ordine hominum maximus, qui cultris, forficibus, in crines servi DEI & vestes involârunt (quorum deinde solo contactu, vel etiam simplice P. Julij invocatione, mira à DEO patrata sunt, & omnis generis morbi depulsi) totum discerpturi in reliquias corpus; nisì magno nostrorum nisu fuisset ereptum, toto tamen triduo pietati oculorum in Sacello quodam cancellis munito concessum. Notatum autem est primùm à Pictore, qui ejus effigiem depingebat, & mox ab alijs pluribus, de fronte ejus processisse odorem svavissimum, quem an ab arte aliqua inductus esset, probaturus P. Albertinus noster, jussit faciem totam aquâ probè ablui, quæ nihilominus perinde cœlestem exhalabat fragrantiam. Conditus fuit in loculo plumbeo intra communem Sociorum sepulturam: quamvis post triennium ob novas semper ejus patrocinio obtentas gratias, ad iteratas nobilissimæ Urbis preces, translatus est propè aram maximam, repertúsque etiam tunc sic integer, pulcher & incorruptus, ut videri posset tum primùm mortuus. Habuit verò ipsemet Anno 1607. à DEO revelationem de suo corpore suísque reliquijs, quâ pietate olim colendæ, quæ prodigia operaturæ, in quas civitates etiam longinquas deferendæ essent, Cracoviam usque; extátque prophetia ab ipso edita, Templum Professorum in quo sepeliendus esset conflagraturum, flammam tamen corpus suum minimè ausuram contingere. Prædictio vera exijt sub Domûs illius Præposito P. Vincentio Caraffa, postea totius Societatis Generali, annis 20. post Julij mortem, quando Templum universum cum superbissimo apparatu, qui triduo Bacchanalium pro comprecatione 40. horarum undique collectus & expositus erat, horrendo incendio conflagravit: à quo tamen P. Julij sepulchrum, licet ex plumbo, nullum passum est damnum aut vitium, estò ab insolito æstu ipsa marmora dissoluta sint, & duo organa liquata diffluxerint. Extant de sanctimonia Viri DEI publicæ tabulæ, studio plurium Civitatum, pro ejus canonizatione conspirantium, auctoritate Ecclesiasticâ & publicâ juratâ fide confectæ, quarum verbis ex articulis Processûs decerptis placet narrationem hanc concludere: *Servus DEI Mancinellus dum vixit, semper passim fuit reputatus & habitus pro sancto & amico DEI, etiam à personis prudentibus, gravibus & illustribus: ità quidem, ut etiam ipso vivo efformarentur ejus imagines, conquirerentur reliquiæ, quas conservabant in cubiculis cum veneratione. Aquam ab ipso benedictam expetebant magnopere, & accipiebant cum singulari devotione. Post mortem ejus sanctitatis fama crevit, & indies crescit magìs ac magìs sinè interruptione; unde publicè & palàm, etiam à personis eminentibus habetur, & tractatur ùt Sanctus: hinc commendant se ejus intercessionibus, venerantur ejus reliquias. Id quod publica, notoria, & manifesta vox est & fama.*

Ex ejus vita P. Jacobi Cellesij.

P. JACOBUS RHEM.

Pater Jacobus Rhem in Helvetia ad Lacum Acronianum in oppido Brigantia anno 1546. in lucem editus, conceptam in prima pueritia erga res Divinas propensissimam pietatem, nunquam deinceps totâ vitâ dimisit. Studijs mansvetioribus Dilingæ magno profectu absolutis Romam discedens, ibidem anno 20. ætatis, Societati adscriptus est à S. Francisco Borgia, in cujus ipso ingressu magnum exemplum præbuit adultæ & excellentis virtutis. Primam enim probationem ex more Societatis auspicaturus, cùm ab omnium domesticorum consortio, seorsim cubiculo inclusus esset, DEUS ad probandam adolescentis virtutem ità illius memoriam Ministro Domûs ademit, ut toto triduo nihil penitus cibi potúsve ad illum deferretur: ipso tamen nemini querente, vel cibi ullius mentionem, licèt fame sibi mori videretur, faciente. Donec Novitiorum Magister varia de novo vitæ Religiosæ genere, quî illud animo arrideret, percontando, ad eam etiam quæstionem descendit, an cibi satìs, & ad palatum suum convenientis haberet?



P. Iacobus Rhem S.I. Helvetus, per totos 40. annos Iuvenum in Seminarijs Præfect9; plura eorũ millia persanctè institutorum educavit. Defunctorum fidelium efficax Advocat9, et specialis Deiparæ cultor. Obijt Ingolstadij 12 Octobris. A° 1618.

hic ille coactus ad respondendũ, tergiversaretur, tandẽ ingenuo rubore perfusus fatetur, se cibi hactenus nihil in ea domo vidisse. Atque ex eo tempore singulari abstinentiæ & temperantiæ dono à DEO præditus fuit, neque per omnem vitam, quantumvis ægritudine & senio pressus, aliquid in cibis delicatius admisit, solis communibus & ordinarijs contentus; quos ipsos degustabat moderatissimè, & creberrimis intercalabat jejunijs, animo in lectionem sacram ità absorpto, ut nullum ciborum vel potûs saporem perciperet, lacrymis plerumque, sub lectione præsertim Martyrologij, ex desiderio Sanctos eosdem imitandi, perfundi solitus. In nullo autem majore gustu acquiescebat, quàm in afflictione sui corporis, & edomandis animi affectibus, ideóque usus cilicij & flagellorum fuit illi perpetuus, patientia in adversis planè invincibilis, ex qua nunquam molesta corpori animalcula, & immundos vermiculos scrutatus est ut enecaret, vel abjiceret; qui proinde ipsam cutem ad carnem usque perforabant, & intrà ejus sulcos securè nidulabantur. Nec minùs rigida fuit sensuum, oculorum præcipuè custodia, quos ità severè frenabat, ut neminem domesticorum, quibúscum annos integros habitabat, de facie nôsset; in quibus singulis Christum agnoscebat, & velut Superiores suos reverebatur & amabat: hinc credebatur non in alium usum oculos habere, quàm in fletum & lacrymas, singulari earum dono præditus, ut ijs continuò ferè, noctibus præsertim difflueret. Ex vilissima quam de se gerebat vir humillimus infra omnes creaturas opinione, nullius unquam obsequium aut servitium

vitium admittebat, ipse communis omnium servus. Puritate animi, & exteriore corporis compositione, cùm esset tantâ, ut nemo vel minimum virtutis defectum in eo notaret, ipse tamen perpetuò cœcitatem suam accusabat, quâ vitia sua & defectus non dignosceret: licèt interim ad confessionem nullum vel veniale certum peccatum afferre posset, sed cogeretur à Confessario ad sæcularis vitæ acta recurrere, quò materiam Sacramentali absolutioni idoneam præberet. Indè virtutem Angelicam citra ullum nævum illibatam toto vitæ cursu conservavit.

Latissimum Apostolico ejus zelo campum præbuêre juvenum Seminaria & Conventus, quæ per annos 49. constanter administravit, incredibili curâ & sollicitudine, nec minore patientiâ, ceterísque virtutibus, quas juventutis, morum & nationum diversarum, congrua educatio requirit, ut id genus laboris expertis, Indicarum Missionum ærumnis vix inferius censeatur. Itaque plura adolescentum millia per tot annos in omni virtute & pietate educata, diversissimis Ecclesiæ statibus transcripsit, nunquam de molestissimo munere auditus queri, nunquam ab eo liberationem optare, quantumlibet id ejus spiritui in DEUM collecto, & à terrenis avulso, summè adversari videretur; donec sub ultimos vitæ menses postulavit in Collegium recipi, ut domesticorum exemplis & conversatione (id enim solum prætendebat) magìs ad fervorem excitaretur. Adolescentes sibi commissos tenerrimo prosequebatur affectu, & quidem impensiùs eos, qui viliores essent, rudes, & magìs contempti: à quorum lectulis si ægrotarent, vix unquam diu noctúque discedebat, & longè majore diligentiâ necessaria animis, quàm corporibus prospiciebat. Innocentiæ in ijsdem conservandæ zelantissimus fuit, neque ullam peccati umbram tolerabat: indè protervum juvenem ægritudine molestâ prostratum, ejúsque impatientiâ in DEUM ipsum verbis injuriosis querulum, cùm iteratis monitis & objurgationibus non emendaretur, ipsâ mediâ nocte domo ejici, & in lectulo efferri foras mandavit; satìs indicans unum perire, quàm exempli pravitate multos in scandalum adduci. Neque paucis suâ potenti apud DEUM oratione tum aliàs profuit, tum valetudinem deploratam prodigiosè restituit. Solebat etiam aram, ante quam provolutus preces suas persolvebat, varijs floribus & rosis exornare; cùm adolescens diuturno eóque gravissimo capitis dolore laborans, magnâ fiduciâ de Viri sanctitate & meritis conceptâ, aliquot ex ijs collectos capiti ægro admovit, atque ex eo momento doloris omnis expers & immunis evasit. Virgo Antistes Parthenonis SS. Angelorum graviter ægrotabat Viennæ, ideóque precibus ejus se impensè commendavit; quod ipsum saluti eidem fuit, mox enim plenè sana consurrexit, & Patri gratias referri mandavit. Ibidem in adolescentum Convictu ex mortali apostemate decumbebat è prima nobilitate juvenis à Medicis depositus, extra omnem spem vitæ; pro quo Missam Pater eâ devotione tantísque lacrymis dixit, ut sæpius interpolare illam cogeretur. Jámque SS. Viaticum mortuo afferebatur, cùm DEUS precibus servi sui inclinatus ei revelavit, vitam se adolescenti ulteriorem concedere: id quod illico Pater Regenti Convictorum aperuit, & sanitas mox consecuta, ingenti Medicorum stupore confirmavit. Virginem pudicitiæ & DEI amantissimam sollicitabat impudens leno, & modis omnibus ad sui amorem inclinare laborabat, vidénsque blanditias & promissa sua omnia constanter eludi, ad præstigias infernales recurrit, & venefici maleficio Virginem itá dementavit, ut quietem nullam capiens, ad sequendum & vestigandum amasium continuè urgeretur, & ejus desiderio misella contabesceret. Nec profuêre ulla humana vel Divina remedia, aut implorata maximo fervore Divorum auxilia, donec monita ab æquali puella Virgo, ut P. Jacobi precibus se commendaret, id perlibenter fecit: pro qua Missæ Sacrificium cùm ipse obtulisset, cum illius fine vis omnis præstigiorum simul evanuit, & puella plenè sibi restituta, DEO tantò ferventiùs adhærere perrexit.

Affectus Patris in Virginem DEIparam major fuit, quàm filij in matrem esse solet, sempérque animo & ore volvebat prima salutationis Angelicæ verba: *Ave MARIA.* quem & aliorum omnium cordibus imprimi optabat, & laborabat solertissimè. In Academia Ingolstadiensi, ubi contubernium juvenum moderatus est annis 32. Sodalitatem sub ejus nomine instituit, cujus Oratorium *Collocutorium Beatissimæ Virginis* appellavit, quòd primarium illi finem esse vellet, usum & introductionem piorum colloquiorum de rebus cœlestibus, & animæ salutem concernentibus. Inter Sodalium leges præcipua erat, ut ab omni peccato lethali abstinerent, adeò ut si quis in id incideret, eò ipso exclusum se à Mariano cœtu excidisse sciret, neque operum & meritorum ejus, neque Indulgentiarum capacem, donec sacrâ Confessione animam

mam expiaret, & SS. Matri reconciliaretur, devotè recitato hymno: *Ave maris stella*; adeóque tam exclusio, quàm in sodalitatem receptio, perficiebatur secretè ipso facto, nemine præter delinquentem conscio. Eam Sodalitatem confirmavit, & Indulgentijs maximis dotavit Anno 1614. Paulus V. Pontifex, durátque in hodiernum diem magno splendore & Sodalium pietate. Solenne illis est, octavo quoque die Sacramentum Pœnitentiæ adire: Sabbatis omnibus & festis in Oratorio colligi ad orandum, & colloquendum de rebus Divinis, aut spirituale quidpiam audiendum. Qui verò legitimè absunt, si meritorum & Indulgentiarum ejus compotes fieri avent, tenentur eodem tempore librum aliquem spiritualem legere, & annis singulis de se ad Congregationem perscribere: quod si omittant, eò ipsò Sodalitate excidunt. Horum omnium non minùs, ac si præsentes forent, curam gerebat intentissimam Pater, quorum si quis vitâ decederet, illico certior divinitus reddebatur, & eorum animas orationibus singulorum commendabat: & quidem aliquando communem ad omnes allocutionem habens, jussit eos DEUM exorare pro anima certi cujusdam è suo numero (quem de nomine appellavit) in remota regione vitâ functi: qui die & horâ, quâ id ex Patre audierant, observatâ, resciverunt tandem, illum fuisse eo ipso temporis articulo, in Hispanijs morte sublatum. Neque viventibus duntaxat, sed & pijs è Purgatorio manibus certum erat in Patris orationibus asylum, à quibus creberrimè invisebatur, & pro suffragijs rogabatur: & modò quidem januâ cubiculi, velut admissionem sollicitantes, quatiebant; ídque eò sonantiùs, quò præsentiore egebant auxilio: modò lacrymabili ejulatu & voce, ex adsito sub fenestris contubernij cœmeterio, *Pater Jacobe ora pro nobis*, inclamabant; ut vicini clamores perciperent. Aliquando Missam pro defunctis legentem rogârunt familiares, cur tali die ipsam dixisset? quibus respondit: oportuisset omnino dici pro homine Societatis, eo ipso die in Danubij navigatione aquis præfocato. Et paulò pòst rescitum est Patrem Ferdinandum Melchiorium Ingolstadio Ratisbonam petentem, Danubij fluctibus haustum esse. Raro autem sacrificare illum contingebat, quin lacrymis toto Missæ decursu rigaretur, altissimis tunc de DEO ejúsque mysterijs sensibus abundans: cogebatúrque idcirco frequenter illam interrumpere, visus interim multoties à terra sublimis in aëra levari, animo in cœlestia abrepto corporis gravitatem unà in sublime attollente. Nec animæ solùm è piacularibus flammis, sed & sedium beatarum Cives visendos illi se præbebant; ex quibus unus aliquis de Societatis hominibus fuit, qui rogatus, an ignibus adhuc illis expiaretur? cùm negâsset, séque ex Cœlitibus unum asseruisset; tanto gustu de æternis Beatorum gaudijs disserere cœpit, ut Pater dulcedinis celandæ impotens, plures dies à continuis lacrymis temperare non posset.

Maximo desiderio aliquando tenebatur salutandæ DEI Matris titulo ipsi gratissimo, & quo ejus tot excellentiæ potissimùm exprimerentur: subitóque illi revelatum fuit, illum titulum esse, quo in Litanijs Lauretanis vocatur *Mater admirabilis*, quòd illo brevissimè altissimæ ejus prærogativæ comprehenderentur. Itaque cùm die proximo Sodalitas haberetur, & Litaniæ Lauretanæ choro musico decantarentur, vidit ad encomium illud *Mater admirabilis*, SS. Virginem ingenti splendore & cœlesti majestate radiantem, unde tantùm solatij hausit & gaudiorum, ut de angulo Oratorij, prout genibus nixus hærebat, in medium spiritu Divino abreptus, altâ voce ter repetierit: *Mater admirabilis, Mater admirabilis, Mater admirabilis*, non absque sacro quodam omnium horrore. Quem morem, ter eundem titulum honori Matris DEI repetendi, ex ipso cœlo à Patre haustum, hodiéq; Sodalitas illa in Litanijs dicendis observat. Passus quidem non levem fuit contradictionem Pater ex Sodalitatis hujus institutione, jussus etiam sinistris malevolorum delationibus à Visitatore Germaniæ P. Paulo Hoffæo ab ea desistere: sed tantis hic repentè ab eo mandato cœpit conscientiæ angi timoribus, ut nihil dubitans eos ab ultrice DEIpara immissos, damnatis susurronum sententijs, mandatum revocârit. Insignis etiam fuit spiritu prophetico, quo longè pòst futura verissimè prædixit: ex quibus memorabile inprimis est vaticinium rebellionis contra Ferdinandum II. ab hæreticis intentandæ, de quibus victoriam, auspicijs Bavariæ Ducis, referendam sigillatim prænunciavit anno 1615. quæ postmodum reipsâ obtenta est in Albo Monte ad Pragam, contra intrusum Boëmiæ Regem Fridericum Comitem Palatinum. Et quidquid annis 1619. & 1620. in Imperio mutationum contigit, id totum multò antè ex vero secuturum prædixit. Atque his aliísque virtutibus constanter insistens, ætatem ad annum usque 72. produxit, quam morte

San-

Sanctorum, uti eorundem vitam vixerat, conclusit Ingolstadij 12. Octobris A. 1618. cujus exuviæ tanquam Viri DEO dilecti, hodiéque in magna æstimatione sunt non tantùm domesticis, sed & extraneis.

Ex Bavaria sancta Raderi, & Nierembergij Tomo 1.



P. Francisc9 Coster9 S.I. Belga, Innocentiâ Vitæ, Apostolicô zelô, laboribus pro Catholica Fide susceptis, et eximio Deiparæ cultu conspicuus. Obijt Bruxellis, 6.ta Decemb: 1619. Ætat: 88. W.P. Kilian sc.
103.

P. FRANCISCUS COSTERUS.

FRanciscus Costerus, natione Belga, patriâ Mechliniensis, vivente adhuc S. IGNATIO Romam venit adolescens, & in Collegio Romano bonis artibus perpolitus, Societatem complexus est. Indè Anno 1556. cùm ageret ipse 25. ætatis, à S. Patriarcha Coloniam missus est, ubi non pridem Senatus novum trium Coronarum Gymnasium erexerat, eíque Regentem primùm præfecerat Jacobum Lichium: sed quia hic paulò pòst Lutheri erroribus addictus deprehensus est, circumspicere Catholicos Præceptores Orthoxa cumprimis Civitas cœpit, & ad Collegium Societati ibidem fundandum propendere. Ibi cum duobus Sacerdotibus artes diversas tradere, simúlque latino & germanico idiomate pro suggestu ad populum diecre exorsus, sacram Scripturam ad Academicos in Theologia, Astronomiam verò in Philosophia sibi explicandam unà assumpsit; quibus

 Audi-

Auditorium maximum non voluptate solùm, sed admiratione etiam complevit, præsertim cùm tantam doctrinam commendaret ætatis immaturitas, quam ornabant magìs etiam & venustas sermonis, & varietas lingvarum. Cùm verò anno sequente præter alios ingentes è concionibus proventus, plusculi Academicorum, Societatis desiderio capti, illi se adjunxissent, Francisco præter Philosophiæ in Academia explicationem, Tyronum institutio demandata est: quo in munere suam operam egregiè probavit, adlectis excultísque optimæ indolis adolescentibus. Juvenis inter reliquos ejus in Philosophia discipulos fuit 18. annorum, Ogerius Dabancianus Leodiensis patriâ, qui cùm Divina mysteria octavo quoque die frequentaret, assiduas intus in animo audiebat voces, quibus ad Societatem capessendam impellebatur. Quarum impatiens, ut importuno monitore submoto securam vitam liberè exigeret, non apparere ampliùs in templo, non ad sacrum Confessionis tribunal, non ad mensam Angelorum accedere; inter sodales è contra perniciosâ vagos licentiâ dux ipse volitare. Interim tempus aderat, quo Magistros ex Philosophia creari oportebat; ex quibus Ogerius, cùm abjectâ rectè faciendi mente, discendi quoque (utì ferè fit) cogitationem ablegâsset, nè tamen condiscipulis magisterio cohonestatis turpiter ipse præteriretur, inter candidatos nomen suum Francisco profitetur. Prehensâ Pater ansâ fidem fecit ejus quoad posset juvandi, sperans fore, ut cum igniculis mundanæ hujus gloriolæ rediret animus ad antiqua pietatis exercitia: verùm respiceret se se, admonuit, notam esse omnibus ejus & piarum rerum, & Philosophiæ incuriam; talibus moribus præditum, & usque eo imperitum, nec expedire nec licere ornare. Permotus his adolescens, ingenti ardore se ad Philosophiæ simul & pietatis studia refert: ac sinè mora eadem cogitatio ineundæ Societatis præsto est, graviúsq; stimulat, ut aliquando defatigatus ac propè desperans exclamârit: *itáne compellar invitus & perpellar, ut efficiar Jesuita?* continuóque audivit vocem: *itàsanè, & nisì id facias, moriêre.* Nihilò magìs obsequenti, insolito gelu pedes obrigescunt, quod sensim per tibias fusum in ceterum surrepebat corpus. Adhibet Medicos, balnea, fomenta; sed frustra: jámque ad vitæ sedem malum propinquabat, cùm demum stuporem mentis suæ sentire incipiens, Franciscum adit, seriémque narrans, ad ultimum induxisse animum DEUM sequi fatetur. Ut verò clariùs appareret, quo fine pertinax gelu à DEO immissum esset, jussus à Francisco (spiritu Divino & prophetico impulsu) ad tyrocinium se eâdem adhuc vesperâ conferre, ùt primùm pedes Collegio intulit, rigor simul omnis evanuit, & ille propositi constans ad mortem usque, quàm piè tandem Moguntiæ obijt, perseveravit.

Franciscus interim tradendis Philosophicis Theologicísque disciplinis Coloniæ inclarescens, sacri Doctoratûs insignia ibidem suscepit, & 4. se votis solennibus illigavit. Tum concionibus varias Germaniæ & Belgij partes illustrans, ingentia ex animabus lucra, & plurimorum ab hæresi conversiones reportavit. Erat enim non minoris facundiæ quàm spiritûs, quo animos audientium percellebat, incendebat pectora, & quò DEUM velle noverat, impellebat; hæreticorum verò artes & versutias ità refellebat, ut eorum malleus passim ex vero audiret: neque ulla tantæ molis erat Ecclesia, quæ audire cupientium multitudinem caperet. Sed non contentus hæresim voce & lingvâ persequi, eandem 20. diversis minimùm scriptis tractatibus & libris, stylo impugnavit, quibus multis Hollandorum millibus saluti fuit, ut vel nutantes in fide firmarentur, vel lapsi resurgerent; præter edita complura ad nutriendam Catholicam pietatem opera, concionum inprimis tomos aliquot. Multis deinde in Societate Collegijs præfuit, bis Provinciæ Belgicæ, semel Rhenanæ, in tribus Congregationibus Generalibus præsens suffragator. Nunquam totâ vitâ, cujus annos exegit 88. infirmatus est, tribuens id potissimùm documento à S. IGNATIO sibi, dum Novitius semper ridere sibi notaretur, dato; ut mentis jugem lætitiam cordi haberet. Nunquam ultra horam consvetam somnum extraxit: nulla eum cura vel sollicitudo unquam perturbavit aut interrupit: nunquam à Sacro faciendo, nisì ultimo morbo prostratus, abstinuit. In se fuit adeò severus, ut perpetuo cilicio, creberrimísque flagris corpus attereret. Vel tum cùm regebat Provinciam, libros scribebat, & conciones sæpe plures unâ die habebat, & audiebat confitentes, & cum hæreticis passim disputabat. Pedes ferè conficiebat, quamvis longissima itinera cilicio succinctus, & de via repentè concionabundus exiliebat in pulpitum, & magnâ contentione, tanquam recens à quiete esset, disserebat. Tam scripsit copiosè, tanto concionatus est hominum concursu, ut in præcipuis Societatis Scriptoribus Concionatoribúsque videatur numerandus. Deficientes à Societate ità execrabatur, ut ægrè

grè nostros pateretur cum ipsis vel miscere colloquia. In S. IGNATIUM, quócum egerat vivente, & Beatis adscriptum postea vidit, tenerrimo ferebatur affectu; nec sinè lacrymarum profusione Sacrum de illo faciebat. Tria sibi ab eo in tyrocinio præcepta data esse memorabat, quorum fuit & observantissimus, & similiter alijs præscribebat; ut nimirum *demissionem animi*, tum *obedientiam cordi haberet, ità enim fore* (quod erat tertium) *ut perpetuâ potiretur animi pace & lætitiâ.* Virginitatem nullâ unquam cogitatione, aut indecoro motu oppugnatam se servasse, fassus est ipse aliquando. Sermo illi sinè fuco, simpliciorum consvetudo gratissima: nunquam auditus vel minimi defectûs narratione alicujus obscurare famam: pijs autem colloquijs ità delectatus, ut ijs illatis vel si dormiret expergisceretur; aliena mala si recenserentur, mox obdormisceret.

Multus semper in oratione fuit, nè tum quidem eam solitus abrumpere, cùm è musæo se in triclinium alióve conferret: quâ etiam, mentali præcipuè, omne itinerum tempus extrahebat, aut certè meditata cum comite viæ conferebat. Animum solebat quotidie confessione purgare, & humilitati exercendæ lances culinæ quot hebdomadis, etiam cùm administraret Provinciam, detergere. DEIparæ Virginis, cui se dicebat infantulum à parentibus fuisse consecratum, præcipuus cultor extitit; ejus pervigilijs se in publica cœnatione sociorum accusare, atque à se pœnam aliquam repetere; omnes ejus imagines ubilibet obvias aperto capite, & Angelicâ salutatione venerari; ejus dotes & miracula perlibenter vel audire vel referre. Sodalitates ejus honori primus in Provincijs, quibus præfuit, erexit: ijs leges condidit, formam pietatis ac modum, edito in lucem opusculo docuit. Antverpiæ grandem statuam pro curia collocandam curavit, submoto, qui locum illum occupabat, profano Colosso. Vitam suam omnem ità proximorum bono sacram habuit, ut non scriptione duntaxat, concionibus, aliísque Societatis ministerijs semper illis commodaret, verùm etiam Duaci cùm Rector esset, nè quem suorum pestis periculo objiceret, ipse lue afflatorum obsequio suâ se sponte addixerit. Denique vitam his laudibus ornatam cùm ad magnum senium provexisset, ætati magìs & necessitati naturæ, quàm morbo succubuit. Dum ultimis Sacramentis imbueretur, identidem exclamabat: *ô quanta consolatio!* Rogatus an libens moreretur, illis divi Ambrosij verbis respondit: *ità vixi, ut me vixisse non pudeat, mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo.* Demum cùm 90. illi psalmus à quopiam nostrorum recitaretur, & ad singulos propè versus eorum in se sententias locum jam habuisse affirmaret, illis verbis recitatis: *ostendam illi salutare meum*: *hoc porrò* ait: *jam reliquum expecto.* Id cùm socius debere eum præstolari diceret: *nihil*, inquit, *dubito, nihil dubito, & quantum erit gaudium cum Domino esse!* & in his ferè verbis expiravit Bruxellæ 6. Dec: A. 1619. ætatis 88. Societatis 67. Mox omnium ingentes de ejus sanctitate fuêre sermones, concursus ad cadaver osculandum, & Rosarijs tangendum grandis: è cujus reculis quidquid haberi potuit, magnâ religione ad venerationem distractum est.

Ex Historia Societatis, & Nierembergij Tomo 1.

P. STEPHANUS BENASSAI & alij 26.



Ater Stephanus Benassai Italus Lucensis; magni nominis in forensibus actionibus, antequam Societatem inijt, Romæ Caussidicus, & planè felix fuit, ut parti adversæ formidini esset: quem ob virtutis & doctrinæ præstantiam Paulus V. Pontifex Maximus ad Archi Episcopatûs celsitudinem motu proprio, nihil tale prensantem, evehere volebat. In Societate ingenti animarum zelo exæstuans, & Fidei Catholicæ etiam inter Infideles & barbaros propagandæ cupidus, annos jam ferè 50. natus, lingvam Illyricam à primis fundamentis condidicit, ut in Turcicas partes, id quod sperabat, mittendus, idoneam Evangelio proferendo operam collocaret: cujus jam tum magna charitas Romæ eluxit, in Ægyptijs & Turcicis mancipijs doctrinâ Christianâ erudiendis. Centumcellas Decembri mense pedes ut procurreret, impetravit; ubi Pontificiæ triremes miserè cum peste conflictabantur; quibus dum gnaviter omnem operam navaret, inter expiandum eos, quos lues prostraverat, anhelitu eorum tetro & peste haustâ correptus; illud

inge-



P. Stephanus Benassai S.I. Ital9, ex celebri Romæ Causidico, Soc: Iesu Religios9 fact9, animarum lucris magno zelo se impendit; in obseqvio Classis Pontificiæ contagio infectæ demortuus 16. Ian: 1620. at: 52. præter Socios 26. alibi similiter extinctos. 104.

ingeminabat morti jam proximus ad socios, ad quos in Collegium fuerat deportatus: ô bene est! beatè est Patres, in paradisum imus, in paradisum! eodem quo decessit planè tempore, quidam de Societate ad S. Andreæ agens apud Novitios, in cubiculo suo perjucundum resplendere vidit nocte lucem, & in illa Virum veste candidâ, vultu hilari & jucundo; in quem dum intentos habet oculos, sensit intimè animo suo imprimi, esse P. Stephanum: & brevì ex Collegio Romano significatum est, P. Stephanum eâ ipsâ horâ obijsse, die nimirum 16. Januarij A. 1620. ætatis 52.

Placet huic adnectere alios, diversis temporibus in simili supremæ charitatis erga pestiferos exhibitæ obsequio, per Italiam & Siciliam extinctos, quos alibi commodiùs referre non liceret. Quadriennio post, nempe 1624. gravis exorta lues Panormum afflixit, per corruptas ex Africa merces illuc delatas: quam demum S. Rosalia Virgo Regia, cujus in vicino monte corpus à non sperantibus, & alia quærentibus fossoribus, post annos à morte circiter 400. tunc inventum est, penitus extinxit. Ex socijs qui vitam infectis juvandis addixerant, decessêre terni: Jacobus Amatus, Siculus Carini natus, Coadjutor temporalis, die 22. Julij, anno ætatis 33. Alter mox sequenti die P. Josephus Curzi, Siculus Panormitanus, quatuor vota professus, annorum 59. Die demum 5. Sept: P. Hieronymus Calderarius, Siculus, ex oppido S. Marci, 4. vota professus, annor: 42. Quos secutus est anno insequenti ibidem ad diem 9. Februarij Joannes Plances, itidem Siculus Coadjutor

jutortemporalis. Rursum anno 1626. recrudescente, quæ priùs beneficio S. Rosaliæ extincta penitus erat, pestilitate, quatuor nostri pugiles concidêre Panormi, omnes ibidem in lucem editi. P. Vincentius Bongiornus, annorum 30, die 23. Jan: P. Hieronymus Platamonius, tria vota professus, annorum 47. die 30. Jan: P. Petrus Buffardus, die 6. Aprilis, annorum 29. P. Vincentius Galettus, vir ibi summo loco natus 4. vota professus, annor: 46. mortuus 17. Maij. Saccæ verò ejusdem Siciliæ Urbe, concidêre eodem anno tres victimæ, Sacerdotum ad infirmos asseclæ, 16. Martij. Joannes Bonerba Catanensis, Coadjutor temporalis, annorum 56. Postridie verò Antonius Virduccius, Calaber, item Coadjutor, annorum 78. Et 30. Aprilis Franciscus Murena, Scholasticus, Neti in extrema Sicilia natus, annorum 24. His adde ex priore sæculo (quando suo loco omissi sunt) A. 1558. Mutinæ P. Philippum Faber, Belgam Leodiensem; hìc cum esset in primis illis Societatis initijs Collegij Rector, sævientibus istic morbis, ad juvandos cives totum se convertit, ne quidquam dissvadentibus amicis. *Sed ego non video,* (scribebat ipse Patri Lainez Societatis Generali) *qui fieri possit sive cum pace conscientiæ meæ, qui gravem eam necessitatem intueor; sive absque eorum offensione, qui die ac nocte summis obtestationibus ad ægrorum confessiones catervatim vocant, si pusillum hoc auxilij, quod Majestas Divina in nobis reposuit, negem. Equidem certus sum, si DEO cordi fuerit, valetudinem nobis ad suum obsequium conservare, conservaturum: sin potiùs calicem suum nobis porrigat, id veluti sapientissimum Medicum, quòd animarum nostrarum saluti magìs expediat, esse facturum: satísque novi nil esse magnum, paululum quid perpeti, atque adeò vitam ejus causâ, à quo millies accepimus, semel tradere.* Ità ad labores mortémque paratus contagione afficitur, & 26. Februarij moritur, Anno ætatis 34. quòd Collegium proprio Templo adhuc careret, in Presbyterorum Templi maximi sepulchro, funus omni Clero & totâ civitate prosequente conditus. Anno 1575. Messanæ in Sicilia 28. Martij, simili morte cecidit P. Angelus Sibilla, ob vitæ innocentiam, & ardentissimam in DEUM charitatem, re & nomine Angelus habitus. Sequenti verò anno in Junio Venetijs P. Hector Leonellus Italus Fanensis, antea Mutinæ Rector, annorum 41. & P. Guido Toscus, Italus, annorum 37. quos 31. Julij secutus est P. Cæsar Kelmius Italus Fulginas, quinquagenario major, multis annis ibi Collegij antea Rector. Mediolani quoque hoc anno, cum S. Carolo Borromæo Cardinale & Urbis Archi-Episcopo, pestiferis servientes enecti sunt, P. Georgius Farina Cuniensis, & P. Franciscus Centuriò Genuensis, ex Ordine Patritio, Itali. Anno verò 1577. Brixiæ P. Franciscus Stephanus, Hispanus Valentiæ natus, annorum 42. Iterum anno 1579. Genuæ occubuêre, P. Joannes Andora Genuensis, 8. Octobr: annorum 34. P. Julius Palmerius Senensis, annorum 29. & P. Joannes de Martinis, ante annos 13. jam Sacerdos Societatem ingressus. Deniq; Anno 1602. Catacæ in extrema Italia P. Leonardus S. Angeli, Rector Collegij 1. Junij. Ejúsque successor P. Franciscus Moranus, unà cum socio Coadjutore Fabio Polito, 9. Junij. His adde in Chio Græciæ insula pari in obsequio extinctum Anno 1622. mense Junio, P. Dominicum Stella, 4. vota professum, ipsa à Chio oriundum.

Ex Alegambe victimis Charitatis.

P. OCTAVIUS CAJETANUS.



QUantam servorum DEI, dum impigre in salutem animarum incumbunt, curam habeat cœlum, non tantùm contra perversorum hominum conatus, verùm etiam in dœmonis artes, luculentè videre est in P. Octavio Cajetano, in quem evocatæ etiam ab inferis furiæ, mirabiliter conatu suo frustratæ sunt. Natus in Sicilia Syracusis nobilissimâ Comitum Sortini familiâ anno 1566. cùm juvenis aliquando oraret in Templo Societatis JESU, Christum Dominum Crucifixum in Altari conspexit; cujus viciniùs contemplãdi desiderio quò propiùs accedebat, eò grandior fieri videbatur. Eo spectaculo intimè commotus Societatem efflictim expetijt, superatísque cognatorum difficultatibus impetravit, tyrocinium Messanæ ingressus 20. Maij, anno 1582. Vitam illico sanctiorem magnâ austeritate auspicatus, longis flagellationibus delicatos artus cruentabat, pervigilijs maximè omnibus Beatissimæ Virginis, & sextis hebdomadæ ferijs: nudis in asseribus ad somnum cubabat: in victu & omni corporis cultu perparcus, ut paupertatem veræ matris instar diligere videretur. Rarâ admodum eluxit morum innocentiâ, & vitæ integritate: modestiæ & verecundiæ singularis; obediens usque ad admirationem. In anima-



P. Octaviꝰ Cajetanꝰ Soc: Iesu, è Comitibꝰ Sortini, Siculꝰ; ex odio Sacramenti Pœnitentiæ, in cujꝰ administratione assiduꝰ erat, ad necem, etiam magicis artibꝰ quæsitꝰ, à S. Ignatio indemnis servatur, mirisq; à Deo favoribꝰ ornatur. Obijt Panormi 8. Martij 1620. Æt: 54.

105.

bus DEO quærendis cùm esset strenuus, operam præcipuè ijs pro sacro tribunali fructuosissimam impendebat, cujus occasione res illi plena mirabilitatis accidit Panormi A. 1600. Interrogabat subobscurè fœminam quandam de re arcana, ut nescio quid non bene explicatum retegeret; illa de graviore quodam scelere, quod occultissimè admiserat, rata inquiri, cùm nollet ejus deponere consvetudinem, Patrem de medio tollere constituit, nè per illum à vitio importunis consilijs retraheretur. Ergo sicâ clàm instructa venit ad Templum, & post brevem cum Patre sermonem abeunti parat vulnus imponere. Sed ecce minitabundus è proximo Altari se objicit illi S. IGNATIUS, cujus tum quidem aspectu deterrita, facinore abstinuit. Verùm posteà quàm indè abscessit, inertiam suam cœpit accusare, & fidentior ad designatam cædem revertit, certa Patrem inter colloquendum ferire. At cùm jam in procinctu expediendi pugionis staret, ità viribus se sensit destitui, ut facinus aggredi neutiquam posset. Ergo velut intemperijs quibusdam incitata, nè tertius illi conatus, veluti priores, evanescat, dæmonem invocat, & pacto inito, etiam corporis sui ad libidinem copiam avernali incubo facit, eâ conditione, ut ad inferendam P. Octavio necem, quam ipsa ut maximè vellet, non posset, opem & vires conferat. Sed post varia tentata, coactus est ipse quoque hostis infernus fateri imbecillitatem suam, cùm diceret: IGNATIUM non permittere, ut suis filijs noxæ quidquam infligat. Igitur mutato consilio mulier perfida honorem Patris tentat corrumpere, cùm vitam non posset:

paciſcitúrque cum dœmone, ut formâ liberali puellam, quam ad ſceleris conſortium inductam addixerat ſtygio mancipatui, intempeſtâ nocte ad cubiculum Patris illatam, ibi relinquat. Ubi primùm poſt eam noctem illuxit, ſollicita de eventu improba, ad puellæ domum accurrit, exploratura quo res evaſiſſet. Sed deprehendit revectam à dœmone puellam deformatam, atrámque carbonis inſtar, membris etiam diſtortis, & furijs agitatam. Dœmon interrogatus, aditum ſibi patuiſſe negavit, objectis undequaque obicibus: nec aliud puella reſpondit, quàm repetendo: IGNATIUS, IGNATIUS *impedimento eſt, & auctor infortunij mei*: ac paucis diebus infelicem animam expuit. At fœmina tragœdiæ totius concitatrix in ſe tandem reverſa, diabolo renunciavit, & vitam univerſam priùs apud P. Octavium confeſſione expiatam, correxit.

Vir fuit P. Octavius excelſæ virtutis & ſapientiæ, ideóque gubernationi etiam admotus, bis præfuit Rector Mamertino & Panormitano Collegijs, itidémque Panormi Domum Profeſſorum adminiſtravit, magnâ integritatis & obſervantiæ luce. Spiritum devotionis ubique tam in noſtris, quàm externis hominibus, mirum in modum promovit: in negotijs, quæ cum DEI gloria conjuncta erant, exequendis efficax, & animi virilis, nullius contrà nitentis auctoritatem reveritus. Ex ſingulari, quo in Sanctorum propagandum cultum ferebatur zelo, laboravit multos annos in eruendis in lucem rebus geſtis Sanctorum Siciliæ, cui operi tandem effectui dato immortuus eſt: tam exiguâ rerum creatarum curâ, ut hujus ipſius operis, poſt acceptum mortis indubiæ nuncium, non meminiſſet, ut cuipiam ejus editionem commendaret, donec illi à Superioribus fuit imperatum. Et videturCœlitibus gratus fuiſſe hic labor, vel ex eo, quòd quadriennio ante mortem, cùm periculoſo morbo decumberet, opere ſatìs tum imperfecto, præter ſpem, & morbo ſimul, & Collegij quod regebat curâ liberatus eſt, viribúſque ità auctus, ut illud potuerit ad umbilicum adducere. Illud etiam argumentum accedit, quòd cùm anno 1611. ultimâ Octobris, votivum de SS. Angelis Sacrum faceret, ut illis ſucceſſum ſui hujus laboris commendaret, pia quæ aderat matrona magnum vidit Angelorum numerum, qui Patrem *Confiteor* de more in Miſſæ introitu dicentem circumſtabant: alióſque & alios ſe ijs addere Cœlites ſpiritus, prout in Sacro magìs magíſque progrediebatur, donec imminente conſecratione accederet Regina Angelorum, plurimis Cœlitibus ſtipata, quæ in ſinu gerebat velut Templi cujuſdam, aut tabernaculi ſimulachrum, ex quo ſub conſecratione pulcherrimus prodibat infantulus. Sic adſtitiſſe omnes Sacrificio, donec ad communionem Dominus arctè viſus eſt Octavij animam complecti. His ille auſpicijs, inter alias non leves officij ſui & animarum curas, opus grande atque impeditum perurſit ad finem. In extremo morbo cùm ſociorum nonnulli, præter preces & vota, reliquias etiam S. IGNATII, atque aliorum Cœlitum ipſius incolumitati procurandæ adhiberent, Superiori ad ſe accerſito dixit, ea ſalutis quærendæ media ſuam conditionem & merita excedere: præſertim cùm ſibi viſus eſſet quieſcenti primùm, mox etiam vigilanti S. IGNATIUS B. Virgini ſupplicare, ſuorúmque illi vota pro ſua ſalute explicare. Sed DEIparam nutu indicâſſe, haud oportere ſibi vitam ultrà prorogari: fortaſſe propterea, quòd jam opus abſolverat, cui maturando fuerat hucuſque ſervatus in vita. Ergo inter pia cum Divis colloquia Sacramentis jam inſtructus, ſvaviſſimè obdormivit Panormi 8. Martij, anno ſalutis 1620. ætatis 54. Societatis 38. Ejus effigies Romæ fuit Superiorum facultate in ære expreſſa, cum elogio excellentis non minùs virtutis & ſanctitatis, quàm natalium & doctrinæ.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 3.

P. JOANNES BORDESIUS.

PRodigium ſcientiarum & omnis doctrinæ fuit hic ſervus DEI, quemadmodum ob hujus multiplicem copiam appellatus admirabilis, ità ob ſpiritûs & ſanctitatis ſplendorem venerabilis. Natus Burdigalæ in Gallia, adſcitus eſt in Societatem A. 1577. ætatis ſuæ 17. Vir incredibili ingenio, & non humanioribus ſolùm, ac Philoſophicis, Theologicíſque literis, ſed omnium artium peritiâ inſtructus; nam & Aſtrologiam eximiè calluit, Muſicam, Arithmeticam, Coſmographiam, Medicam, Picturam; plantarum quoque naturas, viréſque herbarum, & pleraque Mechanicorum: Rhetoricam Mediolani primùm, deinde eandem in Gallia, Philoſophiam quoque ac Theologiam, cum laude pro-



P. Joannes Bordesi, S.J. Gallus, Vir summæ doctrinæ, et zeli Animarum; Canadensis in Nova Francia Missionis Auctor. Obijt in Galliæ Oppido S. MARIÆ 2. Apr. Anno 1620. Ætat. 61.
106.

fessus est. Auscitanum & Aginnense Collegia Rector gubernavit. Sed virtutum ejus ornamenta longè fuerunt etiam illustriora. Incredibilis in eo humilitas, ut neminem præ se aspernaretur, nulli se ipse præhaberet: dúmque in Missionibus expeditiones implebat Apostolicas, consortio & victu cum pastoribus utebatur communi, in eorum pernoctabat tugurijs, nec cum ullo hominum genere versabatur propensiùs, atque agrestibus & ruricolis. Divini cultûs promovendi incredibili studio tenebatur, nec ulli se labori, qui posset huic studio commodare, subtrahebat. Canadensem in Nova Francia inter Barbaros ipse Missionem primus, interprete apud Regem P. Petro Cottono procuravit: institutam impetrato subsidio ab Vazatensi Episcopo, promovit, quin & suam barbaris illis antropophagis cõvertendis operã, si DEO sic fuisset visum, addixit. Sed nihilò in Gallia præstitit minùs, quàm ibi fecisset difficillimis Missionibus, & expeditionib9 susceptis. Angeriacũ, quod est oppidũ apud Xantonas fœdo hæreticorũ grege refertum, cùm anno 1608. venisset, illud senticetum ità excoluit, ut nova propemodum soli facies videretur. Totos deinceps annos decem in Bearnensi durissima regione, per maximam rerum omnium difficultatem, tanquam ignotus in orbis angulo, per omnem temporum inclementiam, pedes locis asperrimis iter corripiens, sæpe sub dio pernoctans, versatus est; ut interdicto sibi otio & quiete, omníque oblectamento, ingenti animi fortitudine perduraret. Hìc eum conspicatus Adurensis Episcopus, D. Philippus Cospeau, vir doctrinâ & pietate celeberrimus,

rimus,

rimus, vili tectum lacernâ, vix bene ad retinendam vitam pastum, Apostolico more circumcursantem, exclamavit: *ô verè Virum Apostolicum, qui hac in ætate sexagenaria, animo est in DEI obsequium tam vegeto!* sæpe nocturnis excitus vocibus, ad ægros, ad saucios in compitis jacentes excurrit immemor sui, & in Nosocomium perlatos, corporis animíque præsidijs recreavit. Nec semel sua sibi calceamenta detraxit, quibus inopum pedes confoveret. Afflictos recreabat alloquio; ulcerosos curabat, strumas, scabiem, vomicas ingenti charitate tractabat. Frequentes habebat conciones, & cum hæreticorum antesignanis congrediebatur, eo eventu; ut omnibus obstrueret ora, nec jam auderet quisquam cum ipso in arenam descendere, nisi alienâ ipse veste se dissimularet, sícque ignotus illos proliceret. Fuit ibi ad hæreticorum tribunal aliquando pertractus, convitijs petitus ac probris, totâ Benearniâ proscriptus, uno vix gradu à martyrio disjunctus. Obedientiæ tam fuit studiosus, ut ad nutum Superiorum nihil illi esset difficile, nihil humile, nihil loci temporísve distractione insuperabile. Quantò B. V. amore teneretur vel illud argumento est, quòd illius pervigilia traducebat insomnis confessionibus audiendis; quòd ejus memoriam animis hominum ardenter nitebatur passim inserere; quòd Senatorios etiam viros liberiore sermone de Parthenijs Sodalibus obloquentes, non sit veritus generosè compescere; quòd ædem ipsius Saranziensem, religione juxta ac antiquitate nobilem, sed postremis bellis profligatam, quando aliter vindicare non potuit, contextâ ab ultima origine historiâ decoravit. Tandem longo hydrope confectus, sanctè obijt inter Civium & Canonicorum officia in Oppido S. MARIÆ, haud Olorone procul in Benearnia die 2. Aprilis, A. salutis 1620. ætatis 61. Religionis 42. jam dudum in ea quatuor votis solenniter adstrictus. Tanta fuit ad nuncium mortis ejus, populi concursatio propter sanctimoniæ opinionem, ut occludi fores oportuerit adversùs vim multitudinis. Diu Cives inter Canonicósque certatum est, utris exportandum ad funus cadaver cederet; nec componi lis potuit, nisi utrisque succollandi vices darentur.

Ex Bibliotheca Alegambe & Nierembergij Tomo 1.

P. ERTMANNUS TOLGSDORFF.

Pater Ertmannus Tolgsdorff natione Pruthenus, trium in Societate votorum professus, non immeritò ab Livoniæ Episcopo Ottone Schenking, Livoniæ Pater, & Apostolus appellatus, nimirum receptâ de Mosco eâ Provinciâ à Stephano Poloniæ Rege, missi in eam sunt ab Episcopo Varmiensi Martino Cramero Sacerdotes aliqui, ut obrutam annis 50. fidem Catholicam instaurarent. Inter eos erat Ertmannus Gustadiensis Canonicus salutis animarum sitientissimus, qui Volmariensem paræciam sortitò nactus, eam mirificè excoluit, & lingvam gentis brevi assecutus, aptissimos in eam rem libros conscripsit. Deindè cùm exturbatam Rigâ Societatem Hæretici, quamvis urgente Sigismundo Rege, recipere nullo modo vellent, tempori serviendum tantisper esse visum est Regi, ut bona saltem possent hæreticis eripi, quæ Sacerdoti cuipiam sæculari intereà committerentur. Delectus ad id Ertmannus est, quem indole modestissimum haud ægrè admiserunt Hæretici, rati nihil illum suis rebus incommodaturum. Adijt ergo Monasterij quod tenebamus, possessionem; Templum adornavit, conciones, & Ecclesiasticos ritus restituit, cantum Gregorianum cum aliquot pueris, quos instruxit, resumpsit, matutinas preces, vespertinásque decantans. Hymnos Ecclesiæ, & Antiphonas, cum nullus esset, qui calleret; nec essent ad manum libri, undè promi possent, ipse è memoria descriptos distinxit in libros, quibus hodiéque S. Jacobi Ecclesia, atque inde mutuata universa Livonia utitur. Tandem dum anno 1581. recepta Rigam Societas est, ipse unà cum Monasterio se quoque ipsum Societati contradidit. Cracoviam missus Tirocinium ibi posuit incredibili animi submissione. Mox remissus Rigàm totus in hominum salutem incubuit, Vendensem Diœcesim cum Episcopo lustravit, quam cùm vidisset opportunis Operarijs destitutam, adolescentes è Prussia evocavit, emendicatis subsidijs educavit, instruxit, Ecclesijs præfecit. Potior ejus occupatio in Missionibus fuit; & laboriosior, quò duriora inciderunt tempora, quæ Svecorum armis 14. & ampliùs annos Livoniam vexârunt. Pagi passim incolis nudati, nulla hospitia, nulla solatia afflictæ vel ætatis, vel valetudinis, undique hostium, undique latronum pericula, nec raro amnes rapidi Divinâ magis ope, quàm humanâ



P. Ertmannus Tolgsdorf Soc. Iesu, Pruthenus, Livoniæ Pater et Apostol9 habitus, in qua ferè solus Fidem Catholicam conservavit, Cantum Ecclesiasticū restituit, Operari9 ad mortem usq; indefessus. Obijt Vendæ A° 1620. 4. Oct.: Ætatis. 70.

tranandi. Anno 1603. cùm passim jacerent in vijs, lue, pædoréque consumpti mortales; ipse quo ardebat zelo, illis quaqua valuit ope, præstò fuit. Hinc rusticanæ plebeculæ tam carus fuit, ut ipsam ejus memoriam ubique venerarentur, nec aliter eum, quàm honestissimis suâ lingvâ nomenclationibus, Senem Dominum, Livoniæ Patrem; & Episcopum vocitarent. Magnus in eo viguit religiosæ paupertatis amor; nocturnis horis, haud aliâ quàm tædæ pineæ luce, ad Canonicas preces legendas utebatur, quamvis oculi senio caligarent. Nullâ conditurâ ciborum famem provocabat; escas sæpè iterum iterúmque recoctas, easque admodùm parabiles ad totius unius hebdomadæ alimentum adhibebat. Postremis 16. vitæ annis, quos Vendæ duxit, senio confectus & morbis, solis pulmentis edentulus victitavit; nec de fervore tamen, aut consveto labore quidquam detraxit. Residentiæ illius labores solus ferè sustinuit. Ipse diebus festis horas antelucanas confitentibus dabat; indè concionabatur ad Germanos; tùm supplicationes atq; alia Parochi munia expediebat, & sacris operatus, dicebat ad Lothavos: quidquid erat temporis reliquum, denuò expiandis conscientijs tribuebat. A prandio catechismo imbuebat pueros, & rudes, secundùm quem Vesperas decantabat; & si opus, infirmis sacra mysteria impendebat. Unus his omnibus Ertmannus id virium, & ætatis sufficiebat cum admiratione multorum. Tandem in gravissimis doloribus salutiferum JESU nomen appellans piè defunctus est Vendæ die 4. Oct: A. 1620. ætatis 70, religionis 39.



P. Guilielmus Bailli9 S.I. Gallus, Hæreticorum ac inprimis Calvinistarum impugnator acerrim9, Veneficos quàm plurimos à Dæmoniacis præstigijs ad frugem reduxit. Mortu9 Burdigalæ A°. 1620 27 Octobris Ætatis 63. 108.

P. GUILIELMUS BAILLIUS.

PAter Guilielmus Baillius natione Gallus, nobili loco Monstrolij in Aniciensi Diœcesi natus, Tolosæ nomen Societi dedit; post Jurisprudentiæ biennale studium, Anno 1577. ætatis 20. primis statim Tyrocinij mensibus probandæ virtutis causâ datus Fratri obsonatori comes, in sordida lacerna de se ipso & mundo victoriam reportaturus; olera, fruges, & reliqua in foro comparata, ponè ipsum Juris Gymnasium, coram sibi familiarissimis hilari animo præferebat: ex quo in omnem deinceps ætatem tantus illi rerum humanarum suíque despectus fuit, ut alio in orbe vivere videretur. Domi cum omnibus svavissimè facilliméque agebat, tanquam omnium vilissimum se reputans: foris tamen assumebat seriam quandam Religiosámque gravitatem; in concionibus præsertim, quibus totos 28. annos constanter impendit. Rara ipsi felicitas agendi cum hæreticis divinitus concessa, ut cum nemine illorum concurreret, quem non ad Ecclesiam reduxisset. Bearnum ab Rege Henrico IV. Fidei libertati redditum, primus ipse ab erroribus purgavit. Santonas Calvini labe infectos ità Catholicæ pietati restituit; ut palàm negent, inde usque à S. Evtropio Santonum Apostolo, quenquam laboribus, zelo, & pietate parem Baillio in illis oris visum esse. Irrepserat præter Calvini errores, impia consvetudo inter Catholicos,

cos neminem ad mensam Evcharisticam ante 20. ætatis annum admittendi: quam ille quotidianis per Quadragesimam & Adventum concionibus feliciter profligavit, & ad frequentem usum cœlestis epuli persvasos, etiam ad Confirmationis Sacramentum admittendum induxit, cujus plerique etiam adulti, ipséque Præfectus, & tota ferè Nobilitas expertes vivebant. Tantúsque fuit ad illud recipiendum accursus, ut multitudine obrutus, & magnitudine laboris fractus Episcopus, in ægritudinem inciderit. Duplicem in his conversionis primordijs apud eos instituit Sodalitatem; quarum fervor plurimùm ad reformationem morum deservijt: dum inter reliqua pietatis exercitia nudis pedibus, supplicantium ritu, Ecclesias noctibus invisérent, ut publicâ pœnitentiâ DEUM sceleribus suis iratum placarent. Præter hæreticos, aliquot ad Ecclesiam reducti sunt Apostatæ, qui sæpiùs etiam ejuratâ Fidei veritate ad Calvinum desciverant. Effecit ibidem, ut auctoritate publicâ sanciretur gravis mulcta, apud quos inquinatæ vitæ mulierculæ deprehenderentur. His tam præclarè in rem Catholicam, & perniciosè in hæresim à Patre gestis consternati verbi pseudo Ministri, publico in conventiculo centum viginti Prædicantium inter cætera caverunt, nè quis cum Jesuitarum aliquo in disceptationem de Religione veniret. Et evenit fortè, ut paucis diebus adesset in convivio cum quatuor viris Ecclesiasticis Ministellus, cùm tres ex illis consultò quartum Jesuitam esse denunciant. Quo audito, risisses hærere verba subitò obstrepero homini, pallere audaculum, figere solo lumina impudentem; neque lacessitum velle respondere, qui initio omnes provocaturus videbatur. Santonum regione ac finibus cùm aliæ multæ urbes celebres oppidáque, hæreticâ pravitate majorem partem labefactata continentur, tum Rupella inprimis, & ea quam S. Joannis Angeriaci titulo nominant: & tamen ubi Pater Jubilæum à Pontifice indultum in proximum Paschæ anni 1601. de sacro suggestu promulgavit, ex his omnibus locis, 18. etiam leucis ab urbe dissitis, ad centum viginti hominum millia supplicationum ritu convenerunt. Atque à Rupella nominatim & Angeriaco, unde vix unus aut alter expectari aut sperari potuit, ad septem millia, triginta milliaribus pede confectis, affluxêre. Post singularem ad hæreticos reducendos à DEO sibi concessam gratiam, magorum, sagarum, veneficorúmque omnium artes & genera tam solerter discernebat, ut nunquam aberrârit: itáque prosperè ad frugem commercio diaboli illigatos revocabat, planè ut ad debellandum illius regnum à DEO datus videretur. Miserrimos quosque adibat libentiùs, & corrogatis subsidijs sublevabat. Extremo addictos supplicio mirâ efficacitate ad bene moriendum comparabat, quam ipsi fortasse conciliabat è cœlo severa suímet diverberatio, quam bene longam huic actui, utì etiam singulis concionibus, præmittebat. Fuit enim constanter corporis sui, dum per vires & valetudinem licuit, acerrimus insectator. In Sacro cùm Venerabilem Hostiam comunicaturus manu tenebat, *da mihi*, ajebat, *Domine JESU animas, pro quibus victima factus pretiosum sangvinem effundere voluisti.* Celebritate nominis sui, & zelo animarum ubique noto, ità per Galliam inclaruit, ut velut proverbio, apud Santonas præcipuè, Baillij appellarentur, quotquot in hoc Apostolico munere strenui essent. Ex tot laboribus contractâ hydropisi diuturnâ ærumnosáque, cum acerrimis conjunctâ doloribus, vexatus, incredibili moderatione diros illos cruciatus pertulit: donec victus tandem morti succubuit Burdigalæ die 27. Oct: anno 1620. ætatis 63. quatuor vota ab anno 1602. professus.

Ex Nierembergij Tomo 4. & Bibliotheca Alegambe.

P. ROBERTUS BELLARMINUS
S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.



Atria Roberto Bellarmino fuit Monte Politianum, nobile Hetruriæ oppidum, illustri familiâ, ex sorore Marcelli II. Pontificis, progenito, anno 1542. 4. Oct: festo S. Francisci Seraphici, cujus etiam nomen secundo loco accepit, mirè semper eidem addictus; útque officium de illis sacris Stigmatibus approbaretur, efficacissimè jam Cardinalis cooperatus: à quo etiam obtinuit eodem Stigmatum die 17. Sept: vitâ excedere, mortem suam illius morti uniendo, quam sibi in agone prælegi voluit. Infantiam cum prima pueritia domi paternæ, omni vitio vacuam, intaminatè exegit; ut nunquam sibi meminerit vel leve mendacium excidisse: adeò ob morum honestissimam gravitatem



P.Robert9 Bellarmin9 S.J. Ital9 Monte-Politian9, S.R.E. Cardinalis, Marcelli II[di] Pont: Nepos, Ecclesiæ Catholicæ Athleta, Hæresum Expugnator, zelô Apostolicô, et vitæ, sanctimoniâ conspicuus, Obyt Romæ 17 Sept: A.° 1621. Ætatis 80.
109.

jam tum pueris condiscipulis venerandus; ut cùm ad ludum accederet literarium, omnes ad modestiam & silentium componerentur. Consvetum illi erat noctu ad preces DEO fundendas surgere, afflictare flagellis corpusculum, longum tempus ante SS. Sacramentum in vicino templo de genibus orare: & cùm ei scholas adeunti duplex prætereunda esset sacra Ædes, nunquam omisit quin intrò supplex adiret, atque in preces genua submitteret. Pari pietate morúmque tenore literas Patavij prosecutus, cœpit humana omnia serio fastidio despicere: & post aliquam deliberationem Societatem JESU elegit, eâ præcipuè causâ permotus, quia dignitates ac honores quoscunque ex voto recusans, operam suam integrè, citra spem ullius remunerationis, Pontifici addiceret. Sed cùm Parens inopinâ mente filij perculsus, nollet ante unius anni lapsum veniam abeundi concedere, domum è studijs retractus, cum cognato ejusdem intentionis Richardo Cervino, in villa extra Urbem habitationem delegit, pietatis & studiorum exercitationi magis idoneam: útq; operibus vocationi suæ congruis præluderet, institit festis & religiosis diebus paganos ejus viciniæ in Templo instituere, & dictione aptâ simplicíque, postquam doctrinam Christi & capita Fidei, quæ sunt creditu necessaria, explicaverat, eosdem adhortari ad pietatem, timorem Domini, & fugam peccatorum. In his experimentis evoluto anno dimissus Romam, inter tyrones Societatis à Generali Lainio admissus est 20. Sept: A. 1560. ætatis 18. Tyrocinio brevissimè, quia adulta virtus in juvene notabatur, perfunctus, & Philoso-

losophiæ in Collegio Romano discendæ applicatus, perpetua invaletudine conflictatus est, ità ut post ejus cursum missus ad docendas Florentiam literas, à Medicis depositus ex phthisi pronunciaretur. Sed ipse ad cœlestem Medicum conversus, cùm ardenter vires magnis & diuturnis laboribus idoneas flagitâsset, subitò revalescere, vividum ore colorem, toto corpore pristinam incolumitatem recipere, ut anno insequente in Monte Regali Rhetoricen explicans, Concionatorem simul ordinarium in summo templo agere ingenti omnium plausu & admiratione, & domi ad Socios exhortatorem quiverit; eâ Patrum, seniorum etiam ædificatione, ut de eo scriberet Romam Superior: *nunquam sic, ùt iste, locutus est homo*; omnes quippe cœlestem quandam ex eo vocem à se percipi dicebant. Vitam interim ità religiosè inculpatam, & nævi omnis innoxiam tam hìc, quàm alibi, quoad in numerum Purpuratorum Patrum assumptus est, in Societate egit; ut nemo inventus sit, qui unquam referre posset, eum legem ex quàm minimis vel unam neglexisse.

Impetraverat indè facultatem peregrinandi ad S. Francisci Assisium, & alia quædam loca sacra, cum Sacerdote comite; quam ille profectionem velut in proximi salutem institutam, nè otiosus in pietatis propriæ solo gustu transigeret, cùm per pagos ubique verbum DEI sereret, magnus labor socio fuit, eosdem ad pœnitentiam vehementi dictione permotos, confitentes audire. Assisio in vallem umbrosam, sacram Camaldulensium eremum deflectens, magnis illorum Religiosorum precibus adactus, concionem ad eos habuit tanto spiritûs ardore, ut stupore perculsis lacrymas copiosè eliceret. Quod idem concionandi munus retinuit Patavij, dum quadriennio Theologiæ studijs operam navaret. Cùm verò ingentes animorum motus, qui dictionem ejus in Auditoribus sequebantur, Romam ad S. Franciscum Borgiam Lainij successorem perferrentur, unáque pericula Religioni ab hæreticis in Belgio mota increbrescerent; jussit eum Borgia non expectato Theologiæ fine Lovanium proficisci, penes Theologiæ continuandæ studium, latinè ad Academicos dicturum. Quod ille munus, Sacerdotio jam initiatus, implevit ità cumulatè, ut locus auditorem non caperet, & dicentis piâ violentiâ quàm plurimi à singulis dictionibus ad pœnitentiæ tribunalia refugerent, nec pauci errores suos & hæresim ejurarent. Et quidem sexennio toto suggestum illum occupans, audiebatur aviditate nunquam intermissâ, famæ vero in alias etiam regiones tanto auctario, ut è Batavia & Anglia, Robertum audiendi studio, affluerent hæretici, quorum multi loquentis spiritui non valentes resistere, veritati manus dabant. Easdem conciones, ùt erant exaratæ, multis deletis & inductis, aut superscriptis, quia audire dicentem non poterant, magnis precibus impetravêre sibi à Roberto concedi Religiosi S. Norberti Parcenses, quas exscriptas legebant in triclinio super mensam ad epulum animæ, nè fructu adeò magno fraudarentur. Neque exiguus labor fuit Lovaniensibus ut Robertum retinerent, quem sibi Ecclesiastem & S. Carolus Borromæus Mediolanum, & Lutetia in Galliam exposcebant. Cùm verò ex omnibus ingens in eo vis ingenij appareret; delatum illi munus est Theologiæ Scholasticæ (licèt inter tot pro suggestu labores, nè dimidium quidem ejus quæstionum discipulus audisset) è cathedra docendæ: fuítque primus è Societate, qui anno 1570. in ea civitate summam sapientiam de DEO docuit, labore tamen dicendi pro concione nunquam intermisso; donec ultimo anno, quia tot laboribus fractæ attenuari ejus vires cœperant, ut vita sensim pessumire videretur, levari debuit munere concionandi. Tantus insuper zelus fuit arma necessaria adversùm hæreses, & novatorum errores comparandi, ut septennio illo suæ apud Belgas commorationis, Hebræam lingvam ad usque excellentiam combiberit, SS. Patres præcipuos omnes, Concilia, Jus Pontificium non modò accuratè evolverit, sed & profundè penetrârit: quod apparet ex ejus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in quo recensitis auctoribus 400. suum de illis explicat judicium, additâ censurâ, quæ illorum opera sint certa, quæ dubia, quæ manifestè supposititia.

Septennio intrà Belgium evoluto, post emissa ibidem 4. vota solennia, cùm deterior indies valetudo ejus appareret, revocatus Romam est, postquam in Patrio solo Politiani aliquamdiu vires curâsset: adhibitúsque est Controversijs Fidei in Collegio Romano explicandis. Eas autem tanto in publicum plausu enodavit, ut Cardinalis etiam Radzivilius adesse prælectionibus his voluerit: & sacrum Inquisitionis tribunal, & Curia tota Apostolica, ad omnes in Fide difficultates & controversias, illum Consiliarium adhibuerit. Cùm verò ejus Auditores, juvenes præsertim Collegij Germanici, dictatas ab eo quæstiones in patriam referrent, proseminari eæ per Septemtrionem vehementer cœperunt,

runt, adeò ut vix alicujus literaturæ, aut honestæ conditionis Catholicus superesset, qui sibi eas describi non optaret, tanquam certissimum adversùs hæreses omnes antidotum, cui contradicere non possent omnes Fidei adversarij. Atque his veluti armis instructi, cœperunt hæreticis esse formidabiles; ùt satis constet, ipso adversariorum testimonio, graviùs à nullo vulnus hoc ævo sectarijs evenisse; quando certò compertum habetur, multa millia fluctuantium, ac veluti in hæresim jam inclinantium, illarum adminiculo in Fidei constantia servata esse, & multò plura ab erroribus varijs ad orthodoxam traducta, hodiéque traduci. Ergò certatim viri è Germania primarij ac sapientissimi totius Societatis Præpositum urgere, ut opus ad Fidei salutem ità utilè & necessarium prælo subjici juberet: quod onus sibi impositum, continuo labore, manu ipse propriâ singula complexus, summâ accuratione perfecit, ùt videre est in originalibus ejus manuscriptis, ad perpetuam memoriam in Vaticana Bibliotheca hodiéque asservatis. Cujus incredibilem utilitatem vel indè colligas, quòd toties in diversis Orbis partibus recusum, in sola Germania vigesimâ omnino editione lucem aspexit. Tantam verò in Orbe Catholico universo, præsertim apud primores Ecclesiæ, Bellarmino peperit æstimationem, ut eum Cardinalium aliqui dicerent Magistrum Fidei, alij sæculi nostri Ambrosium, Augustinum, apicem Theologorum alij, & malleum hæreticorum, sanctæ Ecclesiæ propugnaculum, Christianæ Fidei columen: Innocentius autem nonus Pontifex Maximus ob navatam ità egregiè Ecclesiæ operam, purpuram ei destinârit, nisi immaturè vivis ereptus fuisset. Denique hostes Fidei omnes illo debilitati, postea nihil quicquam valuerunt, & veluti capite contrito, dum nihilominus ex pertinacia minimè conquiescunt, more angvium spiris & caudâ inutiliter hodiéque minantur. Neque ullus æqui & justi arbiter aliter judicaturus est, quàm Bellarminum plus animarum bono hac unâ scriptione contulisse, quàm si prædicatione Orbem obijsset universum: quidquid postea mendacissima hæreticorum ora & calami in Virum innocentissimum, zelo planè Apostolico hæresum zizania stirpitus eradicantem, vomuêre.

Perfunctus deinde munere Rectoris in Collegio Pœnitentiariæ, & Præfecti spiritûs in Romano Collegio, ubi & B. Aloysium inter spirituales filios censebat, jussu Pontificis Sixti V. Legatum Pontificium Henricum Cajetanum Cardinalem in Galliam comitatus est, ad componenda intestina Regni illius bella, in quæ hæreticorum fraudibus, maximo rei Catholicæ discrimine, inductum erat. Periculum inter maxima supremum, quo tum perdita ultimô exitiô fuisset Religio Catholica, imminebat Galliæ à schismate multorum Galliæ Præsulum, qui convocandum Turonibus concilium domesticum clamabant: ubi metuendum erat, nè Patriarcham sibi deligerent, à quo Sedis Apostolicæ Imperium, & Divi Petri cathedra sperneretur. Cui malo totis viribus obnixus Bellarminus, inter reliqua epistolam ad omnes Regni Episcopos Legati nomine perscripsit, argumentis nervosissimis plenam, quibus tandem à consilio tam pernicioso absterriti destiterunt. Paulò pòst obsidione cinctam Lutetiam cùm premeret Navarræ Rex, eámque ad famem ultimam, in qua, humanis carnibus exceptis, nihil tam sordidum fuit, ad quod edendum flebili necessitate Cives non adigerentur, adduxisset; Robertus eandem calamitatem expertus, ad constantiam & patientiam hortari Urbem nunquam destitit: donec magno exercitu adveniens è Belgio Alexander Farnesius, illam obsidione exemit. Et quia per idem tempus Pontifex Sixtus fatis concesserat, redux ad Urbem adhibitus ab ejus successore est ad Biblia recognoscenda, tanquam sacrarum lingvarum & SS. Patrum peritissimus, & ad eam formam, quâ hodie leguntur, redigenda. Sub hæc Collegio Romano datus Rector; necdum expleto triennio, Provinciam Neapolitanam jussus est gubernare Provincialis: quod munus summâ integritate dum maximè administrat, Romam à Clemente VIII. accersitur in locum demortui Cardinalis Toleti, ad munus Theologi Pontificij sustinendum. Et verò summo fidei candore cumulatè id implevit, ad consilia pleraque à Clemente adhiberi solitus, eâ maximè causâ, quòd liberè sensum suum, estò contra Pontificis ipsius mentem depromendus esset, aperiret. Sic rogatus aliquando, an è re communi fore judicaret, si Romæ in Sapientiæ Academia Philosophia Platonis traderetur: Bellarminus tametsi pronum ad id Pontificem videret, nihilominus liberè edixit, periculum ab eo in ingenia emanare posse, quòd doctrinæ Catholicæ magìs affinem scholam haberet quàm Aristoteles: metuendúmque propterea, nè capti similitudine rerum in quibus convenit, sensim animi ab incorruptis ad vitiosa descenderent. Et fore perinde ajebat, atque experimur plus afferre damni ex hac similitudine

dine hæreticos auctores, quàm Scriptores ethnicos: ideóque Origenem Platonis dulcedine abreptum, libros ſcatentes erroribus Eccleſiæ reliquiſſe. Quod deinde cauſa fuit, cur Plato in Synodo 5. à ſcholis Chriſtianis ſit proſcriptus, & ſolus Ariſtoteles ad Lycea & Cathedras orthodoxas admiſſus. Judicium tam prudens & grave approbavit Pontifex non tantùm aſſenſu, ſed etiam illum S. Inquiſitioni voluit in omnibus eſſe à conſilijs, & examini Epiſcoporum præpoſuit: Catechiſmum verò ſuo imperio ab eodem conſcriptũ ità laudavit, ut prælo illico dari juſſerit, totâ Italiâ teneræ ætati in ſcholis & templis tradendum.

Eo autem uſque Clementis de Bellarmino crevit exiſtimatio, ut cùm anno 1599. novos 12. Cardinales nominaret, inter eos & Bellarminum ſacrâ purpurâ ornandum duxerit, in hæc verba prolocutus: *Hunc elegimus, quia non habet parem Eccleſia DEI quoad doctrinam, & quia eſt nepos optimi ſanctiſſimi Pontificis.* Quia tamen noverat Pontifex, quàm eſſet dignitatum ejuſmodi Eccleſiaſticarum fugitans Robertus, nè fortè fugâ ex Urbe illi ſe eripere tentaret, miſit ad Collegium Pœnitentiariæ, cui iterum Rector præerat, paulò antè illius creationem, internuncium, intentato metu anathematis & culpæ mortalis, ſi pedem domo efferret, quamdiu poteſtatem Pontifex ipſe non faceret. Evocatus igitur ad purpureum ornatum ſuſcipiendum, cùm vellet, quæ diſpoſuerat ad deprecandum honorem, Pontificis pedibus advolutus, depromere; inhibitus ab eo ſub ijſdem interminationibus eſt, purpuram in honorem virtutis ultro datam reſpuere: itaque lacrymis copiosè dolorem ſuum prodenti inducta ſunt Cardinalium inſignia. In ea dignitate conſtitutus, obedientiæ nihilominus Religioſæ & ſubmiſſionis decora ità cordi habuit, ut nihil propè agendum ſuſciperet, ſinè arbitrio Generalis Societatis Claudij Aquaviva. Poſtulatus ut in Urbe ſacrarum Virginum S. Auguſtini Patronus eſſe vellet; nihil deliberavit priùs, quàm ſententiam ea de re Claudij acciperet; quòd ſciret Societatis Inſtitutum pias ejuſmodi fœminarum curas in alijs Religioſis laudare utique, in ſuis tamen non probare. Ad hæc tria ſibi diſtinctè præſcripſit, quæ ſacroſanctè ad obitum uſque obſervavit. Primò, vitæ rationem nè immutaret, quam in Societate parſimoniâ victûs, quotidianis precationibus, meditatione, quotidianâ Miſſæ celebratione inſtituerat. Secundò, nè aggregaret opes, néve agnatos opimaret; ſed quidquid expenſis neceſſarijs ſupereſt, templis id pauperibúſque erogaret. Tertiò, nè à Pontifice proventus peteret, néve à Magnatibus acceptaret munera. Denique vitam omnem ad obſervatas hactenus in Societate Regulas attemperavit, ipſum ordinem horariarum occupationum ad pulſum campanulæ Collegij, cujus ſonum in vicina ſua domo audiebat, perinde dimetiendo, quantum negotia & curarum moles patiebantur. Invitatus initiò mox ad Collegium, ut ibidem purpuratus jam ſalutaretur, quia verebatur gratulatoriam de dignitate poëſim, venire aliter noluit, niſì gratulatione omni omiſsâ; in materiam carmini aſſumeretur illud: *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ſicut flos agri.* Menſem integrum quotannis in Novitiatu ad S. Andreæ Exercitia S. IGNATII obibat, nemine, niſì qui cibum afferret, admiſſo, cui nihil præter omnibus domi conſvetum adjici cupediarum patiebatur: tam ſtrictus ſolitudinis cultor, ut nè quidem in hortum deſcenderet, genus laxamenti neceſſarium his, qui labore mentis fatigantur. Si quando libri alicujus deſiderio teneretur, nunquam paſſus eſt Bibliothecâ illum ad ſe deferri, propterea quòd Societatis id vetet lex, ſed ipſe illam adibat, atramentarium cum calamis circumferens, tyronibus hæc in purpura fieri demirantibus. Idémque agebat in Collegio Romano deinde habitans, ubi nè conſorem quidem religioſum ad ſe devocari permittebat, cùm attondendus eſſet, ſed ipſe ad ejus cellulam more aliorum deſcendebat.

Ingreſſus autem aliquam Societatis domum, ſtatim percontabatur, an quis ibi langveret, ut eum primò omnium inviſeret & ſolaretur: conſtátque in ejus gratiam à DEO ſanitatem non paucis, & vitam etiam aliquibus, de quorum certo exitu Medici pronunciaverant, fuiſſe reſtitutam. Sic P. Octavium Lorenzinum jam conclamatum aquâ luſtrali conſpergens, adjectâ precatione ſalutari, vitæ & ſanitati reſtituit. Nec raro ſolebat ad ſocios & tyrones domi habere conciones ardore cœleſti pleniſſimas, in quarum una dixit aliquando: *tot annos vixi in Religione, abſque eo quòd ſcirem quid mœſtitia eſſet, & jam Cardinalis, quid lætitia ſit, penitus ignoro.* Aliàs auditus eſt oratione inſtitutâ de mundi vanitate, poſtquam de dubio exitu ſapientiſſimi egiſſet Salomonis, hæc poſtremò diſſerere: *Veſtes quæ me ornant purpureæ, verè ærumnoſæ mihi ſunt & graves, ut eas quotiescunque*

cunque conspicio, fleam: incumbunt enim mihi haud aliter sanè quàm trunco alicui, qui onus illarum habeat, expers verò sensûs nihil indè capiat emolumenti vel gloriæ. Hæc dixit, & pileum purpureum capiti adimens, illúmque ostentans, obortis lacrymis addidit: *in pœnam eorum quæ in vita deliqui, dedit mihi hanc purpuram DEUS!* ac progredi præ lacrymis non valens, inopinatò absolvit, relictis omnibus defixis in tantæ ejus admiratione virtutis. Aliàs in vanitatem ejusdem honoris sui excurrens, *nihil optatius & præstabilius esse*, ajebat, *quàm conscientias hominum depositas curare, atque in salutem animarum opitulari DEO, pro hac reposcenti opem nostram, licèt eâ minimè indigeret.* Per Adventum autem & ferias Quadragesimales constanter ad populum è loco superiore conciones habuit, donec Capuæ datus Antistes, ab Urbe migravit. Commoditatum fuit tam fugiens, ut ex longa ægritudine pedibus vix ingredi potens, sellâ gestatoriâ tamen nunquam deferri voluerit, tametsi Cardinales alij passim id agerent: indè cùm Paulus V. concessisset de B. Aloysio Missam dici intrà Societatis Templa, Robertus antiquo erga juvenem sanctissimum, suum aliquando in spiritu filium, affectu, unicè desiderans de eo Sacrum dicere, à Medicis flagitavit, potestatem facerent eundi ad quodcunque vicinius Societatis Templum: sed quia hanc abnuebant, nisi sellâ gestatoriâ iret, maluit solatio tam pio fraudari, ac domi commune ejus diei Sacrum peragere. Annis in purpura 20. vestes, quibus primùm à Clemente indutus est, novis non permutavit, detrita laceráque perpetuò resarciri jubens: hinc subucula, in qua etiam tumulatus est, instar centonis inventa fuit, assutis è vili panno multis frustulis. Focum summâ etiam hyeme in conclavi suo nunquam accendi permisit, priusquam tempus audientiæ appeteret; idq; solùm in gratiam adeuntium, nam his digressis, continuè illum suffocabat. Tres dies in hebdomade, uti & adventum totum transigebat jejunio Quadragesimali: feriâ verò secundâ ovis tantùm vescebatur, cœnâ nullâ unquam uti solitus. Nunquam frigidam, summo etiam æstu, vel refrigerando saltèm & perluendo ori adhibuit, nè quidem ultimis 6. vitæ mensibus, quibus valetudine permolestâ, ità ut siti propè inaresceret, tentatus est. Præter disciplinæ & cilicij usum perpetuum, culicum & muscarum infestationes nunquam depellebat, tametsi intolerabiles hæ alijs (ùt in æstu Romæ fieri consvevit) viderentur: mirantibus autem hanc toleranti-am dicebat, haud æquum esse perturbare animantes illas, quibus non utique superesset alius paradisus, quàm volitandi ea libertas, ac potestas ubi malunt commorandi.

Cùm verò Pontifex sæpius illi asseverâsset, ad purpuram idcirco illum à se vocatum, ut haberet apud se vocem virtutis, à qua liberè inter voces fallentes adulantis aulæ audiret verum, ideóque injunxisset, moneret seriò, si quid adverteret pro Ecclesiæ bono consultiùs agi: ipse jussa tam sancta Clementis veneratus, dici vix potest, quàm liberè eo munere functus sit, quantúmque svasionibus ejusmodi Ecclesiæ bono profuerit. Totum tamen triennium fluxerat, quo nullos ei reditus stabiles Pontifex assignârat, alebátque se interim Bellarminus eo censu brevi, qui annuè in Cardinales pauperes distribui solet: stupente cum Pontifice aulâ universâ, ipsum adeò propositi tenacem reditus non poscere, vel eos saltem, quibus cum necessaria familia se ad decorem purpuræ sustentaret. Cardinalis Baronius præ alijs demiratus in illo tantum divitiarum contemptum, quoties vacaret Sacerdotium aliquod, sponte suâ toties apud Pontificem pro Bellarmino instabat, ut qui evexerat ad purpuram, parem & purpuræ adjiceret censum. Igitur cùm paulò pòst Capuæ vacaret Archi-Episcopatus, Bellarminum illi Ecclesiæ Præsulem dedit, voluítque honoris causâ sacris ipse ritibus illum Episcopum inaugurare, quod accidit 21. Aprilis 1602. Paucis ab inauguratione diebus, ut facto ipso exprimeret in se, quod in alijs expetiverat, nè videlicet Episcopi à proprijs Ecclesijs diutiùs absint, Capuam discessit: id præcipuè sibi gratulatus, copiam sibi datam in salutem animarum, juxta propriam Societatis vocationem, incumbendi. Et verò tanta fuit de ejus sanctitate, & virtutum alijs etiam inserendarum zelo existimatio, ut prima de ejus electione Capuæ auditio, initium fuerit formæ optimæ moribus quorundam inserendæ, qui se à fluxioris licentiæ extraxêre cœno, certi S. Præsulem corruptionis nihil in ovibus sibi commissis dissimulaturum. Nec mora, proximâ illico ascendentis in cœlum Domini festivitate dicere ad populum è suggestu aggressus, constanter deinceps festis & Dominicis omnibus verbo DEI eundem per horam integram pascere perrexit, tametsi ad eum diem res inusitata & Urbi permira accideret, audiri quempiam, nè dicam Archi-Episcopum ipsum & Cardinalem, è pulpito, extra Adventûs & Cineralium ferias. Vix credi potest, quàm admirandos effectus pepererit sermo

de ore fluens pastoris adeò vigilantis; cujus successus tam prosperos expertus, auctor fuit Clementi postremis suis literis & deprecator, nè, cùm Ecclesijs Antistites novos præficeret, inter virtutes alias, de quibus cognosci lex jubet, minùs attenderet facultatem concionandi. *Meminit*, inquit, *Sanctitas tua, Episcopos olim primos abjecisse temporarias procurationes, ac statuisse de se illud*: Nos autem verbo DEI & orationi instantes erimus. *Hunc modum docuit nos Christus D. Episcoporum omnium Episcopus, quem & secuti deinceps sancti Pastores alij, ac postremò Carolus Borromæus: qui cùm sæpius rogaretur, ut quendam inter Episcopos asciscendum proponeret Gregorio XIII. constanter abnuerat, quia minimè idoneum nôrat, ut ad populum verba faceret. Sanè hoc munus esse in Episcopo præcipuum, tum ex Conc: Tridentini præscripto, tum ex ritu ipso Episcopos inaugurandi manifestum est, dum liber Evangeliorum in eorum humerum collocatur, idémque ab eis inter manus accipitur, dicitúrque singulis*: Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso.

Ad extirpandos deinde pravos mores conversus, cùm rescivisset in sua Diœcesi populum talis chartísque lusorijs pene ad insaniam furere, intérque ludendum, ùt fit, DEUM execrari, in iras & homicidia consurgere, unde gliscerent rei alienæ direptiones, familiarum damna, & probra libidinum diversa: non priùs destitit cum Pro-Rege Neapolitano agere, quàm junctis viribus ille mulctis & pœnis temporalibus, Episcopus autem execrationibus & censuris sacris propositis, ludum nefarium penitus proscriberent. Pari ratione Templis reverentiam, in quibus pene ùt in foro commeabatur & negotia transigebantur, restituit: & Sacerdotem aleatorem, qui vitam nisi per lucra ex lusu sustinere haud posse excusabat, præsenti pecuniâ adjutum, in virum alium mutavit, ut toti Civitati miraculum deinceps evaserit. Jussit Theologicam prælectionẽ, & alteram quæ est de rebus conscientiæ, à Clero universo frequentari sæpius, neque rarò utrique ipsemet interfuit: Canonicorum numerum auxit, atque ab eorum subsellijs & Odeo universo Laicos omnes submovit. Cùm verò pòst Vir primarius sedem, sicut assveverat, eò pro se inferri curâsset, prohibuit pari constantiâ atque olim S. Ambrosius Theodosium Cæsarem. Deinde Odeo ipse interesse quotidie, summâ licèt hyeme, etiam in matutinis precibus, postquam eas priùs in conclavi nixus genibus persolverat; quas nihilominus iterum Ecclesiæ more cum choro concinebat. Pecuniam verò, quam indè mensibus singulis 30. aureorum lucrabatur, suum stipendium vocabat, quam suâ ipse manu integrè in honestiores pauperes erogabat: cùm Archi-Episcopatûs reditus ceteros superfluos, non tam suos quàm pauperum esse diceret, ex obligatione ijsdem debitos, ideóque universos ijs expendebat. Et cùm aliquando nihil quòd daretur superesset, rhedam suam unà cum equis divendi jussit: aliàs verò annulum digito detractum pignori exposuit, ut 12. aureos petenti egeno largiri posset. Quoties Ecclesiæ Pastore destituebantur, subrogabat eos, qui in certamine sapientiæ dignissimi invenirentur, invitatu alio nullo, præterquam doctrinæ, gravitatis, & adultæ virtutis. Cetera beneficia, quibus implicata non foret animarum procuratio, solis civibus, non asseclis suis dividebat: quippe cùm proventus eos diceret à majoribus constitutos, ut in commoda civium irent perpetui; & hinc iniquum existimabat eos aliò derivare. Si Diœcesim suam lustraret (obibat autem totam annis singulis) omnia per se circumspiciens, duos Sacerdotes è Societate ad loca singula disponendis hominum animis præmittebat: quibus superveniens, è suggestu ipse populos concionibus instruebat, præbebat Eucharistiæ & Confirmationis Sacramenta. Has autem lustrationes sumptibus proprijs integrè perficiebat, ut nemini per iter vel oppida oneri esset: neque ullum eadem ex causa munus sibi deferri, aut à familiaribus & domesticis suis admitti ferebat. Quare ad illum veluti parentem ingens ubique fiebat concursus, pietate summâ, reverentiâ inexplicabili; eâ verò persvasione, quasi adesset cœlo missus, & augustior humano visu, nemóque adibat cum inopia, quin aliquâ instructus copiâ ab eo rediret. Ubivis autem inveniret calices, sacras pyxides, sacerdotalem vel altaris apparatum, tantis mysterijs minùs idoneos, suo ære omnia instaurari, aut nova provideri curabat,

In pauperes quoscunque supplices, quorum neque paupertatem, fictáne an vera esset, à dispensatore suo examinari patiebatur, tam erat beneficus; ut sæpius omnibus erogatis, necesse fuerit paucula, quæ ad usum habebat, argentea vasa oppignorari, mutuúmq; alicunde deposci: vix enim tempusculũ unquam horarium labebatur, quin adessent ordinario erogatori, qui libellos supplices darent, & mox eosdem cum nota largitionis à Cardinali adscripta reciperent. Ad hæc quoties domum è Templo, vel aliunde redux repete-

peteret, tantis domûs aditus omnes pauperum turbis obsepiebantur, ut vi quandoque via facienda esset, quorum tamen nullus unquam indonatus abibat. Sicut autem quotannis visitabat Diœcesim omnem, ità ex eodem anno quolibet Synodum coëgit, in qua ad mores emendandos, pravos usus tollendos, accuratiùs incumberet. Harum præcipuus effectus fuit, obligatio Curatis omnibus imposita explicandi rudibus Catechismi: cujus methodicam synopsim ad faciliorem Parochorum praxim non tantùm iteratò novam composuit; sed ut exemplo præiret, per semet obire non dubitavit, ad festos ac religiosos dies descendere à mensa solitus ad Ædem sacram, rudioresque instruere is, qui Magistros erudierat, ac manu suâ præmiola pueris dividere; idem manè Concionator, & post meridiem Catechista: prorsus ut dignitate maximus, adhuc exemplo major appareret. Provinciale item Concilium, ex Tridentini præscripto, cum septem Episcopis suis Suffraganeis celebravit, & leges in eo sancitas Apostolicâ auctoritate firmari ad perpetuam observationem fecit. Memor autem Apostolum Paulum ab Episcopo inter reliquas virtutem exigere hospitalitatis, quotquot Capuam aliò ituri commearent Antistites, Clerici, & Religiosi viri, præcipuè Societatis, cui necdum Capuæ Collegium erat; hos è meritoria taberna acciri ad suas ædes jubebat: conclavia ad hunc finem plura vacua & ornata servabat, in eísque è supellectili nitida omnia: eosdem mensæ suæ adhibebat, frugalissimæ semper, nec supra trinum è carne ferculum instructæ, sed piâ lectione semper conditæ. A cœna decubituros ad conclavia deductos, manè excitabat ipsemet horâ condictâ, & hyeme lumen afferebat, nè famulis incommodum crearetur; ante quos prior ipse consurgebat semper, neque unquam eorum obsequia ad inducendas sibi vestes vel detrahendas admittebat. Ad reformationem deinde Religiosarum Capuæ domuum conversus, duo præcipuè Virginum Monasteria à disciplina vetere collapsa ità restituit, ut sancta effecerit. Ex his alterum ad S. Joannis erat, in quod ob varia, quæ perperàm evenerant, sacra Cardinalium congregatio vetuerat Virgines ullas admitti ad religiosæ vitæ tyrocinium: adeò desperata videbatur Parthenonis veteris ad formam sanctiorem reductio! Verùm Robertus impetratâ interdicti laxatione, reformationem incredibili studio, eventúque felicissimo aggressus, binas aliunde ætatis honore & probitatis famâ insignes Sanctimoniales adduxit, quæ in tyrocinium recèns admittendas, ad leges à se præscriptas educarent, ac reliquis sanctitate exempli prælucerent: factúmque est prorsus lætitiâ communi, ut cresceret indies famâ virtutis, & freno indigerent potiùs Virgines, quàm stimulis ad virtutem, neque cœtus Virginum ullus totâ civitate haberetur sanctior.

Jam verò cùm tam profusus esset in juvandos omnes, sic, ut nemo esset totâ Diœcesi ære alieno obrutus, nemo infortunio vel prodigalitate ad extrema delapsus, qui subsidijs ejus fortunatior non evaderet; etiam ad ægrorum curam animum intendit. Quidquid proinde totâ Urbe ægrorum esset, invisebat ipse, in publicis præsertim valetudinarijs, quibus & eleemosynas largè afferebat. Invitatu etiam cujusvis ad ædes civium ibat, ubi quis æger esset: quæ facilitas eò demum evasit, ut jam ferè domus tacta febrium lue esset nulla, ad quam non venisset, super ægros ritè precaturus: promptiùs inserebat se in tuguriola pauperum, singulos ut sese haberent rogitans, & postea curam eorum Præfectis inopum demandabat: atque ità medendo corporibus, animis multò magis medebatur, ut nè vel unicus Sacramentorum expers decederet. Dum ità circumiret omnia, abstergere simul odia inveterata, inclinare ad concordiam: & si quos magnis nominib9 premi, nec esse tamen solvendo audiret, conniti ut cũ ijs & creditoribus conveniret, & majorem partem de suo contribuere. Demum si quem spes reliquerant omnes, hunc aspicere tanquam filium, & infortunium ejus ferre tanquam proprium. Hæ res gestæ ipsum æstimatione omnium reddidêre virum non sæculi sui tantùm Viris sanctis, sed & claris Ecclesiæ luminibus, Gregorio, Basilio, Ambrosio, Augustino parem: erántque multi eâ persvasione, ut per ejus merita à DEO beneficia varia poscerent, & impetrâsse jurati deinde affirmarent. Ipse adeò Summus Pontifex Clemens, famâ rerum ab eo gestarum permotus, hæc ad eum propriâ manu Anno 1603. perscripsit: *Libenter vidimus Angeluccium, Vicarium olim tuum, qui mirificè nos consolatus est, dum narraret de te, déque virtutum documentis, quæ edis in Provincia ista, concionibus, jejunijs, supplicationibus, & sacrorum ministeriorum frequentatione. Hinc verò agnoscimus, Divinæ Majestati quales gratias debeamus, quæ tibi tam adest feliciter, & vim suam præbet, ut possis sustinere pastorale onus, atque implere ministerium tuum. Et sanè nimiò nos æquiùs necessitatem habemus postulandi à te subsidia votorum*

torum, & preces ad DEUM, quàm ut tu indigeas in his quæ agis laudabiliter, ut proveharis à nobis in melius. Nihilominus confugiamus ad DEUM omnes quàm demissiſſimè, fiduciáq; magnâ: cognoſcentes & illud ſeriò, quòd revera cùm hæc omnia fecerimus, ſervi inutiles ſumus.

Neque defuit cœlum ſignis ſupra naturæ vires, ſanctitatis illius teſtibus. Puellæ geminæ obſeſſæ à dœmone inductæ in Templum, ut à Cardinali chriſmate ſacro illinerentur, in ipſo unctionis veſtigio obſidione pravorum hoſpitum ſolutæ evaſerunt. Adduxerant & è vicino pago fœminam, nomine Baroniſſam Prateliam, quam Cardinalis ubi clarè energumenam deprehendit, inſtitit auſteriùs quàm ſoleret, jejunijs, flagellis, ſupplicationibúſque dœmonum impetus frangere. Hoſtibus ea res flebiles brevi clamores gemitúſque excitavit: auditi enim ſunt vociferari: *quid nobiſcum habet Cardinalis Bellarminus? torquet nos nimiò æquiùs: hinc faceſſere jubet: cogit nos immigrare aliò; & utique immigrabimus.* Hæc iterando rabidè, abſque Eccleſiæ alijs amuletis excesſêre gemebundi. Nec paucæ aliæ ab eo ægritudines ſedatæ, quas ingenioſè pius ut à ſe in alterius gloriam derivaret, ad affectorum corpora fruſtulum chartæ, è S. IGNATII literis reſciſſum cum ejus nomine applicabat, ex quo convaluêre permulti. Filiam duodennem malo dœmoni mater improba devoverat, in cujus oculis miſellam ſævus hoſtis arripiens, acerbiſſimè excruciabat: id ubi Cardinalis reſcivit, ſyngrapham ſacræ inſtar edictionis exaravit, quâ dœmoni imperabat, deſineret exagitare puellam, ſibi à DEO tanquam animarum tutori traditam cuſtodiendam: eámque voluit collo puellæ alligari unà cum ſubſcriptione ſancti IGNATII; ſed quia hanc paulò pòſt in remedium alteri cuidam ægro recipi juſſit, ſatìs præſidij puellæ in ſyngrapha fore dicens; res mira! ex ea die depulſus dœmon, nunquam ad puellam acceſſit propiùs, ſed à longinquo tantùm offerre illi torques, gemmas, aurum, modò abjiceret ſyngrapham Cardinalis, quâ ſe ab acceſſu prohiberi fatebatur: cujus ſvaſiones dum puella contemnit, fugatus penitus nunquam deinceps illi moleſtus fuit. Quibus DEI beneficijs incitatus perrexit tanto ardentiùs ſtudia pietatis, miſericordiæ præſertim in deſtitutos colere. Nam ut taceam ingentem vim pecuniæ in Templa & ſacra ædificia, Capuæ & Romæ, in Religioſarum Domuum ſubſidia expenſam; quidquid poterat uſibus & neceſſitatibus ſuis ſubtrahebat, ut indigentibus elargiretur. Hinc factum eſt, ut veſtes ſuas detritas reſarciri ſemper curaret: & cùm ei ob crura defluxu vitiati humoris tumentia ſvaſiſſent Medici, tibialia adhiberet laxiora; ipſe tametſi horum pretium perpaucorum eſſet argenteorum, & hos tamen meliùs in pauperes erogandos dixit, & tibijs ſuis abundè fore, ſi vetera medio aſſuto panno laxarentur. Dum ità de hoc veteramenti genere ſtatuitur, negántque domeſtici tibialia annorum jam 22. poſſe ità reconcinnari, interim adſtat ſupplex adoleſcens, eleemoſynam pro matre undique deſtituta flagitans: & mox Cardinalis, cui pro tibialibus religio fuerat argenteos 6. in ſui commodum exponere, duos aureos illi elargitus, voti compotem dimiſit. Aliàs ad menſam accumbenti Britannus quidam ſupervenit, tantùm non fame enectus, cum quo confeſtim prandium ſuum, id quod & aliàs ſæpius evenit, diviſit. Si quem in via ægritudine proſtratum offenderet, illico lecticâ ſuâ vel curru ad Noſocomium deferri curabat; & aliquando ipſe in rheda collocatum in Xenodochium devexit.

Anno 1605. poſt triennij Capuæ moram coactus Romam repetere, ad electionem novi Pontificis, cùm ultimùm populo valedicturus ſuggeſtum conſcendiſſet, diſertè adjecit, ſe ad eos non ampliùs reverſurum, quòd novus Pontifex haud facturus eſſet poteſtatem Urbe Româ excedendi. Nec minùs dotes ſucceſſoris ſui deſcripſit, perinde ac ſi illum coràm videret; neque tacuit legationibus diu ſe detinendum, in obſequium primæ Sedis; eámque abſentiam ex DEI deſtinatione ipſis in pœnam fore, quia tam parum in virtutibus Chriſtianis profeciſſent: quæ ejus dicta clamor & ejulatus publicus excepit, deplorantium ſe Paſtore tam ſancto in perpetuum ſpoliari. Et verò ſæpius ille mortem Clementis imminentem diſertè prædixerat; nam cùm is controverſiam inter ſcholas PP. Dominicanorum & Societatis, circa efficaciam gratiæ Divinæ, definire pararet: negavit ad definitionem perventurum, ſed priùs diem ſuum obiturum. Iterum verò cùm Aulici ſui mœrerent, ab Urbe Capuam ſe abſtrahi, ut aliquantum eos ſolaretur, hortabatur bono eſſent animo, futurum ut tantùm triennio Capuæ morarentur, dum Pontifex decederet; cui ſubrogandum alterum copiam abeundi nequaquam ampliùs facturum. Diſcedentem verò Capuâ quanto dolore, quot lacrymis & ſingultibus, proſecuta ſit univerſa Civitas, ad domum abituri collecta, quis exprimat? tanta fuit compreſſio veſtis ejus laciniam,

ciniam, ipsáque vestigia osculantium, & piè rosarijs tanquam hominem sanctum continentium, ut acciri armatos oportuerit, nè undâ populi opprimeretur. Romam ubi pervenit, atque cum reliquis Cardinalibus eligendo de more Summo Pontifici Conclave ingressus est; quia multorum Cardinalium, & magnam partem Urbis animos, in sui electionem propendere advertit, eo potissimùm se consolabatur, quòd ad onus humeris etiam Cœlestibus verendum cogi, prout ad Cardinalatum, non posset. Votum deinde emisit, nullum se ex nepotibus & cognatis, si Pontifex eligeretur, ad Cardinalatum, vel temporalem Principatum, Ducatum, vel Comitatum, aut quemcunque titulum evecturum, neque divitijs aucturum; sed solùmità adjuturum, ut in statu suo Patritio commodè vivere possent. Et verò factum est semper in triplici Conclavi (trium enim Pontificum, Leonis II. Pauli V. & Gregorij XV. elector interfuit) ut primâ suffragatione excelluerit Cardinales reliquos omnes numero suffragiorum. Cardinalis à Ditriechstein referebat, Cardinalem Bellarminum in ipsius cellula à se conventum prorsus eo vestigio temporis, cùm de ipso eligendo reliqui deliberarent: quod cùm ipsi aperuisset, statim respondisse: *hoc verò absit; nam est animus, ut abdicem quoque me hac purpurâ, quam gero.* Cardinali verò Baronio idem nuncianti, & operam suam ad id promovendum negotium deferenti, ità obnisus est, & oravit nè faceret; ut propè offenderit. Inter reliqua adjiciens, se sic animo esse paratum, ut nec stipulam, quæ tum fortè jacebat humi, tollere loco vellet, si conatus ille minimus, ut Pontifex evaderet, requireretur: munus enim Papæ semper asserebat esse periculosissimum. Summo verò deinde affectu & honore prosequebatur Patres illos, per quos noverat se à Pontificis solio rejectum, vocabátque Patronos, à quibus beneficium accepisset omnium maximum. Cùm verò Pro-Rex Neapolitanus aliquando offensus Bellarmino minaretur, posse obniti se Regis nomine contrà, cùm res ferret, ut Pontifex crearetur: rescripsit, eâ re nequidquam se expavefieri, sibíque haud id expetenti, gratum eum obicem futurum.

Renunciatus Pontifex novus Leo XI. quanquam paucis diebus locum obtinuit, statim Bellarmino denunciavit, Româ illum nequaquam abesse passurum, quòd ejus opera universalis Ecclesiæ gubernationi unicè foret necessaria: idémque significavit Leoni suffectus Paulus V. ac tandem Gregorius XV. Itaque renunciandum ipsi fuit Capuanæ tiaræ, & curæ pastorali animarum: in quarum salute promovenda multò maluisset vitam conterere. Permiserat quidem Pontifex, ut Romæ ad Ecclesiæ universalis necessitates residendo, Archi-Episcopatum nihilominus Capuæ retineret; sed abnuit ipse, nè à sanctarum Synodorum decretis declinaret, quæ jubent nè duo munera unus occupet, útque Episcopi, greges inter suos, resideant: & nè alijs ejusmodi abusûs ipse foret scandalum. Sed neque reditus & census ejus Ecclesiæ, quod volebat Pontifex, retinere pro se sustinuit, quòd diceret, non licere uxori valedicere, & ipsius retineri dotem: maluítque ad pristinam redire paupertatem, cùm ferè ex solo Archi-Episcopatu eatenus vixisset, quàm Canonum severitatem in aliquo laxare videri. Jussus nihilominus deinde à Paulo V. Politianæ Urbi pro Episcopo in legationibus absente præesse, sic tamen ut Româ nè discederet, cùm hæreret altè animo cogitatio, planè rem eam formidandam esse, quòd tandem de animabus singulis DEO ratio reddenda esset; dixit præcisè, id quidquid est oneris, haud subiturum se alio nomine, quàm solâ obligatione charitatis: velle proinde, in Pontificio diplomate ut hoc singillatim exprimeretur; quod & factum est his verbis: *per præsentes autem non intendimus tibi curam aliquam, aut onus animarum imponere, sed facultatem tantùm præmissa faciendi, ut tua in Ecclesiam prædictam charitas svadebit.* Datus etiam Patronus seu Protector à Pontifice fuit Ordini Cœlestinorum, itémque Cœnobio in Urbe Virginum S. Marthæ, & Collegio Germanorum. Quo in munere sic laboravit, ut Ordinem Cœlestinorum quorundam perversis conatibus in interitum propè vergentem, egregiè sustinuerit, & pristino vigori restituerit. Cùm enim Cœnobitæ qui sunt in Gallia & Belgio, per Regem Christianissimum à reliquis Provincijs separari quærerent, & proprium sibi Generalem deligere: omni conatu resistens Bellarminus, bonâ etiam Regis veniâ effecit; ut uni omnes parere cogerentur. Et cùm eatenus Novitij ijsdem cum reliquis sparsim Cœnobijs, exiguâ admodum curâ educarentur, Cœnobia 4. seligi voluit, eáque Ordini universo in partes totidem distributo domicilia esse, in quibus Novitij vivere inter se discreti à Veteranis possent. Deinde alia 4. Cœnobia junioribus professis, qui exacto tyrocinio ad minora studia: totidem provectioris ætatis alijs, qui ad disciplinas graviores niterentur, dedit. Atque his artibus mi-

rum quantum auctus disciplinâ, numero & conditione est Ordo universus: adeò ut non tantùm Generalis & Ordo in Italia universus Patrem illum & Servatorem suum acclamarent; sed è Gallijs etiam Ordinis Provincialis scriberet: *nisi te Patrono foveri nos contigisset, perieramus haud dubiè universi.* Quoniam verò usu didicerat, quid prosit ad profectum consvetudo pia meditandi, morem hunc quoque ubivis restituit.

Jam verò Cardinalium Collegio & deliberationibus, in unum pene illum inclinabatur omnis aliorum labor, sive in Congregatione S. Inquisitionis, sive sacrorum Rituum, aliísque Conventibus sententia dicenda foret. *Non ego duntaxat honori mihi ducebam,* verba sunt Cardinalis à Monte, Præsidis Congregationis Rituum, *in sententiam ejus ire, certiorem utique tutiorémque; sed tota Congregatio, in qua numeramur Cardinales circiter 14. Etenim licèt, dum consultatio foret, in unum conspirâssent omnes, sæpe deinde cùm Bellarmino uno suffragia omnes variârunt, soliti eum aspicere nescio quo sensu venerationis, non modò tanquam esset parens & magister omnium, de quo & gloriabamur; sed tanquam in eo sublimior, & supra communem conditionem excellens quædam DEI virtus eluceret: ideóq; etiam dum aberat, voces ejus & sententiæ supra humanas pro oraculis accipiebantur.* Mirum autem est, quàm libera ei fuerit vox, etiam coram summo Pontifice, dum cunctarentur alij & silerent, estò res sibi parùm benevolè verti posset: & quoties gratias audiebat postulari, quæ contra Canonum & Tridentini sancita vergerent, obnitebatur contrà: id attendens unicè, ut partes impleret suas, néve offensionem DEI incurreret silens. Quâ sanctâ libertate dici vix potest quàm Pontificibus omnibus fuerit acceptus, hinc ab eo commendatos libenter ad Sacerdotia ampla provehebant. Ipse verò, si qui per eum promoveri ad officia ejusmodi cupiebant, negabat sibi rem esse integram, vel ideo, quia pro se postularent; æstimans ex hoc minùs esse idoneos, tametsi cetera digni viderentur. Contrà sponte indagabat, si qui virtute præcellerent, ut eos Pontifici proponeret eligendos. Nec minùs liberè arguebat, si quæ perperam, aut parùm honestè fieri videret; svavitate tamen dictorum & facetiâ commonitiones, quæ plerumque haud gratæ sunt, gratas faciens. Picturas nudas in primis conclavibus ædium unius Cardinalis aliquando viderat: ergo in digressu significavit, commendare se illi inopes quosdam, visos in primis ejus ædibus, qui vestibus destituti nuditatem paterentur. Tum Cardinalis satìs advertit, quid insinuaretur, picturásque statim obduci jussit. Gravissimæ per id tempus discordiæ inter Episcopum & Urbem Lucensem itá invaluerant; ut spatio annorum 18. Episcopus ad Urbem in Sedem suam non admitteretur, quidquid Pontifex per Legatos varios, quidquid Principes diversi, & Cæsareus ad Urbem Orator moliretur in concordiam; ut demum omnibus viderentur hæc componi, nisì miraculo, aliter non posse. Verùm Bellarminus cum Lucensium Oratore, quem ad Pontificem, alium sibi Episcopum dari flagitantes miserant, colloquio unico, & epistolâ ad Senatum spiritu Divino exaratâ, negotium itá feliciter extricavit, ut Pastorem suum ultrò in Sedem Episcopalem invitârint, & obsequiis quæ Patri à Filijs debentur, constanter coluerint.

Ut verò de puritate ejus animi & corporis aliqua attingam, certum est ab illo virginalem pudorem nunquam perditum, imò nè graviter quidem à concupiscentia oppugnatum fuisse: fassus est enim Cardinali Crescentio, nunquam expertum se pravæ voluptatis delectabilem sensum ullum: & alteri cuidam, Virginitatem ad DEUM se relaturum eo flore odoréque, quem cum anima pariter & prima luce suscepit. Quod idem cùm aliàs de se referret Capuæ, atque aliquis arguere indè illum apud se vanæ gloriæ inciperet; vidit Bellarmini vultum solis instar confulgere, ut in eum fixè tueri non posset: unde conjecit, lingvam de se magnificè loquentem, non plectrum vaniloquentiæ, sed Spiritûs sancti organum fuisse. Quâ eâdem luce radiare sæpius toto vultu apparuit, dum ad populum è suggestu de DEO verba faceret, tam Capuæ quàm Lovanij. Huic autem tuendæ virtuti constantem cautelam adhibuit, ut fœminarum vultus nunquam intueretur, & earum alloquia cautissimè fugeret: unde Cardinalis, & postea Archi-Episcopus nullam unquam, licet Principem fœminam, domi suæ hospitem admisit, vel inter familiam ancillari passus est. Quòd si ad alloquium subinde à fœminis expeteretur, nunquam illis sui copiam absque arbitris dedit. Cùm verò familiâ semel absente, Generalem Antistitem Cœlestinorum ab audientia decedentem comitatus, in fœminam nobilem & filias geminas ipsius adolescentulas incidisset, quæ admissionem ad alloquium præstolabantur; Antistitem eundem, etsi ei valedixerat, revocavit, nè teste omni & arbitro sui cum illis careret sermonis.

monis. Imò non pauci ex ipso ejus consortio vel aspectu incitatos se fuisse ad amorem ejusdem virtutis jurejurando testati sunt: alij verò eodem remedio, vel nominis ejus invocatione, à stimulis carnis se liberatos, quibus nullis antè remedijs explicari potuissent. Neque solùm à vitio hoc uno, sed ab omni alio peccato constanter abhorruit, fassus Societatis Generali Mutio Vitellesco, nunquam in vita universa se mendacium aliquod, nè in infantia quidem dixisse; neque sibi esse conscium, quòd unquam in vita peccatum veniale deliberatè & scienter admisisset. Indè summa illi difficultas nascebatur confessioni materiam inveniendi: testatúsque est is, qui toto purpuræ tempore ei fuit à confessionibus, necessariam Bellarmino illam fuisse duntaxat, ut præcepto Ecclesiæ obtemperaret, hoc est, annuè tantùm semel, cùm ceteroqui potuisset annis omnibus sinè illa perlitare quotidie DEO, in innocentia cordis sui.

Accedebat perpetuum orandi, & Cœlestia contemplandi studium; primo namque manè, jam Cardinalis, consurgens, horas 4. DEO integrè sacrabat, & partim impendebat privatæ in secreto Meditationi; partim Matutini ex Divino officio recitationi, & Missæ celebrationi; nam Horas reliquas nunquã simul, sed præscriptis duntaxat ab Ecclesia temporibus absolvebat, genibus semper nixus, vel stans, animo & vultu ità inflammato, ut sacrum intuentibus cum devotione horrorem afflaret: nonnunquam à sensibus abalienatus, neque eorum, quæ circa se fierent, quidquam advertens. His addebat finito prandio, loco relaxationis aut colloquij, Rosarium B.V. & alterum Christi Domini cum duplici DEIparæ Officio. Neque ullum ei labebatur tempusculum, seu cùm fortè citiùs ad locum Consilij veniens Cardinales reliquos operiretur; seu esset in itinere; quo non animum ad cœlestia erigens Divinis contemplandis sese immergeret: nemóque eum intuebatur, quin per vultum corporis pietatem animi DEO perpetim conjuncti introspiceret; ex quo communiter sanctum Cardinales reliqui appellabant. Atque hoc usu meditandi tantam adeptus est facultatem loquendi cum Superis, ut videri posset semper orare, & nunquam deficere. Ex hac abundantia cordis, omnis sermo prodibat aut cœlestia referens, aut humana miscens cum Cœlestibus, quorum semper effundebat in fine documenta: ut multi Cardinalium faterentur, nunquam se Bellarminum, etiam negotiorum sæcularium causâ accedere, quin meliores à tractatione cum illo redirent. Denique inter res aspectabiles nulla ei delectatio; de quibus si cogerètur agere, ejus interior conversatio in cœlis erat, quam prodebant crebra suspiria, & oculorum in sublime jactationes. Ex hac Cœlestium æstimatione, profundissima in ejus animo nascebatur humilitas, suíque despicientia, quâ nitebatur significationes excellentiæ omnes, estò citrà vitium à sapientibus usitatas, respuere. In voluminibus suis, quæ passim prælo restituebantur, haud unquam permisit propriam sui ipsius imaginem figurari, tametsi rogaverint multi: neque versus adjungi, qui laudes continerent & famam sui: hinc ab Urbano VIII. adhuc Cardinali oden pulcherrimam recusavit, quam in librum suum *de ascensione mentis in DEUM*, ille conscripserat, habetúrque inter lyrica poëmata, ab Urbano etiamnum in purpura, typis vulgata. Passim verò mirabantur Viri sapientissimi, quòd cùm obstupescerent cuncti Virum excellentem, & qui ætate suâ omnes doctrinâ anteiret, opera nihilominus quæ annis singulis nova evulgabat, judicio subjiceret aliorum, ità ut censuram peteret obnixè, & cum voluptate etiam audiret, si quæ minus digna luce censerentur. Adventantes pauperes ad audientiam sic excipiebat; ut majorem erga omnes, quàm viros primarios observantiam declararet: nam cùm ijs famuli sedes nõ disposuissent; ipse proprijs manibus, quo secum unà considerent, sellam aptabat: & quandoque deprehensus est stans eosdem audire, dum præsiderent illi, maximè si lassitudine vel senio pressos animadverteret. Cibum, ùt diximus, perpaucum, & si solus esset, Societatis consvetudinem non excedentem, non argenteis, sed fictilibus patinis sumebat. Muros cubiculorum non serici aut pretiosi tapetes, sed quidam vulgaris operæ, ac pleni vetustatis, tegebant duntaxat, non ornabant; ultimum autem usui suo & studijs privatis destinatum, nullis peristromatis integebatur. Opprobria, maledicentias, & doctrinæ suæ ad usque Inquisitionis tribunal tractam (ùt ajebant) novitatem, ità ferebat tranquillè, ut nè verbum pro ea tuenda afferre vellet, totum judicio aliorum permittens. Svadentibus verò ut de tam iniquis obtrectatoribus apud Pontificem quereretur, recusabat dicens: *plus gloriari se charitatis unciâ unâ, quàm pondo existimationis propriæ.*

Agnatorum & nepotum suorum memoriam omnem abjecisse videbatur, neque unquam

quam induci potuit, ut Politianum patriam suam, licèt propè aliquando transeundum esset, diverteret. Neminem ex ijs ad statum conditione priori ampliorem evehere sategit, neque divitijs auxit: sed si de egestate ipsorum intelligeret, eleemosynis, ùt alios pauperes, quantum in præsens sufficeret, adjuvare sat habuit. Capuæ cùm vitio aëris tentaretur adversâ valetudine, quæ humorem in tibias ad tumores usque derivans, Medicorum curam jam omnem superaverat, Petro Gvidotto Oeconomo suo svadenti, ut censu annuo non imminuto, commutaret eum Archi-Episcopatum Ecclesiâ Politianâ: Cardinalis satìs intelligens unde consilium oriretur, leniter respondit: *ô Petre, caro & sangvis revelavit hoc tibi, & affines mei hæc argumenta suggesserunt! verùm non audio; nam hoc pacto Ecclesias quasi mercaturâ distrahere, non est via, quâ ad cœlum itur.* Religioso cuidam viro molienti, ut sororis suæ filium Bellarminus aureis non ampliùs ducentis juvaret, quo Archi-Episcopatu Theatino potiretur (Archi-Præsul enim ejus loci ipsum sibi destinaverat subrogare, dummodo pro redditibus, quos illi cederet, fieret compensatio, ad quam ea adhuc summula deerat) subsidium hoc tenue negavit: cùm diceret, haud velle se ijs adjumento esse, qui de Ecclesijs ità transigerent. Et tamen merita nepotis sui, disciplinâ & moribus suis innutriti, non ignorabat; qui & Episcopus Theanensis postmodum obijt. Cùm verò Pontifices novis & opulentis titulis Bellarminum augere satagerent, experti illum nullâ unquam necessitate ad petenda subsidia adigi posse; ipse constanter omnia recusabat, certandúmque acriter eorum liberalitati fuit cum Cardinalis modestia; quam subinde vincebant eo potissimùm argumento, quòd dicerent, se idcirco duntaxat libenter ipsi Ecclesiasticos reditus augere, quòd certò scirent illos majore sui parte in pauperes erogari. Indè sæpius gloriari auditus est Clemens VIII. Cardinalem unum à se creatum esse, cui parem abstinentiâ non facilè Aula viderit. Paulus V. autem ipsémet Bellarmino dixit, longè aliter ipsum comparatum, atque ceteri sint, qui hoc perpetuò flagitarent ut opes eis augerentur; cùm contrà ipse id unicè peteret, ut quas haberet, earum participes alios redderet. cui Bellarminus respondit: *se nobilem pauperem natum, vixisse pauperem religiosum, emori Cardinalem pauperem velle.* Quando privavit se Capuæ Sacerdotio, ut Romæ serviret Pontifici & Ecclesiæ universali, ex 12. millibus aureorum (quæ ibi erat integra ratio ejus proventuum) redactus est ad summam dimidio minorem: quam joco indicavit Cardinali cuidam, proprios reditus enumeranti ad aureorum 60000. dixit enim: *si ità est; hi magni reditus nihilo superant meos.* alludens ad o. quartam nullitatis notam, quæ adjecta ad 6000. qui erat census Bellarmini, efficit ut excurrat numerus ad 60000. & in hoc sensu ajebat, ab eo se tantùm nihilo superari, simúlque ostendebat divitias planè à se duci nihili. Nec minùs constans fuit in muneribus omnibus perpetuò à se rejiciendis; quæ si personis Regalibus & summis decorè remitti non possent, illico pecuniâ permutari mandabat, eámque integrè pauperum usibus distribui: usupare velut proprium lemma solitus illud Isaiæ: *beatus qui excutit manus ab omni munere.* Quando rationes dati acceptíque mensibus & annis singulis cum Præfecto recognoscebat; si quid supererat, totum statim in pauperes erogari jubebat. Cùm verò sæpius svaderet Præfectus, ut pecuniæ pars aliqua servaretur ad fortuitas necessitates, ipse tunc aliud nihil, quàm dicere: *sunt cogitationes de crastino.*

Denique tanta apud universam Romæ Curiam de sanctitate Bellarmini fuit existimatio, ut Urbanus VIII. de eo etiamnum vivente diceret, eum ab se æquè æstimari sanctum, atque alios, qui defuncti jam rebus humanis in syllabo Sanctorum recenserentur: neque dubitavit eum poëmate quodam æquare sancto Carolo Borromæo. Idémque sensus communiter fuit totius Cardinalium Collegij, cui eo demortuo coronam decidisse, & splendidissimum ornamentum ajebant. Alij SS. Doctoribus quatuor Ecclesiæ eum jungebant. Exemplar Purpuratis Patribus, ex Ecclesiasticis omnibus imitandum, dicebant alij: è cujus rebus utensilibus Cardinalis Sabaudus amiculum Pontificalem, alij alia in sacris reliquijs asservabant. Neque ullus fuit Imperatorum, Regum, & Principum Catholicorum in Evropa, qui non ingentium virtutum ejus famâ afflatus, eum literis singulari veneratione plenis, tanquam hominem sanctum, identidem convenire, & preces ejus exambire studeret. Porrò qui alloquendi causâ Robertum adibant, animum adornabant ad quandam specialem devotionem, modestiam & pietatem, perinde atque cum Viro omnino sancto congressuri & locuturi essent. Ità de se fatebatur Episcopus Sansedonius: & Cardinalis Estensis: *cùm mihi aderat occasio*, inquit, *ut Robertum intuerer, experiebar urgeri*

me

me præsentiâ ejus, non ut cum obsequio, ficut ad Cardinales ceteros, sed ut cum adoratione, tanquam ad Virum planè sanctum adirem. Atque hanc illi opinionem conciliabat DEUS eventibus etiam miraculosis, ad preces ejus concessis: qualis erat, dum Ludovicum Arogatium Aulicum suum, ex calida & periculosa febri æstuantem, solo crucis signo fronti illius impresso, momento sanitati restituit. Idem in eodem malo beneficium à Roberto expertus est P. Stephanus de Bubalis Societatis JESU Sacerdos; & Maria Argentia primariæ nobilitatis Capuæ fœmina. Et animadversum fuit, quidquid ægrorum esset, pro quibus Bellarminus semel Sacrum dixit, eos convaluisse omnes: contrà verò res infausti ominis habebatur, cùm ille rogatus renueret pro alicujus valetudine aris operari. Fassus quin imò fuit ipse Patri cuidam, tam certum animi se esse, fore ut nihil peteret, quin impetraret, propter experimenta quæ habuit frequentissima gratiarum, ut de hoc neque dubitare posset. Capuæ animi causâ aliquando secus flumen deambulans, in quod piscatores aliquoties frustra retibus injectis, tres solùm pisciculos eduxerant, tentare sortem iterum loco designato jussit; factúmque est ingenti omnium stupore, ut tractu uno amplius bis centum quinquaginta pondo piscium egesserint. Franciscus Tomasius juratus affirmavit, se Barij, ubi Vicarius Generalis in Basilica S. Nicolai fuerat, dum moraretur in Conclavi suo, vidisse coràm Cardinalem Bellarminum exprobrantem sibi defectus quosdam in munere suo admissos, monentémque ut accuratiùs illi porrò se impendere studeret, & expectationi suæ, quâ illum in summi Capuæ Templi Canonicum provexerat, respondere: atque his dictis disparuisse: Et tamen certum erat Bellarminum eo tempore procul Romæ, aliquot dierum itinere, egisse.

Quid de spiritu ejus prophetico, & rerum futurarum, aut procul dissitarum prædictionibus dicam? idem Franciscus Tomasius miserat aliquando Bellarmino per Canonicum Barriensem ampullas aliquot, liquore è corpore S. Nicolai jugiter manante plenas: qui ex itinere rogatus à Præsule quopiam, cùm è duabus lagunculis sacrum laticem illi donâsset; nè defectus notaretur, aquâ easdem simplici repletas Cardinali cum reliquis obtulerat. Hic multa primùm de admiranda sacri liquoris virtute locutus, quærit deinde, omnísne liquor ille manna (ità enim vocatur) esset? Canonicus, ùt obfirmaverat animum rem occultare, affirmavit statim: & Cardinalis, equidem omnis hic liquor, subjecit, manna non est. Quâ tam assertivâ Cardinalis affirmatione perculsus Sacerdos, advertit factum suum divinitus illi innotuisse, prædicavítque semper deinceps ùt hominem indubiè sanctum. Cùm Neapoli Nepos illius ex sorore Angelus de Acearia Episcopus Theanensis à morbo gravi curaretur, scripsisséntque ad Bellarminum amici, morbi vim remittere, speraríque brevì revaliturum: rescripsit Bellarminus, spem vitæ nullam superesse, disponeret idcirco se ad postremum actum, à quo penderet æternitas: & reipsâ paulò pòst decessit. Dum Lutetiæ cum Cardinali Legato erat, cursor Româ dispositis equis properè advenerat cum fasciculo literarum: quibus necdum reseratis, disertè edixit Bellarminus, illis mortem Pontificis Sixti V. afferri, Legato cum reliquis stupentibus, & fidem negantibus, siquidem nulla de ejus morbo fama prævolâsset: verum tamen prædixisse literis resolutis fuit manifestum. Anno 1621. Romæ in ædibus Bellarmini decumbebant Matthæus Tortus Theologiæ Doctor, & Octavius Clarellius Cardinali à cubiculis, quorum isti certam valetudinem, illi verò ominabantur exitium. At Bellarminus contraria de utroque vaticinatus, vitam ex vero prædixisse Matthæo, mortem autem Octavio, eventu deprehensus est. Nec minùs veridicus vitæ vates fuit Oeconomo suo Petro Gvidotto, ex ægritudine in 60. jam diem pertinaciter durante, à Medicis deplorato. Idem expertus est P. Celsus Amerigus Cœlestinorum Generalis Assistens, loquelâ amissâ ità jam deploratus, ut paratum in conclavi haberetur extremùm ungendo sacrum Oleum. Eum invisens Bellarminus, cùm signum Crucis fronti ejus impressisset: *nè te angas*, inquit, *ex hac ægritudine superstes eris*; statímque æger ab hoc contactu expertus est vitam redire, & vestigio eodem naturam reparari, quæ brevì integrè ad vigorem redijt. Eidem Amerigo significavit, ipsum in officio Generalis confirmandum: prædixit negotiorum ejus exitum in Gallia: nec siluit, Patronum Ordinis Cœlestinorum ab obitu suo futurum non Cardinalem aliquem exiguum, sibíque similem; sed unum è maximis, & is fuit Mauritius Cardinalis Sabaudus. Morbo cùm oblangvesceret Cardinalis Henricus Cajetanus, perlitavit pro eo Bellarminus; & tum vocem intùs audivit: *pro Cajetano desine precari, nec enim diutiùs vivet*: idémque audijt, quoties pro charo capite orationem repetijt. Mirari ille vehementer vocem adeò tristem, cùm præsertim Cajetanus planè revaluisse, &

domo incolumis ad S. Pudentianæ egressus narraretur. Sed biduum non intercessit, cùm subitò oppressus, feréque repentino malo extinctus est.

Et ut reliqua hujus generis pertexam: Petrus Georgij insignis musicus quadam die negotij cujuspiam causâ Bellarminum accedens, sub finem rogatus, quódnam Romæ exercitium ageret? cùm musices artem respondisset: *scito*, inquit, *inter Pontificios cantores te olim annumerandum, postquam longam priùs peregrinationem obieris.* Petrus non ità multò pòst in Poloniam accitus, receptus est inter musicos Regios; unde reversus, in Capella Pontificia meruit. Petrum Cardinalem Aldobrandinum sæpius disertè prænunciavit, subitâ morte nec opinantem (utì evenit) interiturum; & idcirco svadebat identidem, ut opera multa pietatis, in subsidium præsertim egenorum institueret. Pari veritate Sebastiano de Paulis, dum Doctor Theologiæ inauguraretur, Episcopatum: Clementi VIII. annos 13. in Pontificatu prædixit: in Pauli V. verò inauguratione, cùm sensus communis esset non diu victurum, *nè has inanes persvasiones credas*, dixit Ludovico Aragazio, *Paulus enim diu victurus est.* Et cùm is, *an per decennium?* rogâsset: subdidit, *longè diutiùs*; nec aliter fuit, sedit enim annos 16. Post hujus excessum dum ingressurus Comitia in Vaticanum iret, dixit asseclis honorarijs, qui in rheda una assidebant: *novus Pontifex, quem Patres eligent, Gregorius appellabitur*; quo nomine Alexander Ludovisius mox electus præfuit Ecclesiæ. Nec pauciora circa se prævidit futura. Lovanium ex destinatione Superiorum missus, inter primos Collegij sociorum amplexus dixit: *à Præposito Generali mittor huc ad biennium, sed spatium meæ habitationis in Belgio 7. anni erunt*: nec aliter evenit. Capuæ ipso initio dixit, præfici illi Ecclesiæ se tantùm ad triennium: itáque in libro & serie Episcoporum ejus Urbis, primis statim diebus se inscripsit: *Cardinalis Robertus Bellarminus sedit annos tres.* Quo tempore Comitia eligendo Gregorio indicebantur, hyems acris ultra solitum obrigescebat: & Bellarminus tum fortè Cardinali Montalto colloquens: *inimus*, ait, *jam Comitia in summis frigoribus, proxima fient in summis caloribus, quibus tamen nostrum neuter intererit.* Dicto non abfuit fides, nam Gregorius XV. biennio pòst Julio ineunte occubuit, ac oportuit Comitia celebrari sub exortum ipsius caniculæ, usque ad 6. Augusti, quo die Urbanus VIII. acclamatus est Pontifex; Montalto & Bellarmino jam vitâ functis. Sed & mensem ac diem obitûs sui prædixit, primùm quidem Ovidio de Amicis Urbis Capuæ Canonico, dum A. 1621. in mutuo sermone essent, dixit, proximo Septembri moriturum se, & quidem ipso die Stigmatibus S. Francisci sacro. Aliàs magìs distinctè adjecit, se in Septembri feriâ 6. decessurum, in celebritate Stigmatum S. Francisci; atque hunc à DEO favorem expectare se, quia in ejus mysterij Divino officio ordinando disponendóque plurimùm laborâsset.

Illo itaque anno 1621. cùm ingravesceret ætas, & ægritudines assiduæ, atque usum aurium quotidiè magìs interciperet vitiatus humor; impetravit primùm eximi à duplici Congregatione Cardinalium, Examinis nimirum Episcoporum, & S. Inquisitionis: & paulò pòst veniam discedendi penitus ab Aula, unde migravit è Vaticano in Domum Probationis S. Andreæ Societatis JESU: neque pòst ulli graviori negotio animum accommodavit, excepto quòd absolvere causam Sancti Philippi Nerij, de qua ipsius erat referre, conatus fuerit. Ex ejus negotij tractatione à S. Congregatione pòst biduum redux, domum ultra modum delassatus venit, & febri tertianâ duplici nunquam cessante cœptus est tentari; quæ cùm augesceret, phrenesim simul afferebat. Ex tam vehementi malo subnascens propinquæ mortis cogitatio tam ei jucunda fuit, ut exprimi non possit: sanè nullus æger ità vitam desiderat, ùt mortem ipse exoptavit. Nullum frequentius illi verbum erat, quàm ad cœlum ire se velle, ad domum suam: & cùm multi suas ei preces offerrent, unum excipiebat, nè vitam sibi precarentur, quam ipse omnino recusaret. Et medios affatus: *nè quæso*, inquiebat, *nè sollicitè adeò enitamini corpori restituere incolumitatem, quod ergastulum est animæ, cupientis ad cœlum evolare.* Vulgarânt quadam die Medici, ire in melius valetudinem ejus: sed spes eorum ægro mœstitia erat, cui major vitæ metus quàm mortis. Auditus sæpenumero est dicere, pellem ipsemet suam digitis arripiens: *quid tu obscura & ignobilis caro mihi adhæres adhuc? dividere tandem, & animam ire sine in domum suam.* Denique modus eum exhilarandi solandíque erat, spem dare propinquæ mortis: ut non immeritò Cardinales omnes, plurimíque Virorum Principum ad hoc spectaculum admirandum invitaverint sese, visuri hominem exultantem in morte, mortíq; insultantem. Ante omnes invisit illum Summus ipse Pontifex Gregorius, & bis amplexu arctissimo strinxit, mutuis lacrymis perfusus.

Ma-

Maphæus autem Cardinalis Barberinus, qui paulò pòst fuit Papa Urbanus VIII. postquam dexteram Bellarmini religioso osculo veneratus est, petijt, vellet de cœlo Ecclesiæ universæ adæquè patrocinari, atque in terris doctrinâ & moribus egerat. Neque ullus aliorum etiam fuit Cardinalium & Principum,qui non lectulo advolutus in genua benedici ultimùm sibi ab eo expeteret, & dexteram ad osculum porrigi, quam simul venerabundi oculis, pectori, capiti admovebant, ipsáque lecti stragula, tanquam rem sacram, osculis, manibus attrectabant. Coactus etiam multis Legatorum Romæ residentium precibus,bene precari Imperatori, Regibúsque Christianis: tantúmque omnium fuit vitam ejus longiorem voventium desiderium, ut totâ Urbe una in ore omnium vox esset, si humano sangvine tanto occurri damno posset, neminem utique fore, qui non esset libenter pro eo cruorem proprium effusurus.

Quæ deinde virtutum exempla hoc postremo actu exhibita ab eo fuerint, non facilè est referre. Lenitas & patientia in perferendis morbi curationísque molestijs insignis fuit; quâ in ardentissimo febrium æstu nè os quidem gelidâ proluere sustinuit: insignior verò vilipensio sui, atque ex ea commiseratio erga illos, qui ei tum famulabantur, etiam pedisequos, quos nomine fratrum appellitabat. Medicis, & Superioribus Societatis paruit obedientiâ planè cœcâ, quidquid juberent, tametsi res forent, quæ summam ægro nauseam crearent. S. Evcharistiam quoties sumeret, porrigi autem eam sæpiùs voluit, nullâ Medicorum Patrúmve persvasione induci potuit, nè nectulo digrederetur, & in genua humi procumberet. Ad supremam homologesim animum paraturus,cùm duplex conscientiæ bene longum & accuratum examen præmisisset, reperire tamen nihil potuit, quòd Sacramentalis absolutionis capax esset; ideóque juberi à Confessario necesse fuit, ut ex anteactis, licèt jam confessis, suppetias ad materiam sufficientem peteret. Undecimo tandem ægritudinis die Mutius Vitellescus Societatis Generalis, ex Medicorum sententia, eum instantis supremæ horæ admonuit: ad quem nuncium superfundenti se lætitiæ vix temperans, ter ingeminavit: *ô lætum nuncium! ô nuncium optabile!* nec solùm animæ gratum indè solatium, sed corpori propè salubre gaudium cœpit, voluítque obitus diversorum Sanctorum, & mortem imprimis S. Caroli Borromæi prælegi: ac fuit solatium intelligere, morbo cum suo simili, emotæ caloribus febrilibus mentis emigrâsse. Cum S. Viaticum afferretur, rogatus nè lectulo suo se ampliùs, quòd citra periculum id fieri non posse Medici dicerent,commoveret; à primo conspectu SS. Sacramenti, supplente vires animo, celeritate mirabili statuit humi se in genua; illóque recepto,lacrymis manantibus, & quasi linquente animo, in socios à quibus sustinebatur incubuit, & in ea defectione seu pietatis, seu virium, lectulo est redditus. Post aliquot secreti cum hospite DEO colloquij horas, extremùm unctus, voluit ad pedem lecti Crucifixi statuam erigi, ut ad ejus aram caderet, neque ferè, nisi cum Cruci affixo Domino deinceps miscuit sermones. Neque alia ad nuptias agni properantem mordebat cura, quam nè Domui Professæ,quam statuebat hæredem, damno potiùs esset quàm levamento: tam modicum scilicet erat,quod moriens ex bonis terrenis relinquebat. Ideo ut funeris parceretur sumptibus, supplicavit Summo Pontifici, ut exequias simpliciter Societatis more sibi fieri consentiret; & aureos 500. quos pendi ab hæredibus mos est annulus dum refertur, quo Cardinales initiò cum Purpura ornantur, Societati condonaret. Interea ubi per Urbem innotuit Cardinalem Bellarminum, omnium judicio sanctum, animam agere, venêre ad S. Andreæ Viri omnium Ordinum effusè adeò, ut ab eis haud potuerint aditus custodiri. Quare ingressi, cœpêre oculis nunquam à lacrymis cessantibus haurire gratum illud Sancti morientis spectaculum: cúmque adniterentur singuli aliquid ex utensilibus ejus secum indè, uti reliquias, referre; & jam rosaria, pilei & pileoli direpti essent; tum nocturna capitis tegmina, linea pulvillorum involucra, manicas subuculæ ac nodos surripuêre. Cardinales etiam & Præsules magni pro se varia quisque flagitârunt, ut jam non superesset ampliùs quod tribui posset. Itaque misêre ipsimet pileolos,Cruces argenteas, rosaria, vestes lineas, contactu Roberti sacrandas, tantâ copiâ, ut soli pileoli partim rubri, partim linei, numerum 150. excesserint. Hoc studio indumentis omnibus sublatis, indui sepeliendus ex vestiario communi Societatis debuit, quoniam propria non suppetebant. Supplevit hunc piorum desiderijs defectum Medicorum ars, qui triduo quàm obiret, ut ei gravedine caput relevarent, admotis hirudinibus sub utramque aurem, sangvinem mitti voluerunt; interímque sudariolis certatim excepêre stillantem sangvinem,cujus deinde particula summis Christianitatis Capitibus in sacrum pignus cesſêre.

Missa

Missa interim à Pontifice venit suprema illi benedictio, cum indulgentia omnium peccatorum plenaria: quam ipse aperto capite (erat enim per omnem vitam indulgentiarum studiosissimus) & generali confessione præmissâ, accepit venerabundus. Et jam aderat feriâ 5. diei 16. Sept: pridiana celebritatis Stigmatum S. Francisci, cùm horâ ab occasu solis circiter tertiâ cœpit animam agere, labijs nihilominus à motu in preces & ardentissima suspiria nunquam cessantibus, quibus simulachrum Crucifixi identidem, quoad per vires potuit, osculandum admovebat, tandémque cordi, ùt signaculum, infra stragula suppositum reliquit, dum animam illi redderet die sequenti 17. Sept: unâ horâ circiter post solem exortum, anno 1621. ætatis 80. statim ab obitu, quo populi concursus devitaretur, corpus ejus in Professorum Domum delatum est; quo postridie summi & imi, ex omni conditione & statu accurrêre; nec venerabantur modò universi, sed contingere pro se quisque victrices hæresum manus contendebant. Exenterati, jussu Pontificis, corporis sangvinem & humorem omnem, sudarijs spongiísque multitudo ingens quæ aderat, tantâ excepit aviditate, ut guttam extillantem unam in corpore non reliquerit. Corpus deinde habitu Sacerdotum purpuratorum indutum, quoniam precatio funebris de more fieri à sacro Cardinalium Collegio deberet, Pontifice quoad hoc preces ejus ultimas ab humilitate propositas non admittente, sub ipso Templi Professorum tholo, in prælto pegmate, quod holoserico nigro villoso instratum erat, collocatum est, & nè inconsultâ populi pietate discerperetur, custodiâ Pontificiæ militiæ obseptum. Non tamen effici potuit, quin multi custodiam perrumpentes, galerum purpureum in reliquias discerperent: quorum piam vim ut arcerent, & pietatem quadantenus satiarent; Pontificij Cursores bacillis argenteis rosaria populi confertim Cardinalis corpori, toto officij tempore admovebant, tanto numero, ut eorum censa fuerint supra 20. millia, nec simile quid Romæ visum fuisse viri gravissimi censerent. Demum sepulchro, quo paulò antè S. IGNATII exuviæ conditæ, jam verò in numerum Sanctorum relati aræ propriæ insertæ, quieverant, impositum corpus est; & tumulus elaboratis lapidibus versicoloribus, ac statuis dispositis ornatus à Cardinali Odoardo Farnesio; ad quem imploratione Bellarmini varia cœlitus impetrari tota Roma novit, ideóque causam pro ejus in Sanctorum numerum relatione instrui Curia Pontificia voluit.

Ex ejus vita Autore P. Jacobo Fuligati, & Daniele Bartoli.

P. PETRUS ÆGIDIUS.



Pater Petrus Ægidius, (seu Gil) natione Hispanus ex oppido Catalauniæ Reus dicto, Diœcesis Tarragonensis, nat. an: 23. ingressus est in Societatem 4. nonas Martij anno 1574. professus jam antea Philosophiam. In ea Doctoratu Theologico Gandiæ suscepto, totos 20. annos Regi-nam illam scientiarum explicuit Barcinone: ubi & Collegium nostrum tertiò gubernavit, semel Barealicum, ac demum Aragoniam Præpositus Provincialis obtinuit. Censor Fidei designatus ab sacra Inquisitione Barcinone substitit, Confessiones Pro-Regum Episcoporúmque omnium excepit, qui ejus consilio omnia, publica, privata, gerebant. Tantum erat pietatis, sapientiæ, & prudentiæ ejus nomen. A primo Societatis ingressu, præclarissimum fuit virtutum exemplar; atq; ab Ordinis sui institutis nè latum crinem unquam discessit. Omnibus ejus obeundis muneribus apprimè deditus fuit, ijs præsertim in quibus ditior demissionis, & laborum seges esset, quale est, plebeculam informare catechesi; adire custodias, triremes, nosocomia; pannosis hominibus aurem præbere, adesse reis capitalibus, quæ adeò non habebat vilia, ut illis sui copiam indulgentiùs, quàm nobilibus faceret: monuerátq; Janitorem, ut quoties ad ignoti cujuspiam mortalium opem è nostris incertus aliquis evocaretur, se præ alijs admoneret. Inter Principum favores perpetuos, sui semper tenax propositi, sui juris fuit: nec in se patiebatur quidquam ab eorum liberalitate derivari, nè corrigiendi eos libertatem videretur fecisse venalem. Cum Maquedæ Dux ad Siciliæ administrationem admotus eum sibi à Confessionibus esse voluisset; contendit, ut attritas, & laceras vestes, novis commutaret, priusquam navem conscenderet. At Ægidius ingenuè professus est, nunquam se illius confessiones, nisi in eo vestitu excepturum, & tam id religiosè servavit, ut resartam sæpiùs togam non priùs posuerit, quàm Duce in Sicilia vitâ functo, ipse redijt



P.Petrus Gil S.I: Hiſpan9, magn9 rerū terrenarum ſuiq; contemptor; Zelator animarū, inſatiabilis. Per Años 40. Principum diverſorū Confeſsari9; nil unqvam in ſuos, vel Cognatorū Uſus admiſit. Obijt Barcinone 1622. 15. Sept: Ætatis 72. 110.

redijt Barcinonem. Nihil illi accidebat acerbiùs, quàm ad Principum menſas cogi, quas ut in itineribus declinaret, præibat uno die vel ſequebatur. Tandem cùm poſſet, vel levi nutu conſangvineorum ſuorum inopiam ſublevare, nunquam quidquam innuit Pro-Regibus, undè poſſent eam egeſtatem, vel ſubodorari. In omnib9 itineribus, quæ diuturna & iniquo tempore per Hiſpaniam, Galliā, Italiā inſtituit, lacerum palliolū fuit illi totos 33. aū: pro arcendis pluvijs: galerus toties ab ipſomet reſartus, donec vetuſtare abijt in fruſta. Semper ille quidem, ſed eo potiſſimum tempore, quo Collegia regebat, aliorum ſe tegebat exuvijs, & eò jucundiùs, quò pannòſioribus. Innumera ſunt ejus generis exempla, quibus non Principes modò, ſed viros etiam Religioſiſſimos inſolita quadam admiratione commovit. In eo certè morbo, qui mortis illi cauſa fuit, quoties pretioſiora cernebat adhiberi pharmaca, qualia poſtulabat ætas, & morbi conditio, omnibus quibus poterat rationibus agebat, ut Medici imperarent viliora. Erat ſeveriſſimus ſuorum ſenſuum cuſtos: nullam tot annis fœminam de facie noverat: ſe quoque ipſum attingere quodammodo horrebat. Agebat DEO gratias pro hebetata ſibi acie oculorum, ex quo multa commoda caſtimoniæ perſentiſceret. Obedientiæ ſeveritatem non exigebat magìs à ſubditis, quàm ipſe præſtabat. Ad proximos Janitoris, vel Æditui nutus paratus, quoquò vocaretur, graviſſimorum etiam occupationum filo abrupto. In gubernando benignitatis laude florebat, quâ unâ ducebat ſubditos, quò maximè volebat: in ſubitis caſibus

adeò nihil commovebatur, ac si omnes affe-ctiones extirpâsset. Unâ æquitatis normâ domesticorum actiones examinabat: hone-statis duntaxat momenta ducebat graviora. Demum factis, & exemplis ad suum cuique officium ipse præibat. Societatem unicè di-ligebat ex animo; cui ut arctiùs hæreret, quo-tidiana inter sacra, sua vota renovabat. Insti-tuti ejus fuit tam tenax, ut nullis munerum, occupationum, senectutis oneribus se patere-tur impediri ab ejus ministerijs impigrè obe-undis: atque adeo inter Provinciæ curas, non minùs diligenter catechesi tradendæ, & con-fessionibus audiendis vacabat, quàm si illud ageret unum. Divini cultus incrementum, quoquo poterat modo, procurabat, sive do-mesticis suam navaret operam, sive alios Cle-ricos sacris Ecclesiæ ritibus informaret. Nec minore cura B. Virginis cultum, & veneratio-nem augebat. Ejus certæ pietati, ac diligen-tiæ debet Academia Barcinonensis votum il-lud quo se obstrinxit, propugnandi semper Immaculati ejus Conceptûs prærogativam. Familiaris ejus sermo religiosæ plenus simpli-citatis, omnium, qui cum eo agebant capie-bat voluntates. Nunquam aliud in ore ha-bere, quam in corde: quod cum ipse quoque de omnibus præsumeret, difficile adduci po-terat, ut in eo defecisse quempiam crederet, nisi manifesta signa probarent. In concilijs sententiam ex uno æquitatis arbitrio metie-batur: & tantam consecutus est laudem, ut videretur prudentiæ, & consilij dono cæteris eminere. Denique quod in eo potissimum admirati sunt omnes, fuit vitæ innocentia, continuato præclarè gestorum ductu contex-ta, pretiosiore semper actionum similitudine, in tanta rerum varietate ad finem usque de-ducta: ut quicunque eam diutiùs, & propiùs inspexerunt, suspexerint maximè, & gravissi-mis judicijs inculcârint. Sæpè Antistites e-tiam Illustrissimi, Patris sanctimoniam singu-larem, & vitæ præstantiam, constantiámque vix credibilem, dignissimam esse, quæ vel dum ipse viveret, sanctorum summa gloria deco-raretur. Ubi Provinciæ reliquit habenas, magnis itineribus Barcinonem properavit, nullas viæ molestias, nullos caniculæ æstus moratus. Atque ubi appulit, mox cum Jani-tore transegit, & cum Præfectis carcerum, & nosocomij, ut se in omnis laboris partem vo-carent. Ministrum Collegij sublatis mani-bus, additis etiam lacrymis exoravit, nè quid sibi à communi victu diversum dari permitte-ret. Hæc ipse animo destinabat, sed jam ad metam laborum venerat: nam & viæ difficul-tate morbum contraxit; quem cum dissimu-lare diu non posset, nono ejus die, qui in 15. Septembris incidit, anno Christi 1622. ætatis 72. Religionis 49. ab emissis 4. votis 30. Bar-cinone succubuit, magno sui desiderio tum Nostris, tum externis relicto, qui sunt cum lacrymis ejus funus ipsius prosequuti.

Ex Bibliotheca P. Alegambe.

P. THOMAS SAILLIUS.



Pater Thomas Saillius, natione Belga, patriâ Bru-xellensis, ob egregias animi dotes & sapientiæ famam, cùm Furnensi Canonicatu in ipsa juventute donatus, móxque Atrebatensi auctus esset; Duaci no-strorum perspectâ modestiâ atque insigni pa-tientiâ, quam inter rebellium vexationes ex-hibebant, ad Societatem amplectendam ve-hementer cœpit incitari. Ergo abdicatis re-bus & spebus omnibus Romam contendit, & jam tum Sacerdos, Christi se jugo subjecit in-ter tyrones Societatis 1. Maij anno 1580. Post tyrocinium missus cum Patre Possevino in Moschoviam, gravia ex obedientiæ nutu inter rudes illos & schismaticos populos per-tulit; sæpe per inaccessas horridásque silvas, feris & latronibus infames, noctu peregrinan-dum fuit: hyeme nonnunquam dormiendum in ipsis quas calcaverant nivibus; undecim aliquando mensibus continenter vestitus sinè ulla mutatione retinendus. Accedebat du-rior non absque asperitate, ad probandam recentis Religiosi virtutem, Possevini Tho-mam exercendi modus; cui licèt nullum non genus vilissimi obsequij præstaret avidissimè constantissiméque, crebris nihilominus ob-jurgationibus incessebatur: quas eâ vultûs at-que animi serenitate perferebat, ut tam in-credibili submissi animi observantiâ tandem perculsus Possevinus, ad pedes se Thomæ ad-volveret, & suam deprecatus austeritatem, ultro se illi ad regendum daret imposterum. His ærumnarum & itinerum laboribus ex-haustus, Medicorum imperio redijt in Belgi-um ad valetudinem procurandam: ubi ab A-lexandro Parmensium Duce & Belgij Guber-natore ad suas confessiones adhibitus, & mili-tarium ejus tot expeditionum comes indivi-duus, quæ quantáque sustinuerit, faciliùs est cogitando ex ijs, quæ de bellis hujus Principis con-



P. Thomas Sailli9 S.I. Belga, ex Atrebatensi, et Furnensi Canonico, Societatem complex9, pleramq; ætatem in obsequijs militum, etiam pestiferorum per Castra exegit; à Beatissima Virgine miraculose sanatus. Obijt Bruxellis 8. Martij 1623. Ætat: 70.
W. P. Kilian sc:
111.

conscripsit Famianus Strada, exprimere; quàm paucis hìc narrando prosequi. Eundem deliberationibus suis omnibus consiliarium Dux adhibebat, omnia sua & statûs negotia intimè communicabat. Neque tamen unius Principis obsequijs continebatur avidus Patris laborum animus: sed in militum etiam gregariorum curam indefatigabilem se extendebat, Sacramentis eorum animos procurando, sublevando egentes, animando præliantes, & ægros assiduâ charitate juvando. His pestiferâ lue laborantibus Burgrichij, haud procul Wesaliâ, dum inservit; pestem & ipse contraxit, à qua voto ad B. V. nuncupato sanatus est. Ubi convaluit, aucto ex prodigiosa sanitate fervore ad castra redijt, & fundationi Missionum Castrensium in Belgio tam utilium initium dedit anno 1590. cùm laboranti Lutetiæ Dux ferret suppetias. Sed paulò pòst iterum ex continuis militum obsequijs dysenteriâ laboravit Quertici: aliud tamen hospitium non admittens, quàm inter mendicos & milites ægros, quò etiam cum solatio & auxilio miseris adesset.

Anno 1592. die 21. Nov: Duce jam functo vitâ, & Professione 4. votorum Atrebati emissâ, ad Cameracum à Buquoio Comite invitatus est, exercitui Urbem obsidenti opem consvetam præbiturus; ubi per medias glandes evasit in locum, ubi acriter certantes milites copiosè cadebant; quos magno spiritu ad pugnandum exhortatus, saucios omnes expiavit. Anno iterum 1596. Admiralium Aragoniæ in Germaniam ad Cæsarem, Ferdinandúmque Stiriæ Archi-Ducem, atque in Poloniam ad Sigismundum Regem comitatus est,

est, ubique virtutum suarum vestigijs impressis: dum biennio pòst Bruxellis declaratus Rector, Missiones simul Castrenses gubernavit. Cùm verò nescio quâ causâ, ruptâ in pectore venâ, ingentem vim sangvinis expueret, à Medicis habitus inter deploratos, ad B. V. Aspricollensem voto edito confugit: quæ illi se visendam in comitatu S. Barbaræ aliarúmque Virginum choro exhibens, audita est præsentem Filium pro servi sui incolumitate ità precari: *sine nostrum hunc servulum etiamnum aliquamdiu vivere:* quo ipso momento perfectâ redeunte valetudine, vixit magnâ admiratione Medicorum multò etiam quàm antè sanior, planè ut nulla illi opus fuerit deinceps medicinâ: & cùm antè graviter olentem haberet ex pectoris corruptione anhelitum, jam svave nescio quid redolens spirabat. Post quinquennem deinceps iterum Bruxellis Rectoratum, Anno 1620. cum Marchione Ambrosio Spinola venit in Palatinatum, Castrensis denuo Missionis Moderator: peculiari namque zelo ad præstanda militibus auxilia ferebatur, neque ullam de ipsis bene merendi ansam omittebat. Resplendebant interim mirificè in eo virtutes omnes, tanquam in illustri loco positæ, quas percensere singillatim justi voluminis esset opus. Pietas inprimis quæ in corde ardebat, erumpebat amœnissimè in vultum, quam etiam dictis adeò teneris & amore plenis prodebat, ut extra se rapi videretur. Christi Servatoris in Evcharistia, & SS. ejus Matris cultor fuit eximius, toto adnisu cultum eorum & amorem procurando, ut si quid posset censeri in hac re nimium, nimius videri posset. Submissione animi tantâ fuit, ut minimum se hominum, & peccatorum maximum, vel in ipso mortis articulo seriò agnosceret, dicerétque suas sibi laudes etiam post mortem displicituras, nedum placerent viventi. Pollebat ille quidem insigni prudentiâ, sed quam conabatur simplicitate candidissimâ obruere. Erat in se rigidus & asper, in alios mollis & svavissimus: multâ se inediâ macerabat, algore, humi cubatione, dirâ & frequenti flagellatione, hirto cilicio. Sed pium simul atque ingeniosum tormentum fuit crux sesquipalmaris, totâ superficie præacutis munita stimulis, quinque cuspidibus altiùs in Christi vulnerum reverẽtiam extantibus, nudo pectori applicata; quam pugno impacto, cum detestatione suorum peccatorum, sibi imprimebat identidem magno cum dolore, & copiosâ sangvinis profusione. Obedientiam summis in amoribus habuit, & omnes Superiorum nutus tanquam Divina imperia excipiebat: támque exactè regulas omnes observabat, ut nullam se unquam ex deliberata voluntate meminisset esse transgressum. Paupertatis studium tum alijs in rebus, tum verò in vestitu detrito, lacero, abjecto, præseferebat.

Illibatam castimoniam ad usque extremum spiritum cùm servâsset, in alijs ejusdem nitorem maximo fervore zelabat: cujus suæ charitatis novum simul & alienæ pudicitiæ custoditæ prodigium exhibuit Dorlentij Picardiæ urbe, quando hæc vi expugnata, data fuit militi in prædam. Militari namque licentiæ fœminarum erepturus pudicitiam, funes oblongos per plateas urbis principes mandavit extendi, quorum extremos fines cingulo suo alligavit in orbem: dein publicâ voce mulieres omnes invitavit, ut quæ pudori suo vellent consultum, funem contingerent, séq; raptantem cuneos fœminarum per medias militum furias sponte sequerentur. Dictum factum: & per media ora, manus, oculos militum, memorando in omnem posteritatem fœminarum raptu, frendentibus quidem, attamen præ Viri sanctitatis majestate & auctoritate plenis reverentiâ, prædam tam paratam attingere non audentibus in urbe victa victoribus, ad tutam stationem illæsas omnes illibatásque subduxit. Vitâ denique tot laboribus, itineribus, incommodis fractâ, cœpit cursûs sui metam è propinquo quasi præsentire; ideóque Bruxellis residens Aulæ illi à confessionibus, cùm proximo ante mortem die in Aulici Gynecæi sacellum, more solito, audiendarum confessionum causâ venisset; socio quem habebat Sacerdotem, ipso in loco (quòd nunquam aliàs ab ipso factum) priùs est confessus, quàm ad Sacrum faciendum accederet. Sumptis in Missa Sacramentis paralysi membra fatiscere præsentiscens, socium admonuit, à quo substratæ raptim humi culcitræ impositus est. Domum paulò pòst relatus, sacro poposcit Oleo inungi: atque inter illustria pietatis & humilitatis argumenta sanctam egit animam 8. Martij Anno 1623. ætatis 70. Religionis 43. Accurrêre frequentes viri Principes, & unius morte tota civitas perculsa videbatur. Et cujus fama fuerat in vita omnino magna, post mortem evasit longè maxima, & ad funus celebrandum tantus est hominum omnium Ordinum factus conventus, Rosaria vultui admoventium, reliquias ejus expetentium, ut satis omnibus fieri nequaquam potuerit: DEO fidelia servi sui obsequia etiam præsentis seculi honoribus abundè ità pensante.

Ex Nierembergij Tomo 1. & Bibliotheca Alegambe.



P.Thomas Stephenſonus SJ. Angl9, laboribus in Anglia Apoſtolicis, et carcere Fidei cauſâ perpeſſo conſpicu9. Obijt Watenis 23 Martij 1624. Æt: 72. M 2.

J. Kilian sc.

P. THOMAS STEPHENSONUS.

PRæclarus in vinea Domini Operarius Thomas Stephenſonus, editus in lucem eſt Windletoniæ in Epiſcopatu Angliæ Dumelmenſi, Parentibus Orthodoxis, & à puero in Fide Catholica, primíſq; latinitatis literis educatus; nè cum altioribus diſciplinis hæreſim combiberet; in Belgium, glorioſum pro Chriſto exilium, tranſmiſſus eſt. Rhemis primùm, deinde Romæ Philoſophiæ & Theologiæ cùm dediſſet operam, Sacerdotio initiatus, in meſſem Anglicanam, auctoribus Alano & Perſonio miſſus eſt anno 1583. ubi naviter in ſalutem animarum decimum menſem inter quotidiana carcerum & vitæ pericula inſudans, tandem poſtquàm plurimos ab hæreſi Eccleſiæ reconciliatos, alios verò in fidei & virtutis ſtudio roboratos, in manus hoſtium incidit. Damnaverant Judices Londinenſes anno 1584. in Februario perduellionis reos, ob negatum Reginæ Eliſabeth Eccleſiæ Anglicanæ primatum, ſpectatæ doctrinæ & innocentiæ Sacerdotes è Clero duos, Jacobum Fen, & Georgium Haddock, eóſque capitali ſupplicio in patibulo tantillum ſuſpenſos, & quadrifariam diſſectos affecerant. Ut autem inveteratum in ordinem Sacerdotalem odium apud plebem & invidiam foverent, novâ illorum conquiſitione per emiſſarios factâ, omnibus angulis eos veſtigari & in vincula compedéſque abripi juſſerunt.

Postridie itaque istorum necis, capitur Stephensonus proditione adolescentis, quem ad Sacra ministrum adhibuerat; ac veluti criminis Majestatis læsæ jam compertus, in turrim Londinensem compingirur, post maledicta & convitia á Præfecto Arcis remerè in eum contorta. Ad tribunal Judicum citatus, Christianâ prorsus liberrate ad stuporem usq; Quæsitorum respondit ad omnia, quæ Consiliarijs collibitum fuit sciscitari. A quibus detrusus in ergastulum est vetustate fatiscens, mucore, situ, squalore, vermiculis eriam in magno frigore, & vicinæ cloacæ fœtore gravissimo terrum, nullo ad quiescendum vel stramine vel assere concesso. Viginti seprem dies nudum & humidum solum illi lectus fuit; post quos ferro immaniter onustus alios 40. dies jacuit, tum anno vertente 22. Febr: unà cum 12. Sacerdotibus vinculorum socijs toto Regno proscriptus, in Galliam deportatus fuit, cùm macie ex tormalis, & arriculorum ac dentium dolore semestri propemodum esset confectus.

Pridem illi in votis erat Societati JESU adscribi, cujus ineundæ votum conceperat in carceribus, cùm mortem per tormenta pro fide expectaret. Quapropter cùm primùm exscendit in Gallia, P. Roberto Personio se coràm stitit, à quo summâ charitate recreatus, Spiram ad P. Oliverium Manaræum, ab hoc autem acceptis literis ad Henricum Blyssemium Austriæ, (quæ tum eadem erat cum Provincia Boëmiæ) Provincialem missus est, à quo facilè Societatem tot meritis & coronis decoratus impetravit; admissus ad Tyrocinium Brunæ in Moravia 11. Decembris Anno 1585. & nondum lapso biennio ad diem 5. Junij tria vota Scholasticorum emisit. Quatuordecim sequentes annos transegit in Boëmiæ Provincia Olomucij & Pragæ, in celeberrimis illis Academijs partim Rhetorica tradendo præcepta, partim Græcas & Hebræas literas explicando: deditque tam constanter excellentis de se virtutis & adultæ sanctitaris specimina, ut emissis Pragæ ad diem 3. Junij Anno 1597. tribus solennibus votis, de eo rursum in Angliæ culturam destinando Superiores deliberaverint. Romam itaque accersitus, Personium aliquamdiu in adornanda rerum Anglicarum historia adjuvit: túmque rursus majoribus quàm antè animis in hostile Patriæ solum navigavit, certus ibi non operam tantùm omnem & labores in animarum salutem locare, sed vitam etiam ipsam & sangvinem pro asserenda veritate Catholica prodigere. Et laboravir quidem in ejus culrura strenuè ad annos ferè 20. maximo animarum proventu, inter continua vitæ discrimina: summus otij & inertiæ osor; in quam ut industriam exacueret, horis subcisivis vitam Thomæ Pondo ex ipsiusmet adversarijs justo volumine contexuit, & Catechismum pro rudium instructione. Donec annis & senio fractus, Warenis morte occupatus est die 23. Martij 1624. ætatis 72.

Ex Anglia Henrici Mori & Bibliotheca Alegambe.

P. SALVATOR PIZQUEDA.



Sardinia Insula, Patria fuit Parri Salvatori, edito in lucem anno 1551. Parentibus nobilitate & virtute apud suos clarissimis: ejus matri uterum ferenti Vir peregrinus repentè domum ingressus, prædixit, filium ab ea gestari heroëm maximum, licèt ipsa neque gravidam se, minùs verò quantum visceribus suis thesaurum concluderet, tunc quidem sciret: jussítque nomen ei imponi Salvatoris, quòd obsequio divino mancipatus, multis morralium saluti futurus esset. Sed & adjecit, partum illius plenum periculi & laboris futurum, quo semimortuus infans effundendus, à domesticis ad sepulturam destinandus esset: quod tamen nè fieri pateretur; siquidem ille plurimos annos laudatissimè victurus esset. Retulit hæc Viro suo mulier, adhuc ignara quod prægnans foret, quippe mulros demum post menses partu solura: & licèt is negaret fidem peregrino habendam, ubi tamen omnia penitus ità evenisse advertit, Angelum in hominis specie fuisse non dubiravit. Biennis puerulus patre orbatus, assumptus est ab avunculo liberis destituro, Viro pietati deditissimo, quatuor suis fratribus apud matrem relictis, in filium; & bonorum omnium, quibus in paucis abundabat, hæres constirurus, & præcipuâ curâ in omni virtute & pietate educatus. Itaque nunquam sinè illo Templum adire, & jam tum ad preculas Numini de genibus solvendas assvefacere: quam infantis pietarem placuit DEO insigni prærogativâ munerari, & rationis usum sanè præcocem, tertium ætaris annum ingredienti, conferre. Cùm enim feriâ quintâ majoris hebdomadæ secum in Ecclesiam



P. Salvator Pizqveda Soc: Iesu, Sardus; Eucharistiæ cultor eximius: cum eminenti vitæ sanctimonia insignem animarum zelum conjunxit; multis à Deo prodigijs in vita et morte ornatus. Obijt Sassari 27 Martij 1624. ætatis 73. 113.

am delato Crucifixi Domini Effigiem demonstraret, inquiens: *ecce mi fili, hic ipse est Pater noster & Dominus, qui pro nobis mori dignatus est.* Parvulus defixis in Divinum simulacrum oculis, eâ simul in intellectu luce perfusus est, ut clarè & distinctè agnosceret, eundem simul esse DEUM, Creatorem totius universi, & Redemptorem mundi: quare ingenti alacritate & affectu totum se illius obsequijs obtulit, lacrymis præ tenerrima pietate largè ab oculis defluentibus, perinde ac si vir maturus esset. Atque hoc lumen animo ejus ingressum in omnem deinceps vitam duravit, valuítque ad promovendum, nè quid unquam admitteret, quod à ratione dissonum videretur. Octennis jam ferè pusio aliquando cum æqualibus honestæ relaxationi indulgens, repentè eâ cogitatione obrutus est: *quid fui antequam natus in mundum prodij? & quid fuere sodales hi mei? & quid cœlum totum, priusquam à DEO conderetur?* recordatúsque illustrationis illius ex Crucifixi aspectu conceptæ, omni discussâ dubitatione clarè pernovit, omnia merum fuisse nihilum, antequam à DEO esse accepissent. Sed exinde cùm ei occurreret: *quid verò fuit DEUS, & ubinam extitit, priusquam mundus fieret?* non inveniens vadum quo se ab eo dubio expediret, repentè deprehendit tenebris spississimis, etsi media & clarissima dies esset, se obrui, ut viderentur palpari posse: quare nec pedem promovere valens, in largissimos fletus solutus est, donec caligine discussâ domum repetere, sodalibus & lusu relicto, concessum est. Ecce autem inter redeundum oculis conversis, videt insequentem se hominem gigantis horri-

horribili & nigerrimâ ſpecie, ultima ſibi, ſi aſſequeretur, minantem; quo vehementer expavefactus, curſu citatiſſimo domum repetiit, dœmonem fuiſſe nihil ambigens. Ità nimirum DEUS terroribus æquè ac ſolatijs ab omni peccati umbra animam ejus à teneris avertebat.

Grammaticæ diſcendæ applicatus, monitúſque (quò accuratiùs illi incumberet) quid de eo in Virum magnum evaſuro peregrinus olim prædixiſſet; cogitare cœpit, quâ viâ & ratione magnus effici poſſet? occurritque inter ſeculi dignitates fruſtra ſe eam magnitudinem quæſiturum; ſerióque decrevit, S. Alexij exemplo (cujus vitam commodùm legi tunc fortè audierat) mundi contemptu eandem conſectari. Quare ſtudijs diligentiſſimè ſe impendens, tempus reliquum parvulis catecheſi imbuendis, quos ſolerter colligebat per vicos, impendebat: & quidquid videret, audiret, vel tractaret, in DEUM & Cœleſtium memoriam traducebat. Atque hanc ſibi potiſſimùm ingeri experiebatur ab avium cantu, inter quarum garritus totus in ſuperna liqueſcebat, quòd viderentur illô ſibi clarè & diſtinctè occinere, *ad cœlum, ad cœlum!* unde in affectus & amantia ſuſpiria diffluens, inter lacrymas veluti abſorptus remanebat. Eodem tempore, nonum jam ætatis annum ingreſſo, contigit ſolennem ſupplicationem deduci; cui prælatum Chriſti affixi ſimulachrum, videbatur non ut aliàs nudam Redemptoris imaginem, ſed planè divinum quidpiam referre, quod animum ejus penitus in ſe rapiebat, faciebátque ut totus ſupplicantium proceſſus, & muſicorum chorus, veriſſima quædam Cœlitum pompa appareret: quibus extra ſe velut in extaſim raptus, ſenſit ſe inviſibili alicujus manu prehenſum, ad caput ſupplicationis transferri; ubi patefacto cœlo vidit ſuper excelſo ſolio reſidentem DEI Majeſtatem, lumine ſupra ſolis radios fulgentiore circumdatam, & innumerâ Angelorum multitudine ſtipatam, oculis benevolentiæ plenis agmen illud ſupplicantium contemplantem. Duravítque viſio toto Proceſſionis tempore, ineffabili puſionis ſolatio, & ſuffecit in omnem deinceps vitam incitando illius ad heroicas actiones animo, & adverſis omnibus dulcorandis. Accidit & aliud per idem ferè tempus, omnium judicio inter prodigia computatum; oberrabat animi causâ cum aliquot ſodalibus per campos; cùm unus illorum in profundiſſimum lacum delapſus, ità repentè abſorptus eſt, ut nihil ejus omnino appareret. Salvator parum penſi habens quid diſcriminis ſubiturus eſſet, continuè, ùt erat veſtitus, in aquas inſilit, & merſum puerum capillis arreptum, ſalvum & incolumem ſicco reſtituit: omnibus ſtupore attonitis, quòd non uterque abſorptus undis interierit, cùm & lacus in altiſſimam abyſſum dehiſceret, & puſionum neuter natandi peritus eſſet.

Decennium aſſecutus, miſſus eſt cum uno fratrum Saſſarim ad ſcholas Societatis JESU, nactúſque Magiſtrum P. Antonium Boſque, ſanctitate & prædictionibus vatidicis notiſſimum, præclaros non minùs in virtutibus, quàm literis fecit progreſſus. A quo mentalis orationis praxim edoctus, certam illi quot diebus impendebat horam; neque unquam ſtudijs animum applicabat, niſi bene longam præmitteret orationem. Sacram Menſam accedebat octavo quoque die: flagris in ſe aliquoties per hebdomadem ſæviebat ad ſangvinem uſque, nec paucos æqualium ad idem pietatis genus verbo & exemplo induxit. Frequens erat in viſitandis hoſpitalibus, ergaſtulis, ſolandis infirmis, juvandis pauperibus, quibus etiam liberales eleemoſynas providebat, & rudes myſteria Fidei edocebat. Ità innocenter per Humaniora & Philoſophiam verſatus, cùm 8. jam ſolùm menſes ad finem reſtarent, Societatem JESU expetijt, impetravítque eâ conditione, ſi conſtans in propoſito per modicum illud tempus remaneret. Eo reſponſo lætus dum è Collegio domum redijt, ecce tibi dœmon viſibili formâ illum aggreſſus, proceræ inſtar & teterrimæ umbræ, non tantùm ſummopere exterruit, ſed animum etiam triſtiſſimis cogitationibus implevit, ut corde ad Divina omnia aridiſſimo, ferè jam poſtulatæ Societatis eum pœniteret, & præcipitatam nimiopere reſolutionem ſuam damnaret. Verùm ubi orationi ſe dedit, benignam illico opitulantis Domini manum expertus eſt, totúmque eventum Confeſſario recenſuit. Cùm verò reſciviſſet conſvetum in Societate haberi, ut Miſſionibus varijs ad animarum lucra alumni ſui occuparentur, & ipſi quin adeo Novitij, inter reliquas probationes, notabile tempus in peregrinatione pedeſtri abſque omni viatico, ſolis eleemoſynis vivere tenerentur, hoſpitalium interim ceteríſque vilibus obſequijs addicti: deſiderio ſuimet probandi, idem & ipſe ſibi faciendum decrevit, conductóque heroicæ peregrinationis ſocio, vili tunicâ indutus, abſque omni viatico iter in aliam urbem Oriſtan inivit, ijs ſibi præfixis legibus, nè quidquam per viam niſi de DEO inter ſe, & cum

& cum viatoribus sermocinarentur; somnum nudâ humo caperent, solóque emendicato pastu viventes, operam omnem curandis in hospitali ægris, rudibúsque cœlestia docendis, impenderent. Et verò probavit fervorem illorum primô statim diversoriô DEUS, in quod sub vesperam delati, præter solius frustum panis, nihil corrogare potuerunt. Nocte duro humi cubatu exactâ, iter prosecuti, catechesim ubique per viam & pagos rudibus explicabant, dum Oristanum venirent: ibi diversoriô in publico Nosocomio acceptô, totos se miserorum curæ mensem integrum addixerunt, & quidquid eleemosynæ per diem exorâssent, eorundem subsidio integrè addixerunt. Cùm verò dehinc in patriam suam reduci beneficium Ecclesiasticum ultro in manus resignaret Rector Ecclesiæ, qui postea in Episcopum assumptus est; constanter illius beneficentiæ & suorum suasionibus restitit, & Sassarim reversus, Tyrocinium Societatis ingressus est 13. Septembris 1571. annum agens ætatis 20.

Nihil non egêre mater, fratres, & agnati, ut ad sæculum, vel saltem statum Clericalem illum retraherent, manibus etiam violentè illi injectis: quas cùm ei peregrinationem, tyronum Societatis more, Calarim obeunti, secundò injecissent, ipse oratione ad DEUM fusâ animos illorum ità immutavit, ut non ausi sancto illius proposito refragari, comites itineris benevolè esse maluerint, & officioso ambitu Calarim versùs deduxerint. Pari ardore superavit technas dæmonis, qui fratris ipsius germani faciem mentitus, vultu mœstissimo, multísque lacrymis ob ejus jacturam perfusus, visendum se præbuit, ad deserendam Religionem varijs rationibus sollicitans: quibus initiò non modicè turbatus & perplexus, vivificæ tamen Crucis signo se muniens, & dæmonem ab oculis, & turbationem ab animo simul dispulit. Et jam illi quartus in itinere fluebat dies; quô, cùm terminum sibi longiorem viæ, quàm ut uno die confici posset, statuisset, nocte in densis sylvis obrutus, & amisso itinere, neque quo progredi, neque ubi locorum versaretur, sciebat. Dum anceps consilij hæret, & actum jam de se, omni remedio destitutus, credit; repentè è densissimo nemore homo prodit ardenti face instructus, ducémque viæ Sardaram usque (quem sibi terminum destinârat) promptissimè se offert; huc circa dimidium noctis adducto diversorium ostendit, in quo maximâ humanitate & benevolentiâ, hòc ipsò, quòd Societatis JESU Novitium se diceret, acceptus est.

Cùm verò post hæc idem ductor repentè evanuisset, nihil dubitavit Salvator Angelum Custodem à DEO submissum fuisse, qui se velut alterum Tobiam erroribus itineris expeditum, securè ad locum optatum deduceret. Tot à DEO beneficijs cumulatus, maximo fervore Tyrocinium Calari prosecutus est; accidítque subinde, ut in odæo coram SS. Sacramento orantē fulgidissima de cœlo lux totum repentè involveret, itáque amoris Divini æstu incenderet; ut sibi videretur instar igniti carbonis in medijs flammis versari. Sensit autem præcipuè cor sibi amore puritatis & castimoniæ aduri, cujus idcirco perpetuò illibatè conservandæ votum in vestigio emisit, licèt fortè illum è Societate dimitti contingeret. Secundùm Tyrocinium studia Theologiæ prosecutus, Rhetoricam triennio, & duplicem Philosophiæ cursum docuit, habuítq; simul ordinarias in Templo Parochiali, etiam per ferias Quadragesimæ, conciones, Sacerdotij adhuc expers; pro quo apud Superiores impetrando nullum ipse unquam verbum fecit, neque ullos intercessores admisit, indignum se Sacerdotio ex animo reputans, neque meliùs sibi obvenire posse dicens, quàm quod sponte decernerent Superiores.

Tandem sacris Ordinibus initiatus anno ætatis 34. officium Ministri Domûs biennio sustinuit, ingenti erga omnes, ægros præsertim, charitate; maximè postquam Divino monito ad eam se incitari expertus est. Aperta fuit uni ex domesticis infirmis pridie vena, ad quem noctis medio adrepens Salvator (quod singulis ferè noctibus erga alios etiam valetudinarios præstabat) diligenter inspexit, num satis securè brachio provisum esset: vidénsque illum alto sopitum somno, & brachium ritè obligatum, ad cubiculum & ipse dormiturus redijt. Vix duas horas somno indulserat, cùm voce & strepitu excitari se persensit, jubentis ægrum properè adire, in extremo periculo constitutum. Accurrit ocyssimè, reperítque ægrum somno etiamnum oppressum, sed veluti exangvem, quòd plurimum cruoris solutâ ligamine venâ effluxisset. Igitur remedio sollicitè adhibito, facilè collegit excitatorem fuisse Angelum, sinè cujus monito æger jam penitus interierat. Datus deinceps Collegio Sassaritano Rector, veluti liberiorem campum nactus, cœpit liberaliùs zelum suum in animarum salutem extendere: nam quatuor diversas Sodalitates ibi excitavit, quarum duas simul longo tempore administravit; & quintam subinde Calari, Theo-

logiam ibidem publicè professus, adjecit. Iterum verò Algverij renunciatus Superior, sextam ibidem Sodalitatem exciravit, omniúmque simul in urbe langventium & ægrotorum curam gessit: ad quorum auxilium quoties domo Sacerdos evocabatur, primus prosiliebat ipse, hyeme præsertim, & frigidis noctibus, nè suorum domesticorum somnus interturbarerur: cùm verò gravi penuriâ Collegium leviter dotatum premererur, totum se Divino implorando auxilio impendit: & ecce præter omnium expectationem, persona Societati nullo usu aut familiaritate conjuncta, caseum & oleum in totum annum submisit, præter triticum, & carnes in aliquot menses suffecturas. Nihil tamen æquè illi in votis fuit, quàm in Missionibus & Apostolicis expeditionibus inter rudes & paganos versari, ad quod munus cœlum ipsum suffragari illi videbatur: nam in urbibus dicenti cùm vox & latera ægrè ad concionem, ob debilem naturæ complexionem, sufficerent; quoties tamen in pagis & campis ad rudem plebem verba faceret, tam clara & sonora vox, pectoris firmitudo, & copia verborum illi affluebat, ur majus aliquid supra naturam omnibus, qui eum priùs in urbe audierant, videretur. Porrò in Missionibus non tantùm audiendis in Templo confessionibus, quasi integrâ die; sed noctium etiam magnâ parte vacabat, propter operarios & agricolas laboribus suis per diem impeditos: & certam horam dabat instruendis Clericis in conscientiæ casibus, & officio Curatorum.

Quadam vice jussus à Superioribus equo ad Missionem suam uti; dum pontem malè compaginatum transiret, equus calcitrando prolapsus, caput in unum foraminum ità implicuit, ut retrahi nullatenus, ob nimias ejus angustias posset, nemóque hominum undiq; circumspectanti aderat, qui auxilium ferret. Ergo ad DEUM conversus, opem è cœlo fidenter implorat; cùm subitò equus, ùt erat ephippiatus, totum se per angustias illas penetrat, è quibus solum antea caput expedire nequibat, salvúsque ad littus oppositum, quò Pater jam præcesserat, fluvio innatans eluctatur. Miratus Pater rei eventum, ad visendum foramen revertitur: num fortè amplius, ad præstandum tam facilem jumento transitum, redditum fuerit; reperítque perinde ùt antè suis angustijs constrictum: ex quo cognovit DEI potentiam, quâ etiam per foramen acûs camelum perfacilè traducere posset. Aliàs iter equo in ijsdem expeditionibus Evangelicis agenti, locus occurrit uliginis profundissimæ, quâ unà cum equo, si subijsset, fuerat absorbendus; eam virore herbarum, uligini veluti solido prato innascentium, deceptus, jam jam ingrediebatur: cùm homo repentè è vicino exilir, clamoribus Patrem à progressu absterrens; cui periculi commonito ubi legirimum callem demonstravit, extemplò videri desijt: ur nihil iterum ambigeret Pater, Angelum fuisse vitæ suæ servatorem. Accidit eidem persæpe, solito alioquin iter omne orando & medirando expendere, ut cùm equus, priusquam orationem Pater auspicaretur, optimè procederet, sub oratione passu ferè quolibet calcitraret: quam dœmonis esse artem interpretatus, ubi tantò constantiùs DEO precando institit, dolos omnes veteratoris elusit. Ceterùm tam domi, quàm foris, majore industriâ se expendebat in pauperum & destitutorum obsequia, neque ferebat quidquam eorum sive animis, sive corporibus deesse. Resciverat fortè duas nobiles puellas in arcto constitutas, de prostituenda pudicitia propè deliberare; quarum miseratione inrimè ractus, subitò eas convenit, & omni conatu solari, atque ad fiduciam in DEUM erigere laboravit: dum paucis interjectis diebus tantum utrique ex piorum largitionibus in dotem collegit, quantum ad honestas nuptias contrahendas sufficeret. At verò de alterius personæ lapsu in carnis vitium intelligens, tanto luctu obrutus est; ut integri anni lacrymis deploratum, varijs assumptis pænitentijs eluere contenderit. Carcerum procurationem multis annis sustinuit, & causam singulorum diligenter apud Judices promovit: & nè alimonia in dies singulos necessaria deesset, benefactores & ipse sollicitè providit, & non raró cum Sodalibus Congregationis à se institutæ, ostiatim per urbem stipem corrogavit. Eandem charitatem præstabat verecundis pauperibus: ægros autem, qui Ecclesiam adire non possent, confessionis audiendæ causâ adibat hebdomadis singulis, cùm domi ægrotantes socios inviseret quotidie, neq; alibi quàm apud ipsos nocturnâ quietem caperet. Ingens eâ causâ quorumvis infirmorum erga Patrem fuit fiducia, nec facilè ullus decidebat in lectulum, quin illico cœlestem hunc Medicum accerseret; supēr quos recitato Evangelio, vel brevi dictâ precatione, passim plurimis illico sanitas cum viribus redibat.

Raram admodum verbis & dictis illius DEUS indidit efficaciam; fatebantúrque multæ & insignes personæ, quoties Patrem opus quodcunque pium, vel exercitium virtutis

sva-

ſvadentem audijſſent, ſenſiſſe animum Divinâ quadam vi ad illud ampleẻtendum inclinari; ità ut quietem nullam, nisì præbito aſſenſu, capere poſſent, licèt omni conatu in oppoſitum niterentur. Id quod manifeſtè patuit in graviſſimis apud multos extinctis odijs, quæ nullius alterius arte componi poterant. Erat homo notæ omnibus avaritiæ, augendis opibus toto animo immerſus; is ſemel duntaxat Patri ſua peccata confeſſus, ità deſiderijs ſuis immutatus eſt, ut omnem illam cupidinem in cœleſtes unicè theſauros ambiendos aſpernatus caduca omnia, tranſtulerit. Neque id mirum; nam Pater quoties ad confeſſionale deſcenderet, totum eò animum & cogitationem applicabat, ſibi firmiter perſvadens, à DEO ipſo illuc ſe evocari, ad pœnitentium animas, quas ipſe illi miſſurus eſſet, præ alijs omnibus adjuvandas: quare diligentiam omnem & curam cuilibet eorum, è peccatorum cæno efficaciter extrahendo, ità ſolicitè & prolixè adhibebat, ac ſi nullus præterea audiendus eſſet, ídque licèt confeſſionale quantâvis multitudine obſideretur: malebat enim in totum diem, & noctis partem, ſibi laborem extendi, quàm ſolâ abſolutione Sacramentali è præteritis purgatum, & nullo efficaci in futurum iiſdem evitandis remedio proviſum, ab ſe dimittere. Quoties demum contingebat ut videret, vel ſciret graviter à quopiam offenſum Numen, tanto cordis obruebatur dolore, ut morte ipsâ, & tormento quolibet acerbior illi videretur: neque ullam capiebat quietem, donec familiari alloquio conventum, ad pœnitentiam induceret. Graviſſimas idcirco à nefarijs paſſus eſt perſecutiones, calumnias, & detractiones, quibus tamen nunquam abſterreri potuit, ut vel uno puncto à ferventi ſuo zelo recederet. Erant mulierculæ aliquot venalis in publicum pudoris, quem tantò liberiùs proſtituebant, quòd à quibuſdam primoribus urbis foverentur. His à perdito mercatu eripiendis cùm Pater zelum omnem & induſtriam expendiſſet, demum feliciter omnes ad frugem reduxit: ſed eâ veſanorum procorum indignatione; ut fuſtes illi mortémque ipſam minarentur, nisì delicias ſuas cupidinibus illorum reſtitueret. Cùm verò mortem eâ causâ inferendam etiam in votis ſibi eſſe Pater reſpondiſſet, illi furore accenſi, tranſiturum certo loco ex inſidijs armati præſtolantur, ut interimant, nisì DEUS prodigioſo auxilio periclitanti ſubveniſſet. Dum enim ſtrictis enſibus irruunt, repentè in terram proſtrati, mortuorum inſtar ſinè voce, ſine halitu jacuêre, dum Pater ſedato greſſu præteriret. Quem idcirco ut ſanctum deinceps ſemper vereriti, & factum hoc ipſimet ſanctè teſtati ſunt.

Atque hæc in proximum charitas naſcebatur ex ingenti, quo in DEUM conflagrabat, amore, adeò ùt diceret, malle ſe omnia tormenta mundi & averni ſuſtinere, quàm uno veniali peccato Majeſtatem ejus, omni veneratione & obſequio digniſſimam, offendere. Ex eodem affectu ſummis deſiderijs avebat ſangvinem pro DEO fundere, & ſupplicia quælibet ſuſtinere, dummodo eâ re vel minimum DEO obſequium præſtaretur. Idem illum movebat ad loquendum ſemper non nisì de DEO, rebúſque cœleſtibus: quem à mente & cogitatione nunquam, medijs in occupationibus, dimittebat; & ex offenſis ejus dolore tantùm non contabeſcebat. Ex quo peccati, & omnis offenſæ DEI odio, ut purior ad Sacrificium celebrandum accederet, confeſſionem ſacramentalem præmittebat quotidie, unáque prolixam de Paſſione Chriſti meditationem: licèt eâ animæ puritate niteret, ut Sacerdos illi ordinariè à confeſſionibus, apud quem ſæpius generalem totius vitæ exomologeſim, etiam paulò ante mortem peregit, juratus affirmaverit, nunquam illum baptiſmalem innocentiam lethali culpâ maculâſſe. Domeſtici etiam & Superiores, quotquot ei pluribus annis convixerant, & oculo vigili actiones obſervabant, nunquam tamen in his defectum aliquem notâſſe, perſanctè teſtati ſunt. Paucis ante obitum diebus mandato Superiorum adſtrictus, ut ediceret, quid cœleſtium favorum in Miſſæ Sacrificio experiri ſolitus eſſet? reſpondit, ſub Conſecrationem Sacramentalem adeò vivam lucem de reali Chriſti ſub ſpeciebus Evchariſticis præſentia, ſibi à DEO communiter impreſſam fuiſſe, ut videretur ſibi id Myſterium non ampliùs fide duntaxat credere, ſed ſcientiâ comprehendere; cùm multorum annorum ſpatio Chriſtum ſub eis præſentem perinde intueretur, utì quis ſolet amicum coràm obverſantem contemplari. Et quidem pluribus vicibus ſpectandum ſe illi Chriſtus in Evchariſtia glorioſum obtulit, eâ ipsâ formâ, quâ redivivus à mortuis reſurrexit; ex cujus affectu totus colliqueſcens, progredi in Miſſa non poterat, ideóque in futurum quoad poſſet procurabat, nè in publico Miſſam diceret. Eam verò cùm nullo unquam die, quantâvis ægritudine vel negotio impeditus, omitteret; accidebat non raro, ut cùm ſacra indumenta ſumpturus ità titubaret, ut pedibus conſiſtere non poſſe videretur: ubi tamen Miſſæ Introitum

troitum exorsus est, veluti novis assumptis viribus, prosequebatur vigore planè expedito & excitato. Demum posteaquam saporem & gustum ciborum omnium ità perdidisset, ut dulce ab amaro, sapidum ab insipido nullatenus discerneret; in perceptione tamen SS. Sacramenti reficiebatur dulcedine inexplicabili, qualem à nullis terræ cupedijs refundi in palatum humanum posse ajebat.

Par virtutibus his erat Viri humilitas, quâ se DEO, & hominibus propter DEUM ex animo subjiciebat. Et quidem in adversis, persecutionibus, & doloribus omnibus, sub DEI manu ità humiliabatur, ut ab æquabili animi quiete nunquam deficiens, ità se erigeret: *aut DEUS hoc malum immittit, aut certè inferri permittit; ideóque aliud mihi quærendum, ut hoc declinem, non restat. Sit DEUS æternùm benedictus! DEI Majestas est Dominus absolutus, nos autem vilissima mancipia: ipsi gloria sit in sæcula!* ideóque nullo unquam casu adverso quidquam de animi tranquillitate amittebat, sui semper similis, & pacis internæ retinens. Ejusdem virtutis studio occultissimos habebat omnes DEI circa se favores, & paulò antè mortem chartas omnes, quibus gratias cœlitus perceptas mandaverat, igni cremavit: unde præcepto obedientiæ adstringi debuit, ut paucula aliqua, quæ proponebantur, manifestaret: addens nihil in se boni aut virtutis esse, quod alijs ædificationi foret, sed mera peccata & defectus; quæ si liberet, pronissimè se scripto explicaturum. Ajebat etiam vehementi se percelli stupore, quòd non omnes sputis & colaphis se impeterent, in supremam Majestatem adeò ingratum, & peccatis plenum. Singulare solatium præsefe-rebat, quòd corpore esset imbecillo & confracto: cujus causam alicui percontanti, respondit: *dicito mihi Frater, si quis hostem habuisset prævalidum & ferocem, vitæ suæ pertinaciter insidiantem, & mala omnia intentantem; nunquid non summopere lætaretur, si hunc repentè viribus fractum, enervatum, ut nihil adversi moliri posset, videret? quis verò major hominis hostis, quàm caro? quis plura nobis mala consciscit, quàm corpus? ideo meritò gaudere nos oportet, si hoc debilitari, penitúsque prosterni contingat.* Indè jucundissimum illi fuit subjici aliorum imperijs, quæ cæcâ penitus obedientiâ ad literam exequebatur: neque ferebat rationes mandati à Superioribus afferri, dicens: *obedientiam non rationibus, sed cæcitate in exequendo niti oportere.* Electus à Provincia, ut Procurator Romam discederet, cùm diem totum, quo solvendum erat, negotiorum domi forísq; conficiendorum causâ impransus transegisset, sub vesperam ad cœnaculum se conferebat, cibi quidpiam sumpturus; cùm Frater à Superiore missus ei denunciavit, oportere statim navim conscendere, nè opportunitatem solvendi negligeret. Cui promptissimè parens, nè bolo panis, vel aquæ guttâ delibatâ, ad littus descendit. Ægritudine prostratus, si re quapiam indigeret, nunquam tamen eam sibi dari porrigíve, licèt intrà Valetudinarium prostaret, ab alijs petebat, donec Valetudinarij Curator adesset, nè quid sinè ejus annutu faceret. Cúmque Patrum aliquis interponeret: *non opus esse in similibus Infirmarij facultatem præstolari, qui id non exigeret,* respondit: *si Infirmarius id non exigit, at mea obediendi in omnibus necessitas id requirit.* Insistenti verò, *obediendum cæcâ promptitudine Superioribus duntaxat esse, dum per se aliquid imperant, non item subordinatis & substitutis;* reposuit: *si quis gravi fame urgeatur, profectò non attendit, à cujus manu cibus sibi obveniat, sed cibum ipsum, & necessitatem, quam patitur. Nos omnes egemus obedientiâ, quâ veluti cibo ad vitam spiritualem nutrimur; ideóque non oportet advertere, à quo hæc nobis imponatur, cùm per singulos æquè DEUS imperet, sed simpliciter id quod præcipitur exequi.* Denique Regularum omnium tam exactâ obedientiâ per annos 52. in Societate fuit observator, ut de hoc à Superiore sub vitæ exitum rogatus, fassus fuerit, nullam ex omnibus unquam à se deliberatè & scienter violatam.

His adjecit mortificationem continuam sensuum, & potentiarum omnium, internam & externam. Nunquam enim aliquid odoratum olfactui admisit, neque florem ullum in manus sumpsit; sed è contra si malè olentia occurrerent, affligendo odoratui avidissimis naribus hausit. Oculos in faciem seu mulierum, seu adolescentum, non tantùm defixit nunquam, sed neque curiosa objecta advertit, adeò, ut ne dramata quidem scholastica, & spectacula in Gymnasio Collegij exhiberi solita, adire sustinuerit. Binis vicibus, quibus Romam Provinciæ nomine adijt, persuaderi nunquam potuit, ut monimenta quæpiam veteris ejus magnificentiæ, Palatia, vel hortos lustraret, aut solennitati ulli spectator adesset. Et nè delicatiùs auditum tractaret, omni musicâ in perpetuum audiendâ, novalibus, & curiosis narrationibus, sibi interdixit: quas si subinde sæculares ægrum invisentes recensere incepissent, cùm effugere non posset, subrepentem simulabat somnum; quem nè

nè interverterent, ſponte ipſi abſcedere cogebantur. Præ omnibus tamen ſuas palato negabat cupedias; & cùm pleriſque vitæ annis ex hectica & hydropiſi laboraret, quæ utraque perpetuam ſitim provocare ſolet, & appetitum frigidi humidíque; ipſe tamen annis viginti nullos fructus, aut quidquam præter Medici præſcriptum deguſtavit. Nullum unquam cibi genus, quo modiciſſimo fruebatur, ſale condivit, ſed plerumque cinere aſperſo inſipidum reddere ſtuduit: potu modiciſſimo unius ſcyphi aquæ contentus, pauculis meri guttis permixtæ, miniméque frigidæ, ut alijs deguſtata etiam nauſeam moveret. His addebat crudelem quot diebus flagellationem, cilicia, & ſuper nuda tabula noctibus cubationem, cui indormiebat fune cilicino ex ſetis contexto, nodoſóque accinctus. Quibus aſperitatibus, cùm non modicè ſtomachum debilitâſſet, conſtituêre Medici emplaſtrum toto ferè ventri involvendo, ad robur eidem reſtituendum: quod applicaturus ægrorum Curator, monuit funem illum cilicinum deponendum eſſe; quod cùm Pater impensè deprecaretur, emplaſtrum cilicio ſuperpoſuit. Quindecim diebus lapſis (tot enim Medici geſtari idem juſſerant) remoturus à corpore pharmacum Frater cùm adveniſſet, reperit illud unà cum cilicio in vivam carnem ità penetrâſſe, ut quemadmodum erat glutinoſum, & picis inſtar adhærens, unà cum pelle magnam partem revelli debuerit, Patre interim neque gemitu, vel ſigno ullo doloris acerbitatem prodente. Denique in prolixis, & acutis infirmitatibus, nullum unquam querulantis ex eo verbum auditum eſt, ſed tanta è contrà dolorum & afflictionum ſitis, ut ſi quis illi dies ſinè his lapſus eſſet, eum omnino perditum, quo indignus fuiſſet dici diſcipulus Chriſti, æſtimaret. Negabat enim Religioſum quempiam verè dominium ſuarum paſſionum obtinere, qui patientiâ in quibuſvis adverſitatibus deſtitueretur. Quare graviſſimis aliquando calumnijs à viro nobili apud Generalem Societatis accuſatus, rogatúſque, num Romam per id tempus à Provincia Procurator miſſus, de his ſe purgâſſet? reſpondit: *DEUS à me procul tam gravem tentationem avertat! ſufficit mihi rem totam DEO perſpectam eſſe, cujus manus ſi deforet, etiam in graviora prolabi poſſem.*

Orationi cùm eſſet deditiſſimus, manebat in ea plerumque ſenſibus omnibus abſorptus, eíque præter aliquot diurnas, pleraſque noctis horas, quod eſſet ſomni parciſſimi, tribuebat. Octo vel novem menſibus ante mortem gravi ægritudine oppreſſus, credebat ex ea ſe deceſſurum; quare cùm mortis meditationi ſe tradidiſſet, viſendum ſe illi obtulit ſanctæ memoriæ P. Sebaſtianus de Campo, prædixítque nequaquam eo morbo extingvẽdum, ſed laboribus adhuc ſanctis exercendum, quorum deinde paulò pòſt mercedem in cœlis recepturus eſſet; poſt quæ verba ſibi reſtitutus, penitus incolumem ſe deprehendit. Quoties autem DEUM pro felici cujuſpiam rei ſucceſſu precabatur; tam certus ſibi de proſpero ejuſdem eventu videbatur, ut dubitare non poſſet: ideóque illum perinde ſecurus prædicebat, acſi oculis præſentem intueretur. Ità quendam gravi ægritudine oppreſſum, ínque ſuas idcirco preces commendatum, aſſeveravit nequaquam illo deceſſurum; ſed multis annis ſuperſtitem, munus etiam Provincialis in Societate obiturum, quod & factum eſt. Perinde tempeſtatem maris, ab Italia in Sardiniam navigans, citra ullius navigantium jacturam, ſuperandam vectoribus prædixit, licèt ab ea everſus malus, & vela omnia deſiderata jam eſſent. Sed & procul abſentia, lumine Divino in oratione illuſtratus, perinde ùt præſentia intuebatur; quare exiturum die quodam ad cibaria comparanda in vicinos agros domeſticum fratrem rogavit, num aliquod benedictum numiſma penes ſe haberet? quo dicente, nihil ſecum deferre, præter illud, quod ex Roſario dependebat, cum effigie S. Ignatii: bene habet, reſpondit, ſatìs eſt, erit enim admodum opportunum. Vix ad deſtinatum locum pervenerat, cùm in primæ domûs ingreſſu puerperam reperit, ex partu in quartum vel tertium diem laborantem: cui applicatum ſacrum numiſma, illico doloribus, infantem ſemivivum enixam ſolvit, cui baptiſmus extemplò collatus eſt. Depoſitus ex gravi & diuturno morbo jacebat primogenitus Illuſtriſſimæ Comitis de Cedillo; in cujus cura cùm nihil proficerent Medici domeſtici, deliberaverat conſultum peritiores navigare Genuam, conſulto priùs P. Salvatore. Qui cùm primùm reſpondiſſet, adhiberet duntaxat remedia à Medicis præſcripta, séque illum DEO in precibus cõmendaturum: paulò pòſt iterum ſententiam ſuper itinere Genuenſi rogatus, edixit, poneret ſecura omnem ſolicitudinem, filium enim & victurum incolumem, & ſplendido potientem matrimonio plures poſt ſe liberos relicturum, multíſque à DEO beneficijs locupletandum: quæ omnia tandem completa ſunt. Pari certitudinæ Matronæ ſterili, & prole omni multos annos deſtitutæ, prædixit hæredem maſcu-

masculum: alteri verò consequendum Episcopatum: pluribus autem, quæ secretissimis cogitationibus agitabant, velut in aperto posita explicuit. Magno ambitu expetebant Indias aliquot è domesticis socij, ínque eam rem preces Patris ad DEUM expetebant: quibus ille die sequenti à persoluto Sacrificio edixit, responsum à Patre Generali octo dierum spatio affuturum, ex quo intellecturi essent, nemini ipsorum profectionem ad Indos concessam esse. Luctabatur ultimo cum morte agone Matrona, omnium opinione sancta, unius è socijs mater, cùm Pater sub horam orationis, nocte ejusdem mortis prævià, in spiritu abreptus, vidit splendidissimam Ecclesiam magno Angelorum conatu ambitiosè exornari: qui rogati, cuínam festo tam exquisitum pararent ornatum? responderunt, hunc à se adhiberi excipiendæ festivè animæ Helenæ de Flor (id erat Matronæ nomen) altero die morituræ. Id quod continuè Pater ejus Filio, priusquam de morte matris quidquam innotuisset, Sassarim perscripsit.

Evocaturus demum ad cupitam lauream servum suum Dominus, in eodem sudorum campo, ubi plurimum laboràsset, heroicè illum concidere voluit, occasione Communionis generalis, quæ ad primam Januarij annò 1624. in Societatis Templo instituebatur. Cùm enim pridie ingentem pœnitentium multitudinem, licèt gravi catarrho oppressus, magno labore pro sacro tribunali expiàsset, calentissimo æstu oppressus, sermonem nihilominus ad Sodalitatem Clericorum habuit, quo ultimùm eis valedixit, jussus à Medicis lectulo se continere. Totum autem ægritudinis tempus orando ferè & meditando traduxit, quotidie Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ refectus, neque ullum sermonem, nisì de DEO rebúsque supernis admisit. Receptâ ad 20. Martij extremâ Unctione, quam tamen minimè tum adhuc necessariam asserebat, singulis deinceps noctibus petijt sibi animæ supremam commendationem, velut actu morienti, prælegi; intolerabilis sitis tam æquanimi tolerantiâ, ut licèt ab ea animam sibi exuri diceret, nihil tamen ullius potûs à primo vespere, ad matutinam usque horam, S. Communionis reverentiâ, sumere vellet. Ad extrema deductus, adstantibus socijs dixit, non posse satìs declarari angustias, quas mors afferret, homini etiam probo & sancto, cujus demum omnia merum spirarent horrorem: tandémque animam suam hortatus ad exeundum obviam Domino, cui tot annos fideliter servivisset, in sacris JESU & MARIÆ nominibus expiravit 27. Martij, ætatis anno 73. Religionis 53. Vultus demortui videbatur cœlestem quandam amœnitatem, humanâ majorem spirare; ut adeò magnâ custodiâ occultè servari corpus debuerit, nè ab occurente multitudine, quæ velut sanctum jam tum in vota vocabat, diriperetur. Ubi tamen ad mandandum terræ cadaver est ventum, eâ violentiâ multitudo in portitores irruit, ut vestitu omni direpto, octonos è manibus & pedibus digitos, dentes omnes, & partes carnium hinc inde in sacrum pignus resectas, abstulerit. Neque verò cum morte desijt in mortales beneficus esse: Religiosa certè persona graviter ob falsas sui criminationes afflicta, sanctè asseruit, binis sibi vicibus Exercitiorum tempore spectabilem Patrem affuisse, formosa in nube lucidissimis radijs conspicuum, monentémque, nè iniquas sui delationes in pœnis, sed in donis Divinis connumeraret, quæ DEUS ipsi ad coronandam ejus patientiam offerret. Alteri verò personæ, virtute & sanctimoniâ spectabili, quater aut quinquies gloriosus apparuit cum immenso splendore, unà cum Patre Sebastiano de Campo, asserens, utrumque gloriâ Beatorum perfrui, ad quam & ipsa ventura esset, si in bene cœptis constans perseveraret.

Nec defuêre miracula, ad merita Patris apud DEUM interponenda confugientibus, cœlitus in prodigiosis beneficijs concessa. Leonardus Pirillenus Societatis JESU Coadjutor, multo tempore toto corpore acutissimis doloribus exagitatus fuit, ut exinde membris omnibus captus, non tantùm ad laborem quemvis ineptus, sed etiam vel ad gressum figendum inhabilis esset. Cùm verò die proximo à morte Patris 28. Martij, dolores hi, capitis præcipuè, in immensum crevissent, ut tempora sibi acutissimo acinace perfodi viderentur; sumptum reverenti osculo linteum, quod P. Salvatori servierat, capiti afflicto circumdedit, dictóque ejusdem honori ter Pater & Ave, magnâ fiduciâ & simplicitate illius auxilium invocavit, exclamans: *ô Pater mi, ô sancte mi Pater! in hoc experiar an cœlo receptus, & Sanctorum numero accensus sis, prout omnes existimant.* Mirum dictu! vix linteum caput attigit, cùm dolor omnis momento extinctus, artus omnes ità vegetos & robustos reliquit, ut mox laboribus se restituere, & saxa ingentia structuræ ædificij convehere posset. Joannes Franciscus de Olia Sacerdos & Theologiæ Licentiatus, juratus asseruit, sorori suæ Joannæ de Olia ex gravi ægritudine usum oculi unius penitus ereptum

ereptum fuiſſe, cùm facies ità intumuiſſet,ut oculum unum tumor penitus obnuberet, & alter jam in periculo eſſe inciperet, quo non niſi digitis violentè divaricato intueri poterat. Habebat illa particulam telæ ex indumentis ſepulchralibusPatris ſubreptam,quam magnâ veneratione, tanquam exuvias S. Viri proſequebatur: quare illam, dictô honori Patris ter Pater & Ave, affecto veluti reverenter applicuit, ſubitóque unius horæ quadrantis ſpatio tumor omnis cum dolore receſſit,oculúſque ùt antè illimis & perſpicuus uterque emicuit; domeſticis omnibus miraculum, & prodigium evidens acclamantibus. Simile beneficium in reparato ſubitò oculo ſiniſtro experta eſt Domina Angela Sanatella, cujus palpebræ innata gravis vomica, ex contactu Patris reliquiæ confeſtim depulſa eſt. Contigit aliquando Seminarij Societatis adoleſcentes in agros animi causâ exire, cùm in fœminam inciderunt ſecus vineæ ſepem humi prolapſam, & ſenſibus omnibus inſtar emortuæ deſtitutam. Eam cùm variè ad ſenſum reducere fruſtrà tentâſſent,fruſtulum tandem è veſte Patris demortui ſublectum quidam illorum protulit, & pectori fœminæ ità feliciter admovit, ut eodem momento ſibi reſtituta, ſana & vegeta conſurrexerit. Rogata ab his, quid mali paſſa fuiſſet? inexplicabili dolore cor ſibi opprimi ſenſiſſe reſpondit, qui ſibi videbatur quaſi violentè à corde revelli, ùt primùm eorum quiſpiam pectori ſuo manum applicuit. Edocta dehinc in admoto panniculo mali ſui opitulatorem, non ceſſabat gratiam expertam prædicare, & DEUM in Viro ſancto dilaudare.

Joanna Angela Grandineta, nutrix filioli Comitis de Cedillo in Urbe Algver, intolerando lateris dolore, cum ingenti æſtu conjuncto, opprimebatur; ut nocte quadam morituram ſe omnino crederet. Sed memor adeſſe in domo fruſtum è veſte P. Salvatoris, illud ſibi admoveri magnis precibus flagitavit, impensè Viri S. patrocinium implorans: & primo mox ejus contactu, malum omne ità penitus diſpelli experta eſt; ut ſana lectulo conſurgere, & primo manè templum Societatis adire potuerit, gratias ſoſpitatori ſuo ad ejus tumulum pro beneficio redditura. Idem penitus ejuſdem reliquiæ admotu remedium experta eſt, altera è famulitio ejuſdem Comitis pediſſequa, dicta Maria Piredda, quando momentô capitis dolore & calore graviſſimo liberata eſt. Michaël Angelus Polo Saſſari natus, quòd membris omnibus inſtar paralytici ità captum ſe ſentiret, ut multo tempore commoveri ſuis viribus nequiret, vehementer ſancti Viri precibus commendari, & quidpiam ex ejus reculis ſibi concedi expetijt. Vix illud in manus venerat, cùm repentè membris omnibus vigorem, agilitatem, & robur ità redire perſenſit, ut continuè locum ſex milliaria Saſſari diſſitum progredi,indéque pedibus redire potuerit. Similis è veſte Patris panniculus Conjugi Gavini dela Roca, Saſſari ex partu duodecim horas periculosè laboranti, & à Medicis unà cum prole conclamatæ, applicatus; eodem momento partum facillimum expedivit. Franciſca Fraſſu, itidem Saſſari, graviſſimo dolore gutturis & maxillarum conſtricta, ut vix potum etiam ſorbere poſſet, quietis & ſomni penitus expers: ùt primùm tamen pileolus, olim in uſu Patri habitus, capiti à matre impoſitus fuit, poſt ſvavem horæ quadrante ſomnum,integrè ſanam, & malo omni ſe expeditam gratulata eſt. Franciſca Cervello Ferreras Algverienſis juramento aſſeruit, quòd multo tempore ex gravi apoſtemate laborans, neque ullam quietis partem ab intenſis doloribus reperiens, cùm medicinis malum creſceret magìs quàm minueretur; ubi tamen è veſtimento Patris particulam affecto pectori admovit,eodem momento doloris omnis & apoſtematis expertem ſe deprehenderit. Nicolaus Suzarello ex maligno æſtu,capitis doloribus, & oris inflammatione à Medicis depoſitus, ultimum remedium ab reliquijs ſervi DEI expetijt; itáque feliciter invenit, ut momentô malum omne evanuerit, ineffabili ſimul dulcedine cordi ejus de cœlo affluente, quæ oculos in gaudij lacrymas copiosè diſſolvit. Parem effectum ſortita eſt Catharina Esgrechio, cui piè adhibita Patris reliquia,incurabile Medicis & Chirurgis apoſtema extemplò depulit: & Perſona Religioſa, quam moleſtiſſimâ carnis tentatione diu vexatam, idem remedium ab hoc dœmonio in perpetuum liberavit.

Neque minor obvenit gratia Roſæ Saminedæ, annis 22. deformiter claudæ, quando applicato tibiæ de veſte Patris fruſtulo, ſenſit illico nervos veluti extendi, & citra ullum dolorem rectitudinem pedi reſtitui, ut mox exilire, & deinceps æquabili conſtanter greſſu incedere poſſet. Quo eventu excitatus in ſpem virginis Parens, & ipſe duriſſimo capitis dolore à pluribus annis exagitari ſolitus, invocato Viri DEI patrocinio, continuè liberum ſe omni moleſtiâ gaviſus eſt. Urgebatur in Æde S. Auguſtini ſacris exorciſmis ad exeundum ab energumena dœmon; quibus parum proficientibus, præſentes fortuito Ma-

tronæ

tronæ nobiles, Maria Angela, & Helena de Ansaldo, particulam de reliquijs P. Salvatoris secretò illi appenderunt: ex quo cùm longè atrociùs furere, spumare, solóque miseram allidere cæpisset; adjuratus à Sacerdote, ut causam novæ hujus sævitiæ ediceret; acerbissimè torqueri se, & ad recedendum cogi respondit ab reliquijs P. Salvatoris, Viri sancti, & inter Cœlites recepti, quas sibi recèns admovissent. Sebastiana Nulla ex incauto in focum ardentem lapsu, manum gravissimè adusserat, acerbissimis indè doloribus exagitata, ut nullam quietem capere posset. Et quia pauperi nulli ad curam sumptus aderant, magnâ fiduciâ cum lacrymis ad patrocinium Servi DEI conversa, illico advertit doloris omnis sese expertem; manúmque fascijs evolutam intuita, vidit noxæ cujusvis, etiam cicatricis penitus vacuam, perinde quasi nihil damni passa esset. Quo beneficio animata, cùm diu pòst mortiferum & incurabile apostema miseram prostravisset, solâ Salvatoris invocatione illud momentô resolvit. Gavinus de Abopi in reditu ab Italia gravissimam maris tempestatem expertus, quâ cum vectoribus navim penitus interituram credebant omnes; ùt primùm particulam de reliquijs Patris reverenter mari immersit, procella omnis subsidit, & tranquilla serenitas Oceano redijt. Anna Suzarelle Algverienſis calente febri, stomachíque continuâ nauseâ ad extrema deducta, admotâ pectori Salvatoris reliquiâ plenam illico sanitatem: & Sebastianus Fadda Sassariensis à tertiana liberationem, consecuti sunt. Denique Persona illustrissimæ prosapiæ sub juramento testata est, Patrem etiamnum in vivis agentem, cùm domum suam die quodam accessisset, intuitum filiolam suam teneræ adhuc ætatis; & tum propter elegantiam formæ, tum ob alias animi naturæq; dotes in magnam spem educatam, quæsivisse, quod nomen esset puellæ? cúmque diceretur Claram vocari; subjecisse cum suspirio: *nolite eam vocare Claram sed obscuram.* Attonita hac tristi denunciatione Mater, nimiùm deinde à morte Patris vaticinij veritatem experta est, quando gravissimis calamitatibus exagitatam filiam, in clarissimis natalibus perpetuas afflictionum & dolorum tenebras pati videre coacta est. In quibus tamen sæpius præsentem Patris opem sensisse, eadem asseruit, quando tam illi, quàm pluribus alijs è familia personis, graviter ex capitis dolore laborantibus, impositus ejusdem pileus, langvorem omnem illico abegit. Atque hæc paucula è multis miraculis retulisse sufficiat, quæ legitimè Juridicâ informatione examinata, Romæ in Tabulario asservantur.

Ex Nierembergij Tomo 4.

P. JOANNES BENNETTUS.



Editus in lucem est Pater Joannes Bennettus in Comitatu Flintiensi Angliæ, Diœcesis S. Asafi, maximè Boreali, & Sacerdotio initiatus redijt in Patriam, ut operam & vitam ejus saluti procurandæ impenderet. Carebat quidem is singulari ingenij sublimitate & doctrinâ; sed pensabat hanc tenuitatem eminentia virtutis, & mores bene mirabilitérque compositi, nihil ut eo mitius & affabilius, nihil modestiæ Cœlitum pietatíque esset similius. Commendabat has Juvenis virtutes ipsa quoque oris pulchritudo & placidissimæ consvetudinis ratio, ac super omnia animus ingens & promptus in quoscunque casus & pericula: quibus ad salutem animarum præsidijs tam fructuosè in Provincia Worcestrensi felicitérque utebatur; ut indè ex singulari incolarum pietate & constantia, Reginæ ministris suboluerit, raræ aliquem doctrinæ ac virtutis Sacerdotem ibi versari. Itaque tot vestigijs pertinaciter illum indagârunt, donec in suos tandem casses inducerent, cum familiaribus aliquot recèns ad Ecclesiam reductis: à quibus Beawedlei ad usque deliquium animi tortus est, ut funes laxari, & semi mortuum aspersâ in faciem aquâ medicatâ identidem refocillari necesse fuerit, quò vitâ integratâ pluribus torturis sufficeret. Flintum traductus, & in examen coram Pseudo-Episcopo S. Asafi, & Georgio Bromlego adductus, sic pro Religione & Ecclesiæ Romanæ primatu respondit, ut extricare se ab ejus argumentis Episcopus nequiverit, & non semel obmutuerit: evidensque hinc fuerit, præstitisse famulo suo Christum quod promiserat: *daturum se os & sapientiam, cui non possent resistere omnes adversarij.* Porrò in illo multarum horarum congressu generosè, & procul omni ambiguo metu Catholicum suum sensum protulit de primatu Pontificis, quem injustè à Regina affectari asserebat, fatendo etiam se Sacerdotem esse, à Vicario Christi ad animarum lucra illuc transmissum; & hæc insuper proprio chirographo contesta-

ta



P. Joannes Bennettus, S.J. Anglus, ob Animarum zelum, carcere, varijsq; tormentis excruciatus, vitam finivit Londini, die Natalis Domini. Anno 1625.

J.G.H. del. 124. W.P. Kilian Sc.

ta tradidit. Quare nemo ex adſtantium turba dubitabat, quin conclamata eſſet ejus vita, & pro applauſu dolentes admurmurabant: *Joannes, ſit tibi DEUS auxilio!* quibus ille hilaris reponebat: *& vobis DEUS ſalutis ſempiternæ curam largiatur, & ad ſe benignè revocet!* Die poſtero ad tormentum abducitur, Nicetæ perſimile, quali ſcelerata gentilitas cruciatuum omnium victores Chriſtianos ſolebat ad defectionem ſollicitare, & quô non poterat deteſtabilius Sacerdoti verecundo atque innocenti inferri. Concluſo in anguſtum cubiculum, juvenum manus inducitur inquinatiſſima, & ex omni concreta obſcœnitatum luto, tametſi nobilis. Hi impudentiſſima quæque verbis & actibus impuriſſimè exercentes, in oculis Sacerdotis caſtiſſimi proſcenium omne turpitudinis aperiunt, cujus non poſſet corporatus dœmon agendo aſſequi fœditatem, & deinceps Pater jam ſenex nunquam ſinè ingenti horrore meminiſſe illius poterat: tunc verò totus in lacrymas & ruborem ibat, inſultantibus tantò magìs ſpurcis juvenibus, & fœdiſſimam ſcenam urgentibus, quò Joannis oculos & verecundiam torquebat hæc intimiùs. Ludo tandem probroſo ſaturi abſcedunt, Joanne miſeram deplorante, quam edit hæreſis in ſui ſequacibus omnis honeſti ſtragem; ut quibus omnem non ſolùm auferat flagitiorum interiorem ſenſum, ſed innatum quoque mortalibus omnibus pudorem, qui ſolet in nobilitate vigere acutiùs, & quidquid vel minimùm decet, averſari.

Poſt hæc 19. Novembr: An: 1583. reos inter complures variorum criminum in catena Judicio publico ſiſtitur, juſsúſque de more

re manum attollere, quantum potuit extollens, *ecce! illam*, exclamavit: *in testimonium Gentibus & Judæis!* sed abrupit clamoribus plura loqui volentem Bromlegus; nec illi quidquam deinceps publicè profari concessum est, ob singularem vim, nimiúmque perspectam errores confutandi efficaciam, nec ora Judicum pertimescere solitam, nec eorum potestate terreri. Flintense igitur in castellum remisso, & subterranei carceris altâ specu sepulto, tibijs ex ferro vectis duplex additus est, quo ad 15. Januarij cruciatus in alium transcribitur carcerem, priore haud paulò deteriorem. Hujus Custos Archinus posteaquam omni convitiorum genere mediâ horâ innocentem proscidisset, crassâ manus ambæ stringuntur manicâ, pedes solo duobus affiguntur funibus, corpus omne tortorum valido robore in sublime tenditur, ùt in equuleo: cúmque 9. horas tortura durâsset, ad mensuram insuper digitorum quatuor distendi jubetur, horrendo corporis jam fracti cruciatu, sed magnitudine animi vegetâ, neque dolores suos vel tenui gemitu laxante. Quo tempore sexcentis appetitus contumelijs & sannis, cùm improbissimum è servis quendam advertisset mille probris in se ludentem, loca diversa etiam è sacris paginis sarcasticè detorquere: *heus tu*, vicinum interpellat carnificem, *at video animosus hic de Oxoniensi Academia Doctor Scripturæ studio Theologico addictus, ambit mecum certamen de Religione: illum ergo quæso in cathedram ex adverso attolle, meæ huic persimilem, ut pari conditione & loci prærogativâ depugnemus.* Exaruêre illico ad hanc petitionem ventosa verba in ore juvenis: Bennettus verò, nam imminebat nox, luxatis ossium commissuris quia pedibus ex tortura insistere non poterat, carnificum manibus in specum reportatus est, ubi dies decem inter dolores nervorum sævissimos jacuit immobilis.

Perductus post hæc est ad alium quendam fori ministrum Amicium nomine, à quo placidè primùm increpitus de pertinaci eorum silentio, quos ab hæresi restituerat Ecclesiæ; hospitum item suorum, & quorum liberalitate aut familiaritate usus esset ad vitæ subsidia, quibus prodendis horarum novem tormento adduci nequîsset: *sed enim*, subjecit deinde jam sævus, *à Senatu jussus sum eas tibi machinas adhibere, quæ tibi pertinaciam eximant. Et ego*, reposuit Pater, *à DEO jussus sum non timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Cras*, replicuit Amicius, *lingvâ longè diversâ loquemur.* Fuit autem hæc loquela iteratio tormenti prioris, tantâ dolorum atrocitate aucti, ut ultra tres horas produci non potuerit, cùm antea novem tenuisset: ringente, & velut œstro percelleretur, huc illuc cursitante Amicio, quòd verbum nullum proditorium ex Patre exprimeret. Denique carcere se proripiens, brevi morâ redijt cum Zwingliano ministello, DEI servum in suis æstuantem cruciatibus ad disputandum stolidè invitans: at ipse: *non mihi*, inquit, *nunc commodum, nec circulatorum hoc theatrum est. Abundè sint vobis provocationes Campiani æquæ & justæ, vestro cum magno pudore à vobis rejectæ.* Exclamat furens Amicius, & diras mille in Christi evomit Sacerdotem, exprobrans non posse Regnum cum hoc genere hominum subsistere, totos esse in tumultibus ciendis, & subducendis à jure Principum populis. Cui repentè Bennettus: *atque hic ipse Regni vestri status, cui evertendo, ùt creditis, adlaboramus, si me spes non fallit, velitis nolitis ruinam trahet quam nos impellimus. Unum enim & solum Religionis vestræ falsæ statû ad hoc evertere contendimus, ut Catholicam & veram in avitum restituamus thronum; hoc nos toto sangvine & sudore molimur, quod ubi DEO propitio à nobis confectum fuerit, habituri sumus filios vestros tam sanctæ operæ laudatores, etsi vobis nunc invisi omni crudelitate impugnemur.* His & alijs id genus ultro citróque dictis cùm Amicius irâ rumperetur, toto illam furore in DEI servum exeruit, jubens illum distendi, distrahíque omnes ossium juncturas eâ violentiâ, quam si tribus plus horis protulisset, actum erat de vita, cedebátque anima de corpore modis tam atrocibus lacerato. Horas verò illas in DEI laudibus, in professione Catholicæ veritatis cùm implêsset, refertur in ergastulum, indè Londinum ad novum carcerem.

Septembris demum 24. A. 1585. cum Sacerdotibus 30. in exilium pulsus Rhemos se recepit: ubi impetratâ maximis votis Societate, Tyrocinium Virduni auspicatus est anni sequentis 6. Sept: annos jam natus 36. quibus totidem superstes tres insuper addidit, quorum ultimos 35. exegit in Anglia. Licèt enim acres incussérint minas Regij illâ, quâ exilium promulgârunt sententiâ, perduellium supplicio luiturum si quando in Insulam redierit; nihilominus spretis periculis omnibus reditum à Superioribus impetravit. Et DEUS, cui placuerat antea ejus magnitudine con-

constantiæ Anglos animare ad debitam Fidei æstimationem & defensionem; voluit postmodum ejusdem sudoribus Catholicorum in ijs augeri numerum & ardorem: in quorum assidua cultura ad annum ætatis 75. laboravit senili virtute, alacritate juvenili, spiritu planè Angelico, quem illa temporum poscebat calamitas. Palmis demum omnibus insignis, quæcunque possunt hominem verè Apostolicum ornare, opprobrijs, vinculis, cruciatibus, laboribus, animarum lucris, heroicis virtutibus, Londini sanctissimè obijt, die Christi Natali 1625. magno Catholicorum luctu, qui in eo Virum sanctum, Confessorem antiquum, & vitæ integritate notissimum venerabantur.

Ex Anglia Bartoli & Henrici Mori.



P. Petrus Cotton S.I. in Gallia Norondæ illustri prosapiâ ortus, Regis Galliæ Henrici Confessari9, ob Sectarios acerrime impugnatos sæpi9 de vita periclitatus. Obijt Parisijs 19 Martij. A.º 1626. Ætatis 63.
115.

P. PETRUS COTTONUS.


NAtus fuit Pater Petrus in Gallia Norondæ 7. Martij Anno 1564. Patre Gvichardo, Oppidi illius Pro-Rege, Gubernatore, & Chenoveusij Domino, à quo hæreditarium in sectarios omnes odium traxisse videtur. Rodumnæ datus in disciplinam Magistro, qui Calvinum clàm sequebatur; ubi primùm id subodoratus est, parentem admonuit, mox ab illo abstractus. Adhæsit illi tamen à Magistro impressa in Societatem JESU aversio tanta, ut occursum etiam atque aspectum nostrum omni contentione vitaret: & Pari-

Parisijs compulsus à Sodalibus aliquando in aream Collegij intrare, id pro magna noxa die sequenti confessus est. Operam Philosophiæ dedit Parisijs; Jurisprudentiæ Biturigibus; studia deinde eadem Taurini prosecutus, magno ubique pietatis & innocentiæ exemplo, meritus ab Angelo Custode moneri, nè in fluvium lavandi sui causâ Taurini descenderet, qui occulto gurgite duos illâ ipsâ die juvenes hauserat. Interim in nostrorum sensim consvetudinem adductus, cùm de statu vitæ deliberare cœpisset, illam ipsam præ alijs vitam elegit, quam tantopere diu fuerat aversatus. Aronam igitur ad tyrocinium missus, cùm ageret annum ætatis 20. Parentis molitiones, quibus eum omni studio conatus est abstrahere, suâ constantiâ fregit. Quo per omnia virtutum exercitia peracto, Mediolani Philosophiam recoluit: ubi à pia quadam Virgine, quam datus Sacerdoti comes adierat, admonitus est, ut humilitati studeret impensè, nisì vellet sibi olim & Societati perniciem afferre, quando magno Regi futurus esset in pretio: quod monitum veluti cœlitùs datum magno deinceps habuit in pretio, cordíque sumpsit. Romam vocatus ad Theologiam, à Patre Nicolao Bobadilla uno ex primis decem sancti IGNATII socijs, hoc epiphonemate in primo complexu exceptus est: *hic Gallus pluris erit quàm decem Hispani.* Post annum remissus in Galliam, reliquum Theologiæ Lugduni confecit. Morum illi ac sermonum summa erat svavitas & moderatio, & cum summa humilitate conjuncta de alijs magna existimatio, sic ut nulli esset molestus, contristaret neminem, sibi uni durus & asper, Superiorum observantissimus. Erga DEUM & Divos tenerrima ferebatur pietate, in conspectu Divino & Angeli Tutelaris præsentia semper ambulare assvetus, cui adorando medijs noctibus crebrò surgebat, somni semper parcissimus. Sacerdotio initiatus, cùm eluceret in eo magna dicendi gratiâ, & memoria ad miraculum usque vastissima, jussus est per Quadragesimam A. 1592. publicè concionari: id quod tantâ præstitit commendatione, ut abinde nunquam concionari desierit, & Quadragesimas omnino 35. concionando absolverit, explicandis simul conscientiæ quæstionibus, aliísque munijs Societatis nihilominus occupatus. Aquis sextijs invidiâ primarij Viri coactus Anno 1598. medium Quadragesimæ cursum abrumpere, nullo molestiæ ob eam injuriam dato indicio, ad oppidulum Avisænum profectus operam suam Rusticis libenter impendit. Hìc visus est sæpius inter orandum radiato capite, totóque corpore miro fulgore coruscans: quo ipso tempore primùm cœpit inter orandum acerbiùs à dœmone vexari dissonis vocibus, fœtoribus, spectrorum ludificationibus, quas ipse contemptu hostis, constanter orando, superabat.

Gratianopoli anno sequente venit in familiaritatem Domini de Lesdiguieres adhuc hæretici; per quem innotuit Henrico IV. Regi: multáque ibi bella cum vitijs, multa cum hæreticis ministris suscepit, & à martyrio vix latum ungem abfuit. Nam admissus ad illum opifex quidam mechanicus, velut consulturus de Fide, in fauces involavit elisurus animam, nisì ad strepitum excitati vicini accurrissent. Nemausi quoque cùm in ministros acriùs inveheretur, jámque plebis cœpisset animos ad fidem mollire, & famæ & vitæ subijt haud unum discrimen: quibus tamen minimè, ùt ipsi voluissent, loco cedens, etiam stabilem ibi Socijs sedem fixit. Hìc in una cum ministris disputatione omnes admirabilitate suæ memoriæ fecit attonitos: nam cùm minister plurimas Sanctorum authoritates contra transsubstantiationē ex inopinato recitâsset, obrutum his iri Cottonum ratus: ille pauca prolocutus, omnes ab ultima ad primam verbotenus retexuit, explicavítque. Gratianopolim revocatus, indéque Massiliam, mox Aquasextias; ubique mirabiles fecit motus animorum, & corruptissimorum morum castigationes. Anno 1603. ad Regiam ab Henrico IV. accitus est, qui Societati in Galliam revocandæ ab exilio videbatur initium dare: venientem Rex arctè complexus longo colloquio detinuit, auditúmque aliquoties pro concione, cùm ipsi mirificè atque Aulæ universæ placuisset, ad suas etiam confessiones adhibuit. Cùm verò Arelatensem postea illi designâsset Episcopatum, constanter respuit; adeò Regis animo occupato, ut eum suo aliquando curru Rex ad Templum evexerit; & manu prehensum, suggesto, ut concionaretur, admoverit. • Quibus favoribus nihilò insolentior factus, gratiâ Regis vix aliàs usus est, quàm ut altiùs illi de ritibus Ecclesiasticis existimationem imprimeret, & quàm plurimos è primarijs Aulæ adduceret ad Christi ovile. His denique in rabiem acti sectarij, cùm aliquando sub noctem domum reveheretur, sicarius curru post tergum conscenso altum illi vulnus per humerum ad pectus inflixit, quod nè lethale foret, B. Virgo gladio in partem dimoto effecit. Rex facinore comperto, dolore percitus, Regiâ

Cot-

Cottonum curâ procurari jubet, dicebátque, optandum potuisse videri hoc vulnus, ut ipse intelligeret, quantum ab hominibus; & homines, quantum ab ipso Cottonus amaretur. Paucis diebus persanatus, concioni ferventiùs se reddidit, & frequentibus appetitus calumnijs, tam æquo ac placido vultu inter ea discrimina, quàm solebat inter sacra, versabatur. Cardinalem purpuram, quam Rex illi magnis votis destinabat, ità deprecatus est; ut Regi persvaserit, nè sibi quidquam etiam impofterum dignitatis Ecclesiasticæ procuraret. Delphini tamen eum educationi prœfecit anno 1608. quem in eam pietatem instituit, quâ Regnum postea diu perfruitum est. Retinebat autem inter innumera Aulæ negotia (frustra sæpiùs Missionem ab ea precatus) tam immotam animi tranquillitatem, tantam Divinis in rebus collectionem, ut P. Barisonus indè Romam regressus, nullum se diceret ex ea Aula referre miraculum grandius, quàm illam Cottoni liberrimam occupationem. Anno 1609. mirabile à DEO donum, & in omnem deinceps vitam constans, consecutus est; ut vel inter domiendum, expedito rationis usu familiariter cum DEO ageret, atque oraret. Anno subsequente, crudeli parricidio sublato Rege, inter pias lacrymas, & vota pro ejus salute concepta tantâ fuit animi æquitate, ut nihil de instituto sive meditandi, sive cum proximis agendi, sive libros scribendi, mutaverit: cui Regina Mater institutionem mox pueri Regis commisit, ut simul etiam à confessionibus illi esset & concionibus, unde novus in illum depluit nimbus calumniarum, sed sicut in rupem. Circumspectabat ille semper opportunitatem discedendi ab Aula, quòd vitæ quietioris incredibili desiderio teneretur, donec anno 1617. bonâ Regis veniâ impetratâ Lugdunum abijt ad tyrocinium, sui, ùt ajebat, colligendi causâ. Sed adeò illi non fuit hoc otium otiosum, ut excurrendo in viciniam per annum 1618. conciones 220. publicas habuerit ad populum, ac longè plures ad diversas familias Religiosas.

Anno 1621. Burdigalensis Rector simul & Concionator declaratus est, & 1623. Aquitaniæ Provinciæ Præpositus, iterúmque pòst Franciæ Provinciæ; multis lacrymis tum quietis suæ jacturam, tum tempestatis quam sibi isthic & Societati imminere divinitus acceperat, atrocitatem deploravit. Quo tempore minas illi permultas aspectabiliter dæmon intentavit, ipso mirante, quòd adeò multùm illi DEUS tunc permitteret. Paravit igitur se ad tempestatem excipiendam, atque unà ad mortem, obitâ generali totius vitæ confessione, & spiritualibus per octiduum exercitijs. Nec multò pòst allatus ex Italia liber à Societatis viro dicto conscriptus, Senatûs decreto abolitus est; & mandata quædam ab eodem Senatu Cottono allata, quæ suis omnibus ediceret observanda: inter quæ ipse febri tentatus, paucis diebus, Sacris omnibus procuratus, placidissimè expiravit Parisijs 19. Martij anno 1626. ætatis 63. tanto hominum concursu sepultus, ut exequiarum Ordo teneri nequierit, omnibus certatim ad manus pedésque osculandos, & rosaria corpori ad venerationem admonenda, decerpendásque reliquias, affluentibus. Eâdem quâ decessit die, Nancæi mors ejus per energumenam innotuit: ipséque Valentiæ multâ se luce conspicuum piæ matronæ ostendit, tribúsque alijs Rodumnæ, & quibusdam Lutetiæ cùm sepeliretur. Vir enimvero fuit omnibus virtutibus ornatissimus, sed eluxit præ alijs fidei promovendæ ardor, & indefessum studium, quo plurimos è sectarijs ad Christi ovile, etiam pervicacissimos, ex Principibus etiam Regni familijs reduxit; dicere solitus, hæreticos pertinaces vel obsideri, vel possideri solere à dæmone; ideóque acturus cum talibus, dæmonem priùs semper occultè exorcismis aggrediebatur, à quo contra Religionis veritatem incenderentur: quâ praxi experiebatur illos deinde mirè obsequentes & pronos. Nec contentus hæresim concionibus & sermonibus insectari, illam etiam solidissimis libris persecutus est. Scripsit enim præter alia Institutionem Catholicam libris 4. adversùs Institutiones Calvini; defensionem Concilij Tridentini; Epitomen Controversiarum; Librum contra Ministrum Rigordum; de Missæ Sacrificio contra Ministrum Gratianopolitanum; Apologiam pro Matre DEI; Genevam plagiariam, & alium librum inscriptum Relapsus Genevæ plagiariæ; Epistolas Apologeticas de fide Catholica adversùs Danielem Chamierium; Acta disputationis cum Chamierio; de modo agendi cum hæreticis Instructionem; Concordiam utriusque Religionis, quod Opus Romæ non Cardinalibus modò, sed & Paulo V. Pontifici cùm placuisset, edi jussum est; Devotionem Calvinistarum; Colloquium coram Rege Henrico IV. habitum cum Rigardo Ministro, præter alios complures pios libros ad Catholicorum pietatem excitandam. Eluxit in eodem maxima in DEUM fiducia, amor & devotio in Christum hominem, cujus nomini fatebatur se

ſe nihil negare poſſe quidquid rogaretur: aſſidua oratio, & quidem maximè horarum Canonicarum, ſemper de genibus; & in medijs Aulæ tumultibus conſtans in DEUM mentis defixio; tanto in ſuas cogitationes imperio, ut non diſtraheretur nisi quantum vellet: ſumma in ſacrificando pietas, ad quod ſe quotidianâ exomologeſi, ſeſquihorariâ oratione comparabat, factum verò ſemihorariâ gratiarum actione proſequebatur. Virginitatis decus accuratiſſimâ ſenſuum cuſtodiâ, & perpetuâ in corpus edomandum ſeveritate ad extremum uſque ſpiritum conſervavit; & horrore quodam impuritatis, quam in alijs, qui ſe illâ fœdâſſent, ex graveolentia neſcio qua diſcernebat. Cœleſti miraculo in ejuſdem obſervantiâ confirmatus, ab Angelo lumbos ſibi cingulo adſtringi ità arctè expertus, ut ejus veſtigia poſt 40. annos in demortui corpore ſint deprehenſa. Multa etiam futura ſpiritu prophetico prædixit, abſentia item & occulta cordium pervidendo manifeſtavit; graviſſimas ægritudines in vita & poſt mortem plurimis depulit, & ſanitatem miraculosè reſtituit.

Ex Nierembergij Tomo 1. & Alegambe Bibliotheca.

P. ALEXANDER URSINUS S. R. E. CARDINALIS.



EX pervetuſta Romanos inter Principes familia ortus Alexander, Ducem Bracciani Parentem habuit, primàmque pueritiam Florentiæ tranſegit, cum Hetruriæ & Lotharingiæ Ducibus educatus. Senis & Piſis Juri Canonico dedit operam, Romæ Philoſophiam cum Matheſi audivit. Adamavit eo tempore expetiitque ardenter Societatem; ſed certis de cauſis aditu non obtento, animum nihilominus ad omnem virtutem intendit. Annos natus 22. in Cardinalium numerum à Paulo V. anno 1615. adlectus eſt, in quo dignitatis faſtigio mirum quantùm virtutum omnium ornamentis decoratus effulſit. Erat corpore ſangvineus, ſucculentus, elegans, moribus affabilis, ſed maturus & gravis: eloquens atque eruditus, ſed integer ſimul ac conſtans, & candidiſſimi moris ac pectoris, ſinè ullo oris cordíſve diſſidio. Vivum deinde exemplar & ſpeculum innocentiæ, caſtitatis, modeſtiæ, humilitatis, pudicitiæ, charitatis, patientiæ, mortificationis, pœnitentiæ, contemptûs ſui & mundi, integritatis, magnanimitatis, beneficentiæ, ac potiſſimùm zeli animarum. Cujus impulſu maximâ charitate ſuccurrebat afflictis, viduis, orphanis: ægris in noſocomio ſuâ manu cibos porrigebat, abluebat pedes, expiabat confitentes, & opportunis monitis confirmabat; quibus exemplis nonnullos ſectarios virtutis ſplendore perſtrictos Eccleſiæ lucrifecit. Bracciani Sodalitium è civibus & aulicis inſtituit, in quo ipſe concionatorem, Præfectum, ipſe verberationis hebdomadariæ, & omnis Chriſtiani officij anteſignanum agebat. Retardatas reorum cauſas in carceribus, vel ruſticanorum hominum in aula ad ſe aditus, nequid utrique, vel impendij diuturnitate, vel quæſtûs jacturâ detrimenti caperent, erogatâ de ſuo pecuniâ compenſabat. Per tempus caritatis cùm infeliciſſima tenuiorum ſors eſſet, annonam in ipſos partim liberaliter dividebat, partim coëmptam, leviori quàm ipſe comparâſſet pretio, in populum diſtrahebat; ut eâ beneficentiâ delinitos ánimos faciliùs ad DEUM attraheret. Societatem JESU, quam juvenis ambiverat, tenerrimè ſemper complexus eſt, particeps illius meritorum effectus; cujus incrementis æquè ac ſuis & ſtuduit & gratulatus eſt. At verò ubi de obitu Cardinalis Bellarmini Ravennæ Legatione fugiens, intellexit, quem ùt Patrem & Ducem obſervabat, ſibíque in omnibus imitandum tanquam rarum virtutis ſapientiæque exemplar propoſuerat; ſancto quodam œſtro incitatus, dedit ad Mutium Vitelleſcum Societatis JESU Generalem literas; quibus ſe penitus quoad dignitas Cardinalitij ordinis patiebatur (cùm vetaretur illam deponere) Societati dicavit; receptúſque ſub eadem temperatione, vota Societati conſveta emiſit, & vixit deinceps in Romanam Provinciam adſcriptus. Regulas illius exinde ſemper habuit ad manum, ut ex earum norma ſe formaret: ejuſdémque ſacris Exercitijs quovis anno animum excoluit, vivens mortuúſque perinde, ac alij domeſtici totius Societatis ſuffragijs recreatus, quos ipſe defunctos ſuis viciſſim ſuffragijs, tanquam unus ex illis proſequebatur.

Atque ex eo tempore ſicut in animarum lucra majore ſeſe impendit conatu & labore, ità eminentioris ſanctitatis cōparandæ ſtudijs pluri-



Alexander Cardinalis et Princeps Urſinus, Soc: Ieſu; proximis adjuvandis ſummopere intentus. Legatus Apoſtolicus Ravennæ, et ad Ferdinandum II. Pragæ. In condonandis injurijs planè admirabilis. Obijt Bracciani in Paterno Ducatu. 22 Aug: 1626. Ætat: 33.
116.

plurimùm adjecit. Chriſti Domini Paſſionem tenerrimâ ſemper veneratione proſequebatur, cujus devotionem ut in alios etiam propagaret, tenerrimum de Chriſti Cruce & Paſſione tractatum edidit: æneam ipſius cruci affixi effigiem, extantibus clavorum cuſpidibus exaſperatam, ad nudum pectus geſtabat, quam manu ſæpius admotâ non ſinè vulneribus & ſangvine apprimebat: precéſq; horarias de Paſſione Dominica à ſe compoſitas quotidie recitabat. Sacroſanctam Evchariſtiam cùm officioſiſſimè coleret, Sacrum faciebat quotidie præmiſsâ exomologeſi, neque raró Confeſſario inſuper ſacrificanti miniſtrabat. Venerabile Sacramentum ſi quando occurriſſet, vel ad viliſſima infirmorum tuguria, quamvis ardente ſole, aperto capite longâ viâ proſequebatur. DEIparam quoque impensè amavit, paratus ſi res ferret ejus causâ vel ſangvinem profundere, ídque voluntariâ ipſe flagellatione omnibus maximè ejus pervigilijs faciebat: tantus ſui corporis per cilicia, verbera, inediam caſtigator, ut fræno, prout in omnibus Superiorum Societatis, & ſuorum Confeſſariorum nutum ſequebatur, indiguerit. Ravennæ totíque Romaniæ gubernandæ datus Legatus, cùm P. Nicolaum Zucchi confeſſarium & animæ ſuæ juxta ac conſiliorum Directorem accepiſſet, certamen inter eos de Virtute & Sanctimonia exortum eſt, cùm alter in altero eminentiam illius obſtupeſceret, & in calcar ad profectum majorem aſſumeret. Et quidem P. Zucchi referebat rubori ſibi & confuſioni ſemper fuiſſe adeò ſublimes Cardinalis virtutes & animæ dotes, ut vereretur Directorem ejus agere, in

quo

quo Magisterij præ se decora agnoscebat. Stupebátque in persona talis Majestatis tantam sui vilipensionem & parem dignitati abjectionem, in afflictionibus suis & pœnis indefessum rigorem, ut vix aliud esset in quo auctoritatem suam & jurisdictionem, quàm in moderando isthoc fervore, exerceret. Ubi porrò alij, si vellent, colligendis in ejusmodi fructuosa Legatione opibus maximè ditescerent, ipse etiam egentior fiebat, plurima ex proprijs dispergendo, nunquam contractis manibus in pauperes, viduas, & pupillos liberalis, prorsus ac si uni sibi à DEO omnium cura foret commissa; exsolvendo carceratorum debita, ministrando necessaria ægrotis, visitando, & proprijs manibus serviendo in Nosocomijs: moderator passionum omnium & domitor tam perfectus, ut proprijs injurijs & offensis neque indolere posse videretur, alijs verò irrogatas nullo potentium respectu vindicaret. Contigit aliquando publico judicio sisti reos aliquot malefactores ex illo venalium prædonum genere, qui aliorum vindicandis odijs, seu ferro, seu alio maleficij genere hostes ultos velint, operam locant. Non defuere tamen è potentioribus aliquot, qui aderent gratiam vitæ ab Cardinali nocentissimis hominibus flagitare: quorum ille nihil auctoritatem, neque secuturam ex repulsa offensam reveritus, laqueo omnes adjudicari fecit. Hoc injuriam suam & auctoritatis contemptum interpretati reorum Patroni, in necem Cardinalis conjurant: quorum tamen machinationes DEUS mirabiliter Cardinali aperuit, interceptis, & in manus ejusdem traditis conjuratorum literis, in quibus tempus & modus seriésque inferendæ mortis recensebantur, & conjurati ipsi ità innuebantur, ut nullo negotio innotitiam singulorum veniret. Ille perlectâ epistolâ, facinus exhibuit cœlo dignum; siquidem in vestigio concerptam epistolam, nè unquam etiam post fata sua in manus agnatorum fortè deveniens, vindictam persvaderet, super cerei ponè appositi flammâ propriâ manu exussit: & licèt eadem atrocissimas in suam personam calumnias, infanda contineret vituperia, nullo unquam verbo injuriam questus est, aut saltem commotiorem vultum prætulit, sed cum chartæ incendio omnem simul ejus memoriam abolevit. Neque aliud ultionis genus adhibuit, quàm ut deinceps sinè satellitio ad corporis custodiam in publicum non prodiret. Porrò heroicam sui victoriam confessario, gestienti similis referens: *hæ literæ*, ajebat, *spero mihi erunt in passaportum, & pro clavi ad reserandam cœli januam, secundùm Christi promissum, dimittite & dimittemini.*


Non parum etiam adjuvit multarum è cœno libidinis extrahendarum mulierculararum zelum P. Zucchij, liberalitas Cardinalis, in omnia pietatis opera promovenda omnino profusa; ipse enim & sumptus resipiscentibus alendis, & dotes honestè elocandis, assignabat: & ob extremam egestatem ad corporis prostitutionem adigendis largiter subveniebat. Ubi verò Cardinalis destinatus est à Pontifice Legatus extra ordinem ad pijssimum Cæsarem Ferdinandum II. dici vix potest quantum unus ex altero solatij, & ad sanctitatem exempli perceperit, cùm longiore in Boëmiâ Pragæ morâ, excelsa quisque alterius decora curiosiùs observaret, & semper quod miraretur inveniret. Ità vivere perrexit usq; ad 22. Augusti 1626. quâ post octiduanam febrim Sacramentis ritè procuratus, Bracciani, uti primam lucem acceperat, cum tenerrimo pietatis sensu, & æternitatis vehementi cupiditate, diem clausit extremum, annos natus 33. Cor Romam delatum in Templum Professorum Societatis, & ejus ultima voluntate prope Bellarmini sepulchrum tumulatum est.

Ex Bibliotheca Alegambe, & vita P. Nicolai Zucchi per Danielem Bartoli scripta.

P. JOANNES FALCO.



Agdeburgum è præcipuis Germaniæ Civitas patria fuit Patri Falco, ad multorum salutem nato; quam ut opportuniùs proximis impertiretur, Societatem complexus est anno ætatis 20. sæculi 1603. vixítque in ea magnis virtutum omnium exemplis usque ad annum 1626. quo Moguntiæ 24. Sept: eximiâ sanctitatis opinione decessit, vota 4. diu antè professus. Arsit in eo, dum vixit, inextingvibilis Divini honoris tuendi propagandíque zelus, ut non rarò senas septenásque unâ die conciones haberet in Templis urbium, & Sacrarijs diversis: quibus minimè fervori suo satisfaciens, excurrebat in pagos & villas latè circumsitas, solo pane & caseo ad victum instructus; & ferventissimo spiritu exhortationes, catechismos, conciones, pro captu Auditorum habebat. Idem fre-



P. Ioannes Falco S. I. Magdeburgenſis Germanus, ferventiſſimus Eccleſiaſtes, & in pauperib9. ægris per Noſocomia procurandis indefeſs9. Deceſsit Moguntiæ 24 Septemb: 1626. Ætat: 43.
117.

frequens ad Moniales, frequens ad Noſtros domi dicebat; nunquam feſſus, nunquam ſatur, ubi aliqua ſe frugis faciendæ ſpes oſtenderet. Hos autem ſpiritus hauriebat ex oratione, excitabat mortificatione, utrique impenſiſſimè deditus. In oratione mirificè æſtuabat, adeóque accendebatur ad DEI amorem; ut corde uno non ſufficiente, mille ſibi concedi optaret, quibus illum amaret. Ejus incendijs inflammari potiſſimùm ſolitus in Sacrificij Miſſæ oblatione, ità idcirco huic myſterio addictus, ut nunquam illud perſolvere, quantacunque neceſſitate, omiſerit: & nè quid humanæ labis amori ſuo intercederet, quotidie animum confeſſione expiabat. Mortificationem verò ità continuàm in omni actione exercuit, ut nullam ſui corporis, nullam exiſtimationis aut famæ duceret rationem. Voto ſpoponderat, nunquam ſe ſuo guſtui in cibo potúque obſecuturum, ſoli ſerviturum neceſſitati, vitatis omnibus ſuperfluis, & vilioribus electis. Carnem vexabat frequenti cilicio & flagellatione, quam concioni cuilibet præmittebat: macerabat longâ inediâ, victu tam duro & tenui, ut ſolo ſpiritu vivere videretur. Erat in omni vita comis, affabilis, patiens, manſvetus, neque humana judicia & oblocutiones morabatur, nec in faciem ſibi oggeſtas contumelias & cavillos, quò minùs ſuo muneri ſatìsfaceret. Ipſe interim nulli moleſtus eſſe, nullum lædere verbo vel facto, de nullo queri, totâ animi & virium omnium applicatione ſoli negotio animarum intendere, rerum aliarum quarumlibet ità incurioſus, ut extra mundum vivere videretur. Principiô cujuſque

que mensis Rectori se sistebat, & de genibus renovato Obedientiæ voto, ei se parirurum punctualiter in omnibus quæ imperâsset spōdebat. Quotidie ante decubitum calceos pedibus detractos capiti imponebat, ut profiteretur dignum se pedibus omnium calcari, & indignum caput ibi locare, ubi pedes alij posuissent. Erat illi quidem ingenium acre, & in promptu consilium: sed religiosâ simplicitate ità moderatum, ut læderet neminem, omnium genio & temperamento satisfaceret. Ab omni ambitionis spiritu & humanis respectibus ità remotus, ut nunquam in aliqua ejus actione personarum acceptio notaretur; nullum pauperum divitúmve, nullum servi aut domini ad confessiones excipiendas, visendos ægros, discrimen; purissima semper eò inclinatio, unde major proventus expectari potuisset. Erat in Nosocomijs assiduus, eodémque circumvagantes conducebat pauperes, quos ad pietatem erudiret: in compitis & foris frequentissimus, ubi collectos in unum vagos & otiosos docebat modum peccata confitendi, communicandi, ceteráque Fidei rudimenta inculcabat: ac tum in supplicationum ordines distributos, sacros ipse hymnos præcinens circumducebat. Valebat enim gratiâ in pangendis germanicè sacris cantionibus, quibus ut honorem Cœlitum etiam post fata promoveret, varijs libellis eosdem impressit.


Ex Nierembergij Tomo 1. & Bibliotheca Alegambe.

P. THOMAS WORTHINGTONUS.



P. Thomas Worthington, S. J. Nobilis Anglus, & de conversione Patriæ optimè meritus. In senio Societati adscriptus; tenerrimo affectu in vestem Religiosam ferebatur. Obijt in Anglia circa A. 1626.
118.

Thomas



Homas Worthingtonus Laurentij Worthingtoni patruus, patriâ Lancastrensis, perantiquæ nobilitatis, natus est Blenscojæ Parente Catholico quidem; sed qui metu & temporum injuriâ templa hæreticorum ex Reginæ mandato frequentabat. Educatus honestè filius in literarum studijs, & ad altiora prosequenda in Academiam Oxoniensem missus, ubi adolevit, pravorum dogmatum pertæsus migravit Duacũ, ac deinde Rhemos. Hìc laurea Philosophicâ donatus, sacróque auctus Sacerdotio, Moderatorum jussu redivit in patriam, majores in ea vix hostes & insidiatores expertus quàm domesticos, ipsúmque adeò, à quo vitam acceperat, parentem. Suboluit huic filij in Regnum furtivus reditus, metuénsque nè quid indè ob atrocia Reginæ edicta in se, domúmque suam redundaret detrimenti, filium structis ubique insidijs vestigavit, eo consilio, ut deprehensum traderet in manus Judicum plectendum aut pervertendum. Illum interim cauta sua industria, pervigili Cœlitum curâ ac tutelà adjuta servavit, ut in conciliandis DEO civibus sui utilem operam navaret. Nam contractâ cum P. Edmundo Campiano notitiâ, & illum ad varias Catholicorum Ædes sibi familiares deduxit, & ipse diurnis nocturnísque laboribus indefessus, plurimis ad rectam fidem & salutem ductor fuit. Sublato Campiano biennium ijsdem in locis commoratus, quatuor nobiles juvenes nepotes suos maturabat educere in Galliam, cùm multiplex ei mora à nequissimis hominibus interjecta est. Intercepti primùm adolescentes, qui tamen post multas vexationes demum elapsi sunt: ipse bis, nefariorum proditorum insidijs appetitus, periculum captivitatis vix evasit.

Demum à juvene perfido, cui bene multa fecerat, proditus Islingtoniæ propè Londinum tentus est Anno 1584. hinc ad turrim Londinensem deductus, veluti insignis cujusdam maleficij reus vincitur, & gravissima inter incommoda & pædores in Lacu (ùt vocant) ultra duos menses ab omni hominum consortio seclusus detinetur. Post menses sex unà cum P. Gaspare Haywodo Societatis JESU, aliísque circiter 20. invictis Christi Confessoribus deportatus in littus Normannicum, exilium Religionis causâ constanter tulit, & in Patriæ laborantis subsidium convertit. Etenim Anno 1588. Treviris S. Theologiæ Doctor renunciatus, non multò pòst Rhemis Theologiam positivam tradidit, magnâ doctrinæ commendatione. Iterúmque ad animorum procurationem ultro sese transferens, Guilielmo Stanlejo militari Colonello in exercitu Regis Catholici adhæsit, omnémque suam operam militum saluti ingenti charitate, vicissim illis amantissimus, addixit. Posthæc Duacensi Anglorum Collegio datus Præses, Romam subinde contendit, unde non multò pòst redijt Proto-Notarij Apostolici titulo decoratus, annuâ insuper pensione à summo Pontifice auctus, & in Assistentem Archi-Presbyteri Angliæ (qui velut Episcopus toti Clero cum potestate præsidet) cooptatus. Demum ætate jam grandævus animum ad Societatem adjecit, multísque precibus ut admitteretur obtinuit, tenerrimo devotionis affectu vestem religiosam prosequi solitus: obiítque sexto circiter tyrocinij mense in Anglia, in Comitatu Derbiensi circa Annum 1626.

Ex Anglia Henrici Mori, & Bibliotheca Alegambe.

P. JOSEPHUS SCAMMACA.



Rtus est P. Josephus, patriâ Leontinus in Sicilia, à natura quasi ad omnem virtutem fictus factúsque, cui ad excelsam sanctitatem provehendæ Societatem in tenera ætate, septemdecim natus annos, ingressus; in ea per omnes virtutis numeros ad cumulatissimam perfectionem evasit. Nam cùm exactissimus esset regularum observator, nihil unquam, nisi quod Superioribus probaretur, admisit. Virginitatis nitorem nulla unquam sequior corporis afflavit commotio, nedum labes aliqua vel levissima temeravit: & quod admirabilius est, ipsâ pulchritudine corporum conspectâ in DEUM efferebatur ardentiùs. Haustam in Baptismo sanctitatem nullum unquam lethale crimen illi eripuit: tantáque vitæ fuit innocentiâ, ut crebrò, qui confitentem audiebant, nihil quod absolvi posset invenirent. Semper habebat in ore DEUM, semper in mente, nec aliud quidquam spirabat, ejus unius amore mirificè inflammatus. Aptus nimirum erat amori Divino cœlestíque sermocinationi, qui singularissimus erat in simplicitate Christiana: cum qua tamen excellentem doctrinam copulaverat, & zelum Divini honoris tuendi amplifi-



P. Josephus Scamaca, S.J. Sicul9; ferventissimus per años 45. Ecclesiastes; Quadragesimas quotidianis dictionibus absolvit 40; et supra 100. Volumina de reb9 divinis conscripsit. Extinctus 8. Jan. A°. 1627. Ætat: 77.

J. G. Heinsch del. 119. W. P. Kilian sc.

amplificandíque studiosissimum. Et verò egregiè præstitit totis 45, annis, quibus Apostolico spiritu, immenso animarum fructu concionatus est, quadragesies Quadragesimalium dictionum confectô curriculô. In vitia, atque ea præsertim quæ offenderent Rempublicam, nullâ hominum quorumcunque ductâ ratione, nulla formidine, nulla humanæ prudentiæ lege deterritus, invehebatur ardenter, ajebátque DEUM se quasi impellentem, cujus gloriæ serviebat, persentiscere. Visa est non semel concionantis ipsius vertici insidere columba, symbolum haud dubiè ejus spiritûs, quo tanquam Filius DEI agebatur. Visus etiam illabi radius lucis è tholo Templi, qui concionabundi vultum illustraret. In Cœlites omnes, sed in Augustinum imprimis, quem Doctorem magnum appellare consvêrat: in sanctas Agatham & Rosaliam magno affectu ferebatur; de ijs eorúmque rebus gestis tenerrimo animi sensu loquebatur. Insigne ad memoriam est, quod cùm optâsset in Montem Peregrinum, S. Rosaliæ veneratione inclytum deportari (cùm neque posset ingredi pedibus, nec jumento vehi) deterritos ab incepto bajulos, ob vastitatem corporis ejus & viæ longitudinem, jussit bono animo subire onus; fore, nè sub illo, quod metuebant, satiscerent. His illi verbis erecti, mirabili facilitate hominem mole prægrandem, nihil fatigati, in editum montem sellâ portatili subvexêre, iterúmque devexêre, tanquam ponderis omnis expers esset. Sed B. V. DEI Mater præcipuis illi in amoribus fuit; nunquam ille svaviùs, nunquam copiosiùs, quàm de illa concionabatur. Arcuit illa malum dœmo-

dæmonem aliquando ab ipsius accessu, cùm pridie quam de Virginis laudibus erat dicturus per noctem intempestam fores cubiculi pulsâsset, verberibus illum excepturus, & Pater de more jussisset intrare, si modò facultatem haberet: nam eâ perstrictus clausulâ, & Virginis imperio, ab ingressu prohibitus est. Cùm jam ætate gravis multis perfunctus laboribus ad complexum amantissimi Domini sui ardentiùs aspiraret, & omnis cibi appetitus elanguisset, nulla ceteroqui febre tentatus; adijt Provincialem, & decumbendi petijt facultatem, venisse sibi jam tempus quò mori vellet; hoc unum sibi tribueret gratiæ, nè quid sibi medicamentorum, præter ea quæ suis filijs Societas parare consvevit, pateretur adhiberi, præiturum sibi P. Præpositum; (is erat P. Jacobus Dominicus, gestis in Societate Magistratibus sat notus) mox sese secuturum. Ad 20. sic dies decubuit, nullo quidem vitæ deficientis indicio, nisì quòd ipse asserebat se velle mori. Obnitentibus ajebat: Dominum consvevisse jam disponere omnia, idque jam ipsum in sua morte præstare. Tam securus sui agebat per eos dies, ut hoc etiam disticho secum luserit:

Mors sinè febre venit, solùm comitante senectâ:
Nec terret; Christus nam mea vita juvat.

Pridie Epiphaniarum cœpta est sentiri febricula. Eam ipse ventum secundum esse dicebat, quo inveheretur in portum; hactenus se remis cucurrisse, nunc velis remísque cursurum. Dictabat interim amanuensi velut otiosus Homilias in Evangelium Incarnationis Dominicæ, *Missus est*; & postridie Epiphaniarum nescio quâ præter solitum hilaritate delibutus, postulavit à Medico ùt cœlesti se Viatico juberet ad iter instrui; illóque annuente conversus ad Præfectum Templi: *bene adveneris, mi Pater*, excepit, *hoc me vespere sacratissimo Domini nostri* JESU CHRISTI *corpore reficies, cras mane inunges, postmodum ibimus.* Voluisset Dominum humi genuflexus accipere, sed non est permissus de lecto surgere. Omnes se illi suáque negotia privatim cum DEO tractanda committebant, & ipse tanquam de salute certus ea suscipiebat. Curavit sibi è S. Augustini Soliloquijs nonnulla prælegi, & tanquam contemptor mortis agebat omnia. Post datum Salutationis Angelicæ signum ad vesperam, cùm vellent illum sacro Oleo inungere, *cras*, inquiebat, *ungetis*: illis urgentibus, videri periculum esse, nè cras seriùs sit: *obediamus*, ajebat, *igitur obediamus; & ego me citiùs expediam*; quasi mortem in sua potestate haberet. Per noctem svavissima cum DEO colloquia miscuit, cujus amore cùm magis magísque langveret, cygnæâ voce iterabat carmen illud: *Fulcite me floribus, stipate me malis*; ac paulò post placidissimè sinè ullo doloris sensu; tertiâ ferè post noctem mediam horâ, ad diem 8. Januarij expiravit, anno salutis 1627. ætatis 77. Religionis 60. Sacerdotij 50. Magnus fuit audito ejus obitu dolor universæ Civitatis, magnus omnium Ordinum ad sepulturam concursus; direptæ illius vestes ad venerationem; expressa studiosè à pictoribus effigies, repetita illi septimo die, volente Senatu, funebria publicis impendijs; instituta de laudibus ipsius Panegyris: Procerum, Religiosorum, populi tanta concio, ut ædes alioqui laxissima non caperet; cadaver seorsim compositum ad Aræ principis partem sinistram. Signis sequentibus sanctimonia ipsius divinitus comprobata, quæ justo conscripta volumine asservantur. Conscripsit ad centum volumina de rebus Divinis, vinctâ solutáque oratione.

Ex Alegambe Bibliotheca, & Nierembergij Tomo 1.

P. RODERICUS NINNO DE GUZMAN.



Pater Rodericus Ninno de Guzman, natus est Toleti, Patre Comite de Villaverda, ex familia Ducum de Medina Sidonia, Sobrinus Cardinalis Ferdinandi Ninno de Gvevarra Archi-Episcopi Hispaliensis, & Generalis per Hispaniam Inquisitoris, in cujus etiam Aula à puero educatus est. Cùm enim Parentibus esset secundogenitus, & ab infantia pietati modestiæque addictissimus, ut ad omnem virtutem & docilitatem natus videretur; cupiebant illum ad statum Ecclesiasticum à teneris disponi, ut aliquando per ejus dignitates Familiæ esset ornamento. Sed DEO interim placuit illum ad Societatem vocare, cùm studijs Granatæ vacaret: quod licèt Cardinali Societati addictissimo non displiceret, noluit tamen inscijs Parentibus quidquam fieri: ad quos Toletum remissus, ubi plenè vocationem suam approbavit, cum Paterna benedictione ad Tyrocinium Villaregij de Fuentes susceptus est, cùm annum ageret 16. nemo illo fuit inter Novitios hu-



P. Rodericus Ninno de Guzman S.I. splendido ortu Hispanus, Concionator Regius Philippi IV. ardente Zelo Vitia insectatus, tabernas lusorias, & Veneris prostibula feliciter Toleti extirpavit. Mortuus Madriti 25 Nov. A.° 1627. ætat: 56.

120

os humilior, nemo in abnegatione sui per omne genus mortificationis ardentior, ut necesse fuerit hás per obedientiam restringi, nè vitam penitus prosterneret: solitus non rarò ad Domûs nostræ januam inter mendicos offam, ex reliquijs ciborum distribui solitam, flagitare, & in medio illorum perinde quasi fæcibus ejusmodi innutritus foret, palàm in platea considendo ex ollula sumere. Votis Religiosis post biennium emissis Philosophiam sub Patre Petro Arrubal, Theologiam sub Patre Gabriele Vasquez audivit, eodem semper virtutum tenore ad supremum sanctitatis apicem connisus, ut exemplo & admirationi esset omnibus. Semper enim majorem curam profectûs in spiritu, quàm scientijs habuit, ab omni eo munere abhorrens, quod speciem aliquam honoris præferre videretur; ideóque altiorum disciplinarum Cathedras exosus, infimis & impensissimis precibus à Superioribus obtinuit Grammaticæ docendæ admoveri, quam multo tempore infimam explicuit Belmontij, tantô Parentum & Cognatorum sensu, quanto suo solatio & satisfactione, ut ad eandem totâ vitâ tradendam ex animo se offerret. Sed horum indignationi & offensæ cedendum fuit à Superioribus, debuítque Toletum ad eorum solatium remitti, ubi Cardinalis Ninno per id tempus supremi Inquisitoris munus indeptus, Qualificatores sacri Officij designabat. In horum numerum adlectus Rodericus cùm per obedientiam refragari non posset, modum invenit ità dignitatem hanc occludendi; ut vix unquam adverteretur illi admotum esse. Nunquam enim consilijs & sessionibus ejus interfuit; nullum

nullum jurisdictionis suæ actum exercuit; nunquam ejus insignia assumpsit; nunquam ullo verbo mentionem illius fecit; ut adeò omnem gradûs hujus sibi aliquando collati memoriam, etiam apud S. Officij Collegas obliterârit: quod vel maximè patuit, quando novus Inquisitor designatus Andreas Pachecus Episcopus de Cuenca; illum in numerum Qualificatorum supremi in S. Officio Consilij cum aliquot è Societate Patribus adlegit; siquidem deprehensum est, pluribus jam antehac annis fuisse illi Tribunali assertum, quod neque ipsi Consiliarij ampliùs meminerant. Verùm ipse adamatæ humilitatis, quam ad mortem usque constanter eodem vivendi tenore in omni actione ambivit, tenacissimus, perrexit omnem alicujus splendoris vel umbram devitare, fugere conversationem & alloquia Nobilium, cum pauperibus & abjectis totos dies versari, adesse afflictis & ægris; ut in proverbium apud ipsosmet cognatos abierit, si quis eum convenire vellet, non alibi quærendum, neque certiùs & opportuniùs reperiendum, quàm in pauperum casis aut Nosocomijs, etiam cùm esset Domûs Professæ Præpositus. Ut verò & ijsdem pateret semper ad se domi aditus, peculiare illis recipiendis destinavit cubiculum, & proprium statuit confessionale, in quo perpetim assidens, solis illis aures dabat, quòd Nobilioribus & honoratis audiendis nunquam deessent Confessarij; vilibus autem & contemptis excipiendis rarus esset, qui promptus adesset. Itaque frequentissimi ad eum in quavis necessitate recurrebant, ut plerumque integrâ eorum turmâ obsideretur, certi se nunquam importunè venturos, esto Magnatum & Nobilium colloquijs occupatum invenirent. Accidit aliquando, ut à quodam è Primoribus Aulæ Grandibus viseretur; cùm superveniens homo plebejus rectà cubiculum ingressus ex eo quærit, quísnam pauperum esset confessor? nihil hæsitans Pater illico respondit, se esse; disponeret ergo se pro confessione, nam à Comite indultum iri moram pro absolvenda exomologesi: simúlque hospite relicto confitentem audit, redúxque ad finiendum cum Comite colloquium, paulò pòst illum dimittit; mirè eâ Patris humilitate & zelo ædificatum, & contemptum omnis humani respectûs ubique dilaudantem. Simul autem constanter per annos 17. quibus Toletum incoluit, dixit ad populum in Urbe & pagis, quos identidem revisebat, ac duplicem simul administravit Sodalitatem, tantâ efficaciâ & mutatione morum, ut toto Regno Toletum famam obtineret communitatis cujusdam magis Religiosorum, quàm Civium sæcularium; cui ad Monasterij nomen vix aliud deesset, quàm clausura, ut singulis portis assignatos haberet Janitores. Ipse persvasit occludi tabernas lusorias, proscribi ab Urbe infames mulierculas, impediri lubrica spectacula, quorum actores licèt sæpius pro theatris comparuissent, defectu spectatorum vacui discedere cogebantur: tótque illius concionibus ex utroque sexu ad amplectendas diversas Religiones permoti sunt, ut ijs recipiendis claustra non sufficerent.

Sed angustior fuit una Civitas ut zelo ipsius sufficeret; nam tandem in totum Regnum se effudit, institutis per ejus Oppida, pagos & villas frequentibus Missionibus, uberrimo ubique consecuto fructu; quo insatiabile salutis animarum desiderium in eo nutriebatur, ut nullis alijs laboribus & impedimentis à ministerijs ejusmodi posset avelli. Nam sive Collegio præesset, sivè Domui Professorum, sive totam Provinciam gubernaret, perinde occupabat assiduus confessionale, perorabat è cathedris, serviebat in Nosocomijs, exhortabatur ubique sodales, rudes instituebat, invisebat & morti parabat ægros, ut in proverbium venerit apud socios, Rodericum in se uno totum Collegium circumferre, quòd solus omnium munia impleret. Trienniô Provincialis muneris, ordinariè simul dixit ad populum, primô quidem annô Madriti, reliquô bienniô Compluti: & in lustratione Provinciæ vix occurrebat Collegium, ubi non idem præstaret. Sæpissimè etiam contigit, ut die festo perveniret ad locum aliquem multo itinere fessus; sub tempus Sacri cantati aut Vesperarum, cùm subitò pulpitum conscendit, & non minùs unâ horâ dixit ad concionem: non aliunde quàm ab oratione, & perpetua cum DEO conjunctione petitâ paratâque materiâ, perinde quasi labore illo reficeretur, & vires ad iter resumeret. Et verò constanter socijs creditum fuit, apparuisse illi aliquando infantem JESUM, & ad labores in salutem animarum confirmâsse. Semel duntaxat venit, ut urgenti negotio occupatus cuidam confiteri postulanti aures denegârit; cujus illum mox tanta subijt pœnitudo, ut omnibus abjectis discedentem insecutus sit, & reducto humillimè suam duritiem deprecatus, illico aures commodârit, pollicitus promptas semper paratásque deinceps inventurum, quandocunque confessionis gratiâ advenerit. Toleti Civis ex primarijs, filium habebat degenerem, vitijs perditè addictum,

ctum, in quo ad frugem reducendo frustra tentatis remedijs omnibus, Roderico tandem illum multis precibus interpellato commisit. Hic præmissis, ùt semper in arduis ejusmodi solebat negotijs, prolixis orationibus & pœnitentijs, in juvenis familiaritatem se insinuans, nihil blanditiarum & minarum intermisit, quò lapideum cor ad meliora inflecteret: sed Æthiopem ab se lavari sentiens, ad cubiculum secum perhumaniter invitavit, ubi repentè post cortinam nudatâ parte superiore corporis, cœpit atrociter flagellis se diverberare, & & Divinam misericordiam juveni, cæcè in damnationem ruenti inclamare. Perculsus miser terribili verberum crepitu, & vocibus inter lamenta & singultus DEUM sibi placantis, ubi insuper flagra, vestes, ipsúmque parietem sangvine respergi aspexit, etiam ipse in serias pœnitentiæ lacrymas solvi, pedibus Patris accidere, plenam vitæ mutationem spondere, totúmque se in potestatem & manus ejus refringendum committere. Atque omnium primò generali confessione apud illum expiatus, constanter deinceps ejusdem directioni adhæsit, moribus in melius ità comutatis, ut ad omnem virtutem & pietatem æqualibus esset exemplo. Nec defuêre illi propria magnorum DEI servorum insignia, cruces & adversa, præter frequentes ægritudines, ex delicata ejus complexione tot laboribus oppressa enascentes. Dicturus aliquando Toleti pro concione in quadam Parochia paulò serius adfuit, quòd domi pœnitentibus audiendis tantillò diutiùs esset detentus; cùm Parochus iracundiâ percitus, mille injurias & convitia coram toto populo in faciem ejus conjecit, minore circumspectione, quàm si servus ejus foret, invectus. Pater nullo verbo furenti reddito, in gradu immotus perstitit, nè vultu quidem à consveta blanditie in tristiorem aut severiorem mutato, dum ipse totum furorem evomeret: atque tum eâdem prorsus quâ semper modestiâ & serenitate pulpitum conscendens, dictionem imperturbatus pertexuit; longè uberiore tunc quidem motu & fructu in populo consecuto & tam æquanimis patientiæ præbito exemplo, quàm ex prolixa aliàs concione. Sed acerbiùs feriunt, quæ à domesticis & commensalibus infliguntur vulnera. Recens ex studijs datus Roderico Rectori advenerat Concionator; vel magìs officio gubernationis impedito in concionibus adjutor, occultæ eatenus superbiæ & præsumptionis, quam datâ hac ambitionis prodendæ occasione toto impetu effudit. Siquidem longè post se talentis ad dicendum Rodericum inferiorem ratus, æstimari præ illo, laudari & observari domi forísque juvenili stultitiâ ambiebat; quod cùm non fieret, & Roderici dictiones majore accursu, plausu, encomijs, tanquam Magistri præ discipulo exciperentur; non dubitavit livore & invidiâ tabescens palàm in colloquijs, tandem & è suggestu nomen ejus & famam, cùm tamen per id tempus illi Superior præesset, lacerare, & in contemptum adducere. Coactus ex officio Rodericus, vel ob publicum scandalum, in reum animadvertere, quàm invitus id ageret abundè patefecit, quando ipse arrogantis hominis conclave adiens omnia à se obsequia humillimè detulit, & tantùm non in servum dedicavit, in omnibus quoad posset tanquam amicorum optimo bene facere adnisus. Sed homo vanitatis & superbiæ plenus, vacuúsque spiritûs & virtutis, cùm nihil his melior evaderet, pòst paulò ab Societate rescissus est. Madriti cùm esset Rector, in grave repentè odium apud plebem adductâ Societate, contigit illum ex Collegio ad consveta proximis opitulandi ministeria prodire; cùm maximâ puerorum & scurrarum turba illum prosecuta cavillis & scommatis petulanter lacessere, crocitando, sibilando, latrando, ululando explodere, & mille injurijs proscindere cœpit: ipse verò in risum blandissimè explicato vultu, destinatò etiam subsistere, tardiùs solitò gressum promovere perrexit, ut & ipsi maledicendo rabiem, & ipse tolerando patientiam suam exaturaret. His addebat spontaneas pœnitentias & frequentes & graves, quotidiana flagella, etiam in diversorijs sæcularium dum Provinciam lustraret, eáque ante concionem quamlibet planè atrocia; quæ cùm vicinis omnibus audirentur, soliti erant dicere, non opus esse campanæ sonitu ad promulgandam futuram concionem, abundè enim hanc promulgari flagrorum in Patris corpore sono. Cilicia habebat varij generis, asperrima omnia, queîs diversas corporis partes, nec rarò omnes simul affligebat. Pro lecto totos 30. annos habuit rude & malè dolatum ex subere lignum: somni adeò parci, ut perpetuas agere vigilias domesticis crederetur, cùm nemo deprehendere posset quandónam dormiret; quâcunque noctis horâ accederetur, semper excubans in oratione, lectione, vel scriptione repertus: cibi tam modici & vilis, ut nè vitam penitus pessundaret, admonitus P. Generalis, Sacerdotem illi senio & experientiâ gravem assignare coactus sit, cujus absque assensu nullis ei mortificationibus uti liceret.

Quan-

Quantò verò humilior erat in oculis suis, tantò major apparebat alienis; nam famâ virtutum ejus, doctrinæ & sapientiæ motus Generalis Mutius Vitellescus, eum videre, & penes se ad consilia retinere voluit. Jámq; in Procuratorem Provinciæ electus ad Urbem iturus erat, nisi Parens supremo oppressus morbo (ex quo etiam decessit) illum solatio suo retineri obtinuisset. Madriti dum Collegio præesset, semel duntaxat pro concione dicentem audivit Rex Philippus IV. & illicò Aulæ suæ Concionatorem adlegit. Dux autem Olivares, primus Regiæ Minister, gravissimis negotijs & consilijs adhibuit, optimos ex ex ijs successus constanter expertus. Quibus honoribus nihil elatus Rodericus, tantò instantiùs pauperum audiendis confessionibus, visitandis hospitalibus, & vilissimis quibusq; adeundis, solandis operâ navavit; nihil moratus Aulicorum vituperia, dicentiũ, munijs tam abjectis labem aspergi dignitati Regij Ecclesiastæ. Neque ad alium usum munus hoc sibi utile fuisse agnoscebat, quàm ad tuendam efficaciùs contra adversariorum machinationes Societatem, quibus si unquam aliàs gravissimis sub ejus Rectoratu exercebatur Collegium illud Imperiale, ob fundata ibi recèns à Rege publica studia, quibus ceteræ per Hispaniam Academiæ plurimùm splendoris sibi detractum iri formidabant. Jámque in hoc permolesto certamine tertius illi effluebat gubernationis annus, cum quo & vita defluxit; sub cujus extrema socijs amantissimum vale dicens peculiariter spondebat, se hujus controversiæ exitum coram Divino Tribunali efficaciter procuraturum. Idque feliciter perfecisse omnibus creditus est, quando pauco ab ejus obitu tempore finis actioni, ad Collegij votum, impositus est. Malum, quô mors illi conscita est, fuit acerbissimus laterum dolor, nullam quietis partem indulgens, ex quo ultima absolvit, veluti ad excessum paraturus animum, Exercitia: de cujus vicinia ubi nuncium ex Medicorum arbitrio accepit, totus in hilaritatem effusus exclamavit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; omnibúsque Sacramentis munitus spiritum DEO reddidit 25. Novembr: anno 1627. ætatis 56. Obitus illius communi totius Urbis, & Regiæ præsertim dolore acceptus est, & justa funebria omnium Ordinum concursu persoluta. Nec finis fuit res illius usu veluti sacratas, ad privatam devotionem & memoriam deposcentium, quem universi in opinione Sancti habebant: & qui has consequi non poterant, pia saltèm amuleta corpori devotè attacta, in morborum remedia auferebant. Neque id sinè fundamento; nam etiamnum vivens Rectori Collegij de Cuenca P. Alphonso Ezquerra, 60. jam dies ex pertinaci tertiana laboranti, solâ impositione manûs, & lectione Evangelij, momentò febrilem calorem extinxit, & plenæ constantíque sanitati restituit.

Ex Alphonsi Andrade Tomo 5. de Viris Illustribus Societatis.

P. PHILIPPUS DE NOYELLE cum alijs 74.

Pater Philippus de Noyelle, patriâ Atrebatensis, splendidis ortus natalibus, illustriores eosdem reddidit excelsâ virtute, & morte pro salute proximorum gloriosè obitâ. Luxit in eo mirificè pietas, & animi teneritas in omnibus, quæ Divinitatis cultum spectant; obedientiæ quoque, & in Majores suos observantiæ singulare studium: castimoniæ nitor, ejúsque tuendæ cautissima diligentia. Luxit tolerantia malorum, & cupido profunda martyrij, nullâ reformidatione cruciatuum, catastarum, igniũ, bestiarũ, dumodò nuditati corporis parceretur, quam omni supplicio graviorem duceret. Jam quantus Christi seu Eucharistici, seu Patientis amor! quanta in DEI Matrem flagrantia charitatis, quam Matris suæ charissimæ nomine compellabat. Ejusdem venerationem incredibili curâ contendit apud alios excitare, & augere: valuítque in eam rem inprimis apud domesticos egregia morum ejus svavitas, & in familiari congressu temperata pietate comitas, præcipuè dum Rector Collegio Nivellensi, apud omnes domi foríśque gratiosus præesset. Verumtamen nihil adeò mirabilem illum, totíque Urbi Tornaco spectabilem præbuit, quàm dum pestilentiâ laborantibus ferre opem instituit. Nemo certè verbis satis expresserit, quô ardore, quáque contentione formidolosam eam provinciam ambierit, quibus hunc animum suum rationibus Præposito Provinciali explicuerit, planè ut persvaderet id Spiritûs sancti consilium esse. Id ubi auctoritate suâ Provincialis atque assensu probavit, & Magistratui Urbis, qui flagitaverat uni cuipiam nostrûm id muneris committi, innotuit, P. Philippo volenti & flagitanti negotium delatum, expli-



P. Philippus de Noyelle, Soc: Iesu, illustri ortu Belga, charitate impuls, ad serviendum pestiferis, præter Socios 74. eidem obseqvio per Belgium, imortuos, optatam mortem consecutus Tornaci 6. Augusti, A. 1628. ætatis 38. ~ 121.

explicari non poteſt, quo ſtudio & ardore experiundæ ſuæ charitatis & ipſe exarſerit, & quo animorum motu Civitas univerſa nuncium acceperit. Regebat tunc ibi Philippus nobiliſſimum ex omni ordine & ſtatu Parthenium cœtum, cujus Sodales extremùm pro concione allocutus (aderant autem cujuſque gradûs Eccleſiaſtici, Nobiles, Cives, & ipſe Gubernator Urbis, Comes Vertaingius) cùm vale diceret, tantâ eloquentiæ vi, támque inuſitato ſpiritûs ardore verba fecit, ut lacrymas omnibus abundè cieret. Idem ſub ultima domi cænatione erratorum veniam ſupplex à ſocijs petijt, & ſe piaculari flagro diverberavit. Poſterâ luce affluit Senatus Urbis univerſus, atque ingens copia mortalium, cùm ille Sacrum ad modos muſicos ſolenni ritu decantavit: quô peractô deductus eſt à ſummo Prætore, qui primus Urbis à Gubernatore Magiſtratus eſt, in deſtinatas funeſto receſſui ædes; ubi venientem præſtolatus Epiſcopus, ſuo complexu & ſacrâ apprecatione confirmavit. Is dies fuit vigeſimus Julij, quô primùm inſtituit ferales infectorum domos adire. Ingrediebatur per Urbem gerens Divinam in ſinu Evchariſtiam, tantámque vel exinde voluptatem animo hauriebat, ut jam humana omnia fluxa faſtidiens nihil præter cœleſtia cogitaret. Hinc ad comitem interdum converſus, ecquemnam, ajebat, mi Frater, nobiſcum ferimus? quot putas Angelorum millium comitatu cingimur, qui nos ambitu quodam affectantur? ità imperterritè inter perpetua funera verſanti, venerat decreta illi divinitus optata dies, adeóque in ſancto opere occupatum haud longo intervallo affla-

vit

vit contagio: quod ſimul ac diſſitum in vulgus eſt, ingens Urbem invaſit mœror: at ipſe contrà triumphare gaudio, & jam ad cœlum propiùs aſpirare. Una duntaxat erat in curatione moleſtia, quòd affectam corporis partem Chirurgo tractandam ſpectandámque nudari oporteret; ad quod officium morte ipsâ gravius, ſola potuit ejus animum ſubigere religio: ac tum ut maturaret, ut ſe quàm ocyſſimè expediret, Chirurgo identidem inculcare. Demum 6. Auguſti pijſſimè defuncti funus procurandum cum exequijs eadem primaria Sodalitas ſuſcepit, operante ritu Pontificali Epiſcopo, præſente Gubernatore, Magiſtratu, frequentiſſimóque conventu. Deceſſit P. Philippus anno ætatis 38. Societatis 20. in ea quatuor vota profeſſus. Quo eodem anno 1628. Bellioli in Flandria, in eodem peſtiferorum obſequio extinctus eſt 7. Sept: P. Guilielmus Engelbrecht, Brugenſis, annor: 34. Societatis 15. Die verò 20. ejuſdem Jodocus Van Ackere, Cortracenſis, annor: 33. Societatis 14. Antverpiæ item anno inſequente 1629. die 10. Sept: P. Joannes le Clerque Antverpienſis, annor: 35. Societatis 15. Et 23. Octobr: P. Adrianus Crucius, Gandenſis, annor: 53. Societatis 32. profeſſus trium votorum. Ac demum anno 1630. P. Michaël Groësbeck, 66. annorum, in Societate 45. Bergis S. Winoci vivis ereptus 6. Octobris.

Eodem charitatis zelo inflammati ad ſubveniendum peſtiferis per Belgium, varijs locis & temporibus deceſsêre Socij 67. per diverſos annos de nomine recenſiti à P. Philippo Alegambe in Victimis Charitatis, è quibus pauculos celebriores hìc adducemus: Pater Gerardus Vervianus Leodienſis annorum 37. Societatis 14. cùm duplici in peſte Namurci & Duaci ægris deſervîſſet, tertiò tandem repetitô ibidem Duaci charitatis officiô, cecidit 1. Nov: 1618. & Namurci quidem ſuperato malo, ad conſveta Operarij Societatis munia ſe retulit, per vicos & caſtella concurſans, ut catecheſi concionibúſque rudes inſtrueret, confeſſos expiaret: cujus invictum animi robur ac ferreum pectus ad omnia dura pro ſalute animarum molienda, magnæ Parochis admirationi erat. Domum ex agro ab ijs laboribus reverſo prima ſemper cura fuit, certiorem facere ſui reditûs Ædituum, & obteſtari, nè ſe, ſi quis ad opem pauperibus ruſticíſve ferendam poſtularetur, accerſitis alijs præteriret: vocatus autem, illico ſingulari cum ſignificatione lætitiæ procurrebat. Invitatus poſtremò Duacum, ut tabe illigatis præſto eſſet, iter tanto ardore corripuit, ut quod aſſolent alij quatriduo, id uno die ipſe & ſesqui confecerit. Ubi ſancto in opere conſumptus, Urbem cum Senatu bis publicè ſolenni cæremoniâ ſibi parentantem habuit. Brugis delatâ à Magiſtratu Rectori Collegij, ſub peſtis initia, Hoſpitalium curâ, non tantùm promtiſſimè admiſit, ſed primus ipſe aleam experiri voluit. Erat is P. Joannes Mans, Zivicææ in Zelandia natus, annorum 58. in Societate 30. mox à tyrocinio totos 28. annos Brugis commoratus, quatuor votorum Profeſſus, Operarius in paucis navus & indefeſſus; ínque eo miniſterio extinctus 28. Novembr: Anno 1621. Leodij P. Perpetuus Martini, Dionanti ortus, cùm ſe ad ſubſidium eorum, quos peſtis afflaverat, expoſuiſſet, lætari omnes, ſéque jam vel peſte emori contentos dicere, quando eſſent à tali Viro ſalutis opem habituri. Nimirum ejus ſpectata vitæ morúmque ſanctimonia vel ab ipſa infantia fuit: & cùm adoleſcens Leodij Syntaxim doceret, jam tum paſſim clareſcebat opinione ſanctitatis. Aſper in ſe, & propè crudelis, calculi acerbiſſimos cruciatus, ejúſque deinde ſectionem tulit tam firmiter, ut neque ingemiſceret, neque vultum contraheret. Peſte correptus in pervigilio B. V. Naſcentis, tertio poſt die extinctus eſt 10. Sept: anno 1623. ætatis 52. Societatis 29. trium votorum profeſſus; poſtquam prædixiſſet, à die ſuæ mortis luis ſævitiam mitigandam, dum penitus evaneſceret; quod & evenit. P. Guilielmus Prerart, Giveti in Eburonibus natus, annor: 58. in Societate 22. quam Sacerdos jam, & Dionanti Canonicus, totos 9. annos ardenter expetijt, priuſquam conſequeretur. Excelluit zelo animarum, & mirâ in comparandis ad mortem ægris induſtriâ; nec expectabat, dum acciretur, ſed ultrò ſe in ædes, ubi quem ægrum reſcîſſet, nullâ habitâ morbi contagioſi, aut perſonarum abjectiſſimarum ratione, ingerebat. Ad infectorum peſte obſequium ità ſe ardenter contulit, ut domo, in quam ſegregatus ſe conferret, nondum paratâ, maluerit moræ impatiens pernoctare ſub dio, quàm unicam, ùt ajebat animam in ſalutis diſcrimine relinquere. Obijt Dionanti 19. Auguſti 1625. Duaci verò eodem anno, 9. Sept: P. Joannes Chiſaire, Montibus Hannoniæ ortus, in eodem obſequio peſte correptus, cùm ſolitò diutiùs eâ conflictaretur, neque convaleſcendi ſpes brevis exiſteret, cedere locô infectorum, & ſucceſſorem muneris admittere eâ duntaxat conditione aſſenſit; ut ſi vires integraſcerent, ſuum ipſe quantocyùs in locum & munus rediret.

Verùm priùs exivit è vita prolixis & acerbis doloribus conflictatus; quorum violentiâ cùm sæpiùs è potestate mentis exîsset, nihil unquam præter DEI & DEIparæ laudes ore protulit, solis eorum encomijs animum exerrantem oblectans. Ibidem 27. Novembr: sed anno 1617. obijt Mathias de la Saulx, Insulensis, Coadjutor, annor: 35. in Societate 14. Facessiverat ille Moderatoribus annos complures gravem molestiam, præpostero Sacerdotij obtinendi ambitu; jámque eò hominis importunitate res erat deducta, ut ab Societate postridie dimittendus esset: cùm eâ nocte ad lecti pedes secundùm quietem adstitit illi S. IGNATIUS; & manu exitium, si perseveraret in proposito malè suscepto, comminatus est. Eò viso ità commotus est animo, ut primô manè manantibus oculis ad pedes Superioris acciderit, & in Societate permanendi primùm potestatem, & subinde lue grassante, ægris famulandi impetrârit; magno Collegij damno luctúque amissus, quòd esset curandorum morborum peritiâ, alacritate, constantiáque singulari. Antverpiæ Pater Lævinus Wonters, Bruxellensis, annorum 55. in Societate 36. die 29. Octobris, diem clausit. Hic auditâ Romæ sub Professore Mutio Vitellesco, postea Societatis Præposito Generali Theologiâ, reversus in Belgium; ubi Duaci Philosophiam, Audomari atque Antverpiæ Theologiam Moralem prælegisset, in Holandia saluti Catholicorum procurandæ, inter quotidiana vitæ pericula vacabat; quando Amstelodami communem in carcerem primùm, fraude nefarij Ministelli, mox in fœdum scurrarum ergastulum detrusus est, & biennio detentus, multorúmque criminum injuriosè, duorum præcipuè Arminianæ sectæ ministrorum scelere, postulatus. Unde illum cùm neque sua innocentia valeret, neque Virorum Principum intercessio eripere, eripuit præsens ejus medijs in periculis prudentia, ut in Belgium Catholicum evadens, campum habuerit Antverpiæ, servatam vitam in contagiosorum obsequijs prodigendi. Duaci Anno 1626. P. Antonius Caucius, Montibus Hannoniæ natus, extinctus est 27. Sept: annorum 42. in Societate 21. cùm anno superiore Insulis, quinque mensium operam in mortales cum peste luctantes incolumis contulisset, incredibili patientiâ, in summa vescendi penuria, donec iniquitas famuli, qui cibaria dum à Collegio deferret suos in usus avertebat, deprehensa est. Vix ab Insulensi clade recreatus, ubi Duacum idem in opus invitatus est, lætissimo statim animo convolavit; sed vix in eam arenam ingressum, contagio mox corripuit atque absumpsit. Attrebati 29. Sept: P. Ægidius Rabache, Bethuniensis, anno sæculi 1627. ætatis 65. Societatis 27. diem clausit, tertiùm in hac Charitatis palæstra, nec unâ præterea vice ante aditam Societatem Parochus versatus, ob singularem animi demissionem omnibus charus.

Ex Alegambe Victimis Charitatis.

P. JOANNES FRANCISCUS MARTINCURTIUS cum alijs 40.



Xorta per Galliam in necem mortalium Anno 1628. pestilentia, solidum deinceps triennium tenuit, & multis passim funeribus dirè fœdavit: in illos etiam sævior, qui miseris opitulatum veniebant. Ex his primum spolium Aureliaci sustulit, ídque insigne, quia animæ magnæ fuit, ad diem 18. Augusti; carbonibus pestiferis 25. oppressæ, quò immensum ejus desiderium hoc mortis genere vitam ponendi satiaretur. Fuit is P. Joannes Franciscus Martincurtius, cujus ego præcelsam virtutem, profundissimæ humilitati cum vitæ contemptu sociatam, optimè oculis subjecero, si solam hìc ejus epistolam recitavero, quam dedit ad Petrum Casanum, Tolosanæ Provinciæ Præpositum, ut peste laborantium obsequio destinari impetraret, quæ sic habet: *Aureliacum nostrum, ubi hac nocte duo in duobus diversis domicilijs peste sublati sunt, præpotens DEUS istius, qui hæc scribit, miserrimi peccatoris sceleribus præcipuè lacessitus, die B. V. Visitationi sacro visitavit. Et quamvis, ùt auguror, plus timoris sit quàm periculi, omnia tamen in Urbe commota & perturbata sunt, & nè malum latiùs serpat, timetur. Cùm igitur in Societate inutilis & nullius momenti homuncio degam, atque aliunde hujus calamitatis, ob innumera mea peccata auctor sim, à R. V. enixè postulo, ut justitiam exerceat, istúdque caput pro eorum salute, quibus tot mala accersivit, justæ morti objiciat. Id si R. V. alijs concessit, eorum tantùm charitatis rationem habuerit necesse est: meis verò criminibus debita supplicia, & divinæ vindictæ justæ leges, istud*



P. Ioannes Martincurtius Soc. Iesu, Gall., & alij 40. ex Socijs, quàm plurimis mortalib., contagione per Galliam sæviente, ad opem ferendam accurrentes, felici exitio consumpti Aureliani, et alibi per Galliam Anno 1628. et sequentibus. 122.

istud singulari quodam jure exigunt; faciúntq; ut credam, mecum non sinè magno misericordiæ excessu actum iri, si hanc mihi cœlum concedendi misericors DEUS rationem inire velit. Eam igitur hac de re oro & obtestor, per sangvinem ejus, à quo, ùt petitioni justæ annuat, interiùs spero movebitur. Sanè quidem, si liberum eum esse ab omni metu, qui in peste suam operam velit navare, expedit: istud tanquam rem certam sibi persvadeat R.V. me, sive Divino ejus muneri, seu mentis stupori sit adscribendum, omnis prorsus timoris esse vacuum. Animi verò promptitudinem, ad opem proximo ferendam in summo isto discrimine, majorem, quam mereor, sentio. Faxit DEUS, ut majorem adhuc indies experiar, & ut illius causâ mihi mori detur, qui nostrâ mortuus est. Per quem quemadmodum in sanctissimo Sacrificio ejusdem Patri vitam & mortem meam cum ipsius oblatione conjunctam offero, ità manibus R.V. committo vitam hujus stipitis, inutilisque quidem trunci, sed aridi, & Divinæ justitiæ flammis concipiendis apti. Omni studio contendo à R.V. ut auxilio mihi sit in commutandis istiusmodi supplicis æternis, cum hac opera, quæ peste laborantibus impendi solet à nostris: oróque ut Paternam benedictionem conatui meo impertiri dignetur. Aureliaci die Visitationis B.V. 1628. Ità animatus gloriosum in certamen subinde prodiit; neque stationem priùs, quàm vitam deseruit, menstruo paulò plus intervallo charitati impenso extinctus. Pari exitu Biturigibus decessit 28. Augusti P. Petrus Barrage, domo Ægimontensis, annorum 39. Societatis 9. Et laborum ejus comes Antonius Rapin, Allobrox 3. Sept: Coadjutor temporalis, annorum

 50.


50. Societatis 21. Item Rhedonibus 22. Septembris, Claudius Roussel, Gallus Catalaunensis, Scholasticus, annorum 32. Societatis quinque. Hic ab exacto tyrocinio triennium Grammaticæ classes professus, indéque Flexiam ad Theologica studia jam destinatus, exortâ repente in Urbe peste, confestim Superiorem adijt, eámque sibi jam superiore anno expetitam Provinciam magnâ rursum alacritate depoposcit, adhibitis quoque ex voto certis ad B. V. deprecationibus, nè repulsam ferret. Quin & illud enixè à DEO contendit, ut in ea tam sancta, tam gloriosa expeditione daret occumbere, felicem se cum Apostolo fore reputans, si pro fratribus animam poneret: nec irritæ fuêre preces; post quartum enim diem, quô publicum Nosocomium ingressus est, à percepto sacro Epulo pestiferâ febre correptus, celeri morte postridie enectus est. Uti & Camberij 4. Octobris Pater Gaspar Chapelle, Allobrox, annor: 40. in Societate 19.

Carpentoracti Pontificiæ ditionis haud Avenione procul, vigesima sexta Decembris, in ijsdem pestiferorum servitijs mortem oppetijt Jacobus Vasserot, indidem oriundus, annorum 41. in Societate 22. Coadjutor laboriosissimus, miræq; charitatis & industriæ. Pridie quàm emitteretur ad locum pugnæ, D. JESUM secundùm quietem habuit præsentem, sed aversum ac sibi terga obvertentem: quem ille cum flexis genibus sequeretur, obsecrarétque sua sibi peccata remitti, conversus Dominus dixit: *dimittuntur tibi peccata tua*; quô factô evigilavit actutum, tantâ animi svavitate delibutus, ut incredibile dictu sit. Mox totius vitæ noxis expiatis, cùm sacro reficeretur Epulo, tantum profudit lacrymarum, ut eas quoque Sacerdoti exprimeret operanti. Porrò curâ omnium in Nosocomio susceptâ, ità singulorum corpora curabat & animos, ut Pater omnium videretur: & Chirurgis morte sublatis, in eorum ipse munus subiens, venam omnibus sinè metu laxare, pharmaca applicare. His in operibus bis eâ lue appetitus est, ac tandem post recepta omnia Sacramenta superatus. Neque cum expirante anno lues ibi desijt, sed insequente Januario A. 1629. sæviùs etiam per Galliam invalescens, ibidem Carpentoracti sustulit die 2. Januarij P. Joannem Berardier, Beluensem, anno ætatis 48. Societatis 25. Coadjutorem spiritualem. Hic magnis precibus gratiâ serviendi infectis obtentâ, quâ primâ die ad hospitalem sedem ingressus est, designatô certô sepulturæ locô: *hic me*, inquit, *ut reor, brevi humaturi estis*; atque eô ipsô non multò pòst conditus est, octo enim duntaxat dies ægris servivit, sed tanto fervore, tam nullâ sui curâ, ut tam celeriter virus ab illis combibisse mirum non fuerit. Neque enim dici potest, quanto flagraret hanc mortem obeundi desiderio, fruendíque citò Divini conspectûs, quô moriens animum inflamatis amoris & contritionis actibus identidem incitabat. Secundùm illum abijt 10. Januarij è vita Joannes Merle, Montefalcenio oriundus, annorum 28. in Societate 4. Tardiùs verò ad 5. Julij Pater Claudius Marthod, Camberiensis, annorum 66. in Societate 44. Coadjutor spiritualis, passim à Nostris sanctus existimatus. Ex ardentissima cupiditate martyrij, ut à pestilentium obsequio saltèm cum imitatione quadam mortem consequeretur, Carpentoractum mitti (nam alibi tum agebat) impetravit, & simul ac accessit, occupatis lue ad obsequia se stitit, præmium tam ardenter concupitum brevì consecutus. Die verò 24. Julij ibidem postremus obijt Petrus de Livere, Lingonensis, Coadjutor temporalis, annorum 48. Societatis 24. Lugduni 5. Martij Franciscus Columbus, Bressianus, Coadjutor tempor: annorum 23. Societatis 4. qui totos sex menses egregiâ charitate, viribus semper integris, dum pestilentia viguit, impensâ ægris operâ, periculo jam opinione omnium defunctus, dum clementius jam esset malum & penè restinctum, derepente correptus occubuit. Jam Salinis in Burgundiæ Comitatu 20. Martij ereptus est P. Nicolaus Chevalier, è pago Lotharingiæ Frovilla oriundus, annorum 52. in Societate 25. Coadjutor spiritualis. Alter verò 7. Septembris Pater Antonius Richardus, Burgundo-Sequanus annorum 59. in Societate 24. Viennæ urbe Galliæ 18. Augusti P. Petrus Richard, exquisitæ virtutis & zeli Operarius; cujus tantus fuit in pauperes amor & beneficentia, ut passim Patris nomine in ijs vocaretur, neque majores illi essent deliciæ, quàm si egentissimos quosque convisere & juvare posset. Obedientia ad omnes Moderatorum nutus semper fuit expeditâ, quorum jussu octies minimùm, Philosophiæ cursum imparatus confecit. Demum adjuvandis pestiferis concessus, ardoréne contentionis & laborum multitudine magìs, quàm veneno inflatæ pestilentiæ mortem oppeteret, in dubio reliquit. Uticæ 27. Septembris P. Antonius Bronod, Lugdunensis, annorum 46. in Societate 25. professus 4. votorum, de ea Urbe optimè meritus, etiam postquam in manus Hugonottorum cessit, diu feliciter inter eos concionatus, vitæ integritate in admirationem

rationem raptis hæreticis, ut omni contumeliâ in eum & injuriâ abstinerent. Gratianopoli 28. Septembris P. Jacobus Trompel Vinariensis, annorum 37. in Societate 10. Et in eadem Lugdunensi Provincia, diversis locis, per mensem Novembr: Jacobus Albardus, Scholasticus, annorum 27. in Societate 6. Daniel Alvier, & Joannes Salet. Aquis-sextijs in Novembri & Decembri incompertis diebus occubuêre sex, Gregorius Baudasses, Aniciensis, annor: 39. Societatis 11. Andreas Geraud, annorum 59. Societatis 23. P. Elzearius de Oraison, vir summo loco Borboniorum prosapiâ ortus, annorum 41. in Societate 8. in qua se negabat unquam mœstitiæ quidquam, vel ad horæ quadrantem, expertum esse. Severitate in corpus suum excelluit apud nos, ut vestitus, nec priùs somnum capesseret, quàm se flagris inclementer concidisset. Simon Bouvet, Vivariensis, annorum 34. in Societate 12. Joannes Daniel annor: 24. in Societate 2. Ac demum 29. Decembr: P. Jacobus Isnardus, Arnuernus, annorum 45. in Societate 25. professus 4. votorum, ejúsq; tunc Collegij in annum secundum Rector. Hic quia parùm firmâ corporis habitudine, virulentis aspirationibus habebatur obnoxius, rogabatur à nonnullis, ut maturè illo se periculo evolveret: verùm ùt erat animi excelsi, mori magis habuit studio charitatis gratiâ, quàm vitam periculi declinatione prorogare. Itaque dum sibi morem gerit, & quam potest, opem ægris præstat, die Natalis Domini venenatâ cujuspiam afflatus animâ, quatuor dies cum peste luctatus, haud minore Civitatis mœstitiâ, quàm fuerit in viventem amor, amissus est. Denique 16. reliqui numerantur è Socijs, qui hoc eodem A. 1629. per varia Galliæ loca pestiferorum obsequijs addicti, vitam posuêre, quorum nomina recenset Philippus Alegambe in Victimis Charitatis, ad hunc annum cap. 3.

Ex Alegambe Victimis Charitatis.

P. FRANCISCUS BOUTONUS cum alijs 9.



FRanciscus Boutonus, natione Gallus, gente Sequanus, Vir in insignibus naturæ & gratiæ dotibus locuples, & multarum pro Christo ærumnarum perpessione clarus, ad Societatem se aggregavit anno 1597. ætatis 18. & Professionem solennem 3. votorum emisit. Ad omnes tres in cœlo laureolas consequendas, Virginitatis, Doctrinæ, & Martyrij, per totum vitæ decursum quàm strenuè connisus sit, vel indè colligas; nam de illibata ejus puritate, & omnimoda animi corporísque nitela, abundè constat: Doctrinæ verò prærogativam exquisita hominis sacra eruditio, libris conscriptis (quos videre est apud Alegambe & Raynaudum) & publicis lectionibus exprompta, spondet: ad extremam Martyrij lauream consequendam nihil ex parte sua omisit, vincula & carceres inter infideles expertus: & licèt hanc reipsa minimè adeptus sit, quia persecutoris gladius vitam non abstulit, nihilominus in obsequio pestiferorum mors ex Christiana charitate oppetita, post diuturnum vitæ, in cruce per tot annos exactæ martyrium, pretiosum in conspectu DEI exitum ejus reddidit. Missus enim Constantinopolim curandæ rei Christianæ causâ, annitentibus per calumniam hæreticorum Principum inibi Legatis, in tetrum carcerem cum socijs compactus est: unde cùm magni cujusdam Viri operâ essent eximendi, uno duntaxat eorum pignori relicto; apud illum liberationis sequestrum omni studio, & quàm humillimis precibus egit, nè exolveretur; sed unus pro alijs suo periculo in carcere remaneret: atque adeò multos menses in carcere à Turcis retentus est. Revocatus in Galliam, naufragio facto ægrè luctatam cum fluctibus vitam servavit: & in littus Calabriæ expositus, principiò haud mitiores fluctibus mortales invenit. Nam cùm abjectis ad faciliùs enatandum vestibus, solâ lineâ subuculâ, & lecticario pileolo enatâsset, ab accolis Italiæ pro pirata naufrago habitus, præsentissimo necis discrimini subductus est, exhibitis literis Societatis patentibus, quas ad natationẽ se accingens pileolo immiserat: quarum chirographo exhibito agnitus quis esset, tractatus est perhumaniter, & absterso è tot discriminibus mærore non modicè recreatus, ad proximum Calabriæ Collegium adductus est. Galliæ redditus, 12. ipsos annos propè dixerim non manducans, neque bibens, aut etiam dormiens exegit. Culcitram nesciebat, vel ullam omnino laneam mattam, exiguâ duntaxat paleâ ad stratum contentus. Solo pane, & hausto semel in die juris demenso, nullo præterea addito obsonio victitabat. Potio illi parca, & ex vino adeò aquâ macerato, ut vini saporem, atque adeò colorem ægrè tueretur. Quam tamen victûs duritiem communi in con-



P. Francisc₉ Bouton₉ S.J. Gall₉; post vincula et carceres apud Turcas, naufragio in Italiam eject₉, in obsequio pestiferorum Lugduni in Gallia cum 9. Socijs extinct₉ est die 17. Oct A°1628. Ætat: 50.
123.

convictu adeò tegebat, ut non nisì curiosi exploratores perciperent. Eâ fuit legum religiosarum observantiâ, ut vel levissima quæque præterire religioni duceret: silentij præcipuè & secesſûs amantissimus, quem solâ caritate adactus relinquebat, ut se daret in publicum.

Vocatus est aliquando ad militem emotæ mentis, qui non videbatur solvi posse noxarum vinculis: hìc Pater animi dubius, pro ægro preces ad DEUM fundere instituit: vixque desierat orare, cùm ille ad se redit, conscientiam enucleatè aperit, & cum DEO bonâ fide reconciliatur. Inde mox in priorem amentiam recidit; mirum ut omnibus videretur sibi tamdiu constitisse, dum sordes animi elueret. Impegerat illi aliquando, præsente magnâ hominum copiâ, impudens quispiam colaphum; ad cujus pedes prostratus illico Pater, veniam petijt, si quâ re homini molestus fuisset. At ubi palmaris hæc injuria ad Vicarium Apostolicum Avenionem delata est; coëgit malefactorem culpam Patri publicè deprecari; magnóque comitatu suorum ad Collegium Societatis eâ causâ transmisit. Id ubi advertit Pater, latebris sese recondidit; ex quibus post diuturnam totâ domo conquisitionem extractus, prior ipse ad pedes hostis sui concidit, magnâ omnium super insolitâ Viri humilitate admiratione. Quantus verò in eo vigeret crucis, & salutis proximorum amor, ultimus in proscenio vitæ actus monstravit. Namque teterrima lues urbem populosissimam Lugdunum anno 1628. depopulata, plures hominum centurias in dies singulos, & quidem magnam partem sinè Sacramentis

mentis absumebat, ut demum extinctorum supra 50. millia censerentur. Quorum miseratione, & salutis æternæ periculo tactus Pater, Superiores exoravit, ut unus esset ex lecto illo manipulo, cui juvandorum ægrorum provincia crederetur. In quo negotio dum supra vires, agente flagrantissimâ charitate, in opus incumbit; immensos cum socio P. Ignatio Pomponio, strenuissimo & valentissimo Operario, exhausit labores, quorum amorem copiosa Patris misericordiarum largitas abstergebat. Profitebatur enim se in eo ministerio ijs ipsis, quas in carcere Turcico pro Christo senserat maximas, liquidioribus & uberioribus spiritûs voluptatibus circumfluere. Correptus tandem unà cum socio lue, exquisitæ patientiæ luculenta argumenta in morbo dedit, & crucis adamatæ. Nam & Chirurgum urgebat, ut emplastra ulceribus concarnata violenter revelleret, mollem vulnerum contrectationem dispendium patientiæ interpretatus: & Fratrem valetudinarij curatorem, cùm alia patiendi materia deerat, impellebat; ut chartis manui suæ admotis ignem injiceret, ad qualemcunque corporis ustulationem; his illum verbis compellans: *ô mi Frater, quàm bonum & suave semper aliquid pati in corpore Christi causâ, dum vivimus!* Et jam propè ad extrema ventum erat, cùm fatiscentia membra vigore spiritûs sustentans, ad Collegam P. Ignatium Pomponium, morbi violentiâ planè fractum, adrepsit, & ad extremam luctam ritu Catholico inunxit. Tum sublatis, prout potuit, in ejusdem stratum pedibus, vicissim ad inunctionem aptavit sese, quàm à defecto viribus ægre, & magnâ difficultate, sed tamen excepit; spectaculo nescias pietatis, an commiserationis pleniore, quódque uberes lacrymas & adstantibus, & audientibus excivit. Nec ità multò pòst uterque inter pias ad Christum voces, excoctum in tribulationis camino spiritum DEO reddidit, Pomponius quidem 15. alter verò 17. Octobris 1628. ætatis Francisci 50. Pomponij 29.

Hos proximè 13. Octobris antecessit, qui operam eandem decumbentibus navârat, Stephanus Col, Adjutor Societatis temporalis, Allobrox, Vir industrius, & pietate ac virtute eo exitu dignâ, annorum in Societate 4. Adjuncti & alij, horum in juvandis ægris flagrantissimæ charitatis, ac non fucatæ fortitudinis æmuli: P. Joannes Corlet, annorum 60. Concionator egregius, & 8. annorum Rector, 25. Octobris extinctus; & P. Laurentius Bourtonus, facilitate morum, & vitæ religiosâ accuratione conspicuus, 15. Novembris, annorum 33. Hi cum procul Lugduno abessent à discrimine, miseratione tacti communis calamitatis, & periclitantium de æterna salute animarum, generosè, & Ignatii filijs dignè, sanctum ægros juvandi ministerium expetierunt: & quòd imbecilliores haberentur, quàm ut possent laboribus pares esse, repulsam non semel passi, non abstinuerunt petitione, donec Lugdunum veniendi, & discrimen adeundi potestas fieret. Et habuerunt gloriosi agonis & mortis participes, quos nacti erant laborum adjutores, Franciscum Champinum, Petrum Maillet, Mauritium Laurentium, & Claudium de Chisaulx, laicos insigni religione & pietate. Felices animæ, quibus DEUS pro miseræ vitæ per paucos annos usura, quos florens adhuc ætas spondebat, immensitatem beatorum sæculorum, & sanitatem nullâ unquam invaletudine tentandam rependet! Queis accessit 10. Novembris Pater Claudius Bordon, Avenionensis, annorum 54. in Societate 36. vota 4. professus, qui omnem ferè ætatem explicandis Matheseos, Sacræ lingvæ, & Scripturæ scholis contrivit.

Ex Nierembergij Tomo 3. & Alegambe Bibliotheca, & Theophilo Rainaudo in Mantissa de pijs Lugdunensibus non vindicatis.

P. JOANNES GONDINUS.

INdefessus Evangelij Operarius P. Joannes Gondinus, natione Hispanus, gente Aragonius, patriâ Munebregensis, parentes habuit domi suæ honoratos & devotos: à quibus Complutum ad studia literarum missus: sub Philosophiæ terminum tantis urgeri ad Societatem stimulis cæpit, ut resistere amplius impotens, Confessarium in Collegio conveniret, dicens: *venire se, ut admissionem inter Socios impetret; quod tamen si negetur, eò majori sibi fore gustui & solatio.* Indignatus juvenis vecordiam Sacerdos: *si tam averso animo accedis*, inquit, *ut quid postulatione tuâ nobis illudis? minimè verò*, respondet Gondinus, *sed quia non propriâ sponte & propensione illectus, sed indesinenti spiritûs impulsu coactus id facio.* Receptus igitur ad annum 1589. cùm ætatis ipse ageret 20. absolutis excellenti pro-



P. Ioannes Gondinus Soc: Iesu, Hispanus, Vir insatiabilis zeli; in Animarum conversione atrocia quæque perpessg, et tandem maleficio magico è Vita exturbatus Toleti Anno 1629. 2. Iulij. ætat: 60

124.

ti profectu Theologiæ studijs, Philosophiam iterum ac tertiò docuit: sacram quoque Scripturam ac Theologiam explicaturus, nisì casus levissimus declarâsset, quantò plus Ecclesiæ emolumenti allaturus esset in Ecclesiastica quàm in cathedra Scholastica: nam licèt ingenij perspicuitate & talentis ad scholas opportunis usque ad excellentiam emineret, nunquam tamen videbatur gratiâ saltem mediocri ad dicendum pollere: ut adeò nec unius aliquando concionis faciendæ labor à Superioribus illi imponeretur. Quare firmum omnium, qui hominem nôrant, fuit judicium, hoc illi talentum divinitus repentè fuisse infusum, ad innumerabilium animarum salutem, quas universam deinde Aragoniam sacris Expeditionibus & Missionibus per omnem viam peragrando, cœlo lucratus est. Contigit igitur aliquando Murciæ Sacerdotem, qui carcerum curam gerebat, repentino casu impediri, quò minùs solitam ad eos concionem haberet, cujus proinde vices Gondinus à Rectore sibi impositas tanto fervore, spiritu & eloquentiâ implevit, ut in stuporem daret universos; socium maximè à quo edocti Superiores de rarissimo in hominis anima recondito thesauro, sæpius illi copiam dicendi ad populum fecêre. Ex his tam modicis initijs crevit admirabilis illa dicendi vis, ob quam meritò illum vocat Joannes Rho in sua varia historia lib: 3. c. 7. n. 7. *Fulmen violentissimum popularium concionum, impetu quodam nusquam obliquo, aut formidoloso obstantia quæque vitiorum perrumpens, & objectis terroribus impavidum. Sed contra eos præcipuè, qui scelere inexpiabili Ædes DEO sacras* pro-

profanant, implacabile gerebat bellum. Cùm in illos esset invehendum, tonare, fulminare, omnia permiscere: ut quibus ille in locis agebat, lætior paulatim rerum facies rediret. Quoties ferè ad populum dicebat, gemitibus omnia & suspirijs complebantur; tantúsque semper affluebat auditor; ut quia concionem Templa non caperent, proferendus non rarò in publicum ante fores, Madriti præcipuè, esset pulpitus.

Et licèt efficacissimus illi foret modus, virtutum quamlibet persvadendi, aut vitium impugnandi; summum tamen adhibebat conatum in comendanda generali peccatorum exomologesi, quòd ejus necessitatem longâ multorum experientiâ didicisset; in ijs præsertim, qui ferè hebdomadatim confitendo, nihilo inde meliores evaderent: tum etiam ut securior pœnitentibus redderetur salus, suppletis varijs confessionum particularium defectibus, præcipuè quæ de peccatis adolescentiæ peragi solent, frequenter seu defectu notitiæ, seu verecundiâ & pudore non integræ, vel serio dolore & proposito emendationis destitutæ. Quo in genere quantum fervore suo profecerit, vel ex solis ejusmodi generalibus confessionibus ab ipsomet exceptis arguere fas est, cùm sinè comparatione plures in aliorum Sacerdotum aures, quos finitâ concione Auditores semper fatigabant, depositas esse dubitari non possit. Quadraginta enim annos, præter concionum labores, quotidianas pœnitentibus aures indefessè præbere solitus, fassus est; spatio annorum undecim auditas sibi esse supra decies septies mille confessiones generales: quibus si residuos 29. annos adjicias, ingens omnino evadet illarum numerus, cui si particulares exomologeses adjungas, innumerabilis propè copia excrescet. Atque hoc genus pietatis inculcandi nullam omittebat occasionem, quin & captabat perstudiosè: cúmque fortuitò contigisset transire Belmontium, potestate dicendi ad juventutem scholasticam impetratâ, tanto ardore illam exhortatus est, ut totam eam noctem cum die sequenti, audiendis Academicis de tota vita se accusantibus impendere necesse fuerit. Oropesæ verò post ejusmodi ad scholares dictionem duplici tertianâ occupatus, ubi primùm frigus caloris prævium sustinuit; admitti liberè confessuros adolescentes præcepit; audivítque non interrupto labore supra trecentos. Denique tam assiduam pœnitentibus dabat operam, ut in hoc labore noctes sæpè diebus conjungeret, negligens cibi somníque; à quo nè opprimeretur inter auscultandum, leniter interdum unà cum pœnitente inambulabat. Jam verò methodus prædicandi tota erat Evangelica, ad serium animorum motum unicè directa, cui DEUS vim tantam affundebat & lucem, ut effrænes in vitia adolescentes, licèt solâ curiositate auditum accederent, in liquidissimas pœnitentiæ lacrymas solveret, etiamsi nihil de hac, sed de rebus ad gaudium & jucunditatem animi conducentibus verba faceret. Sancto die Paschæ loquens de gloria redivivi Salvatoris, in qua Matri visendum se præbuit, copiosum non minùs tenerrimi amoris fletum in populo concitavit, quàm dum Passionem Christi dolorosissimam exaggeraret.

Omnino constans opinio est, non habuisse hanc ætatem in Hispanijs virum, qui gravioribus, pluribúsque laboribus sit defunctus in animarum procuratione: ut nisi robustiore quadam vi cœlitus confirmaretur, nullo modo par illis esse posse crederetur: cùm aliunde complexionis esset imbecillæ, & cruorem è pectore copiosum egereret; sæpiùs indè in vitæ discrimen adductus: apparebátque illum à Divina Justitia in suum præconem electum, ut peccatoribus scelera illorũ ob oculos poneret, impelleretque ad seriam illorum expiationem. Atque hoc ille præstabat intrepido constantíque zelo, insectando verbis gravissimis quælibet vitia, nihilipendens Nobilium quorundam & potentium iras, suíque persecutores: quem honoris Divini zelum quantopere cœlum approbaret, prodidêre radij ab ore dicentis magno splendore dimanare visi. Hoc autem animos unicè movendi studium censebat ità Concionatoribus necessarium; ut si eo neglecto ad captandas & mulcendas aures deflecterent, crederet periculum damnationis æternæ sibi accersere; haberétque pro reprobationis signo, si Concionator applausu populari contentus, vitia emendare & castigare supersederet. Ut plurimùm diebus singulis, præsertim Missionum tempore, dicebat per diem bis térve, sermone ad tres & quatuor horas protracto: reliquum verò tempus omne pœnitentibus dabat audiendis, ante & post concionem, eâdem semper hominum frequentiâ, seu dies festus esset, seu ferialis. Bellum illi implacabile adversùs comædias, choreas minùs quàm par erat pudicas, & profanas vestium novitates, atque omnes hominum periculis obnoxias promiscuè congressiones: in qua causa multa omnino tulit fecítque, sudavit & alsit. Ad hæc excurrebat ad custodias & nosocomia, ad ludos elementariorum, & omnibus suam operam

operam ad propriam salutem ingerebat, exibat ad pagos & oppida circumposita, & nullo frigoris æstúsve discrimine discurrebat. Semper de DEO rebúsque Divinis, publicè, privatim, quovis cum genere hominum, in domibus, compitis, & vijs publicis tractabat, suavitate facillimâ, quâ animos omnium ad virtutis amorem, ceu quadam contagione rapiebat: Fidem propemodum excedit, quantam frugem expeditissimo genere mortalium, aurigarum, agazonum, pastorum, naviculariorum, cauponum collegerit; nullam enim hominum sortem refugiebat, pari comitate & humilitate erga infimos utens, quâ in summos. In triremibus ad classiarios & nautas excolendos sæpius divertens, eâ dexteritate & affabilitate hoc genus hominum profligatorum tractabat, ut noctu diúque labore continuato nemo remaneret inexpiatus. Utque morum emendatio introducta ætatem ferret, in quovis navigio sodalitatem fundabat sub cura Capellani, ad impediendas blasphemias & juramenta, & ad eliciendum quotidie post Litanias publicè recitatas actum contritionis. Iter agenti in suis expeditionibus, si fortè occurrerent per campos bubulci, aratores, vel pastores, relicto tramite illico ijs se adjungebat, agebátque prolixè, nulla prosequendi itineris curâ, si opus foret horis pluribus, non raró noctes integras in tugurijs cum ipsis transigens, dum singuli expiarentur. Diverterant in eodem aliquando hospitio (quod sæpiùs aliàs accidebat) præter peregrinos, plures 20. ejus regionis prædones, cœperántque inter cænandum cum mulierculis obscæna quædam tractare: Pater honoris Divini zelo incitatus, suaviter primùm eos alloqui, tum concitato fervore turpitudines ejusmodi ità exaggerare, ut omnes salubri terrore concussi, noctem illam in peccatis totius vitæ eluendis consumpserint, alij penitus à se, primo manè singuli in suas domos digressi.

Nec minor ex ejus consortio redundabat fructus in Missionum socios, quos eâ causâ alios atque alios illi addebant Superiores; nam eundem paucis diebus hauriebant spiritum, & in animarum lucra exardescentes, evadebant in Viros planè Apostolicos, viribus ad id ministerium etiam miraculosè auctis. Sanè P. Joannes Martinez de Bilbao cùm per complures studiorum annos valetudine esset adeò prostratâ, ut neque illis debitè intendere, neque ulli Societatis muneri idoneè impendi posse videretur; à suscepto Sacerdotio, comes Patri ad unam peregrinationem additus, paucis diebus exemplis illius incitatus, æmulari zelum cæpit; & in alium penitus hominem mutatus, non solùm vires corporis integras recepit, sed animo etiam in salutem animarum succensus, omnes quibúscum ageret simili ardore complebat, exitu prorsus glorioso coronatus. Exoratâ namque in Insulas Philippinas Missione, cùm eâ classe discederet, quæ in ipso Hispaniæ portu naufragio interijt, nullo negotio, si vellet, mortem effugere potens, vitam illi posthabuit, nè confessionis expertes classiarij interirent. Jam verò in tanta exempla verborúmque Gondini efficacia, si qui fortè obstinatè perversis moribus inhærerent, severa DEI vindicis manus compellebat vel suo malo edoctos obtemperare. Anno 1613. Murciæ summâ vi pro concione in profana spectacula detonante Patre (quibus commodiùs repræsentandis domum publicam cives construxerant) contigit ponè ipsam Templi januam comœdiæ actores transire; horum impudentiâ concitatus ad zelandum honorem DEI, imminentem populo atrocem à DEO pœnam comminatus est, quam in ea ipsa domo spectatores magno suo detrimento essent experturi. Biduo pòst nihilominus ingens hominum multitudo ad spectaculum primâ vice agendum conveniens, theatra omnia occupavit; & ecce improvisâ ruinâ quartum ex ijs subsidens, plurimos mortalium oppressit, quosdam penitus enectos, quosdam miserrimè collisos & mutilatos. Accurrit excitus publico tumultu cum aliquot Sacerdotibus Gondinus, si quam morientibus opem afferre posset: quem interim fugitiva plebs magnis per compita clamoribus sanctum & Prophetam acclamabat, suam condemnans temeritatem, cui tam apertè DEI vindictam prænuncianti fidem abnuisset.

Felicior fuit vates Nobili cuidam in civitate Huete, à sæculi vitijs mirabiliter unâ suarum concionum abstracto, cujus in proposito melioris vitæ constantiam impensè DEO commendare solebat. Huic die quodam mox à peracto Sacrificio factus obvius, spectabili DEI afflatu asseveranter prædixit: *vide sis in sanctiore instituto perseveres, & ad Virtutis culmen enitàris, siquidem ante lapsum biennium fiet ut ex hac vita evoceris.* Tam insperato nuncio conturbatum vehementer conatus est Pater excitare ad desiderium æternorum: cùm post unius & dimidij anni moram ægritudo hominem occupat, quam sibi fatalem fore constanter amicus asseverabat, quòd ità Gondinus prædixisset. Verùm placuit DEO ad majorem fidem vaticinio servi

sui

ſui adſtruendam ità conſtituere, ut infirmitas, quâ ad mortis confinia adductus jam videbatur, magnis remitteret decrementis, planéque conſanuiſſe videretur; familiarium quibuſdam etiam falſitatem in prædicatione Patris arguentibus. Perſtabat nihilominus conſtans in ſententia æger, quòd necdum biennij tempus excurriſſet: cùm paucis hebdomadis ſubitò revaleſcens malum hominem ad lectulum rejecit, magnáque voluntatis cum Divina cõformatione morientem è vivis ſuſtulit. Peroranti aliquando ad populum, obſtrepebat è nobilitate impudens leno, ad Templi fores importunis alloquijs & officijs mulieres ingredientes obſervando; & quia Pater injuriæ loco ſacro irrogatæ impatiens, libero zelo peccantem è pulpito reprehenderat, tantâ miſer exarſerit iracundiâ, ut ferro dedecus ulciſci ſtatuerit. Itaque domum à concione repetentem ex inſidijs opperiens, diſtricto enſe invadere parabat; ſed Pater ruentem in ſe advertens, intrepidâ ſeveritate alloquitur: *heus tu*, inquiens, *intelligiſne Miniſtrum DEI me eſſe & Sacerdotem?* eâ voce veluti tonitru ſtupefactus Nobilis, in genua procidens, veniámque ſceleri flagitans manum oſculo petijt, & domum officiosè deducto totius vitæ peccatorum telam magno dolore retexuit. Parem effectum ſortita eſt Madriti reprehenſio imoderati cultûs & ornatûs, cui fortuitò intervenerat Templum ingreſſa Matrona Aulica, ſuperbiſſimè ad omnem luxum exculta: licèt enim muliebri furore multa in Patrem à concione evomeret; ipſe tamen conſtanti libertate ad illam converſus: *neſcis*, inquit, *te inferni titionem eſſe, & laqueum diaboli ad animas capiendas? ſcito ergo graves DEO pœnas daturam; niſi dementiam tuam agnoſcas, & ſeriâ pœnitudine eluas.* Valuit acris caſtigatio ad fæminam ità in veſtigio immutandam, ut pedibus Patris accidens emendationem ſponderet, & confeſſione peractâ mundum omnẽ muliebrem abjiceret, facta matronis omnibus exemplar modeſtiæ. Aliàs cùm ibidem ad populum diceret, vir nobilis magno ſtrepitu riſúque Templum ingrediebatur: quod injuriam DEO ſacríque loci interpretatus Eccleſiaſtes, orationem in damnabiles ejuſmodi abuſus convertit. Æſtuabat intra ſe, variíſque affectibus interim movebatur reus, deliberans quid potiſſimùm in tanta ſui infamia agendum foret, niſi DEUS mentem ſaniorem furenti injeciſſet. Secutus enim veſtigia Patris nè ab Collegij Janitore adverteretur, latebat ad januam; quem cubiculo ſuo appropinquare advertens Gondinus, licèt vim extremam metueret ſocius, ingredi juſſit. Hic ille pœnitudine intimâ humi procumbens: *en tibi me Pater*, inquit, *jube facere quod vis, totum enim me tuis imperijs ſubjicio. Fac me bonum Chriſtianum, & deduc ad ſemitam ſalutis: & cùm vulneribus plagíſque innumeris ſim ſaucius, medicinam adhibe; eò enim adveni.*

Nimirum lingva dicentis non tam erat interpres ſuorum conceptuum, quàm inſtrumentum ſpiritûs Divini per eum loquentis: id quod clariſſimè Compluti in una concione patuit. Aſcendebat pulpitum acceptâ jam de more Epiſcopi benedictione, dicturus concionem, quam ſuper ſententiam Evangelij præſentis Dominicæ diligenti ſtudio elucubrârat; cùm ingenti impulſu moveri ſe in animo ſenſit ad aliud argumentum tractandum, quod nullatenus præcogitârat. Et quia fortior erat inſtinctus, quàm ut reſiſti poſſet; dixit fervore inſolito contra obſtinatos, & ſtultâ verecundiâ peccata in Sacramento Pœnitentiæ reticentes. Patuit verò multis modis continuè impulſum fuiſſe Spiritûs ſancti: ſiquidem à Templo digredientem ſecutus quidam, cum lacrymis audiri expetijt, utpote multos annos de graviſſimis ſceleribus impœnitens, itáque obſtinatus; ut inferni tormenta confeſſionis difficultati præeligeret. Illum ſecuti ſunt innumeri per eos dies, peccata vitæ totius enumerantes, quorum brevi tempore ſupra 500. expiavit ipſe, multóque majore numero obruti fuêre Collegij omnes, ac plures alij in Urbe Sacerdotes. Singularis etiam prodigij eventus fuit in adoleſcente Academico ejus Univerſitatis: hic cæcâ libidine abreptus, multo tempore fæminam ad flagitium ſollicitabat, donec caſu felici concionem Patris auſcultans, intimo ex ea dolore cõmotus, peccata eidem eſt confeſſus, firmiſſimè certus nunquam illius perſonæ ædes, nunquam oculos ſubire. Accidit interim, ut amicum familiariter inviſenti, mulier infelix improviſa adeſſet; è cujus aſpectu in priorem ſubitò concupiſcentiam exardeſcens, totus occaſioni imminebat cupidinis explendæ. Ità in exitum ruenti adeſt repentè viſibilis DEI ſervus, vultu irato & terrifico; ut fateretur adoleſcens, magìs ejus aſpectu ſe conſternatum, quàm ſi apertum ante oculos dehiſcente tellure Orcum vidiſſet. Quare è manibus mulierculæ ſubitò elapſus, ut dœmonis pariter poteſtatem effugeret, Collegium præcipiti curſu petijt, ſcelúſque Patri confeſſus, firmiori ad conſtantiam propoſito animum defixit. Quo tempore Miſſionis exercitia magno animarum proventu obibat Argandæ, contigit

Virum probum nocte domum suam repetentem, & Rosariô Virgini recitandô per viam occupatum, ab hoste invadi, duobúsque pugionis ictibus impeti, qui tamen DEIparæ patrocinio ultra perfossam chlamydem non penetrârant. Sicario interim profugienti, ùt primùm conclave suum attigit, apparet Gondinus acerbissimè facinoris atrocitatem exprobrans; cujus efficaciâ commotus, totam eam noctem in lacrymis exegit, primóque manè læsô reconciliatô, conscientiam apud Patrem expiavit. Nec minùs opportunè adfuit ibidem parenti in filiam, ob quasdam levitates, districtâ sicâ ruenti; quam educto in latum brachio cùm vibraret, sensit id sibi occultâ vi detineri, ut in ictum demitti non posset. Dum attonitus hæret, dum auctorem circumspicit, neminémque apparere miratur, audit sibi voce Gondini inculcari sententiam quandam, eodem die in concione prolatam: quâ conterritus, & ipse iram posuit, & puella modestiam edocta, etiam Religiosam vitam in Parthenone complexa est.

Jam verò qui in animi morbos tantum potuit, non minore virtute in malis à corpore depellendis divinitus fuit præditus. Nam & febri malignâ è mentis potestate dejectum, solius reliquiæ S. IGNATII applicatione, illi rationi simul & plenæ valetudini restituit: idémque illi remedium suffecit ad duplicem tertianam à pia vidua momento exigendam. Fuit & alius lethali vulnere per latera transfixus, quo respiratio anhelantis ità potenter efflabatur, ut extingvendæ candelæ, dum fortè admoveretur, sufficeret. Et tamen evocatus primô manè ad moribundum Gondinus; præter morem, nullo præditus negotio (ut videlicet patentius esset prodigium) distulit ad vesperum usque, licèt sæpiùs per diem admonitus hominem in extremis versari, & quidem inimico necdum reconciliatum. Igitur sub crepusculum adveniens, hominem cum morte luctantem reperit; conatúsque in spem vitæ à DEO prorogandæ erigere, eâdem reliquiâ hianti vulneri admotâ, adstantes DEO supplices fieri pro sanitate ægroti jussit. Mirum dictu! continuò æger receptâ loquelâ, doloris penitus expertem se professus, noctem illam quietissimè dormivit, & primo manè experrectus, coaluisse omnino vulnus, & vires integrè restitutas deprehendit, ut mox lectulo consurgere, DEOq; in Ecclesia grates reddere posset. Singularis namque & planè filialis erat Gondino in S. IGNATIUM fiducia, quem in adversis & difficultatibus omnibus auxilio implorabat: eâ vicissim pietate in tutelam à sancto receptus, ut cum laborante affligi, cum oppresso premi, ejúsque dolores tanquam proprios ferre videri posset. Servabatur Munnebregæ, patriâ Gondini, in Templi Sacrario (ubi etiam baptismo ablutus est) IGNATII effigies: hæc igitur quoties Gondinum adversis exerceri, patíque molestias contingeret, toties & ipsa largo sudore perfundi, quasi pro dilecto in agone certaret, visebatur. Multa enim fuêre & atrocia, quæ pati Gondinum ab adversarijs, maledicorum præcipuè lingvis, necesse fuit; à quibus traducebatur veluti impostor, seductor animarum, & de hæresi ob novitatem doctrinæ suspectus, quâ generales exomologeses tantopere prædicaret, quasi particulares semel Sacerdoti factæ minimè ad salutem sufficerent. Atque hæc non de vulgo tantùm plebeij spargebant; sed viri etiam ex omni ordine doctissimi, à sapientiâ & virtute clari: ut re ipsâ experiretur effectum minarum, quas illi dœmon tot suis damnis irritatus intentaverat, effecturum se, ut mortalibus omnibus esset odibilis & execrabilis.

Verùm longè fuit major illorum numerus, qui de Viro conatibus & zelo sanctiùs opinarentur, præsertim ubi in Concionatorem Aulæ Regalis Madriti assumptus, brevi tempore aliam penitus faciem illi induxit: ideóq; tuendum suscepêre præter principes utriusq; Reipublicæ, specialiter Clerus Murciensis & Placentinus. Observabant enim in Viro non tantùm fructus admirabiles, quos in hominum animis concionibus suis efficiebat; sed multò magis virtutum heroicarum excellentiam, à quibus efficacitatem trahebant ejus ministeria. Fuit enim vitæ cumprimis inculpatæ, castigatissimæ conscientiæ, & Religiosi Instituti observantiâ præcipuâ, atque adeò sanctimoniæ notâ clarissimus. Quotidianas labeculas quotidianâ confessione tergebat, veritus, ùt ajebat, nè suis malefactis animarum negotium corrumperet: adeò vel levissimi peccati umbræ fugitans; ut diceret, metuere se, si vel unam è Regulis Societatis, quæ sunt de observanda modestia, scienter violaret, nè à DEO abjectus disperiret. Virtutis ejus alimentum erat jugis oratio, cujus studium licèt nullis occupationibus interrumperetur, quidquid tamen nanciscebatur otij, id omne in tractatione cum solo DEO transigebat: noctium præcipuè tempora, unde quaquâ noctis horâ illum convenisses, coram Crucifixi Servatoris imagine, quam unicam habebat supellectilem, deprecantem invenisses. Orationi comes mortificatio ad parem modum

modum accedebat, quotidiana verberatio, & setosæ vestis quasi perpetua gestatio: somnus exiguus in duro assere, vel tabula, citra ullum stratum aut tegimen: cibus parcissimus, & pauperibus communis: vestitus plerumque detritus, cui supplendo nullum unquam ab externis subsidium admisit. Hac sui tractatione fovebat Angelicam illam puritatem, quâ sanctitatis existimationem passim colligebat; quam ipsam non rarò admirabilibus supra naturæ conditionem eventis DEUS firmabat. Laborum sitientissimus, nihil unquam commodis suis aut quieti indulgebat, etiam cùm pedibus vix insisteret. Ità Oropesæ duplici tertianâ emaciatus, ut solis ossibus pelle contectis constare videretur, neque vel passum suis viribus promovere posset; inferri nihilominus Templo voluit, probaturus num pedibus in pulpito niti, dicereque ad multitudinem liceret: & cùm naturæ vires nullatenus ad id sufficerent; DEUS tamen quasi prodigiosè tantum roboris adjecit, ut horam integram solito fervore dicendo superaret. Placentiam verò ad Quadragesimæ conciones habendas invitatus, nihil debilitatem virium, & corporis imbecillitatem moratus, laborem aggressus est; sed nimirum in prima Cinerum concione fractus concidit, alienis manibus pulpito elatus.

Sed ut admirêre Divina judicia, & in servorum suorum laboribus justâ mercede donandis miram DEI dispensationem; Virum hunc per tot Apostolicæ virtutis insignia exercitum, tot animarum spolijs gloriosum, tanto Divini honoris proferendi studio nobilitatum, inglorio ad speciem fine voluit occumbere, & stellam hanc fulgentissimam quasi sub signaculo claudere. Acceptis utcunque viribus, Missionis exercitia prosequebatur in urbe Huete, cùm literas accipit à Patre Portocarrero, quibus ad similem Missionem adeundam Estremaduræ evocabatur. Excusavit Pater fructuum prætensâ copiâ, quos latè per eam viciniam cœlo colligeret: & nihilominus ad negotium DEO in oratione commendandum versus, videt dœmonem ultimum sibi exitium minitantem, si Estremaduram procederet. Suffecit id DEI servo, ut continuè Estremaduram se conferret, ad gloriam DEI provehendam, quam tantopere dœmoni invisam cernebat, esto vita ponenda in glorioso conatu foret. Præcipuus advenam excepit labor cum aliquot personis, dœmonis commercio & magicis artibus intricatis, quibus ab urbe exilium cùm ab Senatu extorsisset, implacabile scilicet odium incurrit, ab una illarum carmine magico, DEI permissu intoxicatus. Itaque laterum continuis lacerationibus vellicatus, discerpi sibi canum morsibus videbatur; Placentiam idcirco curandæ valetudini remissus, ubi insuper de mentis potestate maleficio deturbatus, tritissimum de se omnibus dedit spectaculum: adeò tristibus phantasijs exagitatus, ut sua unius peccata omnium malorum Societatis & Ecclesiæ causam esse crederet: imò certam perniciem utrique imminere, nisi ipse mali omnis origo de medio tollereretur. Atque hæc rabies eò processit, ut nocte quadam violentas sibi manus inferre molitus, grande vulnus infligeret, è quo manantem largè sangvinem conspicatus, ô! mira DEI è malis optima elicientis judicia! sibi illico ab exerrantis animi æstu restitutus, vehementer, quid in se ipse designâsset, admiratus est; ratúsque periculum vitæ adesse, Sacramentis omnibus muniri expetijt. Reliquum noctis, totúmque Placentiæ productioris morbi tempus, admirabili patientiâ, æquanimitate, & voluntatis cum DEO conformitate, quietè transegit; cujus etiam solius ope (ità constanter fatentibus Medicis & Chirurgis) paucis diebus non sinè prodigio vulnus lethale coaluit. Verùm revalescente mentis intemperie, Toletum ad Domum Professorum translatum, si fortè cœli mutatio plenam sanitatem afferret, nullis non fovêre medicamentis Superiores; quibus tantum id effectum est, ut pharmacis defatigatus, nullum cibi genus appeteret, admitterétve: atque ità inediâ extabuit, nullius præter Extremam Unctionem capax Sacramenti, die 2. Julij anno 1629. ætatis 60. Professionis quatuor votorum 20.

Hic exitus magni hujus servi DEI, qualem per omnem vitam à DEO expetijt, ut morte tolleretur in oculis mortalium despicabili, nullúsque sui honor aut memoria postfata haberetur. Id quod Divinæ pietati, cujus judicia sunt abyssus multa, minimè insvetum est, dum non rarò viros sanctitate fulgentissimos, exitu ad speciem horrifico ad æternitatem evocat, ut mortalibus nescientibus judicare nisi juxta ea quæ apparent, æstimetur finis eorum non tantùm sinè honore, sed etiam cum dedecore, perditionis æternæ præsago. Sic excellentissimum Ascetam, vitæq; spiritualis Magistrum, Joannem Taulerum, ex ordine Prædicatorum, insigni sanctitate conspicuum, sub vitæ terminum exagitari permisit teterrimis dœmonum larvis, à quibus in summas conscientiæ redactus angustias, ea ostendit tristissimis ejulatibus, distorsionibus,

animi

animi afflictissimi signa; ut Fratribus Religiosis adstantibus horrori & commiserationi esset. Et tamen ilico à morte comparens personæ DEO addictissimæ, dixit animam suam corpore solutam, manibus Angelorum fuisse, mox ad cœlum translatam: quòd horrores illi & angustiæ mortiferæ, pro pœnis in Purgatorio luendis sibi misericorditer à DEO essent immissæ. Sic etiam Virum sanctissimum è numero Stylitarum, fulmine de cœlo immisso interfecit, cujus tamen animam vidit sanctus Abbas Julianus ab Angelis in cœlum deduci. Et quàm multi Sanctorum censentur morte improvisâ & subitaneâ, sine ullis Sacramentis extincti? sanctus Severinus in transitu fluminis repentè submersus: sanctus Agathonicus à Leonibus, S. Belinus à canibus discerpti: S. Gereon Archi-Episcopus vivus in tumulo, quòd mortuus crederetur, sepultus. Nimirum veris & ferventibus DEI servis mors nulla est improvisa & subitanea, sed in conspectu Domini æquè pretiosa, licèt in mortalibus æstimetur afflictio exitus illorum, & quòd à nobis est iter exterminium; siquidem justus etiam si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap: 3.*


Ex Nierembergij Tomo 4. & vita illius P. Alphonsi de Ezquerra.

P. LUDOVICUS BOUILLET cum alijs 22.



Ertium jam annum per Galliam grassabatur pestilentia, fortiter in eam pro miserorum salute decertantibus socijs, ex ipsa clade victoriam cum spolijs animarum reportantibus. Agebat tūc Montilij P. Ludovic, Bovillet, domo Chardensis, ex Diœcesi Augusto-Dunensi, aňos jam aliquot Montilij commoratus, Catholicis amori juxta atq; hæreticis terrori, ob egregiam concionum suarum efficaciam & fructum. Igitur anno 1630. resuscitatâ repentè ibidem peste, cùm furenter sæviret, socium ad suburbana ægris recipiendis tabernacula futurum eis auxilio ablegavit, ipse sibi solandam solus Urbem, alijs vel dilapsis, vel jam peste interemptis, vendicavit, factus omnibus omnia, Parochus, Concionator, Infirmarius: quærere eleemosynas, medicinas, omnia ipse partiri, ipse applicare; bis in die, in summa illa Sacrorum necessitate, celebrare, baptizare infantes, emortuos humare, omnibus Sacramentis quavis in necessitate adesse. Incedebat per Urbem alterâ manu Christi de cruce pendentis effigiem, alterâ candidam virgam præportans, ad se versùm venientibus in cautelam periculi, quò de via tantisper, dum præteriret, decederent. Interim amabili vultûs serenitate, & blandâ allocutione recreare & erigere universos, & Cives vicissim illum Patrem Patriæ, suæq; Urbis unicum solatium appellare: ipsis tunc adeò hæreticis in eum propensis; gestientem etiam pro illis animam ponere, præsto semper atque in procinctu illos, quoties admitterent, laborantes adire. Sed Monialibus præcipuè, temporibus adeò asperis, omni destitutis auxilio opitulatus est: itaq; recreabat inopes illas, & quoslibet alios à fortuna afflictos, ut de illo passim usurparetur illud: *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Hæc illum maximè agentem die 10. Februarij pestis invasit, contagione venenati halitûs, quam hausit à persona, quum ægrum solaretur, audirétque confitentem. Visa est universa in eo Civitas ægrotare, neque omnium quisquam fuit, qui non cupidè suppeditaret quidquid ad ejus curationem salutémque pertineret. Tanta verò contra gaudij ille dedit signa, quòd pestilentiâ, quòd in opere charitatis, quòd in Societate vitam poneret, ut paulò ante redditum DEO spiritum scripserit ad P. Stephanum Binet Præpositum Provincialem, indignum se esse, qui tot peccatorum reus tali in causa, in Apostolico illo ministerio animam poneret. Cujus suæ generosæ hilaritatis pietatísque ea præbebat argumenta, ut adstantibus eliceret lacrymas, qui ad servitium & opem illi præsto erant. Assiduè Christi Crucifixi signum ori, capiti, cordi apprimere & dissvaviari; admirabili tolerantiâ febrim vehementissimam quatriduo pati, donec Sacramentis præmunitus tranquillissimè conquievit 16. Februarij, aňos natus 41. in Societate 25. septimo nuncupatæ 4. votorum professionis. Funus mirâ doloris atque amoris significatione ab omnibus ordinibus celebratum est. Illum obitu suo in eodem charitatis erga Montilienses officio prævertit, in Januario sublatus P. Ignatius Martgnac, patriâ Sebusianus, annorum 44. in Societate 22.

In eodem charitatis Exercitio per annum superiorem Biterris vitâ expensâ Joannes Laqueille, ipsas Calendas Januarias hujus anni 1630. invidendâ morte suâ consecravit, & viam reliquis præivit ad cœlum; gente Vasco, annorum 28. in Societate 7. Illum magno nume-



P. Ludovicus Bovillet S.I. Gallus, cum Socijs 22 omni ope, per Galliam peste laborantibus, subveniens, eodem malo correptus emoritur Montilij 16 Feb: Anno 1630. Ætatis 41.

125.

numero per eadem charitatis vestigia diversis in Gallia locis secuti sunt, Avenione 18. Januarij Gabriel Goussel, domo Lonchensis in ClaromontanaDiœcesi, annorum viginti duorum adhuc Tyro in Societate; P. Antonius Fournier, ibidem 23. Martij, Valentiâ Galliæ oriundus, annorum 39. in Societate 22. Joannes Journay ibid: 25. Aprilis, Belga, Valencianis oppido Hannoniæ ortus, annorum 24. in Societate 3. Aquis-Sextijs 31. Januar: P. Joannes Regnerius, Lingoniensis, annorum 42. Societatis 24. professus quatuor votorum. Cadomi 3. Julij Stephanus Camus Aurelianensis, Scholasticus Tyro; 21. añorum, in Societate 2. P. Robertus Lignier ibidem 4. Julij Calvomontanus, annorum 44. Societatis 24. Eodémque die & loco Renatus Codrettus, Scholasticus, Parisiensis. annorum 22. in Societate 6. Ebreduni ex septem spontè cadentibus victimis, primus 15. Julij occubuit P. Antonius de Digne, patriâ Dignensis annor: 55. Societatis 30. quatuor vota professus ab annis 16. Viri Apostolici nomen jure promeritus, cui laborum pro Christo cupidissimo, inexhausta fuit animarum sitis, nec sexcentis quidem, iísque laboriosissimis expeditionibus saturanda. Ardentissimè cùm expetijsset peste laborantibus ex usu esse, paucis diebus eo in opere, ùt erat præfervidus suíque negligens, pestem mortémque gaudens executus est. Eodémque die socium uti laborum, ità & præmiorum futurum, secum traxit, Ignatium Fondora. Ibidem 15. Augusti decessit P. Petrus Jorna, Regiensis, annorum 44. in Societate 27. Coadjutor spiritualis; hic cùm rem Collegij familiarem naviter procuraret,

raret, magnâ prudentiâ & salutis animarum conjuncto studio, videns universam Urbem pestilentiâ urgeri, mox & ipse subsidiarius accurrit, brevíque sed exquisito labore cœlum mercatus est. At dies 24. Augusti, duos sibi simul Patrum Adjutores vendicavit, Petrum Badel, Ministroliensem è Diœcesi Aniciensi, annorum 63. in Societate 41. Et Andream Odo, ex Delphinatu ortum, annorum 42. in Societate 22. Venerat tunc eodem Lugduno Philosophiam explicaturus P. Petrus Allier, itidem Delphinas, annos natus 35. Societatis 16. cùm laborare contagio conspicatus Urbem, statuit illi opem abs se quoque ferendam esse; quo in conatu vitam gloriosè amisit 29. Augusti. Ultimus verò eandem posuit 1. Septembris Joannes du Bois, Lotharingus è Tullensi Diœcesi, annorum 30. in Societate 4. Coadjutor temporalis. Pigneroli quoque inter auxilia pestiferorum eodem anno die 20. Julij cecidit P. Gerardinus Pensa, Lugdunensis, Coadjutor spiritualis, annorum 56. in Societate 36. homo Apostolici fervoris, qui duplici in peste afflictis deservivit, mortis in hac causa obeundæ avidissimus. Et mox, 22. ejusdem P. Dominicus Giriot, Pedemontanus annorum 31. in Societate 12. Gratianopoli 22. Augusti morti cessit P. Carolus de la Croix, Nemausij natus annos 46. in Societate 25. 4. votorum professus. Navavit priùs aliquamdiu suam industriam Melinæ præstrenuè militibus suæ gentis, unde redux in Galliam, renavavit eandem fatiscentibus ex lue in nosocomio, pulchram exinde mortem consecutus. Camberij 14. Sept: vixit Antonius Everardus, Allobrox Montecalvensis, annorum 65. in Societate 43. Et P. Enemundus Moreau, Divionensis 29. Nov: annorum 60. in Societate 34. Tertius verò 30. Novembris P. Joannes Bertrandus, ex oppido S. Joannis in Diœcesi Maurianensi, annorum 37. in Societate 22. vota quatuor professus. Ultimus tandem hunc annum conclusit Tolosæ 9. Octobris P. Joannes Malicensius, domo Sanctoniensis annorum 55. in Societate 28.

Ex Alegambe Victimis Charitatis.

P. HYACINTHUS GRILLUS cum alijs 18.



GEnuæ nobili loco natus P. Hyacinthus, in Parmensi Nobilium Collegio literas mansvetiores condidicit, indéque Novellariam ad Societatis Tyrocinium transmissus, illud præclarâ virtutis commendatione absolvit. Placentiam subinde ad retractanda Rhetoricæ præcepta destinatus, tantis ea in Facultate progressibus excelluit, ut eam illa ipsa in Urbe, post triennis Philosophiæ Parmæ emensum studium, quatuor ipsos annos egregia cum laude docuerit; nisi quòd ejus amœnitate disciplinæ impensiùs oblectari visus, & inanis nescio quid elegantiæ consectari, timori Superioribus fuerit, nè eloquentiam suam atque abundantiam ingenij, quæstui magìs inanis fictæq; laudis, quàm saluti mortalium & gloriæ Divinæ promovendæ adhiberet. De quo à Superioribus commonitus, ùt erat indole planè facillimâ atque optimæ mentis, animum continuè traduxit in partem alteram: & cùm ad studia Theologica Parmam venisset, ibi ad omnem sese modestiam composuit. Nihil illo demissius, nihil sui despicientiæ, pietatis, Divinæ gloriæ, hominúmque procurandæ salutis studiosius. Vinctorum custodias, ægrotorum hospitales domos, quidquid dierum à scholis vacuum esset, invisere, sontes ad supplicia comitari, monitis erigere, opitulari omnibus: donec sacris initiato impositum est conciones Parmæ ad S. Rochi habere, quas ille ingenti ardore suscepit, ut nihil exquisitis & compositis ad artem verbis, sed effervescentis animi affluentiâ suppeditatis uteretur ad populum, eúmque suis ardoribus niteretur incendere. Instabat ille jam pridem magnis apud Præpositum Generalem flagitationibus pro Missione inter Infideles aut Indos, ut nunquam animum à præcelsis his cogitationibus deduceret: quæ ejus desideria dum interim ancipiti Romæ deliberatione digeruntur, & Hyacinthus Placentiam translatus secundâ multitudine concionatur; ecce Parmam dirum in modum lue vastari, & sociorum non paucos ultro morti ob charitatem auctoratos esse perfertur. Cum hoc nuncio quasi quædam indè flamma delata esset, sic insolito ardore correptus est, ut illico abeundi, suámque miseris extremo illo articulo operam impendendi, à Provinciali P. Marco Garzonio flagitaret: quamvis illo quidem cunctante, sed demum lacrymìs atque infimis precibus, cùm ad Patris ille pedes quater se abjecisset, obtestaretúrque, nè se præsentissimâ salutis occasione, quam aliàs fortè nunquam adipisci posset, frustratum iret; tandem evicto, facultatem



P. Hyacinthus Grillus, S. I. Italus, sævâ lue Parmam depopulante, operam suam magnâ charitate, Civium saluti cum 18 Socijs addicens; eâdem contractâ extinctus 22. Maij A. 1630. ætat: 34
128.

tem impetravit. Nec mora, socijs ùt quisq; obviam se ferret, arcto complexu valere jussis, Parmam advolat, ardens animi, ac fronte oculísque charitatem spirans. Sed nè ardore peccaret, paululùm refrigeratus est improvisô in ipso Collegij ingressu spectaculô, cùm sociorum unum in sandapila ad sepulturam compositum; alterum ex eadem lue expirantem; ac tertium supremis ad agonem Sacramentis muniri offendit. Perculsus enim aliquantùm, dicere auditus est: *non cogitaveram cœlum adeò esse vicinum: sed macte anime! moriamur victima charitati* ! simúlque exorato Rectore, eâdem ipsâ nocte domesticum in Valetudinarium ad peste contactos divertit, nè vel unam noctem extra terrestrem, ùt ajebat, paradisum ageret. Mox ad ægros foras digressus, totámque perlustrans Urbem, incredibili animi corporísque contentione singulorum necessitatibus superimpendi, omnes cœlo inserere velle videbatur. Abierant jam aliquot dies in medio mortium incolumi, cùm ignotũ in senem habitu Sacerdotali, sed toto vultu majus aliquid humano præferentem, incidit in ponte Parmensi: à quo blandè rogatus, ecquid rei agat? decumbentibus è lue, quæ Sacerdotis essent officia se præstare, respondit. Cui alter, id enimverò gratissimum DEO esse holocaustum, à quo propediem mercedem laboris accepturus esset; pergeret porrò alacriter, ac unà se ad moriendum compararet. His dictis digredientem cùm illico Hyacinthus reflexis oculis, ut suum vatem curiosiùs agnosceret, quæsivisset; jam ille videri desierat, neque à quoquam quid hominis fuisset, resciri unquam potuit. Vaticinio ta-

men plena fides ſtetit; nam die poſtero, eodémque Dominico Pentecoſtes, cùm inter litandum ad offerendum ex ritu Hoſtiam DEO veniſſet, ingenti perturbatione ſtomachi coactus eſt Sacro abſiſtere, & myſticos amictus jam peſte contactus, exuere. Quantis ille tum gaudijs ex vicinitate beatitudinis exultârit, quis queat verbis exprimere? continuò Rectorem, ſed non nisì eminus, in conſpectum accerſere, coràm eò provolvi in genua, ſibi in cœlum jamjam abeunti ut benè precetur flagitare, noxarum veniam ab omnibus in illo ſocijs depoſcere cum lacrymis; cùm neque Rector præter lacrymas quidquam poſſet reponere. Sic demum Hyacinthus acerbiſſimis tridui doloribus excruciatus, ſed animo mirè tranquillo in cœlum emigravit, quando paucis à morte diebus poteſtas ab Roma illi advenit, migrandi ad infidelium converſionem in Æthiopiam. Deceſſit anno 1630. ætatis 34. die 22. Maij.

Magnus eum in ſancto hoc opere conſectatus eſt Parmenſium ſociorum numerus, quibus exhibita moribundis ſuprema charitas mortem attraxit. P. Venultus Roberti, Parmenſis, ætate ſexagenarius, tria vota ſolennia profeſſus, inter primam audiendam peſtiferi confeſſionem hauſtâ lue, quatriduo animam egit die 4. Maij. Quem biduo poſt ſecutus eſt P. Dominicus Colleſantus, domo Balneoregienſis, annorum 43. in Societate 23. è numero Coadjutorum Spiritualium; hic primus omnium ſejungi à domo ad ægrorum levationem ardentiſſimè expetijt; & ſuo quodammodo jure, ùt ajebat, quia pridem voto ſe huc obſtrinxerat, obtinuit; egítque perſtrenuè viginti circiter dies; viſus quandoque ſcalis feneſtræ admotis, dum aliter non eſſet aditus, in domum penetrare, ut ægro peſte, unà & inediâ oppreſſo, Sacramentis opitularetur & cibo. Is poſito Romæ Societatis tyrocinio, in Venetam Provinciam reverſus, vitam omnem docendæ infimæ Claſſi Grammaticæ Scholaſticus & Sacerdos, rarâ humilitate ſponte devovit, tantâ accuratione, ſtudióque illorum in pietate & literis profectûs, ut admirationi eſſet omnibus: aſſiduus interim in confeſſionali, rudioribus præſertim expiandis. Hunc die ſequenti 7. Maij aſſecutus eſt Bartholomæus Grumellus, Brixienſis, altero anno in Theologia Scholaſticus, natus annos 30. in Societate 8. quam abſolutâ foris Philoſophiâ inierat. Eminentis ingenij pariter & virtutis conſtanter exiſtimatus, cujus in ſupremo gradu conſequendæ cupidine, Indicas ærumnas laboréſque inſtanter Romæ depoſcebat; quarum tamen incerti adhuc eventûs expectationem in rem præſentem felici compendio permutavit. Igitur expreſsâ magnis precibus juvandorum ægrorum copiâ, dum PP. curarent animas, ipſe victu corpora recreabat. Erant eodem tum tempore ſeparatis illis in ædibus omnino 16. è Noſtris, illi curæ peſtiferorum deſtinati; qui cùm ſe mutuis aliquando ſermonibus ad ingens illud officium incitarent, Bartholomæus altiore aliquo ſpiritu afflatus aſſeveravit, eſſe omnes, præter unum, eo in opere vitam poſituros; atque ità penitus evenit. At octavus Maij dies fatalis ſimul duobus fuit, Sacerdoti, & alteri adhnc Scholaſtico, ſuperiorem Grâmaticam alterum jam annum Parmæ docenti. Prior P. Dominicus Zadæus, Salodij ante annos 28. natus, recens Parmæ in tertio Theologiæ, Societatis verò 14. anno Sacerdos creatus, cùm perquam optaret mox initio contagionis ijs accenſeri, qui langventium ſervitijs exponebantur, juſſus eſt unà cum alijs ſecretum in rus ad perſequenda ſtudia concedere. Poſtea verò quàm multitudo, exitialis mali metu, cœpit Ædem noſtram uſurpandis Sacramentis denſè frequentare, & plures jam Sacerdotum ſub onere concidiſſent; placuit Dominicum in communionem tam exoptati periculi domum revocare, incredibili illius gaudio, quòd certam ad mortem ſe abire inter valedicendum Sodalibus, prædicaret. Nec longa mora, primis ipſis exceptis confeſſionibus traxit virus, eóque paucis diebus ereptus eſt. Quo die autem poſtremùm litavit, ipſe ſibi quodam veluti Divino afflatu ſupremam eam Hoſtiam præſentiens, ſuis manibus illam in viaticum æternitatis impertivit. Alter M. Hieronymus Bolſius, ortu Parmenſis, annor: 26. in Societate 7. cùm vehementer aſpiraret ad Indias, oblato præſentiore charitatis exercendæ fructu, obtinuit & ipſe, cùm ruri ſecurus degeret, in mediam ſe peſtem referre. Ibi ardere totus, omnia unus agere velle, domos in Urbe, lectos in Noſocomijs concurſare; ſic paucis diebus malum contactu in viſcera allectum, ipſum vel in morte jucundum & hilarem extinxit. At 12. Maij ſecutus eſt P. Franciſcus Gherardi, patriâ Montalbottenſis; hic primâ ætate Parmæ ſub avo ſuo, ejuſdem Urbis Gubernatore, in ſtudijs exactâ, Societatem ingreſſus, jam ad finem Theologiæ decurrebat, anno ætatis 30. Societatis 14. paucis ante peſtem diebus Sacerdotio initiatus. Miſſus erat amicorum rogatu in patriam, cum fratre ſuo Pyrrho Canonico Parmenſi, ut ſacra in æde Laureti DEO primam litaret

litaret hostiam coram suis : quorum solatio dum plusculùm apud eos moratur, ecce nuncius, Parmam laborare contagio significat. Continuò Franciscus abire velle à suis, velle Parmam evolare : retinere illi per vim, obniti : sed ille firmus in proposito stare, cum ijs, quibuscum vixerit, omnino commori certus ; salutem, vitam, omnia præ charitatis officio postputare. Igitur viam confestim arripuit, decurrit, nusquam obvijs in Collegijs resistendo, nec ullam quietem animo, dum Parmam appelleret, capiendo. Ibi ad Provincialis pedes abjectus rogare, obtestarique per Sacra omnia eam copiam sibi fieri, cujus cupidine ab suis, eorum maximis ingratijs avolâsset. Sed Provinciali tum quidem visum est nequaquam voti compotem facere; sed inter alios rusticatum emissos, securè commorari jussit. At non ità multò pòst redeundi facultate concessâ, locum morte aliorum illi factum occupare indulsit. Hunc ille quanto gaudio subierit, quo studio, quo ardore amoris, quo mortis contemptu in media se discrimina injecerit, vix concipi potest. Sed, & ipse consummatus in brevi, paucis diebus infectus langvere cœpit, bubóque teterrimus totum ejus pectus insedit, ardore acerrimo, atque acerbissimo tridui dolore ; quem ipse sinè gemitu, sinè questu egregiè perferens, animam demum, ùt optaverat, edidit charitati. Biduò pòst funus novum Parmensibus fecit 14. Maij P. Joannes Riccerius Brixiensis 30. annorum & 7. in Societate, postquam in Nosocomio S. Lazari æquè ac in Urbe, operam egregiam, pauco tamen tempore impendisset : & mox die sequenti 15. Maji duo Coadjutores, eidem ægrorum ministerio addicti, Thomas Sedaccius, Bononiæ natus annos 39. in Societate 14. & Ludovicus Parenti, Parmensis, 22. annorum. Quos secutus est 17. Maij Franciscus Smeraldus, ortu Parmensis, & ibidem tum in Theologiæ altero anno Scholasticus, annorum 29. Hic Indicæ Missionis spem & desiderium ex ipso sæculo in Societatem attulerat, eáque re deposito natalitio Sciarræ nomine, Francisci appellationem ex sancto Xaverio assumpserat : sed illud Indiæ desiderium lubens volénsque cum ea serviendi pestiferis prærogativa commutavit. Neque ullus omnium è domesticis illum absque Angeli, vel adolescentis Angelici prænomine appellabat, ob summam morum & vitæ ingenuitatem, candorem, modestiam & innocentiam, quam nullo unquam flagitio violavit. Pridem etiam antè tum Horatio fratri suo, tum alteri familiari asseveranter prædixit, neque Sacerdotio unquam se inaugurandum, & mortem eo ipso anno, quô revera occubuit, oppetiturum.

Ad diem 23. Maij ad eandem charitatis aram victima concidit Pater Julius Tedeschi, Ferrariâ ortus, ante 32. annos. Hic P. Riccerio paulò antè memorato, in Lazaretum Parmæ suburbanum suffectus, paucis item diebus in ægrorum ministerio succubuit. Et post eum die insequenti Bartholomæus Canestrinus, domo Placentinus, annorum 24. Philosophiæ in annum tertium auditor, cùm ejus flagrantissimo pestiferis serviendi desiderio à Superioribus resisti non potuisset ; itaque octidui spatio lue contractâ, eo animi solatio inter acerbissimos cruciatus excessit, ut plenus gaudij DEUM laudare hymno Ambrosiano exorsus, reliquum agoniæ tempus cantando duxerit. His per mensem Majum sublatis, haud minus funerum avarus Junius, primo statim die abligurivit P. Andream Barpi, Venetum Beluniensem, annos natum 48. in Societate 26. quatuor vota professum. Vitæ melioris initium idem pæne illi ac S. Ignatio fuit, dum Patavij adolescens in studijs versaretur, nam inter æquales gratiâ & auctoritate præpollens, quam plerumque, si quid incidisset discordiarum, alij sequebantur. Cùm aliquando rixâ excitatâ conferentes manus dirimere laborat, ipse in tibia vulnus igneæ glandis accepit, quod illi salutis initium fuit. Ex eo siquidem in curatione lecto affixus, sensim rerum humanarum fluxa & incerta animo volvere, & pericula sæculi spésque incertas cogitare, fastidium earum, cupidinem verò æternorum concipere, denique Religiosus seriò fieri velle. Neque confirmatus ex vulnere quidquam distulit, magnarum plenus cogitationum Societatem ità complexus, ùt ad nullas virtutis partes remisso esset animo, omnésque in eo eximium quiddam suspicerent, & mirabundi venerarentur. Septennium jam Collegio Nobilium Parmæ Rector præfuerat, & Collegio Forolivij exinde præsidere jussus, eodem secundô Padô per Ferrariam defluere tentabat; sed quia locis omnibus formidine contagionis arcebatur, Parmam redire satiùs duxit, & sociorum illic exemplo ad apicem charitatis eniti. Quam dum ardore maximo omnibus in Urbe langventibus aliquamdiu exhibet, & ipse afflatus, gloriosam mortem sortitus est. Hanc excepit mox 5. Junij Vincentius Controni, Lucensis, Coadjutor temporalis 24. annorum, & in Societate duntaxat trium. Fructus hic erat P. Hyacinthi Grilli, cui tum fortè in Collegio Placenti-

no convivebat: viso enim Patris exemplo, quô in mediam indè pestem charitatis impulsu Parmam se injecerat, Missionem & ipse, eadem vestigia persecuturus, à Provinciali expetijt, & impetravit. In aditu pestilentium contubernij pronus osculo & complexu limen tenens, lætitiæ plenus, cum lacrymis DEO tantæ in se beneficentiæ magnitudinem gratulatus est: sed perbrevì hausto veneno, sacris instructus mysterijs ad cœlum concessit. Ad diem 10. Junij elatus est P. Æmilius Zucchi, Parmensis, añor: 45. in Societate 25. professus quatuor votorum, virtutum Religiosarum & humilitatis cumprimis studiosissimus, ex qua etiam jam Sacerdos Grammaticæ docendæ operam suam Superioribus addixit: quam cùm Rhegij Lepidi promiscuæ pueritiæ traderet, in Aulam Parmensem adscitus, eandem Odoardo Principis filio privatim explicuit. Quo tempore pestilentia Urbem invasit, Moralem Theologiam in ea Academia enucleabat, & Valetudinarij simul domesticorum curam gerebat: atque hoc muneris nè tum abdicare quidem ille voluit, aut in rus concedere, cùm lue gliscente omnia formidinis essent plena. Dúmque ità charitatis officia omnia in ægros exercet, eâdem lue correptus, acerbissimos inter cruciatus extremum vitæ diem morte confecit. Mox ad diem 17. Junij secutus est P. Felix Malaspina, oriundus Villâ Francâ ex ejus loci Marchionibus, cùm ceteris diutiùs ea in acie contra pestem decertâsset. Accesserat is antè 22. annos ad Societatem, jam vicenarius, in eáque Theologiam de moribus annis aliquot explicuerat, postea socius Provinciali additus, ac tandem regendis Faventiæ & Placentiæ Collegijs admotus. Vir asperitatum flagrantissimus, cui pro delicijs fuit edendi parcitas, & perpetua ferè inedia vespertina: somnus incommodè, & ùt plurimùm à vestito captus, grandis & asperi cilicij perfrequens usura. Venerat sub ipsa pestis exordia Parmam Placentiâ, posito ejus Collegij Rectoratu, & suam juvandis Civibus industriam inter primos Provinciali devoverat; nè scilicet hæc illi sui pro DEO perdendi abiret occasio, qui Japoniam jam pridem Romæ expetitam haberet in votis, sed adhuc ejus solâ spe incertus penderet. Ejus postulati compos factus, incassum dehortantibus ex Aula compluribus, etiam ab Placentia germanâ sorore, illico ad inclyti certaminis arenam processit, manúmque quà domi, quà foris cum peste conseruit. Demum duobus ictus carbonibus, in uno brachiorum, & summo vertice, confestim Sacramentis muniri voluit: & atrocissimos triduo dolores expertus, ingenti animi voluptate spiritum efflavit. Post hunc 27. Junij obijt P. Lucius Ursinus, Romanus, cùm esset Octavio Farnesio Ducis filio à confessionibus; sed cùm eadem contagio in Aulam penetrâsset usque ad Principis domesticos & familiares, ipse tamen omne suum periculum negligens, tantò frequentiùs Aulam adire, & spiritualibus obsequijs impensiùs Principi tam luctuosâ tempestate adesse perrexit, apprimè conscius exitij vitæ suæ impendentis, quod etiam indè sibi inhalandum nonnemini prædixerat. Itaque veneno viscera permeante, brevi morte confectus est in complexu & amorosis osculis Crucifixi. Egerat is primam adolescentiam inter Ephebos Ranutij Ducis Parmensis, & navatâ subinde Jurisprudentiæ operâ, Doctoralem in eadem lauream adeptus, Serenissimæ Duci à secretis fuit: donec humana pertæsus, in Societate receptum invenit. Ultimus in Parmensi clade concidit 29. Julij Joannes Ghisalba, Coadjutor, ortus in oppido Disensano, 35. ætatis, 13. Societatis annorum, cui impensè pridem facultatem ægris per Urbem juvandis efflagitanti, copia facta est eam charitatem domi peste infectis exhibendi. A quibus & ipse afflatus, vehementissimos cruciatus triduo expertus, piè demortuus est.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. PETRUS JUSTINELLUS.



Rtum duxit Pater Justinellus Brixiâ ItaliæUrbe, parentibus opulentis & honoratis; matris diu sterilis precibus à DEO mirabiliter concessus, pelliculam ab utroque humero pendentem, stolæ Sacerdotalis in morem, secum extulit in lucem, futuri Sacerdotij, ùt creditum est, omen. Ab infantia DEO devotus fuit à matre, & ipse tam facili ad omnem pietatem se exhibuit ingenio, ut sanctimoniam videretur ab ipso ubere ducere. Vix erat potens gradi, & jam corrogabat à domesticis, quod erogaret in pauperes. Observabat in Templo, ac deinde exprimebat magno pietatis sensu domi, ritus litantium Sacerdotum, atque ad populum perorantium. Nunquam ille ludicra, ùt pueri solent,



P. Petr9 Justinell9 S.J. Ital9 Brixiensis, à puero Nosocomiorum, et pauperum obsequijs deditus, inter eos Christum specie ægroti reperit: eorundem in peste servitio immortuus. Castilione 31 Jul: Anno 1630. Ætat: 51. 127. J. Kilian sc.

solent, tractare, non ludos publicos spectare, sed otium illud piâ lectione domi traducere, & ad sanctitatem se per exempla Sanctorum formare: multus ab illa usque ætate in orando, in corpore macerando, atque animi perturbationibus ritè componendis. Sæpe adibat Nosocomia, nec ullum vilissimi obsequij genus tractare reformidabat. Quàm primùm studia cœpit in Societatis Gymnasio colere, ità virtutem junxit, aliorúmque juvandorum contentionem; ut, utrâ excelleret, vix dignosceres. Colligebat domi suæ sodales ætate pares, quos per Urbem spargebat, ut pueros plebémque catechesi imbuerent: ipse suas in eodem opere partes ità obibat, ut vehementia dicendi ad frequentissimum populum in adolescentulo id ætatis, magnam omnibus faceret admirationem. Ab istis deinde concionibus ibatur ad infirmorum curam: quibus etiam honestè recreandis hoc inusitatum charitatis genus invenit, ut invitatis secum sodalibus peritus musica tractare instrumēta, eos sono mulceret & cantu. His ille studijs parabatur à DEO in egregium vineæ suæ cultorem: cujus explorato per Exercitia spiritualia S. IGNATII placito & voluntate, A. 1600. ad Tyrocinium Societatis accessit, & ab ipso statim exordio ad absolutissimam se virtutem exercuit, multus in omni genere sui mortificandi, deprimendi; & in orationibus prolixis tam sui potens, ut nullis se cogitationibus alienis ab ea distrahi fateretur. Studiorum tempore nil de sui vexandi despiciendíque contentione remittens, sæpe laceris in vestibus prodibat in publicum, sæpe culinæ officia omnia sponte suâ obibat. Quibus diebus feria-

feriabatur à ſcholis, accedebat infirmos, atq; illis ablutis & mundatis cibum præſcindebat, in os inferebat, & pijs interim colloquijs animos paſcebat. Semper quidquid ageret, ubicunque verſaretur, DEUM gerebat in oculis, ejúſque præſentiam modeſtiâ totius corporis, atque omni actionis ſuæ compoſitione venerabatur. In omni cum æqualibus congreſſu partes ſibi poſtremas, præterquam ad abjecta miniſteria, in quibus primas ſatagebat obtinere, vendicabat: majorum reverentiſſimus, & nutus etiam obſervans, itaque promptus ad obediendum, ut diceret, ſe non poſſe ampliùs ſuæ, ſed alienæ duntaxat voluntati obtemperare; ideóque ſanctorum etiam poſtulatorum repulsâ acceptâ, mirificè geſtiebat.

Gratiſſimâ atque amabiliſſimâ ſuâ conſuetudine cum inſigni conjunctâ virtute, non ſolùm erat omnibus domi & foris in amoribus; ſed etiam in veneratione: quippe qui omnes accenderet igne Divino, dexterrimus in familiare colloquium pios inferre ſermones. Nec vacuas ſivit abire ſucceſſivas à Theologicis ſtudijs horas, quin pia moliretur opuſcula bono mortalium, quibus eos ad Evchariſtiæ frequentiam, ad caſtimoniæ, & Virginum Reginæ amorem pelliceret, & à peccatis avelleret. Scripſit enim tunc, & deinceps edidit tenerrimâ pietate antidotum contra pravas converſationes, & impudica verba: triumphum caſtitatis de vitio intemperantiæ: Ducem Angelicum ad devotionem B. Virginis: ſtimulum peccatoris ad amorem ſuæ ſalutis; & alios ejuſmodi 12. diverſos tractatus, varijs locis typis excuſos. Sacris initiatus, primam Hoſtiam, veniâ Superiorum, litavit in Hoſpitali, quòd in eò ſe primitias ſpiritûs hauſiſſe diceret: ubi priùs 12. pauperibus pedes, exemplo Salvatoris Sacramentum hoc inſtituentis, abluiſſet. Sacram mox deinde Hoſtiam ſingulis infirmis ad lectum attulit, & juſſis in ſua verba ſequi ad actum aliquem contritionis, eam reverentiſſimè porrexit. Atque hanc ægrorum & noſocomiorum curam in omnem deinceps vitam magno ſtudio conſervavit & auxit. Amabat ardentiſſimè ſanctam JESU Chriſti Humanitatem, ejúſque imitatione vehementer optabat adverſis exerceri; & ſanctâ quadam invidiâ tangebatur, quoties audiebat quempiam virtutis ergò contumeliam pati. Impellebat illum hic amor ad inopes ægróſque tanta cum voluptate viſendos, quòd in illis præſentiorem quàm in alijs Chriſtum ſuum agnoſceret. Nec fuit illi vana hujus rei exiſtimatio; nam cùm aliquando fixiſſet obtutum in infirmum ceteris graviùs affectum, vidit repente vultum ejus mutari, & inductâ quadam Divinitatis Majeſtate, prorſus Chriſtum lineamentis omnibus, qualis exprimi penicillo ſolet, referre: quo prodigio primùm ille hærere attonitus, tum verò liquidiſſimâ voluptate perfundi. Contigit quidem illum & alijs in Societate muneribus admoveri, ùt cùm totis 13. annis Rectorem egit Collegij Caſtilione: verùm in his nihil ipſe de conſveta animarum procuratione omiſit. Puerilem catechiſmi, ſecundùm Hoſpitalium & pauperum curam, maximè cordi habebat, tantóque eam opere complectebatur, ut convocaret ipſe vicatim oſtiatímque pueros, & ad Templum perduceret. Tractabat mirâ dexteritate Exercitia S. IGNATII, valebátque ſingulari gratiâ res Divinas hominum animis imprimendi. In his tamen omnibus fruebatur aſſiduâ cum DEO conſvetudine, atque in omnia Divina propenſiſſimâ pietate, nitebatúrque in DEI complexum ex cujuſvis objecti intuitione; quod ille ſtudium dicebat eſſe, *ambulare cum DEO*. Atque his artibus ad eam animi conſtantiam profecerat, ut nec adverſis, nec ſecundis eventibus, nec fortuitis ullis caſibus, vultum, nedum animum immutaret.

Ad extremum cùm Anno 1630. peſtilentia popularetur Italiam Subalpinam, & Caſtilionem etiam invaſiſſet; ipſe qui ſe poterat periculo ſubducere, in illud ſe ultro conjecit, ut tam inſigni charitatis officio præclarè actam vitam coronaret. Cùm verò in ægrorum indefatigabili obſequio peſtem quoque contraxiſſet, vetitis omnibus ad ſe accedere, nè cui luem afflaret, poſt Divini corporis participationem placidiſſimè extinctus eſt, ipſo S. IGNATII Feſto die 31. Julij, ætatis anno 51. magno ſuorum externorúmque luctu. Sepulchro defuncti viſa fuit lux & flam̃a ſplendidiſſima incumbere, index, ùt omnes interpretabantur, Viri ſanctitatis, quæ omnium commendatione celebrabatur. Nimirum tam multa Caſtilione, tam præclara ad omnium ſalutem excogitabat & gerebat, ut minimè ex vano percrebuerit ea opinio! Ille primus inſtituit, & diu etiam per ſeipſum ſuſtinuit, morem bis feſtis diebus toto anno ad populum perorandi, maximo quæſtu animarum. Primus induxit, ut in hybernis fœminarum conventibus, quos ibi Fibozzos vocant, ubi magno numero ad fila ducenda ſe colligunt, pro fabulis & inanibus affanijs, quæ denarrari fallendo tædio conſveverant, Litaniæ B. V. tum ſacræ hiſtoriæ recitarentur, ac ſubinde pijs ſermonibus tempus & labor falleretur:

leretur: cui fovendo operi, partiebatur in eas ſacra munuſcula, imagines, roſaria, libellos. Cùm impia quædam amuleta certis morborum generibus amoliendis invaleſcerent, ipſe illis exturbandis illico ſalutares precationes adversùs unumquodque morborum concinnavit, & libello complexus diſpertivit in vulgus. Ipſe confecerat indicem malorum, quæ illâ civitate plurimùm obtinebant; & ſingula ſuis concionibus adorſus, imploratis etiam Principum auxilijs, & aliorum Concionatorum conatibus, nitebatur extingvere. Narrantur non pauca prodigia, quæ vivus defunctúſque patravit; quæ quia typis excuſa videre non licuit, ſtudio etiam brevitatis omitto.

Ex Bibliotheca Alegambe & Nierembergij Tomo I.



P. Thomas Soresina, Soc: Ieſu, Italus, inter obſe, quia charitatis, graſsante per Italiam contagione, Mediolani extinct, 7. Auguſti A° 1630. Ætat: 44. præter alios 14. in ſimili opere ibidem, et per Italiam ſublatos

128.

P. THOMAS SORESINA cum alijs 14.

Om̄unis toti Italiæ Sub-Alpinæ Anno 1630. lues, Mediolanum quoque tam fœdè, támque immaniter depopulata eſt, ut ſupra centum quadraginta capitum millia dicantur abſumpta. Itaque latiùs indies manante peſte, cùm Noſocomia quantumvìs ampla contactorum multitudinem non caperent, de novo erigendo cogitandum feriò Magiſtratui fuit, cujus curam Societas conſtanter ſuſcepit, ut priùs exhauſtum funeribus valetudinarium, quàm adminiſtris alio deinceps ex alio ſubrogatis, vacuum reman-

manserit. Agmen sociorum qui velut Antesignanus & primipilus duxit, idem in ejus Nosocomij obsequijs, primus omnium moriendi conditionem executus est, ad diem 7. Augusti P. Thomas Sorefina, vetustissimâ clarissimâque apud Cremonenses gente ortus, natus annos 44. traductis in Societate 24. quatuor votorum professus. Vir erat ùt ætate florens, ità aspectu decorus, moribus & consvetudine cum alijs planè religiosus ac mitis; nec avorum sangvine clarior, quàm virtute: tantâ in egentes flagrantiâ charitatis, ut de suo cibi dimenso decerperet, quod illis elargiretur. Post Rectoratum laudabiliter alibi gestum, destinatus erat Superior ei parti Collegij, quam præsenti subductam incendio, ad campestrem villam in agro Lomellinensi positam, Mediolano Moderatores emiserant: sed adeò se vehementi spiritûs impulsu vocari ad infectos juvandos persensit, ut non priùs precandi finem fecerit, quàm retentus in Urbe voti fieret compos. Igitur ferali officio addictus, recens hospitium contagiosis datum magnanimus adijt, non tam lue pestiferâ, & quotidiano tabidorum interitu infame, quàm horridâ larvarum infestatione terribile, quæ inconditè nocturnis intemperijs, strepitúque, langventium quietem perturbabant; seu verò spectra fuerint, seu præstigiæ insonti ac pervigili pro suorum salute præfecto necem struentes, brevì conceptam tabem comitante maleficio de medio sublatus est; neque enim ultra octiduum tetrica isthoc loci præfectura tenuit, quantum videlicet ad testandam mentis excelsitatem æternæ laudi ac præmio satis fuerat. Ajunt ejus corpus aliquanto tempore insepultum, ambrosij nescio quid odoris expirâsse, mirantibus impensè pollinctoribus, qui illud ad suprema funeris officia tractabant. Obitus Patris incidit in diem 7. Aug: anni 1630. Hunc secutus est 19. Augusti; eodem loco ab ægrorum obsequijs gloriosâ morte afflatus, Joannes Rasca Luganensis, annorum 30. in Societ: 11. Scholasticus: in cujus funere visa est charitas de charitate triumphare. Nam adolescentem fervidum Moderatores Collegij ut servarent, à Nosocomio revocare, atque eximere periculo nitebantur: at ille incertæ fortunæ servari refugiens, mansionem in discrimine magnis precibus exoravit, & victor ex eo, præmium accepit. Mox ad diem 29. Augusti ad idem bravium referendum evolavit, qui P. Sorefinæ socius esse obtinuit, Alexander Franciscus, Coadjutor temporalis, annorum 41. in Societate 16. domo Cremonensis.

Sublato è vivis P. Sorefinæ, in eadem Nosocomij præfectura successit P. Marcus Costa, Bastiæ in Corsica natus, annorum 42. in Societate 23. quem menstruus labor nec remissiore studio, nec inferiore virtute inter tabidos exactus, apprimè fecit illustrem, cœlóque inseruit die 7. Septembris. In ejus locum suffectus P. Joannes Baptista Vice-Comes, postremus hoc in opere ad diem 7. Oct: excessit; domo fuit Burgomaneriensis, annorum 33. Societatis 15. atque nuncium mortis eâ animi alacritate suscepit, ut miraretur eam ab provectis ætate hominibus posse reformidari. Sed & ex eorum numero qui per Urbem, aut in Collegio juvandis ægris operam navabant, mors aliquos decerpsit. Atque inprimis 19. Augusti P. Petrum Reina Mediolanensem, 50. annorum; in Societate 22. cui fuerat quatuor votorum obligatione auctoratus. Hic non solùm ad omnes per Urbem promiscuè quoquo res ferret, nullo valetudinum discrimine itare promptus; sed & extra Urbem in eadem causa procurrens, dum peste contactum quendam è nostris foras evectum tertiò convenit ut confitentem audiret, ibi creditus est pestem hausisse. Domi pariter in Collegio, quia paucis ex tanto competitorum numero copia fiebat palàm in campum ad certamen cum libitina prodire, huic vel intrà domûs januam in certamen allectæ palmam eripere, non absque ingenioso invento novit P. Josephus Prina. Hic Janitoris munus, temporibus illis infectæ Urbis periculi sanè plenissimum esse observans, dum ad varia proximorum obsequia infectis æquè ac sanis portam accedentibus, charitatem ipse in devocandis Patribus exhibet; magnâ contentione munus Janitoris, Sacerdotibus minimè consvetum, obire petijt, ut videlicet suo unius tanquam omnium vilissimi capite, consultum saluti domesticorum iret. Et munus quidem ùt petierat obtinuit; sed omnium opinione & suâ spe citiùs mortem sibi ab accedentibus afflatam, pro exhibita charitate invenit, tridui spatio ingenti domesticorum mœrore ac sui desiderio extinctus 25. Julij, cùm esset annorum 30. in Societate 10. oriundus ex oppido Herba, ditionis Mediolanensis. Huic carbone ferali infecto, dum pari charitate, & quasi jure suo operam & laborem præbet, quam publico Nosocomio jam alioqui devoverat, Jacobus Revellus, tertio Augusti pariter decessit, cùm annum ageret 31. inter socios quartum, ortus ex oppido Castellatio Alexandrinæ Diœcesis. Dum verò anno insequente 1631. latentis adhuc contagionis

nis ſemina ſparſim repullulant, ex ſocijs in auxilium miſerorum convolantibus, unum peſtilentia ſuffocavit die 11. Octobris P. Franciſcum Fanianum Mediolanenſem, annos natum 65. in Societate 42. Et hos quidem unicaMediolani contagio in ſancto peſtiferorum obſequio decoxit: nam plures annis Superioribus eâdem ſæpiùs graſſante fuiſſe ibi vitâ exutos, ſatis ex Annalibus conſtat. Duo præcipuè memorantur temporibus S. Caroli Borromæi, qui tum Urbi Archi-Epiſcopus præſidebat, & vitam ipſe ſuam adjuvandis infectis devoverat Anno 1576. hi enim ſe inter plures alios juvandorum ægrorum muneri, cum eodem S. Carolo mancipantes, ſuas in illo animas poſuerunt, P. Georgius Farina Cunienſis, & P. Franciſcus Centurio Genuenſis, ex ordine Patritio; mortis tamen dies, & ætas in obſcuro eſt. Neque ſola Mediolani Urbe, reliquarum Sub-Alpinarum facilè principe, ea lues anni 1630. concludi paſſa eſt, quin & Pinarolum, extremum ad Galliam in Italia oppidum, irrupit: ubi pariter ſocijs licèt exiguis ibi numero, in auxilium laborantium procurrentibus, tribus erepta eſt vita. Primus ex his occubuit P. Gerardus Penſa, Gallus Lugdunenſis, annos natus 56. in Societate 36. Coadjutor Spiritualis, Vir ferventiſſimus, & laborum ùt peramans, ità egregiè perferens pro ſalute animarum, in varijs & admodum ærumnoſis Miſſionibus. Binis in contagionibus afflictis ſervivit, dum in altera pretioſam mortem, quam avidiſſimè cupiverat, obijt 20. Julij. Alter P. Amabilis Gardi poſtridiè, ad 21. ejuſdem: & die ſequenti 22. Pater Dominicus Giriot Pedemontanus cecidêre. Ticini quoque Inſubriæ Civitate, in eodem charitatis opere vitam amiſit P. Joannes Ferrerius Raconicenſis, annorum 52. in Societate 31.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. ANGELUS ORIMBELLUS cum alijs 21.



Quàm ægre tueantur ſe à peſte civitates, ubi cœperit in vicinitate flagrare; experta id fuit cum multis alijs Italiæ Urbibus Bononia, quæ aliquamdiu Anno 1630. incolumis, menſe Junio ab Parmenſi afflata incendio, magnas pertulit ſtrages. Huic ut repagula efficaciter opponeret Cardinalis Spada, qui pro Pontifice Legatus Urbem tenebat, conſilio cum Senatu & Epiſcopo inito, ampliſſimum recipiendis peſtiferis Noſocomium in ſuburbanis conſtituit, & pro ea, quam de ſociorum zelo & charitate habebat, notitia & exiſtimatione, univerſam illius adminiſtrandi & gubernandi Provinciam Societati committere decrevit. Itaque ad Collegium cum Epiſcopo & Senatu adveniens, ardenti ſermone ſocios in unum coactos allocutus, deſideria omnium ad ambiendum periculum excitavit, & P. Angelo Orimbello onus gubernandi cum poteſtate duplicis contagioſorum Xenodochij, quæ ſeorſim pro viris & mulieribus ſtatuerat, impoſuit. Rogaverat ille jam antea, miſſis epiſtolis ad Præpoſitum Generalem, copiam his ſerviendi, & modò ultro etiam ſibi oblatam mirificè gaudebat: adjunctam tamen honoris, & qualiſcunque dictaturæ dignitatem, atque ante omnia pecuniæ adminiſtrandæ rationem, ſtudioſè, ſed in caſſum deprecabatur. Ergo oneri humeros magnâ alacritate ſubjiciens, primò omnium locum Lazareti inſpexit, dimotíſque diverſim viris & fœminis, juſſis comportari grabatis, & omni quæ foret uſui ſupellectili, conductis famularibus operis, omnia digeſſit in eum ordinem, qui tantæ neceſſitati videretur idoneus. Dictu mirabile, quanto gaudio ibi à Medicis Chirurgíſque, quanto ab ægrorum Confeſſarijs, qui præter ſocios ex diverſis Religioſorum Ordinibus, Franciſcanis, Barnabitis, Cappuccinis, FF. Miſericordiæ, deſtinati erant, exceptus ſit, feliciſſimos ſibi in ea procuratione ſucceſſus, pro comperta Viri prudentia & virtute, promittentibus. Hos inter, ſtatione captâ, quid laboris, quid moleſtiarum diu noctúque exhauſerit, putare quàm deſcribere facilius eſt; præſertim ex quo cœptus eſt numerus ægrorum vehementer augeri, & ſociorum auxiliarium paucis diebus haud ſanè pauci eo in opere confecti ſunt. Pupugit ingens calamitas ac perculit tenerrimum Angeli pectus, junctáque dolori commiſeratio; & clàm in Templum ingreſſus, DEI placationem exorare ſupplex & funerum modum, malíque depulſionem vehementer inſtitit: cùm animo ſpem certiſſimam intimo inſtinctu ſuggeri perſenſit, ſoſpitales Urbi fore SS. IGNATIUM & XAVERIUM, ſi eorum implorato auxilio, tutelæ eorundem ac præſidio Civitas ſe publicâ devotione committeret. De quo Cardinalis interpellatus, Senatum illicò cogit, & quamvìs non deeſſent alieno à Patribus animo complures, o-



P. Angelus Orimbellus Soc: Iesu, Italus, supremâ charitate in peste Bononiensib9 exhibitâ, cum alijs 21. per Italiam auxiliaribus Socijs extinct9 7. Octob: A°. 1630. ætatis 59. Auctor fuit Urbi Bononiæ in Patronos eligendi SS: Ignatium et Xaverium.
129.

omnibus tamen in id consentientibus (id quod affine miraculo visum est) fit Senatus-consultum, quô decretum est, ut Civitas sanctis IGNATIO & XAVERIO ad proximum illius festum, sese devoveat, & in Urbis Patronos electis, in fidem se clientelámque commendet, hoc edicto proposito: *Patres conscripti S.P.Q. Bonon: vertente per hæc tempora calamitosa Urbis statu, in nostros Patronos & Advocatos apud DEUM admittimus gloriosissimos PP. IGNATIUM & FRANCISCUM XAVERIUM, prout tales decreto nostro publicari volumus, jubemus: nuncupatis totâ Urbe ad eliciendam eorum intercessionem, votis; quocirca sanitatis Præfectis committimus, ut hæc sanctio nostra omnibus alijs Magistratibus intimetur, quò deinde quisque Civium particulatim pro suo pietatis zelo erga eos exhibeat devotionis specimina: ut generatim postmodum, prout ab ipsis sanitatis Præfectis relatum, & à nobis definitum erit, quod expediet decernatur.* Utì decretum, ità factum, ipso S. IGNATII die solenni; & observatum est eodem die plerosque ægrorum quasi miraculo convaluisse, ùt notariorum in tabulas relatum est; neq; ullum eâ die (quod Medici confirmavêre) fuisse contagione affectum. Et jam inclinante in autumnum anno, post ingentem mortalium stragem, mitigato malo Civitas emergere & quasi respirare visa est, post quartum ferè mensem quàm P. Angelus procurandi Lazareti præfecturam susceperat, & incredibili commendatione tractârat, novem è Societate duntaxat in eadem ægrorum cura amissis: cùm ipse demum, nè optato tanti laboris præmio velut inglorius excideret, atrum in gutture carbonem con-

concepit, cum exitiali febre conjunctum. Simulátque ictum se persensit, in communem ægrorum domum, frustrà reclamantibus meritorum ejus obtentu Curatoribus, suis se pedibus contulit: ceterósque inter langventes admirabili modestiæ & humilitatis documento, Vir tantus ità decubuit, ut nullo ab alijs, nisì patientiæ pietatísque discrimine secerneretur. Adfuêre jacenti qui suam ibi adhuc ponebant operam, duo PP. Barnabitæ, duo item Cappuccini, & duo FF. Misericordiæ: & ipse confessionem de tota vita (quam in Collegio ante discessum in Nosocomium fecerat) apud unum è PP.Barnabitis retexuit, & epulo Divino recreatus est. Mox longam ad Urbis Senatum scripsit epistolam, quâ gratias illi pro beneficio muneris impositi, quod nempe januam sibi ad beatitatem pandisset, referebat: tanto verborum pondere mortem eam ipsorum se gratiæ acceptam referre testatus, ut eorum nemo inhibere lacrymas, cùm epistola palàm legeretur, vel temperare gemitibus posset. Ubi se jam supremis admoveri sensit, impensè precatus est, ut suum emortui corpus alicubi fimo infoderetur: tum ab omnibus Nosocomij administris rogatâ erratorum veniâ, Ambrosiano tandem hymno DEO laudes & gratias reddidit, atque ad diem 7. Octobris animam cœlo consecravit, relicto sui in animis omnium, quantum dici maximum potest, desiderio; corpore verò intrà loculum in Annunciatæ Virginis Æde condito. Fuit P. Orimbellus domo Veronensis, annos natus 58. in Societate 32. quatuor in ea vota professus, in sæculo verò Juris Utriusque laureâ decoratus. Universam ferè obivit, & concionibus suis lustravit Italiam, secundo semper & favente Auditorio, maximè cùm Romæ in Domo Professorum ad celebrem concionem diceret. Multa in peregrinationibus tot adversa sustinuit, sui suorúmque cupiditatum domitor & victor, pueris ac rudibus expiandis imbuendísque doctrinâ Christianâ magnoperè deditus & addictus.

Primus qui in eodem contagiosorum ministerio ad cœlum præivit P. Joannes Martinengus fuit, patriâ Brixiensis, annos natus 44. in Societate 27. quatuor similiter vota professus. Quanto supremæ hujus in proximos exercendæ charitatis flagraret æstu, luculenter ostendit, quando Cardinali Legato Nostros domi ardenti dictione ad hanc sortem invitanti, non satìs habuit cum plerísq; operam suam deferre, sed ad ejusdem genua provolutus, suas inter primos admitti partes supplex oravit. Annuit è cœlo DEUS, atq; primas omnino ille partes obtinuit non tantùm in religioso obsequio, sed & in consequendo per sanctam mortem bravio. Namq; hâc sui DEO litandi occasione ab Eminentissimo impetratâ, è vestigio ceratam vestem lineam nigram indutus, obvolitare perrexit ægrorum tabernacula, solando, hortando, Divina ministrando, in summa, nihil, quo posset opitulari omnibus, relinquendo. Quindecim solis diebus hoc in studio exactis, febri primùm pestilenti, mox atro carbone ictus in digito, æquali omnium luctu & desiderio absumptus est, die 6. Julij. In ejus lectulo affixi vicem successerat P. Joannes Paulus de Brixianis, Placentiâ oriundus, qui breviùs adhuc cursu consummato, pauculis illis ægrientis Martinengi diebus labori insistens, die sequenti 7. Julij eum secutus est ad coronam, annorum 38. in Societate 8. At 13. ejusdem, mortem similem oppetijt Petrus Ravenna, Parmensis, Coadjutor temporalis, qui corporibus miserorum curandis operam ultimam, ætate jam devexâ addixerat, natus annos 70. in Societate 45. Postero die 14. Julij decessit P. Hilarius Berninus, itidem Parmensis, 43. ætatis, 13. Societatis emeritus annos. Ad diem verò 23. Julij, obijt Christophorus Galeani, Placentiâ oriundus, Coadjutor, annorum 25. in Societate 6. Cui moriendo successit P. Valerius Alamandinus, Bononiensis, annorum 43. in Societate 26. de quo constans fuit domesticorum omnium existimatio, adeò excelluisse omni virtutum genere, ut in Sanctorum numerum referri mereretur. Post hunc uno eodémque die 11. Augusti, decesserunt duo Adjutores temporales, Joannes Zulbertus, Tridentinus, anno 47. ætatis, Societatis 20. & Antonius Pedrettus, domo Luganensis, anno 36. ætatis, Societatis 7. Denique felix agmen clausit ad 15. Augusti, Pater Dominicus Fregulia.

Nec parcior fuit funerum Mantua, eodem anno 30. sæculi, pestilentiâ simul & exitiali obsidione pressa, dum dena sociorum capita obsequijs miserorum devota, non integro bimestri demessuit. Primus officijs charitatis exambitam mortem mercatus est ad diem 12. Maij, P. Antonius Reimundus, ortu Tinensis, annorum 70. in Societate 33. Et post se traxit 31. Maij Joannem Viadana, Brixiensem, annos natum 26. quorum novem egerat in Societate. Hunc ad diem 3. Junij secutus est Bartholomæus Zaninus, Tridentinus, annorum 31. in Societate 9. Illum excepit 5. Junij Jacobus Prandinus, oriundus Mirandu-

lâ, annorum 27. in Societate 3. omnes tres Coadjutores temporales. At biduo interjecto duo simul decessêre 7. Junij, Pater Lucas Draghus, Catharo in Dalmatia ortus, Vir innocentissimæ simplicitatis, annos natus 66. in Societate 43. alter P. Sebastianus Campegius Bononiensis, annorum 34. in Societ: 16. Mox ad diem 12. Junij sublatus est Ludovicus Rozzius, Asolensis Scholasticus, annorum 32. in Societate 7. quem tridui intervallo assecutus est 15. Junij, Ranutius Lucius Parmensis, itidem Scholasticus, annorum 25. in Societate 8. Biduò iterum pòst, 17. Junij excessit P. Hieronymus Furlanus, Veronensis, Collegij per id tempus Rector, Vir & annis gravis & meritis, annorum 63. in Societate 46. explicatâ Philosophiâ, & Theologiâ morali, varijs alijs muneribus Provinciæ perutilis. Postremus ad diem 22. Junij abijt Stephanus Sironus, Regiolensis, annorum 37, in Societate exactis 13. Coadjutor temporalis. Cremonæ pariter non minùs in Collegium quàm Urbem grassata pestilitas, præter domi sublatos, duobus capitibus Civium solatio expositis, numerum victimarum fecit auctiorem. Prior cecidit ad 13. diem Junij, Laurentius Lucius, Vulturinensis, annorum 32. in Societate 9. Posterior verò 17. Junij Pater Petrus Pinea, Finariensis, annorum 53. Societatis 36.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. MARCELLINUS ALBERGOTTUS
cum alijs duodecim.



Pater Marcellinus Albergottus Italus, patriâ Aretinus, Vir fuit, in quo opes & vires animi cum imbecillitate corporis penè ex æquo certârunt. Romam ad studia literarum à Parentibus, quibus erat unicus lautissimæ fortunæ hæres, ablegatus, in Romani Seminarij contubernium Anno 1601. successit, ætatis anno 16. ubi triennio confecto, animum ad capessendam Societatem inflexit. Sed à Parentibus, qui in eo spem omnem posteritatis & hæredis amittebant, post varia ad eum retrahendum tentata, grandis objecta difficultas est apud Ferdinandum Hetruriæ magnum Ducem, ut nè illi fas esset Religionem ingredi, nisi facultatibus paternis & earum spe omni abdicatâ: quod eum neutiquam facturum credebant. Verùm is conditione intellectâ, pronissimè nuncium rebus & spebus omnibus legitimè remisit, & contra expectationem Parentum aditum sibi ad Societatem aperuit. In ea semper floruit insigni probitatis existimatione, viribus animi quàm corporis excelsior; ut in Romano Collegio cùm Philosophiam explicaret, auxiliaribus sustentari supplementis debuerit: ad gubernationis idcirco munia, quibus erat cumprimis idoneus, translatus. Perpetua in eodem promicabat pietatis teneritas, retinentissima disciplinæ perseverantia, corporis afflictatio, adeò ut lineorum soccorum locô, cilicinos pedibus induere sit animadversum. Flagris verò ità se jam undequaque attriverat, ac velut hebetârat, ut cuidam fassus sit, se jam locum in corpore vix reperire quem verberet, quia vix pars aliqua foret quæ verbera persentiscat. In Exercitijs S. IGNATII ad aliorum usum enucleandis, & propriè juxta Ignatianæ semitæ scopum artémque tractandis, pares non multos habuit: hinc illi mira in animos aliorum quasi dominatio, sed in se ipsum quàm maxima, ut mori reipsâ præeligeret, quàm DEUM vel levissimè offendere; sive ut nollet vivere, nè posset etiam venialiter peccare. Semper illi vigil in cœlum emicabat oculus, ut in minimis etiam magnum veneraretur DEUM: neque abibat è conclavi aut redibat, quin singulari reverentiæ significatione brevi interspirio cor vibraret in DEUM, conspectâ cubiculari quam præ oculis habebat imagine. Indè manus quoque, dum Evcharistiam immolaturus altare accederet, nitidè atque accuratè abluebat, ut mundis manibus mundissimum JESUM tractaret. Paupertatis amore, quam suo exemplo amabilem alijs præcipuè subditis faciebat, Senis Romam pedes profectus est peregrini pauperis ritu, cùm jam Sacerdos ad docendum istuc evocaretur. Disciplinæ observantiam, quam pluribus Collegijs Rector præpositus verbis svadebat, urgebat & imperabat exemplis, non sinè vi efficacitatis. In eorum quodam lectorem ad mensam in triclinio agere durum videbatur Patrum quibusdam: dissimulanter ille reluctantiam accepit, & ut se primùm, atque alios deinde omnes suo exemplo subigeret, ipse per mensem unum, alterum, tertium, & plures, lectoris munus obivit: tum illis imperium verecundè jam accepturis dixit: nunc poterunt legere & ipsi suâ quisque hebdomadâ. Obedientiæ pau-



P. Marcellinus Albergottus Soc: Iesu, Italus, multis mortalium, grassante per Italiam mortalitate, saluti fuit: quorum animas ministerio suo et 12. Sociorum, horreo coelesti intulit. Sublatus Florentiæ 10. Nov: A° 1630. Ætatis 45.

130.

paupertatisque amor tum etiam potissimùm eluxit, quando Româ aliò demigrare jussus, citra ullam quidpiam è cubiculo secum auferendi, aut chartas suas & scripta ad futuros usus asportandi curam, itineri se omnium vacuus dedit. Verùm quia illo digresso conclave ità ùt aliàs compositum repertum est, redire ad sua colligenda, secúmque auferenda jussus est, quæ paupertati minimè repugnantia, multis autem deinceps usibus opportuna forent. Svavissimâ erga DEUM fiduciâ ibat in omnibus, tanquam securus cœlestis providentiæ: maximè verò ad mortem, cui paulò antè quàm se exponeret, literas Firmo accepit à manu sibi compertæ sanctitatis, quæ ajebant: *Pater mi Marcelline, DEUS te secum volet propediem, modicum superest vitæ, ut vitâ functus vivas cum DEO.* Ergo Marcellino jam in mortis aleam (ùt mox dicemus) egresso, is qui pro eo Collegium Florentinum gubernabat, Minister, cùm se magnâ undique egestate circumdatum videret, consilij & opis anxius, brevi epistolâ Marcellino angustias domûs exposuit, & quid agendum esset, ubi quærenda pecunia, expetijt. Ille Divinæ plenus fiduciæ: *quærite*, rescribit, *in Oratorio genuali.* Abijt, accersito, Rectori perfamiliari, Patre, Minister; & ejus Oratorij scriniũ, genuale scabellum, num quid ibi pecuniæ lateret, perquisitè dispexit. Nihil invenienti, symbolum Rectoris responso subesse innuit alter Sacerdos; orandum nimirum esse DEUM, ut subveniat, cui interpretationi obsecutus Minister, ad SS. Eucharistiæ Tribunal digressus prolixè oravit. Et ecce postridie bene manè adolescens nulli hactenus visus in Sacrario

adfuit,

adfuit, & Patrum cuidam sacris vestibus induendis ad Missam dicendam se accingenti, strophiolum cum nummis argenteis Florentinis (30.vel 50.fuisse ferunt, 60. ferè vel 100. nostrates florenos æquantes) porrexit, in subsidium Collegij egestati. Rogatus ecquis ista mitteret, ut pro illo orari posset; refugit quidpiam respondere; sat fore, si pro Benefactoribus Collegij oraretur; & abijt. Sed & alius tunc ad Collegium venit Vir locuples, & se eâ nocte de Patrum egestate cogitâsse, neq; somnum priùs capere potuisse narravit, quàm subvenire decrevisset. Illis ipsis diebus fratrem suum è vita decessisse, ac testamento jussisse, intrà unius alteriúsve anni curriculum Collegio 100. scuta (propè 200. florenos) numerari: se verò eâ nocte deliberâsse, præstare si nunc daret, quando afflicta illa tempora, & mortualis lues annonam etiam redderet cariorem. Et verò ubi hæc statuisset, somnum statim invitis hactenus oculis obrepsisse. Dixit, & centum scuta numeravit, præsentaneum urgentis inopiæ levamentum, *in Oratorio genuali* ex consilio Marcellini, ferventi de genibus precatione repertum.

His ille artibus sustinebat & gubernabat Collegium Florentiæ tum penitus, quando anno 1630. pestilitas Italiam magnis stragibus pervagata, eodem perrupit: inter cujus clades haud ignarus suas non fore postremas periculi partes, Exercitijs S. IGNATII se ad mortem obeundam excolere statuit. In his multa cum animo suo de Divino amore, déq; humana imbecillitate perpendens, per quam nulla sit spes à minutioribus omnibus culpis, quibus amor DEI refrigescit, evadendi, tametsi vitari seorsim singula & queant & debeant, felicissimum se fore credidit, si quaquâ demum viâ, mortali corpore liberaretur, nè cui Divini amoris, quô flagrantissimô tenebatur, impedimento obnoxius remaneret, illúmque vel levissimâ noxâ inficeret. Tum subijt animum, esse in manu pulcherrimam præclarè moriendi, si DEO visum foret, sortem, si eâ per Superiores uti liceret. Continuò Romam ad Præpositum Generalem 21. Septembris dat literas, flexis genibus exaratas, ut negatam sibi à Præposito Provinciali potestatem, capitis in id contagionis pro salute proximorum conjiciendi largiatur. Ità inter alia scribens: *quantum ad commodum indè meum, videor posse dicere cum S. Ignatio M. Ego scio quid mihi expediat. Nescio an quidquam sæpiùs desideraverim in omni vita, quàm mori, ut DEUM ampliùs non offendam. Ignis, crux, bestiæ veniant, & quidquid tormentorum est in hoc mundo & altero, ut fiam impeccabilis. Mi Pater amantissime, quantum boni mihi præstare potes unicâ voce, ità, ad gloriam DEI, ad salutem & perfectionem meam, ad auxilium proximorum. Obligatio Rectoris in Constitutionibus nostris est, ut sit* magni exempli: *in rebus magnis erit magnum etiam exemplum: in rebus facilibus, ecquid magni exempli est? DEUS inspiret Paternitati Vestræ, id quod inspiravit mihi.* Si Spiritus & Sponsa dicunt, veni; & qui audit, dicat: veni, amen. Veniat JESUS *in cor Paternitatis Vestræ in responso gratiæ pleno, in opere consummato.* Aliàs ad eundem dedit, jam ex concessa sibi potestate inter pestiferos expositus 2. Novembris, quibus simul respondebat ad paternam sibi datam monitionem, ut vitæ suæ conservandæ cautelas alijs usitatas adhiberet, néve in obsequia non necessaria se ingereret. Et quantum ad hoc, scribebat ipse, velle se illum Generalem, tanquam Magistrum perfectionis nostræ in Societate consulere. Duo siquidem esse, quibus moveri quispiam possit ad hanc provinciam expetendam: alterum, ut id veniat ex charitate erga proximum: atque in eo casu adhibendam sibi videri cautam omnem industriam, ut adjumenta vitæ servandæ, evitatis quàm maximè periculis, non omittantur, quò ejus opera se ad plures juvandos possit porrigere, qui ejus est finis. Alterum esse potest, ut illa sui & vitæ velut prodigentia, sit actus amoris erga DEUM, cum desiderio inchoandæ quàm maturrimè vitæ illius impeccabilis, licèt fortè ad tempus sit futura plena tormentorum, qualis est in purgatorio. Atque hanc charitatem erga DEUM sibi fuisse pro scopo principali; charitate erga proximum pro secundario tantùm. Jam verò eum, qui hoc se motivo perurgeri sensit, videri sibi non debere admodum sollicitè quærere ea, quibus se contra desideratæ mortis appropinquationem tueatur, aut nimiâ cautelâ scrupulosè vitare, quæ illam provocent, dummodo non positivè & directè eam procuret. *Ego me urgebo*, ajebat S. Ignatius M. si nimirum leones tardi fuerint ad me devorandum. Suppetere sibi è Savonio exempla eorum, qui in lue quadam laudantur, quòd ægris peste afflatis non ad ea tantùm se promptos dederint, quibus ægri egebant; verùm etiam familiariùs illos solati sunt, usque ad amplexus, ut omnem charitatis exhibitionem: maximè si pro explorato admittatur, quòd ut proximo in rebus animi, & ijs quæ supra naturam sunt, subvenias, liceat vitam corporis discrimini, prudenter scilicet, seu, ùt dixi, modis con-

cessis

cessis objicere, & ad bonum illud æternum illi procurandum mortem subire. Aliud esse de ijs, quos aliqua obstringit obligatio ad se pro alijs conservandos, ùt sunt Parochi, vel Prælati: verùm de liberis & expeditis, qui sponte suâ DEI amore honestissimo illi periculo se objiciunt, non perinde videri, ut non eis liceat ex DEI amore eadem agere, quæ parentes exhibent pignoribus suis ex affectu humano, usque ad blanditias eis faciendas servientibus. Atque hactenus dicta non videri à vero aliena: se tamen illius arbitrio suum judicium, sententiam, desideriúmque submittere: cupere se ab eo doceri, & ad perfectiora duci. Interea dum respondetur, se non omissurum industrias, de quibus monebatur, ad cavendum; ídque se obediendi, non verò vitæ servandæ studiô facturum. Concludit denique: *DEUS illuminans à montibus æternis illuminet Paternitatem Vestram, & per Illam me vallem parvulam, seu veriùs, fossam.*

Verùm antequam responsum advenire posset, jam ille mortali vitæ sævitiâ luis ereptus, ad desideratam illam impeccabilem transiverat, 10. die Novembris, octavo post datam epistolam. Siquidem non diu post acceptum ad primam suam postulationem Romæ annutum, contigit Patrum aliquem in Urbem ad fabri ferrarij peste contacti excipiendam confessionem expeti, ab ædituo autem Collegij responderi, nullum esse adhuc Sacerdotum pestiferis audiendis destinatum: cui sermocinationi fortè præsens Rector Marcellinus, jusso tantisper præstolari internuncio, rebus domi raptim dispositis, socijs nequidquam obnitentibus abijt ad Fabrum, assumpto in Socium Blasio Pedretto Coadjutore, pietatis & silentij studiosissimo; confessum absolvit, atque eâ quasi sacrâ initiatione segregatus à convictu consvetudinéque sociorum, separatam in domum concessit, cui ad aream S. Laurentij publicum in vicum erat prospectus. Eâ usus opportunitate, per fenestram eos qui præteribant orare, ut quos pestilentiâ tactos rescirent, ad se allegarent, vel ad eos accersere nè differrent: ídque tantô studiô, tantáque contentione flagitare, quanto quisque cupidissimus institor emptores solet. Sed, & per plateas cursitantis exsultatio, tum alios, tum magnum Ducem in admirationem rapuit, quòd morti tam hilaris obviaret. Demum inter impendendam strenuè morbosis opem, luem contraxit, quam animi tantâ hilaritate sustinuit, ut Ministro Collegij, agens jam propè animam scripserit, nunquam se antea per omnem actam ætatem adeò verâ sinceráque voluptate, quàm nunc frueretur, fuisse perfunctum. Nonnisi 14. dierum intervallo vires ei ad laborandum suffecêre, viríusque afflatum tridui spatio desideratæ morti addixit, cùm annos vixisset ætatis 45. in Societate 26. quatuor vota professus, & quinquennio Rector. Ferdinandus Magnus Dux, eâ quæ de illo increbuerat sanctimoniæ famâ permotus, noluit eum ad communem lue illâ extinctorum fossam deferri, verùm proximè altare Templi in arca duplici tumulari. Quid autem opinionis de illius virtute singulari habuerit universa Societatis Romana Provincia, vel indè constat, quòd Anno 1655. in publico Provinciæ Comitio decreverit petendum, impetrârítque à Præposito Generali, ut in eorum qui in triclinio leguntur illustrium nominum catalogum referretur, ad svavem tantæ virtutis memoriam, eâ lectione atque auditione quotannis renovandam. Post illum, ad diem 29. Novembris occubuit, qui eidem comes & socius sanctarum expeditionum fuit, Blasius Pedrettus, domo Lucensis, annorum 43. in Societate 12. priscâ probitate & simplicitate conspicuus.

Nec parcior in alijs Italiæ Urbibus eadem anni 1630. pestilentia, suam laboris & gloriæ partem socijs obtulit. Placentiæ ex ijs, qui operam lue afflictis addixerant, desiderati quatuor: primus ad diem 14. Augusti P. Christophorus Aleottus, Ferrariâ ortus, annos natus 35. in Societate 15. pestilentiâ mortali afflatus à primo, cui magnis precibus exoratâ facultate operam impenderat, pestifero curiali Ephebo. Alter ab illo diem suum clausit 21. Augusti P. Joannes Natta. Tertius 26. ejusdem, Joannes Toninus Coadjutor Mutinensis, 55. annorum, in Societate 36. Postremus ad diem 3. Septembris, Angelus Donesius itidem Coadjutor, annos natus 28. in Societate 8. Ponti in Valle Tellina eidem miserorum obsequio immortuus est in Augusto, sed incomperto die, P. Hieremias Nolus, annorum 32. Societatis 11. Mutinæ quoque desiderati sunt tres, Antonius Manzinus, Coadjutor Patribus in sancto opere additus, Mutinensis, annorum 32. in Societate 14. extinctus 3. Septembris. Ubi & 22. Septembr: alter Coadjutor Antonius Palatius, Tridentinus, 37. annorum; in Societate 15. postquam 45. dies incredibili diligentiâ & labore per dies illos æstivos suam in ægros operam contulisset, quæ contentio publicam illi apud Cives conciliârat sanctimoniæ famam. Novocomi pariter

pariter ad Lacum Larium, in eodem opere charitatis vitam innocentissimè actam posuit, Gvido Orticonus, oriundus è Corsica, Scholasticus, annos natus 24. quinque commoratus in Societate, Grammaticæ tum ibi Professor. Hic cùm ultro se magno animo huic ministerio devovisset, Nostrorum priùs peste laborantium domi ad obsequia admissus est. Sed vide rem planè memorabilem. Erat inter hos ex lue decumbens Ludovicus Chiesa, juvenis item & ipse integerrimus, & scholæ collega: is die tertio quàm peste correptus est, alienatus ab animo vehementer agitari toto corpore cœpit: & paulò pòst mirificâ tranquillitate obortâ, duas ipsas horas supinus jacuit immotus, apertis, neque ullam in partem detortis luminibus; secundùm illud silentium, ducto bis altè suspirio, sciscitanti Gvidoni, ecquidnam doloris persentisceret, respondit: *ô si conspexisses & tu, quæ per hoc ego temporis contemplatus sim! ô Collegij & Urbis calamitatem! quanta strages, qualis miseria! quæ labes! frustrà nitimini me celare morbum M. Leva decumbentis in villa, qui cras horâ 7. moriturus est. Eheu Fratribus Antonio Massano, & Joanni Gatto! eheu P. Flaminio Ridelfino! sperabant illi quidem sese evasuros; sed frustrà omnia! & nondum finis. Quid ità?* inquit Gvido; tum ille rursùm: *quia & Pater Rector perendie malo tentabitur, & octavo post Dominicam proximam die, horâ 22. morietur, & die postero item P. Joannes Vertua.* Tum iterum Gvido: *nullúsne præterea domesticorum? Imò verò* ait: *& P. Hieronymus Vittani, nec ullius ampliùs. Ecquid P. Alexander?* quærit Gvido: *excipietur & ille perbene, sed demum evadet;* & P. Minister quid? *non morietur ille quidem, sed adeò exercebitur, ut illi plus satis sit. Mihi verò quid fiet?* rogat ultimo Gvido: *Morieris & tu proximus ante postremū.* Sed nimirum felicior alijs, peste ex charitatis obsequijs contractâ; cùm reliqui hâc gloriæ prærogativâ caruerint. Atque hæc omnia, uti prædixerat, evenerunt, primúsque vates ipse Chiesa decessit 13. Septembris, superstite ad mensem Gvidone, & in eodem charitatis studio erga omnes exhibendo perdurante: donec penultimus inter eos ad 12. Octobris occubuit, nunquam deperditâ primævâ, quam in baptismo receperat, innocentiâ. Monte Regali, Pedemontij urbe, hodie Mondevi dictâ, 2. Novembris pari sorte defunctus est P. Josephus Ceva, Collegij ibidem Rector, annorum 38. in Societate 22. quatuor votorum professus. Cunij verò, ejusdem Provinciæ oppido, similiter in Novembri erepti sunt, P. Augustinus Sandilianus, Vercellensis, annorum 41. in Societate 26. Et P. Balthasar Lingva, Cuniensis, annorum 42. in Societate 23.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. ARNOLDUS CATHIUS.



Rnoldus Cathius, natione Belga, domo Leovardiensis, quæ occidentalis Frisiæ urbs est; Harlemij disciplinis humanioribus, Lugduni Batavorum Philosophiæ & Medicinæ operam dedit: cui magìs excolendæ Paduam concessit, ejusdem illic laureâ insignitus. Sed DEUS illum animarum curandis infirmitatibus medicum destinans, idem quod olim S. IGNATIO desiderium injecit loca Palæstinæ sacra visendi: ejúsque peregrinationis meditatione occupatum, dum consilio suo exitum non reperit, svavi spiritûs Divini impulsu ad Societatem Romæ pertraxit anno 1600. Post exactum Tyrocinium repetitâ Philosophiâ, tertium Theologiæ emensus annum, adversâ cæpit conflictari valetudine, ideóque Sacris à Bellarmino Cardinali initiatus, ad patrium cœlum in Belgium remissus est, ut Lovanij studijs extremam induceret operam. Inde in Frisiam destinatus, undecim totos annos ingenti zelo in salutem animarum procurandam apud Hollandos insudavit, idémque studium diversis quantumlibet officijs distentus nunquam intermisit, sive Lovanij sacras literas, & Antverpiæ Fidei Cõtroversias explicaret; sive Collegium Ruremundæ, cui immortuus est Rector, gubernaret. Et quidem humilitas, prima Virorum Apostolicorum virtus, & perfectionis Evangelicæ fundamentum, quàm profundè ejus animo insederit, abundè tunc declaravit, cùm in Frisia monitus per literas de quatuor votorum gradu Professionis sibi delato, ità nuncio perculsus est, eò honore indignum penitus se existimans, quantum alius eodem negato consternari vix potuisset. Salutis hominum sitientissimus, dicebat ad populum bis sæpè unâ die, simúlque pueros, præsertim tenuioris fortunæ, catechesi imbuebat; reliquo die totus in audiendis confessionibus, ægris die-

no-



P. Arnoldus Cathius Soc: Iesu, Belga, sæpius in obsequio pestiferorum versatus, et ipse lue non semel contractâ, omnes boni cultoris Vineæ Christi partes implevit: fatali morbo inter concionandum prostratus Ruremundæ 13 Dec: Anno 1630. Ætatis 54. ∾.
131.

noctúque adeundis, lustrandis xenodochijs, militibus civibúsque, tametsi contagionis cum periculo, adjuvandis. Atque hoc illi non tantùm privato inter alias occupationes solenne fuit; sed Rector etiam, quò suorum laboribus parceret, plures sæpè per hebdomadam noctes apud infirmos excubabat: fuítque, cùm defuncti militis corpus humeris ipse tolleret, illaturus in sepulchrum, nisì accurrentium nonnullorum, quos tantæ charitatis spectaculum perculerat, opera in auxilium venisset. His officijs in multa vitæ discrimina fuit adductus, & venenum à pestiferis afflatum non semel hausit, quod in ulcus tabo virulento fœdum erupit. Nam & in Frisia, & alibi pestem ex obsequio contraxit, dum eâ afflictis satagebat inservire: ad quorum nihilominus obsequia identidem Superioribus se offerebat; tum etiam cùm Rector esset.

Erat ad hæc prudentiâ insigni, ut conversationis svavitate omnium sibi animos, eorum etiam, qui alioqui Societati minùs favebant, devinciret: unde consulebatur de gravibus cujusvis generis negotijs à Prælatis, à Viris Principibus, ab alijs Religiosis, ab Urbano Magistratu: amabili morum comitate, & sincero affectu, auctoritatem illi apud omnes & amorem conciliantibus. Procul erat à fuco, fictáque ac politica, quam vocant, agendi ratione, quam pestem appellabat humanæ Societatis; quo fiebat, ut certi arcana sua in pectus fidele & sincerum deponi, mirâ fiduciâ omnes vulnera sua & arcana illi panderent. Optabat semper, ceu verus Christi miles, in acie mori, & si negaretur decus

martyrij, inter concionandum certè, vel aliud Apostolicum munus defungi: & parte aliquâ votorum potitus est. Vix enim à morbo, quo fuerat Rector afflatus, se paululùm recreârat; cùm institutâ ad populum concione pomeridianis diei S. Francisco Xaverio sacræ horis, tantâ contentione dixit; ut impares spiritui qui loquebatur vires succumberent. Inter hæc tamen proximorum salutis studia adeò non erat immemor sui, ut perpetuò adhæreret DEO, & jaculatorijs aspirationibus omnia negotia condiret: ejus amorem in omni sermone loquebatur, in eum omnes provocabat; ad horas singulas, proposito sibi certo Passionis mysterio, conceptis precibus Christum Dominum laudabat. In horto etiam domestico conceperat loca, quibus Servatorem patientem varijs modis cogitaret, eásque stationes tacitus pietatis ergò inambulans recolebat. Ajebat se vix unquam copiosiùs è cœlo beari, quàm cùm sacrificanti Sacerdoti cuipiam ministraret, quod ideò quotidie, si opportunitas tulisset, lætus obsequiosissimè faciebat. Eâdem causâ tricena sibi capita rerum proposuerat, ad quæ animum ipse inter sacrificandum adverteret, varios virtutum actus eliciturus. Sæviebat in se quotidie bis flagellis nodosis & catenatis, quibus se sangvine haud indecoro sordidabat: & ad acriorem doloris sensum faciendum, totum subinde corpus, alijs atque alijs succedentibus membris, diverberabat; ut modus carnificinæ à Superioribus statui debuerit, nè se conficeret. Frequens accedebat in hebdomada jejunium, frequens & pene continuus capitis, colicæ, calculi, herniæ dolor, quos æquissimo animo tolerabat: paupertatis amator eximius, ut nihil haberet in cubiculo pretiosum, vestitu semper alijs attritiore usus: neque in ultimo morbo quidquam admitteret, quod mollitudinem & delicias saperet. At in domesticos uti lenis ac placidus, ità erat intrà religiosæ modestiæ fines profusè liberalis: unde fiebat, ut DEO, cui fidebat impensè, subministrante, Collegium difficillimis temporibus percommodè sustineret, diceréta; se minimùm temporalis rei sollicitudine angi, cùm sciret sibi neminem à DEO per Moderatores mitti, cui non simul necessaria submitteret: id quod summis Collegij angustijs ipse non semel expertus est. De Instituto Societatis tantam habebat existimationem, ut crederet Angelum, si inter mortales viveret, haud aliud vitæ genus amplexurum: indè post magnam DEI Matrem S. IGNATIUM maximo affectu venerabatur. Tractandorum animorum, & ad summam perfectionem viâ planissimâ conducendorum, quàm fuerit peritus magister, declarat inter reliquas ab eo editas lucubrationes, *Paraphrasis continua in Canticum Canticorum Salomonis*, cui in eo genere vix parem prodijsse creditur.


Demum indefatigabili laborum contentione in optima ætate fractus, cùm ab ægritudine vix dum revalescens ijsdem se ferventiùs restitueret; à prima statim die S. Xaverij habita concione excepit illum febris & nervorum tremor, atque convulsio; cui cùm nec ipse, quamvis animo magno conaretur, nec Medici posset industria obluctari, cessit egregius Vir; & paucis ijs diebus, quibus decubuit, miram exhibuit in tolerando patientiam, perennem in Divina mentis intensionem, svavissimam cum CHRISTO crucifixo & B.V. MARIA per crebra colloquia familiaritatem. Opinio fuit eum à Germano Fratre natu majore fuisse accitum ad superos: quò cum pepigerat, ut qui priùs decessisset, superstiti à DEO (si modò conduceret ipsi ad salutem) exoraret brevem è vita migrationem: obierat autem ille non toto priùs bimestri. Discessit P. Arnoldus Ruremundæ 13. Decembris Anno 1630. ætatis 54.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 4.

P. MARCUS GUZZONUS cum alijs 9.



Clarissimo genere Venetijs ortus P. Marcus Guzzonus, virtutum splendore haud parùm illustrior; Patavij in Societatem cooptatus est anno 1601: ubi cùm Tyrocinium poneret, anno illius altero in malignam febrim delapsus cum pestiferis eruptionibus, usque eò paucis diebus graviter affectus est, ut tumefactâ lingvâ, ore putridâ ac densâ subpurato materiâ, & circum dentes concretâ, ægre hiare vel loqui posset. Ad hoc & mente sæpe vacillabat, ut morbo indies ingravescente sanitas ejus desperaretur à Medicis, ac demum posterâ luce sacro Viatico instrui juberetur. Venit in mentẽ pluribus tunc Patribus, jubere eum pro honore beati Aloysij Gonzagæ, cujus tum recenter defuncti, sanctimoniæ opinio mirè vigescebat, votum aliquod concipere: quorum unus cùm circi-



P. Marcus Guzzonus, Soc: Iesu, Venetus, vitam præclarè in ſalutem proximi actam, eidem in peſtilentia juvando, morti lubens obtulit Ferrariæ 1. Aug. A°. 1631. alijs 9. pari ſorte per Italiam ſublatis.

132.

circiter horam noctis quintam, coram Reliquijs B. Aloyſij proſtratus DEUM pro ægro precaretur, impelli ſe perſenſit divinitus, ut idem hoc conſilium Rectori ſuggereret, certiſſimam ſibi ſpem ingeri ſentiens, ægrum divinâ ope, ob hujus ſancti adoleſcentis merita, perſanatum iri. Admonitus è veſtigio Rector ſuggeſtionem approbat, & reliquias eaſdem Miniſtro commendat primâ luce ad ægrum deferendas, ut poſtquam ſalutare viaticum ſumpſerit, votum aliquod pro ipſius honore, DEO perſolvendum concipiat. Miniſter minimè in diem poſterum cunctandum ratus, extemplò cum reliquijs ad decumbentis lectulum adit, & ex Rectoris voluntate conſilium indicat voti concipiendi: quod ubi magno pietatis & fiduciæ ſenſu, inter tenerrima ſacri pignoris oſcula emiſit, levationem continuò experitur, tantóque illi meliùs eâ nocte factum eſt, ut medicorum judicio poſtridie periculô defunctus, ſacro Viatico non indiguerit, ſed pietatis duntaxat causâ ſumpſerit S. Evchariſtiam, brevì deinceps plenæ ſanitati redditus. Secundùm Tyrocinium ità literas, religioſque omnis officij ſcholas tractavit, ut virtutis ac doctrinæ meritò ad quatuor vota Profeſſorum admiſſus ſit; Vir quàm ſui deſpiciens, tam flagrantiſſimè cupiens ſalutis alienæ. Hinc illi continuum dicendi pro concione ſtudium, nullo diſcrimine loci, nullo auditoris delectu, illuſtris ille an obſcurus eſſet, in Templo an in trivio campóve, Urbe an pago, dum prodeſſe cuiquam hortando poſſet. Ad hæc fructuum, qui ex Miſſionibus Apoſtolicis colligi ſolent minimè inexpertus, unam aliquando ejuſmodi expedi-

peditionem instituit Argentæ, nobili & frequenti agri Ferrariensis oppido, ex qua de reliquis ipsius in salutem animarum susceptis laboribus conjectura capi potest. Hìc nè cuipiam oneri esset, tribus circiter indè passuum millibus ruri Collegij Ferrariensis, cum socio consedit, unde sæpiùs per hebdomadem in oppidum pedes procurrens, confluentem multitudinem cohortantibus, & omnibus in Missione usurpari solitis officijs ad virtutem accendere, atque exemplo arctissimæ vitæ formare studebat. Adesse Gubernator, & ex Primoribus præcipui, fervore tam insolitæ industriæ mirè capti: cùm ipse opere diurno expleto domum semper pedes, tertiâ sæpe noctis horâ rediret, nunquam non sudore madidus, tam laboris quàm itineris, sæpe & imbribus & luto sordidus: sed hilari semper animo, & patientiâ laborum pro salute mortalium mirificè lætus. Ut verò fructus è laboribus suis altiùs in animos certiúsque derivaretur, quem sinè corporum cura in egenis & ærumnosis plerumque sterilescere noverat, corrogare pascendis egentibus, collocandis Virginibus, vestiendis nudis pecuniam: ac tum vicatim obvios invitare, & globo facto collectos deducere ad proximam aliquam DEIparæ imaginem pendentem in publico, antè eam de genibus primùm Litanias alternis evolvere, mox ad confertos sermonem habere, incredibili tam suâ vehementiâ, quàm illorum animi comotione & fructu, ubi præsertim corrogata in singulos liberaliter partientem experiebantur. Huc quoque generalem pauperum communionem indixit, quibus magno numero collectis, & sacro epulo refectis, suam singulis è manu stipem largitus est, singulos arctè amantérque complexus, maximo populi motu & exemplo. Ad hæc elementa Christianæ Religionis palàm suis temporibus explicabat, eóque existimationis adduxerat eam disciplinam, ut cùm ei consvêssent etiam primores interesse, gestirent interrogari de mysteriorum sensu, & palàm respondere.

His & similibus alijs intentum bonis artibus, coorta pestis Ferrariæ invenit, quam ille sibi minimè negligendam arbitratus opportunitatem, ultro suam detulit operam tam Moderatoribus Societatis, quàm utrique Cardinali, Sachetto & Magalotto, huic Urbis Episcopo, illi Legato, ad curam infectorum. Cunctari nonnihil Isti principiò, tum personæ, tum generis dignitate permoti; sed constantiam Viri, & charitatis exequendæ flagrantem voluntatem, cum summa sui despicientia experti, cessêre flagitanti, & Nosocomij Valscurani præfecturam illi commisêre: cum ea tamen cautione, nè propiùs ad ægros ipse accederet, aut ipsorum receptaculis succederet, addito hac una in re suo socio parendi præcepto. His compressa repagulis hominis flagrantissimi charitas, aliquid excogitare debuit, quo se effunderet. Fenestram in ea sæpe aperiendam curavit, quâ ægrorum à suo habitacula dirimebantur: eâ confessiones illorum constanter excipere, solari, eâ quotidie universis, à recitatis in commune Litanijs Virgineis, sermocinari de rebus æternis. Postquam locus iste Valscuræ cõtagione extinctâ, Patris operâ haud ultra eguit, Figarolum alterum Ferrariæ suburbanum vicum, qui cum pestilentia conflictari pergebat, P. Marcus transire permissus, eâdem ibi præfecturâ potitus est: hoc uno felicior, quòd in ista virus contagione attraxit, quo præmium operæ utrobique impensæ mercatus est: solitus pridem dicere, videri sibi mortem hujusmodi ad salutem fore. Ingens sui desiderium moriens apud eos populos reliquit, extinctus die 1. Augusti, Anno 1631.

Eodem hoc anno diversis Italiæ locis sæviente lue, complures è socijs infectorum addicti servitio ad præmia suæ charitatis evocati sunt. Primus Ponte in Valle Tellina 31. Maij, P. Theodorus Varesinus, domo Papiensis annorum 39. in Societate 17. Castronovi in Insubria 1. Augusti P. Melchior Bobbius Placentinus, annorum 43. in Societate 27. Ibidem P. Vincentius Rignolius Mediolanensis, annorum 50. in Societate 28. die 5. Augusti. Et 23. Augusti P. Bernardinus Torrianus, Comensis, annorum 53. in Societate 33. Ac demum 5. Septembris, Andreas Dordonus, Laudensis, annorum 33. in Societate 12. Niceæ pariter terni. P. Mutius Monga, in Junio, domo Alexandrinus, annorum 42. in Societate 21. Andreas Campagnanus, Mediolanensis annorum 24. in Societate 5. die 1. Julij. Septimô verò ejusdem Joannes Bracellius, Mediolanensis, annorum 49. in Societate 18. Mediolani quoque 11. Octobris, P. Franciscus Panianus, ibidem natus, annorum 65. in Societate 40.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. JACO-



P. Iacobus Ruiz de Montoya Soc: Iesu, Hispan9, profundissimæ doctrinæ Theologus, simulq pauperum Pater, et rudium Catechista perpetu9. Barbarorum et Maurorum Advocat9, quorum supra centum millia baptizari effecit. Obijt Hispali 25 Martij 1632. Ætatis 70.
133.

P. JACOBUS RUIZ DE MONTOYA.

Pater Jacobus Ruiz, Hispali primam lucem aspexit, parentibus nobilibus & opulentis satus, sed innocentiâ & virtute nobilior, utpote qui ejus nitorem in baptismo receptum, nullâ unquam gravioris noxæ maculâ infuscâsse creditur. Annos natus 14. Societati se dedit, summarum rerum, ad quas vocabatur, expectatione contemptâ, cùm eum Patruus vir summæ auctoritatis & facultatum, hæredem sibi, & redituum supra decies mille aureorum annuè provenientium, disponeret. In tyrocinio, studiisque omnibus, virtutum religiosarum splendore, ingenij & doctrinæ acumine alijs antecelluit, ab omni æmulatione vanâque ambitione alienissimus, ad vilissima obsequia pronissimus, singularem præferebat gustum in eluendis patinis, everrenda domo, & purgamentis exportandis. Consveto relaxationis die prorogabat spatium orationis; cujus ferè materiam Domini cruciatus suppeditabant; & quot mensibus diem solidum sui ipsius inspectioni tribuebat. Studebat ferè de genibus, tanquam qui internum Magistrum auscultaret; quo docente in eum apicem sapientiæ evasit, ut ob ubertatem & profunditatem Theologicæ scientiæ, Athanasio, Hieronymóque, & cæteris heroicorum illorum Ecclesiæ temporum Doctoribus persimilis haberetur: cujus doctrinæ pro theatro deberi

beri poterat Synodus Oecumenica. Tam exactè moderabatur animo & lingvæ, ut nec ætatis fervor, nec ardor disputationis, ullum illi verbum commotius, aut gestum exprimeret incompositum. Humanarum laudum, & sui ipsius contemptor summus fuit, ut nè verbum quidem unum unquam illi excideret ad sui commendationem, in rebus omnibus semper postrema sectatus. Adhibebat sæpe in consilium suos ipse discipulos, cùm esset alijs pro miraculo. Cùm postularetur à Patre Francisco de Porres Visitatore nimiæ severitatis in gubernatione Collegij Cordubensis, nihil excusavit, cùm facilè posset, utpote summâ deliberatione procedere solitus; quin ultro perlectum accusationis schedium, flexis genibus Visitatori restituens, illo clarè evinci dixit, se gubernationi minimè idoneum esse, simúlque Rectoris munere absolvi impetravit, neq; ullum deinceps Magistratum, etiam ad Provinciam moderandam postulatus, admisit. Ubi primùm Diaconus factus est, Moralem Theologiam Baëzæ explicuit: indè post annum, qui fuit 1585. Granatæ Philosophiam auspicatus est, & deinceps Cordubæ atque Hispali primam Theologiæ lectionem totos 20. annos obtinuit. Quo toto tempore, & multo magìs ubi ad scribendum libros se recepit, nemo illum è cubiculo suo, vel domo (nisì dum ad pauperes juvandos exiret, ùt mox dicemus) prodire vidit, nemo silentium vel uno verbo violâsse deprehendit, nemo otiosum vel momentô temporis notavit.

Hunc autem solitudinis ambitum nequaquam ex naturæ tetrico natum esse genio, quem amabili cum omnibus agendi methodo summè affabilem declarabat, patuit ex ingenti promptitudine, quâ in auxilium pauperum & destitutorum provolabat. Nam Theologiæ Hispali Professor existens, propriam Catecheseos rudibus explicandæ curam suscepit; neque contentus illam certis diebus per Templa Parochialia explanare; eandem magno labore Infidelibus & Mauris, qui copiosè annis singulis ex Gvinea & Angola advehebantur, instillabat; útq; Sacramento Baptismi ritè initiarentur, summo studio procurabat. Et cùm adverteret multa à quibusdam moveri dubia, an securè ejusmodi barbaris Sacramentum hoc conferri posset, tractatum Catecheticum pro Indis & Æthiopibus instituendis composuit, Francisci Reynosi Episcopi Cordubensis jussu impressum; unáque ostendit, non posse illos ab hac DEI gratia legitimè arceri: cujus auctoritate constat in Hispaniæ ditionibus, ubi frequentiora ex illis nationibus distrahuntur mancipia, supra centum millia brevi tempore fuisse baptismo expiata. Eodem animarum zelo incitatus persvasit, ut expositi & inventitij infantes sacro lavacro tingerentur saltem sub conditione, licèt fortè scheda penes illos baptismi testis reperiretur: quòd diceret, fieri posse ut proles sint parentum Infidelium, qui odio baptismi ad eum ipsum à pignoribus suis avertendum, studiosè mentirentur ipsis jam esse collatum. Atque ut has similésque doctrinas bono animarum tantopere necessarias, latiùs per Sacramentorum administros propagaret, scholam Dominicis omnibus sub vesperam, & conventum Clericorum Hispali aperuit, in quo Casus merè practicos è Theologia morali explicabat: in id simul maximopere intentus; ut sui etiam in Theologia speculativa discipuli periti in officio Curatorum, in munere Sacramenta administrandi, atque Catechesim ad populum tractandi, evaderent. Eâ causâ statas ad Ecclesiasticos habebat conciones, plenas spiritu & fervore Apostolico; cujus verbis tantum Dominus indebat pondus & efficaciam, ut multi testarentur, unico se illius dicto maximis perplexitatibus exemptos, & ad veritatem à falso discernendam illustratos fuisse. Neque exiguus eorum fuit numerus, qui alloquio Patris incensi, rebus humanis nuncio remisso, vitam Religiosam amplexi sunt. Denique tanquam ad oraculum accurrebant omnes, consilij in rebus perplexis & conscientiæ perplexitatibus gratiâ, Archi-Episcopi & Capitulares, Principes & Magistratus, privati & in publicis munijs constituti: dicebat enim sententiã & sensum suum liberè, solâ veritate, absque ullius respectu, præ oculis habitâ; neque aliud majore odio prosequebatur, quàm os bilingve, & aliud ore ac corde volutans. Nec facilè quidquam gravioris negotij decernebat Archi-Episcopus, neque pronunciabat sacra Inquisitio, nisì priùs auditâ Patris sententiâ, quam plerumque expetebant quotquot controversias vel inimicitias invicem exercebant; nec minùs quàm decreto tribunalis cujuspiam acquiescebant.

Sed nunquam patentiùs veracitatis in Patre studium eluxit, quàm dum eam contra ipsiusmet Regis Catholici sensa liberè exeruit. Edixerat hic magnæ cujuspiam necessitatis obtentu gravem in Cives Hispalenses pecuniarum exactionem, decretúmq; ad Urbis Magistratus jàm expedierat. Et quia Magistratui solenne sciebat, nihil unquam momenti

menti alicujus decernere, nisì priùs audito & consulto P. Jacobo, literas ad ipsum per Ducem de Lerma dedit, favoris Regij & gratiarum plenissimas; inter reliqua verbo Regio promittens, si Pater sententiâ suâ indictam (ùt vocant) contributionem approbaret, & consilio suo Optimatibus urbis persvaderet, effecturum se apud summum Pontificem (qui tum erat Paulus V. & tractatus quoslibet de auxilijs gratiæ Divinæ typis edi prohibuerat) ut libri ab ipso super hac materia doctissimè elucubrati in lucem excudi permitterentur. Verùm rescripsit tam modestè quàm liberè Pater, cupere se Majestati Regiæ in quavis causa obsequentissimè servire, in ea tamen tributorum causa, quæ in manifestam subditorum oppressionem contra conscientiam vergeret, citiùs libros omnes sui partûs proprijs manibus igni crematurum, quàm edictum Regium probaturum esse. Quod autem in ejus recondita sapientia potissimùm in admirationem rapiebat omnes, erat profundissima Casuum conscientiæ & moralis Theologiæ scientia, cùm tamen palàm esset, quàm tenerâ ætate, nullâ dum sæculi experientiâ, Religionem complexus esset, ut idcirco non studio acquisitam, sed cœlitus infusam plerique autumarent. Quacunque enim in materia requireretur, tam aptè & fundatè respondebat Advocatis, Causidicis, Regijs Tribunalibus, Ecclesiasticis Consistorijs, cuivis Magistratui, & privatis, perinde acsi totam ætatem in proprio cujuslibet horum foro, & causis ventilandis transegisset; perfectâ notitiâ complectens omnia Regni & Urbium jura, privilegia, fori & curiarum praxes, stylum, consvetudines, processus, & in his obrepentes fraudes aut evasiones, ità ùt à nullo in fraudem induci, aut deludi posset. Atque ad horum capiendam notitiam, unicè impellebatur amore & zelo proximorum, ut quoad fieri posset, omnibus quàm maximè prodesset: ideóque communiter vocabatur alijs profundissimus Theologus, alijs uberrimus, copiosissimus, & omniscius Doctor, alijs illustrator & defensor acerrimus innocentiæ, alijs Vir persimilis heroibus primævæ Ecclesiæ, & nominatim S. Athanasio, S. Hieronymo, quorum liberum in dicenda & tuenda adversùm omne genus hominum veritate zelum constanter imitabatur. Atque hunc dicebat Societatis hominibus maximè proprium, quos oporteret ex Instituti sui rationibus Martyres esse, testésque veritatis. Ad gravissimæ quæstionis definitionem cum primis omnium Ordinum Theologis ab Archi-Episcopo Hispalensi, Petro de Castro & Quinnones, vocatus, postremus adveniens in imo consederat; sed omnibus uno animo assurgentibus acclamatum est, ipsi uni præter antiquitatis leges, inter familias Religiosorum servari solitas, deberi primas, qui omnibus esset eximius: itáque ad summa subsellia deductus est, & in ipsius unius sententiam quæstionis definitio rejecta. Tantam enim de Viri sapientia existimationem conceperat Archi-Episcopus, ut sæpius palàm fateretur, solo ejus unius arbitrio amplius sibi & potentiùs, quàm reliquorum omnium quantumlibet profundis sensis, persvaderi.

Tantæ Vir capacitatis & scientiæ cùm esset Jacobus, nunquam tamen in proprio sensu ità abundavit, ut non illum humillimè Superiorum arbitratui subjiceret. Inseruerat aliquando disputandis Thesibus conclusionem ex proprio ingenio conceptam, de qua certior factus Rector, eam expungi mandavit: quam licèt firmissimis rationibus tueri posset Jacobus, ità nihilominus obedientiæ acquievit, ut nè verbo quidem unico contradiceret, vel, ea de re mentionem unquam faceret. Inter proposita, quæ sibi agendorum veluti regulas præfixerat, nè scientiæ magnitudine unquam extolleretur, præcipuæ erant. Primò, Nunquam sive directè, sive indirectè, procurabo ullam in aliorum opinione existimationem vel honorem, ídque in nullo genere, quantumlibet id ad DEI servitium pertinere appareret. Secundò, Nunquam de rebus meis laudabiliter loquar; sed magìs laborabo, ut defectus mei omnibus innotescant, & virtutes in occulto remaneant. Tertiò, Amabo, & quæram contemni, & vilipendi ab omnibus, absque ulla excusatione, vel umbra honoris. Quartò, Si quando cæco impetu, & perverso judicio abreptus, sentiam me trahi ad honorem admittendum, vel fugiendum despectum, inferam mihi vim ad nitendum in contrarium; recordando, aliter me, cùm expedito judicio fruerer, censuisse: muniámque pectus signaculo crucis, quæ nostra est armatura, dicendo, DEUS in adjutorium meum intende. Quintò, Petam assiduè à Domino contemptus, & vilipensionem mei, quæque ejus comitatus sunt, omnes virtutes, unáque contemptuum amorem, licèt eos rebellis natura sufferat non cum delectatione, sed multâ repugnantiâ. Atque ex hoc sui deprimendi studio nascebatur in illo intima vilitatis suæ agnitio, ut sincerè crederet se vilissimum omnium, miraretúrque sua posse cuipiam in æstimatione esse, vel libros à se elucubra-

lucubratos ad typum deposci. Ejus rei luculentum exemplum præbuit, dum à Superiore falsis delationibns nimiùm credulo, repentè Hispali primâ Theologiæ cathedrâ dejectus est, & à scholis proscriptus, magnâ apud domesticos & externos infamiæ notâ. Cui postliminiò, deprehensâ accusationum inanitate restitutus, lectiones easdem animo sedatissimo, perinde acsi nihil intervenisset, repetijt, neque ullo unquam verbo ejus injuriæ mentionem injecit; & si quando ab alijs moveretur, constanter Superioris factum tuitus est, neque aliter prudentiùs rem statui potuisse, demonstrare conabatur. Nimirum DEI cognitio per continuum orandi studiū comparata, hunc ei de se ingenerabat sensum; illi siquidem frequentissimè, coram SS. Sacramento prostratus in faciem (quo plerumque situ in oratione deprehendebatur) totos dies impendebat: confidenti aliquando amico confessus, non posse animum suum à DEO ad aliud quidpiam cogitandum ità avelli, quin perpetuò illi unitus adhæreret.

Aliquot ante vitæ exitum annis, placuit DEO Virum in schola patientiæ exercere, & acerbissimis doloribus probatum veluti fabri politum malleo lapidem, ædificio cœlesti aptare. Cùm enim nullius rei terrenæ gustu duceretur, legendo duntaxat & scribendo vitam senilem traducens, hoc ipsum solatium DEUS illi subtraxit, oculorum usum, defluxione humorum tollendo, ut veluti cæcus aliud agere, præter aures in excipiendis pœnitentibus occupatas, non posset. Huic calamitati accesſêre ultimo quadriennio acutissimi calculi cruciatus, quorum admirabili tolerantiâ Medicos in stuporem rapiebat, cùm presso omni dolore totus esset in gratijs DEO, pro singulari hoc beneficio agendis, unicum solamen in Christi vulneribus reponens, in cujus cruci affixi simulachrum irretortis oculis intentus, illud identidem fronti & pectori apprimebat. Beatam verò transitûs sui horam continuis suspirans desiderijs, exclamabat sæpissime: *ô dies æternitatis, quando te perfruar? quando te videbo?* neque aliud gratiùs solatium accidebat, quàm si diceretur arteriæ pulsus deficere. Hæc illi nimirum securitas erat à magnitudine virtutum, quibus erat armatus; quæ tantæ fuêre, ut pene modum viderentur excedere justæ virtutis. Obijt Sacramentis omnibus munitus Hispali 25. Martij, anno 1632. ætatis 70. Societatis 56. magno omnium Ordinum concursu tumulatus, cujus sepulchro vitæ virtutúmque breviarium in hæc verba inscriptum est: *Venerabilis Pater Jacobus Ruiz de Montoya Hispalensis, absolutus sui sæculi Theologus, per plures annos publicè docuit. Prudentiæ, constantis animi, integerrimæ morum disciplinæ, mundi & honorum contemptûs exemplar: omnium ordinum hominibus consilio & opere salutaris. Barbarorum, Æthiopum, Hispanensium, Catechesis, & Baptismi impendendi auctor, copiosâ animarum fruge. Post illustratas scholas, silentio privatæ vitæ, & indefessæ SS. Patrum lectioni addictissimus: auxiliatricis gratiæ illustrator, & defensor acerrimus. Editis de Trinitate, Scientia & Voluntate Divina, Prædestinatione, Providentia, Visione, & Nominibus* DEI, *in quibus nemo hactenus altiorem impressit sulcum; luculentissimis Commentarijs dum alia Theologica in Ecclesiæ obsequium meditatur, ad diuturni morbi & patientiæ stipendia, veteranus miles evocatus à DEO; Sacramentis Ecclesiæ ritè expiatus discessit in pace, anno ætatis 70. Societatis 56. Domini 1632.*

Ex Nierembergij Tomo 3. & Bibliotheca Alegambe.

P. PETRUS DE LEON.



PAter Petrus de Leon, natione Hispanus, patriâ Xerezensis, secutus vestigia Fratris sui natu majoris Joannis, post initam Societatem in Germania, plus quàm 30. annis altiores disciplinas in aliquot Universitatibus, cum multorum hæreticorum reductione explicantis; Societatem & ipse magnâ constantiâ per quinquennium expetiit, admissus tandem anno 1567. ætatis 22. Nemo illo fuit in tyrocinio humilior, nemo de se abjectiùs sentiens, ut flexis etiam genibus Sacerdotium deprecatus, in sortem Coadjutorum temporalium redigi exambiverit. Post Grammaticam aliquot annis, magno puerorum etiam in virtute profectu traditam, Operarij animarum munus suscepit, & per omnem deinceps vitam, etiam cum Gadibus Collegium bis gubernaret, nunquam dimisit, per omnia ejusdem munia laudatissimè versatus, nomenque apud cujusvis statûs homines indeptus Viri prorsus Apostolici, Zelatoris animarum, & Operarij inter reliquos sui ævi, magìs insignis & præcipui. Prima inter reliquas illi cura fuit, incurios suæ salutis ad confessio-



P. Petrus de Leon Soc: Iesu Hispanus, miris conversionibus Peccatorum clarus; sedandis dissidentium animis, et maleficis ad sanctam mortem disponendis peculiariter à Deo destinatus. Obijt Anno 1632. 24. Septembris, Ætatis 87. 134.

fessionem attrahere, ejusdémque frequentiam vecordibus persvadere: & idcirco frequens excurrebat in fora, campos, & vias publicas, otiosos ad audiendum cœlestem doctrinam, quam eodem loci mox inculcabat, invitans; è quibus semper bonam manum post se in Templum adducebat, pane Divino reficiendam. Assiduus erat in visendis ægrotis, carceribus, nosocomijs, omnibus factus omnia, nova semper consilia adinveniens, quibus ad vitæ emendationem proximos adduceret. Et quia pœnitentes summâ quâ posset benignitate tractabat, sæpissimè evenit, ut peccatorum enumeratione jam finitâ, cùm Patris pene ad maternam blanditiem fragilitati suæ condolentis monita audirent, tum primùm seriò compuncti ea depromerent, quæ sacrilego pudore absterriti nulla in confessione aperuerant. Conciones extemporaneas cogebat in locis publicis, fluminum & maris littoribus, plateis, foris, triremibus, carceribus, hospitalibus, dicebátque fervore igneo, qui ad incendenda gelata peccatorum corda intimè penetrabat. In his audivit Patrem homo salutis projectæ, scelerum atrocitate in barathrum desperationis prolapsus, ideóq; annis 18. jam impœnitens; hic ipso illo vespere, quo de misericordia & DEI longanimitate Patri peroranti adfuit, navim conscensurus erat, ut ad Mauros, Mahometi sectam professurus, trajiceret: sed dicentis vi ad saniora reductus, cum DEO in gratiam redijt. Utque nihil dicam de veteratis multorum annorum pertinaciâ, extinctis odijs, de juramentis & blasphemijs inter nautas & milites sublatis, de pluribus ab hæresi & Mahomete ad

Ecclesiam traductis, de quàm plurimis ad egregiam virtutem vitæq; sanctimoniam provectis; singulare fuit, quod Hispali magnâ omnium admiratione unâ dictione perfecit, cui abolendo nullæ Magistratuum leges, nulla Tribunalium edicta, & pœnæ sufficiebant. Solebat vagabunda juventus, & quidquid licentiosæ vitæ insveverat pubis, festis diebus patenti extra Urbem loco convenire, ad ulciscendas de æmulis per hebdomadam acceptas injurias: ubi in plures turmas hostiliter divisi, ludicræ genus pugnæ non ludicrè referebant, serijs invicem vulneribus tum eminus excussis fundâ lapidibus; tum cominus brevioribus armis, nequè raro funeribus, accidentes. Diu frustra tentatis omnibus ad improbum evertendum morem à Magistratu remedijs, die sanctæ Crucis sacro Pater speciali numinis instinctu (nam alioqui res plena temeritatis & periculi fuisset) in media ipsorum agmina, dum infensissimè concurrerent, sese injecit, elatóque sanctæ Crucis vexillo, quod occultum eatenus servabat, eo spiritu efferatos allocutus est, ut suspensis primùm ad novitatē animis auscultarent universi, mox autem fervore dicentis commoti, arma sua certatim ad pedes ejus abjicerent, fundas, pugiones, enses, fustes, ídque tantâ copiâ, ut omnia numerum millenarium facilè impleverint. Horum præcipuis ad Crucem Dominicam perticæ alligatam appensis, & reliquis in alios arborum ramos trophæorum ritu affixis, supplicationem ordinatissimam cum toto juvenum exercitu in Urbem instituit, jucundissimo Civibus spectaculo, quo finis noxiæ petulantiæ impositus est.

Pari successu laboravit in mulierculis à vita prostituta ad frugem revocandis; plerísque Festis & Dominicis, quibus earum prostibula jussu Regio clausa teneri effecit, eas allocutus, nunquam sinè fænore optati lucri: nam modò quatuor, tres, senas, modò decem, undecim, ab infami quæstu ad ædes, singulari suâ industriâ talium receptui instructas, traducebat; ubi nunquam pauciores 40. eleemosynis per ipsum corrogatis sustentabantur, donec honestè elocandis dotem providisset. His adjecit sollicitam carcerum & ergastulorum per annos 38. constantem curam, animis æquè ac corporibus miserorum summoperè proficuam, pluribus ab hæresi reductis ad Ecclesiam captivis Anglis & Scotis, & pravis moribus eliminatis. Nulli siquidem fœminæ licebat virorum ergastula subire, & si quæ ex his carcere attinerentur, seorsim inclusæ degebant. Tollendis penitus juramentis & blasphemijs, Sodalitatem inter eosdem instituit, sub titulo Nominis JESU, cujus hodiéque in magno vigore conservatæ studijs, in locum pravæ hujus consvetudinis introducta sunt varia pietatis exercitia, Confessio & Communio solennis menstrua, frequenti primorum è Magistratibus præsentiâ celebrior reddita, non absque concione & Musicorum choro: supplicatio flagellantium, cum Passionis Dominicæ insignibus, hebdomadæ sanctæ diebus quotannis per impluvium areámq; carcerum instituta: quotidiana Rosarij recitatio, & id genus alia Christianæ devotionis exercitia. Vitæ subsidia non tantùm à potentioribus, sed ostiatim etiam vicatímque illis mendicabat: vidénsque nonnullos pluribus annis, defectu Advocatorum & pecuniæ attineri captivos, sodalitatem 30. capitum instituit ex legum peritis, quorum duo in singulas hebdomadas carceratorum aliunde destitutorum causas recognoscerent, & in tribunalibus gratuitò promoverent: cujus singularis industriæ is fuit, maximâ omnium commendatione, proventus; ut primi statim unius anni decursu, supra duo millia miserorum carceribus libera evaserint: constátque è publicis Curiarum libris, operâ Patris per duos sodales, quamdiu procurationem carcerum obtinuit, supra viginti captivorum millia libertatem obtinuisse. Ex quibus dici vix potest, quanta Patris apud omnes fuerit æstimatio, apud Judices præsertim & Tribunalia; ad quæ si in causa suorum pauperum venientem conspicarentur, omnibus alijs, quantumlibet magni nominis partium, sepositis litigijs, ejus ante omnia negotio expediendo animum applicabant, expostulantibus respondere soliti: *Domini, unusquisque vestrûm causam suam, & propriam utilitatem apud nos promovet, sed P. Petrus de Leon agit negotium & causam DEI, dum pro ejus amore pauperibus adstipulatur, ideóque prior expediri debet.* Sed major omnibus fuit cura in disponendis ad felicem mortem damnatis, quorum ad diversa suppliciorum genera eductos novem supra trecentos comitatus, ità piè sanctéque mori edocuit; ut nullus ex omnibus extra spem salutis æternæ, & sinè maximis veræ pœnitentiæ demonstrationibus decesserit: licèt ultimus, cui ad patibulum damnato adfuit, natione Turca, pridiano duntaxat vespere baptismum recepisset. Et quia neque in Rectoris Gaditani munere hoc pium maleficis obsequium negabat, contigit ibidem 30. pyratas Anglos interceptos ultimo supplicio mactari; quos tamen singulari DEI favore rectè in DEUM cre-

credere, & Catholicè mori edocuit; usque adeò miro toti Urbi spectaculo, ut de eo specialis relatio anno 1616. quo id acciderat, typis excusa fuerit. Is autem servo DEI inter pedores ergastulorum fuit gustus & solatium; ut cùm non rarò illuc accessisset valetudine pessimè affectâ, capitis doloribus, aut febrium æstu exagitatus, postquam animis misellorum expiandis, & omni ratione juvandis diem totum expendisset; sub vesperam sanus & valens domum indè repetierit.

Ut de Missionum ipsius, quas annis singulis semel iterúmque, & subinde tertiò instituebat, fructu, paucula attingam, vix locus fuit in Archi-Episcopatibus Hispalensi, Granatensi, & Episcopatibus Gaditano, Jaënsi, Almercensi, Gvadicensi, Malagensi, quem non Apostolicis laboribus excoluisset, multis etiam Diœcesis Toletanæ, & Estremaduræ locis perlustratis. Maximum tamen operæ pretium fecit per territorium Ducis de Medina Sidonia, quò plerique facinorosorum undique refugiebant; ideóque majore culturâ indigentibus operam suam pluribus per sexennium Missionibus impendit, donec vitijs omnibus & pravis moribus eliminatis, pietatem Christianam ità solidis radicibus plantavit, ut frequentiâ Sacramentorum, ceterísq; Religionis exercitijs, cultissimas etiam Urbes æquarent. Neque obsequentiores ferè ad consilia & mandata sua alibi habuit, persvadebátque nullo negotio, quæ priùs à Magistratibus neque minis, neque precibus poterant obtineri. Plures hìc reperit primorum etiam è Nobilitate filios, scelerum & libertatis amore à laribus domesticis avulsos, quibus tamen mirâ patientiâ ad frugem reductis, etiam reditum ad parentes persvasit, maximâ Ducis satisfactione; qui indè non tantùm profectum spiritualem in suorum animabus, sed etiam redituum auctiorem proventum expertus, Societati Hispalensi eleemosynam gratus obtulit, quæ pretium quatuor aureorum millium superabat. Idem hic Patris zelus in tam manifestum animarum fructum copiosè depromptus, permovit Marchionissam de Camarasa, ad fundandum Societati Collegium, cujus ipse primus gubernacula gessit. In tanta humanæ salutis siti non defuit prodigiosâ manu conatibus servi sui DEUS. Condemnatus Hispali ad mortem erat adolescens nomine Laurentius, cui Christianè obeundæ postquam illum supremis Sacramentis Pater præparâsset, satellites eundem ad furcam educturi ubi carcerem ingressi sunt, repêrere illum seu maleficio, seu quo malo aliunde ità sideratum, ut ab omni sensu alienatum, ut neque verbum proloqui, neque ad sensum ullum revocari posset, licèt profundè brachijs acus & cuspides infigerentur. Indignum videbatur Christianâ justitiâ, hominem ità constitutum morte mulctari: quare in triduum dilato supplicio, omnia interim, revocando ad se damnato, admota sunt remedia: quibus nil proficientibus, educendus nihilominus ad furcam Judicibus visus est, quòd ad mortem præviâ confessione & comunione abundè dispositus censeretur. Graviter hic rei jam jam necandi status Patrem afflixit, quòd nullius meritorij actûs eliciendi capax, instar pecudis animam efflaturus esset: ideóque mente ad DEUM ardenter elevatâ, sanam homini mentem exposcens, subitò ad reum conversus hisce adjuravit: *Laurenti præcipio tibi in virtute* Jesu Christi Nazareni, *ut loquaris, & pronuncies hæc verba* Jesus, Jesus, Credo. Mirum dictu! continuò velut è profundo emersus somno, distinctè eadem pronunciavit, animíque & sensuum plenè compos, denuò peractâ homologesi expiatus, inter ferventissimos virtutum Theologicarum actus animam laqueo elisam DEO reddidit.

Evocatus aliquando ad ægrum malignis caloribus æstuantem, & lethargo oppressum; cùm proximum alienandæ mentis periculum adesset, hortatus est ad peccatorum confessionem, certam illi spem faciens, expurgatâ animâ, etiam corpori valetudinis restituendæ. Et verò inchoatâ homologesi quò progrediebatur ulteriùs, eò meliùs sibi esse deprehendit: donec sub absolutionem exclamavit, calore omni sopito perbellè sibi jam esse. Quo eventu attonitus Medicus, negavit sinè miraculo potuisse repentinam adeò sanitatem mortaliter ægrienti redire. Idem penitus beneficium alteri à Medicis jam deposito evenit, quando sub ipsum acceptæ à Patre Sacramentalis absolutionis articulum perfectè revaluit. Neque defuit Viro lumen supernum, quo animorum secreta, & futuros eventus provideret, & ad cautelam proximorum ex vero aperiret. Obvius aliquando duobus robustis adolescentibus, post prolixum cum eis colloquium subitò in hæc erupit: *veniet non multò pòst dies, cùm vestrum utrumque ad patibulum comitabor, ut vos gloriæ Beatorum inferam.* Et ecce modico temporis lapsu deprehensi duplicis homicidij rei, ideóque in carcerem abrepti, comitante ad furcam Patre, pleni beatæ spei, manu carnificis decesserunt. Iterum juvenem quempiam fortuitò occur-

rentem multis ſtimulavit, ut eodem adhuc die dum poſſet, peccata confiteretur, fore enim alioqui, ut deinceps licèt maximè vellet, id præſtare non poſſet. Vix dies ſequens illuxit, quando juvenis repentino malo obrutus;ut verbum nullum proloqui poſſet,fruſtra à domeſticis evocato, qui confitentem audiret, Sacerdote, animam efflavit. Alios quatuor ſimiliter exhortatus eſt ad peccatorum confeſſionem, & meliorem vitam inſtituendam, quòd futurum diceret, ut omnes repentino fato, quin peccata expiare poſſent, extingverentur: quod & evenit, unus enim mortuus corruit in Templo inter audiendum ſacrum; alter telo per ipſum cor transfixus: tertius in amentiam datus: quartus pugione in actuali ſcelere confoſſus. Ejuſdem Divini luminis efficaciâ feliciſſimè diſcernebat ſpiritus, an ex DEO eſſent, vel ab altero genio, multóſque à dœmonis illuſionibus liberavit: ut adeò ſacra Inquiſitio plerumque ad ejuſmodi examinandos operâ Patris uteretur, & hæreſi vel alijs erroribus infectos ejus curæ committeret, quorum bene multos Catholicè credere edocuit.

In tam ſollicita proximorum ſalutis aſſidua procuratione, non obliviſcebatur ſuimet ad ſanctitatem promovendi; ſed cùm meditandi orandíque ſpatium per diem deforet, noctium horas aliquot illi ſacrabat, de genibus ſemper DEO, maximè in prolixa Divini Officij recitatione, ſupplex: in Sacrificijs verò oblatione ità in cœleſtia abſorptus, ut veſpas & culices capiti inſidentes, & ad ſangvinem uſque, qui per calvitiem defluebat, morſibus vellicantes, ne ſentiret quidem. In tot Miſſionibus quas obivit, nunquam niſi corrogatis vixit eleemoſynis, neque ad ulla Nobilium donaria acceptanda, vel domi ad ſpecialia, præter communitatem eſculenta admittenda, induci potuit. Tempus quod à neceſſarijs laboribus ſupererat, in humillimis culinæ officijs libentiſſimè impendebat, quavis ſextâ feriâ obſequijs Coci operam ſuam addicere ſolitus: imò de genibus aliquando à Superioribus contendit, perpetuò ad ejuſmodi Fratrum Coadjutorum munia addici. Flagellis quotidie, & Sabbatis quidem omnibus publicè, ità atrociter corpus cruentabat, ut crudeles ictus procul à cubiculo audirentur: quibus continua quaſi addebat cilicia, jejunia, frigoris & quarumvis aëris injuriarum perpeſſiones. Et nihilominus in tot támque aſſiduis laboribus ætatem ad uſque 87. vitæ annum perduxit, viribus ultimò ità defectus ut ad omnia obſequia manibus alienis egeret, donec illum ſupremo Numini ad æterna præmia placuit evocare. Cauſam verò morti præbuiſſe videbatur gravi è ſcalis lapſu, dum librum quæſiturus deſcenderet, ex quo preces ſuas recitare conſveverat: ex quo vehementer concuſſus, affluente catarrho, poſt ſex dies pijſſimè animam egit, Sacramentis omnibus ad æternitatem munitus.

Incidit ejus obitus in 24. Septembris anni 1631.

Ex ejus vita, Gonſalvi de Peralta, & Nierembergio Tomo 3.

P. GUILIELMUS BALDUINUS.



PAter Guilielmus Balduinus, natione Anglus, patriâ Cornubienſis, literis humanioribus addiſcendis, poſtquam annos quinque poſuiſſet in Oxonienſi Academia, vi magnâ impellentibus hæreticis Scholares ad frequentanda ipſorum Templa, ſpontaneus exul migravit Rhemos primùm, deinde Romam. Hìc in Seminarium Anglorum admiſſus, Philoſophiæ & Theologiæ dedit operam, ſacríſque initiatus Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1590. ætatis 27. & anno uno ad Divi Petri nationis ſuæ Pœnitentiarius vixit. Incommodâ uſus valetudine miſſus in Belgium, morali Theologiæ tradendæ adhibitus eſt Lovanij: unde vocatus in Hiſpanias, quò ab Anglis maria infeſtantibus ſecurior navigaret, Mercatorem Neapolitanum veſte & appellatione ſimulans, ſub nomine Octavi Fuſcinelli parabat transfretare. Sed non potuit tam tectè id fieri, quin exploratores, quos per vicinas Angliæ regiones Magiſtratus hæreticus ſeminaverat, diſceſſum ejus odorati, indicium facerent; ſuſpicati, ſe Balduinum eâ navi trajicere in Hiſpaniam cultu alieno. Et interceptâ quidem navis eſt ab Anglicis myoparonibus; ſed cùm certi nihil haberent de Mercatore Italo, varijs artibus deprehendere connìſi ſunt, an ſub eo Balduinus lateret. Itaque modò dormientem, *Balduinum vocantes*, repentè excitabant: modò velut de periculo lapsûs, aut alterius casûs commonentes inclamabant: *Balduine cave*! ſi fortè nomen agnoſceret, & ejus appellatione moveretur: modò quempiam è nautis ſubornabant, qui occultam noctu excenſionem illi pro pretio offerret. Sed cautior ille; & ad omnia quæ Anglicè



P. Guilielm. Balduin. S. I. Anglus, ob zelum convertendæ Angliæ maximis periculis carcere, & Hæreticorum odijs exagitatus. Obijt Audomari A° 1632; Ætatis suæ 62.
135. W.P.Kilian sc.

Anglicè dicerentur surdus, vel nihil respondebat, vel Italicè rogabat, quid (malum!) vellent? sic in Angliam captivus devehitur, & à Comite Notinghamio maritimæ rei Præfecto liberaliter domi suæ habetur, donec quid Regius Senatus illo fieri velit, perferatur: à quo tandem sententia venit, jubens captivum Italum ad Brigittæ fontes mitti custodiendum. Priusquam abduceretur, deducto perhumaniter ad lustrandum Comitis Palatium, ostenditur CHRISTI crucifixi Imago elegans, quàm dum plures unà è familia contemplantur, unus quispiam è stipatoribus rogat, quid eâ effigie designaretur? respondetur ab astante quodam, esse CHRISTI in cruce pro nobis mortui Imaginem. CHRISTI *morientis?* subjicit stipator; *atqui ego semper credidi* CHRISTUM *de collo, sicut apud nos ad Tyburnum, suspensum obivisse mortem.* Ignorantiam hominis, quam adeò spissam in mysterijs fidei secta Calvini inducit, miseratus Balduinus, nè prodendo à se idioma percipi unà seipsum manifestaret, silentio dissimulavit, esto vix risum sustinere posset.

In designato carcere obtigit illi cubiculum idem, quo duo disparis religionis attinebantur, corrupti verbi minister, & Catholicus alter Nobilis; in quæstione tormentis superatus ad quidpiam fatendum, ex quo uni Sacerdoti erepta est vita. Hæsit hic aculeus conscientiæ tam altè, ut noctes diésque infelicitatem suam voce lamentabili, & Confessarij inopiam deploraret, eóque dolentiùs, quòd rursus admovendus esset tormento, in quo moriturum se ex cruciatibus præsagiebat. Audiebat Balduinus lamentantem, & nè intelli-

telligere notaretur, rogabat identidem verbi ministrum de causa, dum & Catholicum deprehendit scire aliquid latinè. Itaque solabatur illum ùt poterat, hortabatúrque ad interiorem contritionem, quando Sacramenti copia deesset, spémque in DEI bonitate locandam. Sed quò dies repetendæ quæstionis vicinior, hòc mœror in afflicto evadebat auctior, inconsolabiliter Sacerdotis copiam & auxilium anhelante. Quid ageret Balduinus? etsi clam verbi ministro se detegeret vel Anglum, vel Sacerdotem, quam tamen securitatem sibi polliceretur, non æquè in tormentis, atque alterum Sacerdotem se à pœnitente proditum iri? deinde, de industria eodem cubiculo cum his socijs fortè se collocatum, ut hoc stratagemate, quis esset, deprehenderetur. In alteram verò partem dolor & lacrymæ pœnitentis ità sinceræ apparebant; ut cogitaret, fortè à DEO unicè in manus hostium venire se permissum, ut hanc animam suam salvaret. Quare certus, ejus causâ animam suam exponere, quærit, ecquam fidei secretíque constantiam servaturus esset, si Sacerdotem illi procuraret? omnem quæ expeti posset pollicetur, ad ipsam Sacerdotis appellationem erigens animum, & intimam præferens lætitiam. Pararet igitur se ad confessionem, monet Balduinus, Sacerdotem enim suâ industriâ comparatum certô adfore. Itaq; spem inter metúmque ancipiti cogitatione distractus, de anima tamen hominis quàm vita sua solicitior, noctu adrepit ad miseri cubile. Vigilantem reperiens & anxium aggreditur, Sacerdotem se esse declarat, & quoniam latinè perparum noverat, anglicè alloquitur. Quâ gestiret miser, veluti ex inferno emersus lætitiâ, facilè quisque decerneret: confiteri tamen eâ nocte noluit, quod rursus Balduino dubitationem attulit non mediocrem. Nocte alterâ ritè expiatus, alacer ad torturam profectus est, & quemadmodum auguratus fuerat, in catasta dilaceratus spiritum DEO reddidit. De Balduino autem cùm nihil deprehendi posset à Regijs, commutatione factâ cum Haukino quodam in Hispania captivo Anglo, dimissus est; ut revera hujus unius afflicti Catholici causâ capi permissus à DEO videatur. Mansit nihilominus jam liber sponte suâ in Anglia per sequiannum, atque in Hantoniensi Provincia rem Catholicam summopere adjuvit.

Evocatus inde Romam ad gubernationem Anglorum Collegij, paulò pôst Bruxellis datus est toti Anglicæ Missioni Præfectus; obivítque id munus per decennium maximâ curâ, & Catholicæ rei per universam Angliam dispersis Operarijs profectu: tanto idcirco Regijs odio factus, ut illum, licèt nunquam Belgio in Angliam exîsset, pulverariæ conspirationis, adeóque læsæ Majestatis reum, eodem edicto cum Garnetto & Gerardo pronunciaverint. Ex quo tempore nõ cessavit Legatus, Jacobi Regis nomine ab Alberto Archi-Duce, importunus eum sibi tradi poscere, ut adeò coactus fuerit Albertus eum Bruxellis aliò amandare. Sed compensavit DEUS innocenti atrocem injuriam singulari lacrymarum dono; quo cedens Lovanium, ità deinceps per decursum vitæ cumulatus est, ut in rerum cœlestium contemplatione illis ubertim perfunderetur, & vix unquam sinè ijsdem rem Divinam faceret. Incidit interea iter necessarium anno 1610. Romam, in quo cùm per Alsatiæ confinia & Palatinatum transeundum esset, à militibus Palatini Electoris Friderici VI. captus, & ex literis quibusdam (nam vestitu & agnomine alium simulabat) pro Balduino agnitus est, & in catenis Heidelbergam deductus. Et quia gratiosissimum Anglo futurum munus sciebatur, arctissima sub custodia in publicis carceribus detentus, tandem in Angliam per Juliacum, recenter ab Hollandis tunc interceptum, sub custodia 12. militum transmittitur, ingenti constrictus catenâ à collo ad pectus & dorsum decussatâ, cinctu per corpus toties replicato, ut Africo Leoni coërcendo posset ejus pars media sufficere; ex qua nihilominus à tergo pendebat altera 18. pedes longa, ad quam sustinendam opus sibi fuisse, Principum more, caudatario per jocum dicebat. Atque his solùm catenis stringendis laxandísq; præerant satellites quatuor, cum totidem clavibus. Alterius manûs permittebatur illi usus tantùm, quâ cibum ori admoveret, utriusque nunquam: sicut neque cultelli, fuscinulæ, nè scilicet infamiam conjurationis & mortem, quam ibat subiturus, ultroneâ sui internecione præverteret. Juliaci traditur Anglis Hollando militantibus, & nominatim Eduardo Cæcilio Arci illi Præfecto, qui catenis illum continuè exolvit, & omni officio, longè aliter à Roberto Cæcilio fratre in Jesuitas crudelissimo, prosecutus est tum benevolentiæ, tum honoris; nec raro mensæ suæ adhibuit. Ducendus in Angliam, Joanni Burlacey Equiti committitur, qui eum amplissima cum laude Jacobo Regi stitit, traditum nihilominus Guilielmo Wadeo, in turri Londinensi custodiendum. Ecce autem miram DEI in tuenda Balduini innocentia providentiam! ijsdem nuncijs, quibus

bus Regi allatum est Balduinum in Insulam appulisse; indicatum simul fuit, Fridericum Palatinum è vita decessisse.

Albertus Archi-Dux ubi Patrem turri conclusum rescivit, scriptis ad Regem literis, captivum fraude interceptum repetijt: sed respondit Jacobus, effecturum se, nè quo dolo Actorum, aut fraude Judicum circumveniretur; quare si ritè ac solidè innocentem se pulverariæ conjurationis probaret, nihil illi metuendum esse, sed liberum in Belgium dimittendum. Probavit autem Pater in pluribus Tribunalibus Episcoporum, Senatorum, iteratis quæstionibus examinatus, ità perspicuè; ut Rex ipse post tenue velum auscultans responsa laudaverit, & pronunciaverit innocentem: cui totum Regium tribunal assensum est, ejúsque sententiam testificatione publicâ in posteros misit. Quàm nihilominus inviti id facerent, probavit 8. annorum captivitas, quâ præter omne fas insuper detentus fuit, vix etiam tum dimittendus, nisì Legatus apud Jacobum Regis Catholici, Didacus de Sarmiento, illum sibi cum reliquis undecim è Societate captivis Sacerdotibus donari postulâsset; quod notoriè & propriâ Judicum confessione innocenti negari non potuit. Itaque anno 1618. rhedâ Legati è carcere deportatus ad navim, cum eodem Bruxellas appulit, ingentî omnium lætitiâ cum undecim Socijs exceptus, qui tamen plerique iterum clanculum in Insulam remigrârunt. Balduinus Romam festinavit, ut Generalem Societatis Mutium Vitellescum de Missionis statu edoceret; à quo per Hispaniam iter instituens, multa in salutem Angliæ utiliter obtinuit, & in Seminarijs Anglorum ordinavit: tandémque in Belgium redux, datus est Collegio Anglorum Audomari Rector. Quia verò nemo hactenus ex Anglica natione illi contubernio præerat; multis apud Isabellam, post Alberti mortem Belgij Gubernatricem, egêre Audomarenses, periculum publicæ rei ab homine externo verendum rati: quibus satisfactura: *metuendum nihil esse*, respondit, *cùm ipsa existimaret, illi viro se fide- re posse totius Belgij gubernationem.* Quare insuper potestatem ei fecit nominandi sibi quem vellet suæ gentis successorem. Rexit eam Domum Balduinus toto decennio, dimisítque quàm plurimos in culturam Ecclesiæ Anglicanæ Operarios, siquidem indefessâ curâ & labore numerum Collegij Alumnorum auxit ad ducentos. Tandem laboribus & ærumnis fractus, sancto fine vitam conclusit Anno 1632. cùm annum ætatis ageret 62. Societatis 36. & à Professione 30.

Ex Anglia Henrici Mori.

P. HIERONYMUS DE FLORENTIA.



Est quod plaudat, sibíque gratuletur Complutum, nobilissima Hispaniæ Civitas, de natalibus apud se excellentissimi Prædicatoris Patris Hieronymi, parentibus honestissimis, & pietate insignibus prognati; qui proles septenas nacti, omnes religiosissimè educatas, filios tres Societati transcripserunt; filiæ verò quatuor voto castitatis illigatæ, magnâ virtutis opinione sub directione Societatis ad mortem usq; constanter vixêre. Hieronymus anno 1582. ætatis 14. in Societatem receptus, gravissimâ dæmonis tentatione ex ipso tyrocinio parum abfuit, quin ad seculum retraheretur. Nam seu vitæ collectioris impatientiâ, sive paterni laris cupidine, certus jam seculi repetendi, tyronum Magistrum adijt, vestes sibi mundanas restitui petens. Is ùt erat raræ sanctitatis & prudentiæ cœlestis Vir, respondit: eas illi promptè exhibitum iri, cùm neminem invitum Societas in tyrocinio retinere soleat; æquum tamen esse, ut nè sinè petita priùs à JESU cruci affixo benedictione à nobis discedat, hac enim destitutum non posse bonos sperare successus: *Vade igitur*, inquit, *& prostratus coram ara Crucifixi, facultatem recedendi ab ejus consortio & Societate, unáque benedictionem postula.* Dum obtemperat, fixísque humi genibus quæ jubebatur depromere ad CHRISTUM tentat; repentè animo mutatus, & corde intimè compunctus, lacrymas ubertim oculis veluti binis fontibus profundere, jurare constantiam in Societate JESU, & dignos legitimo ejus filio mores, palinodiam denique apud Magistrum canere. Studijs severioribus post emissa Religionis vota Compluti admotus, singularis ingenij rara constanter dedit specimina, & in actu Theologico ità omnium expectationi satisfecit, ut communiter testarentur Academici, simile ingenium eatenus Compluti visum nequaquam fuisse. Philosophiam & Theologiam Magister peregregiè docuit, multósque ingeniosos atque utiles Societati è discipulis Operarios peperit. Sed dicen-



P. Hieronym[us] de Florentia S.J. Hiſpan[us], Spiritu Apoſtolico plen[us], et Regius Philippi III. Concionator, quem in agone deſperatione tentatum, ad ſanctam mortem diſpoſuit. Obijt Madriti 13. Martij 1633 Ætat: 68.

dicendi inprimis facultate ad uſque prodigium excelluit, appellatus idcirco alijs quidem idæa, alijs miraculum, alijs magiſter Concionatorum, cujus arte & dexteritate nihil aptius & melius cogitari poſſet: id quod tantò majorem pariebat admirabilitatem, quòd minimè verbis & elocutione abundaret; laudi nihilominus id præcipuæ tribuebatur, & dictiones longè gratioſiſſimas reddebat, quòd Auditorum animos ſententiarum gravitate, verborum caſtâ elegantiâ, vocis dulcedine & gravitate ſic efficaciùs deterreret à vitijs,& ad virtutem impelleret. Cæpit ſacram hanc eloquentiam Compluti exerere, dum ſimul Cathedram Theologicam occuparet, incredibili omnium ordinum affluxu & audiendi aviditate: ut adeò diu ancipites hærerent Superiores, viſis in eo tam raro nexu copulatis in excellentiſſimo gradu duobus talentis, ſubtilitatis Theologicæ, & Evangelicæ prædicationis, utrúmne Fidei myſterijs ſcholaſticè explicandis, an Apoſtolicè evulgandis admoverent. Quod ut ſecuriore viâ determinaret Præpoſitus Provinciæ Ludovicus de Guzman, Vir magni ſpiritûs & ſanctitatis; tentavit animum ipſiuſmet explorare, quò magìs ſuâ ſponte inclinaret? ſed Hieronymus, uti religioſum decebat, reſpondit, utrumvis à ſancta Obedientia imponeretur,æquè gratum & cupitum eventurum. Itáque multâ ad DEUM præmiſsâ oratione,dictionibus ad populum totis viribus ſeſe impendere juſſus eſt.

Et mox compertum eſt Divinâ id factum diſpenſatione; ſiquidem dicere conſtanter Compluti exorſus, tantos excivit plauſus; ut à pluribus ſeculis par illi concionator non extitiſſe

titisse crederetur. Bienniô exactô, Madritum Urbem Regiam ad nobiliorem pulpitum missus est anno 1600. ubi per 30. ipsos annos concionandi munere, cùm incredibili nominis claritudine, nec minore animorum proventu perfunctus est, præcipuis eloquentiæ sacræ Ministris eum, ceu Magistrum dicendi celebrantibus, quòd movendi arte efficacissimâ dominari cordibus omnium videretur, non populum tantùm & vulgus in partem quamcunque vellet impellendo; sed Grandes etiam & Principes, ipsum adeò Regem, qui eum Concionatoris Regij titulo exornavit, constantérque ingenti gustu & admiratione audivit. Prudentiâ in castigandis populi, Reipublicæ, Aulæq; vitijs, excelluit ad miraculum; ut cùm nullos peccare impunè pateretur, & nè ipsam quidem Majestatem Regiam, aut Regios Ministros præteriret, quin efficaciter palàm admoneret officij; adeò tempestivâ humilitate atque observantiâ severitatem condiebat, ut nunquam eos asperaret, quibus medicinam faciebat. Nam oculo semper in augmentum gloriæ & animarum profectum unicè intento, sermones suos in testimonijs SS. Patrum & Ecclesiæ auctoritate fundatos, depromebat Apostolicâ quâdam gravitate tanquam potestatem habens; ut clarè appareret eum in pulpito auctoritatem assumere super omnes cujusvis demum gradûs Auditores, legésque Christianas dictare, ùt Christi Vicarium aut interpretem, majestate legislatoris,& libertate prorsus religiosâ. Accedebat elocutio ità ponderosè cùm gravitate affabilis, & vocis sonus tam devotus & mitis, ut corda omnium sibi agglutinare, & Urbem Regnúmque totum unus regere ab Aulicis diceretur. Ipse Philippus III. Rex dicere consveverat, neminem sibi toties veritatem nudam edicere, atque Hieronymum; qui tamen adeò se non exacerbaret, ut lenimento modestiæ potiùs excitaret ad audiendum, parandúmque erratis, quæ perstrinxisset,remedium. Ejus interim familiaris conversatio tam erat pietatis plena, de rebus semper ad DEUM & salutem æternam pertinentibus,ut non minùs credatur profuisse mortalibus cùm per alloquia de pari, quàm cùm ex altiore loco diceret. Moderatores suos exquisitissimâ observabat reverentiâ, & in rebus omnibus tyronis instar ab eorum responsis,admirabili cãdore se aperiens, pendebat: regularum Ordinis & disciplinæ cum filiali quodam metu pene scrupulosè tenacissimus,earum explicatione,quâ non pauci fucum sibimetipsis faciunt, semper abstinuit; nec quidquam, minutissimum licèt, oblatum muneris à quocunque admisit, aut cuiquam impertivit, quin antè Superiori,quàm suum conclave ingrederetur, illud repræsentaret: vel si Superior abfuisset, priùs certè quàm se componeret ad quietem.

Calamitosorum magnâ miseratione tangebatur, eorum difficultates quantâ poterat ope levabat, commendatis efficaciter è suggestu copiosissimas eleemosynas providens: & qui nihil pro se unquã,nihil pro suis petijt, in causa tamen pauperum liberaliter Principes identidem appellavit. Die quodam inter recitandum cum socio Matutinum Canonicum, repentè in tenerrimas lacrymas solutus cœpit totus perpluere; quærenti autem socio fletuum causam, in memoriam sibi venisse dixit personæ cujusdam nobilis ultimam penuriam, quæ non haberet toto illo die quod manderet, præter frustum modici nigerrimi panis: simúlque dilatâ in tempus aliud oratione, ad procurandum eidem subsidium se proripuit. Par erat cura in conciliandis invicem hostiliter diffidentibus animis. Habuit aliquando concionem feriâ 6. majoris hebdomadæ, quâ argumentum hoc ex Christi exemplo ità nervosè prosecutus est, ut inter Auditores certatim in condonationem & injuriarum invicem deprecationem ruentes, quidam è prima nobilitate quòd neminem,cui remitteret, haberet inimicum, palàm desiderârit sibi à quopiam præsentium alapam infringi, ut esset cui amore Christi patientis injuriam condonaret. Ab eo ipso sermone rogatus ad mensam Ducis de Lerma, qui gravium corporis affectionum causâ carnibus edendis à Medico fuerat adstrictus, cùm magno sibi dolori necessitatem hanc accidere Dux ostenderet: *pluribus*, inquit Pater, *vijs potes defectum hunc supplere,DEO haud parùm gratioribus*; poscenti verò illas sibi indicari: *si offensam*, subjecit, *remittas inimicis, & liberalibus intendas eleemosynis*. Perrexítque tantâ efficaciâ utrumque Duci svadere, ut in vestigio offensas omnes Viro præcipuæ nobilitatis, quem justè vinculis attineri jusserat, perdonârit, & carcere dimitti jusserit: eleemosynam verò ità liberalem Patri consignârit, ut ea duobus è nobili sangvine ad extrema redactis,abundè in perpetuum juvandis suffecerit.

Jam verò qui eam corporum gessit curam, non potuit non longè magìs animorum damnis agi, illísque tollendis insudare. Quare debitas peccatoribus pœnas ipse in se assumebat, sacrificia & orationes pro illis multiplicabat, totúmqne robur & vires è suggestu illis ad pœnitudinem commovendis non tantùm

tùm ipse exercebat, sed alijs Concionatoribus impensè inculcabat, ut vim dicendi omnem in peccatorum detestabile malum impenderent. Ex eodem zelo persecutus peccata publica & scandala; ut ea proscriberentur, apud Judices instabat; neque ulli parcebat labori, dum remedia ægris animis quacunque demum via attulisset. Prædicanti die uno Quadragesimæ aderat homo quadriennio impœnitens, execrabile dœmonis, cujus commercio ad libidines pro succubo utebatur, mancipium; hic efficaciâ Oratoris intimè compunctus, statuit venenum omne in aures Hieronymi ejicere. Et licèt familiaris genius arte omni conaretur sanctum propositum intervertere; efficaciter tamen DEI gratia eum ad Collegij januam die sequenti adduxit, ad quem audiendum Pater ubi in confessionali consedit, cœpit miser ille terribili totius corporis tremore concuti & horrere: & percontanti Patri, quid causæ tanti timoris esset? *video*, respondit, *horribili specie dœmonem, gulam se mihi, si qua cum illo mihi fuêre commercia edixero, intorturum minantem.* Animatus à Patre, magno dolore infandum scelus ubi confessus est, jussit eum accuratiore examine conscientiam excutere, diéque sequenti ad plenè faciendam exomologesim redire. Domi ad quietem nocturnam composito adest consvetâ puellæ formosissimæ specie dœmon, & ad infernale commercium invitat, extrema renuenti minatur, & reipsa flagello terribili, constante in proposito aggressus dirè cedit. Post institutam exactè die sequenti omnium scelerum confessionem ritè absolutum, & salutaribus monitis ad patientiam, & in dœmonis illecebras æquè ac terrores constantiam animatum, iterum hostis blanditijs primùm, mox autem verberibus invadit, & per 30. noctes continuas flagris acerbissimis concidit, invicto animo omnia in peccatorum tam gravium expiationem sufferentem: quibus exactis, DEI miserentis ope ab omni mali genij infestatione liber, vitam admodum sanctam & pœnitentem instituit. Quantum porrò in servo DEI odium fuit peccati, tantus amor erat virtutis, & animarum sanctitati deditarum; in quarum favorem & auxilia propè supra vires se impendebat. Accessit aliquando Collegium nostrum persona virtutis opinione eximia, extremâ necessitate ad petendos unde unde mutuos 1000. aureos adacta; cúmque à nonnulis Patribus consilium peteret, absterrebatur unanimiter ab omnibus, nè hos à P. Hieronymo incassum deposceret, cùm magna per id tempus ubique nummorum esset penuria. Rescivit nihilominus id aliunde Pater, & continuò amicum suum singularem accedens, mille aureos mutuos ab eo impetravit, cùm is ex concepta de Patris integritate opinione viginti etiam millia aureorum, citra omnem censum, paratum se dare declararet.

Religiosarum familiarum omnium studiosus fuit atque observans inprimis, nec ullam eas publicè ac privatim deprædicandi opportunitatem patiebatur abire vacuam. Societatem verò suam tenerrimo affectu diligebat ùt filius, ejúsque emolumentis se suáque semper posthabuit. A Philippo Hispaniarum Monarcha non semel invitatus ad Regiam munificentiam aliquâ postulatione periclitandam; hoc unum, nec aliud unquam flagitavit, ut Societati præsidium, atque auræ suæ benignitatem aspiraret. Vocationem suam Religiosam primo inter beneficia cœlestia loco computabat, cúmque extremâ jam ætate Ocannam, ubi primos Religiosæ vitæ annos posuerat, venisset; in genua prostratus multis osculis pavimentum cubiculi, olim à se habitati, veneratus est, quòd in eo tot favoribus à DEO cumulatus esset. Habebat illum ægerrimè, si quis iniquâ tanti doni æstistimatione descisceret à Societate; atque æquùm ratus illum deserere, qui prior DEUM deseruisset, nulli eorum manum ad humana subsidia porrigebat. Cúmque redimendæ cujusdam in Societate constantiæ centenos aliquoties ducatos ab Infante Cardinali pro egena tentati matre impetrâsset; ubi hunc nihilominus jugum excussisse advertit, eosdem Cardinali tanquam non ampliùs necessarios retulit, jussus tamen quibuscunque alijs egenis illos impertiri. Has inter virtutes cum tot naturæ & gratiæ dotibus sociatas, eminebat nihilominus profundissima sui rerumque suarum depressio, ex qua talentum dicendi omne imputabat Patri Millan Garcia, è cujus directione, scriptis & annotationibus, omnia instar discipuli hauriret: alienarum concionum facundus semper encomiastes, laudabátque jam modum dicendi, jam conceptûs subtilitatem: neque ullus è juvenibus nostris concionem, quas in triennio exercitij gratiâ facere adstringuntur, dixisset, in qua non plura commendatione digna annotaret, sic ut è singulis profectum aliquem se reportare asseveraret. Potissimùm tamen hæc demissio enituit postremis vitæ annis, quibus cuilibet se submittens obtemperabat infantis instar, & se suósque labores extollentibus reponebat, nihili se fuisse, nec pluris omnes conatus suos

duce-

ducendos esse. Cùm verò ex eadem virtute cognationis suæ penitus oblitus, nihil unquam à Rege vel Principibus in suorum emolumentum prætenderet; unus aliquis ex ijs reputans sororibus Patris minùs pro dignitate provisum: inscio Hieronymo, supplici libello à Rege subsidia ejus nomine sororum commodis expetijt. Id ubi Patri compertum est, incredibili mœrore perfusus, nullum solatium admittere posse videbatur, quòd hâc ratione dignitas omnis ministerijs Societatis decederet, dum temporalis remuneratio exhiberetur, quæ unius DEI gloriæ & salutis animarum intuitu præstari oporteret. Hâc tristitiâ & melancholiâ obrutum repentè ad se evocat præcipuus Regiæ Cancellariæ Minister, & observati in vultu mœroris causam exquirit: cui Pater, *in tua unius situm est manu*, inquit, *dolorem hunc ad mortem præcordia exedentem abstergere, si supplex illud scriptum restitueris.* Quod ubi Princeps nihil alieni suspicatus necdum enim Regi exhibitum fuerat) in manus reddidit, illico Pater discerptum in mille frusta laceravit, ingentibus gratijs pro tanto favore Principi redditis.

Beatissimam Virginem DEIparam coluit veneratione præcipuâ, eámque habuit ceu matrem, nullo die coronâ ejus precatoriâ intermissâ: neque unquam suggestum ascendit, nisì priùs ante ejus imaginem prostratus felicem dictioni successum precaretur, & prosperum ejusdem eventum ad cubiculum redux gratularetur. De illius laudibus magnâ voluptate dicebat; & admiratione dignum fuit, videre quandoque illum pridie ejus festi quàm esset dicturus, malis oppressum, & sui vix compotem; postridie tanquam alium hominem instauratis animis ac viribus, summâ facundiâ detonare. Atque hic tenerrimus in Virginem amor ab eo expressit, ut ceteris suis lucubationibus omnibus oblivione damnatis, solas illius laudes, sub titulo Marialis, duobus tomis in lucem daret. Diebus Sabbatinis per ultimos vitæ annos, cùm aliud non posset, recitabat publicè in triclinio aut decantabat Salve Regina, ac tum pedibus omnium adrepens magnâ reverentiâ exosculabatur. Nec minor fuit pietas in SS. Evcharistiam, unde opem suis rebus crebro fidenterque petebat; solitus in ejus supplicationibus feriâ 5. & 6. majoris hebdomadæ munus semper thuriferarij obire. Ex quibus omnibus magnâ fuit, etiam apud primæ conditionis Magnates, opinione doctrinæ, sanctitatis & prudentiæ. Horam illi definierat quot hebdomadis ad se veniendi Regina Isabella Borbonia, ut vitæ & actionum suarum rationes cum illo expenderet: idémque observans laudatissimæ memoriæ Regina Margareta Austriaca, tantum spiritualibus ejus colloquijs tribuebat; ut cùm seriùs aliquando præter assignatam horam adesset, & ipsa magni interim momenti negotio distineretur, illo confestim abrupto consurgens: *mittamus hæc interim*, dixerit, *nè bona hora tractandi cum Patre Florentia nos prætereat.* Philippus III. Rex participem communiter illum faciebat suorum consiliorum, & plerasque electiones in distribuendis muneribus & officijs, tam sacræ quàm sæcularis Reipublicæ, ex illius sententia varijs distribuebat; quos magna rei bene gestæ commendatio secuta est, quoniam pollebat acri judicandi vi, ab omni affectu & passione liberâ, in unam DEI gloriam & Regni Regísque bonum intentâ. Cogebatur ejusdem Regis imperio interesse consilijs intimis super rebus gravissimis totius Regni salutem concernentibus, in quibus communiter ejus sententia approbationem & plausum obtinebat, utpote rationibus efficacissimis innixa, cum multa claritate complectens emolumenta indè provenientia, indè autem difficultatibus à contrario opponi natis satisfaciens: sic, ut è primoribus Regni Administris quidam profiteretur, se à multis licèt levcis advolaturum, ut sententiam Patris tanto pondere efferendam audiret. Copiam illi fecit idem Rex, cùm ad se verba faceret, confidendi, titulo virium attenuatarum, nullo unquam antea in quopiam exemplo.

In eo morbo quo demum Rex sublatus est, P. Florentia tribus nuncijs peremptoriè rhedâ accersitus ad Regem eo in articulo pro agone disponendum, negotium arduum habuit, ut eum ad fiduciam in DEI misericordiam erigeret. Obversante enim optimo Principi continuè ob oculos vitâ inter tot DEI beneficia ingratè actâ, & gubernatione tot Regnorum (ùt tum vivacissimè credebat) inerti, quâ Ministris omnem ferè administrationem permisisset, exiguâ per seipsum justitiæ intaminatè subditis præstandæ adhibitâ curâ, in tantam dejectus erat pusillanimitatem; ut parùm à desperatione dissitus, nullius Confessarij, Inquisitoris generalis, & religiosissimorum Virorum svasionibus erigi posset. Admissus Pater ad cubile Regis, cui tum fortè altâ voce historia Passionis Dominicæ legebatur, tam aptum de misericordia Divina intulit sermonem, ut Regi & præsentibus omnibus copiosas lacrymas excusserit, quibus tergendis vix sufficiens Inquisitor, fatebatur se in omni vita

ta nîl aptiùs, vel æquè ſenſatum audiviſſe. Rex verò apprehensâ Patris dexterâ, & pectori ſuo magno affectu appreſsâ, *P. Florentia*, ait, *nè me deſere in præſenti ſtatu, donec ipſe oculos meos preſſeris: multum enim ſentio me tuis monitis adjuvari.* Hìc Pater ardentiſſimos illi præire contritionis actus, inducere ad deprecationem omnibus quos ratione aliquâ læſiſſet, inſpirare formulas poſtulandæ à DEO veniæ omiſſionum in tam diuturna gubernatione, quibus maximè Rex alioqui pijſſimus angebatur, quòd per ſe ipſum parum regimini intendiſſe ſibi tunc videbatur. Sub quæ Rex omnibus ex Aula vale dicto, & curis publicis abdicatis, ſolum ſibi de reliquo Patrem cum Confeſſario adeſſe voluit: poſt multa ad DEUM pro vita diuturniore vota nuncupata, identidem altis ſuſpirijs ingeminans: *ô ſi DEUS longiorem mihi præſtet ætatem, quantò aliter Regnis meis gubernandis intenderem! probè quidem id jam tum intellexi, cùm tu P. Florentia veritatem mihi è ſuggeſtu dicebas, & peccata mea, ſecùs quàm voluiſſem, liberè ob oculos ponebas! ideo præcipio tibi, nè funebres mihi laudes demortuo pro more dicas: proteſtor enim indignum me etiam ſepulturâ in loco ſacro, qui ſum peſſimus mortalium, & maximus peccatorum in toto mundo!* Ad quæ incredibili ardore & humilitate dicta, cùm adſtantium omnium corda in aquas abirent; advertens Florentia hæc ex puſillanimi diffidentiâ proficiſci, ut eum tot bonis per vitam in DEI gloriam actis erigeret: *parúmne eſt Domine*, ſubjicit, *rexiſſe Imperium tot Provinciarum 22. annis, tantâ rectitudine & ſinceritate, quâ in eam felicitatem deductum eſt, ut hodie cernimus, majore juſtitiâ & pietate quàm aliàs adminiſtratum? cui tu tantis tótque exemplis virtutum præluxiſti, ùt toti Orbi compertum eſt? & nónne pluribus vicibus mihi aſſeveraſti, nolle te pro totius mundi Imperijs DEUM lethali crimine offendere? nunquid hoc ad ſalutem obtinendam à DEO non ſufficit? & quomodo ſufficiat?* reſpondet Rex; *Præter hæc*, proſequitur Pater, *parúmne eſt conſervandæ in religione Catholica Germaniæ aluiſſe tot exercitus contra hæreticos, quibus ſimul à contagio hæreſum Italia & Hiſpania præſervata eſt? Exiguúmne conſervandum eſt, ejectos per te totâ Hiſpaniâ Mauros, tantis Regij ærarij impenſis, nè videlicèt ullus in tuis ditionibus eſſet veri Numinis hoſtis? DEUS te remuneretur Pater*, ſubjecit Rex, *pro his ſolatijs, quibus multùm me animatum experior. Quam mercedem tuæ hujus tam fidelis petis operæ? dic oro te per vitam tuam.* Pater oſculo libatâ Regis manu, gratiíſque pro tanto favore redditis: *non unam*, ait, *tantùm, ſed duplicem à te gratiam mihi concedi efflagito. Quam verò illam?* reponit prompto animo Rex: *dicam*, reſpondet Pater, *ſi concedendam Regio verbo pollicebere.* Quo ſpondente: *aliud*, addit, *non depoſco, nisì ut actum quàm potes intenſiſſimum contritionis elicere connitaris: deinde, ut ſi DEUS ulteriorem tibi vitam prorogârit, efficaciter decernas, te bene meritis præmia, malis ſupplicia depenſurum.* Vir profectò Apoſtolicus, qui verbo Regio habito ut illum quantum poſſet remuneraretur, cùm eâdem inſuper horâ videret ab illo ſummos honores & præmia varijs de ſe bene meritis diſtribui, aliud beneficium noluit, præter æternum ipſiuſmet Regis. Iterum autem ſubinde ad Patrem converſus Rex: *non opus eſt*, ait, *in dictione tua funebri de me alia recenſeas, quàm quæ fieri modò vides. Dic, quod ego in præſenti ſentio; nihil mihi ex corona mea hac horâ ſupereſſe, quàm majus ex ea tormentum & dolorem. Utinam hos 22. annos vixiſſem in Thebaidis eremo quapiam, nè modò in tanto periculo verſarer damnationis ſempiternæ!* Ad quæ Pater, *viſne* inquit, *Domine, brevi hoc tempore de DEO mereri plus, quàm eſt tot annis vitam in eremo ſanctè tranſegiſſe? Et quomodo id præſtare poſſim?* quærit iterum Rex: *rejice*, ait Pater, *in manus DEI Monarchiam, vitam, & tantam hujus prolongandæ cupidinem, cum vera plenáq; totius cordis reſignatione, ut tecum fiat quod ſuæ Majeſtati placuerit. Facio perlibenter*, reſpondet Rex, *ſed nunquid id ſat fuerit? ità ſanè*, reſpondit Pater: *quid enim magis tibi in votis eſt, an vita diutiùs prolonganda, an ut hæc quam vixiſti, in eremo exacta fuiſſet? vita*, inquit Rex, *diuturnior. Offer igitur*, proſequitur Pater, *rem magis arduam tibique difficilem, quàm ſit vita Anachoretica, Chriſto cruci affixo; qui cùm ſit Rex ſupremus cœli & terræ, magni æſtimat videre Reges terrenos abjici ad ſuos pedes; quem illi honorem Angeli ſummè gratulantur.* Tum Rex apprehenſo Chriſti cruci affixi ſigno, magno affectu illius pedibus advolvi ſe tenerrimis ac humillimis ſuſpirijs proteſtabatur, tanquam viliſſimum terræ vermiculum, aſſiduis oſculis illos venerando, quoad manus illi tenendo ſuffecêre. Vetuit etiam Regis nomine ſe appellari, ſed proprio duntaxat Philippi, quod eſſet Regis nomine indignus, vilior & pejor quovis homine pagano. Atque hos inter ſummè heroicos Chriſtianæ virtutis actus placidiſſimè tandem, ſummâ conſcientiæ quiete, animam inter manus Patris Florentia DEO reddidit.

Philippus IV. Patre demortuo, fratrum ſuorum

suorum Caroli & Ferdinandi commendavit Florentiæ educationem, eorúmque ut præesset confessionibus designavit: suam quoque ætatem vixdum Regno parem, ut optimis subinde præceptis & consilijs firmaret, rogavit. Et verò omnium pene Ordinum visa est esse cura Florentiam celebrare coleréque: illum Imperatrix Maria cum Margarita filia summâ æstimatione prosequentes, dirigendo spiritui unicè adhibebant: Ferdinandus autem Infans Cardinalis observabat propè ùt Parentem, ejúsque consilijs vitam & mores accommodabat, invisebat ægrientem, & pene instar ministri subveniebat. Paria demonstrabat Dux de Lerma, Comes de Olivares, totáque Nobilitas cum Grandibus, & ordinis utriusque Principes, tam Ecclesiastici quàm secularis: ídque non Hispani tantùm & domestici, sed quotquot veniebant magnorum nominum Principes ex Gallia, Italia, Germania, Regúmque Legati, illum jam grandi famâ notum coràm avidè perquirebant, ejúsque allocutione videndi quod habebant hominis desiderium temperabant. Ceterùm tanta celebritas ultimo ferè quadriennio in parem vertit oblivionem, quo decubuit artuum solutione, quam paralysim dicunt, illigatus; tam ab hominum memoria deletus, quàm si nullus unquam Florentia extitisset: ad infantiæ propè humilitatem dejectus, subjectúsque DEO, atque humana omnia vanitate esse plenissima in seipso luculenter edoctus. Id quod de ipso vaticinatus ex vero est P. Millan Garcia, quando ingenti omniũ accursu dicere pro suggestu Compluti eum videns, ad magni nominis Virum de Societate dixit: *Juvenis hic concionatur ad magnum animarum profectum, evadétque excellentissimus in dicendi munere, cum maximo animarum lucro, nec minore famâ & applausu: sed ad extremum immittet illi DEUS quandam derelictionem & oblivionem apud omnes, quibus erat in pretio: quique ad tantos perorabat summo omnium applausu, illi prædicabit* DEUS *in angusto conclavi uni & soli.* Atque hoc ad apicem completum fuit ad majus ipsius meritum & coronam, nostrum verò exemplum & instructionem. Accessit per id tempus severioris illi conscientiæ scrupulorúmq; vexatio, quâ in summam alieni consilij atque solaminis necessitatem conjiciebatur is, qui suâ quondam sapientiâ tam multis profuerat, non aliter quàm si foret unus de fæce plebis, rerum omnium penitus ignarus & rudis. Hanc tamen depressionem pensavit DEUS mirabili conversione rerum, infundendo animæ illius supremis diebus quietem & serenitatem conscientiæ ità admirandam, ut incredibili tranquillitate mentis sumos inter ardores & stomachi dolores ageret, & delicias Paradysi prægustare animo videretur: donec Sacramentis omnibus ingenti solatio perceptis, sensuum omnium & loquelæ ad extremum usque halitum compos, spiritum pacatissimè exhalavit, Madriti 13. Martij qui erat Sabbati, DEIparæ tanto affectu ipsi coli solitæ sacer, 1633. ætatis 68. Et ecce à morte subitò illius memoria velut è sepulchro excitata, apud omnes ità revixit, ut omnium Ordinum lacrymis, totiúsque Urbis & Aulæ dolore, veluti communis omnium Pater deploraretur. Ad ejus venerandum corpus & basiandas manus, ingentes Domum nostram facti concursus Principum, Prælatorum, & primorum ex utroque statu Capitum: Funus verò deductum à tota, quanta tum Madriti aderat, Nobilitate, Religiosis omnibus, Canonicis & Prælatis, atque infinito populo; succollantibus tumbam Regijs Concionatoribus ad Regiam usque Capellam, ubi conditum est, & justa funebria eodem confluxu, die sequenti, Regio choro persoluta.

Ex Nierembergij Tomo 1.

P. THOMAS EVERARDI.

Pater Thomas Everardi natione Anglus, Patriâ Suffolciensis, avitæ Nobilitatis Parentibus satus, nè lubricæ juventutis in constantiâ in sequiora abriperetur, Divino beneficio incidit in P. Joannis Gerardi consvetudinem, à quo sacris B. IGNATII Meditationibus inter plures Nobiles adolescentes exercitus Londini, constans pietatis studium hausit. Cúmque illud pro libitu in Anglia securè à se coli ob persecutionis acerbitatem non posse videret, trajecto Oceano Rhemos in Galliam venit, & post absoluta altiorum etiam disciplinarum studia, Societatem unicè expetijt, admissus in eam circa annum Domini 1593. ætatis 33. Eluxit in eo semper constans pietas & in Divina propensio, mitissimæ erga omnes mansvetudini conjuncta, cum profundissima humilitate, ut toto ore & habitu sanctum spirare videretur. Nec deerat cum proximis agenti candor quidam atque



P. Thomas Everardi, S.I. Nobili prosapiâ Angl, post carceres ob prædicatam Anglis Catholicam Fidem, mortuus Londini 16 May Anno 1633. ætatis circiter 73. 137.

jucunditas omnibus grata, quâ ad eum audiendum, & monitis obtemperandum mirè capiebantur. Lentâ subinde correptus febri, eâdem interiturus putabatur; eluctatus est tamen singulari DEI, in multarum salutem animarum, beneficio, & pluribus annis Ministri officium subijt Audomari & Watenis, datus postea Lovanij Novitiorum Magistro socius. Cùm verò incredibili arderet desiderio laborum & ærumnarum Anglicarum, permissus est, annis licèt jam gravis, illuc navigare, suscepítque Apostolicis ministerijs excolendam Norfolciæ Provinciam. In hac domos Catholicorum assiduè percursans, pedes semper itinera omnia conficiebat, neque unquam adduci potuit, quamvis senio ac morbis debilitatus, ut equo uteretur.

Quàm copiosos autem fructus in horrea Domini meteret, & quàm multos hæresi detractos Catholicis adjungeret, patuit ex Magistratuum rabie, vias omnes ad eum intercipiendum & conatus adhibentium. Comprehensus est nefariâ apostatarum proditione bis, & annos aliquot in ærumnosa custodia detentus: cujus altera comprehensio sub Jacobo Rege in Districtu Suffolciensi, magno pretio constitit hospiti, è cujus latebra fuit abductus. Posterioribus annis, emissis jam Coadjutoris spiritualis publicis votis, cùm brachiorum, crurum, oculorum debilitate, vix legere posset aut ingredi; solitudinem suam perpetuâ Rosarij, aliarúmque precum tum voce tum mente, ac potissimum Psalterij JESU, quod à puero semper usurpavit, repetitione solabatur. Denique cùm otij desidiæq; maximus esset osor, quidquid ei à laboribus cum

cum proximo vacui esse poterat, in transferendos è varijs lingvis in Anglicam variorum pios tractatus impendit. Donec ætatem laboribus, morbis, ærumnis, summâ pietate protractam ad annos septuagesimo majores, sancto clausit fine Londini 16. Maij. A. 1633.

Ex Anglia Henrici Mori, & Bibliotheca Alegambe.



P. Ioannes Carlier, Soc. Iesu, Belga, Missionum rite obeundarum exemplar et regula: grandi animarum proventu expeditiones sacras obire solitus; initium illis a dimidio noctis dabat, et ternis quaternisq; concionibus prosequebatur. Extinctus Atrebati 16. Sept: 1633.

138.

P. JOANNES CARLIER.

Pater Joannes Carlier in Belgio natus, ac subinde in Societatem adlectus, vitam potissimam animarum quæstui, impendit; factus Missionum religiosè ac flagranter, magnóque cum fructu agendarum exemplar, & vivum documentum. Adeò ut Præpositus Generalis Mutius Vitellescus, cùm de de ejus Apostolicis industrijs multa & magna audiret, ei in mandatis dederit; ut modum quem in Missionibus teneret, sigillatim & exactè perscriptum ad se Romam transmitteret: quem perlectum laudibus extulit, atque ut porrò rem ità ageret, hortatus est. Sed & Principes Belgij Albertus & Isabella, miris, quæ de ejus concionum fructu ardoréque ferebantur encomijs permoti, illum audire optârunt, auditúmque & laudatum impensè cohortati sunt, ut sic pergeret. Tanta verò plebejorum æquè ac nobilium, quacunque Evangelicam falcem in colligendam messem animarum circumferret, erat Viri æstimatio; ut si quem alium de Societate in sacris ejusmodi expe-

expeditionibus præstantem viderent, familiari proverbio illum laudaturi dicerênt: *en! alter Pater Joannes Carlier.* Domo ad Missiones proditurus, adibat ad SS. Sacramentum, ibíque prostratus gratiam sibi, ac ijs, apud quos operaturus erat, flagitabat: Angelum unà suum, ac eorum Custodes impensè precatus, ut ipsi labores suo favore proveherent. Concionum verò argumentum erant ferè quatuor novissima, quibus ille de profundo veterno extrahebat obstinatos quosque, & obduratos flagitiosos. Devitabat quoad posset, domos & habitationes nobilium, mensas verò quàm maximè: quibus tamen si adesse cogebatur, properè se expediebat ad labores redux: unde Joannis neque manducantis neque bibentis, ad hæc neque dormientis illi nomen adhæsit. Durante siquidem ubivis locorum sacrâ expeditione, post brevissimam quietem, noctis horâ 12. seu nocte mediâ se ad Templum proripiebat, ære campano signum incolis dabat: & sæpe jam tum reperiebat quosdam illum præstolantes, ut peccata deponerent. Per iter aliquando fatiscenti inediâ, nec viam prosequi valenti, ignotus repentè homo adfuit, panem & vinum porrexit, amicis verbis perhumaniter refecit, & in silvam, nunquam deinceps visus, recessit. Tantâ verò contentione perorabat ad populum, aliquando etiam quater de die, & admodum prolixè, ut aliquoties sudorem sanguineo simillimum sudâsse, sit compertum. Obstinatum quendam in vinculis, cùm aliter ad confessionem adducere non posset, se coram illo nudavit, & acerrimè cecîdit, sícque ad pœnitendum adduxit. Similiter & veneficæ duæ ejusmodi spectaculo perdomitæ, peccata cum lacrymis sunt confessæ; quarum facilè ducentas rogo adjudicatas (ut aliorum criminum reos taceam) ad supplicium comitatus est, felicissimâ semper charitate ad optimam mortem comparatas. Ex Missionibus ad Collegium redux, salutato prolixâ gratiarum actione DEO Evcharistico, ad culinæ obsequium, ad labores domi vilissimos, ad corporis cruciatus augendos redibat, vires spiritûs ad novas expeditiones instauraturus. Ægritudine tandem prostratus, ubi de morte vicina certior factus est, Psalmos Pœnitentiales, Litanias, Augustini exemplo, recitabat, dum felicem animam DEO reddidit Attrebati die 16. Septembris, Anno 1633.

Ex Anno dierum Memorabilium Nadasi & Bibliotheca Alegambe.

P. STEPHANUS FODOR cum alijs 17.



Perpetuis cõflictata bellis & cladibus Boëmia ab anno ferè 1620. ad longa deinceps tempora, tum ab intestina rebellione & hæresi, tum à Svecico deinceps Marte illatis, pestem quoque tunc sæpiùs, bellum plerumque comitari aut subsequi solitam, experta est; quâ alioqui domi natâ perraró, nisi ferè aliunde, vel per bellum illatâ, infestari solet. Debet hoc meritis potissimùm S. Adalberti, sui quondam Episcopi & Martyris, cujus sacrâ apprecatione à quibusdam malis constanter immunis est & libera, dum nullus unquam ex ejus incolis leprâ corripitur; nullus in Regno dœmoniacus reperitur; cùm tamen in conterminis Provincijs frequentes leprosi & energumeni deprehenduntur. Itaque sub annum 1633. ab armis enata contagio, Nissam Silesiæ Urbem, Wratislaviensis Episcopi sedem, corripuit: cujus sub ipsum exordium Societas in auxilium contactis strenuè accurrit, ínque opere tam glorioso ternos ibidem, plures verò alibi amisit. Atque inprimis Pater Stephanus Fodor, Boëmus Pragensis, Vir flagrantissimæ charitatis, quæ omnem ab ejus animo timorem foras mitteret, enixè à Superioribus, & magnis precibus contendit, ut Civitati nostram opem poscenti, præ alijs addiceretur. Voti compos effectus, concursare cœpit per infectas domos etiam non vocatus, & salutarem omnibus operam circumferre: tum ad campos exire, quósque palantes & omnium auxilio destitutos, cum extrema calamitate conflictatos invenit, Sacramentis ante omnia piísque monitis providit; tum qui corpora miserorum curarent prospexit, cibum conquisivit, lectum comportavit, ut nullo miseris officio deesset. Quibus in ædibus debilitatos ità universos esse advertebat, ut nemo omnium posset aut etiam vellet fores pulsanti aperire, scalis admotis per fenestram intrò se injicere, levare mœstos, & præter reliqua officia, ubi opus esset, juvare corrogatâ stipe. Urbem amnis ejusdem cognominis, haud ille quidem altus præterfluit, sed quem vado nequeas siccus transmittere: ergò sæpe dum altera in ripa discurreret Pater, in adversam accersebatur ad ægrum quempiam: ille, quò celeriùs advolaret, omissâ ad pontem circuitione, calceos ac tibialia raptim detrahere, atque ubi quò voca-



P. Stephanus Fodor, Soc: Iesu, Boëmus, vitæ suæ pro salute proximi contemptor; inter alios, 17, sæviente per Boëmiam contagione, ægris omni ope subveniens, optatam mortem consecutus est Nissæ Silesiorum. 27. Sept: Anno 1633. ætatis 41.

139.

vocabatur accurrisset; expedito officio in alteram jam, jámque rursus in alteram partem, ùt necessitas urgebat, medium per amnem recurrere. Demum ipse etiam lue contactus est; quo tempore neutiquam ab aliorum temperare procuratione; sed ad se venientes, cùm ipse progredi ultra nequiret, benignè accipere, expiare, solari, ad amorem cœlestium excitare, nullum auxiliô vacuum ab se dimittere: donec fractis penitus viribus ad diem 27. Septembris spiritum DEO reddidit, eodem Anno 1633. ætatis 41. Societatis 18. Hunc secutus ibidem est 30. Octobris Pater Daniel Menichius, domo Nissensis, annorum 33. in Societate 13. magno quidem & prompto spiritu exambitum hunc certaminis campum ingressus; sed carne infirmâ, & usque ad mortem reluctante. Nam cùm è Collegio alacer eò se conferret, ubi erat seorsim ab alijs ad pestilentium obsequium commoraturus, tetro conspectu jacentium in compitis ægrorum, quos pestilentia deformâsset, ità cohorruit aversante naturâ, ut eam quamvis ipse virtute comprimeret, virus tamen aspiratione combiberit, quo paucis diebus confectus ad plures abijt: haud ejus expers gloriæ, quam ultro adeundis periculis quæsierat: Tertius obijt 15. Novembris P. Gedeon Judex, Saxo-Burgensis, annorum 35. in Societate 15. Sed & Glacij Urbe 9. leucis à Nissa distante, coorta lues, quinque Socios eodem anno cum ægris occupatos sustulit. Martinum Vogt, Silesium Grotcoviensem, Coadjutorem, annorum 22. in Societate trium 16. Augusti. P. Martinum Döring, Pruthenum Gutstadiensem, 25. Augusti, annorum in Societa-

te, 19.

te 19. ínque ea Theologiam aliquando tam Moralem, quàm de Fidei controversijs professum. P. Melchiorem Preiner, Moravum Olomucensem 4. Septembris, annos natum 54. in Societate 34. professum 4. votorum. Herhardum Zirk, Germanum ex Alsatia 7. Septembris, annorum 29. in Societate 5. duntaxat. Ultimum 14. Septembris P. Andream Eberle, Boëmum Budwicensem, annorum 35. in Societate 18. His anno insequente 1634. accessêre Pragæ duo, P. Joannes Antaly, Ungarus Gaiariensis, die 25. Novembris, annorum 51. in Societate 27. gradum sortitus Coadjutoris spiritualis; magnâ animarum flagrantiâ, assiduis penè inter hæreticos & discriminum plenis Missionibus distentus; cùm hanc juvandi Pragæ pestiferos provinciam de genibus exorâsset. Et Thomas Haimb, Bavarus Straubingensis, annorum duntaxat 26. & in Societate 5. adolescens supra ætatem, supra conditionem fortis, & ad hanc gloriam multis antè prælijs duratus. Nam tertio abhinc anno pulsis ab Urbe Praga socijs, relictus cum altero fratre, ad tutelam Collegij, per ignominiam comprehensus, ter ludibrio per Urbem ab hæreticis circumductus, trium dierum inediâ afflictus, contumelijs sæpiùs & convitijs, ac tandem etiam verberibus affectus, demum coactus est in exilium omnium vacuus abire. Sed paulò pòst clàm redux, & iteratis hostium incursionibus iterum subducere se compulsus: superiore rursum anno revertit, pérque omnes hostium frequentissimos assultus constanter in Collegio, mutatis identidem latebris, commoratus est, sub Divini tutela præsidij, noxæ immunis, atque ad hanc gloriosæ mortis sortem servatus, quam ex contagio pestiferi, cui sedulam dabat operam, contraxit.

His adjungere placet, quos idem ægris impensum, eadem in Triurbe Pragensi, obsequium, reviviscente per Annum 1638. pestilentiâ, cœlo inseruit. Eorum primus die 14. Septembris excessit, Melchior Hoffman, Silesius, Coadjutor temporalis, annorum 30. in Societate 10. Hic in sedula ægrorum diu noctúque cura, dum eandem uni è nostris Sacerdoti (quem mox subjiciam) P. Georgio Aquitano lue afflato exhibet, virus hausit adeò violentum, ut horis non ampliùs 40. Sacramentis perceptis, extinctus sit. Secundùm illum 22. Octobris, obijt Matthæus Schmile, oriundus è Marchia Brandeburgica, annorum 30. in Societate 10. qui Patrum uni ad pestilentium obsequia destinato datus comes & adjutor, simúlque nostris duobus lue correptis generosè famulatus, veneno ictus ad mortem pervenit. At dies 2. Novembris duos simul abstulit, P. Jacobum Drabetium, Novædomi in Boëmia natum ante annos 40. in Societate versatum annis 17. præstantem eloquentiâ Virum, & apud concionem suam gratiâ validum, quem populus emortuum, & à nostris clàm & obscurè, ùt pestiferi solent, sepultum, publicis exequijs sua in æde Parochiali, ubi dicebat, honestaverunt, non sinè comploratione. Animum ejus nunquam aspera res ulla, neque pestis, neque hostis hæreticus infregit: nam & ante annos 13. & nunc iterum, tabidis opem navavit; tunc quidem incolumis, at modò à confitente, cui dabat aures, peste afflatus: & cùm aliquando agmen hostile Gitzinium (ubi ille tunc Curionis vices agebat) infestum invasîsset, ac ceteri è Collegio noctis silentio salutem fugâ quæsîssent, ipse ad Civium solatium remansit & auxilium, latebrâ tantisper usurus, dum rabies prima deferveret. Ubi tamen inventus eductúsque, equum jussus est conscendere, quo duram in captivitatem aveheretur, mentis atque animi summâ præsentiâ audacter abnuit, quòd baptizandis istic infantibus constitutus Curio abesse procul & diu non posset. Et rata ea causa, mirum dictu! acceptáque fuit barbaris illis hæreticísque hostibus, ut remanere sineretur; fortè quia præter baptismum vix aliud quid illis sacrum sanctúmque est. Alter eodem die extinctus fuit P. Wolffgangus Silvanus, Tinhorssovij in Boëmia natus annos 54. in Societate 36. Coadjutor spiritualis, Vir qui & Missionibus obeundis, & Concionibus, & gubernandis Collegijs abundè suam probavit industriam, & nunc Provinciæ totius Procuratoris officio fungebatur, simul & Ministri Domûs. Hujus partes dum explet sollicitè, & ægris ex lue officia præstat, quæcunque charitas svaderet, eandem ab ipsis contagione contraxit mortem. Ad 2. Decembris decessit Georgius Aquitanus ortu Silesius, annorum 48. Societatis 29. quatuor votorum professus, Xaverianæ virtutis atque ardoris æmulator. Hic zelum suum, in Judæos potissimum confutandos, & reducendos hæreticos exeruit, expeditionibus Apostolicis per Silesiam & Moraviam invicto animo susceptis, tametsi ab hæresi, quæ tum latè adhuc dominabatur, multæ capiti ejus struerentur insidiæ. Indefessus in adeundis solandísque, quos inopia premeret aut calamitas, aut carcer retineret. Dederat ille jam etiam Glogoviæ pestiferis operam, sed in hunc annum sospes evaserat:

ut

ut ab ægris Pragæ lue contractâ, calculi simul colicísque doloribus exerceretur ad præmium. Cùm verò sequente anno 1639. exercitus Cæsareus Pragam accedens, contagionem unà iterum attulisset, P. Henricus Müller, Silesius Wratislaviensis, suam militibus juvandis vitam, exoratis Superioribus devovit. Quorum tentoria & tabernacula dum per stativa in suburbano locata, opitulandi solandíque studio, sollicitâ charitate perreptat, ex eorum tetro aspectu, cadaveribus horridiore, quòd in suis natantes multi sordibus, & suâ proluvie obsiti, intolerandam afflarent mephitim, ex pestilenti simul fœtore, febrim traxit & interitum: enectus die 30. Septemb: cùm annos vixisset 49. in Societate 30. professus quatuor votorum. Secutus est ad 10. Octobris P. Joannes Seelbach, domo item Wratislaviensis, 32. annorum, in Societate 13. à tertia Probatione peractâ, in Cæsarea militia Missionarius tunc Castrensis. Hic quoque non militibus duntaxat, sed incolis pariter juvandis dedicatâ vitâ (jam enim contagio Urbem pariter corripuerat) in Italico segregatus manebat Nosocomio, unde noctu diúque, quoquo vocaret necessitas, procurrebat. Duodecimo, quàm in palæstram fuerat ingressus die, idem eum morbus incessit: ex quo tamen medicamentis eluctatus, nisì quòd adhuc pedibus stare, nédum ingredi ad ægros posset, suam vix dum morti subductam vitam aliorum saluti iterum posthabens, aditum ad se omnibus contagiosis patere voluit, quos alij ab se procul, infectionis metu arcebant. Ab his itaque lethali rursus anhelitu violatus, ad celerem suæ charitatis mercedem evocatus est. Sed & Crumlovij Boëmiæ, Anno 1640. cœpta grassari, ferè per obscura tantùm vulgi capita pestilens aura, die 16. Octobris sustulit P. Franciscum Oellerum Boëmum Budwicensem, qui nullâ virium aut ætatis curâ (erat enim annos 67. natus, in Societate 49. spiritualibus Adjutoribus accensus) eorum se in obsequium conjecit, incredibili ardore, & totius Urbis stupore, eô munere ad mortem usque perfunctus.

Ex Victimis Charitatis Alegambe, & Annalibus Boëmiæ.

P. MATHIAS MAILE cum alijs 80.



RArum excellentis doctrinæ & sapientiæ cum summa humilitate conjunctæ exemplar nobis in exhibet P. Mathias Maile; quibus associatus ardens animarum zelus, & virtutum regina charitas, usque ad sui pro salute proximorum perditionem constantissima, planè admirabilem illum reddunt. Ortu fuit Stockachensis in Svevia, Societatem complexus in Provincia Germaniæ Superioris; in qua laudatissimam vitam egit honoratissimis munijs diu multúmque occupatus, Superiorum magis quàm suâ voluntate; interim verò in vilissimis ad proximorum utilitatem suâ propensissimâ inclinatione distentus obsequijs, quam etiam ad longum senium perduxit usque ad annos 72. cùm vitam & animam ex amore illorum posuit. Potiores vitæ religiosæ annos in Scholasticis disciplinis explicandis contrivit, altioribus præcipuè: nam Theologiam speculativam publicè annis 10. Moralem verò totos 24. sacram Scripturam duobus, singulari laude explanavit: datus etiam Serenissimis Bavariæ Principibus Philippo & Ferdinando Fratribus, ut ijsdem teneras eorum mentes imbueret, Præceptor; quorum ille deinceps Ratisbonensis Episcopus & S.R.E. Cardinalis; hic Archi-Episcopus & Elector Coloniensis extitêre. In tanto constitutus sapientiæ fastigio, quæ fuit hominis cum charitate modestia & humilitas, nè horæ sibi ab occupationibus vacuæ etiam otiosæ effluerent, consveverat calceos suâ manu conficere, quos in pauperes, dum aliter eorum commodis impendi nequiret, erogabat. Ea Viri demissio & candidissimæ mentis simplicitas, mirificè omnium animos conciliabat, cùm & ipse in agendo cum summis æquè ac imis plenus officij, plenus studij de salute animarum, illud verbis & operibus declararet. Mirâ tractandi cum hæreticis gratiâ pollebat, quæ illi magnetis instar attrahendis ad DEUM eorum animis serviebat, ut non inviti audirent argumentorum momenta, quæ nullis aculeis asperata tantò profundiùs, quantò proniùs ultro in aures admissa, in imum pectoris penetrabant. Nunquam verò ultimis etiam vitæ annis parcebat labori, nunquam fatigari videbatur in rudibus catechesi imbuendis, ubi ubi ferret occasio mirè fervens, ad quorum culturam, & christianæ doctrinæ rudimentis institutionem, iter unius horæ quibusque diebus Dominicis ad conductum locum extremo ferè vitæ triennio conficiebat, haud facilè passus ullâ cœli intemperie ab eo sese officio prohiberi. Ità sanctè & utiliter occupatum pestilentia per



P. Mathias Maile, S.I. Svevus, vitam in præcipuis Religionis & Scholarum munijs, educandisq; Bavariæ Ducibus actam, pestiferorum obseqvio cum Socijs 80 immolavit; Oetingæ Veteris mortuus 28. Sept. A° 1634. ætatis 72. solit9 inter honores Aulæ, pauperum usib9 calceos suere et reficere.

140.

Bavariam latè Anno 1634. dominans, atque etiam Oetingam ad Oenum propagata, ubi deprehendit, & opportunitatem pridem concupitam vitæ heroicâ charitate profundendæ suggessit. Dum enim eodem zelo nihil eorum, quæ proximorum saluti conducerent, omittit; cœlo tandem maturus, contractâ ab ægris lue, quâcum tres circiter hebdomadas conflictatus est, Sacramentis perceptis piè decessit 28. Septembris; quem 9. Octobris secutus ibidem est Joannes Felbinger, ex Constantiensi Diœcesi Coadjutor, annos natus 55. in Societate 36.


Neumburgi ad silvam, in Electorali Bavariæ Palatinatu, eodem anno dum peste vexatos juvant, duo è Socijs occubuêre, prior 11. Julij P. Casparus Wenck Mospurgensis, annorum 45. in Societate 27. quam doctâ prius Philosophiâ ac Theologiâ, deinde obitis in Palatinatu ad hæreticorum conversionem Missionibus, à Svecis indè exactus, & multis ærumnis exercitus: demum profusâ in auxilium pestiferorum animâ, mirificè exornavit. Alter 9. Octobris P. Jacobus Agricola Bavarus Aichensis, annorum 38. in Societate 20. in ijsdem Palatinatûs Missionibus, ex quo ferè Sacerdos est factus, per maxima vitæ pericula ærumnosè occupatus. Thannis in Alsatia 28. Julij P. Abrahamus Mayer, Oetinganus, 39. ætatis, 21. Societatis anno, eadem in causa extinctus est. Uti & Ratisbonæ 10. Augusti P. Joannes Tissotus, oriundus è sancto Hippolyto, annorum 49. in Societate 30. Et ibidem P. Ludovicus Vegel 9. Septembris, Straubingensis, anno ætatis 36. Societatis 19. quatuor votis obstrictus. Die verò 12. ejusdem

jusdem Jacobus Pistor, Augustanus, annos natus 22. in Societate 4. Ambergæ in eadem Societatis Provincia 21. Augusti P. Georgius Manstorffer, Bavarus Rottemburgensis, annorum 53. in Societate 35. Straubingæ autem sex in eodem pretioso obsequio cecidêre P. Georgius Meggling 31. Augusti, Bavarus Mattikoviensis, annorum 33. Societatis 13. P. Christophorus Selva 3. Septembris, natus Calterni in Tyroli, annorum 30. in Societate 10. Martinus Kolb, 6. Septembris Monacensis, annorum 39. in Societate 13. Coadjutor. P. Albertus Käpfl 12. Septembris, itidem Monacensis annorum 45. in Societate 27. quatuor votis devinctus, Constantiensis Collegij antehac quinquennio, itémque Straubingæ Rector: unde à Svecis comprehensus, duréq; in custodia Ratisbonæ undecim ipsas hebdomadas tractatus, donec liber dimissus, in pretiosa morte quietem invenit. Daniel Egstein 23. Septembris Argentinensis, Coadjutor, annorum 33. in Societate 14. P. Adamus Straub 10. Octobris, Blombergensis, quem ætas annorum 67. in Societate 48. solennis quatuor votorum professio, gesta munera Rectoris in tribus Collegijs, Superioris in duabus Residentijs, & nunc Straubingæ indefessi Operarij acta commendant. Hic omnibus in ægrorum ministerio socijs confectis, in eadem functione, quoadusque novissimus tabe aspersus, eâdem sanctè decessit. Monachij eodem anno exhibitis afflictæ partim Urbi, partim pestiferis in Collegio servitijs, tredecim immortui sunt: P. Joannes Haveisen 5. Septembris, indidem oriundus annorum 41. in Societate 20. P. Joannes Petrus 14. Septembris, Aukostensis Svevus, annorum 56. in Societate 37. Jacobus Moser 20. Septembris, itidem Svevus, natus annos 26. in Societate 5. Pater Casparus Wangnerech 26. Septembr: Monacensis annorum 33. in Societate 16. P. Melchior Hartelius 5. Octobris, Altingensis Bavarus, annorum 74. in Societate 53. per omnia præcipua munia, bis quoque Rector, & Provinciæ Præpositus, laudatè in ea versatus. Ambrosius Eberhard 6. Octobris, Svevus, annorum 71. in Societate 50. Michël Laimer 7. Octobris, Helvetus, annorum 34. in Societate 13. Reinerus Eigenman 13. Octobris, annorum 56. in Societate 34. in tumulandis peste emortuis ipse quoque confectus. P. Joannes Hicker 21. Octobris, Bavarus Blickfriedensis annorum 47 in Societate 25. Pater Georgius Faber 26. Octobris, domô Svevus, annorum 47. in Societate 32. Jacobus Moriz 1. Nov: Svevus, annorum 31. in Societate 9. P. Joannes Hueber 16. Novembr: Bavarus Pfaffenhovensis, annorum 34. in Societate 13. P. Sigismundus Schwaber 17. Nov: Constantiensis, annorum 47. in Societate 31. Is olim lapsu ex loco editiore graviter læsus, & apoplexiâ tactus, ad pleraque nostra munia inutilis evasit, solis ferè pœnitentibus audiendis irremissè occupatus. Magnis ergo precibus impetratâ facultate, pestilentiâ vexatis navavit industriam, & eâdem extinctus migravit in cœlum.

Ejusdem anni pestis Ingolstadij quinos ægrorum auxiliatores socios demessuit 6. Sept: Christophorum Heineburger Scholasticum 24. annorum, 6. in Societate, Burgundum. 9. Octobris P. Thomam Resch, Bavarum Schardingensem, ætatis anno 46. Societatis 27. Virum juvandis solandísque proximis natum: nusquam enim libentiùs versabatur, quàm in carceribus, nosocomijs, inter ægros & conscientiæ tribunali. Annorum spatio non omnino 13. recensuit ad centum & undecim capitum millia, quorum noxas expiavit. 23. Octobris Conradum Sicherer Francofurtensem ad Mœnum, Coadjutorem, annos natum 35. in Societate 12. Die 31. Octobris P. Balthasarem Ketler, Bavarum Hohenwartensem, annorum 48. in Societate 23. Ac 3. Novembris Michaëlem Alber, Svevum Babenhusanum, annorum 31. in Societate 9. Landshuti eadem charitas tres DEO immolavit; P. Georgium Maser 17. Septembris, Svevum Campidonensem, annorum 48. in Societate 24. P. Joannem Sagittarium 25. ejusdem, Friburgensem in Brisgoia, annorum 31. in Societate 12. Et 1. Octob: Joannem Walch, Svevum, annorum 49. in Societate 27. Et nè plurium meris nominibus paginas impleam, quæ legi possunt in Patris Philippi Alegambe Victimis Charitatis, Hailingæ eodem hoc anno in pestiferorum servitio extincti sunt tres: Hippolsteinij unus, Aquisgrani unus, unus item Bambergæ, & duo Constantiæ, Bruntruti & Neoburgi singuli. Sed & Superioribus annis non pauci per Germaniam (quo nomine tres solas Societatis Provincias hìc accipio: Rheni superioris & inferioris, ac Germaniæ superioris) in eodem charitatis officio diversis locis animas posuêre. Moguntiæ Añ. 1624. duo: in Rheni verò tractu, anno insequenti quinque, totidémq; anno 1626. in eadem regione. Anno 1627. duo Donawerdæ, duo Augustæ, totidémque A. 1628. Landsbergæ; & alibi per Añ: 1630. morti in spolium cessêre quinque.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. GEOR-



P. Georgi9 Kaldi Soc: Iesu, Ungar9, potens opere et sermone Concionator; Operari9 totâ Ungariâ nulli secund9: ausus etiam ex justo zelo Principem Transylvaniæ hæreticum Bethleemum Gabor reprehendere de tot Christianis Turcæ proditis. Obijt Posonij 30. Oct: 1634. æt: 64.

141.

P. GEORGIUS KALDI.



Ater Georgius Kaldi, natione Hungarus, patriâ Tyrnaviensis, Romæ Societatem ingressus est año salutis 1598. ætatis 28. repudiatâ Præpositurâ, principe post Archi Episcopatum Strigoniensem dignitate. Ubi ex Italia redijt, difficillimis Boczkaianæ seditionis perturbationibus, è Transylvania cum reliquis de Societate relegatus est in exilium. Ubi Viennæ primùm latinè dixit ad Academicos, ac subinde Italicè quoque ad alios, vir semper habitus acris eloquentiæ ac spiritûs. Deinde Olomucij Theologiam moralem cùm aliquamdiu explicuisset, Brunam ad Tyronum Magisterium translatus, eâ satisfactione munus administravit; ut primus indè Leobium in Styriam Novitiorum colonijs ducendis assignatus, ijsdem instituendis præfuerit: De hinc Superior fuit, ac Rector Tyrnaviæ: demum Posonij, quod ipse Collegium à primis fundamentis ad usq; finem ædificavit, in eóque se ipsum velut angularem lapidem collocavit, magno sui desiderio, magno virtutum exemplo cæteris post se relicto, vitâ functus die 30. Octobris, Añ: 1634. ætatis 64. Societatis initæ 36. ab anno 1612. die 27. Maij, quatuor vota professus. Vixit semper ità, ut Magistrum Novitiorum decet accuratione disciplinæ, quàm maximâ curâ silentij legúmque etiam minimarum; adeò ut passim diceretur, illum nec observa-

tum

tum quidem deprehensum esse, regulam aliquam transgressum. Quàm magno exemplo, tam forti, nec parcere vel dissimulare volente acrimoniâ, pro regulis tuendis erat totus, cùm Rector præesset: submissione ipse tam profundâ, ut cùm Posoniensis Collegij fabrica surgeret, miro & demissionis & impigritatis exemplo, se ad labores operarum vilissimos palàm demitteret. Semper in se fuit durissimus, & nullius vel spei vel metûs obtentu à rectitudine dimoveri se patiebatur: quâ virtutis constantiâ, mira pro DEO & Ecclesia imperterritè aggressus est, & feliciter perfecit. Sanè Bethleemum Gabrielem, Transylvaniæ Principem hæreticum, armis & victorijs tunc insolentem, non est veritus Tyrnaviæ & palàm, & privatim duarum horarum colloquio commonefacere, quanto crimine se obstrinxisset, ob tot millia Christianorum Turcis prodita, & in perpetuam captivitatem abducta; ob quam audaciam cùm à victore hoste omnia extrema illi socijsque metuerentur; tantum abfuit, ut quidquam molestiarum experiretur; ut etiam suam Princeps ad mensam admotum, honorario centum nummûm Imperialium, in subsidium Typographiæ (cui tunc cura Patri incumbebat) remuneratus sit. In dicendo pro concionibus fuit eloquentiæ & fervoris laude omnino conspicuus, vehemens, gravis, doctus & spiritu plenus, seu germanico cùm res postulabat, seu gentilitio idiomate peroraret, quô præcipuè spectabili & præscriptâ auctoritate dicebat, ut qui magnam ætatis partem in eo labore contriverat, nunquam sinè fructu, ut plurimùm cum admiratione etiam & plausu auditus. Indè magnâ illi apud Nobilitatem & Viros Principes auctoritas & gratia, qui liberè etiam auderet summos æquè ac infimos, quà svaviter, quà fortiter ad officium cohortari. Neque dictione solùm & lingvâ Patriæ, sub tot hæresum erroribus gementi prodesse contentus, cùm videret sacra Biblia ab hæreticis in Hungaricum idioma translata, varijs pro sua cujusque secta corruptelis scatentia, manibus omnium teri; mirum est, quantum laboris impenderit ad eadem legitimè expurganda, & Catholicè in eodem idiomate excudenda, nè Hungari hæretica legere cogerentur. Quibus adjecit Epistolas & Evangelia seorsim per annum legi solita, & Tomum suarum Concionum. Jacturam in Viro amisso quantam fecerit Hungaria, sapientissimi atque Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi Strigoniensis, Petri Pazmanni de eo judicium abundè declarat, quo ajebat: *ex communi Ordine Ecclesiastico Religiosóque nulli secundum fuisse toto Hungariæ Regno: parem illi haud facilè repertum iri.*

Ex Anno Dierum Memorabilium Nadasi, & Bibliotheca Alegambe.

P. MANUEL TEYXEYRA.



Atus est Pater Manuel in Lusitania Nobilibus, parum tamen à bonis fortunæ instructis Parentibus A. 1568. quibus pestilentiâ Anno 1580. sublatis, relictus cum sorore æquè tenellæ ætatis pupillus est annorum 12. in summa egestate, nisì amborum miserta dives quædam & pia matrona illos in familiam cooptâsset; providente DEO sanctam utrique educationem, quam deinde soror in Virginum Parthenone, Manuel autem in Societate, religiosis virtutibus exornârunt. Priùs tamen & ipse eâdem peste correptus est, dum Parentibus extinctis, minùs cautè operam suam obsequijs contagiosorum addixit; nam ejusdem mali vis tantâ sævitie illum invasit, ut in vestigio humi prostratum viribus omnibus privârit, moriturum absque omni humano subsidio, quòd à communi calle extra Urbem aberrans loco devio conciderat, nisì DEUS Virum ex Confraternitate Misericordiæ eò adduxisset, qui in vicinia pestiferis operam Chirurgicam impendebat. Hic è terra sublatum, neque sentientem (quòd toxici ardor illum mente emoverat) propinquæ casæ intulit, sectóque apostemate feliciter paucis diebus consanavit. Verùm aliud mox infortunium iter equo agentem excepit, siquidem inter senticeta, exterritus fortè equus, quà densissimè vepres increverant, illum violentè excussit; à quibus miserè pluribus in membris laceratus, quò magìs se extricare laborabat, eò amplius (ùt erat virium ex morbo adhuc imbecillium) implicabatur. Itaque ad clamores, & opem aliorum invocandam conversus, cùm diu frustra homines implorare se videret, Cœlites atque inprimis DEI Matrem invocare cœpit: & ecce mox devota quædam matrona jumento illac transiens adfuit, quæ sentibus extractum, jumentóque impositum, domum suam adduxit, plagísque diligenter curatis incolumem dimisit. Atque ex his satìs apparebat puerum à DEO specia-



P. Manuel Teyxeyra S.I. Lusitanꝰ, salutis Animarum sitientissimꝰ, et in procuratione earum mira expertꝰ; etiam filiolum maledicæ Matri à Dæmone è sinu ereptum, poenitenti deinde sanum restituit. Obijt Monte Regali 17. Aprilis, A°. 1635. Ætatis 66.

142.

specialiter electum servitijs suis destinari, nam & indolem ei contulerat utì ad omne bonum proclivem, ità à quavis mali specie summè abhorrentem: genium & naturam ad omnes affabilem, mitem, obsequiosam, quâ animos & corda omnium rapiebat. Erat ejus pleraque occupatio vacare orationi, & cœlestium meditationi, cujus praxim solo Divino magisterio didicerat: servire ad aras, Divinis adesse Officijs, corpus jejunijs & pœnitentijs subigere, pauperibus omni ope & obsequio adesse: ut jam tum omnibus æstimaretur & suspiceretur tanquam lapsus è cœlo Angelus. Quin & DEUS ipse virtutem ejus minimè puerilem patefacere jam tum voluit; cùm enim nobilis mulier Olyssiponem ad eximiam quandam DEI famulam profecta esset, ut certum negotium illius ad DEUM precibus commendaret: respondit hæc, adesse illi domi in patria sua magnum DEI, licèt pusillum annis, servum Manuelem de Teyxeyra, qui certiùs felicem negotij exitum quàm ipsa exoraturus esset: cui etiam domum regressa, optato eventu, necessitatem suam commendavit. Crescente verò in dies majore sanctitatis ejus apud populum opinione, rogatus aliquando fuit, ut ægram ex calidis febribus mulierem accederet, & manibus capiti ejus impositis, pro salute restituenda precaretur. Erubuit ad insolens postulatum verecundus & humilis puer, multísque frustra excusare conatus, violentè magìs ad infirmæ ædes raptus, quàm adductus est: ubi aliquamdiu pro ejus valetudine fusâ ad DEUM oratione, ut manu insuper caput attingeret, persvaderi non potuit. Placuisse verò DEO

rò DEO orationem Manuelis virgineæ modestiæ conjunctam, brevì salus integrè mulieri reddita probavit.

Jam decimus quintus ætatis illi decurrebat annus, cùm morte sublata pia matrona, in cujus familia instar filij habebatur, secundò orphanum illum reliquit: quem tamen miseratus devotus Sacerdos domum suam recepit, omnémque DEO vacandi opportunitatem concessit. Brevì tamen & hoc Patrono demortuo, nemo ex opulenta cognatorum Nobilitate inventus est, qui Manueli receptum præberet: donec ad mendicitatem redacti misertus unus è famulis, qui in servitijs Parentis olim fuerat, eum in casam suam, quantumvis humilem & rusticanam, & cui curta supellex, benignè collegit. Huic ut reciprocam exhiberet gratitudinem, neque otiosus panem ederet, operam suam pascendis capris, quarum non magnum gregem domi numerabat, Manuel addixit, totúmque illud tempus, quo gregi in campis aderat, orando DEO, & Cœlestium contemplationi impendit. Ardens interea DEUS illi indidit desiderium literas perdiscendi, quò libros devotos, & gesta Sanctorum lectitare posset: ideóque vitæ pastoritiæ vale dicto in ædes cujusdam Sartoris admissus est, ubi triennali labore, in defectu periti instructoris, tantum didicit, ut scribere nôsset & legere; cùm nihil interim statis orandi horis, ceterísque consvetis pietatis exercitijs detraheret. Susceptâ post hæc ad prodigiosam DEIparæ Iconem peregrinatione in Gvadalupe, perpetuæ castitatis voto se DEO illic obstrinxit; & sex mensium spatio (tamdiu siquidem ibi subsistere placuit) pauperibus & ægris in nosocomio, maximâ charitate deservijt. Inde Salmanticam ad studia prosequenda digressus, soli Providentiæ Divinæ innixus (nam sumptu & pecunijs omnino erat destitutus) Universitatis illius scholas adit; & partim famulando, partim pædagogum deinde nobilium adolescentum agendo, vitam per annos studiorum undecim sustinuit; eâ virtutis constantiâ per altiores disciplinas omnes versatus, ut Religiosum perfectum jam tum præferre magìs quàm hominem sæcularem videretur. Perpetuus siquidem illi cilicij, & quotidianæ disciplinæ fuit usus: jejunia pervigilijs Sanctorum omnibus, & sextis per annum ferijs in pane & aqua strictissima: somnus brevissimus, & prolixis orationibus interpolatus; quam etiam minimùm unius horæ spatio, priùs quàm scholas adiret, mente decurrebat: præter Officium & Rosarium Marianum, quæ de genibus absolvebat quotidie. Dies relaxationi ab studijs concessos, quibus alij campos aut lusus petebant, ipse in Hospitalibus in ægrorum servitijs conterebat: longiore autem vacationum tempore peregrinationes ad Thaumaturgas DEIparæ per Hispaniam Imagines cum pijs sodalibus instituebat. Notatum porrò est, quotquot scholarium familiariter ipso usi fuêre, varijs Religionibus omnes se addixisse: adeò sancta erat ejus consvetudo, & agendi ratio. Unus tamen ex ijs obstinatior cùm nullis ejus svasionibus ab sæculi amore posset avelli, cæpit Manuel varijs pœnitentijs & afflictionibus, prolixâ inprimis oratione robur illi à DEO precari, quò penitus se vinceret: & ecce eâdem nocte visum est illi quiescenti, solum in immanem voraginem ponè lectulum dehiscere, infernalibus flammis succensam, ex qua prorumpentes tartarei genij nitebantur in eam dare præcipitem: quibus dum totis viribus obluctatur, inter supremos animi & corporis angores experrectus, reliquum noctis in lacrymis & actibus contritionis consumpsit, cum firmo decreto consilijs Manuelis acquiescendi; quod & primo manè executioni dedit, religioso habitu suscepto.

Nullam Societatis notitiam, priusquam Salmanticam veniret, Manuel habebat, neq; ullum eatenus ex Socijs viderat: ùt primùm autem familiariùs cum ijs agere cæpit, tantâ Societatis æstimatione & amore captus est, ut nihil deinceps absque eorum consilio ageret: donec cum duobus sodalibus, ad idem Institutum sequendum persvasis, eorum consortio aggregatus est anno 1599. ætatis 30. gaudentibus omnibus, Socio tam sancto Religionem suam auctam esse. Tyrocinio persanctè sub Magisterio Ludovici de Ponte absoluto, Vallisoleti (ubi tum Aula Regia morabatur) in Domo Professa munera Coadjutorum obijt: unde missus ad Collegium Monfortense, sexennio Grammaticam pueros docuit, etiam Sacerdotio jam insignitus quinto Religionis anno: ex quo tempore Operarij simul munus diu noctúque, præter scholas, naviter egit, procurando carceres, nosocomia, ægros: festis autem & vacationum diebus ad pagos & villas procurando, catechesim per compita & plateas explicando: ut adeò Superiores perspecto ejus fervore, à scholis liberatum, animarum curæ unicè addixerint. De hinc igitur Apostolicum Missionum munus per Gallæciam auspicatus, totum illud Regnum prædicando, & Sacramenta ministrando, 30. annorum spatio pervagatus est, pedestri semper itinere, absque sacculo & pera,

pera, solâ DEI providentiâ pro viatico instructus. Diversorium non alibi, quàm in publico pauperum Hospitali capiebat; vel si id deesset, in horreo quopiam, aut rusticana casa: neque in lectum defesso laboribus corpori admittebat aliud, quàm nudam tabulam, aut si mollissimè cubaret, stramen vel sarmenta, & pallium suum viatorium pro tegumento; licèt non raró totus à pluvijs, quæ istic frequentes decidunt, maderet. Cibus illi cum pauperrimis paganis omnino communis, solo vilissimo legumine, aut pane obsoleto circumscriptus. Vitæ ad normam Apostolorum institutæ respondebant proprij eorundem labores, conciones ingenti zelo ubique habitæ, confessiones diu noctúque indefatigabiliter auditæ, cùm nunquam Templo abiret, dum aliquis adesset qui confiteri vellet. Jam verò innumeri erant, quos ad pœnitentiam quotidie suis prædicationibus commovebat; nihílque audire ipso dicente aut videre erat, quàm planctus & gemitus ab intimo corde erumpentes, clamores & lacrymas peccata sua ex vehementia contritionis detestantium. Atque hos ille animorum fructus affatim expertus, non cessabat Socios, quoties ad Collegia diverteret, ad similes Missionum labores, in Indijs præcipuè inter Barbaros, quò ille sæpiùs mitti frustra exoptabat, incitare, atque ad id persvadendum miros quosdam eventus, qui sibi acciderant, enarrabat: quorum aliquos in exemplum hìc referemus.

In pago quodam mulier innocens graves à marito afflictiones & verbera patiebatur, ex perversa suspicione, quasi fidei conjugalis minùs tenax esset; hanc peccata sua dolenter confitentem multis Pater ad æquanimitatem & tolerantiam cohortatus, tandem altiore instinctu commotus adjecit, rediret secura domum, maritum enim positâ vanâ suspicione nihil imposterum molestiæ ipsi illaturum. Abit illa fiduciæ plena (nam DEI nomine interposito Pater quietem spoponderat) cùm in ipso ædium ingressu plenus irarum conjunx percontatur, undenam veniat? ipsâ autem humiliter respondente, ab Templo se venire, ubi sacram exomologesim obijsset ad lucrandum Missionis Jubilæum: si tam sancta & innocens scelerum es, subjicit truculenter maritus, immitte aliquamdiu manum in ardentem hunc focum, quin damnum & ustionem patiaris. Simplex & innocentiæ suæ confisa mulier, brachio utroque in ignem injecto ardentes inde carbones protrahit, diúque manibus innoxia sustinet: quo spectaculo attonitus vir, ingenti pœnitudine tot injuriarum innocenti impactarum conceptâ, pacem & amorem conjugalem sincerè deinceps coluit. Persona alia multis annis scelus quoddam sacrilego pudore in Confessione celabat, neque ullâ rationum vi ad superandam erubescentiam induci poterat, licèt ex concionibus Patris compuncta, perpetuis conscientiæ angoribus lancinaretur. Dum ità amarissimo conflictu secum absque ulla quiete luctatur, videt nocte quadam rabidum molossum sibi imminere, dentibus ipsam discerpere paratum; cujus minaci rictu exterrita quidem est, maximè ubi iterum alterâ & tertiâ nocte magìs formidabilis & vicinior apparuit; causam tamen ut amoveret, nimio rubore superata, ab se impetrare non potuit. Quartâ ergo nocte infernalis canis, velut à catena solutus, toto impetu in miseram irruit, & humi allisam dentibus horrendùm lacerans, cum ingenti laniatæ dolore oculos etiam mentis aperuit, ut JESUM & MARIAM in auxilium serio emendationis proposito vocaret: ad quæ nomina evanescente molosso, totam reliquam noctem in lacrymis sinceræ contritionis transegit, primóque diluculo P. Manuelem requirens, peccata vitæ totius magno dolore illi aperuit, plenam animi quietem & serenitatem exinde consecuta.

Graviùs etiam castigata fuit mulier alia multarum prolium mater; hæc maledictis & blasphemijs quotidiano usu perditè assveta, cùm die quodam Pater acerrimè ejus vitij turpitudinem persequeretur, illa nihilo cautior inde effecta, domum rediens filiolo bienni dœmonem, ut eum abriperet, imprecata est: cùm subito sensit parvulum sibi è brachijs, raptore nusquam apparente, divelli, atque in aëra, ab oculis omnium momento evanescentem, auferri. Fit clamor, & domesticorum comploratio ingens; matre doloris & terroris magnitudine pæne exanimatâ, quòd sibi omnino persvaderet à malo genio abreptum & laniatum. Ergo quod solum remedium succurrebat, ad Manuelem properat, & pedibus ejus advoluta improbitatem suam multis lacrymis accusat: qui ritè expiatam blandè consolatus, filiolum indemnem repertum iri adpromittit, dummodo nè deinceps ad pravam consvetudinem redeat. Quæritur ergo magnâ diligentiâ per totam viciniam abreptus pusio, ac post diuturnam indagationem in crepidine editi montis, absque ullâ læsione incolumis reperitur: quæ res totâ regione vulgata, pravam maledicendi consvetudinem penitus eliminavit. Delatus ad quoddam oppidum Pater, ingenti spiritûs fervore,

vore, ùt solebat, pro concione invectus est in vitia carnis, quorum turpitudine ad vivum propositâ compunctus Ecclesiasticus quispiam, magno Civium scandalo publicè concubinarius, seriò resipuit; & confessione apud Patrem peractâ, ut constantior esset emendatio, sacris ab eo Divi IGNATII Commentationibus dies aliquot est exercitus. Discessurus Pater, multis eundem hortatus est ad castimoniam constanter observandam, futurum alioqui prædicens: ut si ad vetitas reverteret voluptates, gravem & supremam DEI vindicis pœnam experiretur. Verùm paulò pòst ab discessu Patris ad volutabrum ille suum redijt, tam præcipiti à DEO vindictâ illum in flagranti sequente; ut inter ipsos nefandæ meretricis complexus repentè extinctus, sceleratam animam æternis supplicijs transmiserit. Alius è sæcularium numero, dictione Patris, unà cum amasia sua vehementer commotus, votum emiserat ab illicitis amoribus deinceps abstinendi: sed paulò pòst fœdifragus cùm eandem ad flagitium repetendum sollicitaret, in vestigio fluxu sangvinis obrutus est, qui nullâ arte sisti poterat, donec animam efflaret. Contigit & quædam ad Ecclesiasticæ censuræ vim declarandam illum experiri; quorum primum evenerat adolescenti magnæ pecuniæ furto sublatæ reo, in quem herus suus eâ causâ excommunicationis sententiam ferri obtinuerat. Ex quo tempore cœpit ille viribus, quibus antea robustis pollebat, ità destitui; ut pedibus niti impotens, cogeretur quadrupes per terram reptare. In hunc Pater fortuitò incidens, intellectâ infortunij causâ, magnopere illi auctor fuit, ut restitutione factâ capacem absolutionis se redderet: sed quia pecunijs magnâ parte consumptis, vix aderat quo damnum resarciret; Pater impetratâ ab hero veniâ juvenem ritè à peccato & censura absolvit; qui subitò eodem momento receptis integrè viribus, sanus & integer, ùt ante fuerat, exilijt. Alius simili censurâ ligatus fortè cum sodalibus per virens pratum inambulabat; cùm observavêre comites, herbas & gramina omnia, quæ seu manibus, seu pedibus contigerat, illico deperdito virore exarescere: quo & ipse notato vehementer exterritus, Manuelem adijt, à quo anathematis vinculo exolutus, nihil ejusmodi inposterum expertus est.

Jam qui tantâ sedulitate aliorum salutem curabat, nè propriæ sanctitatis incurius detrimentum aliquod pateretur, quidquid temporis laboribus superesset, orationi & meditationi impendebat, nullo unquam loco aut occupatione DEUM ab oculis mentis amittens: cujus præsidio gratiam baptismalem, nullo unquam lethali peccato inquinatam, conservavit. Horas Canonicas de genibus semper recitare solitus, ut eò majore pietate & attentione decurreret, Officium de Spiritu sancto ad eam impetrandam præmittebat: additâ ad singulas horas consideratione cruciatuum & dolorum Christi, quos horâ illâ pertulisset. Vilissimam de se opinionem non animo tantùm intus fovebat, sed opere quoque exteriùs demonstrabat; quando ad Collegium divertens, reliquijs ab aliorum mensa relictis libentissimè vescebatur, & non rarò mendicabulis antè januam, ultimas ciborum micas præstolantibus se immiscens, juris aliquid sibi donari humiliter flagitabat; quod cum aliquo ex pauperibus abjectissimo, magisque sordido in convivam assumpto, ex eadem olla absumebat; tam illius, quàm reliquorum omnium pedes pro coronide opipare mensæ exosculans. Volebat ejus Præpositus Provincialis, perspectis tantis Viri meritis, ad professionem quatuor votorum (siquidem gradum Coadjutorum spiritualium duntaxat adeptus erat) illum provehere; sed constanter restitit ipse, indignum se etiam inter Coadjutores computari profitens. Quem gradum cùm illi petulanter juvenis quidam scholasticus, non sinè contemptu sæpius exprobrâsset, Pater quidem patientissimè nullo verbo reddito opprobrium sustinuit; sed DEUS tantò acerbiùs proterviam punivit; siquidem dicax juvenis ad studia Philosophiæ missus, licèt aliàs ingenio polleret, nè unicam tamen ex Logicæ summulis propositionem quantovis studio penetrare potuit; quare pudore & desperatione incitatus, scholis simul & vitæ in Societate Religiosæ nuncium remisit. Ex tenerrimâ, quâ in S. IGNATIUM flagrabat devotione, totâ Missionum suarum regione morem induxit, diem ejus natalem tanquam festum celebrandi: cujus contemptu agricola quidam cùm in agrum suum colendum exiret, reprehensus ab contribulibus, impudenter respondit: *nequaquam profectò S. IGNATIUS mihi meæq; familiæ daturus est cibum ad comedendum, si ejus die laborem intermisero.* Secuta verò in flagranti maledicum os pœna, caput ejus acutissimo dolore occupavit, ex quo penitus obsurdescens, ore fœdissimè distorto, viribus omnibus destitutus humi concidit, & diem illum labore abstinere, neque loco se commovere potens, coactus est. In quo manifestum DEI flagellum agnoscens, sanctóque supplex factus, leva-

men illico persensit, deductúsque ad Societatis Templum, post peractam exomologesim malo penitus liberatus est. Ad ejusdem Divi cultum propagandum solebat innumeras illius imagines distribuere, neque unquam ægros sine ipsius effigie accedebat, cujus folius attactu plurimis sanitas restituebatur. Quodam loco prope MontemRegium, ardente Syrio exorta repente flamma segetes in agris corripuit, flantéque vehementi vento propagatum incendium, hortos simul omnes & campos corripuit, ingenti paganorum damno & terrore, quòd remedij nihil in humanis succurreret; aderat cum populo ad miserandum spectaculum & loci Curio, memórque sibi esse in Breviario donatam à Patre Sancti IGNATII iconem, illam ingenti fiducià protulit, omnibúsque magnâ voce opem Divi inclamantibus, quà maximè incendium furebat, flammis injecit. Mirum dictu! tanquam si ingens è cœlo imber decidisset, ignis ubique repentè extinctus est; & ut constaret patrocinio S. IGNATII sopitum, icon chartacea illæsa penitus ex flammis recepta est, & magno omnium applausu in Templum solenni supplicatione ad publicũ cultum deportata.

Jámque labebatur annus 1635. ætatis Manuelis 66. quando DEUS ad capessenda tot laborum præmia evocare illum ad cœli quietem disponens, sex mensibus antè fatalem ipsi immisit ægritudinem, hiante in varias plagas, cruribus præsertim, corpore; à quibus licèt ingentes dolores persentisceret, neque cubiculo & Collegio Montis Regalis (quò se receperat) prodire posset, omnibus tamen quotquot veniebant (veniebant autem undique quàm plurimi) pœnitentibus aures dabat, donec eum loquela pæne deficeret. Ex quo brevem sibi transitum imminere advertens, perceptis Ecclesiæ Sacramentis totum se ab humanis in DEUM collegit, & inter ardentissimas aspirationes animam reddidit die 17. Aprilis. Corpus, à morte tractabile penitus & molle, cœlesti quadam vultûs amœnitate remansit, ex quo svavissimus odor non naribus tantùm adventantium; sed & linteolis, rosarijs, quæ copiosè magnâ devotione admovebantur, inhalabatur. Id ubi famâ celeriter vulgatum est, ex omnibus repentè locis & pagis circumsitis turmatim accurrêre innumeri mortales, sæculares æquè ac Parochi, & Religiosi, sanctum, & Gallæciæ Apostolum acclamantes: queis ubi copia accedendi corpus defunctum facta est, mox omnis ex eo vestitus, capilli, barba, direpta sunt, singula eundem svavissimum odorem redolentia; ut manum sæcularis Justitiæ inclamari à Patribus necesse fuerit, nè corpus penitus discerperetur. Utque desiderio reliquias ex eo postulantium quadantenus satisfieret, quidquid in ejus usu recularum aliquando fuisset, chartæ, conscriptæ conciones, frustatim omnia discissa, & in populum divisa sunt: quorum adminiculo mira DEO, ad contestanda servi sui merita, patrare deinde placuit. Atque inprimis Verini puella nomine Maria, filia Dominici Blanco, multo tempore febri ardente æstuans, nullis Medicorum remedijs sanari poterat: at ubi mæstus parens impetratum è Collegio Monte Regiensi frustum panni, quo in operimentum capitis Manuel utebatur, ægræ applicuit, ardor omnis cum febri evanuit, Medicis unanimiter curationem miraculosam pronunciantibus. Hujus prodigij famâ plurimis ad puellam videndam accurrentibus, accessit etiam Andreas Gomez ejusdem oppidi mercator; & quia simili febri æstuantem domi conjugem habebat, mutuum eundem pannum impetravit: quem postquam illa singulari pietate capiti reverenter admovit, liberam momento se omni calore, nunquam ultrà redeunte febri, persensit. Puerum Mendicum graviter à cane in pede commorsum miseratus Collegij Monte Regiensis Frater quidam Adjutor, emplastra vulneri curando varia applicabat, nullo tamen profectu; donec recordatus, reliquijs Manuelis tot ægris sanitatem restitui, frustum è ligaminibus, quibus ille plagas suas obvolvebat, pueri vulneri applicat; & ecce mox illud consanescere, meliorari, dum penitus coaluit. Didacus de Soto Chirurgus Verinensis, qui Manuelem in suprema ægritudine curabat, filiolum habebat graviter affectum, nihil ad malum ejus expugnandum proficientibus pharmacis, neque ad loca sacrata peregrinationibus, ad quæ parvulum devoverat: Post omnia nè quidquam adhibita, fasciolam sangvine Manuelis imbutam, quam ex ejus cura servaverat, capiti filioli circumligat: cæpítque ex eo momento melius habere, & modico tempore plenè convaluit. Sed & corona ejus precatoria, quæ magnâ pietate in Collegio Monte Regiensi asservatur, innumera operatur prodigia, & certatim totâ illâ regione ad quævis mala propulsanda expetitur, à quibus liberandos se, intercessione & meritis ejus certò confidunt. Corpus autem illius conditũ est in ejusdem Collegij templo tumulo honoratissimo, sepeliendis Comitibus de Monterrey, Fundatoribus Collegij destinato.

Ex Andrade Tomo 5. & Bibliotheca Alegambe.

P. BAL-



P. Balthaſar Wegelin S. I. Germanus, per annos 30. Collegij Procurator, unà q; Operarius, et animarum indefesſus venator, laureatam mortem, ex charitate peſtiferis exhibita, præter 21. per Germaniam Socios, obtinuit Conſtantiæ 20. Oct. A° 1635. æt: 65.

143,

P. BALTHASAR WEGELIN cum alijs 21.

OPtimè, non tantùm ſub eodem tecto, ſed in eodem etiam pectore hoſpitari poſſe Martham & Mariam, temporalium ſimul & animarum procurationem, docuit nos Pater Balthaſar Wegelin, domo Brigantinus, ad Lacum Acroniacum. Societatem magno fervore complexus, eximiâ virtute, animarum lucris, & apud omnes ſanctimoniæ opinione ornavit per 44. annos vitæ in eadem exactos, uſque ad ætatis ſexageſimum quintum. Manſvetiores literas ipſos 12. annos cùm juventutem docuiſſet, indè Procuratoris munus ad ætatem uſque advexam Conſtantiæ ità geſſit; ut cùm ejus Collegij recèns fundati infantiam quodammodo primus educandam ſuſceperit, ſuâ demum induſtriâ; agendíque periciâ res ejus in ſtatum adultum egregiè firmârit & conſtabiliverit. Atque iſthæc quantumvis ille ſedulò gereret; longè tamen ampliore ſtudio ad ſpiritualem quæſtum incubuit: nimirum admirabili diligentiâ & aſſiduitate operam dare pœnitentibus, diu ac noctu primus eſſe in ægrotis inviſendis, vinctos in carceribus adire, ſolari, prorſus ut defatigari laboribus non poſſe videretur. Denique ex eorum de Societate numero non poſtremus fuit, qui principali ſpiritu per varia miniſteria maximam in ea tota vicinitate, apud omnes ætates atque ordines, Societati gratiam & benevolentiam

com-

comparaverunt, per 30. continuos & ampliùs annos optimè de juventute, de Civibus, de Collegio meritus: tantâ existimatione & famâ; ut pueritia innocens, quibus hominum adhuc indiscreta notitia est, quisquis è nostris in publicum Collegio egrederetur, eum communiter P. Wegelini nomine vocitarent & consalutarent. Hósce sanctos & diuturnos labores suos morte pulcherrimâ, ducto à tabidis quibus juvandis vitam suam consecraverat veneno, ingenti omnium mœstitiâ terminavit 20. Octobris, Anno 1635. Secundùm illum 27. ejusdem, pari ex causa inter morbidos isthic contractâ, vitam exuit Erhardus Haltmaier, Bavarus Molsheimensis, Coadjutor, annorum 60. in Societate 37. indefessâ sedulitate per omnia sui gradûs Marthæ munia, in pestiferorum præcipuè servitio functus, virtutum omnium exemplis prælucens. Ubi se contagio violatum persensit, tantâ cordis lætitiâ perfundebatur, tantâ beatitatis adipiscendæ confidentiâ decessit; ut hilari constanter vultu unicè optaret, Superioribus eam se monstrare posse, utì sentiret. Mox 4. Nov: eum secutus est Christophorus Ferlinger in Styria natus ante annos 51; Coadjutor temporalis, in Societate versatus annis 27. Horror illi pestilentiæ vehemens inerat, sed animi firmitudo naturam edomantis tanta, ut eâ rationi violentè subactâ, Patres ægrorum domos concursantes cupidissimè comitaretur. At ubi malo eodem correptum se vidit, incredibile memoratu est quanto gaudio delibutus, DEO heroicam sui victoriam etiam hìc remunerante, decesserit. Terni ibidem Sacerdotes eodem hoc anno funeribus suis, in pari charitatis agone præivêre P. Henricus Scherer 3. Januarij, ex Svevia oriundus, annor: 52. in Societate 33. Operarius consummatæ virtutis, zeli & industriæ. P. Sigismundus Hager 5. Octobris itidem Svevus, annorum 43. in Societate 26. pestiferam luem, quam ab infectis inter navatam promiscuè omnibus foris operam hauserat, nescio quâ minore cautelâ in Collegium intulit, quæ multis domesticis exitio fuit. Ipse tam piè religioséq; cessit è vita, quòd victima charitatis in proximos navatæ concideret; ut is, qui ægrotanti servierat, asseveraret; ejusdem sibi mortis per simile obsequium consequendæ ardens injectum esse desiderium, quò sibi pari pietate daretur emori. Et utrumque re ipsa consecutus est, fuit enim Erhardus Haltmair, quem paulò ante recensuimus. Postremus 8. Oct: P. Fridericus Stark, ex Tyroli Oenipontanus, annorum 32. in Societate 10. Fuerat ille nuper sacris initiatus, & ùt erat studio salutis alienæ, præsertim eorum qui solerent ab alijs deseri, vehementer accensus, postero die ubi primam litavit hostiã, contendit à Moderatoribus magno ardore, ut lue per civitatem grassante, ægrotorum solatio & auxilio se exponeret. Paucis ergo diebus, cùm alteri Sacerdoti additus fuisset socius, pestem combibit, & nono post sacrificij DEO oblatas primitias die, vitam per ejus contagionis violentiam amisit.

Augustæ quoque dum peste laborantium saluti consulit, noxio flatu hausto, mortem ad diem quintum Septembris hoc eodem anno executus est, P. Christophorus Pfarkircher, ex Svevia ortus, annorum 35. in Societate 14. Tubingæ verò in Wirtembergia 14. Sept: P. Blasius Bez, domo Hisscellensis in Vindelicis, cooptatus in Societatem jam Sacerdos ætatis anno 27. cùm septennio in ea vixisset, castrensem Missionem aliquamdiu secutus est. Gomeringam, Lutheranum in pagum Tubingæ vicinum, cum legione sua delatus, cum alicui peste contacto sacra administrat, ab eodem veneni contagione aspersus, lectum omnem quo invitabatur est aspernatus, sed in stramenta se abjecit. Eucharistiam ab uno Patrum Tubingâ suppetias accurrente allatam, expiatâ conscientiâ, suâ sibimet ipse manu, nè socio ex accessu tam vicino noxæ foret, accepit, & gaudij cœlestis plenus, summam sibi fuisse votorum edixit, emori in Societate, & quidem letho ex charitatis obsequio conscito. Sanctis quoque in extremo Germaniæ ad Belgium oppido 24. Novembr: in eadem causa obijt Joannes Osterwik, Coadjutor Belga: & Brisaci in Alsatia P. Godefridus Feller, 2. Decemb: Luxemburgensis, anno ætatis 31. dum militibus, varijs morbis & peste infectis, hæreticis etiam inservit, & præter spiritualia remedia, corrogatos etiam vicatim cibos totâ circùm viciniâ dispertit. Anno verò sequenti 1636. Sanctis, eidem operi intentus decessit pestilentiâ contractâ P. Theodorus Bergell, 9. Januarij, ætatis 58. anno, 36. Societatis. Marcoduræ verò duo P. Franciscus Knott 9. Jan: & P. Joannes Meinau, Coloniensis, 9. Augusti. Constantiæ 10. Januarij P. Stephanus Hazler Monacensis, annorum 39. Embricæ verò 20. Junij P. Antonius Malopertius, Montibus Hannoniæ ortus ante años 36. quorum 18. Societati dedit; dum infectorum animas enixè curat, hausto ab ijs exitiali halitu, puram animam charitati & saluti publicæ dedit 31. Martij. Et post eum 5. Aprilis P. Philippus

pus Mayer, Auguſtanus, 63. annos natus, in Societate 46. aliquando in Aula Magiſter junioris Principis Neoburgici. Olim Indias ferventibus precibus exambiens cùm non impetrâſſet, Miſſionem per frigida Tauriſcorum prærupta obtinuit, tantóque fructu & animarum proventu per ſeptennium, ſicut & aliàs ubique per omnia Operarij munia rem ſuam geſſit, ut moriens Apoſtoli Germanici, viri ſancti, hominis Angelici appellationem, in ore famæ poſt ſe reliquerit. Rurſum anno 1649. Oetingæ tertium peſtiferis deſerviens, ex quorum procuratione bis incolumis Conſtantiæ & Landſpergæ evaſerat, fortem animam reliquit P. Adamus Curtius, Svevus, annorum 49. in Societate 30. Coadjutor ſpiritualis, inter Miſſiones & Operas plerumque occupatus. Maurkirchij quoque 6. Auguſti occubuit P. Bartholomæus Beſſwirth, annorum 34. in Societate 13. ſolitus etiam dum ſtuderet, omnibus ſacris diebus concurſatione ſacrâ pagos obire, fruge ruralium quàm plurimâ, ut nullâ tempeſtatis injuriâ arceri ſe ab hoc propoſito pateretur. Animabus è piaculari flamma liberandis cùm eſſet mirè deditus, apud alios quoque efficax earum fuit advocatus, trecentis etiam & quadringentis aliquando ad Evchariſtiam ſumendam adductis, quo die illæ Indulgentijs juvantur. Inter ſuprema verba affirmavit, ſupplicaturum ſe DEO, nè poſt ſe virus dumi Parochialis, in qua moriebatur, ultrà ſerperet; quod ità prorſus evenit, non ſinè omnium admiratione. Hinc ejus memoria vivit in Civium lacrymis, & locus ſepulturæ ſertis & floſculis, tanquam Patris optimè de ſe meriti coronatur. Id quod & ſocio ejus Patri exhibetur, 9. Auguſti ibidem extincto. Is fuit Pater Ludovicus Murer, Svevus Kirchbergenſis, annorum 54. in Societate 35. Coadjutor ſpiritualis, perpetuis Miſſionibus aut operationibus domi occupatus. Pios libellos quatuor ſupra viginti, fovendæ pietati peridoneos, manu ſuâ citra ullam vel unius maculæ notam deſcriptos circumferebat: & mille omnino conciones omni argumento conceptas, ut extemporalitate ſuâ inſtructus, citra impedimentum aliorum ſacrorum laborum, prodire poſſet Eccleſiaſtes, quidquid repentè ingrueret. Illud illi poſtremo quinquennio ſolenne fuit, ut nulla illi concio ſinè aliqua orationis Dominicæ linea explicata efflueret. Superior cum noſtris præeſſet, mirè comis in omnes, labores aliorũ in ſe, prolixè cuivis oblatâ operâ transferebat: commodorum ità incurius, ut extra ſtata menſæ tempora nihil unquam potionis, quoad in Societate vixit, notatus ſit deguſtâſſe. Ad fidem orthodoxam dextre adducebat etiam protervos ac feroces, dulcedine ſuâ emollitos: & Weidæ duntaxat, trecentos Catholicis ſacris ex hæreſi addixit. Arithmeticæ notitiam in paucis inſignem, pijs exemplis piam reddidit, ùt exempl. gr. quoties homo horæ ſpatio, diei, menſis, anni, ſæculi intervallo reſpiret? gratijs nempe DEO reddendis ad numerum momentorum, quibus degimus in hac vita. Burghuſij pari ſorte emigravit P. Joannes Rottenbuecher, è Tyroli Bolzamenſis, die 23. Auguſti, actis vitæ annis 56. in Societate 33. Demum Anno 1656. Monaſterij Weſtphaliæ 26. Septembr: vitam in eodem obſequio ſolis decem diebus navato, abſolvit, P. Joannes Fabricius, multorum vir & Operarius meritorum ætatis 64. ſpiritualis Coadjutor. Ad animas è piacularibus flammis liberandas, ſtudioſè pius, quoties licebat, atro ſacrificium apparatu pro illis offerebat: quo exemplo toti Collegio perſvaſit, ut diem unum quot menſibus mortuali ad omnes aras apparatu, ſacra ſua Patres omnes illis donarent. Quæ etiam crebriùs ad januam ipſius cubiculi, velut ad Patronum ſuum confugientes, ſtrepitum ciere ſunt obſervatæ, ut ſuffragia impetrarent. Ipſe certè omnibus ijs ſacrificijs, quæ in Societate pro ſingulis ſuis demortuis ex more perfici toto orbe ſolent, & quæcunque undevis ſuffragia ſibi obventura eſſent, ſe abdicavit, & in eas rarâ liberalitate ex aſſe tranſcripſit. Taceo in vivos induſtriam illam inter innumeras alias beneficentiam, quâ providè in æſtate, dum perlevi væneunt, ligna pretio comparabat, ut ea egentiſſimis quibuſque diſtribueret hyeme ſæviente.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. JOANNES MANCONIUS.



Pater Joannes Manconius in Sardinia natus, præſtans fuit virtute doctrinâq; tam in ſcholis Philoſophiæ, Theologiæque Magiſter, quàm in rectione Pater, ac in pulpitis Eccleſiaſtes. Conſvetam in Paſchate (quæ de Chriſti & Matris occurſu celeberrima haberi ſolet) concionem inchoaturus, cùm ſibi omnia è memoria excidiſſe videret; DEIparæ imaginem intuitus, opem ab illa petijt, & ab eadem vocem audiviſſe



P. Ioannes Manconius, Soc: Iesu, Sardus, Matris Dei auxilium in concionibus mirè experiri solitus; eandem cæterósq; Cœlites sæpius spectabiles habuit: zelo Apostolico de Sardinia optimè meritus. Decessit ibidem Sassari 23. Octobr. A°. 1635. æt: 60.

144.

tur: *Incipe prout potes, quia ego tibi non deero.* Mox sententiam dixit: *surrexit, non est hic.* Et adjecit JESUM sinè MARIA non reperiri; tenerè postea flagrantérque locutus. Aliàs quoque non semel memoriâ lapsus, dicebat ad Virginem: Domina, juva me, nec enim scio quid debeo dicere: illa verò interiùs respondebat: *nunquam tibi defui, nec deero.* Cùm aliquando sentiret, se esse animo tentato perturbatóque, ac peteret cordis pacem, quò coram DEO meliùs compareret; audivit nomine DEI dicentis: *dic illi, mihi ità placere: neque ideo putet se mihi minùs bene servire.* A DEIpara verò illi per aliam quandam nunciatum: nihil ei detrimenti indè eveniet, sicut nec Paulo id damno fuit. Aliàs cùm illi importuna fœminæ cujuspiam forma obversaretur, & ille anxius animi totus in eo esset, ut vinceret, vidisse dicitur DEIparam admirabili pulchritudine gloriosam cum SS. Catharina atque Cœcilia, & inter alia hæc etiam audivisse: *vide, an pulchritudo quæ corrumpitur, cum hac possit ulla ex parte conferri.* Flagris ac varijs è laniena, ferro aliísque cilicijs se quotidie cruciabat. Is qui adfuit, cùm in morbo nescio quo curaretur, dixit, se vidisse ferri particulas ejus carni immersas. Cùm Professorum Domui præesset, multas industrias excogitabat ad populum ad Sacramenta pertrahendum, ipse quoque impigritate ad labores par cuilibet, ac multis superior. Pro cujusdam, cujus conscientiam gubernabat, difficultatibus expediendis apud DEUM unicè dum satageret, illi; pro cujus bono tunc laborabat, in quiete ostensus est à Sanctis Augustino, & Francisco de Paula dicentibus: vide.

Con-

Confeſſarium tuum, quomodo eat perrumpendo difficultates ac pervincendo. Fama fuit, & id narrat ejus vita Hiſpanicè typis data, viſum ab illo CHRISTUM è cruce, qui DEIparam ſuo ſangvine aſpergebat. De Beatiſſima Virgine è Sanctorum dictis plurima annotavit. Per annum integrum de cultu & imitatione DEIparæ dixit ad Novitios,ut cum Inſtituti amore atque virtute,hanc etiam pietatem imbiberent. Domum aliquando reverſus & feſſus, cùm pro quotidiano ſuo more Roſarium recitare cogitaret, magno tædio ſe dejectum ſenſit: pervicit ſe tamen; & mox Virginem DEIparam ſub cruce ſtantem incredibili animi ſui ſenſu vidiſſe, fertur, quaſi præmium relatæ de ſe, tædióque illo ſuo victoriæ. Et ajebat illam ſibi ferè ſub cruce apparere conſvêſſe. Pro Religioſæ cujuſdam in Vocatione conſtantia oranti, Virgo, illam ſub pallio ſuo oſtendens viſa eſt, ac dicens: *ego ſemper illius curam geram. Sed vide, Domina*, inquiebat Joannes, *nè referat pedem*: *non referet*, reſpondit Virgo. Aliam quampiam, cujus conſcientiam gubernabat, videre ſibi eſt viſus viſitatam à DEIpara,illi JESUM parvulum offerente. Quidam, qui à Societate deficere meditabatur, loquebatur cum P. Joanne, ſpiritûs tunc Præfecto, ſed alia omnia. De hoc DEIpara, parvulum ſinu gerens ex imagine Joannem, ſignis datis, certiorem fecit, nè ficto illi fidem adhiberet: nec multo poſt, ille à Societate abjunctus eſt. Mortuæ, pro qua celebrabat,animam fertur vidiſſe cœlum ſubire, lucidiorem ſole. Pro alia ægra oranti,ajunt,DEIparam reſpondiſſe:*morietur, ſed mecum vivet*. Cuidam pro Societate oranti oſtenſus eſt ingens numerus ſociorum (velut militum in exercitu) quos in tenebris lux è cœlo in eorum medium effuſa ducebat: eorum alij procul à luce, alij vicini magìs, alij in ipſa luce viſebantur. Atque hos voce de cœlo lapſa intellexit ferventes eſſe, ac cœleſtibus impulſibus regi: quos inter vidit Patrem Manconium, ſuper cujus caput pulcher è cœlo ſvaviſſimæ lucis radius mittebatur. Aliàs viſus eſt, velut volando ire per viam periculi & laqueorum plenam, duobus moloſſis teterrimis ſe illi, nec quidquam opponentibus. Aliàs inter dicendum ad concionem conſpectus eſt toto vultu collucere; at ex oculis potiſſimùm lucis radios evibrare, nempe ex illis oculis, quorum pudica modeſtia & lacrymæ erant in delicijs boni DEI. Epiſcopi fratris ſui mortem, ſe abſente futuram, decimo ante illam anno intellexit: & Romam iter ingreſſurus, eidem prædixit, fore, ut deinceps non niſi in cœlis alter alterum ſit viſurus: nec aliter evenit. Quidam adoleſcens elangüerat in deſiderio ineundæ Societatis, id quod ubi P. Manconius intellexit, ſecurum eſſe juſſit ejus Confeſſarium, eíque unam B. Virginis imaginem (adoleſcenti illi dandam) dedit: quam, ùt primùm accepit adoleſcens, illico ſe toto corde alium ſenſit,ac Societatem flagranter flagitavit & impetravit. Cuidam abſenti, & vehementer afflictæ præſens adeſſe viſus eſt vultu Angelico, & inter alia dicere: *quoties tibi dixi, ut tandem te à creaturis expedias?* & illa quievit. Triduo luctatus eſt in agone difficili, dœmone illi auſo etiam ſuggerere ut ſpem de æterna ſalute deponeret: ſed ille editis altis ſuſpirijs,ad DEUM,ad DEUM aſpirabat. Ante agonem illum rogatus ecquid illi maximo eſſet ſolatio in illo articulo: quod, inquit, nullam conſolationem ipſe mihi unquam indulſerim. Poſt mortem,quam obijt Saſſari 23.Octobr: 1635. ætatis 60. pluribus argumentis oſtenſam ejus in morte luctam, & victoriam, ajunt plures: quæ omnia cum alijs non paucis hìc omiſſis dabit ejus vita in annum 1635.

Ex Anno dierum Memorabilium Nadaſi 23. Octobris.

P. JOSEPHUS DE CALATAYUD.



Pater Joſephus natione Navarrus ex Diœceſi Pampelonenſi, ab infantia pietati tenerè addictus, dœmonis in ſe odia concitavit, ut jam tum cum puero bellum gerere inciperet. Cùm enim puer viam ſolitarius aliquopiam iniviſſet, nefarij quidam, dœmonis impulſu, innocentem aggreſſi vitâ ſpoliare tentabant, nisì DEUS gloriæ ſuæ ſalutíque multarum animarum illum deſtinans,iniquorum manibus mirabiliter eripuiſſet. Humanioribus literis Soriæ in Scholis Societatis imbutus, ejuſdem complectendæ cœpit deſiderijs urgeri, eo potiſſimùm fine, ut aliquando gentilium in America converſioni totum ſe impenderet. Verùm inimicus piam juvenis mentem ſubodoratus, ut in tranſverſum ageret, ſceleſtum ſodalem ad eum pervertendum ſubornavit, qui ad caſtiſſimum juvenem ſolitariè in ſuo cubiculo agentem irrepens, auſus eſt ad illicita pene violen-



P. Iosephus de Calatayud Soc: Iesu Hispanus; magnus et fidelis Dei servus, eximÿs à Deo gratÿs & donis ad animarum salutem præditus. Obÿt Gandiæ 15. Iulÿ, Anno 1636. Ætatis 78. Religionis initæ 58. J.G.Heinsch. del: 145 J. Kilian sc.

violentè invitare. Ille in arcto deprehensus ardenter ad DEUM auxilium implorans confugit; cujus animo subitò tanta luminis copia de abominanda ejus peccati fœditate sese cœlitus infudit, ut per omnem deinceps ætatem æquè recens & vivida menti inhæserit, suóque præsidio ab omni graviore noxa innocuum conservârit. Receptus est in Societatem non tam Superiorum, quàm immediato DEI ipsius beneficio, quod ipse deinceps velut certum Divinæ vocationis & salutis æternæ pignus interpretatus est. Cùm enim importunissimis precibus admitti urgeret, & Provincialis visâ juvenis in pusillo corpore, propè nani staturâ, toto animo abhorreret; liberaturus se à molesto Candidato, literas ad Tyronum Magistrum Saragosam conscripsit, quibus jubebat epistolæ latorem ab ea mente abduci, certúmque fieri de Societate nunquam obtinenda, atque his, ùt credebat, literis instructum Saragosam dimittit. Eò delatus, extemplo, in numerum tyronum recipitur, id enim jubebant Provincialis literæ, per errorem loco destinatarum juveni perferendæ datæ: & Provincialis de eventu certior redditus, ratam habuit admissionem; non falso vaticinio addens, juvenem à DEO ad magnam sanctitatem destinatum videri: id quod consequens ejus vita abundè comprobavit. Post tyrocinium aliquot annis per diversa Collegia moratus, demum Gandiæ totos 40. annos resedit, eâ virtutis opinione, & Apostolici zeli in salutem proximorum exemplis; ut omnia enumerari non possint. Itaque ad gradum Coadjutorum Spiritualium admissus, totum se confessionibus irremissè audiendis, & Missioni-

ſionibus inter populum agreſtem obeundis impendit.

Ut verò conſtaret Divinâ prorſus electione ad munus Confeſſarij acceſſiſſe, voluit gratiſſimum ſibi zelum DEUS miraculo comprobare. Acceſſerat illum homo totum ſeptennium impœnitens, peccata confeſſurus; oculis interim in faciem Patris ità continuè defixis, ut ille rem animadvertens ſvavi reprehenſione hominem monuerit, oculos ut potiùs in terram pœnitentium more humiliter dejiceret. Sed repoſuit pœnitens, non poſſe oculos ab ejus vultu amovere, quos cœleſtis quædam illi inſidens amœnitas, & fulgor planè cœleſtis ab ore promicans ad ſe raperet; in cujus luce ipſe peccata ſua, tot annis pœnitentiæ tribunali ſubtracta, neque unquam in memoriam reditura, clariſſimè quaſi legendo videret. Licèt autem finitâ confeſſione planè adjuratus à Patre eſſet, nè rem adeò inſolitam cuipiam manifeſtaret; ipſa tamen hominis vita deinceps intaminata divinum quid illi cum Confeſſario interceſſiſſe loquebatur, & ipſe conſcientiâ adactus pluribus aperuit. Neque minùs cordi ſibi eſſe Apoſtolicas Viri per pagos & oppida expeditiones, quas ultimâ etiam ſenectâ promptiſſimè ſeptuagenarius prenſabat, alio terribili eventu declaravit Numen; quem ipſe domeſticis, ad idem laborioſum munus eos excitaturus, referre ſolebat. Venienti ad quendam locum, ut incolas conſvetis Miſſionum miniſterijs procuraret, obſtinatè reſtitit vir ibidem primæ auctoritatis, & abſcedere coëgit; eâ violentiâ dolens DEI ſervus, ut CHRISTI monitum ſervaret, pulverem è pedibus in ſolum ingratum excuſſit, hominémque ad Divinum tribunal provocavit. Vix loco deceſſerat, cum Divina juſtitia injuriam Patris terribili ſupplicio vindicavit, & miſer repentino fato concidens ad DEI judicium abreptus eſt: tantâ omnium conſternatione, ut nemo deinceps uſpiam ſancti Viri laboribus obicem ponere præſumpſerit. Licèt autem ingentes ubique animorum converſiones, morum emendatio, & uberrimi proventus illius ſudores ſequerentur; voluit tamen aliquando etiam DEUS patientiam Viri ſimili ſterilitate, quâ Apoſtoli Jacobi in eadem Hiſpania Evangelium prædicantis exercere, ut poſt improbam inertis agri culturam, & ſementem largiter miſſam, meteret omnino nihil. Superiorum voluntate miſſus ad Mauros convertendos in Regnum Valentiæ, cùm annum integrum quà prædicando, quà catecheſim publicè & privatim explicando, opportunè importunè inſtando; laboribus improbis expendiſſet, non tamen ſive his omnibus, ſive vitæ ſanctæ exemplis efficere potuit, ut vel uni Fidem & Baptiſmũ perſvaderet, ſolis injurijs, ſannis & opprobrijs dives effectus. Quibus tantum abfuit ut animo vel propoſito dejiceretur, ut è contra ſæpius aſſeveraret, nullam ex omnibus expeditionibus, quarum ſupra triginta obijſſet, feraciorem & utiliorem ſibi obveniſſe: abundè his indicans Divinorum in ſe copiam influxuum, quos in arido ligno per annum integrum ex obedientia rigando, à DEO conſecutus eſſet. Ceterùm eo ardentius toto deinceps vitæ tempore inſtitit apud DEUM precibus gratiæ lumen perditæ genti exorare; & quoties de ijs mentio incidiſſet, videbatur illi cor intimo dolore transfigi, ex tanta miſerrimæ nationis obcæcatione, cujus ſalutem idcirco omnium aliorum etiam precibus commendabat.

Amorem ejus in proximum, & inde profluum ſalutis zelum expreſſurus, non meliùs dixero, quàm ſi Moyſis & Apoſtoli gentium charitati ſimillimum aſſeruero, optantis anathema fieri pro fratribus ſuis. Eo ſiquidem in ipſorum malis & perditione tangebatur dolore, ut ex animo cuperet omnia in ſe transferri, & unus pro omnibus Divinæ juſtitiæ ſatisfacere. Utque aditum faciliorem ad animas æternis malis ſubtrahendas lucraretur, nihil omittebat remedij ad ſubveniendum miſerorum corporibus, quibus alimenta & medicinas vicatim corrogabat, aſſiſtebat ægris; & anno quodam ſterili, cùm fame pars hominum major extremâ conflictaretur, per anni dimidium corbe ex humeris pendente de domo ad domum totos dies itabat: quâ charitate multorum vitam ſervavit, & plures exempli ſpectaculo ad amorem virtutis pertraxit. Si quando videretur domos divitum aut nobilium adire, certum erat omnibus non alio fine id fieri, quàm ut miſeris ſubſidia, vel malefactoribus veniam exoraret: atque ea charitatis opera tanti faciebat, ut proverbium illi fuerit, non aliud certius poſſe Collegijs noſtris pignus obvenire, quo ſecuri contra penuriam & quemlibet rerum defectum redderentur, quàm liberalitatem in erogandis eleemoſynis. Ipſe autem nunquam ullo caſu è domo prodijt, quin ante reditum Hoſpitalia & carceres inviſeret, cogniturus num ope aliquâ indigerent: neque facilè totâ urbe in morbum quiſpiam aut mortem incidebat, cui ipſe ſedulus corporis & animæ curator non aſtitiſſet, & oculos clauſiſſet. Unde factum, ut pretioſam deinde ejus mortem peren-

perennibus lacrymis, pauperes præ reliquis & egeni deflerent, tanquam verissimi Parentis amantissimi Filij. Aderat aliquando fidelis custos mulieri ad æternitatem in morbo supremo parandæ, cum qua sensuum & sermonir expers jam diu luctabatur; & quia ex labiorum & oculorum motu colligebant adstantes, cupidam loquendi aliquid desiderare, subjectis brachijs tantisper ad considendum levârunt. Hìc illa collectis viribus pileum Patris adstantis improvisò arripit, capitique suo reverenter imponit. Mirum dictu! eodem simul tempore plena vis loquendi infirmæ redit, & post peractam apud Patrem eâdem nocte confessionem, periculum vitæ omne discutitur: stupente ad rem adeò improvisam, qui manè revenerat, Medico; cùm vespere depositam in mortis faucibus reliquisset, Atque ejusmodi repentinæ sanitates plurimis ægris ex præsentia & meritis Patris, vel rerum ipsius usu sacratarum applicatione, evenêre. Jacebat Gandiæ in Collegio lethali malo prostratus Frater Michaël Garzia, nullâ salutis spe, post sangvinem decies quinquies emissum, relictâ: hunc aliquando accedens P. Josephus cœpit blandissimè consolari, sic, ut ipso ejus alloquio morbum decedere æger sentiret; donec sub digressum clarè admonuit brevi revaliturum, & multos adhuc annos utilem Societati operam navaturum; id quod ità penitus evenit.

Neque tam raros & prodigiosos Viri hujus effectus admodum mirabitur, qui ad excellentem sanctitatem & virtutum ejus apparatum animum adverterit. Fuit enim DEO conjunctissimus, & orationi ità addictus, ut illâ vivere, neque unquam oculos & animum ab DEI consortio abstrahere videretur. Sanè neque dormiens ab oratione cessabat, tam ferventibus in ipso somno affectibus abundans; ut fateretur Confessario suo, nocte qualibet sibi somnia planè Divina objici, in quibus ardentiore impetu in DEUM ferretur, quàm sub oratione diurna. Porrò antequam ad quietem nocturnam componeretur, solidam meditationi horam impendebat, ità sua omnia cum severa DEI justitia transigens, ac si ad illius tribunal eâ nocte sistendus foret. Similiter manè maturiùs alijs excusso sopore, unam horam consvetæ orationi addebat, totum per diem tempus, quod alijs occupationibus superflueret, eidem attribuens. Exercitia S. P. IGNATII aliquoties per spatium integri anni, extremo præcipuè senio peregit, observatis exactissimè annotationibus & additionibus omnibus: cúmque paucis ante felicem obitum diebus rogaretur à Rectore, num vellet his sacris exercitationibus eodem cum reliquis domesticis tempore vacare? amabile subridens respondit, se nunquam illa, ab anno priore, cùm de ijsdem fuisset monitus, ad eum diem abrupisse. In Missione quadam præparaverat hospes venturo Patri cum socio suo seorsim cuivis cubiculum & lectulum, cùm socius advertens Patrem nunquam decumbere, voluit explorare quâ ratione noctem transigeret. Itaque totam noctem pervigil secretò ad ejus conclave adrepsit, vidítque Patrem post prolixam de genibus orationem, ad aliam totâ nocte duraturam ad hunc modum se componere: conscendit uno pede arculam quampiam instar suppedanei, altero in aërem relicto pendulo, capite ad murum acclini; ut si somno obrui contingeret; impactu faciei ad murum excitaretur. Quod cùm aliquoties sopore oppresso evenisset, increpabat expergefactus se ipsum, *ô piger! ô deses! hócne est perseverare in conspectu DEI tui?* non potuit diutiùs se continere socius, quin erumperet, *éstne*, inquiens, *possibile Pater Josephe, ut hac ratione noctes transigat?* Quâ voce consternatus Vir humillimus accurrit, multúmque deprehensum se erubescens, impensè obtestatus est, nè rem cuiquam aperiret. Aliàs in oratione ità sensibus omnibus absorbebatur, ut nihil eorum quæ circa se fierent adverteret: & cùm aliquando fulmen in vicinum illi cubiculum incidisset, tanto strepitu, ut multos sociorum remotiùs habitantes solo affligeret; ipse in eodem orationis situ quietus repertus est, neque horridum tonitru advertens, neque sulphureo fætore, qui Collegium totum impleverat, excitatus.

Ex hac tam familiari DEI consvetudine multa cordium arcana, & rerum futurarum eventus condiscebat. Erat matrona moribus sanctis, & optimæ in urbe famæ, pridem illi filia spiritualis, cujus frater Sacerdos Valentiæ morabatur: de hoc in quodam congressu quæsivit Pater, quid novi accepisset? sed excusante illâ ignorantiam, quòd pridem nihil ab illo literarum venisset; subjecit Pater: *igitur sedulò illum orationibus DEO commendemus.* Suspecta non parum matronæ fuit hæc Patris de Fratre interrogatio, & precum pro ejus salute postulatio; cùm paulò pòst nuncium accipit, cœpisse fratrem illo ipso die ægritudine tentari, non eâ quidem periculosâ; ex qua jam denuo convalesceret: id quod mulier extemplò Patri significavit. Verùm ipse minimè acquiescens, voluit continuè

Fra-

Fratrem, omnibus sepositis, Gandiam evocari: excusanti verò sorori multa ejus negotia, quibus in obsequijs Episcopi tanquam Vicarius distineretur; *scribe*, inquit, *relictis omnibus veniat, tempus enim urget, ut ad felicem mortem se præparet.* Vix advenerat, vix Patris operâ ad beatum transitum rectè institutus fuerat, & moritur: ingenti matris ob perditum filium dolore, quem tamen plurimùm solabatur certa ipsius salvationis, per preces & merita P. Josephi fiducia, ex cujus abundantia Patrem alloquens: *en*, ait, *totam me in DEI voluntatem resigno, & animam meam in ejus manus colloco, spondè mihi & securam redde, quòd Sacramentorum expers moritura non sim. In manus DEI*, respondet Pater, *tam boni, tam benigni, totam te resignas? & ego tibi vice & nomine ejus polliceor, mysteriorum suorum ante obitum participem futuram.* Paucis post diebus febricula minimè gravis aut maligna eam incessit, quæ nec molestiam illi in consvetis occupationibus facesseret, sic ut manè sequenti Templum adire proponeret: cùm Pater solaturus illam invisit, & inter colloquendum mentionem de SS. Evcharistia intulit, quam se duobus ægris jam jam impetivisse narrabat: *quod cùm optimè factum existimem*, subjiciens, *judicarem & tibi expediens fore illâ mox refici.* Admirata non modicè mulier repentinum consilium, quòd optimè vires sibi constare sentiret; nec minùs perculsa est filia, sollicita de matris eventu: ambas quippe experientia de prædictionum Patris veracitate dubitare cogebat in ijs, quæ ipsis oculis intuebantur. Itaque continuè ad Patris pedes confessione peractâ, ad Templum properat, & evocato Parocho, sacrum sibi Viaticum præberi efflictim rogat. Mirari ille & stupere, à muliere sana & viribus integris Viaticum in mortem deposci; & *quo Medico authore morituram se crederet?* percontari; *ordinario*, respondet illa, *animæ meæ Medico, P. Josepho Calatayud svadente.* Nec plura indagans Curatus, S. Evcharistiam in Viaticum lubens fæminæ impertijt; quæ eodem à sumpta Comunione momento, ingenti calore totam se inflammari persensit, atque in horas maximis incrementis augescente, brevissimè extincta est.

Degebat Olivæ, unâ ab Gandiæ levcâ persona excelsæ virtutis & sanctimoniæ, filia itidem pœnitens Josephi, quæ totos 17. annos panem gustavit nunquam, solis crudis herbis contenta, nisi quod Dominicis cicer aquâ & sale decoctum admitteret. Morti jam proximam, divinitus Pater Gandiæ edoctus, potestatem Olivam excurrendi à Rectore poposcit: quo mulam ad iter offerente, negavit periculum tantillam moram, quâ jumentum è villa accerseretur, ferre. Jámque socio comite domum intrabant, cùm Pater ad illum conversus, nostrâ quidem mi Frater operâ haud ampliùs istis ædibus opus erit, defuncta enim hoc momento est, cujus causâ properabamus. Ingressúsque vitâ functæ cubiculum, osculum ejus pedibus reverenter fixit: quæ res in homine tantæ sanctitatis, & castissimæ cautelæ omnibus mira fuit, & latè vulgata certissimè persvasit, mulierem defunctâ Sanctorum choris accensam; cui proinde justa funebria splendidissimo ornatu, & infinito hominum accursu persoluta sunt. Erat Religiosus, multis persæpe cum P. Josepho de animæ suæ profectu tractare solitus: huic aliquando Pater cœlesti spiritu afflatus prædixit, si certam passionem perdomaret, vocandum à DEO ad Indorum conversionem in Americam. Fecit toto conatu quod jubebatur, & non multò pòst destinatus ad Indos, prophetam in utroque Patrem expertum se esse prædicabat. Idem ferè evenit cum P. Raimundo Roig, Theologiæ òperam dante Gandiæ, & magnis precibus expeditionem ad Indos urgente. Is enim literis à Superioribus, gratiam ejus rei facientibus, acceptis, P. Josephum consilij gratiâ adibat: cui Pater januam ingresso, priusquam is signo ullo negotium proderet: *bene veneris*, inquit, *consulturus, an iter ad Indos suscipiendum sit? respondeo enim quòd sic, siquidem eâ re gratissimum DEO obsequium præstabis.* Eâ re supra modum Raimundus in proposito confirmatus, nihil dubitavit vocationem suam ad gentes barbaras à DEO esse. Plura similia expertus à Josepho fuit magnus DEI servus Jacobus de Saura, cùm adhuc Scholasticus Gandiæ studijs incumberet, sub cura spirituali Josephi; cui DEUS omnia hujus sui filij secreta revelabat. Habuit is constanter in more, domesticos omnes ad matutinam orationem largiùs producendam manè in surgendo prævenire, quòd vice unâ cùm citra suam culpam (ùt ipse interpretabatur) omisisset, quippe è somno non expergefactus, illico Pater de hac incuria divinitus edoctus illum admonuit. Aliàs in colloquio hortatus summopere eundem est, ut piam consvetudinem, quâ singulis horæ quadrantibus vota Religiosa instaurabat, nunquam omitteret: de qua tamen nunquam ille Patri mentionem fecerat. Tandem cùm Jacobus fervidissima secum agitaret consilia de postulanda missione ad Indos,

atque ad eam toto animo in holocaustum divinæ Majestati sese immolaret, transeuntem fortè his immersum cogitationibus penes suum conclave, erumpens subitò è porta Pater Josephus advocat: *heus*, inquiens, *Frater Raimunde, venito ad me; scito DEO hæc tua ad Indos tam ardentia desideria gratissima accidere, eáque plurimis & maximis gratijs remuneraturum.*

Eandem etiam, utì in mentali oratione, constanter observabat devotionem & fervorem in recitatione Divini officij, multis sub eo revelationibus & illustrationibus à DEO visitatus. Lugebant dolore inconsolabili mortem charissimæ matris relictæ duæ filiæ, Maria, & Aparicia de Calderon, Societati nostræ addictissimæ: quarum lacrymas abstersurus, candidissimâ simplicitate dixit: *eja Dominæ, læto animo estote, nam mihi in cubiculo horas Canonicas recitanti objecta est quædam lux splendidissima, quæ à terra in cœlum ferebatur, & in ejus medio vidi sanctam Matrem vestram vultu hilari, & risu cœlesti mihi lætissimum vale dicentem: atque itàme incredibili solatio perfusum reliquit, & ad cœlum abijt. Sit igitur finis lacrymarum, & magìs nos habeat sollicitos, ut in ejus veniamus consortium.* Jam quid de fervore in SS. Missæ Sacrificio dicam? præviam ad illud quotidie confessionem nunquam, nisì copia omnis Sacerdotis deesset, omisit: neque unquam sub eo per annos quàm plurimos defuêre copiosissimæ lacrymæ, queis sub consecrationem præcipuè irrigabatur, inter flammantia suspiria; ut ardorem cordibus etiam audientium Missam afflarent. Sub ultimos tamen vitæ annos omnibus ejusmodi solatijs, & dulcedine cœlesti privatus est, sibi quodammodo & humanæ infirmitati relictus: quod ille constantissimâ patientiâ, humiliatus sub potenti manu DEI, pertulit. Venerat aliquando ad Ecclesiam Vice-Rex cum toto comitatu, itineri, quod magnâ celeritate urgebat, accinctus; cujus Capellanus P. Josephum, fortè tum altare accessurum, Domini sui nomine rogavit, ut Missam quantâ posset brevitate, acceleraret, urgentissimum enim in causa publica negotium celerrimum iter requirere, cui ille modestâ auctoritate: *equidem hoc in maximo cœli negotio, nihil ego gustûs, & complacentiæ etiam pro toto mundo, DEO meo detraxero*; referríque Vice-Regi jussit sententiam S. Chrysostomi, de Sacerdotis supra omnem terrenam potestatem dignitate, dicentis: *majorem, ô Sacerdos, illo potestatem habes*! Peractis à Sacrificio prolixè DEO gratijs, rectà conferebat se ad confessionale, neque pedem efferebat, dum vel unus restaret Pœnitentiæ cupidus. Jam verò ponderatio dignitatis & majestatis Missæ Sacrificij, tanto cor ejus metu & reverentiâ impleverat, ut in ipsum corpus redundans, multo tremore sub tempus Consecrationis & Comunionis illud concuteret, tam notabili excessu, ut adstantes non rarò sollicitè angerentur, credentes apoplectico malo hominem tentari. Aliàs verò Consecrationis formam proferēs tanto sudore madere cæpit, ut à sacro vestimenta omnia mutare oportuerit; & amictus plures horas ità madidus remansit, acsi balneo recèns fuisset extractus: ex quo colligere fas est sacri magnitudinem horroris, à quo in eam agoniam redigebatur, alioquin sua maximè occultare solitus. Cùm aliquando graviùs sollicitudo anxias haberet duas sorores, de Arriba cognominatas, quòd Toleto certi homines non venirent, à quibus tria aureorum millia præstolabantur, rogavêre Patrem, ut negotium in Missæ Sacrificio, cui ipsæ interfuêre, DEO commendare vellet. Hoc absoluto, ùt primùm Pater sacrum posuit apparatum, lætus è sacrario ad afflictas prodijt, & ejus adhuc diei vespere debitores Gandiæ affuturos cum pecunia adpromisit, quod & factum est. Tenerrimo semper affectu in Christum Eucharistiâ velatum ferebatur, & plures horas de genibus, tanquam servus Domino obsequiosus assistebat: neque ulla facilè labebatur hora, quin eum invisens ad obsequia se sisteret.

Orationi non minùs assiduam adjunxit corporis & animi mortificationem. Et quidem Societati in triclinio, & culina consvetas, eluendis patinis, fricandísque ollis, nullâ hebdomade etiam septuagenarius intermisit, quoad ætas & vires pedibus insistere permisêre. His addebat prolixam quot diebus flagellationem, & plerumque duplicatam: cilicino thorace nunquam corpus videbatur liberare: jejunium per continuos 15. annos rigorosè observavit, neque unquam ferculis condimentum ullum, salem, acetúmve, aut succum malorum adhibuit: donec annis & laboribus jam affectum jejunia abrumpere, & communibus vesci edulijs Superiores jusêre. Triginta ampliùs annis usus est in confessionario sedili tam humili, ut vix capite cancellos, quibus fenestella prætenditur, attingeret, unde non modicum patiebatur tormentum, coactus magnam partem semiacclinis consistere. Somnum etiam senex, si fortè jaceret, nunquam nisì super dura tabula capiebat.

piebat. His moleſtijs adjecit DEUS intolerabiles conſcientiæ remordentis toto triennio anxietates, cùm tanto afflictionis exceſſu; ut diceret poſtea, minimè alioqui dolores ſuos laboréſque exaggerare aſſvetus: *ſi DEUS optionem ſibi daret pœnarum inferni, vel ſcrupulorum; primas omnino ſe electurum.* Senſuum cuſtodiam tam arctam adhibuit, ut nunquam portam nisì evocatus adiret, vel hortum: nunquam animi causâ oberraret per campos, vel quopiam cubiculum egrederetur, itérve ſuſciperet ſeu mari, ſeu terrâ, nisì animarum ſalus exigeret: neque ullus aliquando deprehendit feneſtram acceſſiſſe, vel foras proſpexiſſe, quidquid tumultuum, curioſitatis, vel ſolennitatum in platea ageretur. Paraverat aliquando, excipiendo magno Principi, Dux Gandiæ exquiſitiſſimo ornatu turmam equeſtrem; ad cujus ſpectandum ingreſſum cùm omnes procurrerent, ille ad Valetudinarium ſe contulit, & ſolando ægro Sacerdoti horam illam impendit. Contigit etiam, ut apud Religioſos magnæ obſervantiæ invitatus, cibum communiter in triclinio ſumeret, cùm repentè unus ex ipſorum numero in extaſim raptus, longo tempore ſenſuum expers duravit, quæ novitas omnium oculos ad rem adeò ſingularem advertit: ſolus ille ſuos ità frænatos (conſultò enim breviſſimi visûs ſe dicebat) continuit, ut eos nunquam in hominem converteret. Opprimebatur non rarò inveterato quodam malo, tantâ doloris vehementiâ, ut halitum illi & pulſum cordis interciperet, cum præſentiſſimo vice qualibet vitæ periculo: cui malo cauſam olim dederat concione ſuper omnem modum ferventi & incitatâ, pertractans ea Apoſtoli verba: *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et cùm ſæpiùs contigiſſet illum acutiſſimo hoc ſymptomate noctu invadi, diſſimulabat tamen patientiſſimè, nè cuipiam moleſtiam faceſſeret, dum manè conſvetâ horâ veniret Excitator, ut ægrorum Curatorem accerſeret: à quo bis repertus Pater eſt propè nudus in terram ab ſua tabula, dolorum impetu dejectus, frigore pene ſemimortuus, neque ampliùs loqui, aut ſe commovere potens.

Humilitas & paupertas Viri dici poteſt fuiſſe prorſus extrema, nihil è rebus ad uſum neceſſarijs nisì viliſſimum, & poſtremum admittens. Quoties domûs Miniſter pro more cubicula cum veſtibus obiret, viſurus numquid alicui neceſſariorum deeſſet; latebrâ ſe Joſephus condebat, nè floccos ſuos melioribus indumentis mutare cogeretur. Cùm verò nihil unquam veſtium expeteret, orta eſt ſuſpicio Rectori, nè magnum interiorum defectum pateretur; ideóque fruſtra multis conteſtantem nihil ſibi deeſſe, juſſit togam talarem coram ſe deponere: ac tum deprehenſus eſt pro thorace vetuſtum ſacci è rudiſſima tela rejectum fragmentum, inter quiſquilias alicubi collectum, indutus; cui vetuſtate undique fatiſcenti hinc fruſtum è corio putrido, indè è panni ſegmento, alibi ex alijs obvijs floccis partim aſſuerat, partim acubus, aſſulis acuminatis affixerat. Breviarium continuo tot annorum uſu ità obſoletum à morte repertũ eſt, ut majorem partem legi ampliùs nõ poſſet. Adeò ſervabat tot muris obſeptam iñocentiam virginalem; ùt minimè mirum ſit ab ipſo in cœlum illatam, qui neque gratiam baptiſmalem ullo peccato lethali deperdidit. Quin imò tam arctum fœdus cum oculis ſuis pepigit, ut per omnem vitam nunquam illos in vultum cujuſpiam mulieris defixerit, dicere ſolitus: *oculorum continentiam mirum eſſe perfectionis, & caſtimoniæ fideliſſimum præſidium.* Accidit, ut perſona quæpiam graviſſimis luxuriæ tentationibus à dœmone exagitaretur, quibus ſuperandis velut ad tutiſſimam arcem in Patris confeſſionale confugit: hìc ejus pavimento accidens, non ceſſabat pijs oſculis venerari locum, ubi Pater pedes collocabat; DEUM interim ardentet orans, ut ejus meritis à dœmonis impulſibus liberaretur: quibus etiam extemplò immunem ſe perſenſit. Denique tam conſummata hujus ſervi DEI in omni religioſa virtute fuit perfectio, támque exacta Regularum quantumvis minutiſſimarum obſervantia, ut nunquam per tot annos notatus ſit ſilentium extra conſvetas colloquij horas violâſſe; audito verò campanæ ad conſvetas domi functiones evocantis ſigno, continuò abrupto etiam verbo, & quâvis aliâ ſanctâ occupatione, punctualiter ſemper provolâſſe. Inde poſteaquam domeſticis Confeſſarius eſt aſſignatus, ſi quando inter audiendum pænitentem contigiſſet ſignum ad communes Litanias dari, à quibus facultatem ſe abſentandi priùs non petiviſſet, imperfectâ proſiliebat confeſſione, poſt Litanias pænitenti aures redditurus.

Atque his tot meritis dives ad cœleſte bravium eſt evocatus anno 1636. 15. Julij, cùm annos vixiſſet ætatis 78. in Religione vero 58. Paucis ante obitum horis licet nihil periculi notaretur, vel indicij adeò propinquæ mortis; ipſe nihilominus cupidiſſimus exuendi mortalem hominem, conſtanter vicinum ſibi adeſſe tranſitum aſſerebat: obſervatúſque

vatúsque cùm oculos aliquamdiu in cœlum defixos tenuisset, rupto tandem silentio in vocem magno clamore, quali in pulpito concionabundus posset, erupîsse: *ô mi DEUS quanta misericordia! & quanta infelicitas!* Percontanti verò, qui lectulo assistebat, Sacerdoti, quid infelicitatis timeret? respondit: *an non ingens infelicitas, quòd hæc anima inter choros Seraphinorum asserenda, ut intueatur, laudétque DEUM, interim adhuc à miserabili corpore velut bestia detineatur?* sub quæ repentè conticescens, oculos clausit, & pauculis horis agonem supremum fortis athleta consummavit. Ejus morte vulgatâ, non modò tota Gandia, sed & vicinia universa, cum ipsis Gandiæ Principibus confluxit, ad parentandum Viro omnium opinione sancto, útque ex rebus defuncti quidpiam in reliquias nancisceretur: quem Dominus etiam à morte plurimis miraculis ornare perrexit.

Ex Nierembergij Tomo 3. & ejus vita P. Jaime Alberto.

P. PAULUS WOUTE cum alijs 8.



Agæ Comitis inter Batavos in lucem editus P. Paulus van Woute, heterodoxis Parentibus, sed lautâ fortunâ; ab ijsdem inter liberales artes haud obscuris optimæ indolis & ingenij indicijs educatus est, & ad Juris etiam legúmque capessendam notitiam addictus. At ille speciosis vitæ fluxæ blanditijs, ad quas in decus locupletis familiæ per ea studia parabatur, jam tum vel in hæresi major, abrupto intrà biennium Juris studio, ad rerum Divinarum cognitionem occulto quodam impulsu se transtulit; quas ut ex ipso veluti fonte hauriret, Genevam sectæ suæ pseudo-Romam profectus, ibi pestiferum ejus doctrinæ virus ità altè in animum admisit, ut idem aliquando propalam è cathedra nescientibus propinare decerneret. Verùm ùt erat ab natura factus quodammodo ad pietatem & devotionem, demirari secum identidem, quî fieret, ut cùm apud Catholicos tot essent in medio libri, qui Christianæ pietatis & virtutum exercitamenta ac præceptiones proponerent, tamen nulli ejus argumenti inter suos Novatores extarent. Ea cogitatio salutis illi principium fuit: etenim ut à libris suorum abesse pietatem vidit, ad ipsos eorum Doctores & auctores, suos videlicet Magistros & Pastores observandos, num eam in vita & moribus illorum reperiret, studium & industriam convertit. Quos ut item vacuos esse pietatis agnovit, subvereri continuò cœpit, nè ab ijsdem quoque, doctrinæ sinceritas, & Fidei integritas procul esset. Igitur Genevâ profectus in Angliam idem observandi cupidine, utramque Academiam Oxoniensem & Cantuariensem exploravit, Doctores, qui omnium sapientissimi ferebantur, allocutus est, mores & vivendi rationem studiosè perspexit: sed nec in ijs quidquam Evangelicarum virtutum & sanctimoniæ advertens, suspectæ jam diu causæ seriò diffidens, in patriam redijt; & quia nostros aliquot Patres Lugduni Batavorum, vulgò Leyda dicto, Catholicis juvandis occultè morari intellexit, eò veritati indagandæ divertit. Hìc eos identidem convenire, fatigare varijs de Fide, déque pietate quæstionibus, & mores interim actionésque solertissimè observare, libellos ab ijsdem suppeditatos evolvere; quorum brevì, quà veritate, quà sanctitate victus, veræ Ecclesiæ accessit. Et quia agnitæ veritatis præceptiones & regulas in usum non segniter redigere studuit, cœpit mox acrioribus stimulis à DEO urgeri, & ad complectenda Christi consilia, quamvìs ardua & humilia, vehementer impelli, atque ad Societatem toto animo aspirare. Quare sinè mora, nè ejus ad Fidem Catholicam transitus Parentibus suboleret, inconsultis illis atq; ignaris in Brabantiam iter intendit, & sociorum numero adscribi obtinuit. Sacerdotio subinde initiatus, ùt erat veræ Religionis per Hollandiam patriam suam propugnandæ avidissimus, primò omnium in Ommelandiam insulam objectam Frisiæ, mortalibus egentissimis habitatam missus, immensam in eos charitatem exercuit, sanis juxtà ac ægris quasi servitium se mancipans. Horum culturâ, quòd in summa rerum omnium inopia ab omni specie remunerationis & solatij esset remotissima, ità capiebatur, ut supremo in morbo paucis ante mortem diebus, eorum saluti procurandæ se suámque operam in perpetuum quoad viveret, si modò Superiores approbarent, sacramento devoverit. Interea anno 1636. peste per Hollandiam quoque passim atrociter grassante, dum ipse pari promptitudine & libertate miseris juvandis inter ipsa funera intrepidus se objicit, adultâ jam ætate repentè Gröningam avocatur, ad muniendum

ritu



P. Paulus Woute, Soc: Iesu, Hagæ Comitis in Holan-
dia natus, ejuratâ paternâ hæresi, fervens anima-
rum Zelator, et in Patria sua Missionarius; Cui dum
in pestilentia cum Socijs deservit, eâdem extinctus
est Gröningæ 15. Aug: A° 1636. ætatis 32.

146.

ritu Catholico Sacerdotem socium: quô vivis ex pari infectorum obsequio ereptô, jussus est tantisper ibi vices ejus supplere, dum è Brabantia alius subrogari posset. Ergo pari animi magnitudine laborem prosecutus, dum auctâ vi pestilitatis non parùm cogitur intendere, brevi quoque hauftâ lue, mortifero septem dierum æstu in portum immortalitatis invectus est die 15. Augusti cùm annos vitæ 32. explevisset. Ex profundissima, quâ semper præcellebat sui despicientia, optabat moriens unicè, in sterquilinio sepeliri, vel stabulo; cui voto visa est voluisse Numinis providentia respondere; quippe cum alio humari loco, aut domo efferri nequaquam potuerit, nè mors Sacerdotis, si fuisset promulgata, receptatori illius hospiti Catholico, noxæ apud heterodoxum Magistratum & damno foret.

Ibidem 29. Septembris, ejusdem charitatis æmulator occubuit P. Henricus de Vrede, domo Brugensis, annorum 36. in Societate 17. Miraculo affine videri potest, sex ipsos annos agri Gröningiani partem omnem, in medio dominantis hæresis assiduè concursantem, Magistratuum, satellitúmque semper in eum intentos oculos fallere potuisse, præsertim cùm insigni oculi alterius vitio, Sacerdos unoculus idcirco vulgo vocatus, sanè quàm notabilis, atque adeò perfacilis exploratu esset. Postquam in defesso hoc pestiferorum obsequio & ipse vitiatum se persensit, nè tum quidem suam ulli operam deesse passus, suíq; penitus incurius, æger adrepebat ad ægros, sup-

ſuperatâ non ſemel per vomitum, & ſudorem, vel certè diminutâ veneni acerbitate; ſed demum erumpente ſeptem locis peſtiferâ lue, malo cedendum fuit, quod ſanctâ morte ſuperavit. Neque Neomagi eodem tempore conflictantibus cum peſte Catholicis defuêre auxiliares à Societate copiæ, è quibus P. Antonius de Greef Silvæ-Ducenſis palmam victoriæ capeſſivit . Maij, annorum 47. in Societate 27. is, cùm anno ætatis 14. Philoſophiæ daturus operam, curas ſæculi fugaces, & delicias ſeriò faſtidire cœpiſſet, & ad firmandam animi conſtantiam, coram DEI Matris ara voto nuncupato pudicitiæ florem DEO obligaſſet; per noctis quietem auguſtiſſimâ ſpecie, multóque lumine eandem meruit habere aliquamdiu ſpectabilem, & amabili benignitate atque affabilitate ſe intuentem. Quo viſo mirificè recreatus, & invitæ ſanctioris deſiderio accenſus, Theologus jam triennalis Societatem capeſſivit, in qua brevì ſacris initiatus, & Mechliniæ varijs aliquamdiu in muneribus, quid in ſalutem animarum auderet vel poſſet expertus, ad Miſſiones tandem in paucis arduas, & periculi plenas, in Holandiam deſtinatus eſt. Leowardiæ. Gröningæ, Neomagi, potiſſimùm ejus & maximè frugifer labor fuit, nihílque non arduum, & grande pro DEO, & animabus audebat: ut cùm adeò illum Batavicæ non ſatiarent ærumnæ, Æthiopicas, Indicas aut Japonicas à Præpoſito Generali expeteret. Atque ut in DEI cauſa ſemper eſſet intentior, ſingulis Neomagenſis Urbis vicis, vijs, compitis, Cœlites tutelares ſingulos aſſignabat, quorum opem gerendis rebus, dum per Urbem curſaret, expoſceret: quorum etiam expertus eſt haud ſemel in periculis præſens atque opportunum præſidium, ex quibus unum attingam. Anno 1623. Neomagi jam tum rem Catholicam procurans, ſub horam noctis decimam in publicum prodierat, ad novum, in quo aliquamdiu deliteſceret (eodem enim diutiùs hoſpitio uti Miſſionarijs illis periculoſum eſt, nè prodantur) domicilium tranſiturus. Denſis obſitæ nivibus undique erant circumquaque viæ, è quibus maligni aliquid luminis relucebat, ut dignoſci ab excubitore milite potuerit. Hic oblatam ex inopinato prædam ſibi gratulatus, injectâ manu ferociter arreptum comprehendit, ut jam Pater conclamatum de libertate, ſi humana ſpectaret remedia, è carcere redimenda, & de ipſa retinenda vita æſtimaret. Igitur ad Divina converſus, in patrocinium Joannem Berchmannum, adoleſcentem è noſtris Belgam, nuper perſanctè demortuum, ſibi in vivis perfamiliarem, cujus vitæ hiſtoria typis edita in medio eſt, invocat: cùm repentè videt adoleſcentem adſtare promiſſo pallio, veſtéque, ſtaturâ, vultu, ætate Berchmanno ſimillimum, qui militem explicatâ fronte, ac blandâ voce compellans: eja, age ſis! inquit, hunc hominem miſſum fac, & mihi, & multis civium apprimè notum. Eâ vocis ac vultûs mollitie ità fractæ ſunt hominis iræ, ut è veſtigio dimiſſum Patrem, neque ultra verbo, neque facto læſum, quò vellet abſcedere paſſus ſit: & ipſe ſimul adoleſcens illico à conſpectu evanuit. Porrò Pater licèt abundè certus Juvenem hunc à Berchmanno alium neminem fuiſſe, exploraturus tamen omni humanâ induſtriâ rei veritatem, adoleſcentes omnes Catholicos, qui ſuum illum vindicem referre quoquomodo poſſe viderentur, opportunè convenire, accuratè ſingulos interrogare, ecquid id noctis & horæ in loco illo & plateâ comparuerint? ecquid aliquem è ſatellitis manu liberârint? neque quiſquam omnium unus ejus facti auctor inventus eſt: id quod Pater coram duobus deinde Epiſcopis, Antverpienſi ac Ruræmundenſi ità geſtum eſſe, ſacramento legitimè pro honore Berchmanni teſtatus eſt. Cæterùm ùt apud Neomagenſes carcerem & vincula ità evaſerit, experiri tamen hos aliàs illum, ad augmentum tolerantiæ, DEO collibitum fuit. Anno 1634. cùm ad reviſendos poſtliminiò Catholicos Gröningam redijſſet, incertum quô auctore, quóve indicio, in manus Magiſtratuum delapſus & in carcerem conjectus eſt, in pœdore atque ærumnis, ùt ſolet in captivitate, vitam acturus. Sed Fidelium charitas conflato celeriter libertatis pretio, quantum profunda Magiſtratûs heterodoxi cupido ſtatuerat, eum brevì cuſtodiâ exemit. Neomagum ſubinde reduci, mortis occaſio poſt biennium fuit, reverſus ingloriè Neomagum miles Batavicus, & confœderatus Gallicus, à Grudis, quibus excidium intentaverant, cum clade uterque rejectus: qui, ùt ſolet, multiplices morbos è bellicis ærumnis ſecum invehens, graviſſimâ peſte ex ijs demum coortâ Civitatem afflixit. Præclaram ea res charitatis palæſtram tribus ſocijs, ibi tum in animarum cultu verſantibus, atque inprimis P. Antonio dedit. Dum enim miniſterijs in ſanos & integros neutiquam ſepoſitis, omni contentione ægris ſimul operam diu noctúque irremiſſo labore impendunt; hauſtâ brevi lue, & confeſtim vitalia depaſcente, omnes è vita exturbati ſunt, datis priùs ad totius Miſſionis Præ-

Præfectum literis, ut Operarios alios in messem tam copiosam quantocyus provideret. Sociorum P. Antonij alter, qui prior ad diem 10. Maij eâdem causâ & morte post illum ereptus est, P. Theodorus de Gonghe fuit, domo Enchusanus, 35. annorum, in Societate 13. necdum integro anno post Missionem Lewardiæ & Sylvæducis obitam Neomagi versatus. Tertius verò P. Reinerus Bruius ad diem 20. ejusdem Mensis, è pago Nederwert agri Silvæducensis ortus, annorum 34. in Societate 19. hoc ipso anno Batavicarum Missionum faciendo experimento Neomagi collocatus: ubi haud facilè dictu est quàm multos paucis mensibus DEO, & Ecclesiæ ab hæresi restituerit.

Amersfortij quoque Urbe suâ patriâ, in contagionem strenuè pugnans amissus est Pater Jordanus Wesecom 13. Augusti, ætatis 37. anno, Societatis initæ 20. Parentibus ibi spectatissimis ortus, & Societatem, reclamante frustrà matre hæreticâ, ac questibus & ejulatibus miscente omnia, invictâ constantiâ complexus. Absolutis Theologiæ studijs jam Sacerdos missus Amersfortium, matris ad fidem orthodoxam adducendæ causâ; ùt eam primùm surdam ad omnia & obstinatam, ità deinde vitæ religiosæ filij exemplis captam, obsequentem habuit & pronam, ut etiam illum præsentem sibi animam agenti, cùm per idem tempus in lethalem incidisset morbum, adesse voluerit. Tantâ verò rem Catholicam apud alios etiam ibi promovit industriâ, ut in Brabantiam ad tertiam probationem exequendam à Superioribus revocatus, eâ peractâ Civium rogatu Amersfortium remitti debuerit. Hìc ille deinceps partes omnes Apostolici muneris naviter executus, excitavit quàm plurimos è peccatorum veterno, abstraxit ab hæresi propè innumeros tum ipso in oppido, tum per agrum ejus suburbanum: Sacramentorum etiam frequentiâ ità in usum reductâ, prorsus ut Ecclesiæ decor & facies antiqua videretur revocata. Christianæ mansvetudinis, & animi magnitudinis exemplum illud singulare dedit, cùm in suspicionem perduellionis fraude hæreticorum consvetâ adductus, in publicos carceres, & varia Judicum tribunalia pertractus est. Ubi tamen à custodiæ Præfecto ex observata vitæ ejus innocentia, Angelus est vocatus: à Principe verò Auriaco & Judicibus, ob animi magnitudinem mirificè dilaudatus, & militari magìs ducendæ cohorti, quàm adornandis Catholicorum sacris natus asserebatur. Cùm verò culpæ immunis deprehensus, à Judicibus absolutus, pristinis laboribus aliquamdiu se restituisset, alium brevì Christianæ & veræ generositatis declarandæ campum illi cœlum aperuit, quando per æstatem sæviente etiam illic pestilentiâ, heroico ausu arma spiritualia omnia, vitæ & periculorum contemptor in eam deprompsit, neque pedem è conflictu retulit, donec ictu venenato prostratus ad stativa evocaretur cœlestia, postquam septem propemodum annis Amersdorffij rem Catholicam impigrè fortitérque gessisset.

Lugdunum, sive Leyda, urbs utì armis & propugnaculis in hostem munitissima, ità Religioni orthodoxæ infensissima, in qua Sacris catholicis palàm operari non licèt, strenuis tamen è Societate Viris, & animam pro fratribus ponere paratis accessum hactenus non ità præcludere potuit, quin occultè subintrantes aliquot semper Religionis negotium curent. Hìc ergo miserabili rursum pestilentiæ æstu anno 1655. sæviente, dum laborantibus omnem opem impendit, mortalitatem explevit 7. Augusti P. Joannes Bisthove Antverpiensis, annorum 53. in Societate 34. professus quatuor votorum, octo annis Alosti & Lyræ Rector, unde ad Apostolicam Holandiæ Missionem destinatus est, quinquennio in eadem incredibili animarum & ærumnarum proventu versatus, dum animam, quam in adjuvandis peste ictis Alosti Rector jam antè exposuerat, Leydæ planè deponeret. Cum pertumultuosè non semel contra Catholicos plurima istic agerentur, neque vacare liceret consvetis officijs pietatis & ministerijs, aut in die Missam fidelium devotioni celebrare; illud ille damnum in sua lucra ità vertebat, ut duplum temporis asceticis suis exercitationibus adjiceret. Et cùm noctu clanculum Sacris operari eum cogeret necessitas, id verò se fidelis Custodis sui Angeli beneficentiæ debere ajebat, ut à somno temporì experrectus, illum pro ære campano haberet: nec à spe, aut experimento suo se unquam delusum meminerat, quin semper excitaretur interno quodam monitu. Ingenio erat ad obediendi artes ac numeros omnes facto. Venerat illi in mentem aliquando, ecquid in omnibus ex obedientia agendis maximè sibi arduum obvenire posset? visáque est durissima omnium fore Missio Holandica, ob periculum nitoris animæ ab omni specie labis abhorrentis, in tanta hominum & sectarum colluvie infuscandi; in quorum medio agendum esset in veste sæculari, nullam reverentiam, aut metum agendi & loquendi coram se quidlibet, in alios refundente; quam ille veste tanto affectu,

cùm Societatem inierat, exuiſſet. Et ecce tibi hujus ipſius adeundæ Miſſionis nuncium à Superioribus ſubitò accipit, ità eò primùm perculſus, quaſi ad illam mitti perinde eſſet, atque è Societate dimitti. At in DEUM ità ordinantem mox erectus obedienter ac promptè ità ivit, ſic ibi rem geſſit, ut publicâ omnium ſuffragatione datus illi Miſſioni divinitus videretur, ſive privatus vineæ illius partem aliquam excoleret, ſive univerſæ perinſigni cum fructu gubernandæ præeſſet: licèt non raro graviſſimis calculi cruciatibus miſerè torqueretur. Unum ſibi omnium laborum ac dolorum pretium ſufficere dicebat, ſi omni eo ſtudio ac operâ impensâ vel unum lethale peccatum in quoquam impedire poſſet: tunc enim videri ſibi ſecuritatem quandam ad DEI tribunal afferre poſſe, ſi omni impendio ab alijs avertiſſet id, quod unicè odit DEUS. Mortui cadaver mirâ ſecuritate à Catholicis, nullo infectionis metu, tractatum; & nobiliſſimorum quorumque privatâ veneratione inter copioſas lacrymas perhonorificè conditum: quippe ab ijs, pro quorum ſalute multa paſſus, intrepido pectore nec levia, nec pauca, & paulò antè mortem ferè carceres quoque adierit.

Silvæducis, quæ alijs Bolducum, alijs Buſcoducum dicitur, octo años Catholicis in medio infeſtæ hæreſis juvandis ſolandíſq;, Leydâ eò translatus conſtanter impenderat P. Hieronymus van Seurck, cùm eodem A. 1655. Urbem populante contagione, in ſuorum auxilium tantò ardentior aſſurrexit, donec eum inter peſte afflatos generosè agentem, plena fortiſſimæ charitatis vita defecit 27. Septembris, cùm annum expleviſſet ætatis 59. Societatis 44. vota ſolennia profeſſus. Is Antverpiæ honeſtis ac pijs ortus natalibus, rarò, nec facilè auditô exemplô, primus è ſuis ſex fratribus antecurſor nomen Societati dedit, & illos omnes poſt ſe traxit, qui Societatem complexi, veluti ſeptem filij Symphoroſam hoc numero, virtute, ingenio ac laboribus illam ornavêre. Quorum unus in itinere ad Indias occidentales interijt, alter illic in Paraquaria laboribus Apoſtolicis gloriosè immortuus eſt. Noſter Hieronymus autem Lovanij noſtris explicatâ Philoſophiâ, Aloſtano Collegio Rector quadriennium, Antverpienſi triennio præfuit, cùm priùs ibidem Theologiam Moralem doctè & publicè tradidiſſet. Applicatus Holandicæ Miſſioni præclarè rem Catholicam primùm Hornæ, ac deinde Sylvæducis promovit & auxit: unde ad Rectoratum Antverpienſem retractus, & ab eo Miſſioni mox reſtitutus, poſt Lugdunum iterum Silvæducum naviter ad obitum uſque excoluit: hæreticis quoque charus, qui bonum ſenem noverant, & diſſimulanter apud ſe ferebant. Ætatem illi non labores minùs & adverſa perſæpe tolerata, quàm morbi attrivêre, viſcera & membra variè paſſim torquentes: quos tamen ità ferebat, ut de laborum contentione nihil remitteret, quaſi dolores laboribus domaret aut mitigaret. Vicarius qui tunc in Holandia vicibus Epiſcopi fungebatur, auditâ Hieronymi morte dixiſſe fertur, perdere Miſſionem Holandicam Virum, cui parem vix noverat.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. FRANCISCUS PAVONUS.



FRanciſcus Pavonus, natione Italus, patriâ Cantanzarienſis, Societati adjunctus Anno ſalutis 1585. ætatis 16. Humaniores literas quinquennium, Philoſophiam decennium in ea profeſſus eſt; ſacras litteras quinque annis explicuit, lingvam verò Hebræam annis quindecim, & vota 4. nuncupavit; Vir fuit Divinæ gloriæ, & ſalutis animarum ſitientiſſimus. Quæ in ejus funebri laudatione ad populum publicè dicta ſunt, probante Archi-Epiſcopo, ab Oratore Carmelitanæ Familiæ, hæc ferè ſunt. Eum parentes priùs DEO conſecrârunt voto concepto, quàm gignerent; iterúmque cùm illum mater eniteretur, votum firmârunt. Mater cùm illum geſtaret, Paradiſum ſe quendam utero continere dicebat: tantâ Divinæ conſolationis copiâ perfundebatur, & teſtata eſt eadem, infantem ſe in aluo & vagire audiviſſe, & fari. Simul atque primus in auras effuſus eſt, infantulus quaſi jam Numen agnoſceret, procubuit ad horæ quadrantem in genua, conjunctis manibus, ocellis in cœlum defixis. Pueriles ejus luſus, & crepundia fuerunt arulæ, & ſacra; & à primis ungviculis condidicit DEO litare. Nunquam, vel cùm ſtringebatur in faſcijs, nutriculæ, aut ullius fœminæ ſvaviationes, quin brachijs, & vociferatione obniteretur, excepit. In Societatem ingreſſus, explicatu difficile eſt, quot quantíſque virtutibus inclaruerit. Ipſe profeſſus eſt aliquando, tam ſincero ſe DEUM amore complecti,



P. Franciscus Pavonus, Soc: Iesu, Italus, Apostolico Zelo omne genus hominum complexus; Sodalitijs diversis Clericorum præcipuè institutis, pietatem Christianam Neapoli mirificè propagavit: ubi plenus meritis decessit 25 Febr: 1637. Ætatis 68.

147.

plecti, ut ipsi uni optaret obsequi; ídque mortales omnes, atque etiam immortales latere. Cupiditate martyrij, dum vita superfuit, æstuavit; & quamdiu favit ætas, nunquam destitit Missionem Indicam flagitare; quâ nè excluderetur, sangvinis excreationem, quâ fatigabatur diu, Moderatores celavit. Exorârat jam semel profectionem, à qua cùm fuisset mox iterum prohibitus, acquievit illico, factus à DEO certior, plus se Divinæ gloriæ comodaturum, si bonam Clero vitæ formam induceret, id quod instituto Clericorum sodalitio, illísque ad omnem Apostolicam functionem, quàm latè patet Regnum, exercitis, abundè fecit. Verùm quò suam porrigeret industriam longiùs ad omne genus mortalium, ad Sanctimonialium cænobia, atque ad Parthenones, quos Conservatoria Neapoli vocant, frequens concionatum itabat: frequens ad remiges in triremibus, ad vinctos in custodijs, ad milites in naupegio hibernantes dicebat. Sodalitia bajulorum erexit, & olitorum, & ludimagistrorum: Oratoria sustentavit opificum: creber in angiportis, in compitis, nè quod hominum genus præteriret. Atque ut nihil deesset, aliorum Ordinum Religiosos toto latè Regno Antistites, ipsum etiam Christi Vicarium, nunc coràm, nunc per Epistolam conveniebat, ut his suis conatibus suffragarentur. Excurrebat in oppida, vicósque finitimos, etiam ætate jam fessâ, nec pensi quidpiam habebat pericula, quæ adibat. Semel his in expeditionibus crus infregit; aliàs modico minùs, quàm collum: sæpe invocatô sanctô Franciscô Xaveriô discrimen avertit, pluvias suspendit. Sexagenos

nos ex ſuis Philoſophiæ Auditoribus ad religioſæ vitæ conſilium induxit; at in Palæſtra Poëtices, etiam omnes ad unum, miraculo ad hanc diem inaudito. Judæum magni nominis, cùm fracto crure decumbebat, crebrâ diſputatione mollitum, Chriſto lucrifecit; eodémque tempore nè vacaret hortatore Sodalitas, ſe curabat ægrum legitimis diebus in exedram deportari, ſuóſque ad virtutem excitabat. Erat autem in dicendo tam vehemens, in ſumma alioqui verborum humilitate, quam ſemper adamavit, ut ad ipſius dictionem vel ipſi contremiſcere parietes viderentur; ut mirum non ſit, incredibiles motus animorum ſequi ſolitos eſſe perorantem. Nulla rerum difficultas illum unquam deterruit, quin id, quod ad DEI gloriam faceret amplificandam, aggrederetur animoſè, conſtantérq; promoveret. Sacroſanctam Evchariſtiam veneratione, atque exiſtimatione dignâ proſequebatur: tantúmque habebat certæ in ea fiduciæ, ut uno Sacrificio ſe crederet parem eſſe cuivis poſtulato extorquendo. Litandi quotidie morem adeò ratum conſtantémque habuit, ut vel poſtremis hebdomadæ ſacratioris diebus quæritaret Templa quædam infrequentiora, ubi ſacros ritus perageret. Morbo prohibente celebrationem, quotidie communicabat: & conſvêrat inde uſque à prima ætate octavo minimùm die ſacrum epulum frequentare, in quo uno dulciſſimas voluptates perſentiſcebat: quod genus pietatis, ut proferret latiùs, Sodalitijs eam imperavit: ut nimirum hoc alexipharmaco (quo nullum ajebat eſſe potentius) caſtimoniam illibatius tuerentur. Hanc ipſe virtutem ità coluit, ut intaminatam ſervâſſe virginitatem opinio fuerit; quam ipſe, cùm eſſet interrogatus à quopiam, viſus eſt verecundo ſilentio, quaſi nutu quodam tacito affirmâſſe.

Infantem vitâſſe mulierum baſiationes jam dixi: adoleſcentem ſe lupas duas in ſilva inter venandum adortas, honeſtâ fugâ ſuperavit. Nè quam inferioris ſexûs cogeretur aſpicere, dum ad eas verba faciebat, conſpicilia, quibus alioquin utebatur aſſiduè, deponebat. Omnino obſcæni nihil unquam legit, nè ad captandam quidem, ùt fit, latini ſermonis impuro in argumento puritatem. Moderatoribus ſuis tam erat ſubjectus, atque morigerus; ut ipſorum imperijs, de ſe tandem quidquid ſtatuiſſent, nunquam verbo, nunquam nutu reniteretur; ajebátque hac unâ parendi promptitudine ſibi certam conſtare ſpem ſalutis; quia ſcilicet nihil eſſet unquam niſi DEO auctore aggreſſus. Et auſus eſt aliquando aſſerere, immenſum ſibi gloriæ pondus in cœlo eſſe repoſitum, atque olim ab ſancto IGNATIO obviam effuſo ſe in gaudium Domini exceptum iri, ſpe certâ beatitatis vel ex una hac virtute conceptâ. Ceterùm eam ipſe ſatagebat non per bona duntaxat opera, ſed malorum etiam perpeſſiones certam facere: adversùs quæ ſe Chriſti Salvatoris erigebat exemplo, quo ſe meliorem haud eſſe, ut fieret immunis, prædicabat. Sæpè verbis aculeatè per injuriam perſtrictus, nihil inamænè unquam, nihil torvè reſpondit. Sectiones, uſtionéſque ſinè ullo doloris indicio ſuſtinuit, negans ei fas eſſe, qui ad martyrium anhelaret, edere ſenſum infirmitatis. Dentes ſibi omnes excidiſſe, & gingivas acri plerumque cruciatu percelli, mirificè gaudebat, nè ciborum ullâ ſvavitate tangeretur. Otium ſibi nullum unquam fecit: multum, atq; attentè orare; multum ſcribere; nunquam vacuum fructu verbum proloqui ſanctũ habuit, uti & leges omnes Societatis ad ungvem ſervare; & id quò faceret religioſius, eas ſuâ ſibi manu deſcripſerat. Amorẽ conſangvineorũ ità exuerat, ut nè Parentem quidem unquam ſuum, ex quo in Societatem ingreſſus eſt, aut viſerit, aut allocutus fuerit, præterquam cùm ex Provincialis imperio, bene ſibi ab illo precari poſtulavit. Quiſquis homini familiarior fuit, ſanctimoniæ laudẽ illi dedit; quos inter fuerunt æſtimatores optimi, quia virtute clariſſimi, Robertus Cardinalis Bellarminus, Petrus Antonius Spinellus, Bernardinus Realinus, Julius Mancinellus, quorum de ipſo teſtimonia ad manus ſunt. Multa ſupra vim humanam ab eo patrata certis teſtibus conſtat. Sacerdotem infirmum ſolo contactu ſanitati reddidit: Febrim malignam excuſſit homini, cui manum ſuam tertiò exoſculandam porrexit: dœmonium ex obſeſſo exturbavit imperiô, ſanctiſſimæ Trinitatis nomine invocato. Quatuor Sacerdotibus interitum minatus eſt, niſi frequentarent Sodalitatem, & quindenum curriculo dierum omnes interierunt. Adoleſcentem ſibi antea ignotum ſolo intuitu cognovit caſtimoniæ, atque integritatis ſedulum eſſe cultorem: ſibi, aliiſque moriendi tempus rato eventu diu antè definivit. Viſus eſt in cætu Sodalium ſemel iterúmque toto vultu radiare. Hominem neſcio quem inſano ſtudio adversùs illum litteras ad Generalem Præpoſitum molientem, DEIpara ab incepto deterruit. Cadaver ejus molle, & flexibile toto quatriduo, ſinè graveolentia perduravit. Reliquiæ ægris impoſitæ depulerunt haud unâ vice langvores. Exequias illi ce-

celebravit Clericorum Sodalitas, quam instituit, tantâ frequentiâ, & apparatu; ut opinio sit nulli unquam de Societate sic fuisse parentatum. Templum Collegij convestitum undique panno lugubri; Epitaphia passim, & lemmata appensa; funalia accensa plurima; tumba, quam doloris castrum vulgus appellat, excitata, cereis undique collucentibus maximo numero. Nucerinus Antistes sacris solemniter operatus est habitu Pontificali: adfuit Eminentissimus Cardinalis Boncompagnus Archi-Episcopus Neapolitanus, cum Metropolitano Capitulo, jussis accedere Canonicis præter ejus Ecclesiæ morem; quia nimirum justa ea solvebantur viro, non singulari dumtaxat sanctimoniâ, sed cui uni referret acceptam ea Ecclesia pulcherrimam Cleri speciem, quâ fulgeret. Panegyrim texuit ex Carmelitarum Familia concionator egregius; quem Cardinalis jussit ea omnia proferre in publicum, quæ à me perstricta sunt: de Pontificis Urbani VIII. imperio, quo vulgari prodigia vetuit hominum nostri ævi, suâ auctoritate securum. Decessit vir eximius, post continuatos ad multam ætatem labores Apostolicos, Neapoli 25. Februarij, anno salutis 1637. ætatis 68. Multa elucubravit tum Latinè, tum Italicè Pavonus ad publicam salutem.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 3.

P. PETRUS PAZMANY S.R.E. CARDINALIS.

Magnum Hungariæ sæculo nostro Sidus, & conservandæ augendæq; in Patria sua Religioni Orthodoxæ Apostolus à DEO datus, Petrus Pazmany, natione fuit Hungarus, patriâ Varadiensis, vetustâ nobilitate, ducto etiam sangvine per Margaretam Massariam matrem suam, ex Marchionibus Massæ Italicis, clarus. Et quidem hunc tantum Virum merita sua, & præcipuè ardentissimus animarum zelus, à privata conditione ad eminentissimum Ecclesiæ candelabrum extulerunt, creatum primò Archi-Episcopum Strigoniensem, Regníque Hungariæ Primatem, ac tandem S. R. E. Cardinalem. Societatem JESU à prima statim ætate complexus anno 1587. tantos fecit progressus in omni virtutum genere, & literis, ut in Academia Græcensi summâ cum approbatione Philosophiam & Theologiam publicè docuerit, & Professionem 4. votorum anno 1607. emiserit. Sed qui ejus fuit zelus animarum, & juvandæ Patriæ, non minùs hæresum tenebris, quàm Turcarum tyrannide oppressæ, Missionibus per Hungariam obeundis ità se impendit, ut eximiam suæ virtutis & doctrinæ commendationem apud omnes quidem, sed apud Franciscum Cardinalem Forgaczium, Archi-Episcopum Strigoniensem, præcipuè obtinuerit; qui propterea multùm ejus consilijs, dum vixit, usus est. Erat namque ingenio præstantissimus, judicio maturrimus, doctrinâ sacrâ profanâque probatissimus; eloquentiâ, etiam de pulpitis & prælo, dudum spectatissimus, rerum experimentis atque usu exercitatissimus. Has in eo dotes cùm agnovissent Hungariæ Magnates, & Mathias Imperator Augustus, vitâ functo Forgaczio, invitum reluctantémque ab Apostolica Sede postulârunt ad Infulas Strigonienses, ut labanti per Hungariam Orthodoxæ Religioni humeros supponeret, quibus nullos toto Regno magìs idoneos, magìs oneri pares esse cognoscerent. Eas præcepto Pontificio adactus admittere, spem, quæ de se erat, minimè passus est esse vacuam. Hæreses, quod antè diu cœperat, & terrere perrexit, & perfidiam profligare, tum pro suggestu publicè in Templis Paulino spiritu Evangelium prædicando; tum privatis congressibus, tum scriptis lucubrationibus hæreticorum errores configendo; quarum tituli, diversis 17. operibus ab eo vulgatis præfixi, ab Alegambe in sua Bibliotheca Scriptorum Societatis recensentur. Nobilitatem Hungariæ potissimam tempestivâ comitate, & sui promiscuè omnibus indulgentiâ, ac morum svavitate, ad Orthodoxos reduxit. Cleri verò quàm exactissimam formam instituit, legibus, censurâ, celebratis aliquot Synodis, disciplinâ, repurgatione; morum ipse integritate venerabilis, disciplinæ rigore formidandus, honoris Divini studio fervidus. Ædificia sacra Regijs pene expensis excitavit, vel collapsa restauravit: Ædem Cathedralem Tyrnaviæ, Cœnobium S. Claræ, & Societatis JESU Collegium Posonij exstruxit, & plenâ fundatione dotavit: Asceterium Franciscanorum in Arce nova.

Demum ob meritorum magnitudinem, & spectatissimæ virtutis, postulante Ferdinando



P. Petr9 Pazmany S.J. Ungar9, S.R.E. Cardinalis, et Archi-Episcop9 Strigōiensis, fundatis Clericorū Seminarijs, Religiosorū Domicilijs, Concionib9 & libris contra hæreticos editis de Ecclesia Cathol: et Ungaria optimè merit9. Obijt Posonij A° 1637. 19 Martij. Ætatis circiter 67.

148.

nando II. augustissimæ memoriæ Cæsare, cui Pazmanus summo erat in pretio, Romanâ Purpurâ à SS. Domino nostro Urbano VIII. Pontifice Maximo donatus est anno 1629. quam ipse è veteris Ecclesiæ majestate ità sustinuit; ut summum illud dignitatis fastigium religiosâ humilitate decoraret. Legatus ab eodem Imperatore ad Urbanum Papam, pro Ecclesiæ Germanicæ emolumentis, in sui admirationem Romam convertit: tantam oris majestatem, tam robustam eloquentiæ vim, tam profundam omnis sapientiæ, humanæ ac Divinæ ubertatem, tam singularem prudentiam, excelsum animum, constantiam, in agendo svavitatem, in urgendo dexteritatem, absolutissimam denique in uno homine & Principis, & Religiosi formam exhibuit. Societatem nostram, quam matrem suam & agnovit semper, & appellavit, benignissimè fovit, & beneficijs prosecutus est: de qua literis fundationis Collegij Posoniensis locutus: *Societatem*, inquit, *sicut animam nostram complectimur.* Eandem in Collegio Jaurinensi multis difficultatibus conflictantem adjuvit; in Homonense verò Collegium pene amissum, restituit: Tyrnaviense & locupletavit priùs, & insigni Academiâ, quæ prima unquam in Hungaria excitata est, auxit. Collegia educandæ juventuti in Cleri Hungarici Seminarium, Viennæ & Tyrnaviæ fundavit, & Societati administranda attribuit: quo vel uno nomine mirum quantum illi debeat universa, quàm latè patet, Ungaria. Demum cùm nova moliretur in dies ad amplificandam DEI gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ dignitatem, paucis post pijssimum Cæsarem Ferdinandum II.

II. diebus, cujus obitum incredibili ſenſu exceperat; Poſonij, dum Viennam ad novum Cæſarem Ferdinandum III. conſalutandum maturat, in morbum incidit, quo brevi conſumptus eſt, die 19. Martij, anno 1637. ætatis circiter 67. Pro defuncto indicta ſunt per totam Societatem 9. Sacrificia, & totidem dicendæ Coronæ, tanquam Fundatore trium Collegiorum.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Nierembergij Tomo 3.



P. Ioannes Gerardi S.J. avitâ Nobilitate Angl. carceres, torturas, multas calamitates in animarū procuratione expertus. Obijt Romæ 27. Iulij 1637. æt: 80.
149.

P. JOANNES GERARDI.

NAtus eſt Joannes Gerardi, qui poſtea latendi causâ in Anglia Thomſoni agnomen aſſumpſit, in Angliæ Comitatu Lancaſtrenſi, Parente nobili Catholico Thomâ Gerardi, carceris pro Fide diuturnâ tolerantiâ inſigni; Latinis & Græcis literis eruditus à Magiſtris Catholicis ad añum uſque 16. ætatis Oxonij, in Collegio Exceſtrenſi. Brevi illinc coactus eſt excedere, quòd Comunionem in Paſchate de manu Calviniſtæ Miniſtri ſumere recuſaret: quare domi aliquamdiu inſtitutus, poſt triennium migravit in Galliam, Rhemiſque multa de Societate JESU audivit à quodam, valetudinis causâ è Tyrocinio Societatis Româ dimiſſo, cum quo arctiſſimam inijt familiaritatem, ſed quæ non deliciabatur niſi in Divinis, & in volutatione operum ſancti Bernardi & ſancti Bonaventuræ. Ex quo-

rum, & sodalis præcipuè sui magisterio doctus orationis, quæ mente peragitur, methodum, ejus deinceps horas non metiebatur clepsydrâ, sed sapore pietatis: simúlque ardentissimum desiderium concepit ineundæ Societatis. De cujus Instituto ut plura resciret, simúlque Philosophiam prosequeretur, Parisios ad Collegium Claromontanum concessit: sed primo statim anno gravi afflictus morbo, ubi convaluit, proficiscitur Rothomagum cum Thoma Dabishier (quo utebatur directore) ut recèns illuc appulsi Personij exoraret opem ad Societatem obtinendam: qui collaudato pio adolescentis animo, ante omnia illi auctor fuit ut in Angliam rediret, valetudini in patria aura firmandæ, & rei domesticæ cum amicis componendæ, nè de illa inposterum quosvis in casus esset vel sollicitus, vel memor. Confectô per anni spatium negotiô, furtim ex Anglia cum alijs Catholicis Galliam repetentem, sæva quinque dierum tempestas Dubrim repellit, à cujus Magistratu pro fugitivis Catholicis comprehensi, Londinum ex Parlamenti sanctionibus mittuntur, omnes in compedes, Gerardio excepto, conjecti, cui nobilitatis fortè intuitu parcitum: sed datur materno avunculo Protestanti pervertendus; id unum ab eo impetrare conantibus hæreticis, ut vel semel in templo illorum videndum se sisteret. Exhaustis in irritum avunculi conatibus, suas pariter frustra in eo periclitatus est fraudes Londinensis pseudo-Episcopus Elmerus, ac demum Reginæ Elisabethæ Consiliarij: à quibus carcere Equitis Martialis clausus, & ad tribunal bis productus, Catholicam veritatem eâ defendit generositate, ut mulctam indè retulerit 800. aureorum, ad perpetuos insuper carceres damnatus. Potentium tamen amicorum intercessione post annum tolerati carceris liber pronunciatus est, dato, si quando revocaretur ad tribunal, qui eum repræsentaret, vade. Hunc ille nactus est utì genere Nobilem, ità Catholicæ Fidei ardore ferventem; qui, quidquid tandem se futurum esset, fugam ei ab Anglia permisit.

Romam ergo contendit cum Guilielmo Holto, futuro Seminarij Anglici Rectore, cujus & Personij consilio (ut tantò magìs deinceps in Anglia lateret) intermisso in publicum Societatis ineundæ conatu, ad Sacerdotium celerrimè, propter adversum valetudini cœlum, suscipiendum se disponit, auditis solùm quæ de moribus & fidei controversijs in Theologia traduntur quæstionibus. Ut tamen interim Societati se probaret per ea, quibus Tyrones exercerentur experimenta, serviebat per intervalla in culina Anglorum Seminarij, Xenodochia invisebat, & humiliora reliqua obibat. Sacerdotio suscepto, destinatus continuè in Angliam cum Patre Eduardo Oldcorno, ipso profectionis die (qui erat assumptæ in cœlos DEIparæ A. 1588.) cooptatus legitimè est in Societatem à Generali Claudio Aquaviva; discedénsque ab urbe, Basileæ Sacerdoti apostatæ persvasit, ut omissâ pellice ad Ecclesiam se reciperet; cujus deprecationis veniæ ad Episcopum literas secum ipse tulit. Augium delati crebris terrentur nuncijs, totam metu Classis Hispanicæ custodijs vallari Angliam, nec solùm portus, urbes & pagos singulos, sed deserta etiam & avia illis sepiri: & quisquis accederet vel Anglus, vel externus (nisì aliunde sat notus) teneri ùt suspectum de fide & proditione. Magnâ nihilo secius animi excelsitate in DEUM erecti condicunt cum Navarcho viro bono & fido, qui se illos spopondit securè transvectos expositurum ubicunque vellent; nec minùs fideliter præstitit. Nam post tridui navigationem in partes Angliæ boreales, utpote quò magis Londino dissitas, hoc minùs custoditas & solitarias, stetêre in anchoris è regione deserti littoris ad quartam noctis horam, in quod demum per tenebras surdo remigio scaphâ se ejecerunt. Erat nox cœca, pluvia, frigida, ùt solent in illo aquilonari gradu Octobri exeunte: ipsi verò quàm tenebris securè tecti, tam incerti quò cum luce verterent hærebant: ubi præsertim nascente die in Regionis interiora per calles fortuitos progredi cœperunt, & infeliciter adlatrantibus ad eorum strepitum villarum canibus, viciniam omnem in se excitari, séque in certam captivitatem prodi viderunt. Quare proximam nacti silvam in ejus densiora se induunt, & illic madidi, rigentes, taciti sustinent, quoad die jam claro Londinum versùs proficiscantur: & nè unà eodem calle progressi uterque intercipiantur, tenue viaticum inter se partiti, sorte viam deligunt, quam alteruter prior nemore egressus ineat. Quæ cùm in Oldcornum prior cecidisset, ille viam repentino consilio ad mare relegens, navíque Londinum petente receptus, superatis gravissimis periculis feliciter tamen Londinum tenuit, ùt in ejus gestis retulimus: *in Societate JESU ad sangvinem usque militante.*

Impeditiores habuit Londinum accessus Gerardius, ùt qui terrâ veniret luce palàm & in omnium oculis, nisì DEUS peculiari consilio adstitisset. Progressus siquidè è silvæ illius

illius penetralibus aucupem simulare decrevit, amissum accipitrem quæritantem, ideóq; transversis datâ operâ campis inerrare (vitandis reipsa excubijs & obvijs quæsitoribus) cœpit, circumspectare, figere oculos in arborum procera & maximè densa, subsistens, retrocedens, quærenti similis, & quærendo fessus, de inveniendo quod quærebat desperanti. Inter quæ si ex adverso procul rusticorum turbam vidisset, modò illos à se adverti dissimulabat, modò longè adhuc dissitos inclamans: *eja vos*, rogabat, *numquid fortè hàc circùm vobis accipiter comparuit, argenteo ad pedem circulo, nigricante plumâ, partitis hoc & illo colore alarum extremis*? pergebátque illis avem describere, ùt erat aucupij à puero mirè experiens, itâ scitè & exactè; ut aucupem amissâ volucre dolentem nemo dubitaret: quin jacturam dolentes requirentis laborem ultro juvarent, & cum eo sparsis sublimè oculis, in arborum obvijs cacuminibus falconem frustra indagarent. Ipse viros simplices præteriens iter sequebatur sparsim oberrans, missísque subinde in sepes lapidibus, notóq; in auras clamore ac vocibus, suum quem nunquam perdiderat falconem ad reditum sollicitabat. Milliaria octo per vagos, sed spontaneos errores itâ confecerat, cùm maris nauseâ fractus & fame triduanâ, quam illa aucupij ficta sed laboriosa simulatio acuebat, in diversorium secedit, narránsque de falconis perditi frustranea conquisitione cibo reficitur. Jumento deinde vili coëmpto in oppidum postridiè venit Nordovico vicinum, ubi à custodijs rogatus quis? unde? quâ causâ? suam illam de amisso falcone repetens fabulam haudquaquam satisfecit, ductúsque propterea ut gubernatori de se responderet, invenit illum cum suis in templo Calvinistico, ingresúmque ad illum ingeniosè excusavit. Prodiens itaque gubernator, parúmque illius responsis acquiescens, ad Conservatorem pacis rejecit; *quod erat perinde*, ait ipsemet in suis narratis, *ac eum carceri mancipare, & consecuturis equulei quæstionibus; deprehendendâ certò falconis strophâ, & Sacerdotis aucupe personati.* In hoc articulo extra opis humanæ remedium constituto succurrit momento Divina bonitas, fecítque illum dicendi lepore & agendi, Gubernatori subitò gratiosissimum, sic ut eum attentè contuens: *fers*, diceret, *quisquis es fronte tam ingenuâ, literas tuas commendatitias! nec te aliter apud me committam haberi, quàm deceat nobilem & virum præclarum.* Fecítque ei amplam quocunque vellet, Londinum etiam discedendi potestatem. Huc dum proficiscitur, in hominem incidit equitem mirè benevolum & comem, sibique tunc necessarium, captivandus omnino ante urbem, nisì eum in suburbanum hospitium sodalis secum adduxisset. Supervenit eodem mox Londino senex vultu gravi & modesto, de quo inquirens Gerardus, Catholicum esse insignem intellexit, tolerato haud pridem pro Christo carcere nobilitatum. Seductum itaque secretè de consilio & auxilio interpellat; & ab eo fidenter Londinum inductus, viro nobili Catholico offertur: hospitem hic optatissimum nobili induit schemate, & equo phalerato sublimem in pulchro servorum comitatu transmittit ad P. Garnettum, Anglicæ Missionis Societatis Superiorem. Quantum ibi utrimque fuerit inexplicabilis gaudij, salutationum, gratiarum, res ipsa loquitur, recepto contra spem Gerardo, quem dies jam multi frustra expectatum persvaserant ab exploratoribus alicubi interceptum, dudum siquidem illum Oldcornus adventu suo ad Garnettum præverterat.

Imminebant tum penitus festa Natalis Domini, cui cum Catholicis ritè celebrando funduntur Patres singuli in diversa: Gerardo assignatus est idem Nobilis, qui primus ejus fuerat hospes, cujus ab lare in viciniam latè excurrens, uberem animarum messem legere cœpit, continuatam deinde annos 18. per partem Angliæ maximam, perpessionibus, conversionibus ad DEUM, ferendo agendóque opulentissimos, quibus Catholicæ Fidei alios reddidit, alios ad perfectam Christiani hominis vitam extulit, alios ad diversas Religionum familias, & longam carcerum tolerantiam impulit, nonnullos etiam ad martyrij apicem. Atque his ille paulò pòst Reginæ ejúsque consiliarijs quàm notus, tam invisus, ludi erat instar continui, erátque jucundum cernere quàm vafris & malitiosis captaretur artibus, quámque vice versâ jucundis & inopinatis modis DEUS in ejus tutelam illas elideret. Locum semel domesticus proditor Londinensi Prætori monstraverat, in quem horâ post noctem mediam alterâ multis Catholicorum Gerardus condixerat: sed eundi copiam præter morem, nullâ aliâ causâ, quàm animi potenter reluctantis instinctu Garnettus negavit. Eâdem nocte capitur domus à Prætoris satellitio, comprehensi Catholici quatuor, in quibus Fulwoodus Gerardi famulus mox ergastulo tam arcto sepultus, vix ut hominem caperet, ubi manipulum vetusti straminis in lectum invenit, animalculis tot fœdis formicantem, ut quò se ab ijs defende-

 ret,

ret, cogeretur contracto in glomum corpore in obstructæ fenestræ cavo dormire, idque menses non paucos, diu noctúque vestitus & ocreatus, tam dirâ insuper ex putridis pridem excrementis præfocatus mephiti, ut strangulari sibi perpetuò interclusis faucibus videretur. Tortus est postea crudeliter eqvuleo cum socijs, sed nè verbum quidem exprimi de Gerardo potuit, tanta fuit fides & magnanimitas hominibus licèt vilibus, & humili loco natis.

Verùm quàm fidus Gerardo Fulwoodus, tam proditione infidelis fuit servus alius, familiæ quondam certi Nobilis, Gerardi hospitis adscriptus, tum verò sui juris factus. Erat is professione hæreticus, sed Nobilis domui ex antiquis obsequijs familiari confidentiâ asvetus, nihil eorum quæ domi fierent ignorabat: sangvinolentum interim animum sedulitate in Nobilem patronum & amore prætexens tam tenero, ut lamentaretur palàm pericula & mala, quæ ipse machinabatur in eum dàm, & fidelissimi obsequij specie expiscaretur ex eo omnia, quæcunque ad Gerardum attinebant, deferrétque sinè mora Londinum ad Capitalium Judices. Verùm Gerardus nunquam se illi videndum præbuit in schemate Sacerdotali, qualem tamen furcifer facilè suspicabatur ex reverentia, quâ eum Nobilis cum sua domo prosequebatur singulari. Igitur nummos tercentum pactus cum delegato capitalium Youngo, spondet die certo ex domo Nobilis suburbana Gerardum à se Londini sistendum. Mittuntur horâ à proditore designatâ satellites, sed præter Nobilem domi neminem reperiunt, quem in lectione Hieronymi Plati *de bono statûs Religiosi* deprehensum, in carcerem abripiunt, famulum tamen ad obsequia unum indulgent, nempe illúmmet à quo proditus fuerat, eâ fidelitatis simulatione Nobili se commendare pergentem, ut eo internuncio literas omnes ad Conjugem mitteret in palatium suburbanum, consvetum Patris hospitium. Sacra agebatur Christi patientis hebdomada, & Gerardus Divina officia peragens à proditore ibi adesse notatus est: jubet itaque feriâ 2. Paschæ mitti satellites, à quibus parùm abfuit quin ad ipsum altare prehenderetur, nisì solerti industriâ Materfamilias præcavisset. Armatis enim, latrones illos & prædatores à se credi simulans, portas occludi robustis vectibus imperat, & aditu arceri, donec nudato altari Pater securâ latebrâ conderetur: tum demum velut primùm agnitos à Magistratu ablegatos admittit. Occurrit magnâ vi irrumpentibus, qui tum præsens aderat cum servis proditor, & audaciùs reliquis increpat: vim queritur atque injuriam domui illatam, vociferatur, minatur, tam veraci & fido similis, ut ipsam quoque cum domesticis falleret dominam. Duplicem habebat domus latebram, unam subterraneo in plano satis amplam, vino semper & pane instructam, nè quem famis diuturnæ adigeret rabies ultro foras prodire: alteram ùt tutiorem, sic angustiorem & valde incommodam, multóque in famem subsidio munitam, cujus aditus latebat sub eleganter ornato cubiculi camino, sub quo erat in illam intra solidum murum cavatam descensus, lignorum autem strues supra focum semper velut ad accendendum parata, nè quid subtus latere suspicari quis posset. Hanc Pater invitus subijt, majorem alteram præoptans, nisì palatij Domina obstitisset, Divino utrumque consilio, quo utrique vita servata est. Recensitis domesticis omnibus ubi Gerardus non comparuit, totâ domo illum improbo labore integrum triduum scrutantur, muros perfringunt, lateres pavimentis effodiunt, labore ubique inutili. Die igitur jam tertio Londinum redituri, captivam secum Dominam abducunt in carcerem: priùs illa quàm abiret, scelestum proditorem sevocat, quo fideliorem ex suis credebat neminem, indicátque latere Patrem ad conclavis lacunar, cujus parietes rasum vestiret sericum, curam ipsius gerat majorem quàm suimet Dominæ ipsius commendat, ratáque se perspicuè percipi, captiva discessit. Aliquantum viæ confecerant, cùm anhelus satelles, quem cum excubitoribus alijs domi reliquerant, adest à proditore submissus, regrederentur læti, compertas sibi jam esse Gerardi latebras: reductos in designatum ab hera scelesto cubiculum rectà inducit, latebram tamen indicare nescivit, cùm ignoraret illius aditum sub camino latere. Dilatâ in diem sequentem acri & ultimâ vestigatione, qui in cubiculo agebant excubias ignem foco subjiciunt, fabulantúrque mira de Gerardo, quæ omnia distinctè ipse percipiebat, quarto jam die famelicus, at deliberatus centies potius illic mori, quàm suis per quadriennium hospitibus, sui apud illos deprehensione, ultimi supplicij causa esse. At ecce paulò pòst camini in pavimento lateres vel malè commissi, vel igne hiantes, rimas agunt, carbones pene in caput Gerardi decidunt, & militum unus causam vitij scrutatus, cùm lateres tabulâ sustineri deprehendisset, socios monet posse ibi aliquid latere. Sed commissa est postero diei inquisitio exactior, quàm nisì

nisì DEUS incogitantiâ illorum discussisset, actum erat de Patre totáque familia. Nam Divino planè miraculo factum, à manè ad usque vesperam cuncta scrupulosissimè explorantibus, ut suspicio illa & cogitatio de camino nunquam redierit, quod continuis eâ nocte precibus à DEO Gerardus petierat, nè hospitibus suis damno esset. Vis fabrorum tota in inferioris conclavis lacunar incubuit, cujus in parietis solidi cavo Pater latebat, pulsando circa illum, frangendo, vertendo universa. Major illis tandem patuit latebra, in quam Pater optârat descendere, læto clamore triumphantibus feram se in cubili suo cœpisse: sed cùm vacuam cernerent, stultum putârunt ulteriùs quærere, quem vacuum latibulum effugisse monstraret. Nec fabri unius monitum, parietem camini sub quo Pater latebat tentare volentis, attenderunt, cùm dicentem Gerardus audiret, posse illic tutissimum condi latibulum: vetitus enim est à delegatis tam elegans camini opus labore damnóque inutili perdere. Quare desperato negotio sub occasum solis in urbem redeunt, relictâ in palatio Dominâ, quòd nihil invenissent ejus innocentiæ opponendum: quæ ab ipsorum discessu firmatis ante omnia securè portis palatij, suum Lazarum è sepulchro quatriduanum tandem evocat. Erant uterque tam sui dissimiles, ut nisì ex voce & habitu non agnoscerentur: & ipse quidem coactâ omnis cibi potúsque, illâ verò spontaneâ quatridui fame, ut experiretur in se, quamdiu posset cibo quis citra mortem carere: quam ubi sensisset defectu virium instantem, Patris latibulum erat ipsa ultro manifestatura, nè illum tacendo occideret. Emerso è latebris Patri vaferrimus proditor occursare cum primis, gestire gaudio, gratulari; nec tamen posse iterum scrutatores revocare, quòd mittendo careret nuncio, & Pater discessum festinaret.

Non multò pòst condictâ Londini domo alterâ Gerardus, ultroneum nactus est hunc ipsum proditorem servum & internuncium, quô ad commercium literarum cum veteribus amicis uti cœpit. Dum per eundem præstolatur responsa, post noctem mediam irrumpunt satellites, fores validis ictibus & ferali clamore quatiunt; primo somno excitus Pater, qui sub mediam noctem advenerat, suspicatúsq; quod res erat, gratijs DEO actis quòd in conducta domo caperetur, ubi nemini damno futurus esset, Nicolaum Odoënum personatum suum servum, aliàs Societatis Coadjutorem, & pro fide in Anglia martyrem, jubet literarum à plurimis Catholicis fascem intra foci cineres condere, móxque se lectulo reddere. Vix decubuerat, cùm implet cubiculum satellitum turba, ambos comprehendit, & in Computorij arctum subtegulaneum ergastulum detrudit, tam pestilentis & acutæ graveolentiæ, quantam poterat expirare cloaca, in quam totius carceris sordes omnes confluebant. Crassas tamen priùs Gerardo compedes ex ferro inducunt, quas osculo salutatas amanter complexus est; sistúntque tribunali, in quo sponte confessus est Sacerdotem se è JESU Societate esse, missum in Angliam ut homines ad agnitionem & amorem DEI veræq; fidei induceret: ideóq; in id toto adnisu incumbentem, conatum fuisse insuper omnibus persvadere obedientiam Divinis & humanis legibus; neque ullatenus rebus publicis & statûs se implicuisse, nisì in quantum omnibus observantiam in Reginam inculcârit. Quarto incarcerationis die iterum pro tribunali stans duorum tantùm Cognitorum, Youngi & Topcliffi, cùm de Catholicis & hospitibus suis rogaretur, negavit se unquam dicturum, quæ sinè DEI, conscientiæ, & fraternæ charitatis offensa prodi non possent. Hìc verò Topcliffus correpto ense, assimilatóque in carnificem vultu: *nostìne me?* inquit, *& de Topcliffo aliquid audisti?* cui Gerardus imperterriti si quis alius pectoris, territari se videns à crudeli sene: *neque os tuum*, reponit, *efferatum, nec ensis tuus, nec quidquam usquam est aut esse potest Topcliffforum, efficiet ut dicam, quod nolo; quia nec debeo, nec fas existimo.* Indè quæsitis Youngi modestè observantérque satisfaciens, priori duriter deinceps & contemptim respondit: & poscenti responsum quoddam manu Patris scripto reddi; illud conscripsit manu itá deformatâ, ut ex ea familiaris suus character agnosci non posset: delusítque eâ ratione veteratoris artem, qui ex characteris similitudine volebat contra illum evincere, ipsius epistolas aliquot esse autographas. Quo Topcliffus se lusum pariter & deprehensum cernens excanduit, & rabiosè: *faxo*, inquit, *faxo meas in manus incidas! illic cum te tuis suspendero manibus, otiosè spectabo, num te tuus JESUS mihi eripiat!* *Facies hoc solum*, refert Pater, *nihil præterea, quod DEI concessu poteris, nec tam futurus sum in tua potestate, quàm in ejus tutela.* Inter hæc cùm quædam ab eo dicta objicerentur, quæ extra proditorem illum, hactenus existimatum fidum, nemo ex eo audierat, nemo referre poterat, & præterea idem adhiberetur testis ve-

stium

ſtium Gerardi apud Nobilem herum ſuum relictarum: intellectum tandem eſt quo proditore tragœdia hæc tota ageretur.

Reducto in carcerem mandat Topcliffus indui graviſſimas compedes, quibus ſervo DEI adſtringendis illacrymabatur ipſe curator carceris, dolens ſe tam inhumano miniſterio adhiberi: demum trimeſtri expleto ejus carceris, equuleo tortus eſt Fulwoodus ejus famulus, & Nicolaus Odoënus ſocius, ſi quid ab ijs in Gerardum exprimi poſſet. Sed cùm extorqueretur nihil, quo cauſa ejus fuſcari poſſet, translatus eſt in liberiorem Clinki cuſtodiam refertam Catholicis, quos induſtriâ ſuâ ad omnem pietatem excoluit; ut fateretur plus in ea ad animarum profectum contuliſſe, quàm ſi liber Provinciam peragrâſſet. Et tenebatur ille quidem ſolitario carcere, muro duntaxat ab Odoëno ſejunctus: conciliato nihilominus multâ benevolentiâ cuſtode, ſuo arbitratu cum illo agebant Catholici captivi omnes, conceſsâ poſtmodum plenâ conveniendi invicem velut in communi contubernio poteſtate: eam inſuper libertatem à Carcerario liberali mercede pacti, ut nunquam ſuo interventu, niſì vocaretur, turbaret eorum colloquia, quod ùt ſpoponderat, religiosè præſtitit. Hâc igitur uſi opportunitate coibant omnes in carcerem ſuperiorem pro Sacello; illic Miſſæ ſacrificij, Confeſſionum & Communionum, Exhortationum, quin & tradendorum S. IGNATII Exercitiorum munia obibantur; eo ſucceſsûs proventu, ut ex ijs poſtliminiò carcere dimiſſis multi facti ſint quà Religioſi quà Sacerdotes, & decem ab hæreſi revocati, quorum duo Societatem deinde; quatuor alij alias religiones complexi ſunt, duo autem fidem Catholicam ſangvine etiam fuſo tutati. Addendi his veniunt magno numero adoleſcentes & pueri, quos literis & directione ſuâ in Belgium, Hiſpaniam, & Romam ad Seminaria tranſmiſit: item qui regrediebantur in Angliam Sacerdotes & Religioſi diverſi, quibus omnibus de victu, de tecto, hoſpite, de occupationibus & latebris providebat, in conductis ædibus eleemoſynis alebat. Adibatur enim liberè & ſecurè indulgentiâ Cuſtodis, dummodo vel mediocrem cautelam adhiberent, à Catholicis omnibus, Londinum & vicinas Urbes incolentibus, ſive confeſſionis aut conſilij, ſive directionis ad perfectionem gratiâ: ut captivitatem ſuam tot fructuum uberem Gerardus ſibi gratularetur, neque libertate etiam oblatâ redempturus eſſet, nemine conatus ejus turbante; Topcliffo juſſu Reginæ carceri mancipato, Youngo miſerrimâ morte ſublato.

Hos tam uberes, fortunante cœlo, Patris labores, quibus cuſtodia in Domum religioſam vel Templum transîſſe videbatur, turbaturus dæmon, Sacerdotem perfidum & ſacrilegum excitavit ejuſdem carceris Clinkij incolam; quem miſerum, egentem, victu, hoſpitio, latebris, foris & in carcere Pater juverat, & matris etiam ac fratris ipſius converſione ad meliora provocârat. Huic nihilominus invidia rabida Gerardum fecit capitaliter inviſum, quòd ſuâ virtute Catholicorum in ſe tantam benevolentiam, ſtudia, & venerationem converteret: quem ſi Clinkio expelleret, ſperabat ſubiturum ſe ipſius loco: ſin autem; Judices ſaltèm delatione ipſius habiturum beneficos & obſtrictos. Monet itaque illos, Gerardum, ſe cernente, accepiſſe ex Belgio & Româ literas, earum aliquot ad Garnettum miſiſſe, conſilia cum illo, literas & nuncios miſcere, quòd omnibus libera ejus adeundi copia fieret. Mittuntur repentè tres fori miniſtri, qui omnia carceris Gerardi ſcrutentur; ſed cùm nihil, etiam veſtes ejus intimas excutientes reperirent, præter aſperum ad nudam carnem cilicium, in turrim Londinenſem traducunt, dolentibus ejus diſceſſum captivis omnibus, etiam hæreticis, ipſóque cuſtode incomparabili dolore deflente. Ibi antro omnium infimo includitur, quod manè ſequenti evigilans, ex inſcripto ad parietem nomine, agnovit idem eſſe, in quo P. Henricus Walpolus quaterdecies immaniter tortus fuerat. Tertio die ad examen accitur quinque Judicum, in quibus eminebant Guilielmus Wadeus & Bartleyus: in quo, & in ſequente equulei tortura quid geſtum ſit, placet ipſius verbis ex fuſa omniũ narratione referre. De rebus ſtatûs publici rogatus: *captum me*, reſpondit, *tenetis jam triennium, prodeat ſi quis eſt, qui poſſit mihi affingere, dictum aliquid à me vel ſcriptum, quod non unicè pertineat ad ſalutem & converſionem animarum: hoc me unum in Angliam revexit & tenet negotium; præter hoc aliud nec habent, nec conſcientiâ integrâ habere poſſunt homines de Societate.* *Atqui*, intulit unus ex Cognitoribus: *iſta literarum tam crebra communicatio cum Garnetto Regni & Reginæ inimiciſſimo, conjecturam præbet novarum rerum, & collata cum eo proditore conjurationis, ut purgari non valeat niſi denunciatis ejus latebris.* *Ego*, retulit Gerardus, *tam longè à vero hæc de Garnetto eſſe certò ſcio, ut poſſim juratus affirmare, nullam ejus in venis ſtillam ſangvinis eſſe, quam non ſit pamtus pro Regina & Regno fundere. Ceterùm ubi ſit nec ſcio, neque ſi ſciam vobis proditurus ſum,*

ſum, quia ſalvâ conſcientiâ non poſſum. Torquendus itaque es, inquiunt, *quoad vel anima à corpore, vel quæſita ab ore exprimantur.* Quibus ille, nolle ſe omnino dicere, repoſuit, quo DEUS offenderetur: cæterùm nunquam ſe in eorum manibus ità fore, quin foret magìs in DEI tutela. *Sub hæc ſequor,* ſcribit ipſe, *præeuntes ad horrendam ſpecum, reis torquendis deſtinatam: & ibant velut ſupplicabundi, portantibus funalia famulis, & prælucentibus ad ſubterraneum ingreſſum vario inſtructum cruciatuum apparatu, quorum ſingulis eſſem admovendus: quærebántque iterum, num vellem denique imperatis parere? negavi me poſſe, flexiſque genibus pauliſper oravi.*

Producor indè ad alteram ex duabus ligneis columnis, cujus ſumma ex parte porrigebant ſe quædam ex ferro inſtrumenta uncinis inſtructa, & annulis ponderi ſuſtinendo aptis: mihi arteria manûs diviſim utriuſque, circulo ferreo includitur, jubeórque duos vel tres gradus conſcendere, & ſurſum brachia tollere, quorum ſeorſim ad ſingula inſertus utrimque per manicas baculus, ſeorſim item per columnæ annulos tranſmittitur, fulcra demum quibus inſiteram ſubducuntur, & corporis totâ mole de manibus pendeo. DEUM aliquamdiu precatus, interpellor, vellémne tandem quæ poſcebantur dicere? nolo, inquam, *quia nefas ſcio; erátque jam tanta doloris acerbitas, ut illa verba ægrè proferre potuerim. Vexabat autem potiſſimùm tormenti acerbitas pectus, ventrem, brachia & manus, in quas mihi videbar quidquid in corpore ſangvinis mittere, & extremis expreſſum digitis fundere, quod tamen non fiebat; ſed intumuêre tam enormiter, ut manicas ferreas tumore ſepelirent, eóque accrevit dolor, ut animo linquerer, nec putarem poſſe diutius perferri. Illa tamen refovebat cogitatio, quòd optâſſem pro Chriſto millies mortem oppetere; quo deſiderio moriendi recreatus eſt non mediocriter ſpiritus, visíque dolores minui. Judices meo abacti ſilentio carnificibus me ſervandum committunt, adjuncto mei carceris cuſtode, qui fronte ſudorem detergebat, quo totus continuò madebam. Poſt horam correptus deliquio, ſed brevì, nam pondus corporis tantiſper ſtatim brachijs erexêre, quoad animum recepiſſem: atque hìc denuo dum me advertunt reſtitutum, denuóque orantem, iterum me tormento admovent, quod factum eſt horarum quinque ſpatio novies. Redit tandem Wadeus,* & *vides,* inquit, *tuóque experiris damno, Reginæ parendum eſſe! dic ergo ſis vel nunc, quod tibi fuerat conducibilius antea dixiſſe. Ego, urgetis, inquam, idem quod antea, quod lege Divinâ obligor ut taceam: proin idem vobis quod antea reſpondeo. Ergo,* inquit diſcedens & fremens, *pendens putreſce, dum membra tibi fruſtatim defluant. Paulò poſt ejus diſceſſum ex tormento depoſitus, in pedes nequivi conſiſtere: reportatus igitur in meum carcerem, obvios nonnullos, quos ſinebat cuſtodia libera toto caſtro vagari, altâ voce alloquor, miror, inquam, majorem in modum adigi me ad prodendas Garnetti latebras, cùm nefas ſit cuivis prodere innocentem: hoc verò non faciam, etſi me ſcirem propterea millies moriturum. Hæc palàm ut dicerem duplex me ratio adegit: ut falſi arguerem mendaciſſimos Judices; qui, cùm præfuiſſent Sacerdotibus torquendis, jactabant, ab ijs hoſpites, conſcios, amicos fuiſſe vulgatos: altera, ut reſciret per aliquem eorum Garnettus, vigili ſibi oculo undequaque attendendum, cùm nihil æquè hoſtes averent, quàm ut ungves in eum injicerent.*

Adeſt poſtridie qui me Wadeo ſiſtat; interroganti eadem quæ priùs, cùm & ego eadem reſpondiſſem: hunc ergo, ait ad adſtantem, bis hodie torqueas, bíſque ſingulis deinceps diebus, dum pertinacia dometur. Referor hinc ad heſternam torturam, ſed non potuêre manibus indui circuli ferrei niſì intra ſulcos, quos grandes pridie impreſſerant: ſuſpenſo dolor quàm priùs atrocior vexabat manus & brachia, ſed mitior pectus & ventrem; quare mente & ore precando abſque deliquio duravi aliquamdiu, ſed repentè ſupervenit tantum, ut ſenſibus non poſſem reſtitui. De me ſolum hoc ſcio, ùt oculis uti cœpi, video me in trunco ſedere, Bartlegum Equitem turris præfectum, multóſque alios adſtare, fovere, refixis ferro maxillis liquorem inſtillare. Exprobranti mihi ſilentium, reſpondi, malle me millies emori, quàm hominum gratiâ DEUM offendere. Miſerari me viſus admonuit tamen, nondum tempus fluxiſſe torturæ deſtinatum; ergo, inquam, eamus: conatúſque fruſtra in pedes aſſurgere, alienis manibus ad meam columnam acceſſi, & hos mihi animos ſuggeri in Societatis gratiam agnovi. Alligatus ùt priùs ſummum quidem probavi corporis dolorem, ſed magnam animi voluptatem, profectam ùt reor ex deſiderio moriendi, & Chriſto fruendi. Mihi quidem certò videbar moriturus, ſed me nondum horâ integrâ pendentem Bartlegus demitti mandavit, auditus paulò pòſt dicere, abhorrere ſe ab innocentibus tam dirè carnificandis: trimeſtri verò pòſt, turris præfecturâ ſe ultro abdicavit. Meus quoque cuſtos cùm me lacrymoſus carceri redderet, narravit; uxorem, ex quo primùm columnæ applicitus fueram, nunquam à fletu & precibus ceſſâſſe,

sâsse, etsi me antea vidisset nunquam. Protulit is pauxillum aliquid quo refocillarer, sed emortuis ad omnem usum manibus cogebatur illud terere in minutal, orique indere. Reviviscentibus deinde sensim digitis, post menses tres sensus manibus rediјt, sed æger & stupidus; nec nisi post menses indè sex, cùm me turri subduxi, manus ad officium integre rediêre.

Restitutus suo carceri Gerardus ad novos se parabat cruciatus perpetuo cilicij usu, quotidianâ flagellatione, & uno continuo in totum annum jejunio; Exercitijs etiam S. IGNATII integri mensis animo sanctissimè exculto: sed Regij, desperantes quidquam tormentis ab eo exprimere, malebant ad Tiburnum in patibulo potiùs, quam in equuleo illum mori. Erátque id itá certò Judicibus constitutum, ut paucis pòst diebus Fisci advocatus illum fuerit ultimò examinaturus, aliíque cetera præmissuri, quæ solent ex praxi fori Anglici postremæ sententiæ præverti, nisi præter spem nihil tale cogitanti, obtulisset se occasio fugæ. Ex adverso ejus turris quâ Gerardus tenebatur, stabat altera turris horto interjecto, non longè à muro & flumine quibus Castrum Londinense vallatur, in qua decimum jam annum claudebatur Nobilis Ardenus Catholicæ Fidei reus, morti pridem adjudicatus. Emerat is à custode carcerum sibi & Gerardo copiam in tecti plumbei suæ cujusvis turris plana conscendendi, liberioris gratiâ auræ captandæ, ubi nutibus invicem salutabant, & signis mutuis colloquebantur, Ardeno mox ùt Pater comparuisset genua flectente, & modò sibi benedici, modò à peccatis per nutus explicatis absolvi postulante. Solebat eatenus Pater fallendæ pietati quotidie ex memoria recitare totam Missæ formam, & spiritualiter Christi Corpore refici; cùm festo S. IGNATII cogitatio illi incidit, posse rem Divinam ex vero in Ardeni carcere abs se fieri, si ab ejus conjuge sacer illuc apparatus clàm inferretur, cui pridem licebat bis quothebdomadis maritum adire, & lineam supellectilem aliáque necessaria in canistro afferre. Cogitatione hâc suâ per sufficientes nutus Ardeno indicatâ, postquam necessaria omnia ad sacrificandum adesse Gerardo constitit, noctis unius & diei gratiam morandi cum Ardeno in ejus turri à Custode nummo aureo mercatur, & nocte totâ in præparatione animi ad tantum mysterium ab utroque insumptâ, rem Divinam peragit, consecratis simul 22. particulis quas secum referret, & consequentibus diebus ad corroborandum in mortem animum sumeret. Hìc dum piè inter se de rebus Divinis postmodum fabulantur, advertunt turrim à muro & fluvio tam parum distare, ut non videretur fuga insuperabilis per funem, è turri super murum & fossam in ripam fluvij protensum. Consilio cum Garnetto per literas communicato, condicitur fugæ nox & hora certa, quam ut agere denuo Patri cum Ardeno liceret, auri pretio custos expugnatur. Post dimidiam noctem adfuturi erant in scapha tres viri fidissimi, quasi piscationi intenti, linteis candidis ad pectus, quo internoscerentur, præcincti, rudentem fortissimum apportantes, cujus extremum unum captivi demisso ex turri filo ad se attraherent, dum altero rudentis extremo nautæ ad truncum arboris in ripa firmiter adstricto, fossam & murum velut ponte junxissent: per quem tandem modo quo possent, DEO se commendantes, suis se brachijs demitterent. Jámque surdo remigio scapha ad turrim propinquabat, cùm eâ observatâ vir quidam è vicinia, altâ voce eos interpellare cœpit, ex quo deprehendi suos conatus metuentes, nocte illâ nihil tentandum putârunt. Dum verò prono Tamesi redeunt, pleno maris in eum refluxu abrepti, ínque trabes ponti substratas impacti perierant, nisi DEUM & homines in opem vocantibus navis, periculo par, accurrisset, & projectis è ponte funibus emersi constitissent, amisso rudente & scaphâ vix extracti, utì fusiùs in Societate militante de gestis Nicolai Odoëni retulimus.

Gerardus, qui cum Ardeno luctantes cum mari & morte spectaverat, clamorésque audierat, suo se manè carceri abdidit, omni aleæ denuo tentandæ cogitatione positâ. Sed jubetur missis literis, nocte sequente horâ eâdem adesse cum Ardeno, & redituros nautas opperiri. Extortâ ægrè duplâ Custodis mercede apud Ardenum pernoctandi veniâ, adest horâ statutâ cymbula, nocte post 4. Octob: proximâ Anno 1597. ex qua rudentis extremum demisso filo captivi ad se attrahunt, & ad æneum prostans è turri tormentum bellicum multis nodis & vinculis adstringunt, cujus caput alterum vicissim vectores trunco arboris ingenti in ripa colligant, & vehementissimè intendunt. Primus delabitur feliciter Ardenus, prærogativam hanc ei deferente Gerardo, qui malebat amicum hospitem quàm se præstare securum. Gerardus præcedentis onere laxato funi se committens, accitâ in auxilium DEI Matre, & ejus carceris duobus antea incolis Sacerdotibus nostris, Southuello & Walpolo, aliquantulum confecit viæ sub murum usque Castri; mox in-

ſupinum everſus; & quia jam ad aſcenſum contra depreſſum funem connitendum erat, diuturno conatu & nervorum ex tortura defectu feſſus, pependit è rudente, nec digitum procedere ultrà valens, nec dubitabat ſe aquis præfocandum, cùm ruinæ proximus in foſſam immineret. Collecto nihilominus omni qui ſupererat ſpiritu, evaſit in murum foſſæ prætenſum, extremis pedibus tangendum; unde illum, adrepens Joannes Lillius traxit in terram propè exanimem, & cardiaco liquore recreatum cymbæ impoſuit. Pòſt ſecto rudente de turri pendulo, in adverſam Tameſis ripam celerrimè evadunt, & equis præparatis ad Garnettum paucis Londino milliaribus volant; quantis utrimque lætitijs excepti, cogitetur meliùs quàm narretur. Sanè Catholici noctis illius eventum communi indictâ vigiliâ & precibus DEO commendabant, largitate in pauperes, jejunijs, afflictatione ſui, fortunari illum à DEO poſcentes; & ij quidem ex Urbis nobilitate primaria, in quibus fuit qui hebdomadarium ſibi dum viveret voto indixit jejunij diem, ſi recepiſſet Gerardum incolumem. Ipſe quin etiam in carcere Clinkio hæreticus Gerardi cuſtos, operam & vitam ſuam, tanta illi erat Viri innocentiæ & virtutis exiſtimatio, ei liberando addixit, fuítque ipſemet præter Lillium & Fulwoodum tertius nauta, qui ſcapham propriam negotio commodavit.

Ante digreſſum è turri Gerardus, ternas à ſe conſcriptas reliquit literas, unas ad Senatum Regium; alteram ad Arcis Præfectum; ad chariſſimum ſuum cuſtodem tertias: primis ad Senatum explicabat cauſas, cur ſibi eâ fugâ conſulendum exiſtimâſſet, quam arreptam affirmabat Præfecto Arcis & ſuo cuſtode inſcijs, nè qua illis culpa vel pœna adſpergeretur; alteris ad Præfectum gratijs humillimè actis, excuſabat ſimiliter à culpa inconſcium fugæ cuſtodem. Cuſtodi verò in tertijs promittebat, ſi fugâ conſulere ſibi velit (ſimul autem locum fugæ aſſignabat) quoad viveret honeſtam cum uxore ſuſtentationem. Jámque dies illuxerat, cùm ex fune ad latus turris dependulo compertum eſt quidpiam ab aliquo eſſe attentatum; curritur ad cuſtodias, Gerardus & Ardenus non comparent: quæritur cuſtos, at is lectis ad ſe Gerardi literis dum elabendi ſequitur conſilium, incidit in Virum à Gerardo cum equis paratum, & ſalvus in aliam Provinciam ad Nobilem centum Lodino milliaribus devectus eſt, 80. aureorum annuâ pecuniâ ad alendum ſe cum conjuge (quam poſt unius anni lapſum recepit) à Catholicis proviſus, & uterque in Eccleſiæ gremium incredibili ſuo gaudio receptus. Literæ ad Senatum inſcriptæ, in turris tecto repertæ ubi in eodem lectæ ſunt, alij mirabantur eventum, alij laudabant induſtriam: fruſtra quærendum cenſebant omnes, quòd faciliùs eluſurum quærentes arbitrabantur, quàm fefelliſſet cuſtodientes.

Porrò ut obiter hìc attingam fructus à Gerardo in turri Londinenſi ex animabus collectos, in ijs primariò memorandus venit Franciſcus Pages, qui paulò antè hortatu Catholicæ Virginis Gerardum in carcere Clinkio inviſens, ab ipſo Eccleſiæ ex hæreſi auctoratus eſt. Sed ubi tranſlato in Arcem loqui ampliùs non licuit, expiſcatus quâ inter alias Caſtri ejus turres clauderetur, obambulabat procul ejus feneſtris in ripa Tameſis, arrecto anxiè in ejus feneſtram oculo: per quam ùt primùm proſpectantem advertebat, aperto capite, ac fermè de genibus propè quotidie ſalutabat. Eâ re ſuſpectus Caſtri excubitoribus factus, comprehenditur; & carceri mancipatus mulctâ pecuniariâ libertatem redimere cogitur. Quare auctore Gerardo in Belgium & Romam peregrinatus, Societati nomen dedit, & illuſtri morte, in Angliam redux, veritatem Catholicæ Religionis ſangvine ſuo ad Tiburnum aſſeruit. Plures autem, inter quos eminebant duæ matronæ Nobiles, acceſſum ad Patrem ſecretum à cuſtode nummis aliquot mercati, ſalutaribus ejus monitis, & vel ſolo aſpectu ad omnem virtutem & conſtantiam animati, ad pedum ejus oſculum proni advolvebantur, & poſt piam ejus adprecationem multi plerumque recedebant voce omni fletu & lacrymis penitus intercluſâ, quòd deſperarent ſe ipſum deinceps in vivis, niſì ad furcas Tiburnas viſurum.

Gerardus paucis ex fuga diebus apud Henricum Garnettum commoratus, ut pateret non mortis metu, ſed animarum ſtudio & amore profugiſſe. Londinum redijt, ædes ſibi conduxit, & miniſterij ſancti labores repetijt, primùm cautiſſimè, intempeſtâ ferè tantùm nocte Catholicos admittens, paulatim verò liberiùs, quòd animadverteret tentũ ſe propè ab adverſarijs ſæpius, illorum ſemper è manibus DEI beneficio exîſſe. Tradebat Gerardus aliquot nobilibus adoleſcentibus in domo Illuſtris Catholici Exercitia ſancti IGNATII, cùm ecce quinto die flagitioſi ſervi perfidiâ proditus, videt repentè delegatos duos furtivè domum ſubire: ipſe ad omnia caſu tam ſubito imparatus, quod unum poterat, veſtem ſibi talarem detrahit, ſéque ſuo in

in cubiculo claudit, ad quod erat acceſſus per anterius conclave, in uſum Sacelli omni ſacro apparatu ornatum, dabátque hoc ipſo certam præſentis Sacerdotis conjecturam. Ergo januam Patris dum pulſant ſatellites, íſque intus ſilens humeríſque januæ obnixus moratur impellentes ; matrona prudens clavim ſi vellent monſtraturam illis ſe obtulit ; quibus eam ſequentibus, penetrat ſe raptim Gerardus in cubiculum aliud, ex quo erat in latibulum ignotus aditus. Joannes Lillius,qui jam tum famuli ſpecie conſtanter ei adhæſit, invitatus unà in latebram, conditionem charitate prorſus Apoſtolicâ rejecit, ut ipſe eſſet qui pro Sacerdote caperetur, quem domi adeſſe omnia prodebant, & Pater liber evaderet, multis adhuc ſaluti futurus. Igitur clauſo intra latibulum Gerardo, in ejus redit cubiculum. Adſunt, clavi nuſquam repertâ, ſatellites, dúmque vim parânt ad fores emovendas, prodit Lillius magnâ gravitate vultúque compoſito : interrogatus *quis eſſet ?* gaviſus eſt Gerardum illis de facie notum non eſſe, reſpondítque ore ſerio : *ſum ille ipſe quem cernitis. Sacerdóſne?* inquiunt, *veſtrum eſt,* reſpondet, *videre ſi ſim: an ſim, dicere, nihil eſt ad me.* Conjectis in ſcripta menſulæ oculis Delegati, advertunt conciones & meditationes illis contineri ; ex quibus, & abjectâ temerè Gerardi talari tunicâ, certò conficiunt Gerardum hunc eſſe, prehensúmque in domeſticorum conſpectum producunt, cui omnes ad fabulam firmandam capite aperto aſſurgunt, ipſo caput tectum ſervante, & pro Gerardo ſe ad amuſſim propinante. Mox indè Lillius cum domûs hero & binis famulis in carcerem abripitur, res ejus omnis unà cum domo fiſco addicitur, ſcripta Patris in faſciculum collecta auferuntur. Abeuntibus cum præda quatuor captorum Delegatis,adGerardi latebras curritur, DEO laudes & gratiæ dicuntur, celebratur fides & ſolertia Lillij : qui poſtridie ad cauſam dicendam vocatus, agnitúſque non Sacerdos ſed Laicus, Lillius non Gerardus, in rabiem pudore efferatos egit Senatores. Ergo Delegatos ad ſcrutandum ex integro totâ domo Gerardum remittunt, ſed is cum ſole iter jam procul ab urbe inierat.

Reliquum tempus ad obitum uſque Eliſabethæ in ſancta animarum procuratione itá ſolerter, tantóque fructu exegit Gerardus per diverſas Angliæ regiones ; ut nemo ipſo poſt Garnettum ſolertior Operarius, magíſque eâ cauſâ hoſtibus Fidei exoſus haberetur : donec in jura Regni ſuffecto Jacobo, novis oppreſſi malis Catholici, meliorum deſperatione ; extrema remedia circumſpicere, quidam ex ijs nobiliores Duce Catesbio, cœperunt. Initâ conjuratione ſecretiſſimâ, à cuniculo ſubterraneo, quo Regem cum Filijs & primis Regni Capitibus cum toto Parlamento in auras ejicere conſpiraverant, Pulverariâ indè appellatâ (de qua fusè in Societate militante in geſtis Henrici Garnetti egimus) in ipſo molitionis fervore deprehenſi, & acerrimè torti, conſtanter negabant ullum Sacerdotem, minùs Jeſuitam, in conjurationis partem aſſumptum fuiſſe. Sed quia Cæcilius Sarisburienſis Comes apud Regem præcipuus, omni ratione Societatem in invidiam trahere moliebatur, Thomæ Bateſio unius ex conjuratis Nobilibus famulo ſpem veniæ oſtentavit, ſi Patres aliquos conſpirationis fuiſſe participes ediceret ; obtinuítque à vili & venali animo, ut tres è Societate, Henricum Garnettum, Joannem Thomſonum, & Owaldum Greenvayum, ejus conſcios pronunciaret. Mox Cæcilius Regi perſvaſit non jam Bateſium ſolum, ſed pleróſque conjuratos fateri Gerardum totius conſpirationis fabrum & machinatorem fuiſſe : prodiítque illico acerbiſſimum in tres Sacerdotes edictum, quo dicebantur autores totius conjurationis, denunciabantur palàm proditores, capturis eos præmia ponebantur,excepturis domicilio vel occultantibus crimen & pœna rebellium. Quærebatur ubique Gerardus tanto furoris ambitu, ut compelleretur ad latendum ſilvarum invia captare, tandem humo ſe condere in foſſa profunda, ubi dies novem fame ac frigore (erat enim December) interibat, niſì raptim noctu amicus cibi aliquid ſuo periculo illi projeciſſet. Illic innocentiam ſuam epiſtolis quatuor defendit tantâ efficaciâ & pondere argumentorum, ut ex ijs Jacobus Rex innocentem, & à crimine abſolutum pronunciârit, & calumniatores cum Cæcilio præter dedecus, propudioſum falſarij nomen, nihil inde retulerint : præcipuè cum in ferale theatrum producti Nobiles conjurati conſtanter ex ipſo patibulo illum cum ſocijs innocentem, omniúmque inconſcium, DEO in animas ſuas teſte vocato, aſſeruerunt : & Bateſius ipſe ſpe retinendæ vitæ fruſtratus, multis lacrymis affictam illis calumniam moriturus revocavit.

His itaque diſertiſſimis innocentiæ Gerardi probationibus datum videtur, ut aliquamdiu deſierit tam ardens & tumultuoſa ejus veſtigatio, quæ tamen Cæcilij artibus pro arbitrio Regem & Regnum verſantis,graviùs mox

recru-

recruduit. Hoc viso Gerardus, & advertens defensionibus innocentiæ suæ nihil se agere, statuit sponte Regijs Ministris se carcerandum sistere, & exantlare illic severitatem omnem Judicum, in extorquenda sibi, quibusvis tormentis libuisset, vel imputati criminis, vel innocentiæ certa veritate: nisi Catholici omnes restitissent, & Garnettus pro potestate Superioris vetuisset. Unum igitur quod restabat remedium circumspiciens, statuit quà posset ab Anglia se subducere in Belgium, cùm nihil ultrà spei affulgeret fructum quempiam ex animabus referendi proditæ Majestatis damnato, ideóque omnium oculis & manibus, Catholicorum etiam, ad quos innocentiæ illius notitia non perveniret, per quosvis Regni angulos scrupulosissimè ad necem vestigando. Et jam grandi suo periculo in portum evaserat, unde Hispanus & Belgij Legati solvebant ad reditum: at ij, quidquid antè promissi Patri datum esset, negant illum omnino in navim admissuros, Regis offensionem reveriti, si, quod erat pronum, rescîsset postea ab ijs ereptum sibi, quem pro hoste capitali vulgaverat & vitæ insidiatore. Dies erat Maij tertius Anno 1606. Garnetti supplicio dictus, hora 9. diei, quâ idem necabatur; cùm repente mutatis in Gerardum animis Legati suis ipsi manibus veste illum exuunt, ab exploratorum indicijs non satis securâ; & aulicorum suorum cultu subornatum in navim inducunt, secúmque in Belgium transportant. Quod beneficium per tam repentinam animorum in Legatis mutationem sibi collatum, Garnetti morientis precibus & meritis Gerardus semper gratus adscripsit. Aliud quoque debere se Garnetto fatebatur, Professionem scilicet votorum quatuor excellenti suæ virtuti delatam Anno 1609. (cùm tamen Adjutorum duntaxat Spiritualium gradus ei deberetur, solâ de moribus Theologiâ biennium exculto) quam is triennio pòst, eodem Maij die 3. emisit: *quod ut propensiùs*, annotavit ipse, *auctore Garnetto gestum putem, eventûs utrimque similitudo facit; ùt enim illi mors inprimam Maij indicta, in tertiam deinde translata est: sic ad Maij primum indicta mihi Professio cùm esset, in tertium est dilata.*

Et merebatur profectò hoc à Societate excellentissimæ virtutis testimonium, in qua parem illi ex Socijs Anglia videtur habuisse neminem, sive in profectu suæ privatim propriæ, sive in cura perfectionis & salutis alienæ. Quocunque is pedem immiserat, ardebant circùm extemplò omnia igne Christi, sed absque strepitu qui posset hostium oculos & manus in Catholicorum perniciem advertere: habebat enim hoc divinitus peculiare, ut conversiones animorum ingentes silentio & solitudine Meditationum tradendarum præstaret. Penetrabat se miris modis in amicitiam Nobilium Protestantium, dissimulatâ Sacerdotis personâ sub Nobilis Catholici schemate, quæritabat subinde de Religione, proferebátque rationes non quasi à se, sed velut auditas à doctis vel lectas: de conscientia aliàs, de anima, & rebus æternis eâ svavitate sermocinabatur, ut salubriter icti rogarent plerumque secretò in aurem, Sacerdotem acciret, à quo expiati Ecclesiæ conciliarentur. Tunc verò ipsemet vel Sacerdotem se, vel ubi sensisset opportunum, etiam ex Societate esse aperiebat, offerentibus se illi imposterum in filios & discipulos in divinis ampliùs erudiendos. Qua in re lepidum quid ei contigit cum Nobilissimo viro Protestante, qui domi jam diu illum habuerat in gratiam uxoris occultè, fratris autem apertè, Catholicorum: præter quos duos, tota familia Gerardum ùt Nobilem, elegantem, disertum, peregrinitatis omnis maximè curiosum, & in venatione aucupatoria magistrum observabat. Tandem Patrefamilias, opportunè ingestis pijs sermocinationibus, ad mentem DEÚMque sensim revocato, rogatus est Gerardus ut Sacerdotem provideret, à quo restitueretur Ecclesiæ. Promisit Pater hunc sub primos noctis somnos adfore, & interim illum accuratè modum ritè confitendi edocuit, & ad legitimam contritionem disposuit. Compositâ jam in somnum totâ familiâ, sistit se illi Gerardus velut jamjam Sacerdotem inducturus, invenítque de genibus orantem; brevi de hinc interjectâ morâ revertitur, sed Societatis indutus vestem, prælucente pœnitentis fratre. Primo tunc aspectu minimè agnitus, mox verò ingenti animi voluptate & admiratione, complexu intimo tam piè ardentérque exceptus est, ut post confessionem illam semper imposterum Patris eum loco, fratris & amici habuerit. Fuit autem hoc Gerardo solenne, primò, ut aggrederetur Patresfamilias, expertus totam post illos familiam vel ad rectam fidem, vel ad cursum virtutis facili negotio subsequi. Quâ primùm in domum apud Nobilem constitit post suum in Angliam ingressum, familiarum capita 20. ad DEUM convertit, primæ omnia Nobilitatis, cum numeroso famulatu: inferioris autem ordinis alias absque numero, & hæc omnia brevissimo tempore.

Londini, & in ipsa Elisabethæ, ac postea

Jacobi Aula Regia prædas egit lectissimas, quibus hæresim excussurus adoriebatur ferè voluntatem, cujus ut plurimùm per vitiorum illecebras depravatio inficit errore animum; nec difficulter postea virtutis amore inescatis falsitatem hæresis demonstrabat. Erat inter hos Matrona illustrissima, licèt hæretica, anxia tamen inter Catholicum & Calvini dogma, utrum esset antiquum & verax: quare conscientiæ studio Pernyum evocat in Academia Cantabriensi tunc celeberrimum, solâque semotis arbitris per sanctum DEI nomen, pérque supremum judicij diem obtestatur, nè velit se veritatem celare, sed quænam tot inter Regni sectas verax esset, & securè cum spe salutis æternæ sequenda, indicare. Hìc ille tam seriâ constrictus adjuratione, respondit, postulatum id & per se, & ejus tam enixâ obtestatione tantum esse, ut si verum celaret, peccati reus fieret nunquam remittendi: sed secreti fidem vicissim sanctam à se deposci. Hâc acceptâ: *ut vivas*, inquit, *læta, & ijs saltèm infestationibus libera, quibus indies crudeliùs Catholicos lacerat Regina, Calvinum vive, ùt & illa vivit: quod autem mortem attinet, & consequentem morti animæ salutem, omnino edico, Catholica morere. Nec potest aliter fieri, nec ego alio consilio vivo, & mori intendo.* Sic ille quàm verè, tam stultè; meritus post vitam Calvini, mortem minimè Catholicam à DEO consequi. Dum enim nocte quâdam se domum refert, edormiturus lautam cœnam, quam cum Eboracensi Archi-Episcopo sumpserat, tam repentino improvisæ mortis confectus est telo, ut nec sui nec DEI moriens meminerit. Infelix ejus discipula scelestum secuta consilium, & in eo à fratre Calvinista pertinacissimo obfirmata, morsu tamen conscientiæ inquieto dilaniabatur assiduè, donec casu quodam in colloquium cum Gerardo incidit, cujus uno alteróve sermone in absolutam evasit Catholicam, vixítque constanter talis, qualis Pernyus DEO fatuâ persvasione illudens voluisset mori. Allectos sic svaviter ad DEUM, consvetum eidem erat fundare ad summam virtutem obeundis S. IGNATII Exercitijs, unde possent & ipsi alijs magistri esse: ex quo fiebat, ut ejus formati ductíque pollice, igne eodem arderent, nec solùm familias integras, sed totas circùm inflammarent vicinias, in direptionem bonorum suorum, in exilia, cruciatus, mortémque ipsam, quamlibet immanem Christi causâ paratissimi.

His, & Anglica messe onustus manipulis Gerardus, vixit insuper extra illam annis 31. sub Thomsoni cognomine, ob immortale Jacobi Regis contra se odium, nè quid per insidias in exulem moliretur. Nec minùs in salutem Patriæ sollicitus egit, quàm dum in ea moraretur, ijsdem cum Personio medijs salutem ejus procurando, partim in Belgio, partim in Hispanijs & Romæ. Post officium Pœnitentiarij Romæ in Vaticano aliquamdiu obitum remissus in Belgium est, ubi ejus solerti industriæ debetur erectio & fundatio Tyrocinij Societatis pro Anglia, quod ipse à fundamentis unà cum amplo Templo erexit Leodij, sumptus & dotem suppeditantibus partim Electore Bavariæ Maximiliano, cum Fratre Principe Ferdinando Leodiensi Episcopo; partim præcipuis ex Anglica Nobilitate Catholicis, pridem Gerardo diuturnâ commoratione, & promovendæ pietatis studio notissimis: quos, licèt sub onere persecutionis gementes, excitavit spes ingens propagandæ in Patria sua Religionis ad opus promovendum. Absoluta fuit fabrica Ann. 1616. primúsque Domui à Præposito Generali Rector datus Gerardus, præcipuum exulibus ex utroque sexu Anglis factus refugium, è quibus solerti habito delectu Societatem nostram Viris egregijs summéque frugiferis ditavit, Seminaria Belgij, Hispaniæ, & Romanum magnæ spei alumnis, Belgij Parthenones Virginibus nobilissimi sangvinis implevit. Eâ gubernatione perfunctus migravit in Hispaniam ad ordinanda gentis suæ Seminaria, tandémque Romam, ubi Confessarij munus in Collegio Anglicano per decennium ferè, magno illius juventutis bono cùm sustinuisset, claro virtutum prælucens omnibus exemplo, cum eximia Societatis opinione decessit ibidem 27. Julij Anno 1637. ætatis circiter 80.

Ex Anglia Bartoli, & Henrici Mori.

P. LAURENTIUS WORTHINGTONUS.



Oannem Worthingtonum pro Religione Catholica pædore carceris in Anglia enectum dedimus in *Europa Societatis ad sangvinem usque militantis*; fratrem ejus germanum hìc damus Laurentium, ejusdem fidei per Angliam annis aliquot propagatorem egregium, tandémque inter carceris ærumnas Confessorem. Natus in Angliæ Provincia Lancastrensi vetustæ



P.Laurenti9 Worthington9 S.I. Nobilis Anglus, tam extra, qvàm intra Carcerem Apoſtolicus Operarius. Obijt in Lotharingia circa Annum 1637. 19 Octob:

150.

J. Kilian Sc.

ſtæ Nobilitatis ſangvine, tempeſtivè contagionem hæreſis ſpontaneo exilio fugit, & in Hiſpaniam viridi ætate delatus, Societatem Fratris exemplo ambivit, in Boetica Provincia in tyrocinium adlectus Anno 1598. Hoc legitimè magnâ virtutis commendatione perfunctus, tantum ſibi doctrinæ per ſtudiorum curriculum comparavit ingenio & induſtriâ, ut per octennium in Hiſpania Cordubæ & Hiſpali Philoſophiam profeſſus fuerit. Indè zelo ſuo, quo ſalutem popularium unicè deflagrabat, permiſſus, in Angliam cùm tranſmiſiſſet Anno 1612. omni ſtudio & conatu per triennium operi Apoſtolico incubuit, donec proditorum nequitiâ tentus, & in carcerem Londini Religionis causâ conjectus fuit. Et poterat optanda prorſus videri ejus captivitas, tam neceſſaria Catholicorum eodem ergaſtulo miſerè vexatorum ſolatio & auxilio; quorum nonnulli præter ſupremam victûs & veſtitûs penuriam, ſordibus ac pædore, infimâ carceris ſcrobe ſepulti, tantopere moleſtabantur, ut nullam quietem nocte diéque capere poſſent. His corporis animíque proximè ad ultimam deſperationem redigendi moleſtijs ut ſubveniret, 400. ſcutorum pecuniam cum carceris cuſtode depactus (quam mutuo partim, partim corrogato à Nobilibus Catholicis providerat) eos in commodiorem locum transferri in idem ſecum cubiculum effecit. Et quia hoc ſatis capax illi obtigerat, partem illius ſacris uſibus adaptavit, erecto DEI Matri altari, ad quod diebus ſingulis ipſe & ſocius Pater Franciſcus Young, nec raro ſex vel ſeptem pro numero Sacerdotum ibidem attentorum, Divina my-

mysteria celebrabant, reliqui verò singulari devotione Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ obibant. *Omnes*, ſcribebat ipſe Romam, *horâ 4. ſurgimus, precationes tam mente quàm voce, libros ſpirituales, examina conſcientiæ, aliáque pietatis exercitia ſtatis horis conjunctim uſurpamus, ut non modicâ meâ voluptate vitam diſciplinámque religioſam videamur adumbrare.*

Sed neque illum ſpiritualis quæſtûs ex animabus faciendi occaſio defecit. Delinito ſiquidem novâ mercede Cuſtode, liber concedebatur acceſſus Catholicis, quotquot vellent illum alloqui, vel Divinis intereſſe: & *conveniebant*, pergit ipſe, *magno numero, adeò ut 50. vel 60. Auditores exhortationibus noſtris intereſſent. Donec Pſeudo-Epiſcopus Londinenſis, falſi fratris indicio, die S. Benedicti immiſit in conſeſſum ſatellites ſuos, raptóſque 30. circiter viros fœmináſque in varias cuſtodias diſtribuit, quòd juramentum fidelitatis* (erga Regem ùt Caput Eccleſiæ Anglicæ) *præſtare recuſarent. Tot etiam, támq; frequentes ad expiandos animos ad me veniunt, ut hebdomadâ qualibet in carcere plures quàm in ſex vel ſeptem hebdomadis foris liber excipiam confeſſiones.* Neque paucos etiam ex heterodoxis Eccleſiæ reconciliavit, ſive qui (criminum causâ illuc detrudebantur; ſive qui Catholicorum zelo & induſtriâ de Fide diſceptaturi adducebantur. Tandem quia ſibi propè relictis perrarò ab apparitoribus carcer inviſebatur, auſus eſt Worthingtonus Cuſtodem pecuniâ aggredi ad liberum ſibi de carcere ſæpius exitum indulgendum, ut domibus ſuis Catholicos inviſeret: *Mirabitur id fortaſſis Dominatio Veſtra*, ſcribit idem ad amicum: *ſed ea eſt Cuſtodis de noſtra Fide opinio, velpotiùs tam cœca avaritia, ut nihil tam arduum ſit, quod obtineri non poſſit. Pro commodiori carceris habitatione, tantum dabis: ut ad liberiorem auram pauliſper in ipſius limine captandam conſiſtas, tantum: ut in ſuburbanum horam unam alterámve ambulatum exeas, tantum: hebdomadis igitur ſingulis hujuſmodi ſuburbanas ambulationes magno pretio emo, ſpecie quidem valetudinis, re verâ ùt Catholicorum vel etiam hæreticorum ædes, ſi ſpes aliqua ſit fructûs, inviſam, ut Sacramenta miniſtrem, ut ſchiſma dedoceam, ut ad patientiam & conſtantiam miſeros excitem. Copioſam ſanè meſſem ſingularis iſta Cúſtodis avaritia ſuppeditat, ſed libertatis adeò utilis amittendæ timor* (*pœnas enim Cuſtos & ego dabimus, ſi Magiſtratui res innoteſcat*) *& pretij immanitas me aliquando remoratur.*

Biennio & ampliùs carcere ità detentus, Anno 1618. pellitur ex Anglia in exilium, delatúſque in Belgium Lovanij noſtros in Collegio Anglicano, ac deinde Leodij Theologiam & Scripturam docuit: tum Romæ in Collegio Anglorum ſtudijs aliquamdiu præfuit: ac tandem in Auſtriam delatus, Græcij Theologiam moralem & Sacras literas explanavit Anno 1635. quamvìs ætate gravis. Indè cum Duce Lotharingiæ, & Principe Caſimiro rediens in Belgium, militum ſalutem in caſtris procurandam aſſumpſit, ubi compertâ ejus vitæ morúmque ſanctimoniâ, doctrinæ præſtantiâ, & agendi cum ſumma prudentiæ dexteritate, Odoardus Brigantini Ducis, poſtea Luſitaniæ Règis Frater, cùm ad Ferdinandum III. Hungariæ & Boëmiæ Regem in caſtra cum exercitu tenderet, eum ſibi à confeſſionibus & ſacris omnibus comitem aſſumpſit. Sed caſtrenſibus incommodis tantâ ætate impar brevì confectus eſt, & Sacramentis piè inſtructus, in Lotharingia diem clauſit extremum 19. Octobris, circa annum 1637. ætatis 64. pridem 4. vota profeſſus. Vir fuit ſimpliciſſimæ mentis cum religioſa prudentia conjunctæ, tenerrimo in B.V. affectu, cujus roſarium totos dies volvebat: verè humilis, ſuíque & rerum humanarum contemptor.

Ex Anglia Henrici Mori, & Barteli.

P. JOANNES BLACFANNUS.



Socius carceris & exilij Perceyo Blacfannus, Vir ſpectatæ integritatis & candoris, eâdem oriundus fuit Angliâ. In Cantabrigienſi Academia jam Artium Magiſter, frequenti librorum Catholicorum, Auguſtini præſertim lectione, veritatem fidei clarè agnoverat, hærebat tamen in salebris, vitæ liberioris oblectamentis implicitus; donec viſo per ſomnium objecto torporem excuſſit. Oblata illi ſpecies eſt Chriſti Judicis, coram quo de vitæ tum univerſæ actis, tum præcipuè de vitata eorum proſecutione, quæ legendo didicerat, accuſatus, pronunciatur à Judice torquendus eſſe viſcerum dolore; quo ſtatim adeò crudeli correptus eſt, ut clamaret, plus infligi quàm Dominus juſſiſſet, ſpopondítque nunquam ſe deinceps templis aut precibus hæreticorum interfuturum. Nec ſolùm



P. Ioannes Blacfannus S. I. Anglus, multas calamitates, & vitæ pericula, in Animarum procuratione perpessus. Obijt in Anglia prope octogenarius circa Annum 1637. 151. J. Kilian sc.

solùm promisso stetit, sed quatuor præterea dierum in singulas hebdomadas, quoad Angliâ profugere daretur, jejunium sibi indixit; noctes sæpe integras in orationibus pervigil, quibus copiam Sacerdotis sibi concedi precabatur. Obtulit hic tandem se illi post sex evolutos menses, operâ Viri Catholici, in medio profundæ silvæ ipsum præstolatus, & primo quidem congressu ab excommunicatione duntaxat & hæresi, solenni cæremoniâ absolvit, nudum etiam ejus dorsum per psalmi Miserere recitationem verberans, jussum designato iterum loco ad exomologesin instituendam comparere. Hac verò ingenti animi solatio peractâ, unicè jam ad transfretandum quantocyùs intentus, navigium tandem Anno 1587. nactus est, quo Diepam primùm devectus, Rhemos deinceps tenuit, ibidem in studij Theologici decursu Subdiaconatu ornatus. Indè ad Seminarium, quod tunc Vallisoleti fundabatur, in Hispaniam à Personio cum duobus Alumnis evocatus, iter habuit difficile & periculosum per medios milites, quibus tum bello intestino ardens contra Hugonottos Gallia plena erat. Itaque modò in has modò in alias copias occurrentes, evasêre tamen DEI beneficio incolumes Samurium usque, ubi à Præsidij Duce Plessio Mornæo Calvinista acerrimo parum absfuit quin Rupellam captivi mitterentur, in Angliam indè tanquam Patriæ Hispanis proditores promovendi. Dimissi tamen sunt Espernonij commendati literis, cujus erat Samurium, & intercessione Conjugis Plessij: cùm gravior longè excepit procella Burgos in Castellam delatos. Postridie quam in urbem venissent, redeun-

redeuntibus ab Ecclesia ad hospitium injiciuntur ab Inquisitionis apparitoribus manus, clamatúrque totâ Urbe, Lutheranos hæreticos rapi ad carceres: expilantur sarcinæ, pecunia surripitur. At ubi nihil in sarcinis quod hæreticos proderet repertum est; sed potiùs testes Præsidum Rhemensis Seminarij, & Parisiensium nostrorum Patrum literæ indicabant illos Anglos quidem, sed Catholicos literatos esse, magno honore ab sacro illo Senatu dimissi sunt. Vallisoleti Blacfannus perductâ ad calcem Theologiâ Sacerdos consecratus, Societatem impetravit Anno 1593. ætatis 34. cúmq; Romam evocatus aliquamdiu Anglis in Seminario præfuisset, remissus in Hispaniam quatuor vota professus est, hæsítque in eo Vallisoleti contubernio ingenti Angliæ bono, primúsque cogitationes Dominæ Aloysiæ de Carvaial (cui erat à confessionibus) inflexit ad Angliæ commiserationem, in cujus Operarios illa deinceps, omnes propè amplissimas opes impendit, & tandem seipsam Angliæ, illuc transnavigans, donavit.

Et jam tempus erat ut Blacfannus & Patriæ suæ, quam absens in Seminarijs educatione Operariorum tam utiliter juverat, præsens etiam afferret opem, quo si citiùs transmittere permissus esset, majori fortè fidelium bono latuisset. Nam in Hispania tot annos versatus, cùm mores & lingvam Hispano similes frustra alieno habitu tegeret, quoties ferè cum Anglis ageret, in discrimen veniebat, cujus tamen periculi gloriosus contemptor, nihilò segniùs in animarum lucra intendebat, donec Anno 1610. captus, & in portam Westminsteriensem Londini conjectus est. Nihil magìs in desiderijs fuit Pseudo-Episcopo Cantuariensi, quàm damnatum mortis raptari cernere ad Tiburni furcas, lacerandum crudeliter in partes tanquam Patriæ Hispanis proditorem, si quæ ejus sceleris nota post varia examina ipsi vel apparenter imputari posset. Subornatum igitur ab illo ferunt testem qui diceret, audivisse Antverpiæ Blacfanum aurifici cuidam promittere octo aureorum nummûm millia, si reperiret hominem, qui Jacobum Regem de medio tolleret. Malitiam fictæ calumniæ oppressit diligentia Blacfanni, scriptis Bruxellam ad amicum literis, qui sinè mora Antverpiam profectus, aurificem coram Magistratu convenit, & juridicè quæsiti negantísque juratum testimonium, publico civitatis signo muniri obtinuit, ut efficax esset ad fidem mendacio detrahendam. Tredecim nihilominus menses tentus in custodia, actus est in exilium, succesítque post Perceyum in munus vice-Præfecti Anglicanæ Missionis Bruxellis: tum in Hispanias post triennium evocatus, Vallisoletano Anglorum Collegio aliud triennium Rector præfuit. Demum potentiore DEI spiritu iterum in ærumnas patrias incitatus, Insulam repetijt; duravítque in his singulari DEI servatus tutelâ ad gravem usque senectam, cùm nulli labori die noctéque parceret, ut vicibus suis ad DEUM & Ecclesiam reducendis prodesset. Donec tot incommodis prostratus, & viribus ad labores ultrà promovendos omnimodè defectus, habuit in animo relictâ Insulâ ætatem reliquam cum effœto corpore deponere Watenis. Sed confectis vix quatuor millialibus apoplectico ictus malo ex equo decidit, & in locum quem pluribus annis coluerat reductus est. Resumpto utcunque spiritu, cùm se totum in manus DEI resignâsset, manè sequenti expergefacto hæc prima verba se illius ori obtulerunt: *Frater mane ibi*, quæ tanquam sibi dicta interpretatus, non absonè intulit eo loci se ad prœmium evocandum, ubi tam diuturnis laboribus ad illud contendisset: inter ardentissimos affectus, & DEI æternùm fruendi desideria solutus corpore prope octogenarius, circa Annum Domini 1637.

Ex Anglia Henrici Mori.

P. RICHARDUS BLONDUS.



NEmo post PersoniumEcclesiæ Anglicanæ utilior, nemo in promovendis ejus bonis constantior, & ferendis adversis juxta & prosperis moderatior extitit; sub cujus sapientissima gubernatione in eum florem Societas Anglica adolevit, ut quæ eatenus Missionis tantùm nomen obtinebat; in vice-Provinciam initiò, mox autem in Provinciam à Mutio Vitellesco Generali erecta, eundem Richardum primum Præpositum Provincialem nacta sit. Natus in Angliæ Provincia Lancastrensi, politiori literariæ operam dedit Oxonij; unde hæresis insidias fugiens Romam concessit, & in Patrium Seminarium receptus Philosophiam & Theologiam audivit, magnâ ingenij & scientiæ existimatione, modestiæ verò cæterarúmque virtutum tot ornamentis, ut eum Personius in



P. Richard9 Blondus S.I. primus Angliæ Provincialis, Apostolicis laboribus optime de ea meritus. Obijt Londini propè octogenarius. A°. 1638.
J.G. Heinsch. del. 152. J. Kilian sc.

in Hispanias secum ad cohonestanda illic novorum Seminariorum initia abduxerit, quò eorum alumnis esset exemplo, quales esse oporteret eos, qui ad Missiones Angliæ destinarentur. Hanc ut ipse Sacerdotio jam initiatus miserè ab hæresi oppressam juvaret, sumptâ veste nauticâ, tanquam beneficio Mercatorum captivitate Hispanorum redemptus, evasit in Insulam, & uno alteróve pòst anno in Societatem receptus, primum excolendum agrum nactus est in Sussexia, quem assiduo labore, & plurium annorum sudoribus Ecclesiæ subigens, sæpius ad mortem quæsitus, singulari DEI beneficio periculum semper evasit. Obierat aliquando, copioso satellite, Magistratus multo mane domum in qua morabatur Richardus, integráque potiebatur, Domino in carceres Londinum, Dominâ ad vicinas Irenarchæ ædes, famulis omnibus ad diversas custodias amandatis; sic, ut soli satellites omnia occuparent, ad deprehendendum Patrem, quem domestico proditore certò adesse compererant, omni studio & industriâ intenti. Ad quintum jam diem pertinax duravit inquisitio, concussi parietes, evulsa pavimenta, domus universa miserè deformata, certis non abscedere militibus, nisì captivato Sacerdote, quem suprema tandem fames ad emergendum latebris esset adactura. Et jam absumpto permodico, quem antro secum intulerat, victu, extrema imminebat necessitas; nisì fidelitas unà latentis servi periculum avertisset, qui latibulo erepens satellitibus se stitit pro Sacerdote, alterum illis commonstrans spelæum in quo aliquando latuerat; itáque delusos ad dese-

deſerendam domum, & ulteriorem conquiſitionem omittendam induxit.

Moleſtior fuit perſcrutatio altera, proditione famuli ruſticani, cùm menſe Decembri noċte intempeſtâ irruerunt ſilentio in aream Palatij ſuburbani Irenarchæ tres, copioſo cum milite. Excitatus ſtrepitu Richardus abdit ſe ocyùs cum comite latebrâ in ſolido muro excavatâ, nulla re nisì femoralibus & levi tectus tunicâ, præter unum panem & modicum vini nullo accepto commeatu. Aberat id temporis herus domo, Dominam unà cum liberis in conclavi tenebant occluſam, omnia interim undequaque pertundendo, frangendóque ſcrutabantur, irrito ad decimum diem conatu, Patre ad extrema famis rabie propè jam adacto. Ad veſperam ejus diei notantes in impluvio partem muri ex reddito ſono concavam, quâ ipsâ cum comite Pater claudebatur, tam fortiter quatiunt, ut neceſſe fuerit intus latentibus luxatos lapides humeris & corpore oppoſito ſuſtinere: cùm repente imber maximus decidit, quo DEUS voluit & Sacerdotem è manibus quæſitorum, & Herum à legum judiciorúmque pœnis liberare. Etenim ſecuri in craſtinum ſatellites, dum ſe ad interiora domûs recipiunt, & foco ſimul ac potu liberaliter recreant, elabitur Sacerdos. Cinctum erat muro primùm, deinde aquis ædificium & hortus: ſuperat tamen murum Richardus, & natandi peritus evadit per gelidum & glacialem lacum 80. pedes latum. Comes fugæ cùm natare neſciret, repentino conſilio dolum excogitat, quo arreptam Patris tunicellam, corpori ruſticanè caligarum inſtar adſtringens, prorumpit in medium ſtertentium in aula militum, & clamat, quid vos hìc deſides & ſomnolenti, dum interim fures expilant equile, & equos veſtros abducunt? illi apertis portis cum lumine conciti currunt ad equile, quibúſcum unà ipſe exilit, & non obſervatus, ad fugam carpit viam, quâ noverat exitum. Ad ſtabula venientibus cùm omnia integra & ſalva deprehenderentur, quærere ſerò incipiunt, quid hominis importunus ille excitator fuerit? redeúntque ad neglectum pridie, at nunc vacuum latibulum, in vanum, & elapſa præda frementes frendentéſque. Richardus exulceratis per aſcenſum muri ſuris & plantis, frigore propè in fluvio enectus adrepſit ad non longè poſitam Catholicam domum, & mutuatis calceis ac veſte ruſticanâ, reliquâ nocte viam regiam tenens nè aberraret, apud alium Catholicum divertit, jacuítque tribus hebdomadis æger, Londinum ad ulteriorem curationem delatus. Hæſit tamen illi in omni vita dolor in nervis & oſſibus, ex hyberno aquæ frigore contractus.

Plurimis ejuſmodi periculis ſervum ſuum eripuit Dominus, à Garnetti præſertim beatâ morte, cùm Miſſionis tractans negotia frequenter in itinere, ſæpius Londini incurreret in perquiſitores & falſos fratres: quod etſi providæ DEI curæ potiſſimùm tribuendum ſit, plurimum tamen induſtriæ Viri tribuendum eſt, qui nisì de nocte vix domo egrediebatur, rariùs intrabat nisì denſis tenebris, & eorum Catholicorum qui omnibus noti erant vitabat ſtudioſiſſimè in publico congreſſus, nè notaretur. In Nobilium Virorum colloquia libenter veniebat, quod ſemen doctrinæ ipſorum animis inſitum ad multorum inferioris ſortis fructum derivaretur. Ad Sacerdotis quodvis officium, omni tempore, & quantovis cum diſcrimine præſtandum, promptum ſe exhibebat ac ſedulum: ad ſpectandum verò vocatus ſi quid eſſet rari aut magnifici, non accedebat, dicere ſolitus: *equidem comprehendi ùt Sacerdos & Orthodoxus non refugio, nolim tamen capi ut inconſideratus & curioſus.* In victu ac veſtitu eximiam ſemper colebat paupertatem, viliſſimis contentus, & cùm eſſet prodeundum in publicum, tali utebatur cultu, qualis ei agenda eſſet perſona, cavens ſemper nè quid inſolens indueret, quo obviorum oculi attraherentur, id quod ſocijs ſollicitè præcipiebat obſervandum. Atque his ornatus prudentiæ, integritatis, modeſtiæq; virtutibus, cùm plurimis annis præiviſſet laborantibus in Miſſione ſocijs exemplo & auctoritate tanquam Superior, dictus à Mutio Vitelleſco Vice-Provincialis, animum adjecit, ut eo majori ordine atque incremento res in poſterum agerentur. Prima igitur cura fuit Inſulam totam in certas regiones diſtribuere, & in ſingulis moderatores reliquis ſocijs, qui jam ducenti ferè per Angliam numerabantur, præficere, ad quos è propinquo difficultates & dubia occurrentia referre poſſent, atque apud eos annuam aſceſim, renovationem votorum, & cætera quæ ad diſciplinam religioſam pertinent, peragere. Tria item Collegia conſtituit, Londini quidem Probationis domum S. IGNATIO dicatam, in qua paulò pòſt 17. Sacerdotes tyrones inſtituebantur; alterum in Wallia ſub patrocinio S. Xaverij: & tertium in tractu Staffordienſi, ſeu Lancaſtrenſi, à B. Aloyſio nuncupatum. Quæ domus non quidem certis ædibus, ſed perſonis loco cuilibet attributis conſtabant, ſub deſignato Rectore, cujus erat ſtatis tempori-

poribus ad inſtaurandum ſpiritum, & accipienda mandata illos colligere, & annuam pecuniam in uſus neceſſarios diſtribuere. Quantus autem indè fructus in commune Eccleſiæ bonum dimanavit, colligere licet ex numero converſorum, quorum uno anno ex hæreſi erepti ſunt plures bis mille ſexcentis.

Triennio lapſo, tantíſque ſub Richardi regimine tum Societatis, tum Fidei per Angliam viſis incrementis Mutius, Miſſionem eandem Provinciam deinceps eſſe juſſit, primúmque illi Præpoſitum Richardum conſtituit Anno 1623. Qui dum ſollicitè in promovendam rem Catholicam ubique vigil imminet, tertio hujus gubernationis anno repentè innovata perſecutionis tempeſtas, ob turbatos Regij Principis Caroli cum Maria Hiſpana (quæ deinde feliciùs Ferdinando III. Cæſari nupſit) hymenæos omnia confudit. Exilium inprimis Sacerdotibus omnibus ad certum diem promulgatum; & in Catholicos, juramentum fidelitatis Regi, ùt Capiti Eccleſiæ præſtandum recuſantes, leges omnes, exceptis quæ pœnam capitis ſanciunt, renovatæ: quibus malis tertium acceſſit graviſſimum, nonnullorum ex doctiſſimis Cleri Sacerdotibus auctoritas, qui juramentum id præſtari aut licitè poſſe, aut etiam debere, verbis & ſcripto defendebant. Atque ab hoc expugnando ordiendum ſibi cenſuit meritò Richardus (nam Sacerdotibus Societatis certum erat mortem magìs in Patria opperiri, quàm Edicti ſanctioni, voluntario exilio, niſì in id violentè ejicerentur, parere) obtinuítq; à Pontifice Urbano VIII. Anno 1626. Breve Apoſtolicum, quo impiam ſententiam confixit, & Catholicos omnes per Angliam ad conſtantiam in Religione Catholica retinendam paternè exhortatus eſt. Eâ verò ſapientiâ & moderatione Provinciam inter hos turbines totis annis 15. adminiſtravit, ut conſtanter annis ſingulis tam ipſe, quàm ſocij, numero non contemnendo reductorum ab hæreſi, Eccleſiam augerent, & ipſe prudentiæ & integritatis famâ Jacobo & Carolo Regibus notiſſimus, eorum conſtantem benevolentiam & favorem (quidquid de reliquis ſentirent) ſemper expertus ſit. Demum tot ærumnis, laboribus & curis fractus, jámque ſeptuagenario major, cum Mutio Generali egit de officij ſarcina deponenda; impetratáque Miſſione, inter privata virtutum Exercitia animum applicuit ad cognatos præcipuè & affines ſuos, ſi quos poſſet, ab hæreſi in viam traducendos: in multis enim prolibus ipſe ſolus, & una ſoror Fidem Catholicam fuerant amplexi. Et cum nonnullis quidem conatus feliciter ipſi ceſſit: à Fratre tamen Viro Equeſtri & opulento, cui felicitatem hanc, ſuíſque ex eo nepotibus maximè cupiebat, impetrare nunquam potuit, ut in colloquium ſaltem admitteretur. Illâ itaque ſpe dejectus, totum ſe ſibi ſervabat, duobus adhuc annis ſuperſtes; donec apoplectico primùm catarrho, tum etiam calculi doloribus & lethargo oppreſſus, ætatem longævam magnis cumulatam meritis, & Sacramentis omnibus ad agonem munitam, exegit, maturam æternitati circa annum 1638. ſepultus ſolenni cæremoniâ apud RR. PP. Cappuccinos, tum temporis, Reginæ gratiâ, liberè Londini commorantes. Vir fuit Richardus & animi viribus illuſtris, & congruentiſſimâ corporis temperie præditus; in quo illæ nullo concitatiore affectu, aut caſu repentino unquam turbabantur; iſta autem vix ullo unquam morbo tentata fuit. Et cùm vigiliarum laborúmq; patientiſſimus eſſet, comitate atque affabilitate nemini ſecundus, prudentiâ & conſilio ſingularis, ſummis æquè ac infimis gratioſiſſimus, omnium animos facilè ſibi conſiliobat; meritò appellandus: *altera poſt Perſonium Eccleſiæ Anglicanæ columna*.

Ex Anglia Mori & Bartoli.

P. THOMAS CONIERS.

PAter Thomas Coniers, natione Anglus, & Fidei cauſa è patria exul, poſtquam abſolutâ Philoſophiâ Duaci ejuſdem laureâ inſignitus eſt, Societatem magnis votis impetravit Anno 1584. ad cujus Tyrocinium admiſſus Tornaci, tam acribus paulò pôſt renum ac veſicæ doloribus cœpit affligi; ut nil proficientibus pharmacis omnibus, cœptis illum inſiſtere, ſinè Societatis grandi incommodo non poſſe, Medici pronunciarent: ideóque juſſus eſt relictâ Societate ſeculum repetere. At ille magno animi ardore optimam DEI Parentem, quam tenerrimo ſemper proſequebatur affectu, precatus, omnem mali vim ità ſenſit extinctam, ut ſanitate receptâ etiam Societati reſtitui obtinuerit. Quam ei valetudinem merâ Virginis gratiâ & prodigio conceſſam fuiſſe vel indè



P. Thomas Coniers Soc: IESU, Fidei causâ ab Anglia proscriptus, laboribus Apostolicis per Galliam immoritur Bastoniæ 24 Januarij 1639. ætatis 77.

153.

Carel Prevost. del.

patuit; quòd eâdem constanter per annos omnes ætatis, dum laborandum strenuè pro salute animarũ fuit, usum, senio & laboribus fractum ipsa illa ægritudo corripuerit, exercuerítq; constanter dum animam exprimeret. Post humaniores literas, & Logicam Duaci traditam, cùm animarum juvandarum sitientissimus non cessaret labores Missionum seu in Anglia, Indijs, seu in Evropæ partibus quibusvis, maximis votis exambire, zelo suo velificari à Superioribus permissus est, móxque operam Apostolicam Lendio & Bipalmio in finibus Gallorum impendit, & utrumque improbo labore, maximo proventu excoluit. Dionanti Eburonum subinde fixit sedem, unde Apostolico ritu villas pagósque, & vastam Arduennæ solitudinem percurrens, egentissimorum hominum sitientes animas Christianæ doctrinæ rivis tam indefesso labore rigabat, ut magnum Cives omnes incesserit desiderium, socios eam in Urbem advocandi, quorum operâ perpetuarentur fructus, quos Patris Thomæ cultura produxerat. Pridem antè Societatis apud illos increbuerat existimatio, Henrico Somalio sedulam illis olim navante operam: verùm annis deinde plus decem cum difficultate temporum colluctans civitas, ipsâ suâ tenuitate à proposito desierat, donec Thomæ fervore novis excitata ignibus, desiderium pristinum sociorum apud se habendi Collegium, exarsit. Condito Collegio, & socijs aliquot Leodio, qui agrum per intervalla excolerent, submissis, Thomas in omnem latè Provinciam excurrit, nam ab Hannoniæ finibus ad usque Germaniæ limites insigni operæ pretio se diffudit, omnis condi-

tionis

tionis homines complexus. Nullos itinerum refugiebat anfractus, per avia montium atq; ſylvarum, per nives densámque grandinem, per calores æſtuantémque ſolem, rudiorem populum evocare deliciæ erant. Tum ardore dicendi pro concione ad altiora commoto auditori vel aures confitenti præbebat, vel catechesin de plano explicabat, horas orationi & meditationi commodas occupans ante ortum, vel poſt occaſum diei.

Baſtoniæ, urbe mediâ ferè Arduennâ ſita, non minùs olim neglecto animarum cultu, quàm ſterilitate ſoli miſerabili, parem locavit operam, pari cum fructu: tantáque fuit populi erga illum veneratio, ut quacunque die vel horâ daretur ſignum, relictis familiaribus negotijs ad eum audiendum conflueret: cúmque ſtatuendo ibi Collegio ad continuandos labores opportunitas deeſſet, auctor fuit Magiſtratui ut ex alio Ordine Religioſos Viros accerſeret, qui in concepto pietatis ardore civitatem & vicina foverent. Eodem conſilio honeſtas Virgines cœlibatum amplexas, & ſpiritualium rerum, ipſo magiſtro, non imperitas, Dionanto evocavit, ſcholíſque puellarum præfecit, quò honeſtis moribus & Chriſtianis præceptis imbutæ, familijs deinde liberíſque cum virtute præeſſent. Nec quidquam illi erat effectu difficile, cui in omnium animos imperium conciliârat innata integritas, atque ardens Divinæ gloriæ ſtudium, cum inſigni modeſtia atque animi demiſſione conjunctum. Ipſe interim in ſe durus & aſper ſummam in veſtitu paupertatem, in cibo parſimoniam ſervabat, aſſiduâ cum DEO oratione unitus. Nam & in itinere precabatur aſſiduè, & cruces per agros obvias, atque arboribus affixas Sanctorum imagines pronus in terram venerabatur, ſe ſuóſque DEO & Sanctorum tutelæ commendans. In his laboribus cùm ad annum ætatis perveniſſet 77. redeuntem ex agris, per feſta Natalitia morbus idem renum & veſicæ corripuit, cujus causâ in Tyrocinio à Societate dimiſſus, & iterum DEIparæ patrocinio receptus fuit: quam Societatis charitatem in ſe immeritum exhibitam non ceſſabat unquam deprædicare. Itaque Chriſtianis armis ad ultimum certamen munitus, 24. Januarij Anno 1639. vitâ mortali relictâ immortalem eſt auſpicatus, ab anno circiter 1600. Profeſſus trium votorum, nam quartum ſibi Romæ oblatum ex humilitate nunquam admiſit.

Ex Anglia Mori & Bartoli.

P. BALTHASAR BELLY cum alijs 48.

QUæ univerſam mundi molem in tot diverſas regiones & climata partita eſt Numinis ſapientia, & ſingulis varios indidit naturæ genios, ac indolem diverſis germinandis & proferendis innatam; providit ſimul congruentiſſimè, ut ſicubi noxijs & virulentis progignendis ſeu animantibus, ſeu germinibus fæcundior eſt patria, fertilior ſit etiam in antidotis & remedijs ſuppeditandis terræ natura; neque unquam reperire ſit proprium alicui Provinciæ malum, cui non adſit pellendo peculiare ſuum ibidem procreatum bonum. Simili providentiâ in ſua diſpoſitione procedens Divina gratia, quia frequentior ſubinde hâc, quam aliâ mundi plagâ, vel crudelior graſſari conſvevit peſtilitas, plura etiam auxilia & animoſiores ſubmittit Operarios, qui vires omnes, & vitam adeò ipſam, in remedium & auxilium eâdem laborantium expendant. Premebatur graviore lue anno 1631. diverſis in locis Galliæ; & DEUS tot ex Societate ſingulis Urbibus eâ correptis, maſculæ virtutis excitavit heroës, quot in ſuppetias ægrotis ferendas deſiderari poterant: quorum plurimis ſinè damno evadentibus, alijs verò eodem quidem malo per contagium involutis, ſed in vita ſervatis, ſoli qui victoriam de morte tulêre cenſi ſunt 27. quorum nomina & geſta reperies apud Alegambe, inter illius anni Victimas Charitatis. Horum numero acceſsêre anno inſequenti bini, anno verò 1636. alij decem: & poſt triennium P. Balthaſar Belly, oriundus inter Allobroges Sebuſianos, annorum 43. in Societate 20. Coadjutor ſpiritualis. Agebat ille Cambérij, cùm apud Centrones ſeu Taranſarios, eo præſertim in oppido quod forum Claudij fuiſſe creditur, hodie verò Moſterium dicitur, dira lues omnia depopularetur, nullâ ferè ſpe capiendi alicunde ſolatij vel auxilij. Eam adeò ingentem Pater cladem miſeratus, impetratâ à Moderatoribus veniâ, tridui itinere, cœlo maximè pluvio, ingenti ardore illuc contendit, totóſque dies & noctes ſolandis ægris & omni ope juvandis, ſepeliendíſque mortuis occupavit. Hærebat illi jam pridem altè concepta hujus obeundi miniſterij cupido in animo, vitæque in eodem prodigendæ



P. Balthasar Belli. Soc: Iesu. Gallus, cum alijs 48. per Galliam fortiter cadentib., contempto Mortis metu, vitam pestiferis juvandis devotam, Naturæ victor, posuit Monasterij 9. Octobris Aº 1639. ætatis 43.

154.

ſtudium, ex quo Lugduni anno abhinc decimo eodem in obſequio verſatus, extinctis in ejuſmodi opera pleríſque ſocijs, reliquis in eadem procuratione ex concepto veneno periclitantibus, ipſe unus inter funeſtas pereuntium ſtrages intactus evaſit. De cetero quoque Vir fuit integerrimæ innocentiſſimæque probitatis, pauperibus potiſſimùm & rudibus juvandis deditiſſimus; unde etiam ex profunda, quam de ſe infra omnes alebat opinione, ferventiſſimis literis quartum ferè antè annum flagitârat à P. Mutio Generali Præpoſito, ſibi ut poteſtatem faceret operæ ſuæ per omnem vitam, ad imbeundam infimâ Grammaticâ pueritiam, æterno ſacramento devovendæ. Moſterium ùt venit, Hercule fortior, terminos naturæ & mortis horrorem tranſgreſſus, brevi labore ad metam pervenit, ut ad capiendum magìs primæ longè prolixioris in ægros impenſæ operæ præmiũ evocatus à DEO videretur, quàm ad novos ſudores: ſiquidem decimo quinto quàm iſthuc acceſſerat die, victor ex charitatis arena ad quietem diſceſſit, 9. Octobris Anno 1639. Ternis ſubinde alijs per ſubſequos annos ex opitulantium ægris majore ſociorum numero, Veſoncione, Burdegalæ ſublatis Anno 1649. nova charitatis cecidit hoſtia Maſſiliæ 29. Septembris P. Philibertus de Loches, Sabaudus, natus annos 47. in Societate 28. votorum quatuor profeſſus. Increbreſcente iſtic contagione, ſtatim ſe glorioſo periculo objicere certum habuit, tractíſque in ſua vota domeſticis Superioribus, Urbicos Magiſtratus, qui Virum magni æſtimatum periclitari non ferebant, invitos habuit: ſummis tamen precibus tandem

dem perfecit, cùm magno illius genio resisti ultrà non posset. Mira tunc in illo & latè undequaque ac providenter porrecta prudentia, nullis ærumnis fatigata, nedum interversa aut perturbata enituit, cùm partitè se in omnes Urbis ac Suburbiorum Regiones ità daret, ut necessaria Sacramenta nulli non impertiretur, quos vis mali de medio rapiebat. Cui cautæ Viri prudentiæ suffragatum Numen, quamdiu lethalis lues tota desævijt, plenam illi valetudinem, integras vires, laborúmque patientes servavit: at ubi fracta mala vis illius ope minimè egebat; tum demum illum veluti suæ jam gloriæ curriculo perfunctum ac emeritum, eadem contagio, & quinto pòst die mors occupavit. Morienti præcipuum solatium fuit, quòd ex hæreticis aliquot, qui eâ clade icti mortem jam præ foribus habebant, sapienti suâ charitate demulcere atque subigere ità potuerit; ut eos ab hæresi ad unicam Fidei lucem reductos, Cœlo transmiserit. Iterum Tolosæ peste cadentibus subsidio accurrens Anno 1652. P. Antonius Carcenac, eâdem consumptus est 28. Octob: cùm annos vixisset 38. Quem 11. Nov: secutus est ejusdem ministerij socius & comes Gaspar Arbé, Frater Coadjutor. Móxque altero anno 1653. Ascis, octo solùm diebus pio illo labore ægris impenso, operam & vitam posuit 20. Julij P. Amabilis la Rue, cùm paulò ante Americam votis complexus, illuc profectionem ad propagandum Evangelium pararet, natus annos 45. Et pòst eum Petrus Lebé Adjutor temporalis 18. Aug: ac mox die sequenti P. Franciscus Maltrait, quatuor Vota Professus, annum vitæ 40. agens.

Ex Allegambe Victimis.

P. THOMAS STRANGE.

Pater Thomas, natione Anglus, unus fuit è Nobilibus, quem P. Gerardus Commentationibus S. JGNATII exercitum, DEO & Societati lucratus est. Sacerdotio initiatus, magno spiritu redijt in Patriam, tantósque animarum ubique retulit manipulos, ut tot suis damnis irritati Ministri, non minùs insidias illi intercipiendo ubique struxerint, quàm si pulverariæ conspirationis complex proclamatus foret. Et incidit tandem in eorum casses, dum rem Catholicam promoveret in Provincia Warwicensi; unde Londinum, instar malefici deportatus, carceri subterraneo in turri demersus est; & rabie tam effrenatâ, licèt nè suspicandi quidem causam aliquam haberent, tortus; ut fractus viribus reliquos 53. vitæ annos elumbis, captus omnibus membris, in summis renum & capitis doloribus egerit. Wadeus enim in DEI Servum insaniens, per triduum equuleo illum distendit; altero triduo manicis ferratis excarnificatum: quam tamen tormentorum violentiam non fortiter modò & constanter, sed ut erat festivo à natura ingenio, etiam inter jocos & facetias pertulit. Etenim pseudoministrum importunè in ipso torturæ ardore in Religionem Catholicam argumentantem venustè retudit, cùm diceret: *Iniquâ, bone Vir, mecum agis conditione; sublimem te appendant hi homines sicut me, tum æquo loco disputabimus.* Sed & Præfectum turris Wadeum, acerrimum Sacerdotum hostem, cùm testem contra se apud Senatum Regium produxisset quendam, salsè perstrinxit excipiendo contra illum, tanquam minùs ad testandum idoneum, *eò quòd Wadeo affinitate junctus esset*: quod dictum Wadeo quidem stomachum (uxor enim illius malè audiebat) Senatoribus autem risum movit. Retrusus in carcerem Thomas nihil æquè doluit, quàm à sorte gloriosæ mortis se exclusum: *Fui*, scribit ipse ad P. Holtbeyum suum Superiorem, *in faucibus terræ, & in domo Capituli triduum: intelligis reliqua. Mea summa infelicitas est, quòd frustra tam propè à felicitate postrema abfuerim! tencor etiamnum inter compedes gratis, fatentur enim, nè suspicioni quidem ad fulciendam contra me causam locum esse.* Demum carcere dimissum vetuit Robertus Cæcilius Salisburij Comes extra Regnum cum alijs Sacerdotibus ejici, nè suo instinctu tam dirè habitus à Wadeo, crudelitatem eorum toto corpore prædicaret, & infinita illa adversùs Sacerdotes Jacobi Regis clementia, à Regijs Ministris per Aulas Principum Catholicorum jactata, cujusmodi esset, reipsâ ostenderet. Oppressit interea Cæcilium mors repentina & fœda vermibus, dum ex balneis rediret; quam Jacobus Rex veluti gratulabundus hoc ornavit epiphonemate: *Aures nunc habebimus tandem liberas à proditionibus*: habebatur nimirum ille plurium, odio Catholicæ Fidei, inventor & buccinator proditionum, quas Sacerdotibus maximè affingebat. Pòst ejus mortem nemo obstitit, quin Pater laboribus Missionis penitus ineptus, & oneri duntaxat Socijs



P. Thomas Strange, S.I. Nobilis Angl9, ob Fidem in Anglia disseminatam, tantâ crudelitate tortus; ut in residuam 33. annorum vitam omnib9 membris captus remanserit. Obijt in Belgio sexagenariô major. 1639.
155.

cijs futurus, Angliâ excederet in Belgium, ubi vitam inter perpetuos omnium membrorum dolores invictâ patientiâ exegit reliquam, plerumque eam recreans Sanctorum vitis legendis, & in dramata nativo idiomate composita digerendis: ad quorũ tandem Societatem æternam Vir prorsus humilis & patiens transijt Anno 1639. pridem tria Vota solennia professus.

Ex Anglia Bartoli & Mori.

P. RICHARDUS HOLTBEYUS.

X ijs, qui per turbulentissima Elisabethæ & Jacobi Regum tempora, Angliam coluêre ex Societate Operarij, nemo feliciùs Richardo latuit, nemo diutiùs in ejus laboribus perduravit. Natus Fraitoniæ in Comitatu Eboracensi ejusdem Regni Anno 1553. post hausta Latinæ Lingvæ initia in scholis domesticis, Cantabrigiæ primùm, deinde Oxonij Philosophiæ operam dedit, ac subinde eandem publicè frequentibus auditoribus explicuit. Sed quia Catholicæ Fidei retinentissimus in eadem discipulos magno zelo confirmabat, neque ad publicos hæreticorum in templis cætus & sacra adigi sustinebat,



P.Richard9 Holtbeyus S.I. Angl9: supra 50. annos inter continua vitæ discrimina Patriam excoluit. Defunctus ibidem 25 Maij Anno 1640. Ætatis 87.

J.G. Heinsch Del. 156. W.P. Kilian Sc.

bat, multis idcircò molestijs affectus, statuit sese illis eximere, & salutem animæ in tuto locare. Itaque sepositâ altioris gradûs, qui in ea Academia offerebatur, consequendi curâ, in Belgium transmisit Duacum, ubi simul & Rhemis triennium Sacræ Scripturæ, & de conscientiæ quæstionibus cognoscendis impendit: tum Cameraci Sacerdotio suscepto revertit in Angliam, totúmque ejus Septentrionem ad Scotiæ usque limites complexus, vastas horridásque ejus Regiones perpetuis itineribus percurrens, strenuum se probavit vineæ Christi cultorem. Neque tamen ipse sibi usquequaque satisfaciebat, quòd videret multum sibi deesse doctrinæ ad id genus Apostolicæ Vitæ, quod susceperat, cum dignitate pariter & securitate sustinendum, præsertim in certaminibus cum Verbi ministellis, & viris eruditis. Deliberanti verò de remedio, aptius non occurrit, quàm ut Religioni Societatis JESU nomen daret, quam Viris in omni eruditione & disciplina divina humanáque excultissimis abundare pridem noverat, præsertim cùm etiam ex ipsa sui Instituti Ratione proximorum saluti procurandæ tota incumbat, qui scopus illius animo potissimùm erat præfixus. Plurimùm autem in ea cognitione firmatus fuit Campiani familiari consvetudine, quem domo suâ, ibidem operi Apostolico insudantem, exceperat, juverátque ad locum ab hominum consortio sejunctum, in quo librum decem Fidei Orthodoxæ Rationum ad Academicos conscriptum perpoliret. Porrò à felici Campiani morte, tantus Richardi mentem cum illustratione divina invasit impetus (quem meritis & precibus Campiani ad-

adſcribebat) ut confeſtim ſub arbore in genua procidens (nam fortè in horto inambulans deliberabat) tria Vota Societatis apud ſe conceperit. Et quia neceſſaria tunc Catholicis per Quadrageſimam erat ejus opera, addidit quartum Votum, ſuſcepturum ſe iter Londinum, ad expetendam Societatem apud P. Haywodum, ejuſdem per Angliam Superiorem, poſt alteram Paſchæ Dominicam.

Londinum delatus, Haywodum alibi tum curis & laboribus diſtentum non reperit, ideóque impulſum divinum ſecutus, ex vendito equo comparatâ pecuniâ in Galliam transfretavit. Morabatur tum Pariſijs P. Thomas Dabishire Anglus; cui Richardus, cùm explicuiſſet animum, confirmâſſetque ſpiritualibus S. IGNATII commentationibus, admiſſus in Societatem à Provinciali, migravit Virdunum ad Tyrocinij exercitationes Anno 1583. Studuit deinde Muſſiponti annos quatuor Theologiæ, & Scotorum Seminario præfuit: nec multò pòſt peſtilente lue civitatem depaſcente, diſperſis per varia loca Sodalibus, remanſit ipſe cum Socijs tredecim, ex quo numero decem corruptos peſtilentiâ ſuis manibus ſepelivit, ipſe cum duobus Coadjutoribus evaſit, non alio uſus medicamine, quàm ut faciem & manus aceto ablueret. Poſt captatam Treviris & Moguntiæ liberiorem auram, miſſu Generalis Claudij Aquaviva migravit in Angliam, ubi prima cura illi fuit, in tanta hominum Societatis paucitate, complures Sacerdotes ſæculares ex Seminarijs prodeuntes adſciſcere ſibi Adjutores, & in loca opportuna diſtribuere, ſubminiſtratis liberaliter equis & pecuniâ. Ipſe ab anno ſæculi 1589. quo redijt in Inſulam, ad uſq; annum 1640. quo obijt, nullo unquam tactus corporis morbo, nullâ perquirentium nebulonum aſtutiâ interceptus, ſolerter ſimul & indefeſsè in opus Evangelicum incubuit, magnámque meſſem collegit animarum & meritorum. Manu inſuper promptus ad opificum quæcunque tractanda inſtrumenta, quocunque conſiſtebat loco, latibula Sacerdotibus tegendis tam dextrè aptéque fabricabat, ut nullum fuiſſe dicatur ejus arte perfectum, quod importuniſſimorum quæſitorum induſtriam non effugerit. Atque ità ætatem in ſummis laboribus ad annos ætatis 87. productam, ſenectute ipsâ fatiſcens piè clauſit 25. Maij An. 1640. annum cùm ageret in Societate 58. & à Profeſſione quatuor Votorũ 37. Paupertatis fuit ſemper præcipuus cultor, quam veſte, mensâ, cubiculo, ſtrato ſingularem præferebat, in alios munificentiſſimus, præſertim eos, qui Fidei causâ ergaſtulis detinebantur, vel recentes ad Chriſti vineam excolendam adventabant quicunque Sacerdotes.

Ex Anglia Henrici Mori.

P. JOANNES FRANCISCUS REGIS.



ILluſtribus & opulentis Parentibus ſatus P. Joannes in Gallia, patriam habuit caſtellum Fontis-operti in Diœceſi Narbonenſi; in ipſis cunis dæmonibus inviſus, quem de medio tollere, velut rebus ſuis aliquando adverſarium futurum præſagientes, non ſemel conati ſunt. Eam in rem ſagas adhibuêre, quæ extracto è cunis per noctem, nutrice dormiente, abuſæ utiq; fuiſſent ad ſuos avernales conventus, niſi Angeli Sancti prohibuiſſent: à quibus excitata aliquando nutrix, infantulum ſub lecto nudum, incolumem tamen reperit. Ab infantia pietati addictus, adultarum exempla virtutum quinquennis exhibebat, otij omnis fugitans, & puerilium oblectationum, condiſcendis precatiunculis intentus: útque primum ſcholis frequentandis aptus fuit, tempus ab ijs vacuum, quod æquales tribuebant nugis aut luſibus, ipſe lectioni ſacræ, orationi dabat & templo, nunquam in eo verſari ſolitus niſi genibus flexis, vultu ad modeſtiam Angelicam tam collecto, ut ejus intuitu omnes ad Summi DEI venerationem ſe incitari ſentirent. Et licèt principiò pietate hac & Sacramentorum frequentiâ ludibrio & deridiculo eſſet condiſcipulis, conſtantiâ tamen ſuâ mox omnibus venerationi eſſe cæpit, ut eo præſente nemo immodeſtiùs quidquam aut proloqui auderet, aut facere. Vitij ſpeciem omnem, & quantumlibet minuti peccati umbram fugiebat, ut nemo illum verbo unquam mendaci veritatem, aut iracundo proximum læſiſſe obſervârit; detractionum oſor acerrimus, & animi motionum ità potens, ut perturbationibus earum carere omnino videretur. Nil mirum proinde illius in vita ſervandi ſpecialem curam Superis fuiſſe: cùm enim aliquando à mari, quò ad piſcationem ſpectandam cum æqualibus exierat, in Urbem ſolitarius rediret, & ſomno inter ambulandum obrutus ad fluvium tenderet, eò uſq; gradiendo jam pervenerat; ut ſi vel paſ-


P. Joannes Franciscus Regis S. J. Gallus, salutis animarum sitientissimus, innumeris miraculis claret Lalovesci in Gallia ibidem vitâ functus 31 Decemb: 1640. ætatis: 443

J. G. Heinsch. del. 157. Ier: Kilian Sculps

passum præterea unum promovisset, casurus fuerit in gurgitem præceps, mergendus omninò, cùm neque natare sciret, neque adesset ullus; nisi eo momento occultâ Angeli manu expergefactus constitisset in vestigio. Inter hæc impelli sensim animo cœpit ad religiosum Societatis Institutum; útque experiretur, an verè DEI vocantis essent impetus, preces adhibuit multò quàm hactenus ardentiores & prolixiores, crebra rigidáque jejunia, aliósque corporis cruciatus: dum denique visus sibi de divina vocatione securus, Societatem ardenter expetijt, ad ejus Tyrocinium receptus anno ætatis 21. in quo ità se per omne genus virtutis omnibus probavit, ut nullus unquam repertus sit, qui in eo reprehendere quidpiam posset, singuli autem exempla ad perfectionem & sanctitatem sibi ex eo atque incitamenta sumerent.

Post nuncupata Religionis Vota, sive cùm doceret alios in scholis mansvetioribus, sive cùm vacaret ipse severioribus disciplinis, nihil negligebat occasionis, quâ prodesse posset alijs ad salutem, ut jam tum ominarentur non vanè domestici, insignem aliquando in vinea Domini operarium evasurum. Et Magister quidem in Scholis in id curas suas conferebat omnes; ut quot habebat discipulos, tot famulos quàm absolutissimos summo Domino pararet: in Studijs autem Philosophicis & Theologicis per Festa majora & Dominicas plerasque, ac quoties aliàs licuisset, excurrebat in pagos vicinos ad instituendam catecheticâ doctrinâ plebem rusticanam, quam deinde ipsemet ad confessionem peragendam Sacerdoti sistebat. Extat etiamnum inter eos Sodalitas SS. Sacramenti ab ipso instituta, pro-

fértque fructus animarum uberrimos, cujus Sodales Dominicâ quaque die illum adibant, factorum inter se dictorúmque reddituri rationem;& quæ vis erat Divini Spiritûs,quamvìs juveni parebant omnes, neque recusabant subire ea, quæ vel pœnæ, vel medicinæ nomine imperabantur. Sacerdotio insignitus, primam DEO hostiam eo ardore devotionis obtulit,ut in astantes etiam æstus eosdem derivaret: idémque donum totâ deinceps ætate illi permansit, ut quoties sacrificaret, svavissimos quosdam sensus de DEO rebúsque cœlestibus adstantium mentibus ingeneraret. Tum ubi primùm licuit, totum se in curam salutis proximorum, in Missionibus præsertim, transtulit, DEO famuli sui laboribus ubertim benedicente, ex quibus fructus nascebantur sanè mirabiles, Sequebatur præcipuè loca inculta & vasta, ut nihil molle sensibus occurreret, ideóque magìs à spiritualibus colonis destituti agrestes essent: tempus verò potissimùm deligebat hibernum; ut dum agrestibus eorum laboribus frigorum asperitas interdicit,otium illud ad neglectarum animarum utilitates transferret. Obibat pedes pagos singulos per medios labores æquè ac discrimina; luctandum sæpenumero erat cum ventis, cúmque nivibus, nullo ferè tramite, nullo vestigio eorum,qui antecessissent,ut vix præcipitia à tuto distingveres. Et quidem noctibus plerumque agenda hæc itinera obveniebant, ululantibus circumquaque in vastitate sylvarum lupis, quia per multitudinem ad confitenda peccata confluentium, nunquam ferè licebat ullo pago exire nisì sub vesperum; nocte interim, priusquam ad alium pagum pertingeret, ingruente. Eò perveniens, gaudio maximo exiliebat, si neque hospitium commodum, neque rerum ad usum necessariarum copiam reperiebat: quæ si subinde adessent, commodiores omnes in Socium derivabat, viliora & despicatiora sibi retinens.

Noctes ferè in scamno, sedili, vel etiam humi exigebat: ac,si quando lectum recusare non posset,ad breve temporis intervallum vestitus in eo acquiescebat, postmodum ubi molesti interpellatores abscessissent, descendens silenter, noctem reliquam in ea duritie transigebat. Cæterùm quocunque accederet, multitudo confluebat tanta, ut profestos dies à festis vix dignosceres: quorum confessionibus nè quid temporis commodi eriperet, Sacrum ferè rejiciebat in horam primam à meridie,ex privilegio Missionarijs nostris concesso, cùm simul bis térve in die verba ad populum è pulpito faceret. Sed cùm ardori mentis vires corporis minùs responderent, ad laborem minimè interruptum accedente inediâ, eveniebat sæpe, ut ex suggesto alienis brachijs ad domicilium efferendus necessariò esset. Quò tamen vix ingressum, obruebant confertim ij, quorum confessiones necdum exceperat: ità vix resumpto spiritu, aut in templum referebatur, aut in cubiculo sedens audiebat urgentes, sæpe ultra mediam noctem: pòst, ubi unam vel alteram horam somno dederat, redibat in templum expiandis reliquis. Tantam verò sui opinionem longè latéque concitaverat, mansvetudinis potissimùm nomine in tractandis peccatoribus; ut tanquam ad commune asylum confluerent à 10. & 12. leucis dissiti: quibus, cùm aliquando minùs satisfacere posset à Superioribus ad tempus domum revocatus, temperare nequibat à lachrymis, indicibus extremi studij prætermittendi neminem,si licuisset. Pòst ubi se ijs reddebat, excipiebatur ùt Apostolus vel Angelus, tantúmque in animos eorum habebat imperium, ut componeret perfacilè dissidia litésque, & nihil non extorqueret etiam à contumacissimis. Verissimum autem patrem miseris & oppressis se exhibebat, neque è loco discedebat, priusquam reos ad satisfaciendum injuriâ affectis perpulisset. Quòd si à Dynastis opprimebantur subditi ruricolæ, primùm illos omni observantiæ demissionísque significatione delinire, ac tum æquiores istis reddere svaviter & fortiter satagebat. Eandem curam & auxilium illis impendebat contra vim militarem; nam cùm in pagum quendam Oxitaniæ copiæ militares irruerent, pagani in templum velut ad asylum cum rebus suis confugêre; sed cùm nihilo secius illi vim pararent sacro loco, Pater incredibili ardore constantiáque obviàm armatis progressus, illos arcanâ quâdam vi perculsos repulit: quod idem alibi cum cohorte ex Calvinistis conflata, & miserè rusticos affligente, aggressus, cùm nihil proficeret, ipsum adortus est Præfectum, effecítque ut audaciam suorum inhiberet. Aliàs circa pagum S. Joannis missionem suam obeunte Patre, boves cum aratro abstulerant rustico milites, ad quos pauperi restituendos cùm inflectere ductorem cohortis non posset; recurrit ad DEUM, & mox ab oratione ingenti conceptâ fiduciâ: *tu verò*, alloquitur rusticum, *capito boves tuos, atque abigito: sic enim habeto, neminem planè prohibiturũ.* Properat hic, quò abacti boves erant, abducit continuò,inspectantibus quidem,sed nè verbulo resistentibus raptoribus.

Haud

Haud tamen paulò major labor illum exercuit in urbibus, in quibus vitia plerumque contumaciora, & salutaris medicinæ vix sunt patientia. Superavit tamen omnia constans Patris zelus, sive in frangenda hæreticorum pertinacia, sive in duritie pectorum emolliendа. Anicij mercator Patri idcirco infestus, quòd ex vitiorum cæno emergere nolentem urgebat frequentiùs, multa in Virum innocentem dixerat fecerátq; contumeliosè: quibus tamen nihil abalienatus, sed acriori insuper studio in curam phrenetici incumbens, adire illum sæpius, consulto aliquid mercium ex eo coëmere, & alios emptores adducere, communicare consilia sua de juvandis alijs; donec ad usque familiaritatem conciliatum, ad confessionem de tota vita apud se faciendam impulit, nihil aliud satisfactionis nomine imponens, nisi recitationem semel orationis Dominicæ, cetera enim in se suscepit, verberationem corporis quadragesies obiturum pollicitus. Fuit enim in tractandis peccatoribus lenissimus, magìs de commovendis ad intensam contritionem, quàm pœnâ graviore plectendis sollicitus; ajebat siquidem, *plures muscas melle modico, quàm copioso felle capi.* Quos tamen ad pia monita contumaces deprehendebat, objurgabat severissimè, eos præsertim, qui laqueum objiciebant virginum mulierúmq; pudicitiæ; quàm enim sedato animo injurias sibi irrogatas excipiebat, tam vehementer ulciscebatur istiusmodi flagitiorum genus. Jam verò in perditis mulierculis DEO pudicitiæq; restituendis præcipuè ejus vigebat zelus. Sanè dum in Collegio Montis-pessulani versaretur; extra urbem identidem progressus, miseras in trivijs venabatur, ubi alienæ saluti insidias tendebant, incensáque oratione sic commovebat, ut horribilis instituti pertæsas in urbem complures reduxerit, maximáque sollicitudine de vitæ conditione honesta, ut extra periculi aleam agerent deinceps, prospexerit. Itabat & ad fœda prostibula intrepidus, nihil sceleratissimorum lenonum iras, neque petulantium juvenum furorem veritus;& ad perditas sic perorabat, ut tametsi initio ferè ab eo refugiebant, cederent tamen denique, atque ad pœnitentiam se reduci sinerent. Quòd si resisterent aliquando nequissimi lenones, qui suo quæstu miseras domi suæ publicabant, fortiore zelo accensus eas per vim abducebat; & si domi servari negarentur, angulis omnibus vestigabat eripiebátque; quarum plures viginti aliquando piorum liberalitate, conductis ædibus inclusas, sustentabat. Quâ causâ incredibile est quot contumelias, obloquia, molestias & judicia ab amicis etiam pertulerit, operam frustra in profligatis ejusmodi collocari, cum detrimento Religionis, censentibus; quando præsertim ipsæ matronæ seu virgines talium alumnarum moderatrices, morosam earum contumaciam & mores improbos pertæsæ, non raro eas sibi habere Patrem jubebant, domibus suis expellendas: sed confirmabat eas in tempore Vir sapiens exemplo maximè S. JGNATII; præclarissimè utique cum ipsis actum iri, si tot tam gravibus, tam diuturnis laboribus, sumptúque tanto illud assequerentur, ut vel peccatum unum lethale impedirent. Atque ut exemplo suo curam earum intenderet, antequam iter ullum ad Missiones suas iniret, pœnitentes illas salutatum adibat, ac brevi cohortatione in proposito firmabat: quin & literas identidem ad præfectas earum dabat, testes studij sui curæq; præcipuæ, quâ in salutem earum invigilabat.

Gravissimum nimirum peccati cujusvis odium & horror, ex Divinæ Majestatis æstimatione & amore in ejus animo dimanans, tantopere zelum ipsius ad ea impedienda inflammabat: unde ad solam peccati gravioris mentionem urebatur imis sensibus, tantúsq; tunc dolor mentem opprimebat; ut defectus viribus stare vix posset in vestigio. Atq; hinc illa perpetua sollicitudo antevertendi in tempore nè quod perpetraretur: occurrebat precibus, lachrymis, vigilijs, laboribus, neque ab illo impediendo periculi ullius denunciatione dimoveri se unquam passus est: reprehendebat palàm in vicis & foris, si quos audiret nomen divinum indignè usurpantes, aut convitijs invicem lacessentes; in quas procacissimè aliquando publicè effusam mulierem offendens, cùm monitione nihil perficeret, obvio luto impletam volam in os furiosæ effudit, magnâ adstantium approbatione, & mulieris confusione. Sic autem increbuerat passim opinio de hoc Francisci ardore in ulciscendis DEI injurijs, ut ad improborum licentiam coërcendam interminarentur ijs vulgo, delaturos se ad Patrem Regis si pergerent; quæ una denunciatio plerumque reprimebat impios. Huc conciones suas omnes, quas in Missionibus quotidie plures habebat, direxit, & monita in Sacramento confessionis pœnitentibus data: in quo ità erat diebus totis, etiam dum in Collegijs versaretur, assiduus; ut frequenter Superiorum jussu evocandus fuerit è Confessionali ad cibum capiendum, cujus illum nec cogitatio in tam sancta procura-

ra-

ratione occupatum subibat. De quo cùm amicè à familiari Parocho aliquando moneretur, temperaret sibi aliquantum, nec tam duriter corpus viréſque neceſſarias affligeret, *atqui ignavus ſim & ingratus,* reſpondit, *ſi mihi parcam, poſtquam tantam in me toties DEI benignitatem ſum expertus. Fuit inter cætera, cùm iter ſanè arduum per montium juga emetiens, crus fregi; properánſque nihilò ſecius quò ejus obſequium vocabat, leucas duas ſic affectus cùm confeciſſem, explorans quo ſtatu crus eſſet, planè conſanatum reperi.* Neque hoc unum fuit periculum, quod ardens ſuus illi peperit zelus, graviùs de ipſa vita periclitatus eſt à juvenibus aliquot procacibus, quorum ſcelera Anicij pro concione acriùs perſtrinxerat: armati enim quiſque ſicâ & fuſte ad Collegij januam conſiſtunt, & per Janitorem Patrem evocant; qui arbitratus ſe ab ijs fortè confeſſionis causâ evocari, in templum interim eos deduci juſſit, illico præſto futurus. Parent illi jubenti, certi etiam in loco ſacro veſaniam ſuam exequi: cùm adveniens Pater vultu hilari, & ad Chriſtianam benevolentiam compoſito, quærit perhumaniter quid velint? exarmavit ea ſpecies furentem rabiem, & vehementi adjunctâ exhortatione ità permovit omnes, ut polliciti ſint ſe poſtridie ad eũ confeſſionis generalis ergò reverſuros, & fecerunt ex ijs duo.

Ceterùm quoties etiam in Urbibus, ùt Anicij, non modò verba ad populum faciebat Eccleſiaſtes; ſed etiam Catechiſta ſacram doctrinam familiariùs explicabat; incredibiles ad audiendum fiebant concurſus, ut frequentiam æquarent illam, quâ celeberrimi quique Concionatores audiuntur feſtis diebus. Hìc ille ſæpe verbis tribus inveteratos mentium morbos conſanabat, támque altè defigebantur animis, etiam paganorum, ea quæ proponebat; ut neget etiamnum pia plebs, obliviſci ſe illorum poſſe, fateantúrque etiam præcipui quique è noſtris, nunquam ſe in ullo tam incenſum animarum ſtudium vidiſſe. Adhæc commune idem fuit perfugium captivorum, ægrotorum, miſerorum, ex quorũ corporibus licet quandoque tantus prodiret fœtor, ut ab omnibus deſerti interirent, reperto nemine, qui quantacunque mercede propoſitâ tam gravem & intolerabilem mephitim excipere vellet aut poſſet: at Patrem Regis nullus unquam cujuſquam morbus aut fœtor, aut purulenta ſanies vel carcinoma ab alienavit; quin contrà exiſtimâſſes illum delicias aliquas ad eorum cervical deguſtare, ità ſe illis propè toto ore & ſenſibus applicabat. Eâ causâ itabat frequens ad xenodochia, atque ad publicas vinculorum cuſtodias, agebat Advocatum apud Judices & Magiſtratus, corrogabat apud locupletes miſeris tum alendis, tum ſolvendo, ob quod carcere tenebantur, æri alieno; ut ferè non alio nomine, quàm Pater pauperum appellaretur. Certè ad Collegium confluebat frequens turba viduarum, pupillorum, deſtitutorum, implorantiũ Franciſci opem, vel patrocinium apud Magiſtratus, nec ullum ſpes ſua fruſtrabatur. Et ad ſublevandam quidem eorum egeſtatem, domi certo loco aggerebat ſupellectilem induſiorum, attritarum lacernarum, calceamentorũ, theſaurum ſuum appellans, quibus poſtulandis nunquam deerant egentes: foris autem matronas inducebat pias & locupletes, quarum conſcriptum catalogum gerebat, ad victum & amictum certis pauperibus in ſtatum tempus præbendum, refragante propè nullâ. Montepeſſulani certè fœminæ primariæ 30. ſocietatem inière ad captivos in carceribus ſic alendos, ut ſingulæ diebus ſingulis prandium darent: ubi etiam ipſe diebus Sabbathi, ac pervigilio celebrium feſtorum conveniebat locupletiſſimos quoſque ad impetranda egenis munuſcula. Quando autem ex uno in alium locum excedendum ipſi erat; ſuum in locum ad hæc charitatis munia aliquem ſufficiebat eorum è numero, quos volentes ad eadem opera miſericordiæ ſingulis in locis erudiebat, vicem ſuppleturos ſuam. Quæ officia miſeris impendendo tantâ humanitate condiebat, ut ad ſolum illius conſpectum exhilarati, faciliùs revaleſcerent: cùm tamen ipſe nunquam ſibi ſatisfaceret, ſed ignaviæ accuſaret ſeſe, quòd non proximorum causâ vitam profunderet, alia omnia levia reputans. Quanquam ſi non charitate proximi emori, mori certè videri potuit, ſiquidem inviſendi aliquando moribundi negatâ copiâ, incidens in familiarem Sacerdotem: *Explora,* inquit, *arteriam, en febris me inceſſit! hæc totâ nocte ſæviet, nec partem quietis capere potero. Eccui enim vita vitalis eſſe queat, facultate proximos juvandi præciſâ?* Neque raro in reducendis ad frugem mulierculis ultimum illi imminebat ab efferatis amatoribus exitium; ſæpe intentata gutturi ſica eſt, ſæpe ſclopus obverſus in caput; at ipſe nihil animo motus, nunquam ab incepto deterritus eſt. Contigit non ſemel, ut ab his velut ad ægrotum domo evocatus, nemine ægro comparente, poſtquam per omnes civitatis vicos circumductus fuit, reduceretur tandem ab ijſdem ad Collegium, fatentibus tum demum, non alia de cauſa

cum

eum à ſe Collegio excitum, nisi ut ſeductum in ſeceſſum aliquem ab arbitris remotiorem conficerent; ſed occultâ quadam vi ſemper eſſe prohibitos.

Hæc & ſimilia in obſequio Domini perpeſſum, & nova ſemper majoráque pro ejus gloria molientem, eſtò mors non parum communi ætatis hominum termino anteverterit, non tamen ei accidit improviſa, de cujus die longè antè certior factus fuerat. Nam paulò ante Natalem Domini Anno 1640. jam tres quatuórve menſes rure verſatus, ultro inexpectatus adfuit Anicij in Collegio, venire ſe profeſſus, ut ad exitum è vita per tridui recollectionem, & generalem de tota vita exomologeſim animum compararet. Secundùm quæ rogatus à Confeſſario, quandónam ad Miſſionis labores eſſet rediturus? *Cras*, inquit, *omninò eò redeam, unde veni, oportet*. Urgenti, ut pro imminente Votorum renovatione in Collegio remaneret, aut certè ad eum diem cum ſocio rediret: *ego verò haud adero*, reſpondit, *aderit ſocius meus*. Opponenti, nequaquam ex decoro facturum, ſi miſſo ad Collegium ſocio, ſolus ipſe rure remaneret: ille nihil motus, *ſic prorſus*, ſubjecit, *futurum eſt; aderit ſocius, ipſe non adero*. Et evenit planè, quod prædixerat, nam ante eum diem ſanctâ morte obijt. Ergo per aſperrimum frigus remenſus ad ſuam miſſionem iter, pridie pervigilij Natalis Domini pervenit, & nemine tectum vel ignem in pago, quem ſeriùs attigerat, offerente, noctem illam in deſerto tugurio, ventis undique pervio exegit; gratulatus idem ſibi, quod Chriſto Domino in ſtabulum Bethleemi excluſo, evenire. Sed nihilominus inimica vis nocturni frigoris ſic Franciſci, ab itinere pedeſtri laſſati, valetudinem afflixit, ut indè morbum contraxerit lethalem. Exulceratio pulmonum cum febri acuta graviſſimis illum poſtridie exagitavit doloribus; & tamen, quod miraculo ſimile poſtmodum medicis viſum eſt, veſperum vigiliæ Nativitatis excipiendis confeſſionibus, cum ſequenti nocte, ac toto die ſacro continuavit: & quòd magis mirêre, eô noctis & diei intervallo ſexies de loco ſuperiore verba ad populum fecit. Tandem in ultima dictione cùm lateris dolor vocem intercluderet, ex Æde ſacra recepit ſe in vicinam Parochi domum, ad ignémque aſſidens audijt nihilo-ſeciùs eos, qui è templo excedentem ſecuti ad inſtituendam homologeſim fuerant. Tum ubi cunctis ſatisfecerat, decubuit demum, luctatúſque cum morbo ſex dies, in aſſiduis virtutum omnium actibus, Sacramentis religiosè ſuſceptis animam DEO reddidit 31. Dec. A. 1640. ætatis 44. initæ Societatis 26. ſepultus eſt in eodem, quo deceſſit pago, Lalowefc dicto, Diœceſis Viennenſis in Gallia, obſcuro ad eũ diem, ſed paulò pòſt perilluſtri, ob res mirabiles, quæ ad beati Viri tumulum fiunt quotidie. Ad juſta funebria perſolvenda Parochi è vicinia octodecim convenêre per altas nives, propè ſupplicationes integras ſuæ quiſq; plebis adducentes, 700. vel 800. paganos, unde monitos, neſcias; neque enim ab ullo fuerant invitati. Ubi autem tumulandum corpus fuit, comploratio extitit talis, qualem edere paterno in funere amantiſſimi filij ſolent, ut vix complexibus piæ turbæ eripi potuerit.

Fuit P. Regis inter Apoſtolicas curas animo ſemper cum DEO conjunctus, & illum intuente: omníſque geſtus, inceſſus, frons, habitus totus corporis ſpirabat ardorem mentis, cogitationémque de DEO ac rebus cœleſtibus nè ad momentũ quidem interruptam. Id quod illuſtriùs enitebat in caſibus repentinis, qui ex improviſo illum excipiebant, ſic enim ſemper animi compos erat, ut nullus unquam motus erumperet minùs moderatus. Illa verò totius vultûs compoſitio tam fuit in DEUM rapax, ut quiſquis eum aſpiceret, illico intus animo exardeſceret: & affirmarent plurimi, unum Franciſci obtutum plus apud ſe in eo genere valuiſſe, quàm vel incenſiſſimam concionem cujuſvis Eccleſiaſtæ. Maximè verò hìc ardor erumpebat, cùm verba de DEO faceret: hinc aliquando Provincialis, Anicij Catecheſim populo explicantem audiens, continere ſe nequijt, quin funderet lachrymas; ſociúmque compellans: *nunc verò*, inquit, *deſino mirari, fructus à noſtro Catechiſta referri tam uberes. Ego quidem ſi hìc degerem, occaſionem nullam prætermitterem illum audiendi, vel ſi iter leucarum quatuor emetiendum eſſet*. Divinum Officium ſemper recitabat flexo genu, nisi ſi iter agebat: noctu autem, poſtquam horas pauculas ſomno dederat, reliquas meditando traducebat, ídque ſi templum adeſſet, coram SS. Eucharistia. Pagus eſt in Alvernis frigore tam infamis, ut idcirco *S. Boniti frigidi* appelletur, ibi dum Pater Miſſionẽ obiret hyeme, pro templi foribus partem noctis haud modicam exigebat: quod cùm Parochus advertiſſet, *en tibi*, inquit, *Pater, claves Eccleſiæ, ſubi ſanè intrò dum libebit*: quâ facultate gratanter uſus, ibidem noctes exigebat propè totas, nunc flexis genibus, nunc ſtans, nunc pronus in vultum ante DEUM ſuum proſtratus.

Ex hac DEI æſtimatione naſcebatur in

eo profundiſſima ſui vilipenſio, ut totus animo exultaret, quoties ſe deridiculo cernebat eſſe alijs, quibus ultro ſe ipſe ridendum præbebat: túmque ſingulariter oblectabatur, cùm aliquid dixerat fecerátve, unde proponeretur aliorum ſcommatis, vel ludibrijs. Fuit cùm aſperrimâ hyeme facultatem à Superiore petijt verberandi ſui palàm in triclinio, & annuente Superiore ſic, ut veſtem non poneret, ſed per togam humeros verberaret, in diſcumbentium oculis prodit in medium, & ùt erat planè veſtitus, flagello è funiculis totâ lacertorum vi verberat humeros, lætúſque ac volens hauſit ruborem totum, & riſum ſociorum, erat enim jam ætate quadragenarius. Et verò ſingulari DEI providentiæ tribuendum eſt, permittentis ut non modò aſſiduè externorum ſannis patuerit, ſed etiam Superioribus illius minùs probarentur eorum pleraque, quæ vir DEI ad Domini ſui decus, utilitatémque proximorum ſuſcipiebat. Mirúmque eſt, quomodo fieri potuerit; ut Superiores, Viri utique probi & ſapientes, non ſemel hìc ſibi imponi paſſi fuerint, plus fidei habentes delationibus aut ſuſpicionibus juſto fundamento carentibus, quàm ferret viri ſanctimonia prudentiáque. Quibus caſibus nunquam vel verbulo cauſam ſuam apud Superiores defendit, niſì dum clarè videbat ſuo ſilentio DEI gloriam utilitatéſve animarum imminutum iri. Ejuſdem humilitatis ſtudio, defectus in ſe, & concionibus ſuis obſervatos, enixè petebat à ſocijs ſibi exponi: ædes Nobilium perpetuò vitabat, neque adibat unquam, niſì charitas cogeret & animarum ratio; cum Ruſticanis longè propenſiùs verſabatur. Et licèt tanto animarum zelo æſtuaret, juſſus tamen ſubinde à Moderatoribus deſerere præclarè cœpta, è quibus fructum non mediocrem exiturum tantùm non intuebatur, cedebat humillimè, at non ſinè lachrymis, quas uberes tunc profundebat: quippe non rerum in quibus verſabatur genus, ſed DEI voluntatem ubique intuebatur, in eáque ſuaviſſimè acquieſcebat. Non ſemel è medio curſu concionum Miſſionúmque derepentè revocatus, & ad docendam Grammaticam traductus, nihil tamen unquam expoſtulavit, neque contra prolocutus eſt: ſcholâ anguſtâ continebat ardorem ſuum incluſum ſilens, cui vix Orbis totus par eſſet.

Quia verò Divina Majeſtas illum ad Veneris potiſſimùm mancipia ſibi lucranda deſtinaverat, eâ ſimul Angelicæ virtutis prærogativâ communivit, ut licèt eſſet præfervidæ, & copiâ ſangvinis abundantis naturæ, tamen nunquam ſpurcas in animo imagines, aut tumultus ejus vitij inteſtinos expertus ſit. Id quod ipſe aliquando de ſe viro familiari profeſſus eſt, *ego*, inquiens, *quæ DEO meo ſit gratia, quid ſint motus obſcœni in me nunquam expertus ſum.* Quanquam non hujus duntaxat vitij, ſed omnis omnino peccati lethalis expers vixit, baptiſmali innocentiâ illibatè ad tumulum uſque conſervatâ. Quare minùs mirum eſt, ſi tam exoſum haberet vitium illud, cujus ut umbram ipſam aboleret, nè vitæ quidem pepercíſſet. Hinc ardor ille tam conſtans perditas mulierculas ex cœno extrahendi, & ubi primùm audierat alicujus pudicitiam periclitari, nullam partem quietis capiebat, dum eam in tuto collocâſſet: cujus flagitij ſi quandoque inhibendi facultas deerat, tum verò gemens ſic angebatur animo, quaſi omnium illorum rationem aliquando à ſe Dominus repetiturus eſſet. Et ſufficiebat plerumque ad extingvendas in alijs libidinis faces, ſolus congreſſus illius & familiare alloquium, ut ſi vel ſemel cum impudicis egiſſet, earum continuò in mentibus flagitij odium exiſteret; & fuêre, quæ cùm perdiu in eo cœno hæſiſſent, ubi primùm eo Confeſſario uſæ ſunt, adeò fœdam tyrannidem averſari cœperunt, ut deinceps conſtantiſſimè pudicitiam coluerint. Complures item de ſe ipſis teſtantur, contra ejuſmodi impugnationes ſalutari ſibi adjumento fuiſſe Patris invocationem, ex quo in terris eſſe deſijt: quin etiam quoties famuli DEI reminiſcuntur, continuò ſpurcas quaslibet imagines ex animo evaneſcere, non minùs quàm dum in terris ageret; ſolus ipſius conſpectus valuerit ad libidinoſos motus in ſe compeſcendos.

Porrò ad decus hoc Angelicum illibatè ſervandum, nullum non genus præſidiorum adhibebat; confitebatúrque quotidie, ſiquidem Confeſſarij nanciſcebatur copiam; afflictiones corporis adhibebat continuas, ſomno uſus breviſſimo, horarum ferè trium tantùm, nunquam ferè niſì veſtitus, in aſſere, vel ipſo cubiculi pavimento, ut quacunque noctis horâ ad ægrotos accitus, promptior eſſet. Quin etiam teſtantur illius ſocij, ipſum in Miſſionibus, nonnunquam menſium ſex, vix ultra horam unam & alteram noctibus ſingulis dormire potuiſſe: adeò tempus etiam nocturnum ei prælripiebat confitentium aſſiduitas. Victus illi parciſſimus idem & viliſſimus: dies toti ſæpiſſimè jejunio abſque omni cibo exacti: aliàs ſub veſperum ferè corpus primò reficiebat, de prandio nè cogitans quidem, lacte ferè & pomis aliquot, cum pane ſecundario

io apud ruricolas emendicatis; nam carnes vix attingebat inMiſſionibus,gelidâ in potum plerumque contentus. Frigoris tolerantiâ fuit pene incredibili, hyeme non raro in montibus gelidis ad tres quatuórve horas ſedebat in obvio ſaxo, pedibus nivi immerſis, aures pœnitentibus commodans, qui poſt illum pene conferti accurrebant: quo ipſo tempore ad lacernulam palliúmq; nihil veſtimenti addebat. Adjungebat flagellationem corporis ſingulis ferè noctibus, nec incruentam; cujus veſtigia in liventibus dilaniatíſque humeris viſa aliquando non ſinè horrore ſunt à ſocio, aliquid illi neceſſarij obſequij impendente.

His virtutibus atque Apoſtolicis geſtis eam locis in omnibus,ubi Miſſionarius verſatus eſt, opinionem ſui concitavit; ut pro Sancto habitus, vivens & mortuus alio nomine apud montanos illos hodiéque non indigitetur, quàm *Sancti*. *Sanctus*, ajebant, *hunc illúmve ad pagum pergit*; *Sanctus ità docuit*; *Sanctus propediem aderit*. Neque cœlum ad confirmandam perpetuis miraculis ejuſmodi opinionem defuit: nam cùm ex ea Servi DEI adhuc ſuperſtitis veneratione, certatim fruſta ejus veſtium, epiſtolarum, & quidquid ejus uſu ſacratū eſſet, pro reliquijs haberentur, placuit DEO mira per hæc ipſa operari. Mulier ruſticana pallium ejus non uno loco lacerum cùm à ſe reſarciendum impetrâſſet, fruſtula unà reſecta ſibi reſervavit, eâ fiduciâ,fore ut hæc pro amuleto deinceps ad morbos depellendos eſſent. Nec piam mentem ſpes ſua fruſtata eſt: eâ ipsâ luce, cùm filios duos domi jacentes haberet, alterum ex hydrope, ex febri alterum;ambos applicato fruſtulo vidit levatos ſtatim, paulò pòſt autem conſanatos prorſus:atque ex eo tempore cœperunt hi panniculi pro præſentiſſimo remedio totâ viciniâ adversùs omnis generis morbos adhiberi. Quibus rebus longè latéque vulgatis, cœperunt tanti undique concurſus ad ejus tumulum fieri, ut fidem omnem ſuperet. In pago enim illo paulò antè deſerto, numerantur aliquando uno die decem millia peregrini mortales: eodem ducuntur ſupplicationes ex pagis alijs, decem duodecímve leucis diſſitis; carpitur gleba tumuli ab unoquoque ſic, ut niſi identidem nova humus ad tumulum aggereretur, retectus jam fuiſſet ſæpius: eâ glebâ redactâ in pulviſculum, móxque epotâ, utuntur adversùs morborum genus quodlibet, atque adeò pro magno munere mittunt amici ad amicos pyxides illâ refertas. Hinc frequentiſſima Sacrificia fiunt ad altare ſacelli,ubi corpus depoſitum, neque ullus dies illis vacuus eſt, cùm ex oppidis pagíſque nonnunquam 20. & amplius leucas gallicas diſſitis voti rei indies conveniant. Anicij verò ad ejus Confeſſionale fiunt novendiales viſitationes, quibus fundit preces plebs pia pro impetrandis, ſolvítque vota pro exoratis beneficijs.

Verùm ut ea priùs, quæ ſuperſtes ſupra naturæ vires geſſiſſe viſus eſt,exequamur: advocatus aliquando ad Virginem, animam agentem, cùm jam pronunciâſſent Medici vix duas tréſve horas victuram, ipſe animo paululùm collecto excedere foras, uno dempto ſocio, jubet omnes; tum poſt brevem ſed ardentem orationem conſurgens, prehenſo deploratæ brachio, *in nomine*, inquit,*Domini noſtri JESU Chriſti impero tibi, febris, abſcedas omnino à corpore hujus famulæ DEI,liberámque relinquas*. Ceſſit momento febris ſic,ut continuò ægra ſenſuum uſu recepto, quem prorſus amiſerat, ad ſe redierit, planéque paulò pòſt convaluerit,ſtupente ad prodigium Medico. Simili modo ſangvinis profluvio laboranti mulieri prægnanti,qui nullâ arte ſiſti poterat, apprehenſo ejus brachio, momento ſtitit. Solebat autem plerumque, nè miri ejuſmodi eventus ſibi imputarentur, ſvadere votum ad aliquem Sanctum; uti accidit in Virgine exitiali dyſſenteriâ laborante: ſed cùm hæc negaret ſe votum ullum emiſſuram, neque velle per miraculum vitam ſervari, *at ſaltèm*, inquit Pater, *brevem mecum precationem recita*. Secundùm quam diſcedens Vir DEI, poſtridie Virginem ſanam reperit, ſic tamen, ut (quod perrarum eſt) exclamaverit propè expoſtulans, fraude ſe conſanatam. At Franciſcus indicto ſilentio, nè verbulum quidem addi paſſus eſt, nè adſtanti ſocio miræ illius curationis aliquid innoteſceret. Apud Civem Anicienſem ſepoſitam habere ſolebat Pater arcam ingentem ſemper frumento corrogato plenam,nè quis extremè egentium, ſe in Miſſionibus abſente, alimoniâ deſtitueretur. Cùm aliquando rediſſet, quærit, quo ſtatu arca eſſet? audítque vix quidquam ſupereſſe, ob multitudinem eorum, quorum indigentiæ ſubveniendum erat: *ergo implenda arca denuo*, inquit Pater, *verumtamen pergamus eò, & quid, quantúmq; ſuperſit, videamus*. Ubi veniunt, & arcam reſerant, inveniunt illam non modò frumento plenam, ſed propè exundantem. Idémq; eodem prodigio contigit aliàs; hoc diſcrimine, quòd frumentum ad dimidiam tantùm arcam excreverit. Fœminam in hæreſi pertinaciter obfirmatam, & omnes aliorum conatus diu eludentem, unicâ ipſe interrogatione, *& tu non vis ad S. Eccleſiam Ca-*

Catholicam converti? itâ infregit, ut in vestigio Catholicis accedere velle spoponderit.

Nec minùs prodigiosus fuit in secretorum, & rerum futurarum prædictionibus. Fœminam in flagitiorum cœno ad eam diem volutatam, quæ in eum adhuc sibi ignotum confessura inciderat, ad pudicitiam ardenter incitans, *sic habeto*, dixit, *ante sex menses DEUM in te beneficentissimum experière, in aliam prorsus mutaberis, & miraberis te talem fuisse, qualis ad hanc usque diem extitisti.* Et intrà illud tempus tanta in ea facta est mutatio, ut valere prorsus jussa flagitiosâ licentiâ, castissimè deinceps DEO famulata sit. Virgo quædam ex earum numero, quarum operâ utebatur Pater ad mulierculas extrahendas è fœdo volutabro, & in officio deinceps continendas, pertæsa laborem molestum & toties inutilem, nullis sese rationibus induci ad continuandum patiebatur: tum verò Pater fronte & oratione ad severitatem compositâ, *video*, inquit, *minimi me, meásque hortationes facis, sic habeto tamen, aliquando operâ meâ indigebis, requirésque absentem procul, atque adeò ad me venies.* Haud itâ multò pòst Patre demortuo, fustuario tam atroci illam exceperunt impuri lenones; quòd, Patre authore, nefarij flagitij facultatem ijs quondam ademerat, ut contusis artubus movere vix corpus posset. Ergo frustra omnibus adhibitis remedijs ad Patris tumulum supplex peregrina discessit, ibi plenè consanata. Alia ex pœnitentibus ipsius deplorabat coram illo obitum filij sororis unici, *atqui*, ait Pater, *non est cur tantopere queraris, alterum etiamnum utero gestat soror tua, à DEO in locum prioris suffectum.* Et tamen mulier tunc ante triduum modò conceperat, uti pòst ex eo patuit, quòd totos deinde novem menses, dempto triduo, uterum tulit. Ut autem ortum hujus infantuli, sic pueri cujusdam vegetissimi obitum non minùs certò prædixit. Luctuosior vates perditæ puellæ fuit, quæ emersisse ex flagitijs, pijs quibusdam matronis, apud quas receptum petierat, videbatur, cùm & ipsa sanctè emendationem sponderet, dummodo à lue venerea consanaretur. Igitur dum Patrem consulunt, seriò ipse curam illius suscipi dissvadet, morbum enim æternæ ipsius saluti futurum, cùm si ab eo liberetur, ad suum reditura volutabrum sit. Sed inconsultè misericordes haud gessêre morem, & puella ipsarum impensis vix sanitati reddita, ad superiorem intemperantiam redijt. Terrificum item quod perditæ alteri cecinit, quæ cùm ter quatérve aut resipuisset, aut resipuisse putaretur, *sic habeto*, ait vir DEI, *si hâc vice fefelleris, morte à DEO mulctabere sic, ut nè momentum quidem ad pœnitendum concedatur.* Funestam prædictionem funestior secutus eventus: paulò pòst sclopus explosus in caput miserrimo scorto vitam eripuit, cùm maximè petulantes juvenes aliquot ad flagitium alliceret.

Jam verò ad tumulum defuncti Viri DEI, tot támque mira in hodiernum diem beneficia mortales percipiunt, ut ea sigillatim enarrare, nimis prolixum esset. Vitalis Tochæus à S. Bonito ex diuturna febri, nihil proficientibus quibusvis pharmacis, ad extrema perductus, ad tumulum Francisci deferri petijt, ad quem toto corpore aliquamdiu prostratus, repentè exclamavit, *en me consanavit P. Franciscus Regis!* Et res sic prorsus habuit, nam domum se recepit & alacer & pedes. Mulierem rusticanam in vicinia gravissimi dolores torquebant ex ulceribus, quibus crus alterum à summo ad imum scatebat. Frustra adhibitis omnibus, sepulchrum Patris venerabunda adit, glebâq; illius ulcera confricat: vix fecerat, cùm dolor momento remisit, & ulcera brevissimo tempore integrè coaluerunt. Idem Franciscus Costæus eodem remedio expertus est in crure insanabili, dũ velut momento sanum ad Patris tumulum recepit. Sicut & Catharina Borretta ex oppido Tensa. Antonia Varassonia iteratò fracto crure cùm absq; furciculis deinceps ingredi non posset, expleto ad idem sepulchrũ peregrinandi voto, nullo deinceps adminiculo eguit. Filiola Jacobi Conilij paralytica eodem ex voto delata, gradiendi pariter usũ mox consecuta est. Henricus Morus Vir inter suos primarius, sic ex oculis totum biennium laboraverat, ut planè cœcutiret: is cùm aliquando per Lalowescum transiret, ædem sacram ingressus, ad tumulum Patris exiguum illum, qui supererat, visum prorsus amisit. Domum reversus dum conturbatus revolvit animo, quo loco alij remedium malis omnibus reperirent, se graviùs habere cæpisse, novâ conceptâ fiduciâ, fore, si ad sepulchrum Patris supplex rediret, ut visum certò reciperet: ad quam cogitationem subitò lumen perobscurè videre cœpit. Sed ubi eò peregrinatus Sacramenta piè percepit, oculorum usum recepit illico perspicaciorem, quàm in vita unquam habuerit. Catharina Martella similiter oculis capta, dum collectũ manibus sepulchri pulverem piè in oculos jactat, & quod mirêre, nullo dolore vel incommodo, redintegrata penitus est acies oculorum. Maria Morisonia 25. annos gradiendi facultate ex contractione nervorum destitu-

ta, ùt primùm ex voto ibidem famuli DEI opem imploravit, continuò, plurimis cum Parocho ſpectantibus, firmo veſtigio conſtitit. Globuli ex eadem ſepulchri gleba in pium contra omnes morbos uſum confecti, ab innumeris ſaluberrimo effectu adhibentur. Florentia puella in pago Pratanſi, ſtomacho nihil cujuſvis cibi retinente, ad extrema deducta, ubi pauxillum aquæ, cui globuli injecti erant, ebibit; quemvis exinde cibum retinuit. Quo eodem remedio in una S. Paulini paræcia plus triginta à diverſis morbis ſunt liberati. Armando Maltratio, ejúſq; filio periculoſam febrim; uxori ejus maxillarum dolorem acerbiſſimum idem depulit, & partum felicem præſtitit. Ad ejuſmodi globuli contactum faceſſivit eryſipelas è crure Benedictæ Baud, annorum 95. Ex cujuſdam Virginis capite impetigo: carcinoma ob ore Joannæ Sauſeæ.

Jam verò ſegmenta è veſtibus ejus, aliæq; ſimiles reliquiæ præſentiſſimum contra omne genus febrium ſunt antidotum In pago S. Andreæ cùm puero genam canis penitus amordiſſet, tanto ſangvinis profluvio, ut ſiſti nullâ arte, etiam ferro candenti poſſet; admotum è toga Patris fruſtulum ità perfectè ſtitit, ut nè guttula quidem ultrà fluxerit, ſimúlque omnem dolorem momento ſuſtulit. Aderat caſui pueri ſoror gravida, quæ triſti ſpectaculo perterrita, illico tormina ſenſit parientibus conſveta, cúmque inter ejulatus, quos tum doloris vis, tum abortûs periculum (erat enim procul à conſveto tempore) extorquebat, miſerabiliter ſe jactaret, idem fruſtulum collo appenſum continuè dolores omnes extinxit, & abortum ſtitit. Eadem cùm aliàs tanto capitis dolore torqueretur, ut noctes diéſq; clamoribus obtunderet domeſticos, nullam quietis partem capiens, tenui cereo caput in orbem cinxit, cum voto, eundem poſtea ad tumulum Patris incendendi, ſtatímque cruciatu omni liberata eſt. Virgo quædam ex phreneſi tumultuosè quatuor ipſos menſes inſaniens, fruſtra omnibus humanis diviníſq; adhibitis remedijs, ad tumulum Patris illico ſanæ menti reſtituta eſt, fruſtulóque ex toga Patris ad collum appenſo, conſtanter mentis & corporis valetudine uſa eſt. Furijs exitialibus agitabatur ad deſperationem filius matronæ nobilis morti proximus, neq; vel mentionem curandæ ſalutis æternæ admittebat: cùm Mater recordata fruſtulum togæ Patris ſe habere, illud furenti admovet, ſimúlque JESUM & MARIAM invocare jubet. Mirum dictu! paret ille totus jam mitis, & Confeſſarium ultro depoſcit, plenúſque optimæ ſpei mortem, de qua priùs nec audire ſuſtinebat, votis accerſit, & pijſſimè decedit. Et nè plura ejuſdem generis perſequendo tædium creemus, ſola etiam nominis P. Franciſci invocatio eadem beneficia plurimis contulit. Pro Blanca diuturnâ febri conflictante, plura vota ad diverſa ſacra loca fecerat Caſtanerius parens, ſed omnia fruſtra: cùm Parochus Lalowescenſis ægrotæ cognatus vovit, ſe in ſuo templo, ubi corpus famuli DEI jacet, Sacrum oblaturum DEO, & continuò febris abſceſſit penitùs. Id cùm vidiſſet ancilla, eodem & ipſa malo afflicta, voto ad eundem nuncupato, momento & ipſa convaluit. Idem in eodem morbo conſecuta eſt Maria Iſabella Arnaldia, & alia illuſtri genere matrona; rurſúmque in Annonæo S. Claræ monaſterio Virgo Religioſa, & Henricus Maruyerius in ſuprema curia Toloſæ Senator, multíque alij ex febri qualibet ægrotantes.

Vulnus quidam luculentum in ventriculo acceperat, id cùm non ſatìs aptè curatum à Chirurgis eſſet, ſecuti ſunt dolores tam exitiales, ut actum eſſe de vita pronunciarent Medici. At is ad opem P. Franciſci inclamandam dum convertitur, momento ſedatis cruciatibus plenè incolumis conſurgit. Eandem implorans Magdalena Grioteria, morbo confeſtim ſoluta eſt Medicis incognito, qui totum quinquennium membrorum uſum propè omnem ademerat. In oppido Tenſa puerum pedibus captum, neque ſinè grallis ingredi valentem, Mater, è Societate Sacerdoti Lalowescum peregrinaturo commendaverat, ut pro ejus valetudine ad tumulum S. Patris (ità enim trito nomine omnibus ibi vocatur) orare nè gravaretur. Et ecce tibi feriâ 4. Paſchatis ſub horam 8. matutinam, quâ Pater Sacrificium Lalowescì peragebat, lignea illa fulcra puero domi ultro excidunt, quæ ipſe expeditè jam gradiens ad ſepulchrum Franciſci in anathema detulit. Cui ſimillimum in eodem malo remedium, invocatione ejuſdem, fœmina Anicij conſecuta eſt: itémque alia Joanna Rigmolia nomine. In Diœceſi autem Apamienſi filius Fabaſij viri illuſtris, cùm ſeſquimenſem ex nervis diſtortis tantos eſſet dolores perpeſſus, ut quoties corpus in partem alterutram verſari cogebat neceſſitas, ad eorum conſpectum, qui id officij exhibituri accedebant, in ejulatus erumperet, víxque intra horam dimidiam perageretur id, quod momento fit in ſanis: accerſitus Confeſſarius jubet ægrum votum peregrinationis ad tumulum P. Regis edere: vix fecerat, cùm nullo doloris ſenſu tangi femur ſivit, atque adeò premi,

ſemel, iterum, ac tertiò; quæ res cùm Confeſſarij fiduciam erexiſſet, prehenſum manu ægrum jubet conſidere. Paret æger, parentibus & cognatis multis ſpectantibus, & ſancto quodam horrore perculſis, ſic ut teſtificentur ipſi, capillum in capite obriguiſſe. Ergo provolutis cunctis in genua, ſolennis gratiarum hymnus recitatus eſt, ægro in eodem ſedentis ſitu citra difficultatem ullam perſtante; mox abſcedente febri ſucceſſit cibi appetentia, ac ruptâ dehinc ultro exitiali vomicâ, erupit humor noxius, potuítque tandem æger conſurgere, & nullo fulcro ingredi. Id verò cùm reſciſſet monialis quædam Gimontiani Aſceterij à Medicis conclamata, ad idem præſidium confugiens repentè convaluit. Catharina item Sauſeta dolorem vehementem ſiniſtri brachij ſeſquimenſem ſic tulerat, ut vitam exoſa, mortem in momenta concupiſceret, Medicis circa mali cauſam penitus cœcutientibus. Igitur in P. Franciſci venerationem ſtatuit Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ obire, poſt quæ momento conſanata eſt.

P. Claudius Broæus Societatis noſtræ Sacerdos, ſcriptor Gallicæ vitæ P. Franciſci Regis, cùm ex diuturno quatuor menſium catarrho ob pectus infeſto humore oppreſſum vix ſpiritum ducere poſſet, tandem ubi ſangvis cum pituita mixtus in pectore computruit, morbo in phtiſim vergente, merum pus excreare ingenti copiâ cœpit. At ubi vovit Laloweſci ad ejus tumulum ſacrificaturum, & vitam ipſius ſcripturum, malum ità continuè remittere cœpit, ut poſtridie vix pars decima morbi ſuperfuerit, potuerítque paulò pòſt peregrinationem Lalowescum leucarum 40. equo perficere. Uxor Ludovici Penelli Civis Anicienſis tres ipſos menſes jacuit, omni omnino membrorum uſu deſtituta; pro qua vovit maritus, ſi convaleſceret, ituram unà ſecum ad tumulum Patris Regis, ſtatímque ingens levamentum ægræ acceſſit, & perbrevi temporis ſpatio prorſus convaluit. Filiolus Viri nobilis horas ipſas 24. tantùm non pro mortuo habitus, cùm vitæ vix ullum indicium ſupereſſet, ùt primùm à parente Servi DEI precibus eſt commendatus, reviviſcere continuè cœpit & vires nanciſci, donec plenè revaluit. Petrus Lamicus Anicienſis ab exitiali 10. dierum pleuritide ſenſuum omnium uſu jam deſtitutus, ùt primùm parens peregrinationem ad tumulum Patris vovit, plenam ſanitatem ſpatio 8. horarum recepit. Eandem à pleuritide liberationem expertus eſt Societatis Coadjutor Bruxellis jam S. Viatico ad æternitatem inſtructus, P. Franciſci invocatione, cujus imaginem ſibi dari popoſcerat. Gabrielis Ponceti itidem Anicienſis uxor edito feliciter partu, correpta eſt tam atroci ſymptomate, ut tanquam diſtentæ in equuleo membra omnia diſtorquerentur, & commiſſuris ſuis evelli viderentur, vultu tantùm non poſticam in partem obverſo. Ex tantis cruciatibus uſu omnium ſenſuum amiſſo pro mortua habita, pleniſſimè tamen horæ ſpatio revaluit, ubi idem peregrinationis votum à marito editum eſt. Eliſabetham Ferretiam ex pago Plaſio impotem ſui reddiderat amentia; ſed per Sacrificium DEO oblatum imploratus P. Franciſcus, ſanitatem menti eâdem horâ reſtituit. Joanna Lova ex pago S. Romani ad ejuſdem tumulum filiolos tres devexit, quorum natu maximus quinquennis; alter quadrimus; ultimus menſes duntaxat 18. natus erat, nullus ad eam diem gradi potens, & minimus ſic præterea artubus diſſolutis, ut neque erigere aut movere caput, neque cruribus niti aut renibus poſſet. Sacro altero Laloweſci curato, omnes tres plenæ ſanitati in conſpectu omnium ità reſtituti ſunt, ut duo majores illico firmo veſtigio inceſſerint. Quod idem beneficium invocato P. Franciſco conſecuta eſt Antonilla Lorgæa, ſexennio greſsûs omnis impotens: Clara Garneria brachijs & cruribus capta: Joannes Montalit puer, unà cum Maria ſorore, uterque pedum uſu deſtitutus: itémque Catharina Varithia, & Catharina Montagnonia, artubus omnibus conſtrictæ, ut nè pedibus quidem conſiſtere poſſent: Jacobus Rivalius totum triennium paralyſim totâ corporis dextrâ parte perpeſſus. Margarita Buſſonia Anicienſis acerrimo dolore ex ignota Medicis cauſa, in dextro femore vexata, poſtquam dies 15. omni cibo & potu ſomnóque caruerat, ſacro oleo ad ultimam luctam inuncta, repentè pulviſculum è ſepulchro P. Franciſci cum aqua expetijt. Et vix hauſerat ejuſdem opem religiosè implorans, cùm repentè convaluit.

An. 1656. Chriſtophorus Perretus adoleſcentulus ex nobili familia, ſic deformatus à fiſtula infra mamillam dextri lateris, totum jam biennium pure ſtillante per duo foramina, ut gibbum corpus eſſet, fruſtra Medicorum & Chirurgorum operâ magnis impenſis adhibitâ, tandem voto ad virum DEI concepto, integrè conſanatus eſt. Benedictus Gamponerius ex S. Romano, moleſto nervorum dextri brachij dolore & debilitate laborans, cùm aliquando vitam P. Regis legeret, derepente dolorem ingraveſcere ſenſit. Ergo moneri ſe de quærendo remedio interpretatus, vovet

vovet ejus ſepulchrum aditurum, atque ex eo momento dolore & debilitate omni levatur. Antonia Eſtivalia acerrimis doloribus capitis totum annum vexata, & tandem viſu in utroque oculo privata, implorato ejuſdem patrocinio ſanitatem cum viſu recepit. Magdalena Arnaud Sanctimonialis Anicij An. 1658. ex hydrope totum propè annum durante à Medicis conclamata, accedente in brachio formidandâ inflammatione, ob periculum gangrænæ mortem in momenta præſtolabatur: cùm delata ad cœnobium eſt è Collegio maxilla Servi DEI, quam enixè ad ſe deferri Virgo expetijt. Allatam venerata, ubi pixidem quâ includitur prehendit, illico vigoris ſenſit tantum, quantum ſatìs fuit ad corpus utcunque levandum, quod pridem facere nequierat: tum ardenti pietate exclamans: *fidelis ſerve DEI, DEI voluntas fiat!* eodem momento multiplex malum vaneſcere ſenſit. Nam & liberè ſpiritum ducere, & cibum appetere cœpit, tumorem autem noxium ſponte prorumpentem triduo toto integrè depulit. Denique tres è Societate Sacerdotes, ut alios innumeros prætercam, chirographo jurato teſtati ſunt, ſe ejuſdem interventu ſanitatem mirabiliter conſecutos eſſe, primus quidem Joannes Paſſinges An. 1659. annis quinque à morbo colico renali vexatus: alter Benedictus Berthod triennio toto ex gravi hæmorrhagia laborans: tertius denique Franciſcus Creuxius, qui vitam P. Regis ex gallico latinè edidit, à moleſto dolore & ſtupore ſiniſtri brachij liberatus.

Anno demum 1680. ego ipſe cum duobus è Societate præſentibus, & pluribus ſæcularibus teſtibus juratis, ſpectavi Jlluſtriſſimum quendam parvulum Comitem 11. annorum, graviſſimâ, ſeu ſtrangurie, ſeu calculo plures horas 22. Octob: laborantem Patzovij in Boëmia. Cùmque in ſingula momenta ex dolorum vehementia acceſſuram phreneſim & mortem timeremus, nihil proficientibus ullis remedijs: ùt primùm modicum quid de terra ſepulchri Patris Regis in potu obvio ſumpſit, illico difficultate urinæ & dolore omni ità ſolutus eſt, ut nè veſtigium quidem ullum, aut ſaltèm virium langvor remaneret: nunquam deinceps hoc malo (anni jam ſunt undecim) tentatus.

Ex ejus Vita, & Andrade Tomo 6.

P. JOANNES PERCEY *(dictus* Fiſcherus.)

PAter Joannes Percey, alijs Perſeus, adſcito verò ad ſecuriùs latendum nomine, Fiſcherus dictus; natione Anglus, patriâ Dunelmenſis, Parentibus hæreticis ortus fuit, & à Fratre natu-majore primis literarum elementis imbutus. Adoleſcens 14. annorum ſingulari DEI beneficio in familiam Matronæ Catholicæ aſſumptus, non ſolùm librorum Catholicorum copiam, quos aſſiduè terebat, nactus eſt; ſed piæ etiam fœminæ exemplo, precandi imbibit ſtudium. Feſto quodam cùm eſſet in procinctu, ut de more ad preces hæreticorum templum adiret, hoſpitam inaudivit lamentantem, *heu me! neminem ego habeo, qui mecum unà DEUM oret! Ecce me paratum*, infert juvenis: *ſed nequaquam idoneus es*, objicit hera, *quia excommunicatus*. Eo verbo quaſi fulmine ictus (multa enim de maledicto hujus cenſuræ jam legerat) procidit in genua, DEUM ardenter precatus, ut ſe à tam periculoſo ſtatu quàm primùm eriperet: neque unquam deinceps templa hæreticorum adijt, unicè ſollicitus ut Catholici Sacerdotis copiam quantocyus nanciſceretur. Sed quia hi non facilè tam teneræ ætati ſinè experimento ſe credebant, annus ferè illi lapſus eſt, aſſiduis precibus hanc à DEO gratiam petenti, antequam daretur opportunitas ejuſdem matronæ beneficio; à qua rogatus Sacerdos eum convenit, útque conſtantiam experiretur, auctor fuit confeſſionis differendæ, dum Patris Fratríſque conſenſum impetraret, nè moleſti eum ab incepto averterent. *Fac*, inquit Joannes, *prout optimum videtur; at quo in loco interim exiſtimas futurum eſt anima mea, ſi hoc intervallo moriar?* Prudens adeò juvenis reſponſum rem definivit: neque paſſus eſt Sacerdos illum diutiùs fruſtrari voto. Id ubi frater comperit, & inutilem in pervertendo operam locaturum ſe liquidò deprehendit, nè quid ex eo incommodi familia à Magiſtratibus pateretur, iter illi tranſmarinum perſuaſit, ut inter Catholicos Studia proſequeretur. Bis térve tentavit fruſtra viam, ità referta erant omnia delatoribus; tandem Navarchum nactus, qui eum diſcendæ lingvæ Gallicæ prætextu tranſveheret, Rhotomagum tenuit, deinde Rhemos, quo in Seminario triennium in Humanioribus & Philoſophicis verſatus, reliqua Romæ in Collegio Anglicano proſecutus eſt, publicè etiam propugnatis ex univerſa Theologia the-



P. Ioannes Percey, alijs Fischer, dict., Angl., S. I. gravissimas pressuras in cura Animarum expertus. Obijt Londini, 3. Dec. A.° 1641. septuagenario major.
150
W. P. Kilian sc.

thesibus. Sacros Ordines ex Pontificis dispensatione ante legitimos annos suscepturus, per sacra Divi IGNATII Exercitia animum præparabat, cùm sensit se potenter à DEO impelli ad Institutum Societatis; remorabatur tamen illũ desiderium quantocyus transmittendi in Patriam, ut Parentes & Cognatos, priusquam decederent, Ecclesiæ adjungeret. Multis ergo precibus ardenter consulto DEO, hoc dilemmate animum composuit: vel in Societate judicandum se fore idoneum, qui sinè mora mitteretur in Angliam, vel nondum idoneum; si primum, futurum certò quod tantopere optaret; si alterum, præstare nunquam, quàm cum discrimine propriæ salutis eò discedere.

Tornacum igitur missus ad Tyrocinium An. 1594. eo fervore Religiosæ vitæ se applicuit, ut è nimio conatu læsâ valetudine, ante biennij exitum Superiores judicaverint remittendum in Patriam ad eam recuperandam; & quidem majoris securitatis causâ, vitandis suspicionibus, per Hollandiam. Verùm comprehensus Flissingæ à militibus Anglis, & è literis, quas ferebat, Sacerdotij convictus; horrendum in modum tortus, ut proderet, cujus operâ usus fuisset ad transmittendum Roterodamo in Angliam: nam & in trochleam de manibus pendulus attractus est, & contorto circa caput fune nautico exagitatus, ut pene cranium dissiliret. Ex quo tormento, animo semper in cœlestia fixus, mirum dictu! remedium valetudinis suæ retulit; siquidem tinnitus & dolor capitis omnis, quo pridem laborabat, indè imminutus paulatim evanuit; & cùm nihil ab eo præter suspiria ad DEUM exprimi


primi posset, captivus Londinum in tetrum carcerem, quem Brigittæ fontes appellant, deductus est; ubi pro lecto pavimentum habuit lateribus stratum, & modico stramine conspersum. Hinc tamen post septem menses nocte concubiâ per tegulas cum duobus Sacerdotibus evasit ad Missionis Superiorem, à quo ad Scholasticorum emittenda Religiosa Vota admissus, discessit ad domesticos suos, & Matrem ac sororem aliósque affines & cognatos Ecclesiæ adjunxit, nam Pater antè obierat. Bienniô in ea Septemtrionali Provincia plurimis aliorum conversionibus transactô, datus est Joanni Gerardo socius in Northantoniensi plaga, ubi pluribus annis præclaram navavit rei Catholicæ per omnia Sacerdotum munia operam, in omnem latè viciniam excurrendo, nunquam sinè insigni reportato fructu. Inciderunt interea calamitosissima pulverariæ conspirationis tempora; traditáq; carceribus matrefamilias,apud quam degebat Perceyus, novæ penè quotidie sedes,latebræ, ubique fugitivo quærendæ fuerunt, neq; tamen sinè fructu. Senex Catholicus, Vir nobilis, timore legum ad simulandam hæresim inductus, nullo Sacerdotis veteris sui Confessarij conatu reduci cùm posset, recurritur ad Percey: adit ille, hortatur,minis æviternis urget; sed frustra. Abitum prosequentem reverti coëgit exundans flumen:integratur cum obstinato sene ferventiùs pugna; sed non expugnatur. Postero die discedens re infectâ Pater, dum rivum æstimatione suâ minimè profundum trajicere tentat; parum abfuit, quin unà cum equo mergeretur. Dum luctatur, & pontis trabem amplexus evadere tentat; is, qui comitabatur, revolat ocyùs ad senem auxilia flagitaturus: qui ipse cum famulitio accurrens, licèt priùs ad monita caute durior restitisset, hoc sui causâ à DEI Servo vitæ discrimine ità mollitus est, ut postero die petitâ ultro apud Patrem expiatione, constanter deinceps Catholicus vixerit.

Sed non diu Patri securo esse licuit, delatus enim ad Magistratum latere in certa domo cum socio Sacerdote, Nicolao Harto, die omnium Sanctorum solenni repentè opprimitur, & unà cum matrefamilias Londinum abducitur. Undecim mensibus carcere Westmonasteriensi, magno captivorum ibidem Catholicorum solatio & proventu, maceratus, precibus Oratoris Hispanici permissus eâ lege, ut solum verteret, migravit in Belgium, præfuítq; aliquamdiu nostris in munere Vice-Præfecti Missionis Anglicanæ; tum Lovanij S. Scripturam explicuit. Verùm cùm nec mortem, neque tormenta formidaret generosus Christi athleta, denuò permissus est trajicere; iterum propè in ipso ingressu captus, & in carcerem novum ad Tamesis ripam conjectus. Ubi tantâ rei bene gerendæ facultate fruebatur; ut cùm potuisset facilè liberari, maluerit toto triennio hærere cum socio Edwardo Whitingamio,qui præter innumeros, Nobiles præsertim, liberè carcerem adire permissos, in Religione orthodoxa roboratos, & ad virtutem promotos, 150. Ecclesiæ restituerunt. Et inter eos Illustrissimam Comitem Ducis Buckingamiæ Matrem; qui cùm summâ gratiâ apud Regem Jacobum floreret, obtinuit, ut Patri Perceyo è carcere libero apud Matrem suam degere liceret. Quin & ipse Rex de rebus Fidei controversis audire ipsum coràm disputantem aliquoties dignatus est, proposuítque insuper scripto novem capita, quæ ipsum retinebant, quò minùs Romanæ Fidei manus daret, jubendo ut ad singula itidem scripto responderet: nempe primò, Cultus & veneratio imaginum. 2. Preces & oblationes factæ DEI Matri. 3. Cultus & invocatio Sanctorum. 4. Missa, & preces illiteratorum (utì Monialium) in ignota sibi lingva. 5. Repetitiones Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ in Rosario, præsertim si in numero ponatur meritum. 6. Transsubstantiatio in Evcharistia. 7. Communio sub una specie, & doctrina de concomitantia. 8. Opera supererogationis, relata præsertim ad thesaurum Indulgentiarum Ecclesiæ. 9. Potestas Papæ ad Reges deponendos directè vel indirectè. Respondit quidem Perceyus unius mensis spatio, sed ad Regis manus scelere Ministrorum seriùs pervenerunt, publicis etiam paulò pòst typis ob soliditatem argumentorum in multorum salutem vulgata,docto cum Commentario Joannis Floydi. Liber à carcere Pater toto decennio non solùm Comitissæ viventi morientíque præsto fuit: sed sub tanto patrocinio omnibus, absque ullius obstaculo, partim domos invisendo, partim sese adeuntes instruendo, prodesse potuit.

Post obitum Comitissæ, Senatus Regius tanta hæresis suæ damna ferre impotens, munitum licèt Regijs literis Perceyum,& sub earum tutela liberè munia Sacerdotis ubivis obeuntem, denuò captivat, non aliter dimittendum, nisì in exilium, datâ fide non redeundi; quam præstare cùm nollet, octo iterum menses detentus est carcere Westmonasteriensi. Collocaverat per ea tempora filiam Rex Christianissimus Carolo Regis Jacobi Filio in matrimonium; cujus intercessione libertati Pater ite-

iterum restitutus, culturæ animarum totum se reddidit, & prioribus in Catholicæ Religionis defensionem scriptis alia addidit, multósque primæ etiam nobilitatis viros & fœminas Ecclesiæ restituit, alios verò in eadem confirmavit. Donec laboribus & annis, septuagenario major, superatus, quater in carceribus & tortura Confessor Domini, catarrho in fauces defluente, & in cancrum degenerante, annis ferè duobus æger, vitam hanc ærumnosam incredibili morbi patientiâ cum Cœlesti commutavit Londini 3. Decemb: An. 1641. ab emissa quatuor Votorum Professione 33.

Ex Bibliotheca Alegambe, & Mori Angliæ.



Edmundus Renard Soc: Iesu, Coadjutor, Belga, per 20. et plures diversis locis pestes, ægrorū gnav, et publicus Curator, eodem malo ictus excessit Leodij, publico Urbis luctu, et Exequijs omnium Parochiarum elatus 31. Ian: A° 1643. æt: 53. alijs 101, Socijs simili gloriosâ morte per Belgium defunctis.

159.

EDMUNDUS RENARD, cum alijs 101.



Frequentior per Belgij Provincias pestilentia in populos grassari solita, magnam Societatis zelo & charitati materiam semper præbuit expromendarum virium, quid in hoc fatalis certaminis genere, ubi mors in lucro reponitur, & lethalis ictus pro victoria computatur, duce virtute posset. Certè ab anno sæculi 1630. usque ad 1643. in contagionibus undecim per diversas ejus Regiones & Urbes recrudescentibus, ex solis auxiliarium in calamitatem publicam Sociorum manipulis tumulum gloriosum repererunt (non annumerando per Holandiæ fœderatas Provincias in eadem causa extinctos) octoginta tres:

tres: quorum nomina per singulos annos suis locis relata legere est apud Alegambe in Victimis Charitatis, ex quibus pauculos hìc daturi sumus. Ordimur ab ultimo, licèt conditione Laico Coadjutore; secuti judicium, & publicam Urbis Leodiensis, in qua decessit, æstimationem, quæ vitâ functo inferias eâ celebritate pompâque apparavit, quales ferè vix aliquando, Societatis homini, etiam ex Sacerdotibus, eâ causâ persolutas in nostra historia legisse memini. Nomen illi Edmundus Renard, patria Namurcum, parentes conditionem civilem non superantes, ætas annorum 53. in Societate 33. Vir fuit, qui cùm in omnibus suæ conditionis officijs præclarè rem gesserit, cum ad serviendum maximè ægrotis præcipuum illi studium fuit. Sed nulla major illi commendatio, quàm ab eo charitatis ardore, quô ad opem peste dejectis ferendam incitatus, vigesies eóque ampliùs varijs locis, variísque temporibus, Namurci, Montibus, Duaci, Attrebati, Insulis, ac postremò septies Leodij, ferali sese addixit obsequio: donec aurâ demum funestâ ex eo collectâ, claram pro amore proximi mortem oppetijt. Ubi diffidentibus ut pestem haustam superaret Medicis, cùm unus è nostris pro concione cum multitudini commendâsset, ingens è vestigio, & quasi publica comploratio coorta est, tam proficui utilitati publicæ capitis jacturam dolentium. Verùm ubi è vivis ultimo Januarij An. 1643. ereptum constitit, certatum inter Urbis Curiones, qui in suis quisque Paræcijs maximè ejus industriam compertam habebant, quis grati animi officium in bene de patria meritum luculentiùs demonstraret. Primus exemplo cæteris fuit Parocus ad Divæ Magdalenæ, qui in concursu frequenti Parochianorum, solennes illi solvit inferias, cantatâ adstitibus Diacono & Subdiacono piaculari Missâ. Eum æmulati sunt Curati ad Divæ Aldegundis & S. Catharinæ: sed in eo fuêre Superiores, quòd adhibuêre copiosa Musices instrumenta ad sacrum lessum, & excitavêre in medio templo mortuale cum plurimis funalibus pegma. Tandem convenêre triginta duo, quotquot nimirum ea perampla in Urbe Curiones censentur, in Æde S. MARIÆ ad Fontes, eáque lugubribus à summo pannis atratâ, & pictis Societatis ex JESU nomine insignibus (quod Magnatum solùm in funeribus ibi solet) ex intervallo distinctâ, undante densissimo populo, Defunctorum Officium ritu Ecclesiæ consveto decantârunt. Tum solenni cæremoniâ parentatum, Decano Curionum sacris operante, duobus alijs è primarijs Diaconi & Subdiaconi personas agentibus; reliquis, eorúmque unà Sacellanis, Chori partes explentibus. Demum ad cumulum, nostro in triclinio confecêre suo ære mortuale epulum, cui cum nostris assedêre: gratias verò pro tanto Societati in facie totius Urbis præstito honore per unum è domesticis Sacerdotem referentibus, totum illud, quòd fecissent officij, longè impar esse Fratris meritis & votis suis contestati sunt, séque vel ejus unius gratiâ Societati semper obnoxios fore.

Anno 1634. Gandavi grassante lue, Tobias Roëlofs, itidem Coadjutor Brugis ortus, annorum 65. in Societate 32. gratiam servitij contagiosis impendendi apud Rectorem expetijt, quòd ingravescente jam ætate minùs idoneum se fore deinceps ferendis laboribus adverteret: multis ideo cum lachrymis contendens, ut sibi, qui utiliter ultrà vivere non posset, saltèm mori fortiter in illo virtutis campo liceret, qui nimirum unicæ Fratrum Coadjutorum esset Indiæ, ubi animam pro salute proximi edere possent. Dilata illi ac sustentata spes aliquamdiu fuit, alijs identidem submissis, tantùm sortem suam flebiliter miseranti, quantùm felicitati illorum gratulans sanctè invidebat. Obtinuit tandem ut ad breve spatium partes suppleret alterius: jámque domum revocandus erat, cùm ipse id futurum sibi nuncianti supplex factus non dubitavit asserere, unius si diei tantùm impetraret inducias, de reditu se nequaquam laboraro. Impetravit, & eo ipso postero die lue contactus, & perceleriter 7. Aug. extinctus, præclarum supremæ charitatis documentum dedit. Paris animositatis in ætate adhuc graviore Pater Jacobus Marlart Boloniensis, septuagenarius senex, cùm Anno 1636. Attrebati ijsdem ferè argumentis sortem hanc impetrâsset, quinque ipsos menses pestiferis operam incolumis navârat; cùm Magistratûs oratu & commiseratione à Moderatoribus revocatus, postridie recessûs, lues jam hausta in erumpente carbone se ostendit, & quatuor diebus hominem sui compotem 15. Aprilis reddidit, quo ad ejus stadij ingressum DEUM unicè precabatur, ut emori sibi in eo concederet. Eodem anno Huj, quod oppidum est Mosæ flumini impositum, P. Henricus Carlier domo Attrebatensis 38. annorum, ex eadem arena ad præmium capessendum abijt. Vitam ille jam antehac binâ vice Namurci pestilentiæ objecerat, & incredibilia charitatis insignia præ se declarârat; quorum illud magnæ admirationi omnibus, latè eâ regione diffa-

diffamatum fuit. Exundârat amnis Mosa, & Urbem cum suburbanis proluvie obruerat: nullus eum in cymbam nauta, pestilentiæ formidine, velle accipere; nullus ad ægros transmittere: nulla patere pedibus semita, aquis altè stagnantibus; ad hoc frigus esse, & rigidum gelu. Sed ipse nihil ea veritus, nihil moratus, laterum tenus algentes per aquas ingressus, ad feralem domum evasit, ubi ægro navandum erat studium. Spectavêre Cives attoniti, & ardorem amoris, quem neq; aquæ multæ & gelidæ extingverent, deprædicavêre. Afflavit eum tum quidem lues, & aspersum tabe virulentâ acerbissimis doloribus exercuit, ut nimirum ictu sapiens factus, si naturam sequeretur, periculum fugeret; si virtute viveret, fortior ad discrimen resurgeret. Et verò ope Divinâ vix consanuit, cùm Hujum rogatu suo, in medium ejusdem incendij missus, eadem ibi charitatis officia mirùm quàm cupidè ardentérque repetijt; in quibus perceleriter & ipse morbum hausit, & perbrevi mortem executus est, minimè tamen improvisam. Nam antè Confessario suo, quàm tentari malo cæperat, retulit, adfuisse sibi vigilanti, conspicuum in cubiculo Patrem Guilielmum Bartier (is uno alteróve abhinc mense, cùm ageret Collegij Ministrum, contractâ à nostris, quos supremis officijs procurabat peste, è vita discesserat) & celerem sibi denunciâsse mortem, quâ felici consortio ipsi jungeretur. Sic paulò pòst occupatus malo, incredibili vultûs animíque serenitate inter illa iterata verba: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; ex his tenebris in lucem veram excessit die 16. Sept: Pater Guilielmus Marci ex voto pridem varijs vicibus Superioribus instanter proposito, tandem pestiferis Anno 1639. Valencenis concessus, occubuit 7. Januarij, ortu fuit Dionantensis, annos natus 64. in Societate 40. versatus in gradu Coadjutorum, tanto pueritiæ Christianæ, juvandis pauperibus, ægris visendis zelo, ut scholam pauperum, quam ibi Dominicalem vocant, annos ipsos plùs quàm 30. procurârit, mirâ ac multiplici industriâ vehementer promoverit, mirificâ Urbis summorum minorúmque approbatione. Adesse noctu diúque moribundis, pauperes omni ope juvare, cum rudibus & agricolis pronissimè versari. Sæviente lue his potissimùm juvandis addictus, servitia & rusticos, egentésque in compitis sub dio jacentes, exhalantésque miseram animam, colligebat in horreum suburbanum, & utrique eorum indigentiæ, corporis animíque, famis & morbi præstrenuè consulebat; dum lethali ab ijs spiritu hausto concidit; funere illi & publicis exequijs à Magistratu decretis.

Atque ut Belgij in pestem generosos pugiles, qui reliqui ab anno 1643. per sequentes annos 14. occubuêre, sub eundem veluti aspectum (quia evitando tædio, sinè nominibus singulorum) producam, An. 1646. Dunkercæ procubuêre victores seni: duo Ipris: unus Armenteriæ. Horum primus Dunkercæ 20. Junij cecidit P. Joannes Vanden Broucke, Gandensis 32. annorum ætatis; Societatis 15. diémque illum, quô peste ictum se è miserorum consortio deprehendit, tanti fecit, ut negaret ullum sibi in vita illuxisse faustiorem. Cúmque seipsum sacro Viatico ad iter æternitatis providisset, votum edidit Missionis inter Indos cujusvis laboriosissimæ apud Superiores perurgendæ; ut si morte hâc charitatis ad aram victima non concideret, gloriosiore alterâ Martyrij Divino Honori immolaretur. Extremam quâ ardebat sitim oblatâ potione abnuit levare, quò suo, ùt ajebat, Redemptori morienti propiùs assimilaretur. Ipris Pater Gerardus Carbonel, domo Cortracensis, cùm eandem in peste operam Ruremundæ aliàs præstitisset, in alteram hanc asservatus, ubi interijt, mors ejus luctu publico Civitatis defleta est: quòd annos natum 66. nec ætas, neq; ipse jam ictus inter ægros lethaliter inflictus, arcere à prosequendo animorum studio potuisset. Anno 1647. in rediviva peste ex pluribus ægros adjuvantibus socijs, idem malum, & bonam ex eo mortem retulêre in minerval terni, Bethuniæ duo, tertius in Flandro Belgica: & iterum aliàs Antuerpiæ & Ariæ duo. An. 1656. iterum in certamen athleticum ab lue provocati vitam posuêre Antuerpiæ duo, totidem Swollæ, & Hornæ in Holandia. Ac tandem anno sequenti 1657. postremus, 29. Augusti Antuerpiæ P. Joannes Dicusart, Ipris ante annos 36. natus, mortem aliàs necessariam, pretiosam fecit forti anticipatione maximæ charitatis, pro amicis animam ponendo.

***

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. AL-



P. Albertus Chanowsky S.I. è vetusta Nobilitate Boëmus, zelo animarum, et Apostolicis laboribus, toto Boëmiæ Regno celebris. Obijt Klatoviæ in Boëmia A.º 1643. ætat: 62. 16. Maij.
160.

P. ALBERTUS CHANOWSKY.

PErilluſtri,& vetuſtiſſimâ Equitum familiâ editus in Boëmia P. Chanowsky Anno 1581. ad quantam à DEO ſanctitatem provehendus eſſet, voluit cœlum pijſſimæ illius nutrici in ipſa pueri infantia declarare. Viſa enim ſibi eſt per ſomnium in ſacra Æde coram Altari cum illo de genibus DEUM precari: cùm repentè puerulus ex ulnis ipſius cœlum versùs avolans, ſub ipſas nubes in altum eſt elevatus. Et verò ab ipſis crepundijs totus erat in rebus ſacris, in altaribus domi ſtruendis, in imitandis Sacerdotum officijs, è quorum numero unum ſe fore jam tum præferebat; habendis ad domeſticos è ſuggeſtu pijs adhortationibus; quibus non pueriliter, ſed ſeriò ac nervosè vitia perſtringebat, & officij Chriſtiani partes inculcabat: decantabat idem in Sacello domeſtico Pſalmos, Litanias, ac preces perſolvebat devotiſſimè; quibus ut non domeſtici tantùm, ſed ruricolæ etiam & ſubditi paterni intereſſent, procurabat. Neq; diſſimulavit dæmon quantum his ejus exercitationibus indignaretur; ſiquidem tempore illarum aliquando grandes in Sacello excitavit tumultus, ut nutrices arreptis infantibus fugam conſternatæ tentarent, aliíque natu grandes horrore frigidi circumſpicerent: Alberto ad hæc ità imperterrito, ut verbis geſtúque confirmaret omnes, & ad tantò ferventiùs orandum incitaret. Pudicitiæ jam tum ſtudioſiſſi-

ſiſſimus, nec à cognatis mulieribus corollam aut florem unquam acceptabat: donec ad ſtudia literarum ad Pragenſem Societatis Academiam miſſus, effectum mirabilem à DEO perſenſit, caſtigatæ in ſe juvenilis petulantiæ & temeritatis. Habetur in Eccleſia Pragæ Metropolitana Corpus S. Joannis Nepomuceni Martyris, qui à Wenceslao Rege, ob ſocordiam in adminiſtratione Regni, pigri cognomen adepto, quòd confeſſiones Reginæ revelare nollet, in flumine Moldava merſus eſt: cujus ſepulchrũ eâ, præter cœteras plurimas, prærogativâ hodiéque à DEO condecoratur, ut nemini illud dedecore aliquo inhonoranti, impunè, citra aliquam publicam eo ipſo die cœlitus immiſſam ignominiam, tranſeat. Quam majorum traditionem cùm à Parente ſuo narrari audîſſet Albertus, *cogitare mecum sæpi*, ſcribit ipſe de ſe, *quâ ratione id contingere poſſet? Quare experiundi gratiâ, pedem eò datâ operâ impoſui, ità ut ſepulchrum calcarem. Accidit autem cùm ad antiquam Pragæ urbem perparvam Partem rediremus, ambulando ſequebar Parentem; & ecce incidi in latentem quandam foveam ex congeſta glacie & nivibus, uſque ad genua, & ferè illic calceum reliqui, irridente me toto populo inſigni pudore perfuſus. Et veniens ad pontem prope imaginem Crucifixi, illic recidi, & in luto circumquaque in pallio meo obvolutus fui: & quaſi tunc interiùs hanc vocem audivi, in hoc loco ille Sanctus de ponte in aquam fuit præcipitatus & ſubmerſus. Summopudore affectus fui, mirantibus & ridentibus hominibus, quid, cur, & quomodo mihi hoc accidiſſet?* Siquidem pons ille, ad omnem tranſeuntium commoditatem, lapidibus æqualiter & perappoſitè conſtratus eſt.

Ex Studijs Pragenſibus tranſlatus ſubinde cum fratre à Parentibus ad Gymnaſium Crumlovienſe, cùm notaretur ad Religioſum in Societate amplectendum ſtatum propendere, continuè miſſo veredario jubetur domum redire, brevi ſiquidem intervallo domi tres filij illis obierant. Sed Albertus eâ ipſâ nocte, cujus diluculo redeündum erat, fugam Brunam versùs, ubi Tyrocinium eſt Societatis, arripuit, & ardentiſſimis ad Parentes iteratò datis epiſtolis, veniam tandem Religioſæ vitæ ineundæ extorſit. Tyrocinio per omnes virtutis leges religiosè peracto, altioribus etiam diſciplinis legitimè inſtructus, Sacerdotij Ordinem ſuſcepit Græcij Styrorum, & ſubinde quatuor Vota ſolenniter profeſſus eſt. Tum Seminarium Convictorum Juvenum Pragæ gubernavit, ac ſubinde Lingvam Sacram, & Scripturam ibidem interpretatus, Olomucij demum Mathematicas diſciplinas tradidit. Sed DEUS, qui illum ad lucra animarum & labores Apoſtolicos ab æterno deſtinabat, cœpit illum per adverſos in alijs munijs eventus ad opus Evangelicum tantùm non violentè ſegregare. Dum enim iſtic Academiâ univerſâ ſpectante vellet nonnulla ratiocinio deprehenſa, opere ipſo in praxi exhibere; demonſtratio ſucceſſu caruit, non minore ipſius rubore, quàm ſpectantium riſu. Cùm verò poſtmodum An. 1621. Rectorem Collegij ageret Crumlovij, optimo zelo ampliandi Templi, Mauſolæum quoddam Illuſtriſſimæ Familiæ Roſenſium dejici curavit: quæ res cùm graviter à Familia acciperetur, juſſus eſt à Superioribus ſumptibus Collegij decus illud ſepulchrale ex integro reſtaurare; poſt alias inſuper pœnas, gubernationis officio privatus. His caſibus veluti de ſublimi cum Apoſtolo Paulo dejectus, ut in Virum Apoſtolicum conſurgeret, totum ſeſe deinceps obeundis Miſſionibus, & quærendis animabus impendere conſtituit, duravítque per annos omnes ad obitum uſque tanto ardore, ut ſenium & valetudinem afflictiſſimam, ac graves ex podagra, chiragra, colica dolores & omnia corporis incommoda, præ uno hoc cœleſti ſtudio ſuſque deque haberet. Igitur obtento Superiorum aſſenſu, in pagos & oppida, Huſſiticâ & Wicleffi hæreſi tum paſſim infecta, procurrens, ex uno in aliud migrabat perpetuò, nullibi diutiùs, quam fructûs alicujus ex animabus reportandi ſpes ſupereſſet, moratus. ipſius propoſito DEUS obſequi voluiſſe videtur; dum licèt ex morbo articulari decumberet ſæpe, frequentiùs tamen & graviùs dum verſaretur intra Collegia, quàm ſi Miſſiones obiret: unde ſi quando animi colligendi causâ in Collegia vicina commigrâſſet, illico à peractis ſacris Exercitijs dimittere eum Superiores cogebantur, niſi ægrum domi proſterni vellent.

Porrò verſanti in Miſſionibus, licèt Nobilitas paſſim, & Magnates ſuas illi Arces & Caſtra ad divertendum offerrent, atque ad menſam Cognati præcipuè & Affines Domini invitarent; nunquam tamen, niſi evidens magni alicujus ſpiritualis emolumenti indè referendi ſpes affulgeret, acquievit; pane ferè mucido & ruſticano, cum hauſtu frigidæ ſemel in die, ac viliſſimo ſubinde admiſſo legumine, intrà ruſticorum mapale contentus. Et licèt aliquando poſtulatus à Dominis ad ipſorum domeſticam familiam excolendam, intrà eorum Arces hoſpitium capere cogeretur; impetrabat nihilominus ab eorum menſa acce-

accedenda eximi, neque sibi seorsim cibum sumpturo nisi vilissima, pauperum more, in scutellis testaceis apponi. Hac conditione versatus aliquamdiu Wisowicij in Moravia, relicto ibi socio Patre Adamo Krawarsky, excurrebat in vicinum Ungariæ Regnum, ut animarum messem, & fructum sangvinis Christi quàm latissimè propagaret. Eodem ad fructificandum secessit, postquam à rebellibus hæreticis Societatem totâ Boëmiâ & Moraviâ ejici, pœnâ capitis remanentibus constitutâ, contigit. Cùm verò nec ibi, in eosdem rebellionis contra Ferdinandum II. tumultus concitatis Ungaris, subsistere diu licuisset, Passavium se contulit, ubi præcipuæ nobilitatis matronas aliquot, Catholicorum Boëmiæ Magnatum conjuges, Ecclesiæ ab hæresi restituit. Domitâ tandem victricibus Cæsaris armis Boëmiâ, Pragam ad hæreticorum conversionem missus, plateas Urbis illius obibat cum campanulâ, pueros & rudes ad Catechesim evocans: quæ res in Civitate majore sui parte hæretica cùm magno stupore & admiratione, utpote nunquam antehac visa, acciperetur; quibusdam suspicionem emotæ in Patre mentis excitavit: Cognatos autem, in quibus erat Regni Sub-Camerarius, non capientes ea, quæ divini sunt Spiritûs, magno rubore affecit. Pater nihilominus proculcatis hominum respectibus in proprosito constans, cùm ingentem animorum quæstum Apostolico suo fervore colligere à Superioribus cerneretur, videretúrque magno usui ad conversionem totius Regni futurus; destinatus est ad eam Boëmiæ partem Missionibus lustrandam, quæ Austriæ, Bavariæ, & Palatinatûs limitibus terminatur, & circulis (districtus ipsi vocant) Pragensi, Plsnensi, Podbrcensi, & Bechinensi continetur. Hìc ille totos 20. annos noctu diúque concursans, nullum finem fecit Oppida, Castella, Civitates, Arces, villas & pagos, domos singulas & casas perlustrandi; non ventis, non pluvijs, non ullâ aëris intemperie, non periculis à milite, bello Svecico tunc Boëmiam infestissimè vexante; non periculis latronum, luporum, ursorum, non senio, morbis, vel extremâ lassitudine impediri se passus, vel averti. Neque ullibi detineri se quovis obtentu diutiùs ferebat, quàm superesset aliquid in salutem animarum gerendum, solitis idcirco familiariter ipsi exprobrare ruricolis, præsentiæ illius percupidis: *Omnia quidem nobis Pater tua probantur, nisi quòd assiduè vagus nullibi consistas.* Veniebat subinde Nepomukum altâ jam nocte, hyeme nive plenus, frigore pariter & doloribus articulorum fatigatus, locúmque calidum & refocillationem, pro ea, quam cum loci Parocho specialem habebat amicitia, postulabat, referens, quàm multos eo die catechesi erudivisset, quot pagos obivisset; obibat autem tot intervallis subinde in earum lustratione per diem emensis, quæ homini valido 12. horarum iter solidum efficerent. Objicientibus, quid itâ hyeme ac nocte solus incedens, nec lupi vel canum occursus, viarum errores, nec repentinum in tanto senio & defatigatione deliquium animi, vel casum alium metueret adversum? respondebat vultu lætissimo: *Dominus tuetur, confido in DEI præsidio!* Licèt autem omnibus promptè operam deferret, speciali tamen curâ se impendebat plebi ruricolarum, & puerorum instructioni. Hinc ad eum vel à longè adventantem maximus fiebat istorum extra pagos obviàm concursus, Patrem suum inclamantium, quos Parentes & adulti communiter sequebantur, ad templum se rectà conferentes, cùm scirent illum primò omnium illuc divertere, indéque laborem Apostolicum auspicari: neque Parentibus efficacius ad liberorum insolentiam compescendam erat frænum, quàm si minarentur, apud Patrem illos à se accusatum iri. Conciones habebat ad populum quoties se dabat occasio, tum festis tum feriatis diebus, solâ meditatione, absque ullo librorum adminiculo elucubratas, rationum tamen & affectuum pondere plenas, ut rara ubique in plebe mutatio morum sequeretur. Moribundis & ægris magno studio constanter aderat, & cùm subinde morbi violentiâ aliter non posset, quadrupedis instar per solum manibus & pedibus reptans, SS. Viaticum ijs afferebat. Pari studio excipiebat pœnitentium confessiones, ex doloribus articulorum & colicæ interim totus tremens ac gemens: ídque itá indefessè, ut aliquando sive ex contentione loquendi, sive ex sitis & dolorum magnitudine, lingva illi disrupta fuerit. Aliàs in Catecheseos explicatione viribus penitus defectum, & humi collabentem, Auditorum manibus in vicinas ædes deportari necesse fuit. Tanto denique Missionum suarum desiderio tenebatur, ut cùm anno 1642. ad Comitia Societatis triennalia, tanquam unus è Senioribus Professis evocaretur, rationes efficacissimas absentiæ suæ attulerit, nè vel tantillùm à cura animarum avelli cogeretur.

In tot autem suis itineribus, nullo unquam jumento vel curru devehi sustinebat; sed pedibus omnia, sarcinulâ cum rebus & munusculis sacris ab humeris pendulâ, conficie-

ciebat,ità ſubinde illius pondere laſſus,ut eam humi poſt ſe raptare cogeretur. Erat enim corpore à colica, calculo, podagra & chiragra, peſſimè affecto; pedum quolibet minimùm octo foraminibus tabeſcente; quorum putori exhauriendo triplex medicum cauterium circumferebat. Et licèt plerumque in comitem itinerum juvenem aliquem famuli ſpecie ſibi adjungeret, deligebat nihilominus ſemper ejuſmodi, qui vel in Fide neophytus, vel altioris virtutis capax eſſet; quem ubi ſufficienter ad virtutem aut Fidem exemplo & inſtructione provexiſſet; ad ſcholas, vel honeſtum quodpiam vitæ genus medijs opportunis admovebat, novo iterum aſſumpto; ex quibus etiam nonnemo Religioſam deinde vitam complexus eſt. In via ſi quos nanciſceretur obvios, vel itineris ſocios, aut etiam in agris laborantem reperiſſet ruricolam, vel in paſcuis puerum, officioſè allocutus rogabat, quid de Chriſto, de Matre illius, hoc vel illo myſterio Fidei ſentiret? quid & quantum diebus ſingulis oraret? habitarétne cogitationibus ſuis aliquando in vulneribus Salvatoris? meditaretur noviſſima? atque indè occaſionem ſumebat, pro cujuſque captu, ſingulos inſtruendi, & cœleſtia inculcandi. Qua ipſa ex cauſa nullum plerumque itineris terminum ſibi præfigebat vel ſpatium, ſed ùt ſors ferret, & occaſio boni quidpiam gerendi, huc aut illuc ſe convertebat. Pagum autem ingreſſurus, in ejus aditu cantionem aliquampiam cum comite ſuo vernaculè exorſus,progrediendo modulabatur, donec pueri & curioſa plebs (eſt enim cantibus addictiſſima) concurrerent, quos pijs munuſculis delinitos rectà ad templum, aut ſi id deforet, ad erectam crucem, vel alium certum locum, ſupplicantium ritu ordinatè deducebat,catecheſim ibidem traditurus. Atque ejuſmodi ſupplicationes cum cantibus, vel precibus ſonorè alternatim recitatis, ſicubi moraretur diutiùs, iterabat pene quotidie, quòd ijs pagana pubes magnopere alliceretur ad ſacram doctrinam tantò avidiùs recipiendam: quibus ſi vexilla, vel crux anteferenda deeſſet, fruſtum aliquod rubræ, viridis, aut alterius decoræ telæ (quales plerumque in hunc uſum ſecum deferebat) perticæ affixum, adſutâ in ejus umbilico piâ imagine, non raro ipſe præferebat, vel è pueris cuipiam deportandum dabat. Nonnunquam ut pueris plauſum faceret, plauſtrum ruſticanum oblongum, ramis arborum ornatum, cum ijs aſcendebat, & inter pios concentus per pagos devehi ſe curans, veluti triumphum Chriſti de regno dæmonis in ea rudi plebecula renovare velle videbatur. In quadam autem Urbe,hæreſi tunc multùm infecta,puerorum ſuam turmam circumducens, ante domos hæreticas deſtinato eam ſiſtebat, juſſos traditis à ſe quæſtionibus de quapiam Fidei controverſia invicem laceſſere & reſpondere, quam ipſe mox clariùs explicabat, ut ſic incolæ Catecheſim & Templum devitantes, vel inviti veritatem domi edocerentur. Sacrificio Miſſæ cum Solis ortu quotidie abſoluto, ad erudiendos mox catecheſi pueros ſe conferebat, luſtrando & inviſendo caſas, & in oppidis ac civitatibus domos ſingulas: Feſtis verò & Dominicis Conciones ad populum habebat, & ſub veſperâ collectâ in unum,ubi hoſpitium delegiſſet (eligebat autem ùt plurimùm caſas viliſſimas) omni familiâ, ſalutarem de rebus divinis collationem inſtituebat, in qua ſinguli pium aliquid enarrare cogebantur: quam Litanijs & Precibus communiter recitatis finiebat. Eundem familiæ totius conventum inſtituebat quotdiebus ſub veſperum apud Nobiles, ſi eum hoſpitem habere vellent, nam aliter poſtulationi eorum non acquieſcebat: in quo modum rectam intentionem formandi, labores cum pia affectuum admixtione peragendi, ubique ſemper orandi, confitendi,communicandi, & id genus alia docebat: neque aliter poſtmodum, niſi ægritudine & doloribus cogeretur, quàm humi ſuper ſtramine, vel tabulis nudis decumbebat.

Non raro etiam pia carmina de Paſſione, Nativitate; cæteríſque Dominicis myſterijs, à pueris ex loco altiore vernaculâ recitari diſponebat, actiones & dramata inſtituebat, etſi ſæpe nullo vel perexiguo apparatu, maximâ tamen agreſtis populi voluptate & fructu: interrogationes & reſponſa de doctrina Chriſtiana componebat, quibus pueri ſe invicem publicè laceſſerent. In civitatibus autem identidem pauperibus menſam apud ditiores parari procurabat, cui inſerviebat ipſe, orationem & gratiarum actionem præorabat, & pijs narrationibus condiebat. Coactus aliquando ob militum graſſationes in Caſtro quodam hebdomadas II. hærere, tantâ illic egit vitæ ſanctitate, & piarum exercitationũ varietate, ut incolæ & præſidium militare deinde faterentur, jucundiores ſibi per omnem vitam dies non fluxiſſe. Circumibat ſtato tempore cum tintinnabulo Caſtrum univerſum, incolas & præſidiarios milites ad ſpirituale colloquium invitans, quod tanto fervore inſtituebat, ut ejus ſtupore captus militum Præfectus, licèt idiomatis Boëmici ignarus, eju-

ejuratâ hæresi, Ecclesiæ accesserit. Iisdem præter quotidianum Missæ Sacrificium, & consvetas conciones, Patronos menstruos sortitò distribuebat, preces matutinas & vespertinas præorabat, præsidiarios & excubitores in tuguriolis suis sigillatim invisebat, alloquio cœlesti inflammabat. Demum quocunq; ignotus accedebat, ante omnia inquirebat, quibus vitijs incolæ forent obnoxij: in quorum deinde extirpationem vires omnes, dictionem, & zeli sui conatus impendebat. Est in Boëmia lino & canabi abundante, passim in plebe rustica consvetudo, ut ducendis filis per hyemem in seram noctem, certam in domum paganæ conveniant, tempúsque illud ludicris plerumque, nec raro fœdis nænijs & fabulis conterant: quam dæmonis orchestram in gymnasium pietatis mutaturus Pater, conventibus illis ultro se ingerere, pro ludicris sacras historias narrare, seriáque movere colloquia, & nè molesta essent, spiritualiter curiosis ænigmatibus eas condire. Cujusmodi erant: *quid esset trinum simul & unum? quid omnium pessimum? qui nunquam mori possent, licet mortem in summis haberent votis? ubi vita esset absque omni incommodo? quis continuè versaretur in templo, & à nemine tamen videretur? &c.* quâ suâ arte efficiebat, ut etiam illo absente non nisì pijs colloquijs & cantibus deinceps illi conventus celebrarentur; conatum hunc ejus cœlo mirè comprobante: siquidem ex eo aliquando tenebrosâ nocte ad hospitium suum redeunti, duo cœlestes Ephebi accensis facibus præluxerunt. Idem in tabernas publicas, & combibonum mensas se ingerebat; messoribus in agris per æstatem se admiscebat, & neque advertentibus sermonem de divinis inducebat, nunquam sinè notabili animorum proventu. Discedens ex uno loco in alium, Vicarium sui quempiam è capacioribus indigenis constituebat, qui curam instillatorum à se Fidei rudimentorum gereret, & convocatos in templum de singulis, nè memoriâ dilaberentur, interrogaret, ac bene meritos munusculo aliquo præmiaret. In eum finem quæstionum ejusmodi librum manu ipse suâ conscripsit, quæ in Catecheticis lectionibus usui essent; præter alios aliquot modum ritè confitendi, & S. Evcharistiam piè recipiendi docentes.

Atque his artibus præter aliquot Civitates in hæresi obstinatas, totum circulum Prachensem, cum parte Bechinensis & Podbrcensis, & qui hinc indè per Plsnensem dispersi erant pagi & opida hæretica, ad Catholicam Fidem reduxit; innumeris, qui pestiferos docebant errores, libris exustis; & templis, quæ desolata profanatáque fuerant, restauratis, quibusdam etiam de novo extructis. Quin toto illo Boëmiæ amplissimo tractu nullum putatur esse templum, cui ipse beneficium quodpiam non contulisset. Eidem initia sua debet Collegium Societatis Klattoviæ, unà cum Seminario, quibus erigendis tam miro laborum P. Alberti fructu Civitas cum Nobilitate vicina permota fuit. Conciones illius plerumque copiosis Auditorum lachrymis excipiebantur, quas seriæ sequebantur confessiones, & miræ quandoque conversiones, in ijs præsertim, quos ad agonem ultimum, quantumvis eatenus obstinatos, præparabat, id quod à multis prodigij loco habebatur. Porrò inter eos, quos ab Hussi vel Lutheri erroribus reduxit, Illustrissimæ etiam & avitæ Nobilitatis plures erant personæ; in quibus Ecclesiæ lucrandis multos annos frustra alij priùs laboraverant: harum una, utriusque speciei in S. Synaxi communionem pertinaciter requirens, ubi in manibus Patris, Evcharistiam sub una specie populo Catholico distribuentis, vidit totam cruore rubentem, continuè Orthodoxis accessit. Et verò meritus à DEO tam felices in animarum procuratione successus fuisse videtur, vivendi ratione Apostolis conformi; siquidem terrenorum omnium contemptor, veste utebatur semper detritâ, & omnium quæ domi essent vilissimâ: cúmque illi dormienti, vetere subtractâ, nova aliquando supposita fuisset, nec ipse id nisi post dies aliquot adverteret, continuè ad Collegium vicinum se retulit, eámq; vetustâ aliâ commutavit. Tibias arthritico dolore exuccas, nunquam tamen lineis tibialibus induebat, sed è panno vel textura semilaceris, quæ assutis lappis ipse resarciebat. Cibus ei semper fuit vilissimus & rusticanus, & non raro in solo pane; quem ipsum si apud paganos non reperiret, modicum exoratæ farinæ & salis, in aqua absque ullo alio condimento decoctæ, sumebat. Mensas Dominorum subinde accedere coactus, si nullum operæ spiritualis pretium, vel sacris sermonibus locum dari videret, ex obvio ferculo fame raptim expletâ, non expectato mensæ fine illico se proripiebat, nec ullis precibus retineri patiebatur, necessitatem paganorum in Christiana vita erudiendorum prætendens, ad quos inexorabilis continuè discedebat. Hominum de se judicia & sensus nihili ducebat, sannis & opprobrijs magno suo gaudio sæpius in diversis locis exceptus: ultro quin etiam ijs captandis suâ sarcinâ onustus Magnatum arces acce-

accedebat; & licèt itineri nunquam jumentum adhiberet aut vehiculum, si tamen ad Nobilium sedes, aut celebriores urbes tendenti currus obviaret sordibus & fimo destinatus, aut bobus tractus, eo conscenso invehi se per celebriores plateas & fora, etiam Pragam curabat. Catechesim puerorum in plateis & foris instituens, peram subinde pomis & alijs bellarijs plenam deferebat, quæ in bene meritos deinde partiretur. In Collegium divertens, ultimæ sortis cubiculum occupabat, & si fortè vestis illi à pluvijs madida, & sordibus referta mundaretur, linea munda suppeditaretur, aut aliud quidvis obsequij exhiberetur; nullum faciebat finem gratiarum, quasi illa vilissimo præstarentur & indignissimo mendicabulo.

Studio precandi, & divina meditandi unicè deditus, ubique in medijs occupationibus DEO familiariter adhærebat, ut vita ejus omnis, continua & jugis fuisse oratio ex vero dici possit. In ea quàm inflammatis ageret affectibus, testes erant flammæ & lumina, quibus veluti medio cinctum incendio corpus visum est nonnunquam coruscare. Noctes sæpe integras in oratione transigebat, sic ut à socio vitæ comite per anni dimidium, eodem super stramine humi cum eo decumbere per pagos solito, nunquam notatus fuerit dormivisse; siquidem decubiturus, Patrem orationi flexis genibus intentum semper relinquebat, & experrectus eodem constanter situ deprehendebat. Neque unquam precationi vacans scabello vel oratorio innitebatur, sed nuda semper in humo genua, manibus ante pectus junctis ponebat. Ex hoc suo strato proripiebat se quandoque nocte concubiâ ad templi fores & cœmiteria, in quibus manibus in crucem ante pectus decussatis, oculis in cœlum sublatis, observatus est inambulare meditabundus, & ad DEUM vehementer suspirare. Quanquam & aliàs oculis incedebat ferè semper in cœlum defixis, & ipsum DEI nomen in familiaribus colloquijs tanto ardore proferebat, ut audientes sacro quodam horrore percellerentur, & in æstimationem magnitudinis divinæ assurgerent. Horas Canonicas dicturus, jubebat præcedere comitem, & in obviam silvam, vallem, aut hortum sese recondens, post horam subinde unam & alteram primùm comparebat. Cum quo, aliísque viam fortè unà carpentibus, si de divinis non colloqueretur, totam illam silentio meditatione transigebat. Erat Sufficij non ignobili Boëmiæ civitate puerulus Senatorij ordinis; quem Parentibus sæculo educare conantibus, identidem phrasi suâ vernaculâ prædicebat; *non fore mundi, sed lucis filium.* Hunc ipse oraturus, seu domi, seu in vicino nemore, secum educebat, & corallam precatoriam manibus inditam de genibus percurrere jubebat, dum ipse seorsim ab illo remotior cœlestium contemplationi similiter vacaret: quod ille Societatem deinde in Austria complexus, jam Sacerdos referre solebat. Ex qua agendi cum DEO consvetudine oriebatur in eo magnanimitas quædam ad omnia ardua perrumpenda, & vivida in DEUM fiducia, quâ visus est in medijs periculis imperterritus versari. Sic cùm An. 1640. Civitati Strakonicio, Svecorum exercitus immineret, & cives omnes effusâ fugâ in silvas & montana se reciperent, ipse per forum inambulabat securus, fugámque svadentibus respondebat, se paulò pòst secuturum, & periculum certò evasurum, quod & contigit. Aliàs cùm idem miles regionem omnem, quæ campus laborum Patri fuit, inundâsset, & paganis undique diffugientibus, nullum ejus functionibus locum permitteret, in profundæ silvæ solitudine quandam secessit, ibíque donec turbo hostilis vanesceret, vitam quasi anachoreticam egit.

Singulari tamen quadam teneritudine pietatis ferebatur erga puerum JESUM, cujus statuam semicubitalem per Missiones suas plerasq; circumferebat palàm devotè in manibus, & non tantùm venerationi omnium super altari exponebat; sed in supplicationibus etiam in ornato pegmate deportari curabat. Cùm verò illam magnis precibus Amicorum, pietati suæ donari expetentium negare non posset (quia per ejusmodi imagines usu ipsius honoratas, quædam supra naturæ vires effici vulgabatur) aliam atque aliam providebat, quæ hodiéque magno in pretio apud pios habentur. SS. Evcharistiæ Sacramentum ut magno decore in templis asservaretur, studiosè procurabat, vernóque & æstivo tempore flores per viam in campis à se collectos ad templum afferebat, aræ exornandæ: apparatus Sacrificio Missæ necessarios procurabat, & attritos ipsemet chiragricis manibus sarciebat; cui rei circumferebat varia telæ sericeæ omnium colorum frusta, è quibus cruculas stolis sacerdotalibus & manipulis assuebat, casulas reficiebat. Quòd si alicubi supellectilem sacram nimiùm vetustam & collapsam deprehendisset, vicinas Nobilium filias inducebat ad eam integrè lustrandam, & nitori suo decoríque restituendam. Atque hæc tanta de rebus sacris sollicitudo in vitæ aliquando discrimen Patrem conjecit. Dum enim in-

ingentem ejusmodi sacrarum vestium fascem è templo cujusdam oppidi humeris effert; ruricolæ templum suum spoliari interpretati, fustibus & armis innocentem invadunt: quorum errore animadverso, sarcinam ultro deponit; utque edoceat non animo tollendi, sed ab hostium direptione conservandi hæc à se subduci; ferculum illis elegans, pro deportanda in publicis supplicationibus Evcharistiâ, templo ipsorum, industriâ suâ curatum, ostendit: itáque placatos, & cum lachrymis injuriam deprecantes dimittit. Divertebat etiam quoties opportunitas daretur, apud templorum Curatores libentissimè, ut ad ea liberum haberet noctibus aditum, ubi totas non rarò in oratione pervigil ducebat, coram SS. Sacramento prostratus, vocibus & suspirijs nonnunquam ex affectuum vehementia itá sonoris, ut foris exaudirentur. His tamen longè magìs in peragendo Missæ Sacrificio æstuabat, in tanti mysterij cogitatione veluti absorptus, cujus celebrantis vertici sæpius conspectæ sunt lucidissimæ flammæ, & globi velut igniti imminere. Neque chiragricis doloribus à liturgia impediebatur, à quibus Sacrificio durante liberum plerumque se experiebatur, illo peracto denuo recrudescentibus: cujus reverentiam ut populo agresti imprimeret, nunquam illud *Missam* nudè & simpliciter, sed *sanctum novi Testamenti Sacrificium, & memoriale Passionis Christi*, singulari quadam vocis energiâ nominabat. Ad quod si diebus feriatis notaret ruricolas non convenire; casas omnes circumiens efficacissimè persvadebat, ut singuli saltèm è singulis comparerent, dum reliqui laboribus distinerentur, magnam eâ re gratiam apud DEUM inituri. Quod ut facerent promptiùs, sciréntque mysterium, quòd Missæ celebratione repræsentaretur, totam illis ejus seriem atque cærimonias, Sacerdotis atque Altaris ornatum interpretabatur, & memoriæ Dominicæ Passionis applicabat, non tantùm de suggestu, sed practicè etiam dum in omnium conspectu sacro apparatu indueretur; accipiendo singillatim v. g. amictum, explicabat ejus mysterium, tum rursus seorsim vestis albæ, cinguli, stolæ, casulæ separatim; ac tum demum omnes ad offerendum DEI Majestati summo devotionis affectu hoc tantum Sacrificium, tanquam verissimum Passionis Christi memoriale, cohortatus, illud quasi quidam Seraphinus ordiebatur.

Jam verò quantus crucis Christi ejúsque effectuum amator fuerit & æstimator P. Albertus, dici vix potest; fuítque id perspectum omnibus, qui illum hospitem apud se habere vellent: quare nihil ei præstandum erat commoditatis, nulla ejus habenda cura; neque an re quapiam opus haberet rogandus; non cubiculum venienti everrendum; non mensa meliore cibo instruenda: quibus si contraria agerent, aut ejus rationem aliquam habere præferrent, illico se proripiens abibat, nunquam eodem rediturus. Vini aut melioris haustûs potum vix unquam adhibere visus est, utì nec delicatioris cibi; quem subinde in mensis Nobilium oblatum dextrè à se amovebat, legumina ventriculo suo & valetudini præ carnibus congruere asseverans. Pedestria itinera non rarò actuales inter podagræ dolores urgebat, quod à mali conscijs miraculo indubitanter adscribebatur: sicut & manus chiragrâ acerbissimè vexatas, inter gemitus & tremorem, doloris violentiâ expressum, frigori nihilominus & nivibus exponebat, illud ingeminans: *patiamini, patiamini sororculæ, tantò nitidiores in cœlis futuræ!* & tamen fiebat, ut manè sequenti illas haberet ad DEO litandum idoneas. Eodem articulari malo oppressus, constantes pœnitentibus summâ hyeme aures dabat, quamvis dolore & frigore dentes concuterentur, & verba nonnisi tertiata proferre posset: oculis manibúsque in cœlum erectis subinde interponens, vel etiam decantans illa: *ampliùs Domine, ampliùs! Domine auge dolorem! hìc ure, hìc seca, modò in æternùm parcas! non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c.* Omni autem artificio & conatu, vultu hilari & jucundo, dolores suos apud alios dissimulabat, esto cogeretur non rarò artus contrahere, & viscerum convulsionibus à colica superatus in angulo quopiam, velut in globum corpus convolvere. Nec ferè remedium ullum malis suis adhibebat, nisì dum penitus in lectulum prostrato Superiores eà apponi mandarent: cauteria tam obiter curabat, ut unum ex sui incuria coalescens, eum in vitæ periculum subinde deduxerit. Fasciolas illis ligandis eluebat ipse in frigida, vel per hyemem in nivibus. Somni erat prorsus perparci, ex quo fatiscente naturâ, reperiebatur non rarò à viatoribus in medijs sylvis, ad arborem quampiam acclinis somno oppressus. Vermiculis scatebat plurimis (cùm linea non mutaret nisi post plures hebdomadas, & vestitus ubivis promiscuè super humo apud ruricolas cubaret) quos ille in gravissimis caniculæ æstibus nimiùm subinde molestos, ponè publicam viam collectos ejiciebat, sæpius tamen erepentes rursus in sinum abdebat, *satiandos* (hæc illi phrasis erat) pec-

peccatrice suâ carne: quos & *supellectilem suam* vocabat. In quodam Magnatum prandio eosdem per vestem illi reptantes nonnemo exprobravit: cui, nihil verecundatus; *hos esse*, respondit, *suos monitores, quibus ad DEO serviendum excitaretur.* Eundem crucis & adversitatum amorem perpetuò alijs svadebat, vix alibi eloquentior, quàm in earum proventu & utilitatibus explanandis, & inculcandis. His accedebat mitissima quædam agendi ratio, quâ mansvetudinem agni cum prudentia serpentis præferebat, ut passionis alicujus nè vestigia quidem in illo notarentur: Angelo quàm homini similior, quem etiam dulcissima vultûs modestia, moréſque compositissimi spirabant. Nec minùs eorum velocitatem in obsequendo Superiorum jussis exprimebat, parendo in omnibus ad solos ipsorum vel minutissimos nutus. Insinuaverat illi Rector Klattoviensis Collegij, ut ad festum S. IGNATII istic ex Missionibus suis adesset: cùm verò pridie in gravissimum & continuum imbrem cœlum resolutum esset, viæque lacunis & luto impeditissimæ, nemo P. Albertum affore suspicabatur; adfuit tamen in tempore, licèt madore & aquis totus ad intima perpluens. Aliàs per jocum, & svavem ironiam dixerat illi Superior, absque jubendi animo, iret ad Illustrem quandam sangvine Cognatam suam (quam in hæresi obstinatissimam contra omnium conatus sciebat) eámque, prout tot alios, ad rectè credendum adduceret. Sed ille arrepto seriò baculo absque ulla mora Collegio egressus, ad Dominam per novem milliaria germanica excurrit, auspicijs obedientiæ, & gratiæ divinæ confisus.

Demum tot sudoribus & laboribus non magìs fractum, quàm meritis onustum, placuit DEO ad bravium evocare An. 1643. fatali morbo ab inveterato pedum malo ipsi conscito, quòd eorum vulnera, quæ egerendis noxijs humoribus veluti meatus naturæ aperuerat, improvida manus medica clausisset, hisce deinceps ad vitalia corrodenda restagnantibus. Dejectus primùm in lectulum est Sussicij (quam urbem tunc excolebat) ægritudine solitò graviore, unde impetravit ad Collegium Klattoviam devehi, non tamen aliter quàm curru pagano, à duobus bobus tracto. Ibi ad cubiculum designatum dum inferretur, palàm disertè edixit, vivum se non ampliùs illo exiturum. Totum autem quo cum morbo luctatus est tempus, in una ferè transegit oratione, & tacitis cum Cœlo colloquijs; ut præter immotum, quasi doloris omnis expers, corpus & animum, mirámque in verbis & actionibus omnibus pacem & quietem, nihil ferè à socijs in eo observari potuerit. Ministro tamen domûs de more ægrũ invisenti aliquando prædixit, gravem & ipsi morbum imminere, cùm tamen optimâ tum valetudine frueretur: & verò necdum evoluto anno, malo prostratus vitam clausit. Interim sacra ascendentis Salvatoris dies illuxit, quâ sub decantatis in templo nostro vesperis, una candelarum in summa Ara, vidente universo populo, sponte suâ extincta est; dúmq; subinde reaccensa esset, mox altera extingvitur; quod omnibus præsagium visum est, & portendere P. Alberti, velut lucernæ in Boëmia tot mortalium saluti accensæ, supremum fatum. Cui fidem die sequenti majorem fecit, sub ipsis Missarum solennijs, præsente populo, decidua è templi ejusdem fornice pars tabulati lignei, quin tamen ulli hominum detrimenti quidpiam afferret. Ac tum demum posterâ luce 16. Maji in ipso diluculo sanctâ morte defunctus P. Albertus ad Superos abijt, cùm añum ageret ætatis 62. cujus testes fuêre lumina eo ipso temporis articulo super cubiculum morientis, ab excubitoribus urbicis, aliísque pluribus clarissimè conspecta. Elatum est funus nõ tantùm civitatis totius concursu, sed magno etiam hominum è vicinis oppidis & pagis affluxu, Apostolo suo suprema obsequia persoluturis: multísque omnium Ordinum lachrymis primum omnium (nemo enim eatenus è socijs in recenter fundato Collegio obierat) in templo Collegij sepultum est.


Jam verò ut paucula de ijs, quæ supra naturam in servo suo DEUS egisse visus est, attingamus, præter ea, quæ sparsim superiùs perstrinximus: cùm aliquando Klattoviæ, necdum ibi domicilio Societati erecto, in domo pauperis, sed piæ viduæ, dictæ Zebrakianæ, divertisset; nocte concubiâ ad orationem consurgens, lumen sibi è vicino cubiculo accendi petijt. Hoc illi excitatura viduæ filia dum januam accedit, videt per ejus rimas veluti radios à magna luce in cubiculum spargi, & curiosiùs per foramen observans, ingenti splendore Patrem undique circumfusum notat: Matrem igitur evocat, quæ & ipsa lumen clarissimum conspicata, Patri amicè exprobrat, cur ignem petat, tantâ luce jam antè satìs provisus? ad quæ Pater se circumspiciens, altissimo cum suspirio taciturnus recessit; fortè tum primùm DEI circa se prodigioso lumine animadverso. Atque hâc eâdem luce sæpissimè aliàs circumfundi à diversis visus est, maximè dum DEUM in oratione defixus precaretur.

retur. A. 1640. menſe Octobri venerat duabus horis ante Solis occaſum ad Collegium Klattoviam, & omnibus in varias Miſſiones diſperſis, præter Rectorem, alium neminem domi reperit; à quo & audijt, paulò antè adfuiſſe in Collegio, qui eum magnis precibus ad excipiendam in ſupremo morbo Nobilis Viri, ſeptem indè circiter milliaribus diſſiti, confeſſionem evocabant; verùm cùm ſciri non poſſet, ubi interim Pater ageret, vacuos eſſe dimiſſos. Hæc inter, dum Rector Patri totum illum diem jejuno cibi aliquid in penu conquirit, ille repentè è domo & urbe evaneſcit, cùm etiam portarum cuſtodes negarent urbe digredientem à ſe conſpectum. Adeſt nihilominus die ſequenti ab ægri Nobilis ædibus expeditus eques cum literis, gratias pro P. Alberto referentibus; quibus ſimul indicabatur, pridie ante Solis occubitum moribundo illum in tempore adfuiſſe, pœnitentem expiâſſe, & ad agonem Chriſtianum parâſſe. Atque hâc ratione ſæpius deprehenſum eſt, eum ex locis remotioribus aliò translatum, nonnunquam etiam ſimul eodem tempore in locis pluribus verſatum fuiſſe. Teſtantur & aliàs miſſam pro eo ad Collegium rhedam à Nobili vicina, quòd maritus repentinâ vi morbi ad extrema redactus, celeritate confeſſionis indigeret: ſed ille aurigam pedes antegreſſus, quantumcunque hic pleno curſu contenderet, deprehendi non potuit, momento videlicet ad terminum ſuum translatus; nec minùs celeriter ad Collegium relatus, priùs nempe quàm rheda omni onere vacua ad Dominum ſuum à Collegio redijſſet, Nobilem jam vitâ defunctum deprehendens. Nuncius ſiquidem à Vidua cum gratiarum actione ad Rectorem tranſmiſſus, indicavit P. Albertum morienti Domino in tempore expiando adſtitiſſe; cùm tamen computatis temporis momentis clarè poſtmodum deprehenderetur, quâ horâ Pater Collegio egrediebatur, Nobilem animam egiſſe. Rurſus vice aliâ cùm ſocio P. Joanne Molitoris Klattoviâ veheretur Breznicium, in pedes more ſuo curru deſcendens ità paulò pòſt diſparuit, ut quantumcunque curſum urgeret auriga, aſſequi præeuntem nequiverit, dum eum Breznicij jam præſentem reperiret: quod tanto majore admiratione acceptum eſt, cùm conſtaret illum ob pedum & virium ſenilem debilitatem, nonniſi lento paſſu, interpolatâ frequentiori quiete, progredi poſſe.

Excolebat aliquando Chriſtianâ doctrinâ Regium in Boëmia Dominium Krziwoklad, & ſupplicationem ruricolarum ad expiandos aquâ luſtrali adversùm tempeſtates agros eduxerat, multa de hujus ſacri amuleti efficacia populum docens. Vix domum ſupplicantium ordo redierat, cùm atris nubibus obduci cœlum, & inter decidentem pluviam ingens ſtrepitus & tumultus è piſcina, agris luſtratis vicina, audiri; ſic ut eo exterritus Dominij Curator Vir Nobilis equo accurrerit, viſurus nè quid detrimenti piſcina pateretur. Ecce autem videt placidâ pluviâ in agros undequaque decidente, collectam horribilem grandinem in ſolum piſcinæ ſtagnum, cui obeſſe nil poterat, immani ſtrepitu effundi: quo nuncio mirè exhilarati incolæ, debitas DEO laudes, tam præſenti beneficio dicta Patris firmanti, dixerunt. Inciderant quandoq; in Patrem, coronam Deiparæ per viam otiosè volventem mercatores complures, ad nundinas Plſnam properantes, quos ipſe ad perſolvendas Virgini ſecū eas preces invitavit, proſperam negotiationem, ſi facerent, pollicitus. Quibuſdam invitationi parentibus, alij per contemptum iter nihilominus proſequebantur: cùm poſtmodum deprehenſum eſt, his qui brevem moram deprecandæ Matri DEI impendere neglexerunt, ſiniſtra omnia in mercatu expertis, priores copioſa ſecum lucra è nundinis retuliſſe. Taceo morbos graviſſimos ejus precatione momento depulſos, qualis fuit dolor colicæ immaniter neptem illius excrucians, ſimul tamen ac pro illa Miſſæ Sacrificium Pater obtulit, integrè extinctus. Ejuſdem famulas in horti labore occupatas, veſparum genus venenoſum ità in facie deformârat, ut inſolito tumore vultus earum, vix oculis apparentibus, ebullirent, & in vitæ diſcrimen redactæ viderentur: quas tamen ab omni tumore liberas plenæ ſanitati Pater ſigno crucis reſtituit. Multa etiam futura prædixit, eventibus certis ſingula confirmata: inter quæ non poſtremum fuit, Collegium Klattoviæ in ſuis initijs inter ſummas anguſtias conflictatum, augmentis maximis, & fundatione opulentâ paulò pòſt dotandum, eventúmque hunc oculis adhuc ſuis viſuros, quibus id prædicebat. Quod & evenit eo ipſo tempore, quo de illo diſſolvendo, ob ultimam penuriam cogitabatur; dum Illuſtriſſima Comes Lucia Kolowratea, nata Comes de Martinitz, ex integro illud 50. millium dote aſſignatâ fundavit, & excellentiſſimus ejus frater Georgius Com: de Martinitz, Supremus Regni Cancellarius, 10. millibus adjectis auxit. Atq; hæc tot excellentis ſanctimoniæ & vitæ Apoſtolicæ decora, eam omni hominum generi, ſummis & imis, Ec-

clesiasticis & Sæcularibus, de P. Alberto opinionem ingenerârunt, ut eum constanter, viventem & vitâ functum, titulis Sancti, Apostoli, verè humilis & recti nomenclatione indigitarent, víxque sinè lachrymis illius meminisse possent. Ad ejus in ædes suas ingressum gaudio exiliebant omnes, pagani præsertim & simplices, neque unquam sinè ingenti dolore dimittebant: pluresque segmenta vestis, crinium, illius manuscriptorum, hodiéque inter Reliquias observant, etiam primi ex Clero Prælati. Eidem demortuo à plerisque Civitatibus, in duobus Boëmiæ Circulis, solenniter & publicè parentatum est, omni sexu & statu ad Patris sui (neque enim aliter vocabant) justa ultima confluente, & ingemiscente.

Ex ejus Vita Auth: P. Joanne Tanner.



P. Petrus de Urteaga, S. I. clarissimo sanguine Hispanus, Concionator per annos 44; dum totum se cum domesticis Rector, animabus lucrandis, impendit; commeatum ipse vicissim non semel prodigiosè in alimenta suorum recepit. Obijt Hispali 30. Decemb: 1644. Ætat: 76.

162.

P. PETRUS de URTEAGA.

Petrus de Urteaga Hispanus, editus in lucem Hispali, sed ex Cantabriæ nobilissima Familia ducens originem, adhuc puer totum se pietati ac devotioni tradidit. Decennis fortuitò Parentem nescio quâ causâ Gymnasium Societatis invisentem comitatus, viso tanto Juventutis numero, scholis & ipse applicari institit, fore se aliquando unum è Patribus Societatis prædicens: quibus mox applicatus, miram in omnibus præsetulit maturitatem & prudentiam: auscultare festis omnibus rarâ modestiâ & attentione conciones; ven-

ventitare frequens ad Collegium, atque unicum ſolatium in Patrum colloquijs collocare; adeſſe ter per hebdomadam ad ſuiipſius diverberationes in cœtu Parthenio. Ad hæc delectabatur lectione piorum librorum, Sacramentorum frequentiâ, geſtabat cilicia ſetoſa, & alia cruciandi corpuſculi inſtrumenta uſurpabat, quorum & piorum ſimul librorum plena arca, ab ejus ad tyrocinium Societatis receptu, domi reperta eſt. Decimum quartum ætatis annum ingreſſus cùm Societatem apud Præpoſitum Provincialem appetere deſtinâſſet, ſingulari DEI gratia ab exitio ſervatus, ad idem urgendum animatus eſt: quippe ex tabulato quatuor contignationum decidens, cùm aliquamdiu velut animi impos jacuiſſet, incolumis undequaque & illæſus repertus eſt. Verùm Provincialis teneram adeò in puero ætatem penſitans, ut probaret conſtantiam; *túne puer*, inquit, *ſcis, quid ſit Religio? quid Obedientia? age per iſtos gradus deorſum te præcipita.* Ille nihil cunctatus illico procubuit, & ſeriò ſe devolvere per gradus cœpit. Delectatus Provincialis tam promptâ Nobiliſſimi Adoleſcentis indole, eum ad Societatem continuò aggregavit. His exordijs conſimilis fuit Religioſæ perfectionis, baptiſmali innocentiæ ſuperædificatæ, per reliquos annos uſque ad ſuſceptum Sacerdotium fabrica; cujus ſacris Ordinibus initiatus, primum laborem Gadibus poſuit in tradenda pueris Grammatica. Cœpit autem mox ſeſe prodere ingens animarum zeli, quo interiùs flagrabat, incendium, per ſingularem in dicendo fervorem & efficaciam, quoties ad obviam plebem in plateis & locis publicis Chriſtianam doctrinam explicaret: cúmque accidiſſet die quodam in maris portu dicentem ab urbis Epiſcopo, poſteà Cardinali Antonio Zapata, illac fortuitò tranſeunte audiri; tantâ obſervati in eo fervoris Apoſtolici admiratione captus eſt, ut rectà ad Collegium ſe conferret, poſtulaturus eundem Eccleſiaſtico pulpito admoveri, ominatus illum concionatorum alpha & magiſtrum fore. Tanti Pontificis arbitrium ſecutus Provincialis, prædicandi munus Petro confeſtim impoſuit; neque ille vaticinium Cardinalis fefellit: ſiquidem dicentem non tantùm Hiſpali innumerabiles animorum converſiones ſecutæ ſunt, ſed & alibi per Hiſpaniam, atque adeò in ipſa Curia Romana. Et quidem Hiſpali in Domo Profeſſa conciones anno ætatis 26. auſpicatus, eam ſui admirationem æſtimationémque apud ſtatus omnes, & præcipuè Prælatos Cathedraticos, ipſúmque Archi-Epiſcopum excitavit, ut in præcipuis ſolennitatibus (quod idem & reliquæ Eccleſiæ in ſuis feſtis prenſabant) illum præ reliquis dicere ad populum in Cathedrali ſuo templo percuperent, ubi alioquin nonniſi canitie, & longâ dicendi auctoritate venerandi audiri conſveverant Porrò totus ejus ad conciones apparatus ſitus erat in continuo ſtudio S. Scripturæ, cui tempus omne tribuebat, ejúſque intelligentiam prolixis orationibus, & ſui afflictationibus, à Patre luminum poſtulabat: oſor omnium novitatum, & inanium ſubtilitatis & acuminis confectationum: pro quibus ipſe elocutionem adhibebat nervoſam, & caſtè ſeriam, longâ ſemper ante dicendum & ardenti meditatione ſolitus ſe contra peccata incendere, ut tantò certiùs eorum reos ad DEUM reduceret. Et verò inter innumeros è cæno vitiorum extractos, contigit aliquando virum Nobilem, ob publicum pellicatum toti Urbi ſcandalum, dicenti adeſſe, tantúſque illum indè ſubijt turpitudinum ſuarum dolor & pudor, ut deſcendentem è pulpito præſtolatus, generalem totius vitæ exomologeſim in veſtigiò peregerit, & pellicem in perpetuum ab ſeſe relegârit. At enim hæc amorum ſuorum jacturâ in furorem acta, in exilij ſui auctorem implacabiliter exarſit, obtulítque Præpoſito Domûs commentitiam accuſationem, gravibus teſtimonijs, quæ tamen mox falſitatis convicta ſunt, refertam, quibus Pater Urteaga inhoneſti cujuſdam commercij traducebatur. Et quamvis fidem apud illum, innocentiæ Viri caſtiſſimi prorſus Angelicæ conſcium, nullam libellus is inveniret, legendum nihilominus P. Petro obtulit: ad quem rubore virgineo perfuſus, rarâ humilitate hoc ſolum repoſuit. *& hoc, & plura graviora de me credi poſſunt: ſi enim DEUS à me manum ſuam ſubtrahat, ut hoc, & longè atrociora commiſſurum me agnoſco.* Multas id genus inſectationes, & vitæ famæque diſcrimina ubivis ab improbis ſuſtinuit vir innocentiſſimus, odio virtutis & libertatis, quâ vitia reprehendebat. Hæc verò à ſceleſtis intentata pericula penſabat copiosè multiplex Cœli favor, quo zelum ſervi ſui fidelem mortalibus mirificè approbabat. Maximâ ſiccitate laborabat An. 1605. Hiſpalenſis ager, fuítque ad exorandam pluviam frequentiſſima omnium Ordinum ducta ſupplicatio, ad prodigioſam Chriſti imaginem in S. Auguſtini templo; ubi Concionem Petrus habuit affectibus & actionis efficaciâ uſque eò potentem, ut totam primùm multitudinem in ſerias pœnitudinis lachrymas, ac deinde Cœlum in copioſam eodem ad-

adhuc die pluviam effundendam resolverit. Quo illius comperto zelo Archi-Episcopus, Ferdinandus Ninnus de Gvevara, nunquam ab ejus auditorio abesse sustinuit: ejus verò successor Petrus de Castro & Quinnones,ità eodem audiendo capiebatur, ut quadam verni jejunij feriâ sub noctem seram Granatâ reversus, ùt erat ab itinere fessus & confractus, nè quidquam dissvadente Medico, primo manè ad Patrem audiendum accesserit. Cujus sermonibus quantum tribueret, patuit ex notabili eventu, qui ei concione quadam Patris vehementer commoto accidit. Magna per ejus absentiam excitata inter Capitulum, & Archi-Episcopatûs Oeconomum gliscebat discordia, non modico civium scandalo; cùm improvisò ad sedem suam reversus Archi-Præsul, dicturum in crastino Patrem auscultaturus, Ecclesiam accessit. Dixit autem opportunè sanè de Charitate mutuò observanda, quam Christus neq; dispendij proprij damno violari sustineret, poscenti tunicam etiam pallium ultro dimittere jubens. Fuitque de ea materia ardenter disserentis oratio tam efficax, ut Præsul domum reversus, evocato Oeconomo, juberet sibi omnia deductæ eousq; litis documenta afferri, eáque in frusta discerpta, manu propriâ igni injecerit, dicens: *exurantur dissensionum inter nos & Fratres nostros instrumenta, prout nobis hodie persuasit Pater Urteaga.* Ea res per Urbem vulgata, credi vix potest, quàm bonum odorem virtutis sui Præsulis diffuderit, & auctoritatis Patri conciliârit. Hos inter applausus & populi concursus, non negligebat carcerum & nosocomiorum sedulam procurationem, neque omittebat per vicos & pagos Christianam tradere doctrinam, pluribus latè in viciniam expeditionibus adornatis; quarum facilè princeps fuit in ditione Ducis de Medina Sidonia, cujus incolæ piscatu ferè vitam sustinentes, & inter vitia huic hominum generi consveta, spiritualis culturæ egentissimi, Patris voce pene ad Ninivitarum pœnitentiam incensi sunt, quando plerique omnes totius vitæ acta apud illum retexuerant.

Postulatu Ducis de Arcos, quòd ejus concionum summo desiderio teneretur, datus Marcenensi Collegio Anno 1609 Rector, expectationem etiam superavit, & constanti ad populum dictione animos omnium ad DEUM traxit: ut minimè mirum sit, DEUM quoque famulo unicè de lucris suis satagenti, de subsidijs vicissim rei familiaris miris modis quandoque subvenisse. Ità cùm aliquando audîsset querentem Oeconomum, non superesse in tota penu domestica nisi unum tritici modium, cùm tamen duos oporteret eodem die pistori tradere, jussit diligentiùs cellam inspicere. Sed respondenti, probè jam sæpiùs à se inspectam, & sinus ejus omnes excussos: *ergo remedium*, inquit, *efficax adhibebimus.* Hoc autem fuit fervens ad DEUM precatio; ad quam illico, digresso Oeconomo, in genua se abjecit: & ecce horæ spatio penuarius reversus attonito similis nunciat, tantum optimi tritici in cella antea vacua deprehensum, quantum præsens necessitas requireret. *Bene habet*, reponit Pater, *hoc igitur in præsens detur panifici, nam de reliquo Dominus providebit.* Neque aliter evenit: nam post biduum decem & octo modij præstantis tritici ibidem reperti sunt, quos tamen constabat nullâ hominum manu illuc inferri potuisse. Simile quid evenit, cùm alterâ vice Professorum Domum Hispali gubernaret: manifesto testimonio, nunquam spiritualia, & divina curanti, defore temporalia. Non enim satis habens propriam ipse operam in bonum proximorũ impendere, Socios domesticos omnes eodem igne ad labores Apostolicos inflammabat: unde cùm die quodam festo ambigeretur, an solennitas Catechismi (ùt vocamus) generalis cum suis Indulgentijs celebranda esset? quòd in eum diem toti quidem Urbi jam indicta, ob intempestam auram, & vias luto impeditas, parùm celebris fore timeretur: Pater nihil incommodo temporis, ubi negotium DEI geritur, motus, jussit nihilominus supplicationem catecheticam per Urbis compita deduci, addens, incommodum hoc certo aliquo & singulari favore à DEO pensatum iri. Dum progrediuntur, mitigari continuè Cœlum, serenari aura, & radijs solaribus nubes undique decedere, tantáque populi accurrere multitudo, ut ei capiendæ Ecclesia Cathedralis minimè sufficiens, coëgerit Catechesis præsides socios, ternas simul diversis locis extra templum habere conciones. Eo sociorum zelo, & virtutis exemplo commotus Vir Nobilis fortuitò illac transiens, extemplò Præpositum Domûs Urteagam convenit; *& venio*, inquit, *Pater mi summopere ædificatus tuorum filiorum spectaculo, quo DEUS animum ità commovit meum, ut tria millia Realium, quæ mihi Domus tua debet, ex nunc illi condonem. Precemini DEUM, ut iter, quod longius apparo, mihi secundet, & ego meis imperabo, ut eleemosynam, hactenus à me in sustentationem vestram tam sanctorum Virorum dari solitam, vobis duplicent.* Improvisâ adeò liberalitate mirè exhilaratus Urteaga, ut reduces domum Patres ejus-

ejusdem solatio impleret, *nónne videtis*, inquit, *quàm fidelis remunerator sit DEUS, qui nostrum in luto obsequium rependit argento, & tribus hodiernis Concionibus reponit totidem millia numûm Realium?*


Non diu licuit Marcenensibus Urteagâ Rectore & Concionatore perfrui, siquidem mox anno sequenti 1610. Episcopus Urbis Jaën, Sanctius Davila, cupidus Societatis apud se fundandæ, summis precibus illum impetravit, ad Missionem in sua Diœcesi cum alijs duobus Patribus instituendam. Et verò successus illius, omnes hactenus Patris labores superavit, tantúsque fuit ad pœnitentiam, concionibus ipsius in dies singulos binis ternísve excitatorum affluxus, ut diurnis horis ad Confessiones audiendas, plures nocturnæ fuerint adjungendæ. Idem factitatum est per oppida & pagos, in carceribus & nosocomijs, ubique explicatâ catechesi, in foris & campis; accurrentibus cum plebe Nobilibus etiam Viris, ipsis adeò cum Episcopo Canonicis; qui omnes cœlesti quodam igne correpti, publicè unà doctrinæ Christianæ capita decantabant. Extincta Vatiniana odia, sublati abusus improbi & publica scandala, extirpata penitus Veneris mancipia, & inter innumeros à varijs sceleribus abstractos, reductus ad frugem opulenti sacerdotij Clericus, cujus vita improba toti Urbi pravo erat exemplo. Is in omnem licentiam effusus, ut neque Missam per anni decursum aliquando diceret; audito vice quadam perorante Urteagâ, intimo animi motu compunctus, profluvium lachrymarum fundere cœpit, & pedibus Patris advolutus orare, ut suam de totius vitæ actis confessionem excipere, vitæque ad unum saltèm annum, agendæ condignæ pœnitentiæ, protelationem impetrare â Domino dignaretur. Fuit verò illius mutatio omnibus maximæ admirationi, cùm Missam dicentem summâ pietate viderent quotidie, prolixum in oratione, in eleemosynis profusum, in Concionibus audiendis, & quibusvis divinis exercitijs frequentandis assiduum. Utque palàm fieret, auditam à DEO fuisse Patris pro illo orationem, non duravit ultra unius anni terminum homini vita: quo evoluto, plenus optimæ spei decessit. Atque in his laboribus quinque Patri fluxêre anni, occupato simul in formanda Societatis eadem in Urbe Residentia, cui unà cum templo ædificandæ & locum, & sumptus, & reditus annuos liberalis Civitas cum Capitulo obtulerat. Restitutus indè Hispali ad multas Civium preces, opportunè sanè habendis concionibus revenit, quo tempore maximè fervebat partium certamen de Immaculato Virginis Conceptu: pro cujus defensione inextingvibilem suum pene singulis concionibus declarabat zelum, & affectum usque eo tenerum; ut persæpe vel ad solam hujus mysterij pronunciationem, *Immaculata Virginis Conceptio*, ubertim illachrymaretur. Totus erat in persvadenda Fidelibus hac piâ sententiâ, plurimósque ad devotum illius cultum tam in Hispanijs, quàm Romæ adduxit, quo anno conciones ibidem habuit.

Anno 1618. missus ad regendum Collegium Malacense, tantum sui desiderium Hispalensibus reliquit; ut ejus intolerantes, apud Patrem Generalem Societatis impetraverint, ex medio regiminis cursu ad conciones Hispali resumendas remitti. Fuítque summâ admiratione dignum, potuisse eundem auditorum accursum, gratiam & applausum per 45. annos, quos concionando transegit, ab illo conservari, ut non minore aviditate & emolumento in postrema, quo in prima dictione auscultaretur. Crevit autem supra modum hæc Viri æstimatio, cùm Domui simul Professæ bis Præpositum apud se viderunt tantò impensiùs in opera Charitatis effundi: totus enim erat in domesticis suis ad eadem incendendis, visitandos carceres, hospitalia; ad quæ primus & frequentissimus itabat ipse. Quòd si in aliquem fortè domi incidisset otiosè à meridie residentem, summâ mansvetudine & gratiâ, citra omnem aculeum rogabat, *quid hìc agis mi Pater? & quomodo cœnam hodie â Domino mereberis, nisi ante noctem lucrum aliquod illi ex animabus attuleris? vade, & priusquàm Sol occidat, infirmum quempiam, nosocomium, vel scholam puerorum fidei rudimentis imbuendam adi.* Fuit autem tum simul omni hominum ordini, summis & imis, commune veluti oraculum, petebantúrque ejus consilia à Tribunalibus Ecclesiasticis æquè ac Politicis, & sententia pene ut prophetia habebatur, quòd eam vix unquam eventus falleret. Et hanc sapientiam non tam humanâ industriâ, quàm assiduo orandi studio hauriebat è Cœlo: cui ut vacaret exactiùs, recipiebat se per annum aliquoties ad Tyrocinij domum, & sepositis humanis omnibus, cum solo DEO negotia sua per integras hebdomadas tractabat. Ex hac solitudine aliquando evocatus ad ægrotum, ex gravi apostemate laborantem, cujus apertio veluti postremum vitæ servandæ, anceps licèt remedium, decreta erat; omni conatu laboravit illum ad fiduciam in Sacro Evangelio, quod super ægrum recitavit, & Divorum reliquijs eidem applicatis repo-

reponendam erigere : vixque perlecto Evangelio fatalis vomica sponte suâ, citra ullum infirmi dolorem, dissiliens, tabum omne effudit, non sinè stupore Medicorum, virtutem altiorem in prodigiosa curatione agnoscentium. Singularis tamen in his omnibus elucebat in Patre modestia & humilitas, Principum favores & populi applausus aspernantis: & cùm Romæ Procuratoris suæ Provinciæ munere fungenti magni honores exhiberentur à Legatis Hispaniæ, Cardinalibus, aliisq; Magnatibus, conversus ad socium : *quid tibi*, ait, *Frater, videntur hi Principum affectus & cultus? Vapor inanis & vanitas : plurisque mihi est galerus meus sudore sordidatus, quàm mitræ illorum omnes, galeri, & purpuræ.* Contigit aliquando per urbem inambulanti Sacerdotem cum SS. Eucharistia, quam ad moribundum deferebat, eo loci occurrere, ut eam adoraturo necessariò in medium luti procumbendum esset: quod cùm citra omnem hæsitationem magno reverentiæ affectu fecisset, intuitus deinde pallium suum fædè sordidatum, dixit, nunquam meliùs luto fædari meum pallium potuit, neque aliàs honoratior in illo Hispali comparui, atque hodiè.

Easdem virtutes, & constantis animarum zeli exempla Granatæ exhibuit, Collegio Rector impositus, & præcipuè admissionem iterum in Urbe San Lucar de Barrameda obeundam anno 1626. postulatus, à Duce de Medina Sidonia, quem primo suo sancto alloquio ità cepit, ut ad Aulicos attonitus diceret: *hic Pater, me, nescio quâ vi altiore, penitus dementavit, nec unquam aliàs talem in animo mutationem expertus sum.* Auctáq; deinceps mirum in modum est hæc in Principe, totáque Civitate affectio ; cùm dicentem consveto sibi fervore audiverunt, & proventum omni expectatione majorem ex ejus laboribus sunt experti. Quare sinè mora fundando Societati apud se Collegio animum adjecerunt, quod diu antè multorum intercessionibus frustrà tentatum : meritis nimirùm Patris servabatur, magnis ejus in suo primordio laboribus, & quotidianis ferè eleemosynis sustentatum ; ad quas impetrandas prodibat ipse cum mantica ad maris littus, piscésque corrogatos humiliter domum deportabat. Demum à gubernationis oneribus ob graviorem ætatem liberatus, cùm in Domum Professorum Hispali secessisset, & prædicationis tamen munus non desereret; contigit ut die S. Mathiæ Apostoli in templo Cathedrali dicentem repentina capitis vertigo prosterneret, fuerítque necesse alienis manibus de suggestu auferri. Neque diu pòst in alia nihilominus Ecclesia prædicantem, memoria penitus medio in sermone defecit, quam ipse extractâ è sinu descriptâ concione conatus in viam reducere, postquàm aliquamdiu progressus, ceterorum oblivione iterum captum se advertit: *ut video*, inquit, *facultas dicendi me jam deficit, & munus concionandi per annos 44. continuatum hodie finitur, cùm DEUS non vult me in concione progredi, sed coram vobis confundi; ut sciam bonum omne, si quod hactenus in meis sermonibus fuit, non à me, sed ab ipso fuisse.* Magnum ea res in populo dolorem excitavit, neq; minùs Viri tanti sincera humilitas omnes ædificavit: quem è pulpito digressum accedens Vir præcipuæ dignitatis : *nunquam*, ait, *efficaciùs nobis prædicâsti Pater, quàm hodie, tam efficax humilitatis exemplum nobis exhibendo, & opere ipso docendo, quo animo ferendæ sint immissæ à DEO adversitates.* Atque hæ capitis vertigines certus fuêre prodromus secuturæ paralysis, quam membrorum omnium dissolutione toto ultimo vitæ biennio sustinuit, neque pedibus insistere, neque corpus quomodolibet movere potens. Quo die tamen celebrandum erat Catecheticæ doctrinæ annuum jubilæum (quod maximâ solennitate Hispali quotannis peragitur) impetrabat se in sella locatum ad Ecclesiam deportari, ubi binis ternísve eodem die sermonibus habitis, Christianæ Fidei capita explicabat, incredibili multitudinis ædificatione motúque, quòd tantùm in sene decrepito fervorem intuerentur, & constantiam, quâ in pulpito mortem sibi optatissimam non tantùm sæpiùs asseverabat, sed & opere firmabat: cùm præsertim viderent lachrymas plenis rivis per ora senilia defluere, ex eo solatio, quod capiebat è multitudine innumerabili sacram Mensam hoc die accedentium. Ità biennio toto in sola præparatione ad mortem sanctè obeundam exacto, decessit, utì vixit pijssimè, Sacramentis omnibus munitus die 30. Decembris anno 1644. quem sibi supremum fore constanter & ex vero prædixit: ætatis 76. Societatis 62.

Ex Alegambe Bibliotheca, & Nierembergij Tomo IV.



P. MEL-



P. Melchior KauKal, S: I. Boëmus, doctrinâ et virtutib, omnib, ac inprimis Zelo animarum conspicuus; vitam pro ijsdem, peste per Boëmiam sæviente, amisit Brunæ 22 Octob: Anno 1645. æt: 40. Alijs 19. per idem Regnũ in simili Charitatis opere extinctis.

162.

P. MELCHIOR KAUKAL, cum alijs 19.



ÆViente per Boëmiæ Regnum per annos ampliùs 20, Marte Svecico; pestis pariter, concessis subinde inducijs, diversas ejus Provincias & Regiones affligere perrexit, usque ad ejus belli exitum, & pacem confectam anno 1649. Consumptos in sacro contra eam certamine heroës, in gestis P. Stephani Fodor usque ad annum 1640. jam dedimus; reliquos abinde hìc simul servatâ annorum serie dabimus. Glogoviam Silesiæ urbem irrepens pestis anno 1641. ad ferendam morbosis opem excitavit P. Georgium Braverum, Erfurti in Germania natum, Virum animo magno, & ad subeunda pericula, tractandásque negotiorum difficultates prorsus imperterritâ libertate. Quâ etiam in frequentissimo ægrientium accessu & tractatione infectus, 26. Martij cecidit, annos 38. natus, in Societate 19. Coadjutor in ea spiritualis. Hunc longè pòst secutus est 6. Decembris, alter ex Adjutoribus temporalibus Joañes Hanka, Silesius Lignicensis, quem neque hæretica patria, neque ejus Princeps, neque Parentes, ità pravis potuêre suis erroribus irretitum retinere, quin ad sincerum orthodoxæ veritatis lumen evaderet. In frequenti contagiosorum visitatione Sacerdotes comitari solitus, lethale virus ab eorum squalore pœdoréque hausit, quo paucis diebus confectus est. Anno 1642. jam exeunte, Iglaviæ à transitu in vici-

vicinia Exercitûs Cæsarei relictus militum unus remanserat, ab omnibus destitutus, fœdâ dysenteriâ ex lue contabescens, quem nemo unus, etiam ex Parochia, accedere contagionis metu audebat. Hunc P. Christophorus Frisch, è Silesia superiore Glogoviâ ortus, in curam & charitatem suam receptum intrepidè convenit, expiavit, divino refecit epulo, & sanctæ morti paravit: atque exinde veluti jure partâ muneris possessione, cæteris lue infectis impiger adesse; donec attracto ab illis toxico, omnibus munitus Sacramentis decessit 26. Decemb:, ætatis an: 32, Soc: 14..

Anno insequente 1643. Cremsirij Moraviæ Civitate, ubi communiter sedes est Episcopi Olomucensis, eximiâ animi firmitudine se conjecit in pestem, ut eâ laborantibus auxilio foret, P. Jacobus Weis Boëmus Novodomensis, annorum 34, Societatis 10. Operarius in salutem hominum planè strenuus, quem nullæ temporis aut cœli injuriæ, diu noctúque, nec ipsa vitæ pericula ab eo zelo deterrebant, extinctus die 28. Februarij.

Brunæ verò P. Petrus Mayer, domo Pragensis, eodem charitatis impetu ad prodigendam vitam actus, quam aliàs Operarij munijs, catechizandis rudibus, concionibus, pauperibus juvandis, Pater pauperum communiter idcirco appellatus, impendebat: tandem luem & mortem attraxit ab uno militum, cui dederat operam, 25. Julij, cùm esset annorum 34, in Societate 17.

Glacij quoq; P. Valentinus Weis, Moravus Zwittaviensis, eâdem amoris flagrantiâ dum ægris in Nosocomio navat industriam, indè contagio malum lethale abstulit, mortuus 8. Dec: annor: circiter 32, Soc: 15. Vir raræ humilitatis & charitatis, qui firmiter sanctéq; statuerat (utì in ejus adversarijs secundùm obitũ compertum est) in infimis scholis pueritiam, literarum & Christianæ disciplinæ rudimentis per omnem vitæ decursum informaturum, dum tamen ità DEO & Superioribus videretur.

Rursum anno 1645. Hradecij in Bohemia, duo simul in eodem sacro ministerio occupati, eodem quoque die 16. Septembris concidêre: P. Fabianus Daudlebsky Boëmus Budvicensis, annorum 36, in Societate 17. Et P. Joannes Widra, Silesius Hulczinensis, annorum 56, in Societate 34. Sed & Brunæ serpente etiamnum lue, præclarum Sacerdotum par, cum uno Adjutore, eodem anno amissum est, quorum primus fuit

P. Melchior Kaukal, patriâ Policensis in Boëmia, natus annos 40. quorum dimidium exegit in Societate; 4. in ea vota solennia professus. In quo Viro humanæ sapientiæ, quâ præstabat, opes, cùm longè à divinarum artium usu & cognitione vincerentur, posteaquã Philosophiæ scholas triennio explicuisset, ad informandos cœlesti disciplinâ Novitiorum animos Brunam translatus est. Hanc ille curam maximo illorum profectu, & rigidiore ad primævum Societatis spiritum ductione ità egit, ut ad omne perfectionis officium, quod per ardentes cohortationes svadebat, multò maximè virtutum & vitæ suæ exemplis eos impelleret. Prima Viri commendatio fuit familiaritatis divinæ, à qua nunquam divellebatur; & cùm solus esset, in ea unicè acquiescebat; tam omisso ab rebus humanis animo, ut sæpe quid circùm se gereretur, imprudens omnium esset atque ignarus. Proxima cura, DEIparæ cultus & observantia, cujus Rosarium, quoties è cubiculo exiret, manibus atque ore versabat: cujus festorum pervigilia inediâ vespertinâ; dies Sabbathi celebraret incænis. Obedientiam in prima Perfectionis adipiscendæ parte cùm duceret; nihil illi non amplum esse, aut non pretiosum videbatur, cui voluntas Moderatorum obeundo applicuisset: adeóque & multa simul & varia cum Tyronum Magisterio (quod Brunæ à Rectoris Collegij adjuncti munere distinctum est) complecti, aspera simul & humilia lætus aggredi, suámque ultrò alacritatem ad similia offerre: sæpe ad Socij Procuratoris partes obeundas sese devolvere, tantâ promptitudine, tantóque gaudio; ut sui quodammodo vel socors, vel immemor, auriga quispiam aut custos pecorum, nisì cultus obstaret, credi posset. Nunquam ille commoveri animo, nunquam stomachari, ac nè subirasci quidem, nisì cùm quempiam cerneret, haud eam suæ ad Societatem vocationis, quàm deberet, æstimationem præferre. Ad ferendam proximis opem præstò semper fuit, iísq; libentiùs, quos aut inopia rerum, aut Christ: Doctrinæ inscitia fatigaret. Hinc avidè rusticorum confessiones excipere, illis instruendis cupidè operam dare, accersitus confestim accurrere, sæpe accersitis alijs socium se præbere. Atq; hæc illi occasio mortis præclaræ fuit: nam Procuratorẽ Collegij comitari permissus; ut quos pestilentia ruri degentes incesserat, per extrema Sacramenta juvaret: nõ multò pòst ab ijsdem virus contagione suxit, quo glíscente in præcordia 8. ferè diebus, consumptus est 22. Oct:, natus annos 40. in Soc: 21. quatuor Votorum Professus. In acutissimis illis doloribus incredibili solatio morienti fuit memoria Christi, in extrema rerum omnium inopia seu nascentis, seu mo-

morientis, quam tum penitus exprimere imitando adnisus est; nihil ad incumbendũ ægro corpori subjicere sinens, nisì fœni pauxillum, & vestes, quibus erat indutus: neminem, qui necessaria præberet, apud se pati, nè ipsi noxæ foret: gaudere, cùm neq; aliquid eorũ adesset, quod ad usum vel necessitatẽ præberi posset, non cibus, non habitatio, nisì pervia ventis casa, fœdáq; illuvie, quam Svecus miles ab Urbis obsidione repulsus orbam & vacuam post se reliquerat. Ex quibus incommodis, atque in ipsis mortis angustijs gestiens, risu verbísque suavissimis animi sui gaudia testabatur.

Postero die 23. Oct: excessit è vita P. Tobias Janh Novodomensis Boëmus, annorum 38, in Societate 21. cui pariter sese quatuor Votis illigârat, Operarius planè impiger & assiduus. Resciverat militem alicubi ex pestilentia abjectum, & ab omnibus destitutum jacere; ergo Superiorem adit, potestatem flagitat ejus conveniendi, solandi, & ad mortem beatam parandi, cujus vel unius salutem longè haberet ante vitam suam. Ivit, assedit, solatus est: domum reversus, initium grassantis veneni in viscera persensit, ab aliorum se usu segregavit, nemine ad sua obsequia admisso, octo dies cum malo vehementer severo conflictatus. Vir fuit miro animi candore, inque pauperes, scholares præcipuè, tanto amore & curâ, ut nomen ei Patris pauperum indè partum sit: eos fovere corrogatis auxilijs, & usque ad minutias industriâ charitate ajuvare; quale est illud ad memoriam insigne, vel in re tenui specimen observatum. Depulsus à Bruna irritis machinationibus suis jam secundò Svecus abscesserat, in cujus deserta castra adrepens Pater, licèt alij nihil spoliorum reperirent, quod usibus suis serviret; ipse tamen in copia deprehendit, quod in usum pauperum scholarium auferret. Pennas enim anserum passim abjectas operosè collegit, quas ad usum scriptionis magno numero deinde in ipsos dispertitus est.

Tertius Rupertus Lauchner, Germanus Salisburgensis, annor: 29, in Soc: 5. vitam, quam duo Sacerdotes in officio charitatis proximis extraneis exhibito posuerant, in domesticorũ ex lue laborantium obsequijs, pari merito amisit die 6. Novembris. Nam cùm hæc diu foris & per urbem palabunda, in Collegium tandem irrepsisset, & paucis diebus aliquot sociorum capita côrripuisset, ibi tum iste à Moderatoribus supplex & genibus nixus expetijt, ut eorum servitio dederetur. Deditus est, servivit, & indemnis evasit, auráq; puriore lustratus in Collegium redijt. Sed cùm integrascit malum, & ipse pariter integrat charitatis industriam, & diu noctúque in omnes ægrorum nutus intentus, nihil eorum quæ possint ipsis esse solatio omittit. Expeditis omnibus partim in sepulchrum, partim ad priora munia, ipse futurus extremum funus, accepto ab eis veneno procubuit. Tum verò erecto in DEUM animo lætari, suæ sibi ægritudinis, cruciatuum, mortis causam gratulari: si consanesceret, iterum velle iterúmq; idem ministerium experiri, donec cupitam ex eo mortem consequeretur. Igitur generali confessione de tota vita expiatus, prænunciatáque Patris unius periculosâ, sed innoxiâ demum ægrotatione, plenus gaudij & dulcium lachrymarum à vita discessit.

Ibidem Brunæ rediviva post triennium pestis anno 1649. quæ ex continuatis belli Svecici calamitatibus nunquam plenè per hos annos in Regno extirpari potuit, ad eandem primùm heroicæ charitatis exercitationem, ac deinceps debita illi in Cœlo præmia evocavit P. Samuelem Richter, natum in Moravia ante annos 36. quorum dimidium vixit in Societate in quatuor Vota Professos adscriptus. Hic cùm priùs domi duobus Fratribus contagione extinctis omnem assiduitatem navâsset, eandem mox foris indiscriminatim omnibus ferè per bimestre hilariter impendit. Singulis sacræ illius expeditionis diebus, tanquam vitæ futuris postremis, sese non minùs, quàm peste ictos ad mortem comparabat, per quotidianam confessionem, & in Sacrificio velut ultimò sumendam Sacr. Evcharistiam: quasi præsagus perbrevis agonis, quo cum morte conflicturus erat; quando peste icto niger carbo maxillam insedit, & intrà biduum extinxit 22. Octob: non sinè periculo utriusque Sacramenti privationis.

Egræ suppar mortis & causa & gloria 20. Nov: assecuta est P. Joañem Dornsperger Svevum, Societati ante annos 18. inter Coadjutores Spirit: auctoratum, in ipso ætatis flore, in pulcherrimo charitatis famulatu, insigni alacritate occupatum. Pragæ verò, cui anno superiore dimidiâ sui parte proditione occupatæ, & hostiliter direptæ, hoc autem in residuo Triurbis gravissimâ oppugnatione à Svecis afflictæ, pestis iterum incubuit, 25. Nove: P. Augustinum Gerberum Lusatiũ, in eadem charitatis palæstra decertantem, egregiâ morte pessumdedit, natum annos 49, in Societate 28. Operarium numeris omnibus absolutum, quatuor jam victorijs ex totidem pestibus per annos superiores reportatis insignem, & huic quintæ demum immortuum.

In eandem iſtic arenã, ad ſuas omnino bieñales & efficaciſſimas preces, emiſſus P. Martinus Benedictus, Moravus Brumovienſis, integro bimeſtri incolumis duravit, multis per Sacramenta felicem ad migrationẽ adjutis, nec paucis, corrogato medico quodam pulvere, in vita retentis. Sed quia exoraverat non priùs ab arena retrahi, quàm aut peſtem omnino extingvi, aut ſe humeris veſpillonum in communem omnium domum deferri contingeret: idcirco per hyemis rigorem tantiſper ſopitâ, ſed cum adulto Vere anni 1649. reſuſcitatâ lue in campum redijt, per eadem nuperæ virtutis certamina cuivis diſcrimini caput objiciens, dum denique mortem breviore unius menſis curriculo aſſecutus eſt 25. Julij, anno ætatis 53, Societatis 30, quatuor Votorum profeſſis adſcriptus. Hunc Virum impensè memorabilem facit politior literatura, & bis docta magnâ eruditione Philoſophia, profundiſſima animi demiſſio, cũ inſigni obedientiæ ſtudio conjuncta, miſeratio in egentes & afflictos, & præclarum gubernandi talentũ, in regimine Collegij S. Ignatij Pragæ demonſtratũ.

Illum conſecutus ibidem eſt 20. Auguſti P. Chriſtianus Blumſchein Pragenſis, annorum 30, in Societate 13. modeſto ac ſvavi, ſempérque hilari, etiam inter moleſtos, & quaſi perpetuos capitis dolores, ingenio, patientiâ eò fortiore, quò lætiore, ac orandi ſtudio magìs conditâ. Etenim in orandi ſtudio tantus fuit, ut fama ſit, illius veluti nutricis ductu, innocentiæ integritate ſingulari illum ad Religionem educatum. Bis repulſam à Superioribus paſſus, ubi tandem ut ſe lui publicæ ad Civium utilitatem objiceret, impetravit; totos illos trium hebdomadarum dies, quibus eo in obſequio ad uſque obitum verſatus eſt, Urbem totam concurſare, ultrò ægros in domibus rimari, & ſolerti induſtriâ è parvulis veritatem elicere, cùm latere vellent ægri, nè domus inter damnatas obſeraretur: quæ res pluribus ſaluti fuit, ſinè præſidio Sacramentorum aliàs deceſſuris.

Acceſſit biduo pòſt Melchior Reich, ex infer: Sileſia Glogovienſis, annor: 29, in Soc: 7. Coadjutor temporalis. Hic navatæ jam aliàs Brunæ noſtris peſte infectis operæ experientiâ probatus, eandem nunc impetratam ſex hebdomadarũ accuratione exercuit, ſui adeò ad impendenda obſequia liberalis; ut medium ferè hominem contracta veneni tabes latè impleverit, præclaréque Sacramentis inſtructũ, & petentem quàm profundiſſimè ſepeliri, nè quando effoſſum tam venenatum cadaver cuiquam obeſſet, confecerit.


Eundem finem Pragæ conſecutus eſt 19. Sept: P. Jacobus Lippar, Luſatius Witgenavienſis, añor: 32, in Soc: 12, Coadjutor Spiritualis. Ingentem animarum ſitim in Miſſionibus luculenter, at in ſupremo hoc obſequio per labores incredibiles longè luculentiùs conteſtatus eſt, corpore ferè ijs ferendis impari, cùm non ſomnum, non cibum caperet, niſì obiter & properè, nè quis è vita neglectus illi decederet. Monitoribus ut ſibi parceret hortantibus, illud identidem, *Fidelis eſt DEUS*, reſpondebat: & ad ſocium quoq; inter prodeundum è domo crebriùs dictitans, *eamus & nos, mi Frater, & commoriamur pro proximo, nullum periculum pro animarum ſalute recuſantes.* Indè illum, fauſta undique precati Cives, teneris vocibus, quàquà ſe ferret, proſequebantur: Sveci verò hæretici, qui ex nuper concluſa pace jam amici, Urbem tamen Minorem Pragæ cum Arce Regia etiamnum poſſidebant, velut portentum admirabantur, nihil huic ſimile unquam apud ſuos Miniſtros conſpectum aſſerentes. Ità hoc ipſum opus heroicum fuit egregia veræ Fidei, quæ ex charitate cognoſcitur, teſtificatio, & ad eam amplectendam perſvaſio.

Sed & Litomericij, ſeptem à Praga levcis Urbe Regiâ, inter paria Charitatis exquiſitæ decora concidit 24. Octobris P. Mathias Kallaus, & ipſe Spiritualis Coadjutor. Hic cùm vitam omnem moleſtiſſimo Grammaticæ tradendæ pulveri addixiſſet, jam quinquenniò in illo verſatus, ubi ſe tulit occaſio majorem hanc ſpartam animo impiger occupavit: ægris per ſemirutas ex belli injurijs domos, & ſubterraneas parietinas perquirendis, pérque omnem medicinæ utriuſque induſtriam in corpore & anima recreandis, tanta cum Civium æſtimatione verſatus, ut ex eorum Senatuſconſulto in Templo Urbis primario, calce in loculum injectâ, fuerit honorificè tumulatus, quidquid noſtri in Collegio contrà nequicquam niterentur.

His pro coronide addendus eſt P. Caſparus Hildebrandus, Sileſius Camencenſis, itidem Spirit: Coadjutor, qui Olomucij anno 1655. exortâ contagione, egregiam in pari palæſtra virtutem demonſtravit, eidem 13. Decembris immortuus, cùm annum ætatis ageret 50, in Societate 29. aliàs in Operarij munijs, Concionibus, Miſſionibus, diu multúmque ac laudabiliter verſatus.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. PAU-



P. Paulus Cyrianus Soc: Ieſu, Ungarus, glorioſâ morte inter charitatis apud peſtiferos officia ſublatus, Ciliæ 15 Octobr: Aº 1646. ætat: 32. præter alios 26 Socios ejusdem charitatis impulſu ad ſimile obſequium per Auſtriæ Provinciam, et mortem oppetendam permotos.

163.

P. PAULUS CYRIANUS, cum alijs 26.

ANtequàm ad geſta Viri hujus recenſenda deſcendam, obiter priùs & ferè curſim annotabo, quanta Societas Provinciæ Auſtriæ, ex qua ipſe cenſebatur, in opera excellentiſſimæ ejus charitatis, quæ in cura peſtiferorum exercetur, quavis occaſione præſtiterit, quot Viros amiſerit; ut vel ex heroica eorum, in cauſa tam ſancta & ardua, morte, arguatur de vitæ eorundem ſanctitate, in qua poſteritati commendanda tam parcos nacti ſunt Scriptores, ut vix aliquid de eorum virtutibus præter nomina ipſorum (quæ ſuo quovis anno exprimit Alegambe) poſteritati mandârint.

Itaque Anno 1625. in hoc miſerorum obſequio Viennæ cecidêre duo: An: 1633 Lincij unus: Anno verò ſequenti iterum Viennæ quatuor: Græcij octo, & Paſſavij unus. Anno 1638 Berolini, quæ Caput eſt Urbium Marchiæ Brandeburgicæ, Electorum ſedes, P. Michaël Wetſchauer, Styrus Fronleitenſis. Impetraverat hunc ex Auſtria Comes Schwartzenburg (cujus, licèt Catholici, conſilijs Princeps Elector utebatur, & ad primas gratiæ ſuæ partes admiſerat) ut ſibi eſſet à Confeſſionibus & Sacris peragendis; unáque veteris in Marchia pietatis, ſi quas fortè extinctus eſſet, ſcintillas ſuſcitaret, aut certè novas accenderet, quod utrumque cautâ & ſolerti induſtriâ egregiè præſtitit. Occupabatur is in Auſtria Ope-

Operarij potiſſimùm & Miſſionarij munijs, propenſiſſimo ſemper juvandorum animorum, præſertim quos egeſtas & fortuna tenuis exerceret, ſtudio: atque ubi à Superioribus hanc ſibi deferri provinciam conſpexit, præ geſtientis animi gaudio lacrymis offuſus, tanquam divinitùs oblatam, genibus flexis excepit. In ea expeditione, quæ geſſerit, diſtinctè relatum non invenio: ſed illud argumento præclarorum facinorũ eſt, Comitem Schwartzenburgicum ſummis eum laudibus efferre ſolitum, non potuiſſe memoriam ejus demortui abſque lachrymis tolerare. Mortis occaſio à peſtilentia fuit, quæ cùm graſſaretur in Cives, ipſe ſui negligens in eorum opem totus incubuit. Quatuor omnino jam & ſexaginta per eam luem Sacramento Pœnitentiæ, partim à peccatis, partim ſimul ab hæreſi abſolverat; grandis in obſita tenebris Urbe proventus! cùm ab illis lethalem animam hauſit, & paucis diebus in Auguſto ſublatus eſt, cùm annos in Societate vixiſſet 17.

Anno 1644. Jaurini in Ungaria occubuêre duo Coadjutores, Sacerdotum comites, Joannes Fleiſchman, Franco, 9. Julij: & Georgius Glekler Carinthus Clagenfurtenſis, aliàs jam in ſimili infectorum ſervitio quinq; menſibus abſque damno verſatus, nunc verò 14. Novembris contagio extinctus, annorum 41, in Societate 16. Poſonij acceſſit tertius 1. Octobris P. Henricus Schelhorn, Franco, annorum 42, in Societate 23. Anno inſequente Viennæ ex pluribus noſtris in ſubſidium miſerorum expoſitis, unicus ad palmam pervenit P. Georgius Ith, Paſſavienſis, anno ætatis 41, Vir ingentis animarum zeli, cujus ardore impulſus, à Superioribus pridem obtinuerat, ut abruptis Theologiæ ſpatijs, quæ nihilo minore laude cum æqualibus decurrebat, illarum quæſtui ſuſcepto Sacerdotio totum ſe impendere liceret.

Anno 1646. cùm Ciliam, extremæ ad Croatiam Styriæ oppidum, depopularetur lues; nullóque opitulante, quòd nullum ibi Societati domicilium eſſet aut ſedes, impunè graſſaretur, depopoſcit eam ſibi miſeros juvandi provinciam ardentiſſimo ſtudio P. Paulus Cyrianus, Græcij tunc agens. Erat is domô Tyrnavienſis Ungarus, annos 32. natus, 7 in Societate, poſtquam ad eam poſtliminiò rediit, in quam ab adoleſcentulo primùm admiſſus, ætatis imbecillitate, & quâdam exinde ortâ morum ſeu levitate, ſeu inconſtantiâ, vocationis naufragium fecerat, Leobij à Societate dimiſſus. At ubi reverſus paulò pòſt ad ſe, diſpendij ſui magnitudinem animo reputare, reditúmque conſtantiſſimè flagitare cœpit, ſponſionem receptûs eâ conditione accepit, ſi vellet ad ſuæ virtutis, conſtantiæque periculum, in Tranſylvania priùs & Valachia Grammaticæ ſcholas pueris explicare: quod & inſigniter præclarâ virtutis oſtenſione præſtitit. Itaque denuo in Tyrocinium admiſſus, & peractis Theologiæ ſtudijs Sacerdotio initiatus, in eam deſcendit arenam, in qua priſtinæ levitatis ſuæ damna penſaret, & è multis difficultatum ſpinis patientiæ roſas legeret. Inceſſerat neſcio quæ mala de Societatis hominibus mortales illos opinio, ad quos ipſe, tanto ſuo diſcrimine juvandos, auctoritate & miſſu Cæſarei Græcij Conſilij veniebat: hinc ejus adventus videri gravis, neque ulla benevolentiæ ſigna præberi, non cibi, non tecti, non hoſpitij opportunitas ulla deferri. Sed Pater ubi ſemel omnia poſt eorum ſalutem habenda decrevit, nihil eam animorum acerbitatem moratus, domum occupavit, quam peſtis omnibus ſublatis inquilinis paulò antè vacuaverat, nudam ſupellectilis, atque omni prorſus ad vitam tuendam apparatu deſtitutam. Ergo victus, panis cibarius, ex ipſis ferè peſtiferis corrogandus fuit, pro lecto ſtramen, ſomnus inquies, & vicinitate cœmeterij peſtiferis corporibus obſiti, víxq; unâ diſcreti ſpithamâ formidoloſus, labores diurni nocturníque ferè abſque ullo animorum fructu proventúque caſſi. Obſtabat enim multò maximè ejus conatibus noſtri nominis, ſeu horror, ſeu reverentia præpoſtera, cum eo conjuncta errore, quòd in animum certâ perſvaſione induxerant, nullas fieri poſſe ratas Confeſſiones, quibus peccatorum remiſſio obtineretur, extra conſvetas per annum Quatuor Temporum ferias; eo verò tempore peractas tam eſſe efficaces, ut deinceps etiam committendis veniam & impunitatem afferrent. Indè nimirum fiebat, ut vel ipſo ſupremo vitæ diſcrimine, perpauci Patrem pro remedio accirent, nullam animæ morti parandæ curam aſſumerent. Id ubi Pater certum compertúmque habuit, quà publicis, quà privatis cohortationibus omni ope corrigere adniſus eſt: flagitare nè ſe penſi quidquam haberent, ſed tanquam ſuo prorſus liberè diu noctúque uterentur, qui uno ipſorum ſalutis ſtudio adveniſſet, vitam pro illis poſiturus, nullâ aliâ mercedis, aut ſtipendij expectatione: errorem verò illum de Confeſſione dupliciter pernicioſũ efficaciter dedocere, ſimúlque ultro, dum parciùs evocatur, in domos ſe ingerere, veſtigare ægros, obire diu noctúque montes & valles, & peſte contactos nunc jejunus, nunc malignè paſtus in-

indagare supra vires, & dum quempiam invenisset, exultare gaudio, nec unquam secundis rebus lætior, quàm hisce adversis esse visus. Perfecerat Apostolicâ istâ contentione, ut alios de eo sensus paulatim timidi illi mortales haurirent, & virtutis insolentiam, quam despicatui priùs habuerant, jam maximopere commendarent: quin victus etiam suppeditari cœperat indulgentiùs, & rei bene faciendæ spes ampliùs affulgere; cùm eum die 8. Octobris pestilens febris invasit, nec longè pòst sinistram coxendicem bubo feralis insedit. Eum verò Pater tantâ doloris patientiâ sustinuit, ut sinè gemitu, sinè querela, sinè indicio vel levissimo tanti cruciatûs perferret: cúmq; sibi jam respirare nonnihil, & ad valetudinem pristinam rediturus visus esset, ad majores ambiendas ærumnas velut animosior indè redditus, Missionibus Turcicis, laboris & periculorum plenissimis, in omnem deinceps vitam voti sacramento se adstrinxit, si Moderatoribus ità videretur. Verùm aliter DEO visum; nam in his ipsis desiderijs placidissimâ morte, post septidui cruciatus, occupatum ad se evocavit 15. Octobris.

Anno 1654. redivivâ Viennæ pestilentiâ, magnis precibus ad contagiosorum obsequia destinari impetravit, præstanti virtute adolescens, adhuc Tyro, Stephanus Modrovich; cui demortuo successit cum Sacerdote ad id muneris destinato additus Coadjutor Joannes Lechner, & quâ erat militaris olim animi granditate, ab ea statione nonnisì morte discessit 3. Aprilis, id est, nocte feriæ sextæ in hebdomada sancta. Hic nobili apud suos loco natus Anno 1601. per bellica rudimenta jam ad vexillum usque evaserat, majoribus donandus belli honestatibus, nisì juxta ea, quæ de duobus vexillis tradit S. IGNATIUS, suum illud cum vexillo JESU an. 1631. commutâsset; ut se illis pararet vexillis, quæ à Socijs nostris in Cœlo gestari vidit S. Theresia. In Societate eâ virtutum & pietatis soliditate versatus fuit, cui Societas etiam arduas Missiones tutò committeret. In Brandenburgia inprimis, aliena in veste rem ità gessit, ut pares rei perficiendæ animos prudentiámque attulerit; de modestiæ luce nihil amiserit. Leobio ad impetratum pestiferorum obsequium Viennam evocatus, unicam DEIparæ imaginem secum abstulit, ut hoc pignore pietatis vitæ reliquum, & mortis aleam solaretur.

Ibidem in annum sequentem continuante lue, ex eadem virtutis palæstra victor excessit 11. Junij P. Ignatius Jociscus, Severiensis Polonus, annorum 47, in Societate 23, in Operarij munijs majorem partem, usque ad sanctitatis famam laudatissimè occupatus. Unam alterámve horam, quâ prior alijs se lecto eripiebat, SS. Sacramento coràm adorando transcribebat: in cubiculo quoque ferè nonnisi genibus niti repertus. Ter petijt; bis in hostiam se dedit pestiferâ lue afflictis, per plures qualibet vice menses eorum utilitatibus addictus, quasi fœdus icisse cum morte videretur: quam tamen tandem halitu venenato hausit, omnium voce post fata Vir sanctus appellatus, quem etiam complures privatâ pietate inter Patronos adlectum implorare feruntur. Certè Domûs nostræ ab ea peste incolumitatem, secundùm DEUM, ejúsque SS. Matrem, etiam ejus precibus Socij imputabant: cùm neque ullus eorum, qui complures cum illo peste jam icto sunt versati, virus hauserit.

Illum secutus est in Septembri, ejusdem charitatis auspicijs enectus Comaromij in Ungaria, Matthæus Wernpacher, Coadjutor: & Cassoviæ item in Ungaria 24. Octobris Pater Thomas Vulpianus, Moravus.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.

P. FRANCISCUS WALSINGHAMUS.



NOrthumbria Angliæ Provincia P. Walsinghamum mundo dedit, ab hæreticis Parentibus in erroribus educatum, ínque ijsdem à Præceptoribus in schola Londini Pauliniana confirmatum, quam ipse pertinaciter fovit accessu templorum, & concionum Protestantium, lectione item continuâ librorum; eo errorum profectu, ut etiam pseudo-Clero se adjunxerit, initiatus ab Episcopo Eliensi ipsorum diaconatu, multis exinde annis præcipuus sectæ Protestantiũ factus Zelotes. Cùm verò ut amicũ in hæresi nutantem firmaret, obtulisset illi legendum librum hæreticũ; amicus eâ lege librũ admisit, ut vicissim Franciscus aliũ à se oblatum evolveret. Fuit hic à Personio edita defensio Campiani contra duos verbi pseudo-ministros, Charcum & Hanmerum; quẽ initio Franciscus quasi ludibundus in manus sumpsit, certus nihil de sua religione mutare, & inspiciebat identidẽ, ut in Papistarũ scilicet erroribus jocosè luderet, modò hanc modò illam paginam; sed quia ubique incur-




P. Franciscus Wallingham, S. I. Angl., totis 32 añis, per omnia Apostolici Operarij munia, Angliam excoluit. Mortuus ibidem septuagenariô major. 1. Julij. Aº 1647.
164.

rebat in probrosas suorum & actiones, & doctrinas, quas graphicè Personius describebat, ubivis legere inciperet: indignabundus illum abjiciebat, aversabatur tanquam mendacem, & impostorem; neque tamen vicissim potuit resistere scrupulis indè emergentibus, quid si tamen vera essent, quæ à Personio dicerentur? Ità dum illum interruptim modò inspicit, modò inspexisse se dolet, jam abjicit, jam iterum resumit, ingestæ animo sunt dubitationes multæ, indignanti non sinè pudore incidisse in paucorum foliorum libellum, quem per se revincere non posset. Igitur captatis doctiorum alloquijs dubia sua velut aliud agens sermonibus inspergit, sed cùm præter effugia solidi nihil reciperet, inquietudinis domesticæ impatiens, Londinum ad amplissimas bibliothecas evolat, inspicit fontes, ex quibus probationes haustæ, reperítque nihil dissonum, nihil depravatum. Tum verò attonitus & anxius quid consilij capiendum, incidit in non usitatum, sed ratiocinanti visum æquissimum remedium, implorandi videlicet à supremo Ecclesiæ Anglicanæ capite, tanquam controversiarum judice, dubiorum solutionem. Quorsum enim alioqui hanc prærogativam primatûs Ecclesiæ sibi arrogâssent Henricus, Elisabetha, & Jacobus Angliæ Reges, quam & ipse jurejurando bis térve emissus, in ijs se agnoscere professus fuerit, si non in dubijs Religionis pro remedio adiri à dubitantibus possint? Itaque supplicem libellum, quo animi sui ægritudinem ejúsque originem breviter explicabat, unà cum allegato libello Personij, Regi de more Sacrarium ingredienti ad manus tradit. A Rege remissus ad Cantuarien-

rienſem pſeudo-Archiepiſcopum in Regiatum præſentem, graviter reprehenditur de audacia, quâ præſumpſerit, exemplo nunquã viſo, in ea cauſa Regem interpellare, allegato inſuper libello Perſonij pridem Majeſtatis læſæ damnati, cujus plurima exemplaria à ſe igni damnata, & ſufficienti reſponſo à diverſis confutata ſint? *De libri auctore*, reſpondit Franciſcus, *mihi curæ non eſt, quis fuerit; de rerum in eo digeſtarum veritate eſt quæſtio, cujus utique deciſio à Capite noſtræ Eccleſiæ maximè petenda erat. Et ſi pridem reſponſum eſt huic libro, hoc ipſum videre aveo, ut acquieſcam. Fiet tibi ſatis*, ſubjicit Cantuarienſis; & die ſequenti tradit eum inſtituendum Capellano ſuo, Covello. Quo nihil penitus dubiorum extricante, remittitur ad alios hæreſis anteſignanos, & jurejurando adſtringitur ad duos Thomæ Bell Sacerdotis apoſtatæ libros pervolvendos. Sed ex his auctos etiam ſibi conſcientiæ angores aſſerenti, pſeudo-Antiſtes obſtinationem & audaciam intolerandam exprobrans, carceres minatur & vincula; ejus verò Aulici ſvadent, ut diſceptatione omiſsâ, animum ad opiniones Patriæ receptas inflectat, gratiam eâ conformatione Epiſcopi & Regis ſibi conciliaturus. Videns itaque Franciſcus, qui non hominum ſed DEI gratiam quærebat, fruſtra ſe apud Proteſtantes conſcientiæ remedium aucupari, ſtudium omne ad conferendos inter ſe Catholicos & hæreticos auctores convertit; de quibus ſimul aliquot è Catholicis Viros doctiores conſulens, brevì orthodoxæ Fidei veritatem agnovit, & magno fervore complexus eſt. Quibus intimiùs penetrandis, & in ſuo fonte combibendis, trajicere ab Inſula Romam conſtituit, opportunitate uſus proſcriptorum eo tempore aliquot Sacerdotum, cum quibus voluntarius exul Regnum ſpéſque fluxas deſerens, navigium tanquam unus ex illis conſcendit.

Delatus in Belgium intellexit Perſonium Romæ Collegio Anglorum Rectorem præeſſe, cujus unicè conveniendi avidus Romam properavit, & in Contubernium receptus, totum ſe literarum divinarum ſtudio, ac præcipuè Controverſijs Fidei penetrandis impendit. Et ſicut erat in Fide Catholica ferventiſſimus, ità ad eandem Civibus ſuis implantandam ut aptiſſimus evaderet, Societatem expetijt, auſpicatúſque eſt ejus tyrocinium Anno 1609. ætatis 37. Remiſſus poſtea à Moderatoribus in Angliam, & ſubinde tria vota ſolennia profeſſus, toto annorum 32. ſpatio vineam illam multis horrentem difficultatum ſpinis, magno zelo & copioſo fructu indefeſsè excoluit, & omni virtutum genere inſigniter eluxit. Sola converſionis ſuæ hiſtoria, quam *Diſquiſitionem* inſcripſit *de rebus ad Religionem* pertinentibus, quam plurimis ſaluti fuit, quos ſincera rei geſtæ ſine fuco narratio ad ſaniora induxit; cùm unà ſubjecta oculis conſpicerent, & hæreticorum fraudulenta artificia, ad ea quocunq; demum colore contegenda, quæ honeſtè defendere non poſſunt; & Catholicorum apertam ſolidámque rationem ſua demonſtrandi, & ab Apoſtolis propagatam ad nos uſque Fidem confirmandi. Cæterùm libentiùs ſemper inter tenuioris ſortis homines operam collocabat ſuam, eorúmque paupere cultu tum in victu, tum in habitatione mirificè delectabatur. Plurimus eadem ex cauſa fuit in pueris Chriſtianæ doctrinæ inſtituendis erudiendis: cum eorum verò parentibus & adultioribus ſermo illi familiaris ſemper de DEO rebúſque cœleſtibus; quibus ſpecialiter artem Contritionis actum, in tanta Sacerdotum difficultate, eliciendi inculcabat; & jaculatoriarum, quas dicimus, precum uſum ad omnes occaſiones edocebat. Neque interim periculorum immunis fuit, ſæpius ab inſidiatoribus Magiſtratui proditus, & ab apparitoribus ità repentè obrutus, ut manus eorũ, niſi miraculò, evadere non poſſet. Semel irruentibus improvisè ſatellitibus in domum, quam incolebat, ut eum comprehenſum ad carceres abducerent, quamvìs irruperint in ipſum conclave, in quo ante aram in genua provolutus DEO ſe in victimam offerebat, non eſt tamen ab ijs conſpectus; id quod patenti miraculo Catholici tribuebant, habebántque idcirco ùt Virum ſanctum, & DEO charum. Erat enim moribus ſvaviſſimis, columbinâ ſimplicitate, DEI gloriæ ſitientiſſimus, & quidquid temporis à laboribus ſupereſſet, orando DEO impendere ſolitus. Tandem ſeptuagenariô major evocatus à DEO eſt ex vinea ad recipiendum denarium vitæ æternæ 1. Julij A. 1647.

Ex Anglia Mori, Bartoli, & Bibliotheca Alegambe.





P. Ioañes Avellaneda S.I. Anglꝰ, moribꝰ et vitâ Angelꝰ, præter alios 77. in obſeqvio charitatis, luis tempore, proximis impenſo, per Hiſpaniam ſublatos, extinctꝰ Gadibꝰ 9. Febr. Aº. 1649. ætat: 28. Societatis 13.

165.

P. JOANNES AVELLANEDA, cum alijs 77.

IN percenſendis geſtis eorum, qui heroicâ charitate vitam & animam pro ſalute proximi, in peſtem & mortem dederunt, nemo mihi vitio aut inertiæ vertat; ſi quando, ubi major illorum eſt ſyllabus, ſola ferè eorum nomina, quandoque autem etiam his omiſſis numerum duntaxat enectorum afferam. Mors ità amore proximi obita, opus eſt tam excellentis zeli, & plena Apoſtolicæ perfectionis, ut ipſa per ſe ſufficiat ad probandam vitæ & virtutum eminentiam, ſiquidem nemo ſæculi & mundi amicus vitam gratuitò pro alijs, niſi fortè amicis & cognatis exponet; éſtque adeò cauſa ſufficiens, cur nemo illorum ab hoc libro & catalogo heroum excludi debeat. Quando ergo vitæ illorum expreſſam imaginem non invenio, vel ob ſimilitudinem cũ aliorum geſtis, lectoris palato nil novi ſaporis allaturam, do mortem, quæ eſt ultima rerum ac vitæ linea, ac veluti index voluminis conſcripti, ex quo à perito æſtimatore introſpici poſſit, quid reliquus vitæ illorum liber contineat. Secutus in hoc ductum Martyrologij Romani, in quo ad diem 28. Februarij refertur memoria multorum Sacerdotum & Diaconorum, etiam ſinè expreſſo cujuſquam nomine, qui in peſtilentia quadam animas ſuas & vitam in obſequio infectorum poſuerunt. Itaque depaſcente Hiſpaniæ oram Gallis conterminam anno 1632. contagione, ex So-

Socijs in eam ſtrenuè decertantibus, lapſu glorioſo cecidêre Perpiniani tres Coadjutores, Petrus à S. Petro, Joannes Camps, & Petrus Pelaëz. Valentiæ anno 1647. P. Franciſcus Carbonell, cum 9. Fratribus Adjutoribus, quos ea lues ex immediata corporum cura & tractatione faciliùs afflavit. Anno inſequente Murciæ P. Franciſcus de Orozco, P. Andreas de Salvaterra, P. Valentinus Navarro, cum totidem ſocijs Fratribus. Alicante verò P. Hieronymus Simon, P. Petrus Rios, & Franciſcus Martin Adjutor. At verò annus 1649. multò plures in exercitatione nobiliſſimæ hujus charitatis abſtulit: quorum primus Gadibus ultimâ Januarij occidit P. Sancius de Mendoza, claro in Hiſpania genere, Marchiones de Riego educatores, ac deinceps Societatem anno 1627. nactus, & in ea ſtatim à Tyrocinio tria vota profeſſus. Splendorem natalium majore humilitatis claritudine per totam vitam illuſtravit, Grammaticæ docendæ pluſculis annis deditus: deinceps autem cùm animabus navaret induſtriam; primus, adhuc ante portas templi apertas, commodo ſimplicium & operariorum jam pro ſacro tribunali ſedere; ultimus Divino Sacrificio ſub meridiem operari, nec antè interquieſcere. Egentibus & calamitoſis à miſericordiæ in omnes exercitæ operibus totâ Urbe notiſſimus, feriam ſextam carceribus dabat: útque animos ad Cibum cœleſtem eſuriendum caperet, fovendis corporibus eſcas mendicitate publicâ per Urbem comparabat, manibus & induſtriâ propriâ coquebat, & materno pænè affectu ſingulis partiebatur. Miſſionibus obeundis, quia laborum & ærumnarum citra nominis & famæ ſplendorem feracioribus, addictiſſimus fuit; caſtrenſem etiam in Claſſe Joannis Auſtriaci ſecutus. Quas tandem Gadibus, luis atrocitate omnia permiſcente, laudatè abſolvit, vitâ & ſervitio infectorum perfunctus. Pauculis à ſua morte diebus animam agenti Patri Joanni Avellaneda, ſacræ illius expeditionis amiciſſimo Collegæ, invitanti ac exultanti ſimilis, illum ſecum in æternæ felicitatis conſortium adſciſcere viſus eſt; de quo dicere nunc aggredior.

P. Joannes Avellaneda Londinenſis Anglus, Avellanedæ agnomen ab avellana nuce (quam patrium ſuum cognomen Haslotij indicabat) in Hiſpania eſt adeptus. Quanquam & aliud nomen latendi neceſſitate, quamdiu in Anglia hæſit, Thomæ Bebritij aſſumpſit. Miſſu Catholicorum Parentum in Audomarenſis Anglorum Seminarij nobile Athenæum, Græcis Latiníſque literis capax ingenium, in Societate verò Philoſophiâ & Theologiâ excoluit; & à peracta tertia Probatione Gades miſſus ea egit, quæ Viri conſummatæ virtutis ſolent. Agebatur cruentis tunc turbamentis, ſi unquam, miſeranda Anglia, jámque Pater illius & Mater fidei retinentiſſimi, ejus odio Angliâ pulſi, fortunas cum egeſtate, patriam cum exilio, vitam cum morte commutaverant, nè Religionem cum hæretica pravitate mutarent: Avunculus etiam de Societate noſtra Sacerdos, morte Londini obitâ patibuli ſupplicio enectus, quòd in Anglia Fidem Catholicam proferre auderet: quorum ipſe exemplis, ceu efficaciſſimis ſtimulis, ad paria æmulanda provocatus, totâ contentione in ſtudium ſolidarum virtutum, tanquam neceſſarium armorum apparatum incubuit, quibus in hæreſim aliquando in Anglia depugnaret. Domi totus erat pietas, totus religioſa quædam verecundia & modeſtia, cui ruborem quilibet alterius ſexûs excutiebat occurſus vel aſpectus. Hinc licèt ad omnia promptiſſimam afferret obedientiam, etiam cùm Coadjutorum obeundæ eſſent vices, aut in comitandis alijs Patribus ſocij agendum munus, tamen ſi fœminarum adeundæ eſſent domus, animum pudicè reſtitantem experiebatur, & ſi quà poterat deprecatus, puritati ſuæ etiam ab obedientia opem implorabat. Paupertas illius fuit nihil habere, nihil admittere etiam neceſſitati urgenti, nisì per Superiorum manus aut conceſſionem. Incredibiliter exultabat, cùm videret ſuâ operâ quempiam DEO lucrifactum: id quod in fœmina Angla ab Indijs reduce atque ad ſe adducta (à quo ſolo Catholicè inſtrui poterat) & Eccleſiæ reſtituta, luculenter expertus eſt: itémque in alio animam agente, ad quem adeundum ſe interno peracríque ſtimulo incitari, nemine evocante, perſenſerat; operæ pretio tanto, ut æger verè Angelum in eo ſupremæ neceſſitati à DEO miſſum agnoſceret. Quidquid temporis laboribus ſuis ſupereſſet, dabat pœnitentium tribunali, ad quod arcanis quibuſdam & miris modis, ut illi peccata ſua panderent, ſe plures pertrahi teſtabantur. Tanto etiam os ejus & tota facies emicantis devotionis ſenſu elucebat, ut externi Sacris operantem, domeſtici Litanias pro more dicentem, aut Divinum Officium alternis ſecum orantem, voce illius pietatem hauſturi, audire percuperent. Sed nobilior illi omnibus hiſce laudibus mors, ejus, quam Londini ex patibulo ſperare poterat, veluti vicaria fuit. Gades peſtilentiâ obtinente, Col-

legium adijt cum Episcopo Gubernator, necessarias pro tot morientibus suppetias petitum: obstupuêre autem sociorum flagrantiam, cùm supremo illi periculo quisque, dejectus ad eorum pedes in genua, nemine excepto, suum caput offerret: ut adeò delectus Rectoris arbitrio permitti debuerit. Primus fuit cum P. Sancio Joannes, cui Rectoris sententia favit; hic in sociorum amplexum ultimum dulciter, Breviario, Casuúmque summâ de cubiculo raptis, ad januam properavit, & indè rectà in arenam charitatis. Paucis illis, quibus eam spartam tueri illi datum est, diebus, omnem curam & vires in ea omnia impendit, quæ ardor animi, quæ illa ærumnarum magnitudo, quæ DEI & proximi dilectio suggerebat, periculorum aliquamdiu socio P. Sancio: quo sublato ad sacrum Purificationis diem, generalem omnium ægrorum Communionem cum Indulgentia plenaria instituit, veluti vicinæ mortis præsagus, quâ septiduo contagione ictus decessit. Sacramenris jam munitus supremas vires collegit, séque ipse Societatis veste induit, atque in Crucifixi amplexu mortem jam expectaturus in lectulum se composuit. Et jam ultimos trahebat anhelitus, cùm repentè se erigens, ac manu alterâ Crucifixum tenens, brachiáq; læto gestu, veluti ad amplexum hospitis venientis exporrigens: *bene*, exclamat, *latus advenerіs, mi chare Pater Sanci de Mendoza! ô quàm pulcher es! eamus feliciter!* ínque his verbis è vita abijt, actis in Societate annis 13. in vita 28. die 9. Februarij, nempe illo ipso die & anno, quo in ejus Patria Londini Carolus Stuartus Angliæ Rex, in lugubri theatro ante Regiæ portas erecto, à Parlamenti Senatu capitis damnatus, ab uno de plebe in facie consputus, ab ignoto carnifice super trunco securi percussus est: altero carnifice sublatum Regis resectum caput populo truculenter ostentante, atque dicente: *en caput proditoris!*

Xeresij urbe Gadibus vicina P. Ferdinandus de la Algaba, primus omnium in capitis discrimen se dedit, magnâ tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium comitivâ ad Xenodochium deductus, non sinè multorum lachrymis, quòd Vir tam præstantis ingenij & doctrinæ, atque ob habilitates tam raras & nobiles, jam famæ voce & præconceptu inter primos Provinciæ brevì computandus, caput suum veluti damnaret ad mortem tam squalidam & vilem. Verùm ille has omnes de se opiniones charitatis excelsitate abrumpens, cùm totas ad sanctum opus animi & corporis vires expendisset, brevì gloriosè cecidit 1. Februarij, anno ætatis 36. Societatis 17. Vota quatuor professus.

Hispali eadem calamitas longè graviùs desæviens, plures etiam ex Opitulatoribus socijs demessuit. Nam 13. Maji labori succubuit Gregorius de Arroyo, Coadjutor 70. annorum, in Societate 54. in corrogandis pro Domo Professa Hispalensi eleemosynis annis 44. occupatus, virtutis opinione usq; ad famam illustris. Supremum illum sibi vitæ evenire diem, quòd Christo ascendenti in cœlum sacer tunc esset, utì firmissima spe expetijt, ità exauditum se sentiens, indubitatè prædixit, nec horam transitûs sui reticendo, quæ eadem fuit, quâ Christus in cœlum ascendisse creditur.

Franciscus Munnoz item Coadjutor, impetratâ infectis serviendi potestate, quo die valetudinarium ingressus operi se accingere cœpit, lue correptus 23. Maji decessit, DEO suscipiente holocaustum seriò cupidæ voluntatis.

Ejusdem 25. major victima cecidit Pater Nicolaus de Salazar, qui Hispali Canonicus jam quadragenariô major Societati nomen dederat, desiderio consequendæ perfectæ sanctitatis, de cujus in Societate eminentia sublimem quandam opinionem conceperat. Verùm hunc ipsum virtutum insignem deinde vigorem inter nostros expertus, parùm abfuit, quin dæmonis astu ex ipso Tyrocinio redierit ad sæculum. Sublimem nempe nimiùm esse Societatis vivendi normam, & viribus suis majorem, ut idcirco præstaret inter minorem sanctimoniæ mediocritatem, tenui virium suarum sorte contentum degere. Saluti fuit, animi ulcus Tyronum Magistro detexisse: hic enim non inconscius in quantis commoditatibus corporis vitam duxisset Nicolaus, quibus in perpetuum se destituendum, videbatur arduum, molli manu, ac eâdem arte, quâ olim S. IGNATIUS similis teneritudinis alium sanaverat, curandum suscepit. Nam aliquando veluti per transennam, Pater, inquit, jam tali (& nominatim expressit ex ferventioribus, delicatè licèt educatum) Novitio in mandatis dedi, ut cubiculi tui mundandi componendíque, ac tibi in omnibus obsequendi curam gerat, nè quid tibi desit. Non displicuit Nicolao oblata ultro famuli commoditas; cùm vix à Magistri conspectu digressus, tacito rubore suffusus, & seipsum coarguens recurrit, negavítque se tam impudens os habere posse, ut sibi ab alio, eóque haud paulò commodiùs edu-

educato miniſtratore, patiatur obſequia exhiberi: prompto ſe deinceps & parato fore animo ad omnia. Neque deinceps ulla ejuſmodi degener animum pulſavit tentatio, cùm ſe magnis parvulorum exemplis cum Auguſtino expergefaciens ſibi exprobraret: *Tu non poteris, quod iſti & iſti? an verò iſti in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino DEO ſuo?* Itâ deinceps quoad vixit, per munera Miniſtri, Profeſſoris S. Scripturæ, ac Novitiorũm Magiſtri, conſtans chariſmatum meliorum æmulator vixit, donec alacritate mirabili peſtiferorum obſequio ſe addicens, de ſe & de ipſa morte trimphavit. Quem 31. ejuſdem ſecutus eſt in eodem miniſterio fidus ſociusPetrus Clemens, 50. annorum; in Societate 36.

Quatuor Hiſpali per Majum ereptos truculentior inſecutus Junius duodenos voravit, & quidem præivit 2. Junij P. Andreas de Cacorla, Profeſſus quatuor Votorum, potens auctoritate operis ac ſermonis, virtutíſque eminentis, ſivè noſtris in Collegio Rector, aut PatribusTertiarijs Inſtructor præeſſet; ſive Concionator, Miſſionarius, Confeſſarius indefeſſus, proximorum ſalutem accuraret; ſive per urbes & pagos Chriſtianam doctrinam inculcaret, & turmas parvulorum, in devexa etiam ætate, ductaret. Dictionum illius thema unicum erat, ut omni odio deteſtabilem noxæ mortalis diritatem, quâ poſſet eloquentiæ vi & arte demonſtraret: qua in re trifariam concionis nervum dividebat, & PP. Tertiarijs idem impensè ut agerent auctor erat. Primùm, ut veram diræ in mortali peccato latentis peſtilentiæ, ac execrabilis fœditatis effigiem dicendo expingerent. Alterum, viam ſeriam, citra parerga vanitatis, redeundi aperirent ijs, qui ſe illo maculatos conſcij eſſent. Tertiò omni doctrinæ conſilijque induſtriâ edocerent, quomodo peccato via omnis ad reverſionem eſſet præcludenda, cavendo modos & occaſiones omnes ad novum prolapſum animæ recidivæ. Nihil ergo tumidæ vaniloquentiæ dandum in concione monebat, quam divini verbi dehoneſtamentum vocabat, eáque utentes, lingvâ propè ſacrilegâ adulterantes eloquia Domini caſta, hoc ipſo judicij ſui, æterna æſtimare neſcientis, tenuitatem oſtendentes, & immaturos ingenij fucos. Demum extremam jam ætatem in Domo Novitiatûs cùm ageret, anno vitæ 82. Societatis 65. peſtiferis juvandis maturam victimam ſe objecit & immolavit.

Sextâ Junij ſecutus eſt Michaël Perez, Adjutor temporalis, annorum 28. in Societate 7. quindecim ſolis diebus inter ducentos lue illâ proſtratos, impiger ad omnia mediaſtinorum obſequia, in Valetudinario verſatus. Septimâ verò Nicolaus de Reyna, natione Gallus, 60. annorum, 40. in Societate. Octavâ rurſum P. Alvarus de Monſalve, quinquagenarius, in Societate annorum 33. Profeſſus trium Votorum: & P. Ferdinandus Negrales eodem die extinctus, annorum 30, in Societate 15. cùm induſtriam ſuam inter quadringentos Noſocomij ægros conſtanter executus eſſet.

Decimâ die Junij occubuit Pater Joannes Gutierez annorum 45. Undecimâ item P. Michaël de Fonſeca 39. annorum, notæ inter Hiſpanos nobilitatis, uterque Profeſſis adſcriptus: poſtquam in tertium jam menſem peſtiferis deſervîſſet. Et die decimâ tertiâ ejuſdem, Didacus Gverrero: & tertio die pòſt Marcus Palomares. Decimo ſexto Alphonſus de Cabaleda, omnes Coadjutores. Decimo ſeptimo P. Gabriel de Lima, tertio quàm ægris opitulari cœpit die. 21. Gabriel Ortiz: tandémque 2. Julij Petrus de Valderama.

His adde, ex propagata in annos ſequentes per Hiſpanias lue, in eadem alienæ calamitatis commiſeratione vitæ jacturam voluntariè perpeſſos, Gironæ quidem An. 1650. ſocios quinque, duos Sacerdotes, & tres Fratres. An. 1651. in Inſula Hiſpaniola Patres duos, & Oſchæ tertium Coadjutorem. Anno 1652. Perpiniani & Cæſar-Auguſtæ tres, Majoricæ ſenos. In Sardinia Inſula verò, Hiſpaniæ Societatis Provincijs accenſa, cùm per unicum hominem peſtis illata eſſet, ſupra ſeptuaginta hominum millia per eum annum ſuſtulit, & in domicilia quoque noſtra irrepens 75. Socios extinxit, qui tamen in hunc numerum Heroum nequaquam veniunt. Igitur qui ſe ultrò infeſtæ contagioni objecêre, immortui charitati, cenſi ſunt 12. An. 1654. Mariresæ in Septembri occubuit unus. Ac demum Anno 1656. iterum in Sardinia quinque.

Ex Victimis Charitatis Alegambe.



P. FRI-



P. Fridericus Huneken S.I. Saxo Hamburgensis
indefessus per Böemiam Operarius; plura Hære-
ticorum millia Ecclesiæ Catholicæ restituit laborib,
Apostolicis immortuus Comotovij in Böemia 28.
Maij Anno 1648, ætatis 76. 1611

P. FRIDERICUS HUNEKEN.

Pater Fridericus Huneken, gente Saxo, patriâ Magdeburgensis, nobilibus Parentibus Anno 1569. ortus est, utpote, qui magnum illum Svecorum Ducem Königsmarkium, Pragæ occupatorem, sangvine propinquo contingebat: quæ res aliquando illi & Societati emolumento fuit, dum in vicinia Civitatis Commotovij miles Svecicus cætera diripiens, bonis Collegij illius pepercit, intuitu P. Friderici, quòd intellexisset ejus domicilij tunc incolam esse. Singulari DEI providentiâ è medio patriæ hæresis in Bohemiam extractus, ubi in scholis Societatis cum literis, Catholicam simul pietatem imbibit, animum ad Religionem ejusdem adjecit, admissus ad Tyrocinium anno ætatis 25. sæculi 1594. in qua totos 54. annos vixit, formatus Spiritualis Coadjutor. Vir fuit indefessi laboris & industriæ, quíque post juventutem in scholis pauculos annos eruditam, totum se animabus juvandis, quà Concionibus & Catechesi, quà Missionibus, aliísque Operariorum exercitijs, addixit. Interim sub hæc ipsa zeli Apostolici, post susceptum Sacerdotium initia, prævalente in Bohemia hæresi Anno 1618. cum Societate è Regno proscripta, ipsi quoque emigrandum esset, quò exilium suum utilitati animarum maximè indigentium impenderet, non in aliquam Societatis Provinciam aut domicilium receptum quæsivit; sed cum

cum P. Daniele Stigelio, Collegij Commotoviensis Rectore in Saxoniam & Patriam suam, non tam exulatum, quàm animas in densis errorum sylvis venatum abivit, magno Divinæ gloriæ pretio & Ecclesiæ proventu, ut in Provinciæ ejus temporis Annalibus latè & lætè commemoratur. Præcipuum, quod divinitus animo utriusq; inspiratum fuisse credi potest, inventum fuit, Religiosorum, ac præsertim Religiosarum Virginum Cœnobia obire, & ad observantiam vitæ non tam Religiosæ, quàm Catholicæ etiam, in tanta idoneorum Directorum, undique latè dominante hæresi, penuria, hortari & excitare: qualia repererunt in Diœcesi Halberstadiensi & Magdeburgensi, tum Hamburgi & Lubecæ, singulis antidota efficacia ad pestem procul arcendam providendo, & ex Regularum sui cujusque Instituti observantia depromendo. Excepti fuêre quolibet talium Claustrorum, hæresi necdum contaminatorum, velut Angeli cœlo lapsi, ità ut in uno ad S. Agnetem Magdeburgi Parthenone, biennium propè integrum exegerint, quò Virginum voto satisfacerent, pridem hominem aliquem de Societate exoptantium. Amplo sui hospitij relicto fœnore, quando Moniales illas expertis in Religiosa disciplina Magistris destitutas, ad rectum illius tenendum tramitem reduxerunt, usúmq; frequentiorem Sacramentorum persvadentes, singulas pijs Exercitiorum S. IGNATII meditationibus (quæ & in alijs Cœnobijs in usum deductæ sunt) ad id usque tempus illic incognitis, excoluerunt: magno illarum fructu & solatio, neque minore tanti thesauri recèns detecti (ità præ cæteris Exercitia vocabat loci Antistita) approbatione. Neque parùm profuit toti ipsi sacro Cœnobio ad constantiam firmando, quod in oculis earum DEUS edidisse fertur in Patre, sacris operante, prodigium; dum in sacra Hostia per ipsum, Sacrificij tempore, elevata, Christum Dominum, formâ tenelli pueruli conspexerunt. Pari studio inter sæculares, residuas adhuc reliquias scrutati duo hi, ad animas lucrandas nati Viri, omnes in vetere Religione firmabant. At ubi victricibus Ferdinandi II. armis reditus, Patribus Societatis in Bohemiam apertus est, P. Fridericus Commotovij, unde proscriptus discesserat, iterum consedit, constans illius per annos ferè 24. incola, totámq; illam viciniam, hæreticis Provincijs Misniæ & Saxoniæ confinem, & indè præsertim erroribus infectam, ab hæresi purgavit, tantâ soliditate & rationum vi, tot virtutum roborandæ in Neophytis Fidei exemplis, ut nunquam postea ullis Saxonum aut Svecorum armis, aut è vicina Misnia subrepentium Ministellorum calliditatibus, à cognita semel veritate abstrahi potuerint. Excurrebat simul latè in pijs expeditionibus per Districtus Pilsnensem, Cubitensem, & Zatecensem, ad Palatinatum usque, Calvino tunc addictum; in quibus complura hæreticorum millia ad ovile Christi reduxit. Tam frugiferæ P. Friderici & aliorum Sociorum per universum Regnum in Hussitarum conversione desudantium operationi, certum est, vigorem præcipuum & efficaciam accessisse ab Decretis Cæsareis Ferdinandi II. quibus proscriptâ hæresi, omnibus ejus sequacibus, perpetuum indixit exilium, & migrationem è Regno Bohemiæ, nisì auditâ sufficienti Catholicæ Veritatis, quam Patres ubique prædicaturi in omnes partes mittebantur, explicatione, intrà certum temporis intervallum, Ecclesiæ accederent: zelo penitus orthodoxo, qui Christianissimum Imperatorem ac Regem Apostolicum decebat, consilióque à S. Augustino mutuato, qui miris laudibus effert simile Imperatoris Honorij, suâ ætate contra hæreticos Donatistas factum, quos severissimis legibus, pœnis etiam capitis & proscriptionibus exagitatos, ad unitatem Ecclesiæ redire coëgit, vel toto Imperio Rom: exulare. Proh! quàm hodierni aliter sentiunt Atheisantes Politici, dum contra S. Augustinum æstimant, hæreticos pœnis sæcularibus non esse ad Fidem Catholicam adigendos; sævitiam appellantes, quam Augustinus pietatem, propter ingentia bona indè consecuta, appellat, Epistolâ 50. ità contra Donatistas Edicta Cæsarea defendens: *Hoc contigit Donatistis, quod accusatoribus S. Danielis. Sicut enim in illos, leones*, fraude ipsorum Danieli parati; *sic in istos Donatistas conversæ sunt leges*, ab ijs in Catholicos latæ, *quibus innocentem opprimere voluerunt. Nisì quòd propter misericordiam Christi, magis pro eis sunt leges istæ, quæ illis videntur adversæ; quoniam multi per eas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos, gratias agunt, & qui eas oderant, diligunt; molestásque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum ex insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur: & residuos*, hæresi adhuc obstinatos, *cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, nè illi pereant, excitantur. - . Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditi filij coëgerunt alios, ut perirent? quamvis enim illos, quos non coëgerunt, sed tantùm seduxerunt, si per-*

terribiles, sed salubres leges, in ejus gremium revocentur, blandiùs pia Mater amplectitur, & de illis multò ampliùs, quàm de his, quos nunquam perdiderat, gratulatur: an non pertinet ad diligentiam Pastoralem etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, sed blandè levitérque seductæ à grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile Dominicum, si resistere voluerint flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare? Hinc ergo factum est, ut Imperator Religiosus & Pius, perlatis in suam notitiam talibus causis, mallet pijssimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere; & eos, qui contra Christum, Christi signa portarent, ad unitatem Catholicam terrendo & coërcendo redigere, quàm sæviendi tantummodò auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Jam verò cùm ipsæ leges venissent in Africam; præcipuè illi, qui quærebant occasionem reditûs ad Ecclesiam; *aut sævitiam furentium*, hæreticorum tantùm, *metuebant, aut suos verecundabantur offendere; ad Ecclesiam continuò transierunt. Multi etiam, qui solâ illic à Parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem verò causam ipsa hæresis haberet, nunquam antea cogitaverant, nunquam quærere aut considerare voluerant: mox ubi cœperunt* (ex instructionibus nimirum & catechesi auditâ) *advertere, & nihil eâ dignum inveniri, propter quod tanta damna paterentur, sinè ulla difficultate Catholici facti sunt: Docuit enim illos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium, præcedentium auctoritatem & persuasionem secuti sunt multi, qui minùs idonei erant per se ipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem, & Catholicam veritatem. Ita, cùm magna agmina populorum vera Mater in sinum gaudens reciperet, remanserunt turbæ duræ, & in illa peste infelici animositate sistentes.* Neque latebat Augustinum, quod ficti quidam Religionis zelatores obtendunt, hâc violentâ ad Ecclesiam compulsione fieri posse, ut multi simulatè ad eam accedant, non sinè multiplici in participandis deinde Sacramentis irreverentiâ & sacrilegio. Imò ità evenisse fatetur, quin tamen idcirco violentiam ejusmodi improbet. *Ex his quoque plurimi*, prosequitur ibidem, *simulando communicaverunt, alij paucitate latuerunt: sed illi, qui simulabant, paulatim assuescendo, & prædicationem veritatis audiendo, ex magna parte correcti sunt.* Quæ omnia in Reformatione illa Bohemiæ ità evenêre, ut eam describere & laudare voluisse Augustinus credi posset. Vide etiam Augustinum epist: 48. & 68. item 127. & 159.

Nunquam enim hodie Catholicæ Fidei hanc accessisse gauderemus, nisi mandata Sacratissimi Cæsaris compulissent intrare; sinè quibus nulla unquam hæresis extirpata est.

His ergo Cæsareis Decretis armatus Pater Fridericus, eâ dexteritate & prudentiâ, hæreticorum tractabat animos, ut libenter pronísque auribus docentem sensim audirent, & victos tandem se persvasósque faterentur, lubentésq; ad unitatem Ecclesiæ redirent. Fuítque in Misnia è Verbi ministellis unus aliquis, qui in publica dictione verbis disertis P. Fridericum commendavit, ac testatus est, quòd viam DEI in veritate doceret: alius verò agnitâ veritate, eandem, palàm ejuratâ hæresi, & pseudo-ministerij officio, per Fidei Catholicæ professionem, amplexus est. Quin & alij plures hujus farinæ ex eadem Misnia, literis cum ipso egêre de hæresi deserenda, fassi, se illius doctrinâ convictos, sectæ Lutheranæ errores agnoscere, promptos paratósque ad eam ejurandam, si modò suæ suorúmque sustentandæ inter Catholicos vitæ, ad quos necessariò migrandum esset, media suppeterent. Quare sæpius auditus est Pater vehementer optare, ut talis aliqua in Bohemia fundatio Neophytis ex hæresi alendis, dum proprio marte artéve se sustentandi occasio ipsis obveniret, erigeretur: certus agminatim & per centurias Fidei nostræ accessuros, qui solo indigentiæ & mendicitatis metu in hæresi retinerentur. Porrò indefessum hunc ejus zelum, fervidúmque seductas animas Christo lucrandi studium, maximè testatur Catherberga, ducto à S. Catharina nomine oppidum (Catharinæ-Monte latinè dixeris) ejus industriâ, integrè Orthodoxæ Fidei restitutum. Est oppidum hoc veluti nidus, ijs montibus, qui Bohemiam à Misnia dispescunt, impositum, fossoribus & operis metallorum magnam partem habitatum, à limitaneis heterodoxæ Misniæ pagis & oppidis, vix unâ leucâ dissitum, Commotovio verò duobus milliaribus, viâ difficili, quia per montes, silvas, rupésque superandas vehementer arduâ, remotum. Hoc ille, quia ob pervicaciam incolarum desperari audiebat, ut ad pietatem Catholicam revocari posset, sibi majore studio potissimum excolendum sumpsit, & per viginti circiter ultimos annos ad mortem usque ità excoluit, ut in eo fortissimum orthodoxæ Religionis, arcendæ à limitibus hæresi, statuisse videri possit, hodiéque fidele Castellum. Huc ille festis sacrísque diebus singulis ascendebat Commotovio pedes (nam profestis alibi occupabatur) etiam ultimo senio,

nio, unde & mortem contraxit, maximâ etiam hyeme, dum nives quandoque cingulo tenus illic aggestæ vias impediunt, non sinè præsenti vitæ primis quidem annis periculo. Vivebant enim adhuc non ante multos annos, qui se olim consilium interficiendi Patris suscepisse, ultrò fatebantur; quibus postea Patris laboriosâ industriâ conversis nihil erat mitius, quique in Fide constantissimi sempèr cum posteris suis perstiterunt, nec sinè lacrymis meminisse ejus poterant, non aliter, quàm Patrem suum & Apostolum nominantes. Inter hos mulier fuit vidua, ùt sexus hic semper est obstinatior, & affectuum impotentior, quæ videns Patrem sæpiùs ad oppidum, catechesis causâ venientem, malè perfidiæ suæ metuens, primis mox diebus fossores aliquot conduxit, vas cerevisiæ in mercedem pollicita, ad Patrem de medio tollendum. Is ubi de more redijt, unus eorum ad Patris diversorium præmissus exploratum, quid circa illum ageretur, visâ Patris blandissimâ humanitate, & innocenti agendi modo, animo prorsus immutatus ad socios recurrit, ut quos ad patrandum condictum scelus evocaturus abiverat, ad complectendum velut amabilem Patrem, & admirandum cœlestem hominem adduceret: qui etiam omnes, aliquoties audito Patre manus veritati dederunt, vecordiam suam nunquam deinde sinè lachrymis referre soliti. Cùm verò sub hæc reflorescentis Fidei primordia, Parochiæ Catherbergensis reditus per hæresim interversi, alendo Curato non sufficerent; Pater interim rogatu Pragensis Archi-Episcopi hæc omnia obibat: jussus tamen, nè futuris Parochis fieret præjudicium, pensiones si quæ offerrentur, acceptare. Has ille diligenter asservatas, ubi ad 300. Imperiales perduxit, totos in elegantem prorsus Ecclesiæ illius ornatum & apparatum impendit: usibus suis aut sustentationi nè quidem nummo indè decerpto, cùm viveret solis illis, quæ secum è Collegio afferebat, halece quopiam, aut frusto fumatæ carnis. Quibus rebus Cives & accolas mirè ædificatos in suscepta Religione firmabat, & in sui amorem fiduciámque trahebat; uti clarè patuit post ejus obitum, quando magnus eorum numerus ad funus ejus deducendum, Commotovium accurrit.

Nec deerant copiosa aliarum virtutum exempla, quæ æstimationem Viro auctoritatémque ad persvadendum necessariam conciliarent: fuit enim commodorum omnium suíque neglector maximus, qui per annos circiter 15. vitæ postremos, nunquam lecto ad capiendum somnum, ullóve stragulo usus est; sed ùt erat vestitus, in scamno, vel sella lignea ùt plurimum considendo, quietem captabat. Domi cùm esset, diebus propè singulis à mensa culinam subibat, in abluendis patinis & ollis operam Coquo navaturus, non sinè gravi quandoque manuum tormento, quando sæpius observatus est, præfervidâ aquâ eas adussisse; cùm tamen nullum doloris indicium præberet, quòd hunc ad Inferni aut Purgatorij incendia nullum esse diceret. In adversis æquè ac prosperis semper animo æquè tranquillo sibi constans: hinc cùm aliquando hostilis Svecorum manus Comotovium irrumpens, omnia pro libidine in Civitate diriperet, nostriq; omnes in Collegio ad declinandum furorem varijs sese latibulis reconderent; solus ipse suo perstitit cubiculo, à prædonibus ibidem deprehensus orationi tranquillè vacans: quo spectaculo attoniti primùm, cùm deinde captivum foràs eduxissent, liberum rursus absque alia injuria dimiserunt. Horas Canonicas dum posset, extremo etiam vitæ senio, persolvebat de genibus: Sacrificium autem Missæ eo dicebat affectuum fervore, ut dignum etiam Halberstadij in exilio agentem duxerit Dominus, in cujus manu die Natalis Domini communicantibus S. Hostiam porrigentis, specie Infantis compareret; quod ipsemet sibi à duobus fide dignis testibus ocularis in solatium fuisse relatum, inter sua secreta annotavit. Pro Animabus Purgatorij assiduè DEUM precabatur, quas illi sæpiùs per noctem ad suffragia postulanda comparere, constans erat nostrorum opinio, ipsius etiam narratione confirmata, dum aliquando retulit, Pistorem sæcularem Collegij Adamum, qui Pragam missus abiverat, sibi per noctem visum fuisse mœrore plenum, cereum extinctum manu præferentem. Quod non fuisse vanum somnium, declaravit eventus; nam paucis pòst diebus certis nuncijs intellectum est, Adamum per Album montem Pragam iter urgentem in latrones incidisse, glandéque plumbeâ trajectum occubuisse. Similiter cùm Frater ejus germanus itidem Societatis Sacerdos, & Hildeshemij Collegij Rector vitâ excessisset; ipse Commotovij eâdem die, tantô loci intervallô, ejus defuncti animam precibus familiaris sibi Coadjutoris commendavit. Demum & ipse laudatissimè in pijs operibus exactâ vitâ, cùm annum ætatis attigisset 79. sancto fine eandem conclusit, morte, ùt apparet, ex animarum procuratione zelóque consciâ. Cùm enim Anno 1648. quo ipso 28. Maji extinctus est, Paschales

dies in sua Catherbergæ Missione de more peregisset, Commotovium redux deteriùs valere cœpit, morbóque indies aucto, lecto tandem affigi, stranguriæ præsertim doloribus gravissimè ægrum torquentibus. Quos ille invictâ patientiâ tolerabat citra ullum gemitum aut querelam, nisi quantum assiduâ invocatione SS. Nominũ JESU & MARIÆ opem implorabat: donec omnibus Sacramentis munitus, horâ 4. matutina, quâ domesticis signum campanâ ad surgendum de somno dabatur, ipse meliori somno placidissimè conquievit; ità tamen, ut ipsa morte suâ proximi salutem operari non desineret: visus enim est sub animæ exitum illachrymari, quòd Catherbergæ, ubi olim nullum invenerat Catholicum, nunc tamen moriens unum post se relinqueret Acatholicum, eúmque binis vicibus à suscepta Fide orthodoxa ad vomitum reversum. Sed hic ipse Vir, cùm aliquis è Societate nostra supremum hunc P. Friderici pro ipso dolorem & lachrymas retulisset, salubri dolore contritus, paulò pòst ad ovile Christi, magno totius oppidi gaudio, redivit.

Ex Annalibus Provinciæ Bohemiæ, & Balbini Bohemia sancta.

P. GEORGIUS PELINGA.



NAtus est P. Georgius Pelinga Olomucij, Marchionatûs Moraviæ Metropoli, multarum animarum saluti & bono; quas sive ab hæresi ad Fidem, sive à vitijs ad virtutem, & ad insignem sanctitatem perduxit: Vir planè illustris, & ad Instituti Societatis normam præclarè formatus: Concionator & Operarius verè Apostolicus, flagrantissimi zeli, quo totus ardere & consumi videbatur. Primis vitæ in Societate annis ultra ordinariam virtutem nihil admodum supra communis perfectionis studium in eo notabatur, donec Sacerdotali charactere jam insignito occasio præbita est egregiæ sui victoriæ & humiliationis. Absolverat Theologiæ quadriennium singulari ingenij & profectûs commendatione, quâ etiam ad quatuor Votorum professionem evectus est; cùm à Superioribus admonetur de Philosophia docenda, ut per otium legendis auctoribus, & colligendis ad eam ritè tradendam materijs, operam & studium impenderet. Neque ille segniter rem egit, cui munus acceptius nullum deferri poterat, ex suomet genio ad speculativa tractanda maximè inclinato, & ad disputandum ex vivace ingenij acrimonia summè proclivi. Jámque ad munus hoc ritè obeundum egregiè comparatus, solum aperiendis scholis tempus consvetum expectabat, quando à Præposito Provinciæ admonetur, ut sepositis Philosophiæ tradendæ cogitationibus, studium & laborem omnem ad conciones transferret, Evangelicam Doctrinam pro Aristotelicis dogmatibus populo traditurus. Perculit non leviter inopinatum nuncium, & mutatio tam inexpectata vehementer concussit generosum Georgij pectus, ad scholastica tractanda mirè hactenus & ferè unicè aspirantis, excitavítque luctam in ejus animo graviorem quàm credi possit: in qua tamen spiritu contra naturalem inclinationem prævalente, nullo prorsus in oppositum pro se verbo adducto, ità animum in obsequium obedientiæ inclinavit obfirmavítque; ut omnem de scholis in perpetuum cogitationem constanter deinceps excluserit. Atque ex eo die magnis se à DEO gratijs, & quos eatenus nunquam expertus fuerat, eximijs favoribus cumulatum fuisse fatebatur, ut in alium hominem mutatus, novum sibi cælitus cor inditum accepisse videretur, & animum omnibus vanitatum umbris detersis, nihil præter DEUM & cœlestia spirantem. Ergo jam novus homo ut idoneum se verbi divini ministrum præstaret, totum se perfectioni propriæ, & virtutibus heroicis addixit, memor illius, quod identidem usurpare solebat, neminem incendendis aliorum animis aptum esse, qui non arderet in se. Et quidem ardor iste cœlestis in omnibus ejus actionibus, verbis, & ordinarijs etiam corporis functionibus, ex oculis, toto vultu & pectore promicabat, ut eum intus conflagrare & exuri omnibus palàm esset. Hinc verba in colloquijs proferebat cum quodam anhelitu, & quasi violenta spiritûs reciprocatione: quæ si de DEO essent vel divinis, toto vultu inardescebat, micabat oculis, & membris omnibus velut intremiscebat, ut appareret vix spiritum intrà pectoris repagula contineri. Humilia culinæ ministeria si obiret, supellectilem ejus eluendo, vasa mundando, vel consvetas Societatis in triclinio mortificationes, aliásque id genus pietatis officia præstaret, tanto fervore & vivacitate agebat, ut omnem animi vim, totum spiritum ad singula applicare videres. Erátq;

Tyro-



P. Georgius Pelinga S. I. Moravus, ardens Divini verbi prædicator, et fidei contra hæreses propugnatæ zelosus athleta; animabus ad Deum ducendis singularis Magister spiritus. Laboribus tandem Missionis Castrensis fractus, obÿt Klatoviæ in Boëmia 17. Dec: A°. 1648. ætatis 45.
268.

Tyronibus noſtris (quos inter & ego tum fui) ſufficiens ad virtutem, & perfectionis ſtudium incitamentum, videre illum ſeu inambulantem, ſeu quidlibet operis agentem, multò magìs orantem, vel audire loquentem: adeò omnia erant ignita, & ſacro quodam fervore æſtuantia, quem cohibere non poſſet. Per domûs ambulacra, ſi quopiam ſe conferret, & à nemine videri putaret, ardorem internum varijs ſignis prodebat, brachia extendebat, & mox in Crucem pectori apprimebat, oculos elevabat, gemebat, & ſuſpirabat; maximè ſi fortè à peracto Miſſæ Sacrificio rediret, tunc enim quaſi extra ſe raptus, vultu & oculis inflammatus incedebat. Inter celebrandum verò inſtar Seraphini ardere videbatur, verba ſingula proferebat meditatò, pænè juxta tertium S. Ignatij precandi modum: manus dum in recitando Canone, vel alijs orationibus extendi jubentur, liberas ſemper, neque cubitis corpori applicatas tenebat. Si loco privato, aut ſaltèm extra populi concurſum celebraret, pro conſecrando Calice totum urceum vini, devotionem S. Philippi Nerei imitatus, affundebat, quem deinde guttatim ferè ſorbillando incredibili teneritudine, nec ferè ſinè lachrymis ſumebat, ut crederes illum è latere aut vulneribus Chriſti, Sangvinem Domini exugere: quod in Caſtello Brunenſi, dum illius præſidij Curatum ageret (ubi non rarò miniſter & ſocius illic adfui) conſvetum ipſi erat. Dum verò S. Eucharistiam accumbentibus diſpertiret, præ reverentia & æſtimatione tantæ dignationis notabiliter tremebat, & velut inhorreſcebat: faſſus aliquando de ſe, niſì mentem aliò in hac actione averte-

ret, præ sacro horrore in terram corruiturum. Matutinam meditationem unâ horâ ante alios constanter præveniebat; & si qua de causa maturiùs Sacrum dicendum esset, tantò citiùs horam surgendi antevertebat, nè quidquam orationi dilatione decederet, sæpiùs post medias noctes in oratione jam deprehensus. Venerabili P. Martino Stredonio constanter habitus est pro Viro sancto, de cujus Apostolico zelo, quo tempore hic Provinciæ Bohemiæ præfuit, asserere non dubitavit, si sex Pelingæ ad manum essent, nihil ambigerem, totam Bohemiam illorum operâ conversum iri. Par existimatio fuit Ven: P. Nicolao Lancicio, ejus in spiritu Directori, cujus potissimùm ductui profectum in virtute suum Pelinga adscribebat, & normam vitæ sequebatur: propheticum ejusdem spiritum in se expertus, dum sub vitæ ferventioris primordia ab illo sibi prædici audivit, multas acerbásque persecutiones per vitæ decursum ipsi subeundas fore: quas etiam magnâ & heroicâ patientiâ sustinuit ad mortem usque.

Jam quantus ejus fuerit in animabus ad DEUM adducendis zelus, difficile est exprimere; nihil enim omisit, quo ijs prodesse posse videbatur, omne genus & statum ætatémque hominum complexus, nihil exiguum aut vile ducens, si quomodolibet ad profectum alicujus conducibile foret. In Concionibus, quas constanter Olomucij in primario Parochiæ templo, totius urbis affluxu, donec illud in potestatem hostium Svecorum venit, ac deinceps Brunæ per annos complures habuit, flammas loquebatur & ignes, corda & animos audientium intimè percellentes, ex quibus miræ conversiones sequebantur. Sed quia his ex domestica Civium familia & servitijs vix unquam interesse aliquibus, domesticis laboribus & culinâ distentis licebat, primus ipse matutinam ad solos famulos & ancillas allocutionem veluti catecheticam, & statui ingenióque ipsorum congruam exhortationem, mox post primum Sacrum habendam insuper assumpsit; maximo indè consecuto fructu, & omnium Ordinum approbatione, ut praxis hæc deinceps in omnia Societatis per Provinciam Bohemiæ templa fuerit constanti hodiéque usu propagata. Matutinas horas impendebat domi partim orationi & studijs, partim operationi in templo & audiendis pœnitentibus, vel ad januam Collegij accedentibus, suggerendo consilia, & directiones in spiritu, quorum complures habebat, vel ex solis illis, qui se illi regendos ex utroq; sexu commiserant: post meridiem autem tempus insumebat in conversatione per urbem, visitandis ægris, solandis qualibet ratione afflictis, & ad perfectionem excitandis suis in spiritu filijs: plures enim tum ex Viris censebantur, tum ex statu Viduarum, gravissimæ Matronæ, quæ altioris perfectionis desiderio totas se virtutum heroicarum exercitio, orationi & operibus misericordiæ impendebant, non sinè præclaro in totam urbem exemplo, & publicâ sanctitatis existimatione, ut earum domus & familia totidem viderentur esse Cœnobia. Ad has ergo statis diebus collectas habebat exhortationes & alloquia spiritualia: vel ascesim Ignatianam obeuntibus explicabat meditationes, fructu tam solido, & nunquam interrupto, ut nulla earum à tramite perfectionis, etiam à morte Patris desciverit, sed constanter toti urbi in exemplum omnigenæ virtutis eluxerint, post fata etiam in opinione sanctitatis habitæ. Illarum filij plerique statum Religiosum complexi, filiæ partim Virginitatem perpetuam, partim Conjugium secutæ, pijs operibus pari constantiâ incubuerunt, quarum una quaternos, id est, omnes filios Societati consecravit. Neque verò lenem se illis exhibebat aut blandum, sed asperum magìs & severum, exprobrando quoslibet defectus, objurgando & increpando; neque raro alloquio suo frustratas, cùm integras horas eum ad januam, vel ad templum devocatum præstolarentur, vacuas domum relegando. Sed neque ità se illarum curando spiritui concedebat, ut quidquam alijs operationibus suis detraheret; quin sæpissimè plures etiam hebdomadas Missionibus occupatus, eas sibi relinquebat, ut ipsæ experirentur, quantum soliditatis ad constanter proprio marte proficiendum essent assecutæ: neque ferebat aliquam de longiore suâ absentiâ queri, quin oggereret illud Apostoli 2. ad Timoth. 3. de mulieribus: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*; quam ejus in tractandis ejusmodi animabus cautelam visum est Cœlum approbare. Accidit enim, ut Brunâ moventem Cæsareum militem ad recuperandam è manibus Svecorum Iglaviam, rogatu supremi Chiliarchæ, Pelinga sequeretur, futurus legionibus à sacris ministerijs; quo tempore una earum Matronarum ægritudinis violentiâ ad extrema fuerat deducta. Tenuit ea obsidio plures hebdomadas; neque tamen ægra, cum morte omni eo tempore acerbissimos inter cholicæ dolores luctata, emoriebatur, cui nunquam Medici vel unum diem vitæ attribuebant, magnâ Civium & Nostrûm omniũ, qui

qui tunc in Collegio degebamus, admiratione: maximè cùm illa constanter negaret, se ante reditum Patris emori posse, quod ipse vetuisset in sua absentia vitam finire. Expectatione tam miri eventûs omnibus suspensis, adest tandem Pelinga, & ægram invisit, quo adstante, veluti vinculo soluta, eâdem nocte animam DEO reddidit.

Mirâ dexteritate pollebat ad impedienda peccata, & bona promovenda absque omni violentia, jocis subinde etiam, & quæ fortuitò oculis se subjicerent ad persvadendum assumptis. Matrona erat Olomucij amplæ fortunæ, tabernæ & cellæ vinariæ Domina, eadémque præcipitis & notæ per Civitatem, iracundiæ; cujus intolerans familia, vix ulla haberi ampliùs poterat, quæ conduci ad serviendum vellet: non sinè heræ ipsius molestia, ut jam sibimet gravis eâ naturæ asperitate displiceret, quam tamen exuere non posset. Invisit hanc aliquando Pater, prout omnes urbis domos per vices lustrare solebat, nè ulla culturæ suæ expers esset; cúmque illa indomitum fervoris sui genium accusaret, Pater oculis in parietem fortuitò conjectis, vidit in eo lineas quàm plurimas cretâ, ab œnopola famulo signatas, indices mensurarum ab hospitibus epotarum, necdum tamen solutarum; quas digito demonstrans Pater, en Domina, inquit, hæc industria vestri œnopolæ artē vos docet iracundiæ brevì extirpandæ, & mansvetudinis facilè consequendæ: nam si & vos quemlibet in iram lapsum ductâ lineolâ quotidie notaveritis, factóque subinde computu, diem cum die conferendo in id seriò incubueritis, ut numerus linearum & lapsuum in dies minuatur; fiet omnino ut non multò pôst edomitâ iracundiâ mansvetudinem induatis. Fecit illa, quod suggerebatur, & magnâ vicinorum & familiarium admiratione, alia penitus ab se brevì apparuit. Maximus illi usus fuit aurei Thomæ à Kempis libelli, sinè quo nunquam prodibat ad urbem, cujus fortuitò aperti prælectione scitè colloquium spirituale inducebat, & quod communiter singulis prælegendus numerus contineret aliquid cujusvis conditioni & moribus emendandis mirè congruum, quasi ei objurgando destinatò repertus esset; jucundè simul & utiliter omnes delectabat. Duellum inter primarios belli Duces subitò interveniens diremit solâ illius metri prolatione:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia.

Cùm verò in castris ad mensam Officialiū militiæ cōmuniter adesse cogeretur, ubi sermones minùs pudicos aliquoties moveri expertus est, ijsdem abstinere deinceps ità constanter decrevit, ut reduci aliter nequiverit, nisì in mulctam à singulis eos sermones inducentibus pendendam unanimiter consentirent. Igitur, quoties quis in verbum aliquod infame incautus prorupisset, mulctam illi Pater in flagranti deponendam inclamabat, non sinè plausu & cachinnis accumbentium, & rei confusione. Aliquando cum hæreticis militiæ Præfectis, quorum complures castra sequebantur, de Fidei veritate disceptanti, cùm illi argumentis pressi resistendo non essent, ad contumalias pro more versi objiciebant, Jesuitas specie quidem externâ oves, intus autem esse lupos rapaces: quos ille jocosè refutaturus, diductâ à pectore superiore veste, ut sub ea pellicenm agninum (hyems enim erat) videri posset, certè Domini videtis, inquit, injuriam à vobis, nobis Jesuitis fieri, qui foris & intus vestimentis ovium utimur. Atq; ejusmodi innocentibus in re seria facetijs semper sibi addictos retinebat, donec opportunè argumentorum pondere convictos Ecclesiæ adjungeret: quod illi in ipso Cæsarei Exercitûs supremo Duce felicissimè successit, postquam tot annis omnem nostrorum, ipsius adeò Ven: P. Martini Stredonij laborem & operam lusisset, à P. Pelinga tandem, ejurato Calvino Catholicis adjunctus. Erat is Comes Ludovicus de Souches, celebris Brunæ contra Svecos tuendæ propugnator, multis victorijs clarus Heros, erroribus tamen Calvini diu obstinatè addictus; hic in multorum militiæ Procerum corona aliquando venerationem Reliquiarum videbat ex eo, quòd sæpè falsas pro veris, & supposititias pro legitimis necessariò honoremus, cùm tot ex aliquibus Sanctis circumferantur, ut fidem superet genuinas omnes esse; imò ejusdem nō raròSancti corpus in diversis locis & Provincijs haberi asseratur. Si quis militum Domine, assumpsit Pater, pileum ipsius, in assultu nuper urbis Iglaviæ tam præclara facinora exhibentis, globo fortè trajectum nactus, rogatúsque à fideli Dominationis vestræ amico eum ut sibi cedere vellet, retento illo, fictitium offerret; quem tamen amicus bonâ fide pari honore ob memoriam Dominationis vestræ, atque si verus esset, asservaret, nónne id perinde gratum ipsi & æstimatum accideret? Ità planè, reposuit Comes; utì non minùs gravi injuriæ ducerem, si eidem supposititio galero, quem verè meum crederet, contemptum aliquem, pedibus eum proterendo, inferret. Quidni er-

ergo, ſubjicit Pater, perinde placeat Sanctis, dum vident ſui amore & reverentiâ honorem à Fidelibus exhiberi Reliquijs, quas eſſe ſuas bonâ fide perſvadentur? fuítque id ſatis convincendo Comiti, ut alijs quoque Calvini erroribus ſenſim confutatis, manus tandem veritati cum multis alijs dederit.

Et omninò quàm plurimos idem à varijs ſectis Lutheri & Huſſij convertit, etiam è militaribus viris, qui plerumque pervicaciùs erroribus ſuis adhærent: & quo tempore Olomucium à Svecis intercipi contigit, perrexit idem conciones ad populum pari libertate & zelo habere multo tempore, pronis auribus ab ipſiſmet auditus hoſtibus hæreticis, donec ob ſuſpiciones prodendæ Cæſari urbis, indè exactus eſt. Propoſuerat tunc dictionibus triduo antecinerali de peccati gravitate habendis, velut in thema oculis etiam ſpectabile, picturam hominis peccatoris, inſtar quadrupedis ſub Dæmone ſeſſore infrænati, ferro manus & pedes adſtricti, & onus ſeptem peccatorum mortalium in binis ſarcinis deportantis; cujus ſchema paſſim hodie in libello Exercitiorũ S. IGNATII, meditationi de damnis peccati mortalis præfixa imago exprimere ſolet. Ejus myſteria cùm triduo illo graphicè Pelinga explicuiſſet, Præfectus urbis Svecicæ militiæ Anteſignanus ità profundè animo eam veritatem impreſſit, ut ejus memoriæ perpetuò conſervandæ eandem imaginem pro ſe depingi, & in cubiculo præ oculis ſemper habendam affigi fecerit. Atque hæc praxis, dicendorum ab ſe materiam ſub ſchemate quopiam etiam per oculos auditorum mentibus imprimendi, frequens illi fuit, optimis effectibus ità comprobata, ut in uſum per totam Provinciam, ob ſingularem ſuam utilitatem venerit, quoties ferè pluribus dictionibus veritas quæpiam, aut myſterium explanandum aſſumitur. Quo tempore Brunæ in adſito urbi caſtello curam geſſit copioſi ab recenti obſidione præſidij & captivorum, quoties ad eos ſermonem habiturus non erat, excurrebat ad pagum uno ab urbe milliari diſſitum, inſtruendis catecheſi Lingvâ Moravicâ, quàm nec mediocriter callebat, ruricolis: licèt ex eo pedeſtri itinere vice qualibet tantis viſcerum convulſionibus torqueretur, ut domum reduci decumbendum eſſet: quos tamen dolores ſtudiosè celabat, nè ſi à ſocijs proderentur Superioribus, ejuſmodi, excurſiones deinceps ſibi prohiberentur. Et quidem hoc genus morbi ex ſumma debilitate ſtomachi perfrequens illi fuit, & pænè familiare, ſimúlque tam atrox & vehemens, ut eum quandoque velut in globum convolveret, adigerétque leniendo cruciatui per terram reptare, in angulos, ſub ſcamnum vel lectum ſe comprimere: nullo tamen clamore, vel etiam gemitu interim edito, nè proderetur, & remora laboribus ſuis Apoſtolicis injiceretur. Nec facilè dictu eſt, quanta perpeſſus ſit Olomucij per ſolidum biennium, quo in manus Svecorum redactâ civitate ſolus ibidem ex Societate, velut in captivitate remanſit, inter perpetua hoſtis omnia in ſuſpicionem trahentis, & ex hæreticorum genio Jeſuitis maximè infenſi, pericula: cùm ipſe unicum pænè Civibus eſſet ſolatium & refugium, tum vel maximè in pauperum auxilium totum ſe expendens, licèt jam antè pater pauperum, & miſerorum perfugium diceretur. Nec ſemel aliàs præſens vitæ diſcrimen quaſi prodigiosè evaſit. Erat inter eas, quas ſuprà dixi, Viduas, altiorem perfectionem in perpetua continentia ſectantes, nobilior una, multis etiam potentioribus procis fruſtrà expetita, qui repulſæ datæ auctorem Confeſſarium eſſe ſuſpicati, vitæ ejus inſidias ſtruere, armati domo exiturum aliquoties locis ſolitarijs præſtolantes non dubitârant. Contigit etiam aliquoties, ut Concionator Moravicè alicubi dicturus expeteretur: cùm verò nullus Superioribus ad manum eſſet, ipſe promptam ſuam ultrò offerebat operam, licèt palàm omnibus eſſet, quàm exiguam ejus lingvæ haberet notitiam & uſum. Hinc minimè mirum eſt, qui DEI causâ tam exiguam ſui honoris publicè proſtituendi curam geſſit, à DEO è contrà ità honoratum, ut inter dicendum aliquando à terra ſublimem conſpectum fuiſſe quidam teſtarentur. Aliàs conſvetam peregrinantium ſupplicationem ad S. Annam (Templum eſt, aliquot milliaribus Olomucio diſſitum) comitatus, cùm iter illud magno fervore exhortationibus ad populum, pijs cantibus ac precibus abſolviſſet, & ùt erat oppidò laſſus, ad Aram ſacrificaturus acceſſiſſet, communis fama fuit, viſum eſſe populo caput radiare.

Regularum ſui Ordinis etiam minimarum uti erat obſervantiſſimus, ità in alijs quoque earum obſervantiam ſcitè promovebat. In eam rem ſelecta quædã habebat in promptu è ſacris paginis dictamina, ac veluti gnomas: ut ſi quem ſilentij negligentem, aut elatiore voce utentem (cujus defectûs ſummus erat oſor) deprehendiſſet, injiciebat illud vaticidum de Meſſia, Iſaiæ c. 42. *Non clamabit, nec audietur vox ejus foris.* Satíſque erat, ſi quem in hoc deficere obſervâſſet, ut nunquã in

in ejus colloquium veniret. In tristitiam publicis maximè reprehensionibus dejectos, erigebat illo ejusdem: *non erit tristis, neque turbulentus:* talibus verò è contrà insultantes reprimebat; *calamum quassatum non conteres, linum fumigans non extingues.* Si quos notaret humanis respectibus facilè à recto transverti, inculcabat illud Sap: 10. *Justum deduxit Dominus per vias rectas*: innuens, minimè attendendum, quid alij agant, vel probent. Nec dissimulabat offendi se illo multorum ad rem quampiam agendam motivo, quòd hæc esset magni apud DEUM meriti: non enim decere ajebat, ut cordatus Religiosus DEO serviat ùt mercenarius, sed magìs ùt filius. Audiens quendam familiariter querentem, quòd à multo tempore nullum in perceptione SS. Evcharistiæ gustum & solatium spirituale experiretur: mirari se vehementer declaravit, quomodo nos ambire possemus ibi solatia, ubi Christus maximam passus esset desolationem, cùm Evcharistia sit Memoriale mortis Domini? Optantibus sub mortem copiam habere Sacramentorum, non damnabat quidem votum, sed negabat esse verum DEI servum, qui non sit paratus mori quovis tempore & loco sinè Sacramentis. In sermonibus ad domesticos ardore perorabat supra humanum omnino majore, ut nobis Paulum quendam Apostolum audire videremus, præsertim si contra pusillanimitatem inveheretur, aut fervorem in divino obsequio svaderet; efficaciâ dicentis quasi attoniti, cùm ipse Spiritûs cœlici flammas vix præcordijs continere posse, toto vultu inardescens videretur, quo aliquando obrutus dictionémque prosequi impotens, abrumpere imperfectam coactus est. Et quia oratio dicentis non ab oris, vel artis ingenio formata fundebatur, sed conceptis in cordis intimo sensu verbis, in eundem facilè pertrahebat omnes, & quod intenderet, persvadebat. Venerat ad domum Brunensem Nostrorum aliquis ex Poësi alibi explicata, infimam Grammaticæ classem docere jussus: quâ destinatione mirè perturbatus non facilè componendus videbatur, ut animum in obsequium obedientiæ inclinaret. Contigit interim, ut Pelinga exhortaretur domesticos, & excellentiam humilium in Societate munerum solitô fervore deprædicaret: suffecítque id, ut homo sedatâ penitus animi intemperie, nè verbo in oppositum prætenso, scholam præscriptam auspicaretur. Summo inter reliqua zelo ferebatur in exactissimam observantiam Regulæ de tactu custodiendo, ut nè jocosum quidem aut fortuitum dissimulanter ferret; quod Divinitati quantopere placuerit, patuit ex sequenti eventu. In Missione quadam circa Olomucium ab se suscepta, contigit eum divertere in arcem quampiam, & ad nocturnam quietem decubiturũ locari in cubiculo spectris obnoxio, quæ etiam sub primum somnum tumultu excitato, molestiam facessere dormituro cœperunt. Sed ille nihil pensi habito tumulto quietus durabat, donec spectrum lectulum accedens, manu perfrigidâ vultui impositâ eum tetigit; tum enim ad indignitatem facti, veluti commotior, severè spectrum allocutus: *non decet,* inquit, *Viros Religiosos tam audacter attrectari*; ad quod dictum omnis tumultus desijt, & infestatio tota simul evanuit.

Neque virtutum ejus odor unius Provinciæ cancellis contineri potuit, quin foras, etiam Romam usque, fama pervolaret: de cujus præclaro zelo, & ingenti animarũ proventu certior factus Præpositus Generalis, collaudatis ejus conatibus, quidlibet à se favoris postulandi copiam fecit, quo se juvari posse ad prosequendum præclarè cœpta crederet. Petijt hic dignum suâ humilitate & modestiâ præmium, ut potestas sibi quovis in loco degenti daretur, quam nemini inferiorũ Superiorum præpedire liceret, omnium peregrinorum & hospitum fortè advenientium pedes abluendi. Quâ etiam constanter deinceps ità usus est, ut emeritus jam Concionator quibuslibet nostris peregrè venientibus, etiam non Sacerdotibus ac Scholasticis, humilis ad pedes accideret, & eâ reverentiâ atq; accuratione lavaret, ut Christi personam in ijs respicere & agnoscere appareret. Et erat omninò vilibus ejusmodi & abjectis obsequijs semper addictissimus, nam in Tyrocinio Brunensi, nemo illo frequentior Novitiorum in eluendis patinis, purgandis ollis, cæteráq; id genus supellectili mundanda, adjutor & socius; cujus exactissimo fervore singula obeuntis aspectus ingenti nobis fuit exemplo, & ad virtutem incentivo. Venerat aliquando negotij alicujus causâ Olomucio Brunam, eóque celeriter expedito mirè urgebat reditum, licèt magno conatu & precibus rogaretur ad biduum saltèm subsistendum, quòd nulla necessitas tantæ accelerationis appareret. Sed abnuit constanter ille, quòd post biduum sibi ex officio domi obeundũ esset munus quodpiam in culina vel triclinio. Deniq; ex omnibus ansam capiebat sui deprimendi, velut cùm seriùs domum ex urbe redux ab Janitore subindè peteret, num quis interea se requisîsset? & quando neminem comparuisse audivit,

vit, conversus ad socium dicebat: ecce sic frequenter putamus nos à multis æstimari & desiderari, cùm interim neq; nostri meminerint, aut de nobis inquirere curent. Antequam postremò cum Exercitu Cæsareo ad bellum in Imperio prosequendum, rogatu ejusdem Ludovici Comitis de Souches, è Moravia discederet, satìs declaravit aliquot personis suis pœnitentibus, conscium se esse vicinæ mortis: & uni disertè asseruit, se alibi procul ab illa moriturum, & quidem ità, ut obitus suus diu fidem Brunæ non sit inventurus. Quod planè ità evenit; nam licèt vitâ functum communis fama ferret, diu tamen nemini istic credita est, donec eadem hæc persona per expressum Klattoviam in Boëmia expeditũ nuncium, veritatem comperit. Ubi ipse hybernorum tempore ad curam valetudinis in Collegio Societatis moratus, contractâ ex Missionis Castrensis supra vires laboribus & incommodis malignâ febri, animam DEO reddidit 17. Dec: A. 1648. ætatis 45. Societatis 20.

Ex Annuis Provinciæ Bohemiæ Societatis JESU.



P. Edmund9 Nevillus, S. I. illustri sangvine Anglus, vineæ Anglicanæ indefess9 Cultor, usq; ad annum ætatis propè 90m. Decessit ibidem, laboribus, et calamitatibus fractus. Aº 1648.

168.

P. EDMUNDUS NEVILLUS.

Obilis Christi in vinculis Confessor, & in libertate Apostolus Edmundus Nevillus, natione fuit Anglus, patriâ Lancastrensis. Perillustri natum familiâ prædives manebat patrimonium in Westmorlandiæ Comitatu, si tempori obsecundare placuisset: sed spe æternorum, speciosam præsentium vincente ostentationem, prætulit opprobrium Christi

Prin-

Principum delicijs, & relictâ patriâ Romam navigavit. Ibi in Collegio Anglorum studiorum spatia emensus, cùm DEO se consecrare in Societate, Sacerdotio jam initiatus percuperet, nec posset eam ingredi sinè licentia sacræ Congregationis de propaganda Fide, propter juramentum, quod præstabant Collegiorum Pontificiorum Alumni de Clericali vita amplectenda, jussu ejusdem Sacræ Congregationis translatus habitavit ad tempus apud alterius Ordinis Religiosos, ad probandam magìs ejus vocationis firmitudinem. Eâ deinde abundè exploratâ, cum facultate ejusdem Sacræ Congregationis Romæ in monte Quirinali rudimentum vitæ religiosæ posuit ad S. Andreæ, & votorum quatuor professionem suo tempore emisit. Docuit annos aliquot extra Angliam literas humaniores; ac subinde in illius labores missus, Operarium ibi magno zelo & fructu ad mortem usque egit, ob svavissimos mores, virtutem, ac doctrinam ubique amabilis, summéque utilis. Sed cùm civili bello, quo Rex ipse Carolus comprehensus, & carnificis securi necatus est, arderet Anglia; suspectus de Sacerdotio, captus est à militibus Cromwelli, Rebellium coryphæi. Annorum tunc Pater erat 87. lectulo à multo retrò tempore affixus, ex quo à Parlamentarijs crudeliter extractus, & navi impositus, in ea tanquam in custodia per asperrimam hyemem detentus est, coactus perpeti & vincula & famem, & sitim & frigus, præter insolentissimorum militum irrisiones, ludibria, & sannas. Tandem indè transmissus Londinum ad Tribunalia Judicum, cùm nihil de Sacerdotio legitimè probari posset, liber quidem è custodia, vix spiritum ampliùs trahens, dimissus est, sed paulò pòst oppressus morbo, quem contraxerat ex tot incommodis, in fundo navis tamdiu invictâ patientiâ cum stupore militum toleratis, ex carcere hujus vitæ in libertatem filiorum DEI evolavit Londini Anno 1648.

Ex Anglia Henrici Mori, & Bibliotheca Alegambe.

P. VINCENTIUS CARRAFA.

EDitus in lucem est P. Vincentius Carrafa Andriæ in Regno Neapolitano An. 1585. die 9. Maji, Parentibus Celsissimis è Regio sangvine Ungariæ & Sardiniæ prosapiam ducentibus, Patre quidem Fabricio Carrafa Duce de Andria, Comite Rubrorum: Matre Mariâ Carrafâ, Principe Stigliani, utroque ex familia & Domo per Italiam ab antiquitate, & tot ex ea satis Principibus celeberrimâ, atque ad summum usque Pontificatum provecta. Fratrum suorum fuit tertio-genitus, Matri tamen pijssimæ Matronæ plus alijs dilectus, ob singularem ad omnia pietatis & virtutum officia, quasi ex utero materno, propensionem. Totæ illius ab infantia deliciæ erant in arulis ex sacris imaginibus struendis, & in recitando ante illas de geniculis Rosario, quod priùs evolvere didicerat, quàm loqui. Triennis cùm esset, subducebat se à consortio fraterculorum, cum æqualibus lusui & jocis vacantium, in Matris oratorium, ibíque de genibus durabat in precibus duas & tres horas, cum Aulæ totius admiratione: eâ jam tunc mentis maturitate & prudentiâ, ut Confessarij Aulæ censuerint pleno rationis usu, ante completum sexennium, fuisse à DEO præditum, ideóq; accessum ad sacram Communionem indulserint. Atque hoc illorum arbitrium prodigio confirmavit Divinitas: cùm enim S. Evcharistiam ei porrigeret in Aulæ Sacrario P. Julius Mancinellus, Vir à sanctitate vitæ nominatissimus; vidit eundem, utì & alij quotquot ex Aula præsentes adfuêre, totâ facie instar Angeli resplendere: unde & Angeli agnomen deinceps illi inter domesticos adhæsit. Nullo die intermittebat adesse Missæ Sacrificio, & sub vesperam in Ecclesia quapiam, ubi asservabatur S. Evcharistia (quam deinde singulis 8. diebus sumebat) prolixè de genibus ante eam precabatur. Singulis quoque diebus honori DEIparæ, cui impensissimè erat addictus, genuflexus dicebat Officium & Rosarium ipsius: ter in hebdomade ferijs 4. & 6. ac Sabbatho jejunabat, & quidem hâc ultimâ omnibúsque festorum Beatissimæ Virginis pervigilijs in solo pane & aqua. Est in suburbijs Andriæ pervetusta Beatissimæ Matris Ecclesia, parùm ab incolis visitari solita; huc ille frequentissimus diebus omnibus Dominæ suæ aderat ad prolixa obsequia, horis etiam complnribus in oratione perdurans, omniáque fidelis & humilis servi exhibens officia: nam & pavimentum everrebat suis manibus, parietes à telis aranearum & pulveribus expurgabat, adornabat aras, & lampadem procurabat: exprobrantibus tam vi-



P. Vincentius Carafa Soc: Iesu Generalis septim9, è Principum sangvine, vitæ sanctitate, et in proximum charitate insignis: post varios labores et opera in animarum salutem per omnem vitam exercita, obseqvio contagiosorum imortuus Romæ 8. Iunij 1649. Ætatis 64.

169.

vilia munia personæ Ducali dedecori esse, respondere decennis pusio solitus, *nescire se majorem nobilitatem, quàm in vilissimis servitijs DEI ac Deiparæ mancipium fieri & mediastinum.* Nec minorem vicissim fidelis servuli curam se gerere declaravit gratiarum Mater, varia animæ & corporis amoliendo pericula. Accidit aliquando, ut jussu fratris senioris sclopum exploderet, ex quo scintilla exiliens incidit in capsam pulveribus plenam, momentóque incendit, simul etiam Vincentij vestes ità corripuit, ut repentè totum se involutum flammis cerneret. Ergo ad Matris DEI auxilium recurrens Mariam invocat, cujus præsidium ità in promptu adfuit, ut vel nomen illius pronunciâsse idem fuerit, ac omnes flammas momento extinxisse.

Devotioni erga Cælites conjunxit cum profundissima humilitate parem obedientiam & observantiam erga Matrem & Moderatores. Nunquam adduci potuit ad sedendum ipsâ præsente, vel etiam ad standum simpliciter erectus, quam non alloquebatur nisì de genu, oculis simul in terram constanter defixis: ante decubitum & manè osculo manûs eam veneratus, bonam ejus apprecationem postulabat, & ordinem agendorum per diem: domô nunquam exibat sinè ejus obtento annutu. Eadem ferè exhibebat Pædagogis suis, & fratri seniori, sub cujus cura, Patre præmaturè è vivis sublato, potiorem in sæculo ætatem egit. Sed quæ celeberrimum illum populo Neapoli, & ubicunque habitâsset, reddebat, erat charitas & misericordia in proximos, velut ab utero illi connata. Non ille de miseris audire, non illos cernere sinè com-

commiſeratione, non manus poſſe abſtinere à largiendo videbatur: frequentiſſimè currebat ad feneſtras, proſpecturus, num qui pauperes adeſſent, continuóque ſingulorum neceſſitates non ſinè pia amplificatione Matri recenſebat, ut liberalem eleemoſynam obtineret, quam ſuis ſemper manibus diſpertiebat, tam dandi cupidus, quàm avariſſimus quiſque accipiendi. Et licèt hæc maximum Matri gaudium parerent, ſimulabat tamen aliquando, vetabátque cibos ab ipſo in eum finem jam diſſectos è menſa ad egenos mitti, ut nimirum majores ab eo preces extorqueret: at ipſe precibus lachrymas etiam adjungebat. Cùm jam in procinctu eſſet ad Societatis JESU ingreſſum, multam ſupellectilem rerum ſibi recèns curatam, ùt veſtes, induſia, aliáque ejuſmodi in egenos erogavit: uni autem calamitatem ſuam miſerabiliùs proponenti, pretioſum lecto ſuo detractum conopæum per feneſtram dejecit. Par erat in ægros per Noſocomia charitas & liberalitas, quæ frequens inviſebat,& ſuis manibus nummos, medicinas, edulia diſpenſabat, ſolabatur, & in DEUM erigebat. Atque hanc in proximos charitatem non inferior comitabatur ſui contemptus & odium: nam carnem cilicijs & flagellationibus inclementer affligebat, ſui adeò deſpiciens, ut quas tulerunt fratres, ipſe veſtes præ novis non illibenter denuo geſtaret. Erat in Conventu vicino Capuccinorum Sacerdos, Modeſtus nomine, virtutis famâ conſpicuus: hunc Vincentius ad colloquendum de rebus cæleſtibus quot hebdomadis tertiò adibat, & poſt colloquium ſimul cum illo acriter ac diu ſe verberabat. Et hæc erat illius vitæ ante ingreſſum Religionis norma, ex qua utì in pueritia nomen ſibi Angeli, ità in adoleſcentia Sancti promeruit.

Tam conſtanti virtutum ejus experimento tota Carafæa gens erecta, illum ſupremis Eccleſiæ dignitatibus tacitè deſtinabat, ideóque volentem Clericali veſtitu tempeſtivè, dum ad ſcholas Societatis Collegij Neapolitani mitteretur, induerat: ſed ille quotidianâ P. Hieronymi Plati de bono Statûs Religioſi lectione certus dignitates omnes Eccleſiaſticas fugere, ſtatuit unam ex duabus Religionibus, Capuccinorum vel Societatis JESU, amplecti: quarum illa vitæ & diſciplinæ ſeverioris rigore, hæc autem quòd curæ ſalutis propriæ parem etiam alienæ procurandæ conjungeret, ad ſe trahebant. Quia tamen poſt multam deliberationem in neutram partem ſatìs animum inclinare poterat, Matris arbitrium, quam noverat Divinorum non minùs ſcientem, quàm ſalutis liberorum cupidam eſſe, inquiſivit. Hæc ſancto filij propoſito mirè delectata non ſatìs habuit illum ad conſtantiam contra omnes Agnatorum inſultus impensè cohortari, ſed ad expediendum feliciter dubium eligendæ Religionis, auctor fuit voti peregrinationis ad Divæ Virginis Andrienſis concipiendi. Paruit ille ſvadenti; & vix ſacram illius ædem ingreſſus, ſenſit obortâ cælitus luce diſcuſſis animi perplexi tenebris, totum ſe ad Societatem inclinari, ut ex eo die deſiderium illius quantocyus obtinendæ vix ferret. Itaque nihil morandum ultrà ratus, votum hoc ſuum fratri majori Duci Andriæ aperit, tanto illius dolore, ut protinus linquente animo humi conciderit, jacuerítque velut exanimis. Cujus obteſtationes & argumenta omnia poſtquam invictâ conſtantiâ eliſiſſet, graviorem haud paulò inſultum à Patruo Vincentio Carafa Melitenſium Capuæ Priore paſſus eſt; cujus obſtinatè impugnantis machinas cùm nullis deprecationibus poſſet revincere, factis expugnare tentavit. Ergo clam omnibus domeſticis aliquando domo egreſſus, apud PP. Capuccinos in Conventu, qui ſuburbijs adjacet, ſe abdidit, ut Patruus, niſì poſt dies aliquot, nihil de eo reſcire potuerit: quem ibi conſpicatus ineâ, vigilijs, aliíſque voluntarijs pœnis, ad impetrandam cælitus miſſionem ſuſceptis, jam exſuccum ac pallidum, ratus illum ibi ſedem figere velle, auctor ultro ex oppugnatore fuit ineundæ potius Societatis, cùm tantæ ſeveritati vitæ impar omnino eſſet, paucis diebus ità emarcidus, ut agnoſci vix poſſet. Lætus tam optato eventu Vincentius cum Patruo domum redit, & tres ibi menſes commoratus, dum Societatis Præſides liberum ei patere jam ingreſſum nunciarent, nemine amicorum, nè plagâ refricatâ malum recrudeſceret, ſalutato, 4. die Octobris, S. Franciſco ſacrâ Tyrocinium Societatis JESU ingreſſus eſt anno 1604. ætatis 19. Mater interim ſorte filij non minùs ac ipſe geſtiens, veſtibus ejus & omni ſupellectili in pauperes divisâ, tenue colobium uſu ipſius detritum uni ex famulitio domûs donavit: quod ubi filius ejus natu maximus induit, illico vitæ Religioſæ deſiderio (quod nunquam antè ſenſerat) exarſit,& paulò pòſt Cœnobium inivit. Relictum colobium & minor frater induit, ſimul & mentem eandem, & Statum Religioſum amplexus eſt. Idem tertiò genito evenit: qui omnes conſtanter Vincentij meritis id adſcribebant, ſanctè teſtati, priùs quàm colobium in-

induissent ; nè in mentem quidem sibi venisse, ut Religiosi fieri vellent.

Tam adulta in sæculari Adolescente virtus, in Religionis tyrocinio in plenam sanctitatem excrevit, ut fræno magìs semper quàm stimulis opus habuerit. Omnes occasiones sui deprimendi & confundendi captabat avidissimè, & tanquam si natus esset ad famulandum in vilissimis quibusque servire omnibus gestiebat. Ipse in Peregrinationis experimento sarcinulas sociorum portare, calceos luto infectos purgare, lectos componere, ipse super humo aut nuda tabula somnum capere: Urbem Neapolim ostiatim stipem emendicando obire, & non rarò asellum sordibus hinc indè collectis onustum, per vicos & fora Nobilibus Viris frequentiora agitare: eâ Numinis approbatione, ut inter mendicandum à Viro primæ Nobilitatis attentiùs observatus, visus sit toto vultu & capite cælestibus radijs coruscare: quibus similiter incinctum vidit P. Albizi, ejus in Collegio Neapolitano Confessarius. Religiosis post biennium votis DEO nuncupatis ad studia Philosophiæ admotus, illud inprimis studuit, ut potiùs ex JESU cruci suffixo virtutum usum, quàm ex libris ac dictatis arcana scientiarum edisceret: quare cùm judicio Magistri sui nulli condiscipulorum in penetrandis Philosophiæ arcanis cederet, & ipse gustum quendam & oblectationem ex nova hac scientia in se derivari sentiret, veritus nè periculum indè subiret DEUM, quem unicè in omnibus sibi quærendum statuerat, amittendi, & per scientias evanescendi, Moderatores missionem à studijs flagitavit, unáque descensum ad statum Fratrum Laicorum. Sed nimirum rejectus, & in Studijs progredi jussus, nec de pietatis fervore, nec de cura uni DEO placendi quidquam remisit, quin utrumque indies intendit. Festos dies totos uni DEO, nihil Studijs reddebat, meditando, orando, pios libros legendo. Vacationum autem quothebdomadis à scholis dies, vel ijsdem negotijs divinis, vel ægrorum in Nosocomio ministerio, vel eleemosynæ per urbem corrogationi impendebat, atrocissimis eâ causâ convitijs, & tantùm non fustibus à Patruo illo suo Melitensium Priore exceptus. Atque hìc virtutum ejus splendor, quò radios suos in plurium exempla dispergeret, permovit supremum Societatis Moderatorem, ut Vincentium ad Romanum Collegium Neapoli ad audiendam Theologiam transferret: ubi licèt annum unicum ob adversum sibi Romanum cœlum sit demoratus, pluribus tamen ad virtutem profuit, nec paucos à mundo ad Religionem solo sui aspectu, prout ipsimet testati sunt, Neapoli præcipuè, traduxit: & quidem hìc scholarum auditores occupabant horis integris earum tempus, ut ejus intrantis modestissimo habitu oculos animósque pascerent: Condiscipuli verò in schola vix ab eo oculos avertere, miraríque Angelicam prorsus oris & gustuum omnium compositionem, ut nullo unquam verbo silentium in schola transgressus esse, in nullum curiosos oculos advertisse, & nè importunas quidem muscas à facie abegisse observatus sit. Exacto Philosophiæ cursu post Grammaticam uno anno Salerni explicatam, Theologiæ condiscendæ admotus est, eodem boni exempli tenore, cùm prædicatione necdum posset, animarum salutem procurare satagens: donec sacerdotio suscepto Philosophiam publicè docere jussus, rete Apostolicum ad animarum lucra expandere cæpit; ità cum Aristotele pias ad virtutem cohortationes conjungens, ut è discipulis plures 60. ad diversa Religionum asceteria se receperint. Ferijs à schola vacuis procurrebat in publicum, & egenis vagísque in unum collectis, Fidei morúmque doctrinam exponebat, & ad exomologesim conducebat, memorabili complurium ad vitam meliorem traductione.

Ex quibus aliísque ad lucrandas animas (de quibus §. sequenti loquemur) industrijs comperto satìs Vincentij zelo, sodalitium nobilium Equitum sub titulo Natæ Deiparæ in Domo Professa erectum, ipsi postliminio Superiores commisêre; quod à primævo suo vigore ità defluxerat, ut paucos jam numerares Sodales, nomen etiam Cætûs vix ampliùs mereretur: à cujus tamen vigore Nosocomiorum & pauperum felicitas, quibus providendis peculiariter adstringebatur, & ferè totius populi ædificatio, qui Nobilium exemplis plurimùm ad officium pertrahitur, dependebat. Ab hoc arduo, scilicet collapsum semel vigorem restaurandi, munere, quòd viribus suis diffideret, cùm summopere abhorreret, Beatissima Virgo personam sibi familiarem, & visis cælestibus illustrem submisit, & humeros oneri subjicere jussit: atque is ità illi tractando se totum addixit, ut si aliud nihil in vita agendum restaret. Ante omnia certum sibi præfixit, ut neminem omnino ad dandum sodalitio nomen per se aliósve quâvis ratione alliceret: quare svadentibus nonnullis, ut præcipuum quendam è Regni Principibus arctissimâ sibi propinquitate conjunctum ad illud invitaret, quòd ejus exemplum pleraque No-

Nobilitas secutura sperari posset, penitus recusavit, quòd diceret, non esse ejusmodi illius vitam, ut tali Cætu dignus haberi posset, eam verò dissimulare in Sodali, non aliud esse, quàm tacitè approbare: quin neque si peteret admittendum, nisì desineret mancipium esse Veneris, qui filius Virginis haberi cuperet. Vix autem innotuit Vincentium Sodalitij Præfecturam suscepisse, cùm certatim ex omni Nobilitate tantus Sodalium numerus increvit, ut multitudinem loci angustiæ non caperent: dictionum quoque ad omne genus virtutum exhortantis is fuit successus, ut Sabbatho quolibet cædere se volentium, multitudini flagella deessent; utì & Eucharistici Panis particularum copia festis diebus accumbentium numero. Revocata in usum pridem intermissa quàvis feriâ 3. ægris in valetudinario incurabilium serviendi consvetudo, tanto Sodalium ardore, ut lecticas ægrorum vasáque famularia anteoccupare pro se quisque certarent: & crebrò plures ad famulandum Equites accurrerent, quàm ægri in frequentissimo alioqui Nosocomio censerentur. Itaque abluebant à capite usque pedes mendicabula squalore ac putore horrida, ulcerúmque tabo putrescentia: omnibus lectos sternebant, elatósque priùs suis humeris & manibus ijs reponebant; vitâ functis autem omnia vespillonum munia exhibebant, precibúsque ac sacrificijs prosequebantur. Quæ omnia eâ præstabant animi demissione, pietate, alacritate, & redundantibus in animum ex insveto sui contemptu liquidissimis gaudijs, ut lachrymis neque ipsi, neque spectantes temperare possent. Quibus Vincentius utì exemplo, squalidissimos semper pro se eligendo præibat; ità exhortator efficacissimus aderat: *Si enim*, ratiocinabatur quandoque, *tantum voluptatis hauritur ex famularibus operis in fœtidos ulcerosósque ægros, DEI causâ susceptis: quantò ampliùs ex perenni visu ac consuetudine Cœli Principum, Numinis, ac cœlestibus delicijs capietur?* Ut verò tanto Sodalium fervori velificaretur, statis illis hebdomadatim in præfato Nosocomio ministerijs adjecit extraordinaria celebrioribus anni temporibus, quibus videre erat totum valetudinarium aureis & bombycinis peristromatis investitum, mensas ex selectissima sindone mappis instratas, & ex eadem, lintea pedibus tergendis parata: quos ubi odoratis & pretiosis aquis Sodales abluissent, tum verò accumbentibus facti ab obsequijs, epulas regio sumptu copiosissimas & delicatissimas, omnes in argenteis scutellis & supellectili ministrabant, non sinè modulatione Musicorum exquisitissima, ad solatium afflictorum toto mensæ tempore personante. Demum ad distribuenda bellaria & dulciaria in singulos veniebatur, tantâ illorum copiâ, ut aliquando 60. pelves argenteæ & capaces his refertæ numerarentur, & supputato calculo solius sacchari numerum ad mille libras pertigisse deprehensum fuerit. Sed his minimè exsatiatus Vincentij zelus, charitatem hanc ab ægris ad vinctos pariter extendit. Quoties *Catenæ* Neapolim adventarent (sic Reos insignes vocitant, qui ex toto collecti Regno puniendi, illuc vincti mittuntur) ipse prælatâ Cruce, sequentibus ritu supplicantium suis Equitibus, inter Litaniarum cantus obviam illis ibat, & in Vicarij deductis Aulam pedésque lotis, opiparæ deinde mensæ accumbentibus cum ijsdem Nobilibus famulabatur. Tandem ad persvadendam pœnarum & carceris patientiam appositâ dictione confirmatis, Sodales largam eleemosynam addebant, quâ nonnulli subinde à diuturno carcere redimebantur, aut saltèm prolixas ærumnas solabantur. Ad hæc triduo hilarium, Quadragesimæ prævio, quo SS. Evcharistia ad 40. horarum preces augustiùs ex more Societatis exponitur, instituit, ut 12. Equites continenter ante illam orarent, succedentibus post singulas horas novis ex eodem Sodalitio: quod deinceps eodem auctore ad 7. præcipua Beatissimæ Virginis festa derivatum est, quibus insuper grandis aureorum copia in pauperes, quos pudor occulit, dividebatur. Annis præterea singulis Exercitia S. IGNATII octidui spatio Sodalibus, & quotquot alij exerceri his vellent, tradebat, tanto hominum ex omni gradu Nobilitatis, imò & Religiosorum concursu, ut locus tametsi bene amplus capiendis non sufficeret. Verùm nulla ipsius industria Nobilibus illis fructuosior cessit institutione secreti Cætûs, quâque feriâ 6. sub vesperam haberi soliti ab ijs, quos ardentius Christi imitandi studium cæpisset. Hoc die ipse soli DEO fixus, nulli hominum aurem præbebat, aut loquebatur: & priusquam cætum adiret, duas solidas horas in meditatione exigebat, itáque inflammatus ad ejus exercitia ingrediebatur. Aula Sodalitij nigris obtensa erat: medium obtinebat simulachrum Christi cruci affixi, magnitudine Viri erectum: exordium à lectione carcerum Joannis Climaci ducebatur: indè Sodales omnes spineâ acceptâ coronâ redimiti, è capsula schedulam singuli sorte educebant, quâ cuique aut pœna quæpiam obeunda, aut idonea sententia per hebdomadam

dam ruminanda designabatur: tum officium de Christi vulneribus cantu alternis versibus recitatum, quo peracto unusquisque certi delicti pœnam publicè exposcebat. Demum Vincentius de aliquo è cruciatibus Christi verba faciebat, quæ plerumque lachrymis & & singultibus excipiebantur; atque ità ad condolendum Christo accensi, longâ & acri omnes flagellatione finem conventui imponebant. Quæ cum in facie amplissimæ urbis fierent, dici vix potest, quantus in omnem populum fructus ex tam sanctis Nobilitatis exemplis dimanârit. Certè vir sapiens & ex primoribus affirmavit, Vincentium si aliud nihil egisset, quàm quòd in Sodalitij regimine emicuit, affatim esse, cur Sanctorum numero adscribi mereretur. Sodales autem præsagiebant in Beatorum numerum sese adsciscendos, quòd sub cura tam sancti Viri in castris Marianis meruissent. Quanti verò DEUS ipse hos ejus conatus faceret, abundè patefecit, quando illum ex hac Præfectura ad Generalis universæ Societatis munus evexit.

Et verò ardentissimus hic animarum zelus (ut simul omnia huc spectantia prosequamur) ab ipso statim tyrocinio ità in ejus pectore exarsit, ut jam tunc Missionem Indicam ab Generali Claudio Aquaviva, suffragatore etiam Mutio Vitelesco, flagrantissimè expetierit. Quod cùm non impetraret, abundè postea factus Generalis per alios compensavit, dum unâ simul vice 40. Operarios in Indiam destinavit. Porrò qui longè remotis gentibus prodesse non poterat, totum se popularibus juvandis, mox primis Sacerdotij annis impendit. Itaque inter alia Sodalitium instituit ex Juvenibus malè antehac feriantibus, quibus tam scitè persvasit salutis suæ studium, ut multi è cæno vitiorum ad strictioris vitæ Religiones emerserint. Pueros & rudes per Neapolis plateas ad Catechesim tintinnabulo convocare, ganeas & helluones ab alearum lusu è tabernis ad Conciones vel Confessionem, cælestis eloquentiæ vi pellicere, usitatissimum illi fuit. Quo tempore morbus contagiosus inter milites grassabatur, totos dies illis omni genere charitatis juvandis & expiandis traducebat in armamentario. Idem præstitit in horrendo illo Vesuvij incendio, igneâ & saxosâ pluviâ ultimum urbi excidium minitante, dum cinere coopertus & lachrymis madens, grandi signo Christi è cruce pendentis, manibus prælato, Neapolim totam obibat, omnésque ad pœnitentiam invitans, etiam maximorum criminum reos obstinatósque ad eam è vestigio amplectendam permovebat. Et dum etiam toti Provinciæ regendæ præesset, damnatos ad remum adibat, & confessiones omnium excipiebat. Imò & Societati toti Præpositus, Romæ in Domo Professa cætum ad procurandam bonam mortem Christi agonizantis instituit, incredibili animarum tum ibi, tum alibi, quocunque ille per Societatis Provincias propagatus est, proventu. Neque minor in Missionibus obeundis ardor ejus & fructus enituit Neapoli, in Apulia, in suburbijs Capuæ, quæ Incarnata vocant, à multitudine luparum infamibus: multas enim earum è prostibulis extractas ad frugem reduxit; tantâ dæmonis idcirco furentis rabie, ut Templo Domûs Professæ Neapolitanæ, cui tunc Vincentius præerat, flammas DEO ità permittente subjecerit, tunc dum ornatissimum pretiosissimo apparatu, ad exponendum triduo antecinerali SS. Sacramentum prostaret.

Præscivit hoc infortunium Vincentius, cujus auctorem futurum dæmonem, & quidem ex ea Incarnatensis suburbij causa, Dominus illi sub meditatione matutina revelare dignatus est, ut illi mitiùs ferendo animum pararet. Tantáque fuit grassantis incendij violentia, ut apparatum omnem, peristromata, statuas, & vasa argentea, in cineres redegerit, & Basilicam illam fortè inter Europæ pulcherrimas numerandam, in tetrum ac triste Templi veluti cadaver deformârit. Sed nimirum calcar id non frænum illi fuit ad bellum tantò fortiùs contra dæmonem & vitia prosequendum, ad cujus sacrum Tribunal DEUS speciali instinctu maximos peccatores expiandos submittebat: hos ille fraterno prorsus amore excipiebat, & in certam salutis spem erigebat: & si quosdam ex scelerum assvetudine in desperationem vitæ melioris propendere adverteret, longè se illis deteriorem quondam fuisse, & profundiùs cæno vitiorum immersum fatebatur, DEI tamen ope, cujus efficaci gratiæ nihil resisteret, liberum evasisse: itáque in confidentiam animatis, & quævis remedia consiliáque sequi paratis, opportuna maximè præscribebat. Contigit Neapoli, Principem magni nominis in ipso ætatis flore capitis damnari, quantâ animi illius perturbatissimi consternatione, vel indè colligas, quòd constanter iniquâ sententiâ, criminis imputati innocentem se damnari protestaretur. Tam parum ad christianè moriendum dispositum, & ad ignoscendum necis auctoribus durissimum, Vincentius in curam accepit, eáque dexteritate tractavit, ut sub gladium iturus Princeps exclamârit, nunquam

hacte-

hactenus sibi meliùs fuisse & jucundiùs: cujus animam mox è corpore in Cælum volantem sibi visam Pater disertè Matri asseruit: & Sacerdoti piaculare sacrificium pro illo facere volenti; negavit ullis opus habere suffragijs: auditus sæpius exclamare, ô quàm est beatus! ô beatam illius sortem! Plus illi difficultatum fuit cum alio ad mortis confinia adducto, post vitam per vagas libidines pervicaciter exactam, etiam in Deum (uti communiter talibus accidit) facto adultero, ut neque illum, neque præmia bene & sanctè, aut supplicia perperam actis dari crederet. Hunc ille cùm diu frustrà verbis, obtestationibus, argumentis omnibus urgeri ad pœnitentiam expertus esset, ad secretius conclave se proripiensDeum pro ipso exorare primùm, & hanc animam sibi donari cum lacrymis ac gemitibus expetijt: tum horrendum in modũ se diverberans, domesticos omnes attonuit, ínque spem certam erexit, fore ut sic saltèm victoriam de obstinato referret. Neque spe frustrati sunt: nam æger reverso faciles illico Patri manus dedit, & Sacramentis ultimis expiatus in Domino obijt. Nec minùs admirationis habuit profligatissimæ vitæ Equitis conversio, divortio à Conjuge, concubinatu, & provocatorijs dimicationibus infamis. Reconciliare illum cum uxore, inimicis, Deo, tentaverunt complures Viri Religiosi, sed in cassum: at enim Vincentius uno & primo alloquio sic immutavit, ut amandatis illico concubinis, in gratiam cum uxore redierit, & scriptum ediderit sapientiâ plenum, quod duella & provocationes ejusmodi damnabat & confutabat. Palmare fuit quod illi cum depravato Sacerdote accidit. hic nullo sacri characteris respectu, nullo propudiosæ vitæ pudore in sceleribus volutabatur: donec hominem publicum Urbis scandalum miseratus Pater, dum pro illius salute ferventer Deum exorat, omnium secretorum ejus flagitiorum notitiam simul accepit. Quæ captato familiari alloquio sibi sigillatim exprobrari, ubi, quando, quibuscum patrata, retegi audiens Clericus, consternatus supra modum, quòd satis intelligeret horum notitiam Patri à solo Deo dari potuisse, totum se illius arbitrio permisit: cujus consilio, generali exomologesi institutâ, & Sancti Ignatij Exercitijs excultus, mores Sacerdotio dignos deinceps induit.

Huic in animas beneficentiæ, adjecit & beneficentiam in corpora eorundem; quæ cum illo ab infantia, uti hactenus vidimus, crevisse dici potest. In hos stipem à potentioribus corrogatam liberalissimè dispertiebat, & integras non rarò familias sustentabat. Si verò nihil porrigendum adesset, detractam secretò corpori interiorem vestem seminudo pauperi aliquoties donavit. Aliàs leproso mendico nudo obvius indusium suum impertijt; quem constans fama est, eô inductô lepram exuisse. Certiùs adhuc est: 30. argenteos nummos egenti impertitos, ubi primùm pauperis manum attigere, in totidem aureos fuisse conversos. Novitiatum dum regeret, postulatus ab ægro quopiam per famulum aliquot mala aurea mitia, negavit hortulanus vel unum in horto id temporis autumnalis superesse. Ipse mente ad Deum paulisper erectâ, jubet nihilominus ea in arboribus quæri, Deum affore ut inveniantur. Hortulanus certus nullum superesse, adeóque frustrà quæsitum iri; paret tamen urgenti, & unicam arborem ostendit pomis adhuc gravidam, sed omnibus acerbis, quòd isto manè dulcia decerpta socijs in prandium dedisset. Sed jussus ex hac ipsa arbore nonnulla famulo dare, deprehendit omnia mitia & optimi saporis. Sive autem Collegio, sive Domui Professæ, quam ter gubernavit, præesset; seriò Janitori prohibebat ullum è mendicis vacuum dimitti, factâ plenissimâ illi potestate è penu auferendi, quidquid opus haberent. Et quidem in Domo Professa ex centum quibusque corrogatis aureis, 20. in pauperes denuò expendendos decerpebat. Cùm Provincialis Collegia inspecturus iter faceret, nunquam mendicum ullum obvium indonatum reliquit. Si æreus nummus deerat, dabat argenteum; si argenteus, aureum: & si nullus horum adesset, mantilia, strophia, indusia, cibum ori suo in mensa subtractum, quidquid demum in manus venisset. Fuit tamen nonnemo è socijs arctiore ipsi confidentiâ junctus, qui nimiam hanc in egenos profusionem (nam aliquando decem aureos ultimâ necessitate presso donâsse audiverat) exprobraret, & obæratum exhaustúmque Collegium (quod Neapoli tum administrabat) Successori relictum iri ominaretur; cui ille: *Nè metue: non ità res habebit, quin è contra ærarium augebimus, nec pecunia nobis deerit, neque debita; sed plura aureorum millia successori relinquemus; faciamus aliquid Dei causâ, & ipse plura faciet nostrâ.* Et ità planè evenit; ut Dei liberalitas cum ipsius largitate certare videretur, nunquam eum necessitate pressum opprimi patiendo. Ità cùm binis vicibus Domus Professa sub illo in extremam reda-

cta esset necessitatem, ut neque panis, neque ulla pecunia adesset; Deus, unde minimè expectabatur, centum repentè aureos submisit. Prodigiosiùs etiam Domui Probationis sub illo panem suppeditavit, cùm negligentiâ pistoris, sub ipsum tempus mensæ, pro 50. personis non plus panis, quàm pro 20. satiandis adesset. Jussit enim nihilominus horâ consvetâ ad prandium dari signum, & panem in omnes per frusta dividi: quô brevì absumptô, cùm alij atque alij plus panis deposcerent, ipse mensæ inserviens & huic & illi panem è corbe, in triclinio palàm locari solito, defert. Cellarius prodigio attonitus, qui probè noverat corbem panis vacuum esse, ut tamen rem certiùs exploret, corbem occupato alibi Vincentio accedit, & vacuum denique videt. Et tamen Rector iterum iterúmque ad eum accedens, panem omnibus deferebat in tanta copia, ùt à mensa reliquiæ panis istius collectæ, appositos initio panes amplitudine superaverint. Idem illi evenit in frumento, cujus cùm duo solùm modij essent residui, monitus de defectu illius à pistore, jussit ex eo panem pinsi, Deum enim in posterum provisurum. Eô consumptô rogatus unde frumentum petendum esset, quòd in granario nihil reliquum esset? ad idem granarium remisit, ibi inventurum semper quantum necesse haberet. Et revera eodem loco & mensurâ, quâ primùm invenerat, secundò & tertiò, donec tempus messis adesset, frumentum invenit. Porrò in largiendo nunquam attendere voluit aut inquirere, estò facilè rescire posset, veréne pauperes essent, an fictè egestatem prætenderent; allegans illud Apostoli: *Charitas omnia credit.* Imò Janitori quendam ejusmodi simulatorem deprehensum digito monstranti, svadentíque ut indonatum dimitteret, quòd insuper alijs importunior stipem exigeret, non acquievit: satìs sibi esse dicens, quòd Numinis gratiâ roganti tribueret: Christum enim, dum in pauperes benignitatem præciperet, non jussisse attendi veríne forent an ficti?

His alijsque modis in proximorum salutis animæ & corporis cura occupatum, DEUS ad universæ Societatis Præfecturam, in locum defuncti Mutij Vitellesci evexit. Cùm autem etiam ipse inter Electores à Provincia destinatus esset, clarè divinitùs cognovit, & passim omnibus valedicens edixit, Neapolim se ampliùs non rediturum, & Romæ paucis annis supervicturum. De supremo tamen Magistratu sibi conferendo nihildum divinitùs acceperat (revelatus tamen fuit aliquot visionibus Sacerdoti Vibonensi Julio, magnæ sanctitatis Ecclesiastico: utì & alteri Clerico Sacerdoti spectatæ virtutis Montisleonis in Calabria, & ex vero Rectori Collegij ibidem ab illo præsignificatus) ità tamen de Patre Francisco Piccolomini, quem disertè asseruit Generalem futurum, non tamen hâc electione: & factus est post quadriennium, suffectus ipsimet Vincentio demortuo. Electus primo statim scrutinio, multis efficacissimè onus deprecatus est: sed omnibus in sententia persistentibus, arbitrium nihilominus intimi sibi Patris Caroli Sangrij scripto expetijt, an illud tutâ conscientiâ, nullis ad id gerendum talentis instructus, acceptare, annon resignare obstringeretur? quem animi sui sensum alteri, non sinè miraculo Neapoli aperuit, prout ipse in testificatione jurejurando firmata hisce verbis asseruit: *Cùm Neapoli gravi morbo laborarem, nocte quâdam inter somnum sensi me proprio nomine appellari? & evigilans vidi Patrem Carafam, qui tunc ità mecum: Versor in munere quod refugiebam. nollem hìc esse, neque istic; DEUM pro me precare.* Postridie Neapolim Vincentium creatum esse Generalem Româ nuncius attulit, incredibili totius Urbis plausu, & festivo campanarum sono; à Ducibus verò Neoburgicis etiam tormentorum displosione domi celebratus. Verùm omnibus antecelluit Sodalitas Nobilium Equitum, quæ (ut nihil dicam de omnibus publicè datis applausibus) obtulit illi quod sciebat fore acceptissimum. Singuli scriptò consignavêre quæ pro felici ejus gubernatione præstituri essent; fueréque complura Sacrificiorum, synaxium, flagellationum, jejuniorum, precum millia: Nosocomiorum item famulares operæ, Eleemosynæ planè profusæ: ut crederes Equitum Sodalitatem, Vincentij operâ evasisse in familiam Religiosam. Hæc ille chirographa habebat pretiosissima, & permovendo ad sua postulata Numini, quoties difficiliora premerent negotia, in ejus conspectu expansa adducebat. Nihil hìc dicam de ejus sapientissima, & ad omnes Cæli leges exactissima gubernandi ratione, nè paginas impleam: peti hæc ex vita ejus per Bartoli scripta possunt: contentus strictìm paucula ex multis referre, quæ propiùs Zelum & charitatem in proximum attingunt. Dum præesset sive Societati universæ, sive Provinciæ, aut domicilijs particularibus, quoties è domesticis aliquis (nulla enim inter

ter eos faciebat distinctionem) quamvìs decumberet, non contentus diurnis eorum visitationibus, nocte qualibet, etiam frigidissimâ hyeme, lectulo consurgens singulos adibat, solaturus & morbi statum exploraturus, licèt hic duobus & tribus mensibus ægrum attineret. Morientibus autem aderat ad ultimum halitum, & juvabat in ultimo agone luctantes tum precibus, tum pijs inspirationibus. Valetudinarij Curatorem ad delicatiora coëmenda nummis identidem instruens, præcipiebat semper in his expendendis nè parcus esset, sed ad delicias usque (has enim ægrotantium necessitates vocabat) illos lautè haberet. Denique eâ charitate & materno prorsus amore, omniúmque necessariorum ad corporis & animæ salutem providentiâ, sanos æquè ac ægros habebat, ut sumpto jam sacro Viatico ægrè ampliùs loquentis, præter paucula alia, fuerint hæc ulima verba: semper se conatum, quantum fas esset, cuíque satisfacere & solatio esse.

Sed ut nihil illi consummatæ in proximum charitatis deesset, vitam etiam ipsam in eorum obsequium posuit. Pridem ille, ex quo ipsi negatis Indijs spes Martyrij præcisa fuit, desiderabat in obsequio pestiferorum vitam ponere, ad quod etiam ante complures annos voto se obstrinxit: cujus explendi facultas cùm nunquam eatenus obvenisset, in ipso tandem, mirum dictu! Generalis munere Romæ obtigit Anno 1649. quo ob sterilitatem summa fuit Annonæ per Italiam difficultas, & innumeri pauperes Romam tanquam ad commune asylum confluxêre. Sed cùm tantæ multitudini & eleemosynæ sufficientes, & ipsa hospitia recipiendæ deessent, plurimi in medijs plateis jacebant langvidi, miserijs ac fame enecti. Mittebat quidem principiò quosdam è Domo Professa Patres Fratrésque panibus & vino onustos refocillandis ijs, quibus vires deerant ad mendicandum: tum agitare sécum & cum alijs cœpit, quâ ratione omnium pauperum eâ calamitate in Urbe pascendorum curam sustinere posset. Quotquot consulebantur, negabant vel cogitationem prudenter de sustinenda tanta multitudine, & hospitijs providenda, in tanta Annonæ caritate concipi posse: ipse nihilominus altiore in DEUM fiduciâ erectus negotium aggredi statuit, centum aureis nescio unde acceptis ad dandum operi initium mox conversis: nihil dubitans DEUM aliorum corda excitaturum, ut quod ipse per penuriam suam inchoabat, corrogatis undique eleemosynis perficeretur. Itaque illis qui hospitio omni exclusi in plateis jacebant, horrea Collegij Romani in diversorium aptari, & lectos centenis plures instrui jubet: ac interim Assistentem Hispaniæ ad potentiores quosdam dimittit, subsidia in tantum támque pium opus rogaturum. Et primus illico ex opulentissimis Hispanus plus quàm sperabatur obtulit. Cardinalis Albornos septingentos aureos è vestigio addidit, & 10. vini dolia, promisítque collaturum bis mille aureos, imò quantum Vincentio petere placeret, estò omnis Palatij supellex divendenda foret: quibus accessit Cardinalis Dela Cueua, donatis quingentis ducatis. Ergo ex his panis, caro, farina, legumina &c. coëmuntur, omnésque per Urbem paupetes ad stipem dictam accipiendam in Calendas Apriles ad forum Sancti Marci Domui Professæ vicinum invitantur: quô repagulis conclusô, fæminæ cum infantibus & pueris à Viris separabantur. Antequam stipem acciperent, decantabant Litanias Lauretanas & alia pia carmina, præcentoribus nostris è Romano Collegio scholasticis vel Novitijs: ac tum eosdem audiebant necessaria ad Fidem & vitam Christianè instituendam docentes. Dabantur postmodum singulis panes bini in diem, jusculum cum frusto carnis, & aliqua vini portio, quæ dispertiebant ipsi Patres Assistentes, & illustriores è Collegio Romano cæterísque Societatis domicilijs Sacerdotes; & inprimis Generalis ipse, cui plus omnibus facessebant negotij importuni pauperes. Et quia adverterat mendicabulis hisce immixtos non paucos ex honestioribus, Sacerdotes etiam ac Religiosos; jussit deinceps his lautiùs & decorè pascendis in ampliore Domûs cubiculo parari triclinium centum ampliùs personis; dúmque vescerentur pium librum legi. Insuper observavit in tanta turba nullos propè adfuisse cæcos, aut mutilos claudósve; quare illicò hos totâ Urbe conquisitum misit: & paulò pòst adducti sunt 122. ac deinceps longè plures. Langvidis similiter & variè ægris stipem comparare impotentibus, quos intra Collegij horrea receperat, suus quotidie cibus & potus mittebatur, simul & Magistri Fidei & Virtutis: quos & ipse frequenter invisebat, cupedias quasdam ægris porrigebat, & quovis genere obsequij ministrabat. Excivit hæc charitas Præsules & Proceres haud pauculos pæne quotidie ad spectaculum, magno egentium lucro: submittebantur enim Vincentio currus pleni pa-

pane vinóque onusti, & clanculum per ignotos homines magna pecuniæ summa à diversis oblata ad continuationem eleemosynæ, tam sanctè ad animarum etiam refectionem penetrantis: in quam pariter Georgius Comes ab Herberstein Canonicus Ratisbonensis, Passaviensis & Wratislaviensis, in Collegio Germanico vivis tum excedens, insignem pecuniæ summam legavit. Ipsi quin adeò Judæi maximâ frequentiâ spectatum affluebant, & nonnulli ex ijs tantâ charitate commoti Christianam Fidem amplexi sunt: utì & Mahometanus quidam à Fide Christi per annos 40 obstinatus Apostata. Perstitit hæc quotidiana benignitas duos ipsos menses, & ad sequentem usque mensem eam perducere certum erat Vincentio, nisì tam bono ejus successu erectus Innocentius X. aliter, adjectâ etiam Pontificiâ munificentiâ providisset. Edixit enim ut mendici, peregrini, vagíque omnes per Urbem in Pontificium Lateranense Palatium concluderentur, cujus superior pars Valetudinarij locô ægris cederet, reliquum habitationi Virorum, fæminis autem vetera ædificia, *Loco dipietra* dictò adsita assignavit: totum autem negotium administrandum Vincentio commisit. Hic denos è socijs per ordinem sibi eodem semper numero successuros assignavit, partim è Patribus partim ex alijs etiam Tyronibus, qui continuè à primo manè usque ad vesperum adessent, animarum & corporum necessitatibus servituri. Irrepsit autem eodem cum mendicis morbus, qui inclusione tot corporum anhelitu & fætoribus auctus in contagiosum degeneravit, quô aliquot è socijs afflati vitam amiserunt. Adibat nihilominus locum Vincentius creberrimè quoties per negotia liceret, pœnitentes expiabat, & ultimis Sacramentis muniebat: deligebátque sordidissimos quosque & fœtidissimos quibus inserviret. Dum periculo amittendi tam sancti Capitis commoti Assistentes, hortati sunt ut vitæ, ex qua salus totius Ordinis penderet, parcitum vellet, ædésque à pestiferis parùm differentes expertæ fidei Curatoribus nostris committi satis haberet. Sed ille unicè his se delectari, & viribus etiam ad ferenda muneris sui onera instaurari reponebat: non videri fraudandum Generalem, continuis gravissimísq; negotijs distentum, tam optato, & sibi proficuo, ac pæne unico *laxamento*. Exemplum adesse in Claudio Aquaviva æquè Generali, qui perinde ægris & pauperibus per se se inserviens, successoribus suis exemplum dederit, & facultatem esse ostenderit idem faciendi. Cùm ergo nihil à suo hoc *oblectamento* remitteret, & persæpe totum diem inserviendo mendicabulis illis impenderet, solo pane, caseo & vino in prandium ipse contentus: accidit tandem ut morbo eodem fatali se correptum sentiret, ex quo paucis diebus decessit. Voluit nihilominus malo jam ictus primam Communionem generalem, quam indixerat, pauperculis omnibus impertiri: perrexítque eadem obsequia quoad potuit, ægris exhibere, in eos etiam angulos & cubicula penetrans, quo nemo alius absque remedio narium contra putidissimum fætorem ingredi poterat; offerentem autem sibi pomum aureum ad odorandum, rejecit cum dicto, *non fætor, sed Paradisi odor est iste.* Postremum charitatis opus Vincentij fuit, quo centum aureos ad ornandum Sancti Ignatij sacellum à quodam nostro dicatos, in vestitum illorum, qui sanitate receptâ è Lazareto isto dimittebantur (cui necessitati nihil aliunde assignatum erat) impendendos destinavit.

Semper Vincentius mortem in præcipuis votis habebat, ut corpore dissolutus, esset cum CHRISTO, invidebátque decedentibus, beatam sortem illorum prædicans. Quoties morbo laboraret, gestiebat gaudio, si hic augeretur, mœrore tabescebat si remitteret: & ad quælibet mortis pericula exultabat, januas beatitatis illa solitus interpretari. Laborabat ille multis annis tibiâ ex ulcere tabescente, unde gangrænæ adeóque mortis periculum sæpiùs timebatur: rogatus ut Cæli Reginæ pro ejus valetudine votum faceret, *avertat DEUS*, respondit, *nunquam sanitatis gratiâ votum concipiam.* Itaque malo fatali, febre malignâ ictum se sentiens, continere præ lætitia animum non poterat, quin per indicia forìs se proderet: cúmque suspiraret identidem, rogatus ecquid malè haberet? num quâ re indigeret? nullâ, respondit, *neque ista suspiria dolor, sed consolatio exprimit.* Nihil unquam durante morbo expetijt, nè quidem levando æstui ad proluendas fauces fontanam; nihil à Medicis porrectum, quamlibet adversum, gravatè sumpsit: unicè expetens solus relinqui, ut paucas illas vitæ horas cum solo DEO agendo expenderet, oculis semper in CHRISTI Cruci affixi Imaginem, vel Beatissimæ Virginis defixus. Sub vitæ finem cùm mente aberraret, quod & Sancto Xaverio accidisse legimus, sermo illi tamen omnis de rebus divinis, atque ad Societatis regimen spectantibus:

bus: & cùm antè Sanctam Eucharistiam quotidie perciperet, præsagus turbandæ sibi mentis, etiam in Viaticum illâ refici voluit. Acceptáque à Pontifice supremâ cum Indulgentijs per Italiæ Assistentem benedictione, ipse pariter Universæ Societati bene precatus, & pauca deinceps prolocutus est. Donec Junij 8. ægritudinis verò undecimo die, Anno 1649. ætatis 64. inter suorum lachrymas, precésque totius Romæ degentis Societatis, mortem placidissimè oppetijt. A morte certatim expetita, & ad cultum distracta quæ illius erant omnia, etiam minima. Neapolitanæ Urbi cor ejus donatum; quæ etiam magnificentissimè illi tanquam Civi & Patri suo parentavit. Quo dolore quantáve sanctitatis ejus existimatione mors illius ubique à summis etiam Principibus, & utriusque statûs Proceribus accepta sit, explicari paucis non potest. Fuêre qui conscientiæ ducebant, inter quos Monopolitanus Episcopus, Missam mortualem pro Defuncto dicere, igitur de Sanctissima TRINITATE in gratiarum actionem sacrificium obtulit & privatim domi; & publicè ad funebre officium in templum invitatus.

Quia verò tam fervidus in salutem proximorum Zelus, & defæcata ab omni terreno lucro charitas, ingentem solidarum virtutum apparatum ejus animo insitum fuisse arguit, unde veluti ex fonte in aliorum etiam commoda foras diffluxerint: paucis, quoad in tanta earum redundantia fieri potest, aliquas perstringamus. Atque in primis charitas in DEUM, cujus imperio, impulsibus & auspicijs altera in proximum agitur, assiduè in ejus corde flagravit, nullis negotijs & actionibus externis impediri se passa, quemadmodum corporis respiratio. Siquidem à pueritia mentem assveverit DEUM ubique habere præsentem, quem in medijs etiam colloquijs suspirabat, non sinè crebro anhelitu vel gemitu: Itaque nonnunquam in congressibus ejusmodi abripiebatur, ut ei ad se & colloquentes revocando, vellicandum corpus aut vestis esset. Fatebatur certè nullam hac in vita voluptatem aliunde haurire se posse, quàm ex re ob DEI gratiam & amorem peracta; & nisì solatium hoc ex DEI amore suppeteret, vitam sibi morte ipsâ duriorem fore. Fuit qui in colloquio de peste diceret, illam sibi Cæli æstatem videri, quòd ejus terrore perculsis etiam salutis suæ alioquin obliviosis, copiosissima Cæli horreis messis inferatur: Mortem nihilominus ejusmodi perhorridam esse, quòd omni solatio etiam intimorum & præsentiâ in solitudine destitueretur. At Vincentius ex eo vel maximè optabilem defendit: *præ omnibus enim maximè expetendum esse ab omnibus & quoad omnia destitui, ut in ea solatij cujusvis inopia DEUM unicum inveniant, in illo omnia.* Itaque mentem ab omni creatura abstractam ità in unum solum DEUM colligendam, cui omnis pulchritudo per creaturas sparsim distracta longè nobiliori inesset modo, esse dicebat; velut si præter DEUM nihil omnino existeret, quemadmodum ante Orbem conditum: ità enim omnem amorem nostrum soli illi adhæsurum, quò etiam incredibili gaudio subinde exclamabat, *DEUS & ego, DEUS & ego!* Imò neque hìc sistendum ratus, ità amandum censebat DEUM, quasi neque nos in rerum natura extaremus, solúsque ille posset & deberet amari, aliud verò nihil nisì propter illum, & in quantum ipsi tanquam fonti omnium perfectiùs inesset. Indè si cuipiam favoris aliquid aut beneficij fecisset, vel à tribunalibus obtinuisset, molestè ferebat si gratiæ sibi rependerentur: si verò merces aliqua donúmve offerretur, planè ad benefaciendum refrigescebat: sentiens malè pensari ab hominibus, quod soli DEO fuerit præstitum. Atque huc creberrimè illud Sancti Ignatij cum intimo animi sensu & jubilo sibi occinebat: *amorem solùm tuum mihi dones, & dives sum satis:* ultima præsertim verba ingeminans, *dives sum satis, dives sum satis!* Unicum ex innumeris exemplum afferam. Postquam, Dæmone auctore, templum nostrum Neapoli, (prout retulimus) cum omni ditissimo apparatu conflagrâsset, miseratus infelicem casum Pro-Rex, ut subsidio aliquo mœrorem Vincentij solaretur, copiam illi fecit eximendi è carcere prædivitis Rei, ad redemptionem criminis non minùs quatuor millibus aureorum, Templo reparando obventuris, mulctandi. Gratias quidem egit Pater pro tanta munificentia, sed pro eximendo vinculis homine nè verbum: donec Pro-Rege Calendis Januarij templum ingresso, ultróque mentionem de rei eliberatione cum tanto templi lucro ingerente, *quando Excellentia tua*, subjecit, *aliquem reum donare dignatur, huncpeto:* & pauperrimum quendam nominavit, à quo nè teruncius sperari poterat. Pro-Rex tam heroicâ charitate delectatus, quam nullâ mercede Vincentius pensari sustineret, miserum eô ipso die liberum illi transmisit: qui tamen maluisset illum ad suos, ut neque liberatorem suum nôsset, domum remitti,

 nè

nè gratias etiam ab illo reciperet. Atque hæc illi ratio fuit tantopere mortem expetendi, ùt impedimentis omnibus exutus animus puro amore in ſolum DEUM ferretur, qui inter tot creaturarum hìc avocamenta non nisì vi ſibi viam facere per phantaſmatum nubila ad illum, eúmque caligini ſemper immiſtum cogeretur. DEI amorem in colloquijs omnibus habebat in ore, hunc in Exhortationibus potiſſimùm imprimebat, de quo & librum, Seraphim à ſe vocatum, conſcripſit.

Secundùm DEUM maximo amore ferebatur in Jeſum, communione aſſumptæ carnis factum nobis cognatum, cui adſint omnes amandi cauſæ, ſummáque jura omnia. Ad ejus Nominis prolationem ſolam totus vultu hilareſcebat, ac veluti abſorbebatur: ex quo, potiſſimùm in ejus Natalis pervigilio eundem amabiliſſimi puelli miro fulgore radiantis ſpecie, brachijs & ſinu exceperat, ùt teſtatus eſt, qui vidit. In Sanctiſſimo Sacramento quoties hunc intueretur, peribat quodammodo ſibi ipſi, ut aliud nihil adverteret vel ſentiret: quocirca fulmine quondam juxta ſe ante Evchariſtiam ſupplicantem terræ alliſo, fragorem non ſenſit, velut audiendi videndíque facultate deſtitutus. Quot diebus adibat illam ſæpiùs adoraturus: cúmque Generalis Præfecturam gereret, noctu ſinè lumine accedebat, extra conſpectum rerum ſenſibilium, Domino ſuo fruiturus. Prodebat autem ſe maximè flagrantia hæc amoris tempore Sacrificij, præcipuè ſub conſecrationem & ſynaxim, ſiquidem incredibili aviditate ſugebat lambebátque è Calice CHRISTI ſangvinem, ut os lateri ejus aperto imerſiſſe,illius corde ſe paſcere dixiſſes: Quo tempore tota facies ardere, & oculi lacrymas, velut aggere rupto, maximâ copiâ effundere ſolebant. Hinc ab Altari nonnisì quadam vi ſe abſtrahebat: & quia neceſſariò ſacrificij tempus plerumque excedebat, ut liberiùs & prolixiùs Divinis influxibus ſe permittere liceret, litabat non raró in privato domi Sacello. Quare nihil mirum, ſi quamlibet irreverentiam in præſentia Evchariſtiæ intolerabilem duceret. Conſveverant Nobiles aliqui, prout hodie propè ſolùm Nobilitatis aliquorum Juvenum ſpecimen eſt, procacitatem & laſciviam in templis oſtentare & exiſtimationem ex DEI contemptu captare; ſolebant, inquam, per templum noſtrum inambulare, conſiſtere, fabulari, quin & propudioſis oculis in puellas rei Divinæ intentas fixè liberéque, ùt in medio foro, evagari. Vincentius ut primùm adminiſtrationem Sodalitij Nobilium ſuſcepit, totus in abuſum hunc extirpandum incubuit, & donec plenè ſublatum cerneret, nunquam in ejus Conventibus Sanctam Evchariſtiam exponi paſſus eſt: at ubi voti ſe compotem ſenſit, morem hunc illico in Oratorium Cætûs induxit, eò ſucceſſu, utAngelorum inſtar acCæliProcerum, Regi ſæculorum immortali univerſi Nobiles ſe ſiſterent. Infeliciùs actum eſt cum Juvene protervo, proſapiâ quàm moribus nobiliore; frequentabat hìc templum noſtrum diebus præſertim ſolennioribus, tam protervâ impudentiâ, impudicos ut amores propalàm cum inſigni populi offenſione tractaret. Non dubitavit Vincentius ſimiliter in omnium conſpectu palàm illum in templo accedere, & amicè paternéque arguere: ſed monitionem inſolenter contemnenti, divino quodam ſpiritu impulſus, vindictam à DEO citiùs quàm opinaretur illi impendere prædixit. Necdum annus abierat, cùm miſer Adoleſcens inflictâ punctim plagâ interijt, ſinè ullo Sacramentorum adminiculo. Par fuit erga CHRISTI cruciatus affectus; quorum memoria nè unquam excideret, diu ſuper nudo pectore geſtavit, ſed ſinè Cruce ſignum ejus ex illa pendentis ſive quòd Crucis loco cor ſuum illi fieri vellet; ſive ut majorem moleſtiam indè ſentiret. Nullum etiam exiſtimabat potentius eſſe incitamentum ad heroicam virtutem, & voluntarias, dum aliunde non inferrentur, pœnas, exemplo paſſi Salvatoris: ut ſi etiam citra illius doloris tolerantiam Cælum obtineri poſſet, pudore tamen dignum eſſe, integrum & plagis intactum illuc recipi velle, cùm CHRISTUS ſuas eò intulerit; æternùm indè percepturus ſolatium,ſi & in nobis ex ſui imitatione plagarum veſtigia intueatur. Huc ille libellum qui *faſciculus Myrrhæ* inſcribitur, evulgavit; huc *Coronæ quinq; vulnerum CHRISTI* uſum toto Orbe per ſocios propagavit, quam & Pontifex Paulus V. identidem evolvendam de cingulo geſtabat.

Amori in Divinum Filium junxit amorem in magnam Matrem, quo nomine eam vocare ſolebat. Cujus honori præter Sabbatina & pridiana ejus feſtorum jejunia, ceteráque quibus à puero inſveverat pietatis exercitia, ſepties quotidie curvatis genibus dicebat hanc precaciunculam: *ô Domina mea S. MARIA me in tuam benedictam fidem &c.* quoties item poſſet, omnibus ejus pervigilijs publicum prandium egentibus manu ſuâ di-

ſtri-

ſtribuebat: neque aliter ſe quàm illius mancipium vocabat & habebat. Et quia ſinceri amoris eſt non tantùm honori, quem amas, augendo ſtudere; ſed & dedecus ac injuriam quamlibet procul avertere: dum præeſſet Domui Profeſſæ Neapoli, reſcivit quendam nefarium ganeonem amiſſo chartarum luſu omni peculio, deſperabundum ipſas chartas inter ſacrilegas voces in faciem Virginis Matris conjeciſſe: incredibili dolore percitus Vincentius, ut tantum in Magnam Matrem admiſſum reſarciat flagitium, ante omnia gurguſtium illud luſorium, ubi id acciderat, parato ære coëmit, & in ædiculam Divæ Virginis convertit: tum per Concionatorem Urbem totam ad generalem ſupplicationem illuc deducendam invitat; & in ea Imaginem impiè habitam, at jam ſumptuoſiſſimè ornatam deferri, ibidémque decentiſſimè ſuper ara reponi curat: ac demum collectam in cumulum magnam alearum, chartarum, & id genus tabularum luſoriarum copiam, ubi priùs Eccleſiaſtes acriter in luſus & eorum damna detonuiſſet, igne ſuppoſito publicè concremat. Nec paſſa eſt gratiarum Mater beneficentiam ſuam ab obſequijs Vincentij ſuperari, ad quam fatebatur nunquam irritas preces ſe fudiſſe. Incidit in ægritudinem primis, quibus Cætui Nobilium præfuit, annis; & jam Medicorum ſententiâ à morte non longè aberat: cùm precanti apparens Deipara optionem illi fecit vitæ aut mortis. Sed ille in arbitrium Virginis electionem reſignans, ad utrumque paratum ſe obtulit, quod nihil in vita ſe retinere poſſet, niſi quòd ejus Sodalitatem Nobilium necdum in plenum fervorem reſtituiſſet. Itaque valetudini per Virginem edditus, ejuſdem auſpicijs, & ipſe vigori ſuo ſodalitium reſtituit. Viſionem hanc ipſe confidenti cuidam fratri aperuit, faſſus inſuper, ſæpiùs ſe ejuſmodi Deiparæ viſitationibus perfrui. Neque id mirum, quando ipſe Filius DEI Viro Cæleſtibus viſis illuſtri cum Sanctiſſima Matre apparens, auditus eſt Vincentium illi tanquam ſibi acceptiſſimum commendare, ex eo etiam, quòd Virgineo ipſius cultui addictiſſimus eſſet.

Nihil Viro Apoſtolico ad proximorum curam accedenti magìs ferè neceſſarium eſt, quàm plena ſui abnegatio, contemptus, & ſub omnium pedes ſincera abjectio; quæ in Vincentio tanta fuit, ut ſe viliſſimum omnium & peſſimum ex corde ſentiret; & indignum cui quidquam boni à DEO vel hominibus exhiberetur; ſtuperétque à DEO ſe tamdiu in vivis ſuſtineri, & pridem ad Orci tenebras non fuiſſe abjectum. Indè fiebat ut non niſì viliſſima quæ domi erant pro ſe admitteret, & operam ſuam Coquo, etiam dum Provinciam & Societatem regeret, ad infima Culinæ obſequia addiceret: ipsíſque cæmentarijs murum domûs, cui tunc præerat, ad plateam excitantibus, lapides, cæmentum, arenam comportaret. Quotdiebus Sabbatinis templum per plures annos apertis janùis, capite nudato verrebat: imò & furtivè domeſticorum cellas, quin & ſtabulum, ſordéſque manibus nudis efferebat. Princeps mulier Neapoli genuinam Vincentij effigiem deſiderabat, & Antonius Riccius pictor negotium ſuſcepit, dum ille audiendis ad ſacrum tribunal reis aſſideret. Sed brevì humillimus Vir dolum advertit: quem, manu & ſtrophio faciem contegens, eluſit. Pictor loco ſecuriore, ubi obſervari à Patre nequiret, proviſo, ſimulat ſe templo egredi; & mox eodem regreſſus, opus ad votum inobſervatus conficit. Domum redux imaginem armario includit, clavémque penes ſe retinet: dúmque poſtridie manè illud reſerat, nihil in imagine expictum præter veſtem & pileum deprehendit, facies integrè diſparuit, neque colore neque ullo lineamento ſuperſtite. Facilè advertit Riccius lituram hanc ab humilitate Vincentij divinitus picturæ inductam; cum quo amicè expoſtulans, ſenos ſibi ab eo deberi aureos ſubridens queritur, quos pro effigie pingenda cum Principe illa pactus erat. Et reparavit quidem damnum copioſè Vincentius, ejus arte uſus ad exornandum elegantiſſimis picturis Equitum Oratorium: adjecítque auctarij vice pretioſiſſimum monitum, impoſterum ut magìs gratiæ Divinæ augendæ ſtuderet, parùm enim vitæ illi ſupereſſe: & omnino eodem vaticinij accepti anno deceſſit. Quoties animo ſuo occurrebat ſervum ſe per vota Religioſa eſſe DEI, tanti eam dignitatem faciebat, ut vile duceret, & intimo pudore afficeretur, filium Ducis ſe recordari, quaſi tantundem ſibi de prærogativa ſervi DEI decerperetur, quantùm Natalium ſplendor humanæ æſtimationis in ſe refunderet. Nepotem ſuum ob rectam indolem ceteámque ad omnem virtutem audiens à Noſtris quibusdam commendari, quòd natus ad Inſtitutum Societatis videretur, ſubjecit, ſibi ſanè in votis eſſe, ut in numerum Laicorum Societatis JESU Fratrum reciperetur; hunc enim ſtatum & pro ſe aliquando expetijſſe, quòd hic genio & naturæ ſuæ ſuorúmque eſſet maximè accommodatus.

Humilitati proximè accedit, æquè Viro Apoſtolico neceſſarius, multa patiendi pro DEO ardor & deſiderium, quæ ità per omnem vitam illi affluebant, vel etiam ſpontè accerſebantur, ut adverſis ſaginari videretur. Nihil ille ardentiùs magíſque aſſiduè petebat à DEO, quàm dolorum CHRISTI Crucifixi communionem, quibus illi quàm maximè aſſimilaretur: *Sic enim mecum reputo*, fatebatur ipſe, *quantum mihi amandus eſt DEUS, tantopere mihi ipſe odio habendus ſum, & frangendus affligendúſque omni genere cruciamentorum animæ & corporis.* Et quia Crucem ſecretam potiſſimùm & alijs inviſam à DEO petebat, ut etiam ſolatio ex aliorum condolentia careret, conceſſit hanc illi DEUS perpetuam ab ipſo ingreſſu Societatis uſque ad mortem, ut cùm in ſæculo optimarum eſſet virium, in Religione nunquam eſſet ſano abſque acerbiſſimis doloribus corpore. Hoc enim illi à cingulo deorſum per pedes quaſi glacie rigens, tanto algore ſemper premebatur, acſi mediâ hyeme gelanti fluvio immerſum eſſet, ut familiaribus ſubinde diceret ad meditandas Inferni pœnas non aliud quàm frigus ſuum ſibi proponendum eſſe. Nec meminerat tibias unquam, ex quo malo affectæ erant, recalefactas nisì ſemel fuiſſe, quando inter Veſuvij incendia per cineres ſpumáſque adhuc bullientes, ad opem miſeris ex incendio elapſis ferendam, campos illos percurſabat. Atque hoc quidem frigus principiò hebetem illum penitus effecerat, impotémque omnium corporis & mentis actionum: Sed ipſe impetravit à DEO, ut uſum quidem & vires utriuſque ad quoſvis labores reciperet, aſſiduis tamen cruciatibus nihil decederet. Cùm verò temporis lapſu, pedum alter in atrocem illi atque incurabilem deinceps plagam hiaret, in maximis eam DEI beneficijs numerabat, quoties præſertim ad avertendum gangrænæ periculum oportebat vel vivam carnem incidi, vel pulverem exedendi vi præditum inſpergi: tum verò velut ad optatiſſimas cupedias gaudio exultabat, & noctes quas doloris acerbitas inſomnes illi reddebat, Paradiſi noctes appellabat. His tamen maximè exſatiatus, ſpontaneas aſſumebat pœnas omnino atroces, jejunia pænè continua, & perpetuam ab omni eo quod palato arridebat abſtinentiam, ut neque auratum citrinúmve pomum (quo nihil in Italia communius) deguſtaret, nec perſvaderi in graviſſima ægritudine poſſet ad unum ſacchari roſati cochlear ſumendum. Frequenter & graviter ex dentibus laborabat, quod ſibi maximè gratulabatur, tum quia cibum mandi, tum quia multùm ſumi dolor non ſineret: nec unquam alium facilioris molituræ, quàm omnibus communem, cibum admiſit. Nunquam appoſitas in menſa herbas vel lactucas ſale aceto vel oleo condivit, ſed ùt ex horto crudæ venerunt, ſumebat. Nunquam non ante alios è lecto ſurgebat, quem modicum in nudo perſæpe aſſere, humi: vel ſuper ligni fragmenta culcitræ inſtrata capiebat: poſtquam noctibus omnino ſingulis flagellationem uſque ad ſangvinem præmiſiſſet; ut tandem ſtupefactâ carne, vix ullum aliquâ parte corporis è flagris etiam ære ferróque intertextis dolorem ſentiret. Quare infigebat corpori calcaria & acuminatas rotulas, ciliciúmque inſtar laxioris tunicæ, pilis aſperrimis ad genua uſque contextum, itáque horridum, ut robuſtus quidam è ſocijs illud piè experiri volens, per dimidium horæ citra deliquium ſuſtinere nequiverit. In lavanda ſupellectili triclinij & culinæ (qui frequentiſſimus ei etiam Generali labor erat) aquam adhibebat ità fervidam, ut nullius alterius manus ferre illam vel obiter poſſet.

Præcipua virtus, quam Sanctus Ignatius in Viro Apoſtolico requirit, eſt; ut is DEO quàm maximè ſemper conjunctus ſit, velut inſtrumentum cauſæ moventi & agenti. Id totâ vitâ tam conſtanter Vincentius præſtitit, ut hæc ex vero dici poſſit continua fuiſſe oratio, & DEI ubique ſibi præſentis contemplatio. Neque huic ad plures etiam horas intentiſſimè de genibus producendæ quidquam officiebant tot corporis emaciati ægritudines & dolores: quin etiam dum morbo aliquo proſtratus langveret, reperiebatur in oratione genibus nitens, tantâ firmitate, ut è profundo contemplationis ad ſenſus revocando, opus eſſet eum concutere. Indè dicere ſolebat, *Carnem ſuam nec ſibi prodeſſe ſanam, nec ægram obeſſe*: Orationem appellans, *negotium in otio, & otium in negotio.* Siquis verò negotio urgente eum Orationis tempore, aut mox ab ejus fine interpellabat, non ſufficiebat eum compellare, ut quid proponeretur intelligeret, ſed opus erat eum trahere & agitare, & ipſe frontem manu perfricabat, ut mens à Cæli delicijs tandem avulſa humanis attendere poſſet. Faſſus quandoque, tranſitum hunc à Divinis ad humana morti moleſtiâ parem videri, & poſſe eſſe lethalē, veluti ſi quis è Cælo in triſtiſſimam ſolitudinem dejiceretur: ſi verò ſub Oratione caſu aliquo egre-

egredi cogebatur, uſque adeò inflammatus apparebat, ut è fornace ardenti vel incendio venire videretur. Sæpiùs repertus eſt à Janitoribus, urgente causâ cubiculum ſub Orationem ingreſſis, Excitatoribus & Viſitatoribus, in medio cubiculi ùt erat genibus flexis à terra elevatus, & modò facie totâ, modò integro corpore ſplendoribus coruſcus, quibus totum conclave illuſtrabatur. Atque hoc DEUM ardenter & conſtanter orandi ſtudium, ad inſignes & copioſas animarum converſationes adeò ſentiebat eſſe neceſſarium, ùt proverbij inſtar illi fuerit effatum iſtud: ad reducendos peccatores & lucrandas DEO animas, aptior eſt bonus Orator, quàm diſertus Concionator (Oratorem vocans Virum orationi deditum.)

Tam excellentes Vincentij virtutes & merita, iñocentiam præſertim vitæ ab omni peccati umbra abhorrentem, placuit DEO varijs prodigijs in vita & à morte illuſtrare. Nam cùm in omni vita caſtimoniæ ſtudioſiſſimus eſſet, remuneratus illum DEUS eſt tam rarô Angelicæ virtutis donô, ut non modò omnis tentationis expers innocentiam Virginalem, quam natus Mundo intulerat, moriens extulerit, ſed etiam ſolus aſpectus, imò & res ipſæ uſu illius vel contactu velut conſecratæ, vim contraxerint genium impuritatis fugandi. Certè chirographum ipſius, & togæ laciniam ſuper corde voluptatis pruritu concitato locatam, nefandos ſimul motus compoſuiſſe, ſimul fœdas animo ſuo nubes diſcuſſiſſe plures teſtati ſunt. Virgo Religioſa & puritatis omnimodæ ſtudioſiſſima, biduum integrum aſſiduâ vehementíque die & nocte libidinis tentatione percita, cùm nec acri & crebrâ flagellatione ac cilicio, neque jejunio & utriuſque noctis vigiliâ flammas extingveret, ſed magìs in horas exardeſcere ſentiret: tandem recordata, penes ſe habere Vincentij chirographum, continuò arripit, fidentérque pectori, invocatâ DEI per merita Sancti Patris ope, apponit ſtatímque illecebroſo igne penitus extincto turpes animo imagines evaneſcunt. Nec diſpar fuit ſacerdotis alicujus curatio, qui fortiùs graviúſque continentes dies noctéſque inteſtinis naturæ rebellis prælijs vexatus, propè ad deditionem adigebatur: cùm altiore impulſus inſtinctu veterem Vincentij amictum induit, ſimúlque naturam Venereis armis, pace momento recuperatâ, exuit. Admirabilior etiam fuit & efficacior contactus Epiſtolæ Vincentij, cordi juvenis moribundi admotæ. Hic lethaliter decumbens quidquid de confeſſione & pœnitudine à ſuis, de damnatione æternùm certò ſecutura à Sacerdote è Collegio advocato moneretur, aliud non reſpondebat, quàm ut muliercula, cui ſceleratè aſſueverat, ſibi in cubile afferretur. Ergo ſacerdos comperto non eſſe opis & artis ſuæ tam deſperatam animi peſtem curare, domum recurrit, & Epiſtolam Vincentij manu conſcriptam ſecum referens, pectori hominis perditi admovet. Mirum dictu! veluti momento in aliud lapideo corde Juvenis im̃utato, cœpit omnia alia cogitare & loqui, in lachrymas & doloris ſingultus ſolvi, confeſſione flagitia diluere, tantâ pœnitudine, ut Pater opus habuerit (nè in diffidentiã deſciſceret) moderari vehementiã vitam priorem deteſtantis, propoſitâ Numinis certâ in peccatores omnes miſericordiâ. Jam ut ex alijs in̄umeris prodigijs & vaticinijs paucula, juramentis de more apud Inquiſitores legitimè firmata, carptim attingam, Donatus Perillus ex numero Sodalium Vincentij in febrim contagioſam iteratò lapſus, Vincentium evocârat: ſed cùm veniſſet, æger interim viſum & loquelam amiſerat. Agnitus tamen ex voce, ægrum in ſpem erectum jubet Beatiſſimæ Matri Sodalitij Patronæ ſe commendet, pauxillóque Mannæ Sancti Nicolai ei impertitus, ſuper corde crucis ſignum format: atque in digreſſu hæc ipſa certi vaticinij verba profatur; *die Dominicâ* (erat autem tum feria ſecunda) *ad Sodalitatem veni*. Vix egreſſo Vincentio febris è veſtigio exterminatur, æger cibum petit, & valetudo 6. diebus ità confirmatur, ut Donatus ad Sodalitium Dominicâ pedes accedere potuerit. Currum tritico onuſtum portæ Collegij invehebat famulus domeſticus, & non obſervatis veteribus rotarum veſtigijs in ſaxum prominens ità impegit, ut curru everſo temo pectori Aurigæ graviter impactus muro illum alliſerit, ex qua compreſſione vim magnam ſangvinis ore ejectabat. Accurrit inter alios ad opem Vincentius, temonem ab ejus pectore celerrimè excutit, ſignatáque cruce læſi corporis parte manu apprehendit, eamus, jubens, ad Veſperas, quæ tum penitus in templo canebantur. Ità momento redijt ad ſe, ſanúſque & integer ad Veſperas præeuntem ſecutus eſt. In vicinia ſacelli, quod ad Catecheſim faciendam Vincentius Neapoli delegerat, quatuor aliquando de trivio Juvenes ad luſum foliorum conſederant, quorum jurgia & juramenta cùm in ſacello reſonarent, miſſo ad eos ſocio rogari fecit, ludo id temporis ut abſtinerent, vel certè ad remo-

motiora transferrent. Sed monitis ſocij petulanter obſtrepentes accedit ipſe, idémque ore blandidiſſimo ſvadet & rogat. Tacentibus reliquis unus procacior varia DEI ſervo impudenter exprobrat: in quem ipſe defixis oculis divino afflatus ſpiritu. *Non hæc*, ait, *talia mihi loqueris poſt octiduum. Conſule animæ tuæ: & ſcito DEUM feſtos dies indixiſſe non luſibus, ſed ut terrenis negotijs expediti DEI honori vacemus & ſaluti.* Biduò pòſt inſolens ille morbo corripitur tam acri, ut ipſo illius veſpere auguratus ſit Medicus fore ſupremum, & Confeſſarium evocari ſvaſerit: à quo ritè abſolutus, & puellæ quâ triennio abuſus fuerat, ad ſervandam ejuſdem honeſtatem matrimonio copulatus, tertio morbi die feriâ ſextâ mortuus eſt. Nobilem Virginem Beatricem Fontanaroſam, Nobili item Neapolitano Scipioni Barillo Parentes deſponderant, nec aliud ſupererat quàm ut nuptiæ celebrarentur: id cùm gratulabundæ Patri, tanquam utrique familiæ addicto, referrent earum duæ Cognatæ, aliquantiſper animum colligens, ſubjecit, *quis novit, quid eâ ſponsâ fieri ſuperis placitum ſit?* quo Patris reſponſo turbatis earum animis, addidit ſubridens, *Beatrix Sponſa erit JESU CHRISTI.* Cúmque altera jocari illum ex riſu notato argueret: *Non jocor*, inquit, *Veſtra Dominatio paret ſe ad excipiendum velut è DEI manu quidquid eventurum eſt, nec dubitet id omne ex ipſius gloria, réque noſtrâ fore.* Pauci interceſsêre dies cùm puella caſu prolapſa ex gradibus, accepto in capite vulnere fidem vaticinio fecit, atque ex eo non bene curata quadrageſimo pòſt die deceſſit: hoc illi encomium dante Vincentio; *fuiſſe Virginem tantâ vitæ innocentiâ, ùt Mundus eâ potiri non mereretur.* Pater Philippus Rocca deſtinatione Provincialis debebat aliò Româ demigrare, ſed quia ſequebatur Annus Jubilæus, ſpectandæ illius celebritatis deſiderio inducias à Vincentio tunc Generali expetijt: qui tantiſper meditabundus hærens, demum copiam remanendi indulſit hiſce verbis: *R. V. Romæ manebit, ſed annum ſanctum non videbit*: Anxium habuit Patrem perplexitas reſponſi: ſed paucis diebus inopina ſuperveniens febris eam diſſolvit, & Pater certus ſibi è vita migrandum, ſtatim à morbi principio rebus animæ proſpexit, deceſsítque pòſt brevì Romæ in Collegio Germanico. Neapoli plauſtrum lignis onuſtum pueri ſub illud prolapſi ventrem rotis obtriverat, ſine ſenſu, voce & halitu jacentem, & omnium judicio mortuum: ſorte bonâ tranſibat illac Pater, & apprehensâ oppreſſi manu, Matrem pueri cladem lamentantem alloquitur; *Soror mea, flere deſine, nam filius mortuus non eſt, ſed vivus & ſanus: grates habe Deiparæ cui hanc gratiam debes*; ſimúlque puerum vegetum & plenè ſanum illi tradit. Perilluſtri proſapiâ Collegij Anglicani Romæ Alumnus Guilielmus nomine, periculosâ febri laborans, repentè Vincentium tunc Generalem lectulo ſuo vultu lætiſſimo adſtantem vidit, qui aliquamdiu tacitus demum ex ægro quæſivit, viveréne an mori mallet? ſed vitam (ſi tamen gloriæ DEI utilior futura eſſet) præoptanti, hæc ſola verba prolocutus, *ità eſt*, evanuit. Ex quibus licèt nihil certi colligi poſſet, ex hilaritate tamen vultûs Vincentij certùm habebat Guilielmus, & omnibus aſſeverabat ſe conſanandum; quamvìs indies malum, & accedentibus novis ſtomachi doloribus uſque ad delirium ingraveſceret, ac noctem vix ſupervicturus crederetur. Sed ipſe recuperandæ valetudinis certus unicè preces Vincentij per ſocios, qui moribundum identidem è domo Profeſſa inviſebant, depoſcebat. Spopondit is manè ſequenti, quòd noctem illi fatalem creditam excipiebat, ſacrum facturum: & Guilielmus eô ipsô liber à febri, delirio, & cholicæ doloribus, ſanitatem recepit. Neque paucis ad extrema jam deductis ſolâ perbrevi precatione, & crucis efformato ſigno, repentè vitam & valetudinem reſtituit: ità Patri Paulo Billi, Medicorum judicio Romæ jam depoſito: Franciſcæ Porporæ ſenſuum jam experti, & Sacramentis ad ultimam luctam munitæ, ut die ſequenti (Paſchatis Dominica erat) in templo Divinis adeſſe potuerit. Quo tempore Neapolis Regnum inteſtino bello ardebat, Vincentius Romæ jam Generalis quà precibus & lachrymis, quà voluntarijs cruciatibus vindicem DEI manum avertere conatus, quoties de illo funeſta nuncia advenirent, funeſtiora adhuc expectanda eſſe triſtis aſſeverabat. Sed die quodam, quo omnium triſtiſſima, & omnis ſpes pacificationis extincta nunciabantur, colloquenti ſecum Secretario Societatis, hilari & geſtiente contra morem ſuum vultu aſſeruit, tumultus illos brevì ſedandos. Reponente Secretario, atqui nunciari Neapoli nunquam res longiùs à compoſitione abfuiſſe? iterum ac tertiò, brevì eſſe ſedandas affirmavit. Nec dubitavit Secretarius certitudinem hanc è Cælo Vincentium hauſiſſe, quam & ipſe pluribus alijs, tacito tamen auctore à quo hauſerat, impertijt. Nec ità multò pòſt adve-

nêre

nêre Curſores Sancitæ pacis nuncij, patrocinio Sancti Franciſci Xaverij à toto Regno imputatæ, quem turbatiſſimis temporibus Regni Barones in totius gentis Patronum, ſub *Protectoris* nomine elegerant, ſéq; communi conſenſu obſtrinxerant ad præſtandum ejus honori quidquid eorum nomine Vincentius pro obtinenda pace voviſſet. Vovit autem ipſe jejunium & ſtipem pervigilio ipſius feſti publicè largiendam: & ipſo Feſto publicam ſynaxim, quæ eis ex Voti religione obeunda, Pace obtentâ, ſignificavit. Antonio Roſico apud Brutios nato, brachium ſiniſtrum ſcopi glande graviter læſum oſſe confracto erat, cujus 12. fragmenta bimeſtri curâ nullo ſanitatis profectu exciſa. Nullum ergo doloribus levamen inveniens, pro ea quam de Vincentij ſanctimonia conceperat opinione, occaſionem illius conveniendi inquirit: reperítque feliciter in ædibus Johannæ Fontanæroſæ; poſt cujus tergum cautè nè notaretur ſe inſinuans, chlamydis ejus extrema vulneri appreſſit: Et ecce eodem temporis momento ſimul diſcuſſus dolor, ſimul brachio ſanitas & vigor ad omnem deinceps uſum reſtitutus: licèt Chyrurgus evulſis adhuc ante duas horas duobus oſſis fragmentis affirmâſset, ſi fors curaretur, plagam tamen in fiſtulam perennem mutatum iri. Pari eventu Ducifsa de Lauriano Julia de Monti filiolæ unicum menſem natæ, ex vehementi febri (cùm ob tenellam ætatem nullius pharmaci capax eſſet) jam deploratæ, chyrographum Vincentij cum ſudario ejuſdem ſangvine tincto admovit, & è veſtigio febri depulsâ ſanam recepit. Idem experta eſt Victoria Miloni, bimeſtri dentium dolore propè ad inſaniam redacta: Nam chirographo Vincentij affectæ impoſito: dolor mox omnis evanuit, & cibum quemlibet duriſſimum eodem adhuc die mandere potuit. Auditurus confeſſionem fœminæ Principis in ſuburbijs Chiaiæ degentis, minorem cymbam Vincentius conſcenderat, remigantibus cum nauta duobus pueris; ſed mare tunc exæſtuans pauliſper progreſſis fluctus inſuperabiles effecerat, & neque progredi valentibus, certum interitum afferebat. Hic Vir ſanctus ad precandum DEUM tantiſper ſe colligens, cùm procellis jacta navicula pæne jam obrueretur, ardentibus oculis vocéque imperiosâ, *provehere cymba!* exclamat: & illa continuè divino impulſu aliquantùm provecta ſubſtitit. Jubet iterum illam Vincentius progredi & hæc denuo paret, & iterum hæret. Mandat tertiò pariter obſequenti, dum eos littori ubi ſecurè excenderent applicuit Sequ batur eos navis alia à ſex fortiſſimis Viris acta; ſed nullo virium conniſu æſtum ſuperare potuit, rediréque coacta eſt. Iſabellæ de P lma ad extrema deductæ jam Viaticum evocato binis Nuncijs Curato petebatur: ſed ægræ maritus D. Michael Gomez in opem Vincentij ſpe firmiter defixâ, fratrem ſuum Carolum, ut peremptoriè adveniat, mittit. Induebat tum penitus veſtes ſacerdotales mox ſacrum facturus Pater, quibus properè exutus accurrit, & Gomezium ad imos ſcalarum gradus cum lacrymis præſtolantem reperit. Et hoc acceptâ repentinæ evocationis causâ; pleno divinæ fiduciæ vul u, *non eſt ei*, inquit, *quidquam tale metuendum. Jube ſinè mora Parocho nunciari nè cum Viatico veniat, nihil enim illo opus eſt.* Adeſt interim qui Parochum cum Viatico jam advenire nunciat: & alius ab ægræ lectulo, illam denique revera emori. At Vincentius conſtanter Curioni reditum indici jubens (cujus mandati cauſa ab eventu patuit) *an ignotum tibi eſt*, ait ad Gomezium, *me, dum verè periculum adeſt, inſtare ſolitum, ut ſuprema ſacramenta ſumantur? hîc verò nihil omnino illis opus eſt. D. Iſabella pro more ſuo communicandi quovis octavo die ad Eccleſiam JESU ipſamet veniet, & divino Epulo accumbet.* His in atrio domûs antequam ægram vidiſſet actis, gradus aſcendit, lectulum acceſſit, & in DEUM erectâ IſabellâCantharum grandem aquæ (cujus tamen vel levem hauſtum infirmæ lethalem fore Medici edixerant) afferri præcepit: ex qua bibere juſſa, ubi illatâ ſibi vi nonnihil hauſiſſet è veſtigio ad vomitum provocata, ejectis tetris ac fœtidis humoribus amplum pelluvium complevit, plenæque valetuditudinis compos intrà octiduum templum noſtrum adivit, & menſam Angelicam acceſſit, quâ in Viaticum illam refici Pater ſecuturi vomitûs præſcius antè vetuerat. Florentius de Lannoy Fiſci in Atrebatenſi ditione Curator filias habebat Duaci Marinam Margaretham annorum 25. etiamnum innuptam; & Cæciliam ſexennem: quarum prior rupât venarum aliquâ, conficiebatur à 20. menſibus vomitione ferè quotidianâ ſangvinis, eâ coptâ, ut quandoque ad tres pintas, unam ùt minimùm (vulgo ibi nomen menſuræ eſt, quælibet uncias medicas 12. continens) ejectaret. Accedebant dolores corporis ad pectus & latera præſertim acutiſſimi, ut non niſi ſedendo ſomnum capere poſſet. Curando malo evocati adhibiti ſunt periti ſſimi quique ex

ex Academijs & varijs Urbibus Medici, sed incurabile, & brevì secuturam puellæ mortem edixerunt. Ex tanta filiæ calamitate conceptum Parentum dolorem auxit incredibiliter filiæ alterius repentina sexennis excæcatio, adeò gravis, ut neque ardentem candelam ob oculos positam perciperet; ità pertinax, ut nullis Medicorum pharmacis & Chyrurgorum artibus vel minimùm cederet; neque invocatum Numinis & Cælitum auxilium, Virgo DEIpara votis, peregrinationibus, novemdialibus precibus implorata remedium ferret. Tanta Familiæ honestissimæ ac peramicæ calamitate tactus Collegij Duaceni Rector Pater Hubertus Wiltheim, sensit intimos sibi stimulos subdi ad novum remedij genus ex reliquijs Vincentij, quarum particulam ex ejus præcordijs devotè asservabat, afflictis suggerendum. Ergo cum his domum adiens, familiam totam cum cæca puella convocat, lectísque nonnullis ex vita Vincentij (quæ jam retulimus) sanitatum beneficijs, omnes in spem ejusdem per illum impetrandi erigit, novemdialem devotionem ad implorandum per merita ejusdem Numinis auxilium persvadet, & deinceps quodlibet aliud humanum adhiberi remedium vetat: Paruit pijssima familia persanè diligenter, & singuli pio osculo reliquiam venerati, quotidie omnes certo tempore in Oratorio domestico ad preces conveniebant, & cæca ipsa venerabile pignus oculis applicans identidem piâ simplicitate inclamabat: *Beate Pater Carafa, cura oculos meos!* Necdum tertius susceptæ devotionis dies lapsus erat, cùm puella videre iterum, at non sinè caligine quadam cæpit, quâ in dies magìs magísque discussâ, ante finem Novemdialis spatij perfecta videndi facultas est consecuta. Hoc tam miro sororculæ successu animata senior Maria, ingenti ad eundem sospitatorem conceptâ fiduciâ votum certarum devotionum, ipsâ ultimâ hujus novemdij luce, nuncupat: simúlque è lecto prorepens ejus reliquias ex Oratorio secum aufert, & pectori applicatas tenet. Vix id fecerat, cùm non sinè convulsione & acerbo cruciatu ejecto per os copioso sangvine, qui duas pelves implevit, omnis præter morem cessavit & evanuit sensus, ut Virgo corpus & interiora præsertim cum tota valetudinis habitudine planè commutata persentisceret. Exclamat ergo salvam se esse & incolumem, lecto exilit, sumptísque vestibus rectà ad templum Societatis ad gratias DEO reddendas procurrit; atque ex eo die, qui fuit 11. Julij Anni 1653. nè sangvinis quidem guttam ejecit, sed vividum insuper corporis orísque colorem recepit. Atque ut tandem narrationi finem faciamus, claudat hæc juridico suo testimonio Illustrissimus Dominus Archi Episcopus Surrentinus; qui cùm funebribus justis pro Vincentio Neapoli habitis interesset, & è reculis ejus aliquid ad piam memoriam habere percuperet, papyraceam CHRISTI Nascentis medium palmum non excedentem icunculam obtinuit, sangvine ejus conspersam: quam pio osculo excepturus, *tam svavem, adeóque sensilem, ac indubitatum odorem lilij* (verba illius sunt) *percepit, ut & animus permulceretur singulari voluptate, & odoratus à tam grato odore abstineri non posset.* Retinuítque constanter hunc odorem, etiam aliorum confessione assertum, quibus icunculam venerandam obtinuit. Faxit DEUS ut svavis iste castúsque Virtutum Vincentij odor animos nostros impleat, & post eum ad sequenda vitæ tam sanctis exemplis conspicuæ vestigia trahat.

Ex Ejus Vita Patris Joannis Paulini.

P. PATRITIUS LEA cum alijs 4.



Ibernia Insula, Regni titulo coronata, patria fuit P. Patritio, in qua Viri sanctitate, & rerum gestarum pœne incredibili admirabilitate insignes floruerunt; quorum heroicas virtutes & Patritius non lentis passibus assequi conatus est. Primus hic ac veluti lapis fundamentalis fuit Kilkemiensis Tyrocinij, primus ad Societatem probandam, & suam vicissim constantiam illi approbandam, in id nuper admissus: quod antequam ad finem deduceret, jam maturæ virtutis non tantùm flores, sed adultos fructus luculenter prodidit. Invaserat Civitatem Anno 1650. mortifera lues, cùm Tyrones certatim omnes ad ægrorum obsequia magno fervore operam suam superioribus detulerunt: sed primus laboris gloriosi prærogativam obtinuit Patritius, præjudiciu ætatis & Sacerdotij, ac virtutis omnibus compertæ existimatione, quâ nostrorum juxta ac externorum opinione sanctimoniâ præstans habebatur. Inerat insuper Viro præter egregiam



P. Patritius Lea S. I. Hibernus, ex ipſo Tyrocinio excoratâ peſtiferis ſerviendi facultate, inter ſupremæ charitatis edita exempla demortuus Kilkemÿ 24 Martÿ Anno 1650. cum 4. Socÿs in eodem obſeqvio per Hiberniam ereptis. 170

giam Philoſophiæ Theologiæque ſcientiam, Medicæ quoque artis inſignis peritia, ut idcirco votis omnium unicè expeteretur. Ergo magnis animis opus arduum aggreſſus, periculis ipſis, & mortis diſcrimine excitari ad ſtrenuè agendum videbatur, quando minimè dubius vitæ in hoc certamine amittendæ prænotione quadam expreſſit, & ſupremum ſibi fore 24. Martij prædixit, quem ſemper habebat in votis, eò quòd veluti limen eſſet feſti Annunciationis DEIparæ Virginis, & ſuæ cum Societate conſociationis anniverſarius rediret. Dum itaque nullâ ſui curâ, qui ferè Novitiorum præcox eſt & inconſultus ardor, impendio magìs calori ſuo præfervido indulget, & ſe præfeſtinatis ubiq; omnia peragendi ſtudijs impendit, adeò ut noncontentus neceſſaria ſolâ Sacramenta Exomologeſis & Evchariſtiæ miniſtrare, extremo etiam oleo ungeret à peſte cadentes, ſordes & apoſtemata elueret, emplaſtra ipſe applicaret, ipſe foſſam ſepeliendo, ſudore largo totis poris âpertis foderet, & idem mox cadaver mortiferis ulceribus undequaque (ùt refertur) plenum, nè odore tetro auram funeſtaret, ſublatum in humeros deferret: hauſto indè mortuali malo, ſupremum hunc in vita laborem habuit. Incredibile populi ſtudium, & propenſio voluntatum erga illum fuit: Rapi ſe ajebant ab amabili quodã odore ſvaviſſimæ virtutis, ex ejus fronte, oculis, ac totâ compoſitione fragrantis, ut tametſi in occurſu, nè infectione afflarentur, alios à ſe diſpelleret, accurrerent certatim tamen ad veſtis fimbriam oſculabundi, ac benedictione petitâ negabant ſibi à Sancto

 ma-

mali aliquid posse afflari: & si ægri essent, incolumitatem se potiùs ab illo relaturos. Et verò id se miris modis planè expertos testabantur, dum obvio accepto consilio, aut herbulis, alióve facillimè parabili per eum suggesto remedio, desperatam etiam jam valetudinem recuperârunt. Quanto autem publici mœroris sensu Civitas eam plagam acceperit, comploratio publica, & illa plorantium verba manifestè ostenderunt, quibus malè sibi ominati cives dicebant, Patritij occasum, occasum Urbi portendere, nempe cujus clades à tanta jactura inciperet. Obijt, utì prædixit 24. Martij: inter alias heroicas virtutes & dona Cœlestia, uberrimo lachrymarum dono præditus, etiam inter manuales & externos labores, dum terram scopis everreret, (quod flexis humi genibus faciebat) eandem fusis affluentissimè lacrymis aspergens. Modestia illi tanta fuit, ùt ab exercitu Catholico (qui ab hæreticis profligatus, ultimum Regno exterminium & Religioni cladem intulit) hâc notâ fuerit agnitus esse ex Societate, tametsi aliena in veste. Aliquando cùm naviculâ veheretur, plumbeus ab hæreticis è littore imber in illum est missus; quem ille singulari DEI protectione illæsus natatu evasit.

Ejusdem meriti ac mortis consortione rebus humanis in Hibernia ereptus est Waterfordiæ 4. Junij ejusdem anni P. Jacobus Valesius, vitæ intaminatæ, quam ad 33. ætatis constat, nullo unquam crimine lethali contaminâsse. Illum, ad diem 4. Aug. ibidem secutus est Pater Georgius Dillonus, Comitis de Roscomman filius, non minor suis in Societate natalibus, & quæ nobilium apud nos ingeniorum hæreditas esse debet, tantâ virtutum ac scientiarum dote illustrissimus, ob excellentem prudentiam, animíque moderationem, ad egregiam quamvìs provinciam gubernandam visus idoneus. Waterfordensium conspectâ strage, quâ pestis complebat omnia, pestem, ajebat, esse nuncium à DEO missum, ad animas maximè DEO charas in Cœlum evocandas. Quod audiens Matrona illustris, ùt video, inquiebat, non diu fruemur optimo meo cognato P. Georgio, nam quæ anima DEO charior est illius, sanctimoniæ famâ apud omnes tam illustri? Vaticinatio hæc fuit, eventu brevi firmata. Nam sequenti die Sancti Ignatij festivâ Prætorem lue ictum Sacramento Pœnitentiæ ac Viatici munivit, biduo deinde confertæ turbæ audiendæ operam navavit, & se pestiferè contactum sensit, biduóque animam inter acerbissimos dolores egit. Nonâ demum Aug. Rospunti in eadem Hibernia, post extinctum Gasparem Brionium Coadjutorem, ad Superos eadem charitate duce abijt Pater Gregorius Dowdallus. Vir cujus vel aspectu bonum CHRISTI odorem spirante ad meliora permoti sunt plures. Tanta illi, tamque innocens sui demissio, tam comparatus animorum Zelo ad ardua semper animus, ut hostibus hæreticis Rosponto potitis, cùm libera agendi cum Catholicis præclusa esset via, quò se in eorum ædes inobservatus penetraret, olera per urbem vænum circumferenda, olitoris veste, piam tegens fraudem, susceperit, peccata interim confessuris aures clàm præbens. Sed non potuit ità latenter diu id usurpare, quin observatus uni hæreticorum agnosceretur, quia sæpiùs illum ad saniora hortatus Pater ad Fidem adducere nitebatur: hic igitur cùm illum jam sibi notum contento gradu insequeretur, ut arreptum hæretico tribunali sisteret tanquam Catholicum Sacerdotem, DEO fidelem protegente; repentè concidit, fractâ miserè tibiâ: sicque ingrati animi scelus, & DEI vindictam, diu lecto inter acerrimos dolores affixus agnovit.

Ex Allegambe Victimis Charitatis.

P. ANDREAS METSCH.



Atus est Pater Andreas Metsch Ridlingæ in Svevia Anno 1586. venítque in Silesiam admodum puer, vocatus unà cum Parentibus ab Avunculo Jerino, qui postea sæculi hujus initio Wratislaviensem Episcopatum adeptus est. Puer ab ipsis incunabulis infestos Orci lemures & spectra frequenter passus; ubi primùm Sacramentum Confirmationis anno ætatis 9. suscepit, quasi novus in hostes unctus athleta, larvísque illis jam ipse terribilis, infestari desijt. Ut primùm Andreas ex ephebis excessit, statim ad Societatem animum adjecit: ob id sæpissimè à Parentibus, qui in eo spem collocabant suam, verbis, colaphis, & verberibus vapulans, avunculo pariter renitente, denique constantiâ evicit, ut Anno 1603. Brunæ bonâ omnium gratiâ in Societatem reciperetur.

Ibi,



P.Andreas Metsch Soc: Iesu, è Svevia oriundus, omnibus zelantis Operarij dotibus præditus; multa hominum millia per Boëmiæ Provincias ab hæresi Ecclesiæ Romanæ restituit: in pueritia Catechesi imbuenda Adjutorem habere merit, Episcopum Olomucensem Franciscum Cardinalem Dietrichstein. Obijt Glacij 23 Febr: 1651. æt: 65.

171

Ibi, & deinceps per studiorum decursum, in id animi virtutibus exculti, naturæque robur excrevit, ut ferventissimi Concionatoris talentis instructus, Zelóque Apostolico plenus, annos totos 40. permagnis undequaque animarum lucris desudârit in vinea Domini, varijs in Austriæ, Moraviæ, Silesiæque domicilijs nostris, præter extraneas Missionum cathedras, excellentis semper Ecclesiastæ loco & opinione habitus. Et quidem suæ hujus sacræ eloquentiæ præsidijs, privatísque non minùs efficacibus inter conversandum alloquijs, numeravit ex diversis hæresibus ad Catholicam Fidem ab se, opitulante DEI gratiâ, reductos, decies mille viginti duos; uti ab ipsomet accuratè annotati inter ejus adversaria post mortem reperti sunt. præter hæresum coryphæos Ministros Verbi novem, atque à Religione apostatas 109. Jam quid de alijs fructibus inter fideles ex Verbo DEI ab ejus ore disseminato relatis dicam? pendebat enim ab ejus dictione populus, & in omnes quos ipse vellet affectus movebatur, exultabat cum eo, & flebat, & quamcunque in partem duceret svadendo, sequebatur. Brunæ Anno 1636. festo Natalis Domini, dum JESUM recèns natum, & ex eo nato Cæli & terræ, omniúmque creaturarum lætitiam, insolitâ eloquentiâ describeret, abreptus teneritudine affectuum à se ipso exivisse videbatur. Cantillabat interpolatâ dictione versiculos infanti recèns nato, & populus (quod nunquam aliàs acciderat) sequebatur cantando, quisque modulabatur: póstque paululùm dante illo signum, conticescebant universi, tum interum ciebat ille lachry-

lachrymas, & gemitus eliciebat è cordibus, quorum imperium possidebat. Risus, fletus, cantus, gemitus, genua ponere, surgere, rursus flectere, repetere clarâ voce, quod repeti Pater volebat, idem erat populo, se ipsum in re adeò insolita miranti. Nec verò steriles ejusmodi erant affectus ùt ignes fatui, sed usque ad contritionem cordium, silice duriorum, & penitus exurendas vitiorum consvetudines penetrabant: quando post ejus à pulpito discessum non pauci ad tribunalia Pœnitentiæ confugiebant, subinde totius vitæ errata ingenti dolore retexentes: cujusmodi generales exomologeses simili occasione solus ipse audivit 389. Atque his morum reformationibus incitati quidam Ecclesiastici Proceres, etiam Cœnobijs tam virorum quàm fæminarum, in quibus collapsa penitus erat religiosa disciplina, eidem in primævum fervorem restituendæ, ipsum reformatorem adhibuerunt: felici sanè successu; quinque enim ex his, DEI misericordiâ opitulante, ad suum florem redijsse ipse annotavit. Pari successu, Zelóque non paucos in sæculo, quovis ubi degebat loco, ad insignem Virtutem provexit, Virgines etiam & viduas, quæ sese Voto castimoniæ DEO, extra claustra consecrârant: assiduus in pœnitentibus admittendis, & in spiritu provehendis, dirigendísque. Ad hæc Sodalitijs Marianis communiter idem præfuit administrandis, quorum nova diversis in locis ab se instituta octo, legibúsque ac statutis pro diversa Sodalium conditione aptis firmata, Româ de more confirmari obtinuit. Nec difficile fuit Zelo honoris & cultûs Mariani alios inflammare, qui ejusdem amore & veneratione penitus conflagrabat. Nemo unquam illum vidit cubiculo exeuntem, & forìs agentem, quin manu Rosarium teneret, & Virginem salutaret, cui multas ejusmodi coronas quotidie pertexebat. Nihil operis inchoabat, quod non priùs sacris JESU & MARIÆ nominibus initiaret: observatus pariter, plerumque conciones & exhortationes suas omnes ijsdem sanctis nominibus, vocali epiphonemate concludere. Supplicationes Sodalium, vel etiam populi peregrinationes ad diversas DEIparæ beneficas, aut thaumaturgas Icones, nisì fors alicunde præpeditus, comitabatur semper, Dux ipse Processionis, & Devotionis per viam crebris allocutionibus incentor. Habebat & alias devotionis omnigenæ species, ad eorum sanè stuporem, quibus arcana sua familiariùs confidebat; annique totius veluti festa privata, quæ celebrabat in cubiculo varijs pœnitentijs & devotionibus, in memoriam præsertim gratiarum & beneficiorum tali mense, hebdomade & die cælitùs acceptorum, puta, Natalis sui in Mundum, transitûs vicissim de Mundo ad Religionem, sacrorum Ordinum, & Sacramentorum similiter, quâ primo quodque susceperat die, Primitiarum Sacrificij, votorum Religiosorum & Professionis, aliáque id genus iñumera privatim in se à benefica DEI manu collata munera, quæ gratâ memoriâ toto illo die recolebat, DEOque seipsum in sacrificium laudis offerebat. In his tamen, quæ princeps in Apostolico Viro censeri debet virtus, eminebat Charitas, quâ proximi commoda & utilitates animæ & corporis non minùs curabat quàm proprias, ut ex Ordine PP. Capuccinorum Ecclesiastes magni Nominis, observatâ ejus de pauperibus, ægris, captivis juvandis totum diem satagentis sollicitudine captus palàm edixerit: *hujus Patris de Societate charitas est incomparabilis*. Et verò quis non miretur potuisse Virum, concionibus & tot spiritualibus munijs semper occupatum, difficillimis illis dominantis partim hæresis, partim sangvinei Martis Svecici temporibus ad juvandos egenos tantum industriæ conferre, ut præter collata ex domestica penu & aliunde victûs & vestitûs subsidia, solius pecuniæ à Misericordia Patronorum corrogatæ in eos expenderit (quod ipse annotatum reliquit) 9171. florenos. Quibus industrij Zeli artibus mirè omnibus charum se reddidit, habitus in veneratione tum Politici, tum Ecclesiastici Ordinis Primoribus. Sanè Episcopus Olomucensis Franciscus Cardinalis à Diettrichstein, Patri perfamiliaris, illum appellare solebat *fidum suum in propaganda Fide & pietate adjutorem: verum Israëlitam in quo dolus non est*. Placuítque pio Præsuli non semel, cùm Pater Andreas teneram ætatem Christianæ Fidei elementis Brunæ institueret, in medias puerorum turmas se se inferre, & velut collegam adjutorem Patris ageret, præmiola inter diligentiores, qui feliciore memoriâ à Patre dicta retulissent, manu suâ dividere. Serenissimus Carolus, Archi-Dux Austriæ, Episcopus Wratislaviensis, eundem in conversione sui Ducatûs Nissæ *manum suam dexteram* nuncupabat. Placuit autem Divinitati Virum ità omnibus approbatum adversis quoque exercere. nam Collegio Glogoviæ majoris, datus Rector, occupatâ à Svecis Anno 1642. eâ Urbe, captivus hæretici hostis factus est, neque ante repræ-

repræſentatum lytrum dimiſſus; unde poſtea toto ſeptennio in Polonia exul hæſit, Germanis inibi degentibus ac Sileſijs, arma Svecorum fugientibus ſolatio atque auxilio â DEO ſubmiſſus. Tandem Boëmiæ reſtitutus, cùm vitæ ſuæ annum 65. complevisſet, ab emiſſa quatuor votorum profeſſione Anno 29. Glacij vitam abſolvit 23. Febr. Anno 1651. unius diei langvore conſumptus. Nam cùm ad populum feriâ antecineralì in precibus 40. horarum, vegetus adhuc, fervore conſveto dixiſſet, feriâ ſequente, apoplexiâ, nemine conſcio, contactus, cùm in prandio non cōpareret quæſitus, ſemianimis in cubiculo repertus eſt; ſed fomētis aliquantiſper recreatus, atque omnibus Sacramentis piè munitus, poſtero die ad beatitudinem, ut ſpes eſt, æternam exceſſit.

Ex Annalibus Soc: JESU Boëmiæ, & Bohusl: Balbini Bohemiâ ſanctâ.



P. Nicolaus Lancicius Soc: Ieſu, Polonus, magnæ in perpetuis adverſis et perſecutionibꝫ patientiæ, et in regendis conſcientijs peritiæ. Miris modis quam plurimas animas ex omni hominum ſtatu ad Deum perduxit. Mortuꝫ Cannæ in Lithvania 30. Mart. A°. 1652. æt: 72.
172.

P. NICOLAUS LANCICIUS.



PAter Nicolaus Lancicius nobili Polono ſangvine Dominorum Lanczicky in Lithuania propè Vilnam ſatus, anno 1574. Parentibus Calvino addictis, Chriſto tamen per baptiſmum à Catholico Sacerdote, quòd hæreticus Popa inveniri tum fortè non poterat, ſuſceptum renatus eſt. Eodem DEI beneficio nutricem & gerulam Catholicam nactus, cùm ab ea in Vilnenſe Sancti Joannis Baptiſtæ Templum quinquennis illatus

latus esset, Sacerdote in Missa SS. Evcharistiam ad populi adorationem elevante, CHRISTUM in ea præsentem, cælesti quadam obortâ luce agnovit, & de genibus primùm, tum toto corpore pronus, fronte etiam humo gentis more impactâ adoravit: atque hanc primam fuisse actionem, quam cum rationis usu egisset, ipse asseverabat. Quantum id Dæmoni doleret mox patuit, quando monstrosi gigantis instar, at sinè pedibus, in cubiculum jacentis pueruli illapsus, velut eundem rapturus minabatur, solo Crucis signo parvuli fronti à Nutrice impresso fugatus. Ejusdem maleficio factum creditur, quòd sub idem tempus è summis gradibus, fallente vestigio, in profundum fornicem prolapsus sit: ubi cùm accurrentes domestici aut cervicem, aut certè manum pedémve fregisse crederent, ipse præter terrorem nihil passus, surrexit incolumis. E Nutricis Catholicæ potestate subinde abstractus, pædagogis Calvinistis educandus, & primis literis imbuendus traditur, cum quibus & virus hæreticum combibit, non tamen ità, ut unquam hæreticam cœnam, urgente etiam Parentis præcepto, accederet. Et licèt placitis Calvini non tantùm mordicus adhæreret ipse, sed etiam adversùm Catholicos, quà per ætatem posset, eadem tueretur, sensim tamen cultum illius adeò incultum, & religionem omni religione & sacro ornatu destitutam aversari cœpit, & majestatem Catholicæ fidei suspicere: ut vel ideò post Grammaticam apud Calvinistas absolutam, ad Poësim in Academia Societatis Vilnæ audiendam transierit, propiùs dogmata Catholicorum experturus. Hìc aliquando per otium de Fidei veritate cogitanti, tantâ claritate Religionis Orthodoxæ veritas & sanctitas objecta est, ut controversiæ omnes & dubia, nemine docente, momento evanescerent, atque ejuratâ hæresi Dominicam cœnam primùm adiret Anno 1590. die S. Nicolao sacrâ, cùm annum ætatis ageret 16. Nec multò pòst eodem solo DEI lumine impellente, votum Castitatis perpetuæ emisit, servavítque ad sepulchrum usque intaminatam, unà cum innocentia baptismali, ab omni graviore noxa immuni. Mox & votum complectendæ Societatis JESU simul emisit, simul & in eam recipi apud Præpositum Provincialem expetijt: durâ ab eo conditione positâ expeditus, non priùs ad eam accessum speraret, quàm Patrem propè sexagenarium à Calvino ad veram Ecclesiam traduceret. Ardua res Juveni visa, & quæ humanis viribus expediri ab se nequiret, quo enim successu filius, vix pueritiam egressus, Patrem seniô & auctoritate gravem, Principi Radzivilio, Calvinistarum antesignato acceptissimum, stipendiarium Ministrum, & in ejus ditionibus reditu & fortunis locupletatum, à quo idcirco totus penderet, aggrederetur? Ergo totus ad divinum implorandum auxilium conversus, ex ipsa fortè solicitudine in gravem morbum incidit, qui viam ad rem conficiendam aperuit. Inciderat fortè sacer Divo Nicolao dies, Lancicio natalis, quem Pater filio tenero sensu gratulatus, ingenti desiderio illius valetudinis teneri se declarabat: quam cùm hic in manibus & potestate Parentis repositam diceret, à quo vita sua & mors unicè penderet; Pater verò omnia, quæ ad eam conferre possent, prolixè sponderet: tandem filius uberrimas lachrymas precibus admiscens; *per salutem tuam*, inquit, *meámque rogo, ut qui me tibi sanum corpore reddi cupis, animo ipse consanescas; & cùm ego me CHRISTO in Ecclesia Catholicæ donaverim, tu eidem te restituas; quo uno medio credo me sanitati & vitæ reddendum.* Pater improvisi postulati novitate obrutus, nè diem illum unigenito & charissimo filio natalem obnubilaret, & dolorem lachrymásq; repulsâ augeret, deliberatione sibi ad tantam rem saltèm tridui opus esse, respondet. Hoc exacto cùm crederet petitionem nuperam excidisse filio, ille in primo Patris accessu preces repetit & lachrymas, ac denique extorquet, ut brevì à Patribus Societatis informatus hæresim ejurârit. Quo accepto Nuncio, mirum dictu! sive nimiâ ex improviso lætitiâ venas omnes percurrente, sive fiduciæ illius Cælo annuente, sanus è lectulo consurrexit, & rem suam apud Præpositum Provincialem, conditione expletâ, mox urgere perrexit. Verùm neque tunc impetravit aliquid, quòd ille negaret recipi posse, nisì assensum votis ejus præberet Parens: id quod haud paulò gravius, evicit tamen constantiâ & invictis argumentis Nicolaus, ut Parens ultrò filium ad Provincialem adductum eidem donare se, & Societati dedicare profiteretur.

Itaque in Societatem receptus Anno 1591. Cracoviam ad Tyrocinium se conferre jubetur: quod ille iter nec salutato Parente pedes aggressus (nisì hic illum in Urbis porta assecutus fuisset) non diu Cracoviæ inter Novitios versatus est, ad Romanum Tyrocinium translatus; ubi tam excelsæ sanctitatis fundamenta posuit, obser-

va-

vatione præcipuè minimorum, quæ ipse semper in maximis computabat. Nullam enim toto biennio quantumvis minutam Regulam, etiam de servando silentio transgressus est; quod deinceps per omnem vitam à se non fuisse violatum Superiori edixit: devotionis pariter minutissimas exercitationes consectatus. hinc quacunque incederet domi forísue, SS. Sacramentum vicini cujúsq; templi habebat præ oculis; in cubiculo quoque sedem, lectulum, mensam, & reliqua sic disponebat, ut nunquam tergum SS. Evcharistiæ, etiam inambulans aut inter colloquendum obverteret; quam consvetudinem in omnem deinceps vitam tenuit. In Philosophiæ & Theologiæ studijs miros DEI experiri circa se cœpit favores & ductus, elevatiori quodam orandi & lachrymarum dono subitò, nullo suo prævio conatu, præditus, ut jam & raptus sentiret, & divino amore cor sibi conflagrare miraretur. Sub quæ scrupulis & angoribus conscientiæ diu diréque exagitatus, cùm remedia nulla prodessent, CHRISTUS Dominus ei in Templo Domûs Professæ Romanæ ante sacellum Sanctorum Angelorum precanti apparens, crucémque justæ magnitudinis ostentans, angustias omnes ab animo veluti spongiâ hisce verbis absterfit: *ista sunt tua Crux.* A suscepto Sacerdotio mox primis annis, famâ ejus Virtutum per Urbem vulgatâ, magni ad eum fiebant pœnitentium accessus, miris animorum ad vitam meliorem secutis conversionibus; ut Episcopi, Prælati & Abbates, sacris per eum exercitijs excoli percuperent: quibus in æstimationem Spiritûs illius adductus Præpositus Generalis Claudius Aquaviva, non dubitavit illum quinto Sacerdotij anno Collegio Romano Præfectum Spiritûs, & Confessarium Nostrorum designare. Donec post annos 14. Romæ exactos, Provinciæ suæ Polonæ eundem restituendum judicavit, ut eundem Sancti Ignatij spiritum propagaret inter domesticos socios: quò ille multa Sanctorum corpora Pontificiâ donatione secum detulit, per varia Templa & Collegia Societatis in Polonia, Lithuania, & Boëmia, ad cultum publicum distributa. Ibi post traditas omnes altiores disciplinas, Collegia subinde aliquot, ac tandem Provinciam Poloniæ & Lithuaniæ gubernavit, in nullo tamen æquè diu ac sæpiùs munere versatus, quàm Præfecti Spiritûs, ut nimirum liberrimum campum haberet conscientias & animas domesticorum æquè ac extraneorum DEO lucrandi, & ad eximiam virtutem deducendi. Contulerat enim illi DEUS singulare quoddam donum animas dirigendi, & à peccatis quantumvis inveteratis abstractas ad viam perfectionis adducendi. Hinc ubicunque moraretur, frequentabatur ab omni hominum genere Confessionis gratiâ, etiam diversorum Ordinum alumnis directionem ejus in spiritu ambientibus, ut eidem conscientias suas aperire in lucro reponerent, quòd nullibi majorem animi quietem & malaciam se consequi experirentur. Nam & pueros ac juventutem scholasticam Zelo suo complexus, devotionem & praxes virtutum teneras instillabat & excitabat, pijs ac frequentibus alloquijs suggerebat idonea ætati cuilibet consilia, quibus innumeri innocentiam, in lubrico inter sodalium insidias positam, illibatam se conservâsse lætabantur, & quàm plurimi ad diversa Religionum asceteria transiverunt. A primis vitæ religiosæ annis nunquam ferè sponte deambulatum in agros vel hortos prodibat, sed tempus illud obsequijs aliorum domi forísve consecrabat, adibat nosocomia, rudes, ægrotos invisebat. Dum Collegijs præesset, suum esse munus credebat vel mediâ nocte, cùm aliquis Sacerdos ad ægrum vocaretur, hanc per se operam præstare, ut Patrum suorum quieti consuleret: Confessionibus similiter in templo audiendis perdius & pernox, ubi opus esset Rector assidebat: unáque à diversorum Ordinum Religiosis, ubicunque habitâsset, ipsísque Cœnobiorum Superioribus, consulebatur, dicere solitus, semper in votis sibi ad DEUM fuisse, ut rete quoddam ipse fieret, quod homines ex omni statu traheret, & concluderet ad eum amandum. Et verò traxit non tantùm exemplis, sed & magisterio spiritûs quàm plurimos, nam solus syllabus eorum, quorum nomina secreto suo libello inscripserat, ut eos nominatim DEO commendaret, qui toto animæ suæ statu illi manifestato ejus in spiritu ductum sequebantur, multa millia æquabat, ex omni ordine sexúque, nobilitate, munijs, rebus gestis, virtute & doctrinâ clarissimis. Sanè in Italia cùm degeret, non erat ullus Religiosorum Ordo, ex quo non haberet filios spirituales, etiam in eo Ordine Viros summos: Parthenonibus etiam integris, seu ad disciplinam instaurandis, seu ad sanctitatem promovendis, operâ utilissimè impensâ; sub cujus directione Romæ Monasterium Turris speculorum, & alia passim magnam sibi famam virtutis & sanctimoniæ comparârunt. In Prussia Cœnobium Virginum erat à Vitæ licen-

centia, neglectu disciplinæ, discordijs malè commendatum, ut fama ferret, malæ duntaxat & desperatæ frugis mulierculas illuc fuisse compactas, cujus ad frugem revocatione frustrà à Viris Religiosissimis tentatâ, Pater Nicolaus rogatu Antistitæ negotium suscepit, & svavitate piisque artibus brevì rem confecit, ut exempla sanctitatis earum Virginum in vicinas latè Regiones vulgarentur, & quantum antea infamiæ, tantum postea laudum reciperetur. Vapulabat inter hæc Pater criminationibus & maledictis eorum præcipuè quorum sibi familiaritate & alloquijs virgines interdixerant; sed solatio fuit, & apud bonos & sapientes efficaci patrocinio, Monialium in bene cœptis constantia, uno virtutis colore omnibus vitæ annis deducta. Alibi mulier erat specie quidem DEO consecrata, & opinione Virgo, Dæmoni interim sceleratè devota, quæ jam 20. annis illi ex pacto, veluti marito insveverat. Huic ipse, multis ante precibus exorato DEO, confessionem, ac deinceps ascesim Sancti Ignatij cùm persvasisset, planè sanctam, & fidelem DEI famulam effecit. Retulit hæc deinde Confessario suo, prænovisse hanc cladem suam pridem antèDæmonem, cujus jussu nunquam licuit sibi Nicolai nomen, etiam Litanias in Choro cum alijs oranti proferre, quòd capitalis ejus hostis foret. De traducta ad magnam vitæ sanctimoniam Maria Magdalena BonaventuraVirgine nobilissima, in CœnobioTurris speculorum Romæ, refert ipse prolixè in suis opusculis, quæ hìc referre non vacat: hæc à leviore & minùs regulari vita (nam vitijs nunquam dedita erat) resiliens, absolutissimam perfectionem ità sectata est, ut miraculis & revelationibus suis dignam haberet Divinitas. Nec mirum est tanto accursu ex omni hominum statu, præsertim pœnitentiæ causâ, Patrem fuisse frequentatum, siquidem plurimis exemplis & experimentis communis opinio omnium, etiam inter nostros fuit, hanc illi gratiam cælitùs inesse, ut riténe an secùs confessio perageretur, an integra mutiláve fieret, ipse cognosceret. Quod illi respectu omnium pœnitentium concessum fuisse dicere non ausim, multos tamen & ipse novi, qui hoc in se non semel experti sunt; & conscientiæ suæ arcanorum plenè conscium deprehenderant.

Jam verò difficilè est explicare, quàm paternam & sollicitam curam gesserit eorum, etiam in alia Provincia longè diúque constitutus, qui suæ conscientiæ directionem ali- quando illi ubivis terrarum confiderant, illos summâ svavitate admonens, & per literas excitans, pericula imminentia animæ & corporis, imò & vicinam mortem, quorum notitiam non nisì cœlitùs haurire poterat, prædicens. Universim verò omnium calamitatibus indolebat ùt suis, afflictos solabatur, & quibus malis remedium ferre non posset, dolenter ingemiscebat. Anno 1641. quô Pater in Domo Professorum Pragæ morabatur, contigit decem milites prædandi studio in alteram ripam per glaciatum flumen Moldavam præfidenter equis transitum tentare; cùm in medium alvei jam progressis repentè glacies frangitur, & omnes unà cum equis gurgite hauriuntur. Triste hoc exitium ingenti mœrore Patrem complevit, ut totum eum diem à lachrymis & singultibus temperare nequiverit, non tam corporum quàm animarum in prædonibus jacturam deplorans. In pauperes dumCollegijs præesset mirè misericors, januæ custodi seriò identidem præcipiebat, ut nullum pauperē sinè stipe dimitteret: licèt & domesticis in necessarijs rebus deesse nihil à subordinatis ministris pateretur. Hanc in proximos charitatem cùm profusionē vocarent multi, DEUS miraculo approbare voluit, dum CalissijRectorem ageret. Defecerat ex continuata liberalitate vinum in unico, quod restabat, vase, ut non nisì ad dimidium palmum extaret reliquum. admonitus Rector vetuit quidquam de consvetæ charitatis mensura detrahi, imò liberaliùs etiam in ægros & egentes distribui. Et tamen pauxillum illud residuum, majore parte Anni suffecit in omnes usus, quibus integrum dolium sufficere non potuisset; donec scilicet novum coëmi licuisset: auctus insuper illi & additus gratissimus sapor; famáque per Provinciam vulgatâ, dolium illud *Vinum DEI*, passim appellari cœpit: veritatem hujus eventûs attestante ipsomet Gnesnensi Archi-Episcopo, qui se de illo bibisse affirmavit. Quo tempore Provinciam universam Poloniæ & iterum Lithuaniæ seorsim gubernavit, gratiâ & auctoritate plurimùm valuit apud Reges Sigismundum III. & Wladislaum: quâ tamen nunquam in alios fines usus est, quàm in proximorum utilitates & animarum bonum, adhortando illos ad extirpanda vitia & hæreses, & Religionem propagandam. In Comitijs verò pro electione Wladislai, cùm à Politicis nonnullis cœpisset moveri quiddam contra immunitatem Ecclesiasticam, ipse scriptum pro ea confectum Senatoribus Regni obtulit, quô omnes

male-

malevolorum conatus feliciter elisi sunt. Sed & ad alia saluti & perfectioni animarum promovendæ conscribenda manum jam senex applicuit, quæ in duos tomos sub titulo Opusculorum hodie redacta passim versantur in manibus, & abundè magisterij spiritûs excellentiam, quô plenus fuit, legentibus produnt: licèt longè plura, quæ typum necdum viderunt, ipse parârit; admirabile DEI auxilium in ijs facilè & celerrimè elucubrandis expertus, ut magìs Cœlesti magisterio, quàm ejus marte & ingenio perfecta, censeri debeant. Cùm enim ipse à latronibus in sylva obrutus, scripta & notata sua omnia annorum 42. labore collecta, eorum direptione amisisset (quod fusiùs infrà referemus) miranti amico & confidenter quærenti, quo pacto jam senex notatis omnibus suis destitutus tot opuscula spiritualia edere, & quidquid scriberet Sanctorum Patrum testimonijs tam promptè confirmare posset? respondit, præmium hoc esse Sanctæ Obedientiæ: se enim præscivisse & damnum & spoliationem, & necem trium sui itineris sociorum, idque Superiori patefecisse, cui tamen quia visum fuerat, ut hâc & non aliâ viâ progrederentur, se prænotionem suam obediendiæ posthabuisse: atque ab eo tempore nullo annotationum suarum subsidio egere, & nè quidem curare ut recipiantur. Quod SS. Patres attineret, id verò nullo sibi labore constare; siquidem cuilibet argumento eorum auctoritate firmando, quælibet prima & fortuita Operum illorum apertio paginam & sententiam exhiberet, tam accommodatam materiæ, de qua scribit, ut in eam rem nata videatur. Simúlque amicum provocavit, diceret argumentum aliquod, quod sibi è SS. Patribus confirmari vellet. Assignavit hic thema, quod parcissimè ab illis, nec à multis tractatum sciebat, de Sancto Angelo Custode; & quia videbat jacentia in ejus mensa aliquot Græcorum PP. volumina, petijt sibi ex Sancto Joanne Damasceno sententiam de eo argumento monstrari. Ille sublatis paululùm in Cœlum oculis Sanctum Damascenum temerè aperit, nullâ prorsus quæsitâ aut versâ paginâ; tum digito intento legere jubet perelegantem de Sancto Angelo tutelari sententiam. Idem facit & præstat in volumine Sancti Basilij, & Sancti Chrysostomi, ponè jacentibus; & quidem non unâ, sed pluribus ex quolibet, quamvis merè fortuitâ apertione repertis. Stupenti ad hæc amico, & facilè sic libros conscribi posse dicenti, adjecit, idem sibi evenire in quovis alio Bibliothecæ sibi vicinæ codice, quoties lucubrationibus suis spiritualibus eos consuleret. Tam promptam habuit ad sui admiraculum DEI sapientiam, cui soli scribebat, nihil aliud præter animarum salutem laboribus suis, & viribus omnibus quærens; his enim aures pro Tribunali pœnitentiæ pronissimas indefessus addixerat: lingvam pro expediendis Conscientiæ intricatis dubijs, impertiendis consilijs, & directionibus spiritualibus incitandis ad perfectionis Christianæ studium, in plano & pro rostris, consecraverat: manum scriptioni salutari unicè dicaverat: opera adeò ipsa sua, afflictiones, actiones meritorias, & orationes ijsdem transscribens, solitus non tantùm ipse hæc omnia peragere, sed & alijs perpetuò facienda svadere, pro existentibus in peccato mortali, ut convertantur. Cæterùm aliter adhuc declaravit DEUS, quàm cordi sibi essent hæc Lancicij opuscula, nam plures ex eorum lectione repentè senserunt odore liliorum ab ipsis dimanante se afflari: & Romæ Monialis Benedictina in Cœnobio Turris speculorum Æmilia Muta, soror Cardinalis Muti, & Marchionissæ Mutæ, cùm unum ex his reposuisset in Cella, ex situ loci humidioris tetrum odorem halante, ubi tamen illud in manus sumpsit ad legendum, sensit ex ipso effundi odorem instar liliorum, quorum tunc neque tempus erat, neque locus per se graviter olens quidquam intus naturalis adoramenti servabat.

Ut verò idoneum gloriæ divinæ inter mortales propagandæ, & proximis ad DEUM adducendis, evaderet instrumentum, ijs maximè virtutibus animam expolire studuit, quæ Apostolis fuere magìs propriæ. Ex quibus primum locum ea tenet, quæ hominem ab omni periculo contrahendi cujuslibet ab sæculo inquinamenti & vanitatis removet, humilitas; hæc tam profundè ejus animo radicata insedit, ut à primordijs ferè vitæ Religiosæ, per omnem vitam nullà unquam inanis gloriæ dulcedine se vel titillari sentiret, imò stuperet, posse aliquem sibi blandiri de donis non suis, sed à DEO gratiam consecutũ se crebebat ex heroica sui in Tyrocinio victoria, quâ post gravem animi luctam, conscriptos omnes vitæ sæcularis nævos, maximè qui majorem pudorem incutere poterant, Superiori exhibuit, paratus in publica mensa ad contemptum sui palàm eas recitare. Et quia Superior desiderio juvenis, ut materiam sui penitus vincendi daret, annuit, seriò ipse accusationem sui palàm auspicatus est, cùm re-

repentè filere jubetur: eâ gratiâ à DEO, qui corda intuetur pro factis, donatus, ut ex illa hora fummâ animi quiete & hilaritate omnem fui ferret contemptum, laudibus verò & æftimatione triftaretur; faffus, fi optio fibi daretur, graviùs fore bona fua, quàm vitia & perperam acta, alijs manifeftare. Votum quin etiam emifit, nihil unquam quod ad laudem fuam & æftimationem faceret, nisì manifeftè id ad ædificationem & profectum proximi conduceret, vel à Superioribus exigeretur, propalandi: quo tamen ipfo cafu dona fibi à DEO conceffa aperiebat eô candore, ac fimplicitate verborum & geftûs, quafi viliffima & obvia tantùm narraret, ut manifeftè adverteres, illum his nihil tangi, aut fibi complacere. Quin adeò leviculis quibufdam fubinde actibus pofitivè defpectum fui apud alios captabat; fi per Inftitutum Societatis liceret, proniffimus ad fimulandam etiam ftultitiam, quorundam Sanctorum exemplo, ut pro nihilo vel nauci homine haberetur. Quòd fi adverteret fe ab aliquo æftimari, modò effufus in rifum leviculum aliquid proferrebat, quafi rifum captaret, modò choleram & impatientiam fimulabat, modò avidiùs cibo aliquo vefcebatur, ut gulofus crederetur. Támque in fuis ipfe oculis vilis erat, ut pejorem fe omnibus peccatoribus, ipfis adeò Dæmonibus, ex animo fentiret, & ùt talem implacabiliter verberibus, pugnis, colaphis afficeret. Nunquam auditus eft verbo aliquo quempiam contemnere, vilipendere, aut factum aliquod malè interpretari, fed laudare omnes, & quæ etiam vix excufari poffe videbantur, præfertim fi in ejus depreffionem fierent, bene accipere. Ex eodem fonte converfationem cum primarijs domi Patribus nunquam ex fe captabat, fed colloquia ejus & fermocinatio fuit cum fimplicibus, aut junioribus, qui minimum auctoritatis haberent, ut neque ab his aliquid in ejus opinionem derivaretur: honore & capitis denudatione omnes, infimos quoque præveniebat, neque ullum aperto capite fecum loqui, etiam cùm Provincialis effet, patiebatur. Et licèt magnâ prudentiæ laude bis Provinciam, & Collegia aliquot gubernâffet, ipfe tamen ineptum omnino & indignum, qui alijs præficeretur, fe reputans, nè unquam deinceps Regimini admoveretur à Præpofito Generali Mutio impetravit. Evitare tamen non potuit, quin à fua Provincia ad electionem Novi Generalis Vincentij Caraffa, demortuo Mutio Vitelefchi (cujus pariter electioni ad-fuerat) Anno 1645. mitteretur, à quo eandem à regendo immunitatem fibi confirmari obtinuit. Nè verò humilitas ejus tantùm in fpeculatione, & in animi ad eam præparatione confifteret, permifit eum DEUS, quod ipfum ille perpetuis ab eo precibus flagitabat, graviffimis contemptibus & depreffionibus per omnem vitam, ab omni hominum genere affici, nec ferè quidquã boni ab eo, ex quo primùm Româ redivit, præftari, quod non fub virgam graviter cenforiam revocatum vapularet. Vix Româ Cracoviam intulerat pedem fingulari favore Procerum Ecclefiaftici & Politici Ordinis exceptus, à quibus partim ex fama, partim ex notitia Romæ contracta invifebatur, aut domum invitabatur; mox quidam interpretati ab eo favores & gratiam Magnatum captari, & in Aula manfionem affectari, Præfidem Provinciæ impulerunt, ut conducto clàm aurigâ, nè quid de fuo difceffu Patri fuboleret, uno temporis articulo currum confcendere, & Warfaviam abire juberetur. Warfaviam vix attigerat, cùm ecce novo imperio Vilnam amandatur, ad munus Præfecti fpiritûs; ipfe animi tam potens, ut ad improvifum utrumque imperium fingularem lætitiam, & fynceram promptitudinem declararet. Quia verò plurima per vitæ decurfum illi eveniebant, quæ naturæ vires fuperare videbantur (quorum nonnulla infrà recenfebimus) multis habebatur pro illufo à Dæmone, quíque fpiritu peregrino, neque fatìs Inftituto Societatis conformi duceretur. Similiter quia junioribus potiffimũ fe in alloquijs adjungebat, & quos vitæ religiofæ parùm obfervantes, vel etiam in propofito Vocationis vacillantes adverteret, ad fe familiariter attrahebat, blandiùs alloquebatur, errata excufabat, fuêre non pauci artificij ejus ignari, qui ipforum defectus & morum diffolutionem ei imputarent, refractarijs & murmuratoribus favere crederent, planéque Juventuti noftræ noxiam ejus converfationem cavendámque, non femel Romam ad Patrem Claudium, Mutium, & Caraffam perfcriberent: cùm tamen eventus plerumque femper contrarium oftenderent, ut tales ejus alloquijs fenfim mitefcerent, & tramitem folidæ virtutis ingreffi conftanter tenerent, atque in perfectos Religiofos evaderent. Palmaris tamen calumnia fuit occafione Comitiorum Regni fub Wladislao Rege, ipfi per Poloniam & Romæ impacta; in quibus quia Religionis quoque caufa tractanda erat, voluit Rex etiam Superiores Religioforum, in quibus & Lanci-

cici-

cicium Provincialem, adesse. Igitur articulo quodam in medium prolato jussus sententiam suam dicere, mitiorem secutus est, quam ipsum præcipui Antistites & Proceres, nè Regnum turbis involveretur, ante & post Patrem dixerant: statim malevoli, alijs qui idem senserant silentio præteritis, unum Lancicium, composità ad Regem & Patrem Generalem accusatione, invadunt, Schismaticis in Comitijs, nè Regno proscriberenrur, favisse: apparere eum necdum penitus affectus, in schola Calvini olim imbibitos, exuisse. Atrocem calumniam passim per Regnum vulgatam an refelleret, tanquam Societati noxiam, an silentio concoqueret, dum dubitat, literæ ab Generali Româ supervenêre, jubentes, quâ posset arte & testimonijs infamiam tantam ab se & Societate amoliri. Nec difficile fuit mendacium diluere. Nam & Rex diplomate publico, manu suâ signato, sub Regio, & altero Ducatûs Lithuaniæ sigillo, innocentiam Patris testatus est: quod idem suis sub chirographis & sigillis præstitêre Archi-Episcopus Gnesnensis, & omnes Episcopi Poloniæ, Russiæ, & Lithuaniæ.

Tam profundè à se ipso exinanitus, nil mirum est, si plenus DEO fuerit, quovis loco & tempore illi intimè conjunctus, inque ejus conspectu ità ambulans, ut singulas suas actiones, passus, & motus corporis, actuali intentione illi offerret, omniáque non nisì propter illum ageret. In Oratione mentali, cui magìs acquiescebat quàm vocali, post primam illam initio Religionis à scrupulis desolationem, nullum unquam tædium, sed summam voluptatem experiebatur: ad quam omni tempore, etiam post gravissima negotia, vel statim à mensa, mentem momento colligebat. Imò si mentem haberet à studijs & curis, vel corpus à laboribus fatigatum, oratione, ùt alij amicorum colloquijs aut quiete solent, vires recreabat, & validiores referebat; omne ab alijs occupationibus tempus vacuum dulcissimè illi impendens. Precum, quas jaculatorias vocamus, usus illi omnino perpetuus, quacunque incederet, aut quidvis domi vel forìs ageret, millies & millies iterando, illud præcipuè *Propter te Domine*. Et quia omnem accurationem & reverentiam ad orationem afferebat, tantum ei donum orandi DEUS, præter lachrymarum beneficium, contulit, ut de eo pro potestate requisitus Pragæ à Superiore, humiliter fassus sit, se à prima Religiosæ vitæ ætate, jam annis 59. nullius venjalis peccati in oratione admissi, seu distractionis conscium esse, neque satìs scire, quid sit evagationes animi in oratione pati: quæ res ejus Confessarios, & familiares conscios, in stuporem rapiebat. Porrò animi in ea gustus ac solatia continua erant, nec raró tanta, inter adversa præcipuè & persecutiones, ut vitam ereptura sibi crederet. De raptibus autem ejus, revelationibus, & miris alijs quæ sub oratione patiebatur, dicetur infrà. Ex nulla re creata solatium aliquod capiebat, totus in DEO & cœlestibus: & si vel solum hoc nomen *DEUS* dici audiret, totus incendebatur animo, & extra se rapi videbatur. Porrò quantopere oratione ejus Dæmon ureretur, variè sæpiùs declaravit, nunc specie grandis molossi comparens orantem allatrando, nunc strepitus ciendo: aliàs verò in cubiculo precantis omnia super mensa súsque déque evertit, & tanto impetu dejecit, ut ferreæ forfices in partes dissilirent: Patre ad omnia immoto, neque ab oratione vel momento desistendo. In qua adeò deliciabatur, ut eam aliquando ad continuas 12. horas, interdum ad 16. & 18. extenderet: & quidem non sumpto per 35. horas nisì semel valde modico panis & mellis cibo, cùm interea catenâ aculeatâ corpus stringente, triplici longáque flagellatione eâdem die se attrivisset. Cùm Missa aut Vesperæ canerentur in templo, nunquam facilè aberat: neque ullâ re faciliùs, in affectus seraphicos rapiebatur, quàm Musicis cantibus, qui voce peraguntur; ut non raró ad pium aliquem textum extra se veluti raptus è Choro profugeret, & in clamores, ac varias brachiorum jactationes prorumperet, sudore interim rigidissimâ etiam hyeme totus diffluens. Præparationi ad Missam communiter tribuebat horam, & tantundem actioni gratiarum: ipsam verò tanto ardore perficiebat, ut non raró viribus deficientibus sustinere se ad aram, nè concideret, cogeretur. Sub qua fervore spiritûs corpori prædominante in sublime à terra elevatus, aliàs verò multo lumine coruscus apparuit: quod idem in cubiculo suo privatim oranti non semel evenit. Quia verò Orationis nutrix ac veluti alimentum est mortificatio, hanc ille corporis & animi sensibus adhibuit constantem, dum penitus edomitos in potestatem redegisset, nunquam refractarios. Plurimis annis lecto alio usus non est, quàm nudo vix tres palmas lato assere, super quo præcinctus cilicio somnum capiebat, neque unquam diebus & noctibus deponebat, donec à Superio-

rioribus juberetur. Orationem peragebat flexis genibus, nunquam acclinis, sed ab omni quod corpus sustentare posset, remotus. Ingravescente ætate horas 4. somno dabat, reliquum noctis consumebat orando, ità ut ante horam consvetam meditationis duas præmitteret horas, & tertiam cum socijs finiret. In omni mensa quærebat abnegatione sui, abstinendo à grato aliquo cibi genere, nil delicatius præter comunia admittendo, solisq; vilioribus vescendo: nec quidquam eorũ in se affligendo omisit, quæ in Opusculo de minimorũ observantia evulgavit. Flagellationes corporis quinquies per diem, nullo vel Paschatis intermisso, longas & sævas adhibebat, singulas per spatiũ aliquot psalmorum, ità ut singulæ saltèm quadrantẽ horæ explerent. Internos autem animæ sensus ità subjugatos post ipsa Religiosæ vitæ principia habuit, ut licèt naturæ esset fervidioris, mentem tamen habuerit omnino liberam à primis etiam motibus iræ, & aliorum inordinatorum affectuum, itémque ab omnibus peccatis merè internis, uti sunt cogitationes otiosæ, turpes, suspiciosæ, & his similia: corpus verò ab omni pravo motu, & tentationibus carnis: sed è contra animum sentiret ad omnia adversa & injurias ferendas ità experrectum, ut mox atq; aliquid ejusmodi irrogaretur, tenerrimo affectu ferretur in adversarios, & ardenti desiderio ijs benefaciendi. Nec ullum officium erat, aut occupatio quantumlibet distractiva, quæ mentem à DEO posset avellere, quin illi actualiter per varios actus internos unitus remaneret, non minùs ac in ferventi meditatione, & sacrificio Missæ. Indè tanta orandi facilitas, ut mox à somno, comestione, & quavis occupatione, perinde ad eam idoneus esset, atque post exquisitam præparationem. De qua requisitus à Superiore Pragæ Anno 1641. ut ediceret, quæ in se experiretur DEI dona, post alia quædam fassus est: *Concessum sibi esse à Divina Majestate ab annis ferè 50. ut sentiat in omnibus actionibus suis ferventem ardorem, etiam dum Mensæ benedictionem & gratiarum actionem dicit, ut sæpe opus sit eum frenare, etiam dum per ambulacra incedit, sentiens quendam, ità loquendo, bullorem animi, ex interna devotione provenientem; & quod ei sæpe contingit, corpus à terra elevantem, & quasi ad cœlum evolare volentem.*

Jam verò, quæ Sanctitatis certissima nota & comes est, adversorum & injuriarum tolerantia, individuè Lancicio adhæsit, sic, ut tota ejus vita meris & perpetuis crucibus contexta fuisse videatur, partim malitiâ Dæmonis in eum excitatis, partim divino beneficio permissis, ut Filio suo similior redderetur. Priorem auctorem expressit ipse, dum concitatâ in se gravi persecutione; familiari sibi sacerdoti colloquens, *audistine*, inquiebat, *quam in me tempestatem concitaverit Dæmon? scio ego, quanto in me odio feratur, adeò ut nè nomen quidem meum proferri tolèret. Crede mihi, si posset, corpus meum in mille partes laceratum in mille patibulis suspenderet. Ego tamen eum ùt creaturam DEI, & meliorem me, sed infeliciorem, amarem, & propter DEUM, si possem, ipsi benefacerem.* DEO autem cruces ex paterno affectu permittenti, longè libentiùs imputabat; quòd eas per patrocinia Sanctorum Martyrum, quorum multa corpora secum Româ attulerat, & per plurima templa Poloniæ, Lithuaniæ, Boëmiæ, & Moraviæ distribuerat, sibi immitti impetrâsset; séque exauditum, ut perpetuis adversis exerceretur, divinitùs rescivisset. Unde factum est, ut hæc illi in solatia transirent, & quoties sentiret in se grave aliquid instrui, toto animo atque etiam copore exiliebat, DEO grates reddebat, plausum manibus dabat, & atroces calumnias per jocum, *bolum pingvem sinè osse* vocabat: adversarios autem in verorum amicorum numero computabat, eos præ omnibus DEO commendabat, nihílque quo eis prodesset, intermittebat. Ad hanc rem precationem breviculam composuit, quam ad pedes Crucifixi in suo Oratorio subnexam habebat, identidem repetendam: *Domine, mi Pater amantissime, cùm sciam quòd tu soleas in eos animadvertere, qui affligunt servos tuos, rogo te propter infinitam bonitatem tuam, parce eis, & da illis in hac vita favores, & amores, & honores: sine eos apud omnes felicitate excellere, & copiosissimis tuæ bonitatis thesauris & gratijs abundare. In me verò converte omnia mala hæc, quæ ijs inferres. Ego solus conculcer, spernar, conspuar, & fiam omnium pavimentum, propter quàm maximam dulcissimi cordis tui exhilarationem.* Solebat & sinceras DEO gratias referre, quòd insectatores sui & infamatores id sinè DEI offensa agerent, quippe zelo boni communis, aut alio bono fine incensi; neque injuriam sibi fieri ab ijs, sed DEO obsequium ex zelo innocente præstari, apud alios interpretabatur. Plerumque autem accidebat, ut imminente graviore quapiam calamitate, præviè nuncium ejus & indicium cælitùs acciperet: sic Nesvisij apud Lithuanos dum sa-

ſacrum faceret, totum altare crucibus inſtructum, planéque obtectum vidit: alio verò tempore totum Collegij Muſeum ijſdem per omnes parietes depictum, ſimúlque quid his ſignificaretur intellexit: quibus oſtentis recreatus, magnificè ſe ſe in animo efferebat, ſibíque plaudebat, quòd conformior Crucifixo Domino evaſurus eſſet: neque rarò ſi adverſitates ejuſmodi differrentur, dolores indè capiebat. Alijs etiam haud paulò altioribus modis futura mala, quò dulciora ipſi evaderent, præſignificabat DEUS, impreſſis ejus animo varijs CHRISTI patientis imaginibus, repræſentando illum modò ſub Crucis pondere fatiſcentem, modò in Cruce inter mille opprobria morientem, modò vulneribus coopertum in linteo ad ſepulturam delatum: quibus mirè excitabatur ad vivendum in perpetuo dolore, ipsíque commoriendum; quod ſummam beatitudinem exiſtimabat, & gaudijs Cœleſtibus præponebat. Cavebat etiam ſollicitè, nè coram hominibus quereretur, aut ullum dolorum lenimen admitteret: & nè quidem apud DEUM querebatur, aut ſolatium poſcebat, niſì gratiam & auxilia poſtulando ad ſufferendum, & pro immiſſis malis grates reddendo. Si quando Sanctorum ſuffragia imploraret ad proficiendum in ſanctitate, hoc ſemper diſertè excipiebat, nè dolores & cruces minuerentur, ſed magìs augerentur: *hoc*, inquiens, *& non aliud Domine ſit condimentum & ſolatium Crucis, dolorum, afflictionum, & anguſtiarum, novas & majores ſubire cruces, & nunquam ceſſantibus afflictionibus propter te DEUM meum ſemper abundare.* Hæc ultra ætatis ſeptuageſimum añum quotidie, maximè poſt Sacrum, Dominum orabat. Maximè verò precabatur, ut in morte accumularet dolores, anguſtias, & omnis generis mala, ut Chriſto violentè & atrociter è vita exturbato conſepeliretur, quod etiam abundè conſecutus eſt. In Officij divini recitatione, quoties in pſalmis Regius Propheta ab inimicis liberari petit, aut malè ijs imprecatur, vel à DEO auxilium contra illos implorat, nunquam hos verſus ad ſuos adverſarios accommodabat, ſed vel ad Dæmones, vel ad Eccleſiæ perſecutores, & DEI inimicos: pro ſuis autem inſectatoribus, præter quotidianas preces, etiam ſacrificium Miſſæ quotmenſibus conſtanter celebrandum ſibi indixit. Quorum ſi ſubinde literas, utì non ſemel contigit, adversùm ſe ſcriptas acquireret, ſummo cum gaudio, poſtquam multis oſculis honoràſſet, imponebat capiti, ingeminans; *iſti ſunt veri amici, qui nos CHRISTO ſimiles reddunt, & per cruces viam ad cœlum complanant!* Tandem in ipſa morte illorum non immemor, reſidua pia munuſcula, quæ in paupertina ſupellectile ſua habeat, bonâ Superiorum gratiâ illis transſcripſit.

Virtutes Theologicas, quàm profundè animo inſculptas ſervaret, declarabat inprimis viva Fides, circa omnia CHRISTI myſteria & Eccleſiæ dogmata, ſic ut nunquam, ex quo puer hæreſim ejuravit, ullâ adversùs Fidem cogitatione infeſtaretur. Hanc primo loco vivaciſſimam exercebat circa Sanctam Evchariſtiam, non minùs acſi ocularitér præſentem in ea CHRISTUM cerneret; in quam teneriore ferebatur affectu, quòd nullibi magìs gloriam ſuam exinaniens DEI filius nobiſcum maneret in terris, cùm tamen à pauciſſimis colatur, & totis hebdomadis inſalutatus, per tot templa ſolitarius abſque ullo honore relinquatur, ab hæreticis autem etiam maledictis inceſſatur. Quas injurias compenſaturus, mille modis eam venerabatur: ac manè ſtatim lecto exiliens, versùs Evchariſtiam in proximo templo genua ponebat adorans, eámque adorationem in omnia totius Orbis ſacraria, maximè ubi CHRISTUS vix ab ullo ſalutaretur, extendebat. Ab æditituis multo ambitu in Collegijs obtinebat, ut quoties novis hoſtijs, poſt veteres conſumptas, ſacrum vas expurgandum eſſet, lavanda Corporalia & Purificatoria, ſacra Hoſtia adorationi publicæ in hierotheca exponenda, Communio diſtribuenda, & hujuſmodi curæ Evchariſticæ, ipſum his adhibere & evocare vellent, promptiſſimum quavis horâ experturi. Quoties Divino ſacrificio necdum ſacerdos intereſſet, eô ſe componebat locô (ſi ſitus Templi pateretur) unde CHRISTUM ſub ſpeciebus latentem ſemper intueretur; quo aſpectu, fatebatur, nihil eſſe in terra ſibi jucundius, & deſideratius. Si ornamenta altarium, ſacri apparatus, auro gemmíſque fulgerent, ſtatuis argenteis vel candelabris aræ ornarentur, præ teneritudine affectûs etiam in clamores erumpebat, quòd CHRISTO ad nos deſcendenti honorificè excipiendo talia pararentur. In omnibus Eccleſiæ ritibus & cæremonijs illas magìs adhibebat, & teneriùs afficiebatur, quæ hæreticis magìs exoſæ ſunt & damnantur: hinc Octavam Corporis CHRISTI, in qua publico cultu per plateas & fora Sancta Evchariſtia circumfertur, maximâ devotione recolebat, in qua ſi tubæ & tympana reſonarent, & magnus Nobili-

bilitatis ac populi accursus, atque id genus quàm magnificentissimi celebritati & venerationi augendæ adessent apparatus, gestiebat usque ad signa & gestus animi parùm sui compotis, subsiliebat, brachia jactabat, gemebat, in clamores erumpebat, ut plerumque publico se proriperet, quò liberè fræna affectibus contineri ultra non ferentibus, laxaret. Fidei tam ardenti spem & fiduciam adjunxit nihilo debiliorem, præsertim de æterna salute consequenda: credebátque injuriam DEO fieri ab ijs Religiosis, qui ex præscripto Regularum suarum viventes, anxiè tamen novissima pertimescerent, cùm tam claram & liquidam à CHRISTO promissionem habeant Matth: 19. *Centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt.* quæ certior esset, quàm omnia testatorum legata, Regum promissa, quàm omnes revelationes, & Angelorum apparitiones, utpote verbo & promissione divinâ in ipso Evangelio firmata. Pari fiduciâ ferebatur ad affutura sibi semper Divina auxilia; quorum ope planè sperabat se pœnas Purgatorij evasurum, ut è corpore rectà in Cœlum evaderet: de quo etiam sponsionem deinceps à DEO accepit. Difficultate in negotijs, sæpiùs sibi ab obedientia impositis, repertâ, quæ humanâ industriâ superari non posse videbantur, tantò firmiorem de bono exitu spem concipiebat, & gaudebat, quòd totum negotium ad DEUM devolutum esset, nihil verò sibi relictum quàm orare DEUM, & cæleste auxilium indubitatè expectare. Ità Vilnæ Anno 1608. cùm exortis inter Academiam nostram & schismaticos Ruthenos pertinacissimis dissidijs, isti controversiæ decisionem, contra omnia Academiarum jura & privilegia, ad Judicia quæ vocant Tribunalitia detulissent, neque ulla exceptio nostra & protestatio contra illegitimum Judicem, ob potentiam hæreticorū proficeret, indubia erat Schismaticorum victoria in eo tribunali, in quo 27. hæretici præsidebant. Ergo Nicolaus causæ huic agendæ à Superioribus constitutus, dum ingenti fiduciâ ejus successum Cælitibus commendat, adest illi per quietem conspicuus Edmundus Campianus S. I. pro Fide Catholica sangvine in Anglia fuso clarus, certámque & securam de schismaticis victoriam promittit: quæ etiam contra omnem expectationem secuta est. Huic non absimile est, quod ei Romæ sub Clemente VIII. contigit. Ardebat Pater mirum in modum imaginem Stanislai Kostka, necdum Beatorum Catalogo tunc inserti, publico cultui exponere, cui perficiendo nulla humana via apparebat. Itaque spe in solo DEO erectâ ardenter precanti, adest visibiliter DEI Filius vultu hilari & placido, protensáque dexterâ candidum folium dimittit, pulcherrimo charactere inscriptum his verbis: *Fiet tibi sicut vis*: tantâ simul certitudine animo illius impressâ, ut rem veluti jam confectam, pluribus ante eventum hebdomadis, Simoni Jenerio affirmaverit: quæ à Clemente Anno 1605. die 14. Augusti interveniente Ducissâ Sforciâ obtenta est. Quo ipso die tantis lætitijs incedebat Pater, nihildum de Pontificis concessione sciens, ut sese vix caperet, donec rem confectam cognovisset. In necessitatibus Collegiorum penuriâ oppressorum, solâ oratione & in DEUM fiduciâ, eadem sustentabat, impetratis pecuniarum summis, & in arca vel pluteo repertis, ùt adhuc referemus. Indè maximè oderat Superiorum parsimoniam, qui inter angustias ex defectu Fiduciæ in DEUM, res ad victum necessarias parcè & malignè dispensant, vel in futuram necessitatem reservant: quam mirabili eventu in Præposito Lancicij damnavit ipsamet Divinitas. Miserat Domui, quam Lancicius tunc incolebat, Vir potens, eleemosynæ titulo magnam piscium vim pro Quadragesima; & jam tertia Jejunij fluebat hebdomas, cùm necdum vel unus triclinio illatus est. Cui tenacitati indolens Lancicius, & malè à DEO ominatus, familiari sibi socio edixit, fore, ut nullum ex eo piscium numero domus degustatura sit, quòd Numen eam parcitatem impunitam latura non foret. Vix dies cum nocte intercesserat, quando fluvius aquis excrescens tanto impetu in cistam piscariam irruit, ut omnes catenas, quibus ripæ alligabatur, ruperit, secúmq; cistam ferens, & inobvia quæque impingens, totam confregerit, & pisces liberos in alveum fluminis effuderit.

Amoris Divini æstu ardebat continuè, & creberrimè prorsus ignescebat, ut videretur toto vultu flammas spirare, & præ vehementia affectuum vix posset in verba vocem formare. Ad hunc à DEO obtinendum, fovendúmque deinceps & conservandum, necessarium esse ante omnia dicebat & svadebat, animam ab omnibus peccatis & vitijs, magnis & parvis expurgare, & deinceps mundam ab ijs conscientiam omni studio conservare: in quo ipse tantum profecit, ut conscijs Moderatoribus votum ediderit, nullo veniali peccato deliberatè DEUM offendendi; quod ad mortem usque creditur inviolatè servâsse, uti ipse non semel fami-

lia-

liaribus ſuis & Superioribus aſſeruit. Jam ergo cum DEO in oratione vel per jaculatoria ſuſpiria agens toto vultu rubebat, quandoque ità exardeſcens, ut veſtem à pectore diducere, portam & feneſtras hyeme etiam aperire, vel pannos frigidâ madentes applicare pectori cogeretur. Ex hoc eodem divinæ charitatis affectu oriebatur, ut quoties de glorificando DEO, ejúſve magnitudine aliquid legeret vel audiret, extra ſe rapi videretur, ùt v. g. in Miſſa, *pleni ſunt Cœli & terra gloriâ tuâ &c. & Regni ejus non erit finis &c.* Idem illi accidebat, quoties videbat DEUM honorari, adorari, ùt cùm campanis populus ad templum excitetur, & magno numero alacris afflueret &c. tũ totus animo geſtiebat, Deóq; gratulabatur quòd adhuc invenirentur, qui in tanta mundi perverſitate Divinæ gloriæ propagandæ ſtudio tenerentur; optabátque fieri, quod olim Judæi per invidiam in Chriſto deteſtabantur, *ecce totus mundus poſt eum abijt.* Ex eodem amoris motivo inſtanter deſiderabat altiſſimum ſanctitatis gradum conſequi, atque ad eum omnia neceſſaria à DEO auxilia & gratias quotidie ardenter exorabat, ut tantò magìs DEUS per illum glorificaretur. Ideò petebat flagrantiùs, quòd aliquando in Miſſa legens ea verba: *ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filij tui corpus & ſangvinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratiâ repleamur:* intellexerit divinitus, gratiſſimum DEO eſſe, ſi ſervi ſui ad maximam ſanctitatem anhelent, ùt omnem in ſe benedictionem & gratiam attrahant, cùm ex participatione Sanctiſſimi Sacramenti fiant membra & corpus CHRISTI. Indè etiam tenerrimè afficiebatur ſanctis illis, qui vel nunquam aliquo peccato DEUM offendiſſent, vel heroico quopiam actu, martyrio, vel arduo facto illum honoràſſent. Purgatorij pænas eſtò acerbiſſimas, negabat tamen eſſe ideo refugiendas; nisì quòd occaſio ſint Dæmoni inſultandi DEO, quòd illi negligenter ab hominibus ſerviatur, ut ideo neceſſarium ſit tam atrociter eorum ſocordiã expiari. Hoc amore veluti ebriùs videbatur, nonnunquam mente exerràre: ùt cùm Pragæ Anno 1641. primum inter Regios Boëmiæ Proceres Miniſtrum inviſens, ſub medium colloquij de DEO rebúſque divinis ſellâ conſurgens ſe proripuit, apprehensúmque utroque brachio Comitem Excellentiſſimum quàm arctiſſimè ſtrinxit, iteratis vocibus inclamando, Excellentiſſime Comes, amando, amando, amando! Et cùm Comes quæreret, in quo reponeret ſolidum erga DEUM amorem in homine ſæculari, & curis Regni occupato? reſpondit, non peccare nisì leviſſimè & rariſſimè, & patiẽter ac fortiter adverſa quæcunq; tolerare. Quod dictum, & extaticus ille amplexus, tam altè in animum Comitis deſcendit, ut copioſiſſimas profunderet lachrymas. In rebus creatis omnibus inveniebat & amabat Deum, & ex ſingulis decerpebat, unde illum laudaret & glorificaret: ipſum tonitru, & omniũ maximè formidandum fulmen, ad illum ſummè exaltandum Patrem provocabat, ut præ lætitia cubiculo ſe proriperet, & obvijs ingeminaret, en! quàm magnum & potentem habemus Dominum, ad cujus vocem totus Mundus contremiſcit! Sed neque aliunde majore affici poterat dolore, quàm ſi in oculos ejus vel aures gravis aliqua DEI offenſa incurreret: ſic ut aliquando toto triduo gemens & mœrens cubiculo incluſus hæreret, quòd reſciviſſet apertum quoddam ſcelus in Urbe commiſſum. Accidit aliquando hominem prædivitem, & nobiliſſimo ex genere in Lithuania in lectulum mortalem dejici, qui auditis mirabilibus, quæ DEUS per Patrem operaretur, ſpem conceperat valetudinis ejus precibus recuperandæ; non obſcurè promittens noto ſibi Sacerdoti, à quo morti parabatur, ſi id fieret, amplas poſſeſſiones Collegio, cum aliquot millium annuo proventu ſe donaturum: Adfuit ægroto evocatus Lancicius, æquè hominis morum & vitæ, ac promiſſionis factæ ignarus; nihílq; morbi gravitate perterritus, preces ad DEUM ſuas pro ægri ſanitate appromiſit. At ubi domũ reverſus intellexit hominem graviſſimis & mali exempli, & longâ conſvetudine inveteratis criminibus ac vitijs oneratum eſſe, DEUS bone, inquit, huic homini præſtabilius eſt mori quàm vivere! nolim ego pro ejus vita orare, quâ ad DEI multiplicandas offenſas abutatur! itaq; dives ille optimè tum ad mortem comparatus deceſſit.

Ex hoc eodem DEI amore & ſuper omnia æſtimatione, naſcebatur in eo inextingvibilis quædam ſitis annihilandi penitus ſui, & in obſequium ejus quoad omnes potentias im̃olandi, ut nihil ad libitum proprium, aut ſuâ inclinatione agere ſuſtineret, ſed judicio ſuo & voluntati mortuus, alieno arbitrio totum ſe ſubjiceret. Itaque quidquid circa ſe à Superioribus decerneretur, aut exequendum imponeretur, cæcâ obedientiâ acceptabat, pro omni ratione reputans, quòd imperaretur. Mirúmq; eſt, virum ætate, virtute, doctrinâ, rebus geſtis, auctoritate partâ tam con-

conſpicuum, ſingulari DEI diſpoſitione arduis quibuſdam imperijs jactatum, tamen nè cogitationem quidem Majorum imperijs adverſam paſſum eſſe, minùs admiſiſſe. Unicum exemplum afferam, ex quo patebit, perfectam obedientiam poſſe Majorum juſſa, etiam revelationi Divinæ cum merito præponere. Anno 1639. irrumpente in Boëmiam Svecico exercitu, omniáque rapinis, cædibus & incendijs vaſtante, Lancicius tum Kuttenbergæ in Collegio agens, juſſus eſt cum aliquot ſocijs Novamdomum, tanquam ſecuriorem locum ſe recipere, deſignato & itinere, & diſceſſionis die 31. Maji. Acceſſit Rectorem Lancicius, monuítque, ſi eâ viâ proficiſcerentur, periculum non evitaturos; ſe ea de re diſtractionem habuiſſe (ità loqui ſolebat, cùm ei aliquid cælitus revelaretur) foréque ut tres è ſocijs viæ mactarentur, reliqui ægrè mortem evaderent. Rector ſeu perturbatione non advertens quid à Patre diceretur, ſive aliâ quâ causâ, juſſit nihilominus viam præſcriptam teneri. Curru vehebantur tres, Pater Joannes Meak, cum Fratribus Martino Ignatio, & Wenceslao Trnozka, Nicolaus equo: ceteri pedites ſequebantur cùm alterum à Kuttenberga milliare ingreſſos armati hæretici latrones invadunt, à Nobili hæretico ad id conducti, & ſolutis bombardis tres in curru è veſtigio necant: quos revera Fidei causâ cecidiſſe, in *Societate ad ſangvinem uſque militante*, oſtendimus. Pater Nicolaus equo deſiliens, pedes, nihil concitato curſu iter aliquamdiu relegit, nullo (quod miraculi loco habitum eſt) latronum inſequente, donec à ſocijs fugitivis repertus, cum ijſdem Iglaviam tenuit: rebus omnibus vitâ ſibi charioribus exutus, putà ſcriptis exquiſitiſſimis, centum ferè Tomi erant, multorum annorum labore, Romæ præſertim, in edenda aliquando opera collectis, quibus currum impleverat: item multorum Sanctorum lipſanis, quæ ità disjecta & confuſa poſtea avulſis inſcriptionibus reperta ſunt, ut omnino diſcerni non poſſent. Atque hanc ipſam rerum ſibi chariſſimarum eo in itinere amiſſionem illi Kuttenbergæ ante diſceſſum revelaverat Dominus, ut tantò perfectius de ſe faceret obedientiæ ſacrificium. Cùm enim eo die Miſſam in Baſilica Sanctæ Barbaræ legeret, in ipſa SS. Euchariſtiæ ſumptione vocem audivit ex Sacra Hoſtia ter ſe interpellantem: quid ſi tu omnia tua ſcripta amitteres? ad quod ille, Domine cum vita mea libenter tibi offero etiam omnia ſcripta, quæ tamen quanti fecerim, tu nôſti. Condoluit huic jacturæ ipſe Cæſar Ferdinandus III. cui Pater ob Sanctimoniæ famam fuit chariſſimus, ac decretum triplici idiomate ad Capitaneos (ùt vocant) diſtrictûs illius miſit, jubens omni curâ in Patris ſcripta inquiſitionem fieri, & quæ reperirentur, eidem reſtitui. Sed ſerum erat mandatum, ſiquidem hæc latè per viam disjecta, diſcerpta, & omnibus aëris injurijs & pluvijs abjecta, inutilia evaſerant. Efficaciùs tamen damnum omne compenſavit DEUS, utì jam ſupra retulimus, ut Pater etiam de hac jactura magìs gauderet, quàm triſtaretur, & diem hunc rapinæ ſpeciali devotione annuè tanquam feſtum recoleret. Neque mirum eſt tam excelſo loco imperia Superiorum habuiſſe, qui in ijs DEUM ſemper agnoſcebat; nec ferè aliud crebriùs in ore habebat illo, *qui vos audit, me audit*: ſic ut nullam rationem aut motivum ad obediendum attenderet, vel admitteret, nisì quia imperaretur. In ijsdem reverebatur DEUM, & quoties cubiculum eorum præteriret, ante januam licèt clauſam caput inclinatum denudabat; id quod deinceps ſemper obſervabat, eſtò deſinerent eſſe Superiores: Literas ab eis acceptas, venerationis causâ, non nisì ferè in templo, aut ante ſuum Oratorium de genibus aperiebat & legebat. Ad primum campanæ ictum omnibus relictis cùm ſe proriperet, mirabatur poſſe dari Religioſum aliquem, qui audiendo expreſſam Divinæ voluntatis ſignificationem, eam tardiùs, & cunctando exequeretur. Neque contentus, per obedientiam, & alia communia Religionis vota, ſeipſum penitus Divino amori immolare, adjecit illis alia haud paulò magìs ardua, ùt votum nunquam admittendi ſaltèm deliberato conſenſu peccatum veniale: nunquam propalandi divina dona ſibi conceſſa, nisì obedientia, vel manifeſta neceſſitas, vel certa & ſupernaturalis utilitas proximi exigeret; amandi ex corde inimicos omnes, quod hiſce verbis concepit: *Voveo, me propter te dilectiſſime DEUS meus, ſemper & ubique omnes adverſarios meos & inimicos, ſi qui fuerint, & qui fuerunt, vel adhuc erunt, & omnes quovis modo mihi ac rebus meis contrarios, ex corde amaturum, tanquam veros ac ſolidos, mihíque charos, & à me purè propter te expetitos amicos & inſignes benefactores, magis exoptatos quàm eos, qui ſunt mihi rebúſque meis faventes, quibus ſemper & ubique propter te carere volo DEUS meus.*

Atque in his aliíſque ſolidarum virtutum

tum exercitijs traductâ ſanctè vitâ, ubi ex Boëmia in Poloniam rediviſſet Anno 1642. partim in ejus, partim in Lithuaniæ diverſis Collegijs conſedit, eodem ubique animarum bono & lucro: niſi quòd iterum ad electionem Generalis Vincentij Carafæ Romam miſſus eſt. Unde Anno 1646. redux, ad annum uſque 1652. ſupervixit, donec eodem Caunæ Regiâ urbe, ad diem 30. Martij, quæ erat Dominica Paſſionis, ætatis verò anno 78. ſpiritum DEO reddidit. Optaverat ille multis apud DEUM votis, ùt jam diximus, mortem cruciatibus & doloribus prolixis acerbiſſimam, fuiſſéque exauditum ſequentia abundè probant. Nam morbo ultimo in lectulum proſtratus, toto pæne ſemeſtri illo neque egredi, neque caput aut corpus erigere, neque ſitum unquam mutare potuit. Ergo lateri dextero continuè incumbenti, tabe gravi corporis partes aliæ exeſæ, aliæ adeò confectæ, ut pedes digitalibus vermibus ſcaterent, quos (incaſſum priùs medicorum, jubentibus Superioribus, adhibitâ omni curâ) deinceps abigi non eſt paſſus, latè paritérque profundè tibijs perforatis: per quarum cavernas ingredientes egredientéſque læto ſemper, & nullos dolores ſentienti ſimili ſpectabat vultu. Auditus eoſdem placidè alloqui, & ut opus ſibi à DEO impoſitum feriò exequerentur, monere, ſubindéque diutiùs per lectum ſe volutantes, ad ſe cruciandum in foramina invitare. Tanta Viri tolerantia neminem ex ſpectatoribus non attonitum dimiſit: lætus continuò vultus, modeſtus ſermo, omnis gemitûs expers, imò eum inviſentibus etiam amœnus; inter quos Medicus externus Lutheranus ſpectaculo ſtupefactus, magnum Sanctum palàm per Urbem proclamavit: ex qua novi ſemper ad videndum prodigioſum hominem adventantes, per ſe vel amicos, ſe ſuáque negotia ægroto commendabant. Ex his præcipuus Caunæ civis Caſimirus Zypla, cùm de periculo graſſantis in vicinia peſtis Patri loqueretur, reſpondit, ab incendio magìs quàm à lue cavendum: quod mox ſecutum, potiſſimam Urbis partem abſumpſit. Parocho loci, eidémque Canonico Vilnenſi Nicolao Ilupsky, eo animo ægrum inviſenti, ut aliquid ex rebus uſu illius veluti ſacratis, & nominatim pileolum obtineret, cùm id Rectori in ipſo januæ ingreſſu ſecretò aperuiſſet, nemine prorſus alio voti conſcio, priùs ultrò oblatum à Patre tulit, quàm petere auderet. Quidquid temporis humanis officijs vacuum habuit, totum divinis impendebat, & ſibi veluti ereptus invehebatur Cœlis. Deficientibus jam viribus vocato Rectori, Patri Floriano Malewsky, edixit, ſe pro miſericordia DEI, ejúſque iteratò ſibi factis promiſſis, ſperare rectum in Cœlos abſque purgantibus flammis tranſitum, ideóque petere, ut ſuffragia Societatis pro defuncto de more peragenda, non pro ſe, ſed pro exiſtentibus in peccato mortali, & converſione hæreticorum offerrentur. Ultimo vitæ triduo impetravit, SS. CHRISTI corpus thecæ incluſum ità penès ſe locari, ut ſemper illud præ oculis haberet; in quod inconnivi obtutu defixus, ſolis lachrymis, labiorum motu, & continuis ſuſpirijs prodebat, quid animus intus agitaret; donec animam emiſſurus, factâ humili capitis illud versùs inclinatione, oculos ipſe ſuis digitis in mortem concluſit, & manibus in crucem ante pectus compoſitis quietiſſimè expiravit. Porrò tribus ultimis continuis noctibus cœleſtis cantus, ipſo Rectore auditore & teſte, toto cubiculo morientis reſonabat, in tres veluti choros diviſus, quaſi præludens honoribus & venerationi, quæ demortui corpori certatim exhibita eſt. Siquidem fruſtrà renitentibus ſocijs, ùt primùm in urbe mors Patris innotuit, congeſta ſuper corpus ab accurrente populo ſunt roſaria, icones, & id genus pietatis inſtrumenta, velut ab ejus attactu ſacranda, cùm tamen ijs Regionibus id nunquam uſitatum, neque à memoria ſæculorum in quoquam aliorum viſum fuerit. Mox etiam de loco tumulandi corporis certamen exortum, cùm Epiſcopus Vilnenſis apud ſe locô ſeparato Vilnæ, theſaurum deponi vellet; renitente Principe Alberto Radzivilio, Lithuaniæ Cancellario, & Caunæ Capitaneo, causámque penitus evincente populo & civitate Caunenſi. Piam hominum exiſtimationem mox varijs ſignis confirmavit cælum, redditâ ejus nominis invocatione quàm plurimis ſanitate, variſque impertitis beneficijs. Albertus Thulibowsky Epiſcopus Poſnanienſis, nactus manu Lancicij conſcriptam ſchedam, quâ Calviniſmum in adoleſcentia ejuraverat, mira per eam patrata propriæ manûs chyrographo teſtatus eſt in hæc verba: Per ejus contactum multi ex familia mea, qui graviſſimis febribus laborabant, & jam mori videbantur, repentè ſunt ſanati. In particulari, puella annorum 15. in Cœnobio Præmonſtratenſi Plociæ, non auditu tantùm & viſu, ſed etiam ſenſu tactûs jacebat privata, nullis ſeu medicis, ſeu ſacris remedijs quidquam proficientibus: perrexi tandem ad eum lo-

cum ipse, & in meritis Patris Lancicij implorando DEI auxilium, chartulam in fronte puellæ deposui, quæ mox à meo discessu, post mediam circiter horam, surrexit, hoc unicum anxiè requirens, quis apud se ante mediam horam fuerit? In oppido Siepre, cùm Sacramentum Confirmationis administrarem, accessit mulier energumena, quam malus hospes nullatenus confirmari sinebat: imposui igitur illius capiti prædictam schedam, & mox compressa est maligni violentia, & mulier confirmata. Puer meus in bonis meis Prauda nuncupatis, gravissimo sæpiùs calculo enecabatur; imposita huic quoque scheda in fronte, éstque ad hoc usque tempus ab eo malo liber. Ibidem uxor mei Vice-Capitanei gravissimè partu laborabat, ità ut fœtu mortuo enecari videretur, applicatâ chartâ & ipsa convaluit, & partum vivum est enixa. In Vilnensi Academia Stanislaus Dowgialo nobilis adolescens, gravissimis capitis doloribus cruciatus, reliquijs Patris Lancicij admotis, statim convaluit; utì & Wladislaus Giedroyc à febri tentatus. Plura ejusmodi qui volet, vitam ejus consulat; ego ad ea transeo, quæ DEUS per illum in vita mirabilia patravit.

Stanislaus Kuczborsky Castellanus Spircensis, Vir opibus & Senatoriâ Regni dignitate inter Proceres Poloniæ illustris, multis annis pedum dolore laborabat, ut domo ad Consilia & Senatorias functiones sellâ efferri necesse haberet, neque domi, nisì grallis indecorè nixus, gressum figere posset. Hunc cùm Nicolaus Anno 1633. familiariter adivisset, inter amica colloquia repentè grallam, quâ nitebatur, illi ex manu surripuit, affirmans, non decere tantum Virum his fulcris inniti. Exclamat ille ad periculum, se jam concidere & ruere; cùm inter ipsum ruinæ discrimen animadvertit robur in pedes subire, sanos fieri, ac se consistere, imò & progredi posse. Vixit diu ad omnia obsequentibus pedibus, & descriptâ rei ipsemet historiâ factum totâ Poloniâ evulgavit; útq; erat Vir magni & liberalis genij, Collegio Societatis Plocensi supra 10. millia, ultimâ voluntate gratus legavit. Semper tamen indiciũ aliquod præteritæ clauditatis retinuit, licèt sinè impedimento, & integrâ pedum sanitate; quod ipsum illi Nicolaus in curatione prædixit, inquiens, Stanislaë, non plenè convaluisti, quia non plenè credidisti. Nec minùs beneficus in ejus filiam Marianam fuit, quæ postea Pomeraniæ Castellano in manus venit: hanc per annos plurimos videndi facultate destitutam rogatu Parentis invisens, oculos cruce signavit, & illa momento lucem aspexit: per totam Poloniam miraculo vulgato, & ingenti admiratione accepto. Nec minùs mirabilitatis habuit eorundem oculorum curatio in Patre Casimirio Koialowitz, quo tempore versabatur in tertia Probatione sub Instructore Lancicio, dolore & fluxu eorum ità per tres ferè menses invalescente, ut non leviter metueret, nè ad munia Societatis penitus inutilis redderetur. Cùm igitur remedium sacræ benedictionis ab illo confidenter oculis suis petijsset, risu primùm exceptus, ac deinde verbis ad increpandum compositis, quòd miraculum à se fieri peteret, rejectus est. Crescente indies malo, ut jam nec quadrantis horæ spatio legere quidpiam posset, ídque nonnisi oculorum altero per vices clauso, adest die quodam Lancicius, significans mandatum sibi ab Generali Patre Vincentio Carafa impositum, quô jubebatur omnia circa se DEI specialia dona scriptò Romam transmittere: pro quibus in justo libello describendis illum designat. Nihil excusavit Casimirus, quòd mentem subiret cogitatio, hoc medium fortè in speciem oppositum & nocivum, à Nicolao adinventum, ad mali curationem. Igitur invocatâ per ejus merita DEI clementiâ, libellum charactere Nicolai conscriptum arripit, eóque oculos malè affectos abstergens, instantaneo succursu dolorem simul & fluxum omnem detergit. Recurrerunt quidem aliquoties inter describendum puncturæ prioris doloris, sed leves ac propè nullæ, ut vix sentirentur, & quæ solo medici characteris attactu prorsus diffugiebant: donec re P. Nicolao ex vero relatâ, ipsi bene precatus, beneficium hoc perpetuum esse jussit, ut nunquam vel signum prioris vitij rediret. Minoris longè stetit sanatio hominis oculorum dolore penè ad insaniam redacti, qui Patri ex Provincialis officio Collegia visitanti, ad Stuckum (nomen est loci) occurrit, ejulans & lamentans; nam Pater curru desiliens ad ægrum, *non est*, inquit, *quòd ultrà crucieris: sol nimis te perstringit, hinc ille dolor. En tibi meum strophium, quo oculos contra lucem obtegas: satis scio, malum omne sublatum iri*; Dixit, & curru conscenso iter resumpsit: simúlque cæcutienti dolor omnis ab oculis evanuit, ut deinceps indemnis solem & lucem semper aspiceret, quam ferre tam diu non poterat. Et erat hoc semper illi solenne, ut ejusmodi beneficia sanitatum collaturus, ad obtegendam miraculi speciem, jocum

cum aliquem, aut medium adhiberet minimè tali fini congruum. Cùm Provincialis Poloniæ munus gereret, Cracoviam Collegium visitaturus venit; pro more suo Valetudinarium primò omnium accedens, Professorem Matheseos reperit à Medicis jam depositum, & extremè ad luctam sacro oleo unctum. Lectulum accedens, detractâ pedi suo crepidâ ægrotum attingit, ac confestim surgere jubet. Surrexit æger illico, nullo morbi vestigio retento. Ità Casimirum Tyskiewicz, Marescballi Lithuaniæ filium, ex febri graviter ægrientem invisens, impacto levi colapho momento persanavit febri nunquam reversâ: testante miraculum Episcopo Vilnensi, & ægri cognato Georgio Tyskiewicz. Simili modo atrocissimos capitis dolores, ab illustrissima Lithuaniæ ProCancellarij Casimiri Sapieha, Conjuge, & ab alijs multis varios langvores & morbos depulit. ùt videre est vitæ illius l. 3. c. 6. & 11. Magìs æstimandi sunt favores, quos à DEO percepit ipse circa suam personam: ùt cùm Romæ existens vidit nomen suum libro vitæ inscriptum, & à CHRISTO Domino ad legendum oblatum hísce formalibus verbis, Sanctus Nicolaus Lancicius Societatis JESU, ídque quatuor vel quinque diversis vicibus, post sumptam inter sacrificandum Sacram Hostiam. Cracoviæ cùm esset Rector, nescio quâ gravi lite oppugnatus, ad Crucifixi Salvatoris statuam supplex recurrit: cui Dominus primùm totius causæ exitum, qualem optabat, revelavit, atque insuper visibili portento declaravit, quàm promptus foret, potenti brachio suo in auxilium oppresso venire. Vidit enim Pater manum dexteram CHRISTI lentè à Cruce dimoveri, & usque ad genua demissam protendi, clavo illæso, quo affigebatur, in suo loco remanente, cujus tamen capitellum obtusum longè crassius est quàm manûs foramen. Ex hoc situ hodiéque remanet idem Crucifixi simulachrum, magno honore asservatum Cracoviæ in Societatis Collegio. Idem ferè evenit ipsi Romæ in templo Sancti Chrysogoni, similiter ante Crucifixum in quadam necessitate precanti, qui illum disertis verbis allocutus & consolatus est: unde singularem affectum & devotionem erga idem templum Pater concepit, habuítque in quavis necessitate pro asylo, & domo refugij. Nam & aliàs ibi precanti, & gravis momenti negotium, totam Societatem concernens per Beatissimam Virginem DEO commendanti, adfuit spectabilis Augustissima Cæli Regina (quæ & aliàs sæpiùs plena Majestatis, illi visendam se exhibuit) & securum optimi eventûs reddidit. Singulare imprimis est, quod cum eadem ipsi evenit Vilnæ, ubi primùm ab Italia illuc pervenit. Obtinuerat is multa corpora sanctorum à summo Pontifice, & ingentem Reliquiarum thesaurum, ùt jam dictum est, quæ unà cum tomis scriptorum facilè 100. quò leviùs ipse iter conficeret, post se advehenda reliquerat in Italia: cùm repentè obortum Pontificem inter & Venetos bellum, meritò suspicionem illi & metum incussit, de interceptis tot sacris lipsanis. Ergo ad patrocinium DEIparæ toto animo conversus, sacerdoti nostro Patri Adamo Olorio peregrinationem ad miraculosam illius Imaginem in Troki, milliaribus 4. Vilnâ, instituenti, epistolam supplicem dat ad Divam exaratam, ad ejus pedes deponendam. Olorius rem Divinam facturus, in ipso accessu altaris epistolam ante imaginem deposuit; quam peracto sacrificio omni diligentiâ requirens, nusquam reperire potuit, nihil dubitans divinitùs ablatam, in signum videlicet acceptatæ Lancicij petitionis. Sed ecce eodem tempore in cubiculo domi moranti Lancicio, eadem epistola repentè super mensa sua apparet expansa responso felici subscripta, *Nicolae, quod petijsti, impetrâsti.* Eventu tam stupendo in reditu ab Olorio comperto, ac per eum toti Collegio manifestato, ingens admiratio omnium animos complevit: donec advectus paulò pòst integerrimè sacer thesaurus, plenam vaticinijs fidem asseruit.

Ut verò alia circa Nicolaum mira cursim, ac velut sinè ordine absolvam, Anno 1607. Romæ studijs operam dabat è Polonia missus Procopius Sambozeczky, acris ingenij, sed disciplinæ Religiosæ minùs patientis. Discesserat jam Româ Nicolaus; qui juvenem suis monitis in officio continebat: quo absente ad genium reverso, adest repentè Pater severo vultu, multísque severè increpito graviter comminatur, nisì resipiscat, & seriam virtutis curam assumat. Scripsit hac de apparitione ipsemet Procopius in Poloniam: sed minis his parùm emendatus, paucis mensibus à Societate dimissus est. Meliorem exitum habuit Florianus Timinsky, vir eximiâ prudentiâ & integritate, de statu vitæ deligendo anxiè deliberans, quòd licèt ad Societatem vocari se sentiret, multa tamen occurrerent animo, quæ consilium difficile reddebant. Ergo Ecclesiam Societatis Lublini ingressus, ut ante CHRISTUM in loco

sa-

ſacro deliberationem finiat, videt ante ſe ſtantem Nicolaum, Cracoviæ tunc multis milliaribus degentem, cujus ſolo lætiſſimo vultu & aſpectu ſenſit omne dubium ab animo depelli: brevíque Societatem ingreſſus, vitæ religioſiſſimè actæ finem æquè ſanctum moriens impoſuit. Virgo Eliſabeth Seniawska, Mareſchalli Poloniæ filia, in Chelmenſi Parthenone anno 1607. more Nobilium Virginum piè educanda verſabatur; cùm graviſſimis exagitata menſe Martio conſcientiæ tumultibus, ob moleſtiſſimas præcipuè Carnis tentationes, orationi ſe dedit; & ecce videt Patrem Nicolaum longiſſimè tunc diſſitum, ſuæ orationis ſocium, & poſtea pro Confeſſionis tribunali ſedentem. Quo aſpectu omnes illecebroſæ imagines momento evanuerunt, neque unquam inpoſterum redierunt. Quid de ſecretorum cordis, & futurorum notitia dicam? plurimi ubique inventi ſunt, ubi illum vivere contigit, quibus, ipſiſmet de ſe narrantibus, occultiſſima peccata non modò nominavit, ſed etiam cum adjunctis omnibus, loci, temporis, complicum aperuit, & eâ ratione ad emendationem adduxit. Brunsbergæ cùm ad Cives diceret, cæleſti inſtinctu (neque enim ſponte ſuâ, ſed quadam internâ vi coactum dixiſſe deinde affirmabat) civis cujusdam mores, & ſceleratos conatus in juvenibus per illicia, quæ domi habebat, corrumpendis deſcripſit, additis minis, niſi deſiſteret. Malè iſta ab Auditoribus accepta ſunt: cives queri, propudioſum civitati eſſe, concivem habere adeò infamem; alij etiam Religioſi damnare, propalam edici, quæ unum concernerent, donec DEUS ſententiâ ſuâ hominum judicia diremit. Triduo enim necdum elapſo, miſer ille in corrumpenda innocentia obſtinatus, repentè concidit, expiravítque: quo triſti caſu omnes illæ in Patrem querelæ conticuerunt. In numeroſo quodam Societatis Collegio, Miſſam pro vota renovaturis legebat: ubi ventum eſt ad illa ſymboli verba, *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur*, tantam vim lachrymarum repentè effudit, ut nè verbum proloqui, neque progredi ultrà poſſet dimidio circiter horæ quadrante, licèt duo adſtites Sacerdotes omni conatu eum revocare tentarent. Tandem ad ſe reverſus, à verbis interruptis Miſſam proſecutus uſque ad finem eſt. Rogatus à pluribus, quid ei accidiſſet? edicere non voluit: ſed uni confidentiori poſt horæ ferè ſpatium ultrò aperuit; *DEUS bone* inquiens, *qualem hodie in Miſſa diſtractionem ſum paſſus! ex omni numero renovantium vota, ſeptem in corde JESU non inveni, quia vocationis immemores Societatem deſerent!* quod etiam re ipſa conſecutum eſt. Accidit aliàs, ut ſex ſociorum cum Patre Nicolao colloquij à prandio de rebus divinis horam conſumerent: quibus dilapſis, unus Patrum, qui nuper Præpoſitus Provinciæ fuerat, quærit, an omnes illi juvenes noſtri in Societate emorituri eſſent? ad quod ingemiſcens Lancicius, *heu me!* inquit, *non omnes! quia Superioribus ſuis, à quibus poſſent juvari, conſcientiam ſuam non retegunt!* factum quod dixerat, & è ſex illis biennio unus è Societate diſceſſit. Prædictionibus hujuſmodi Cracoviæ, Vilnæ, Olomucij, Pragæ, alibíque paginæ non ſufficerent recenſendis. Olomucij Juvenis operam dabat literis in ſpeciem modeſtus & pius, hic à Confeſſione in templo peracta in Lancicium incidit in ambulacro Collegij, ad quem ille, *infeliciſſime Juvenis! Eſtne hoc ritè confiteri? tacere peccata, quorum te pudet? cur ſubticuiſti ante triduum patrata?* ubi is peccata ſua enumerari audivit, tactus dolore in terram ſe abjicit, & abſolvi legitimè impetrat; paulò poſt Religionem ingreſſus, in qua conſtanter piè vixit, & optimè defunctus eſt. Venerat aliquando Brunam Olomucio Nicolaus, & interim dum Janitor ejus adventum Superiori nunciat, ipſe Catalogum perſonarum ad januam pendentem accedit, cúmque ad Novitiorum legendo nomina perveniſſet, fortuitò advenit ex illis unus, ejus directione & educatione nuper Societatem ingreſſus, cœpítque quosdam illi de nomine commendare, at Pater, quos tu, inquit, mihi commendas? hic, & iſte & ille non manebunt in Societate, atque ità prorſus evenit. Complura ejuſmodi cordium arcana ab illo detecta etiam Romæ fuêre, quæ vitæ l. 3. c. 4. & 7. referuntur. Brunæ item Nicolao Sacrum facienti miniſtrabat adoleſcens è ſcholis Matthæus Renardus: is ab malo dæmone impuris cogitationibus fatigatus pæne jam ſuccumbebat, cùm Pater nonnihil ab altari ad eum converſus, *relinque*, jubet, *& abjice has cogitationes*. Ictus veluti fulmine juvenis DEO ſe reddidit, & quod acciderat, Condiſcipulis recenſuit. Ibidem drama ſcholaſticum exhibebat Magiſtrorum unus, maximâ ſpectatorum commendatione & applauſu, Nicolao interim eorum in medio acerbas lachrymas fundente. cauſam rogatus à confidentibus amicis, hanc reddidit, *quia Dominus mihi oſtendit, Magiſtrum hunc*

in

in Societate non moriturum. veritatem eventus ostendit. Anno 1640. Sacerdos Religiosus magnæ inter suos auctoritatis, & Ordinis sui deinde Provincialis, Patrem Glacij tum in Boëmia degentem accesserat, generalem de tota vita Confessionem facturus: cui in ipso cubiculi sui ingressu occurrens Pater, nè sollicitus sis, prior monet, de modo confitendi, nam DEUS mihi omnia revelavit: cœpítque omnia ex ordine recensere ejus peccata, quæ ipse magnâ sollicitudine, nè quid omitteret, anxius, multâ præparatione annotârat. Quod dum audiret, in genua procidens absolutionem ab ijs cum ingenti animæ, inter ipsas doloris lachrymas, solatio & gaudio impetravit: ità ipsemet de se palàm retulit primo Smirzicij Anno 1641. & iterum Pragæ jam Provincialis, coram quatuor nostris Patribus in Domo Professa Anno 1644. Ubi & adjecit, cùm ibidem Glacij in templo nostro pro festo Sancti Ignatij concionem habiturus esset, petijsse à Lancicio quæpiam de laudibus Sancti sibi suggeri, qui ei mox tomum integrum suorum de hoc argumento Notatorum obtulerit. Contigit interim nocte quadam, dum relictâ ardente candelâ diutiùs à cubiculo abest, scintillam in eum librum decidere, à qua dimidio sui consumptus est: ut idcirco diu residuum Patri referre pudore & metu dieffrret; dum tandem timore superato Patrem adijt, quem ille in ipso limine prior affatus, *scio*, inquit, *scio, quid libro factum sit, scivi etiam quá factum est horá.* Tum svaviter increpitum de negligentia, bono animo esse jussit, & benignè dimisit. Acerbissimè scrupulis vexabatur Franciscus Sziubowsky noster Scholasticus, quorum intolerantiâ sub ipsam noctem Patrem pro remedio accessit: cui ille necdum portam cubiculi ingresso, aut viso, *vade mi Frater in pace*, inclamat: *nihil est quod te excrucies; depone inanes conscientiæ metus, & quietè dormi*: ad quas voces, & multò magìs postquam die sequenti ultro advocato Pater inanes suos timores explicuit, plena animo hilaritas redijt. Eidem cùm publica Philosophiæ defensio à Superioribus deferretur, multùm deliberabat, an religiosè honorem deprecaretur. venit iterum consilij causâ ad Patrem: qui subridens chartam illi suâ manu, antequam verbum ille protulisset, conscriptam obtulit, & ante SS. Evcharistiam præmisśâ oratione legere mox jussit. Legit, & omnes cogitationes suæ deliberationis descriptas stupens vidit, adscriptúmque Patris in margine consilium, quod etiam secutus est.

Nec minùs verax aut parcior fuit in prædicendis futuris, ut propè nullus familiariùs cum eo egerit, qui prædictum sibi ab eo quidpiam non haberet: multi graves morbos, alij statum vitæ, alij ætatem longam aut brevem &c. quæ singula ità penitus evenisse compertum est. Romæ dum moraretur, Clementis VIII. mortem, & tempus, diu antè prædixit: & Leonem XI. disertè primâ facri Conclavis & electionis hebdomade illi successurum, neque tamen unum in Pontificatu mensem victurum. Quo die Nesvvisium in Lithuaniam allata est electio Patris Alexandri Gottifredi in Generalem Societatis, Pater Lancicius elevatis tantisper in Cælum oculis subitò exclamavit, electus est quidem, sed brevì ad suos Antecessores apponetur: itáque evenit. Anno 1638. rogatus à familiari sibi nostro Pragæ Sacerdote Godefrido Schuberto, quemnam post mortem Patris Mutij Vitellesci crederet in Societatis Generalem eligendum? post aliquam moram his verbis respondit: *Habet Italia duos Viros admodum præstantes, alter Neapoli degit Vincentius Carafa, alter Romæ Franciscus Piccolomini; uterque erit Generalis, & tu utrumque supervives; Pater Carafa tamen Piccolominium præcedet.* Repetiítque addens: *Ità est, tu vives post illos, ego interea post alterius obitum quiescam in terra.* Omnium veritatem tempus ostendit. Illustrissimæ Matronæ Ludmillæ Comitissæ de Sternberg 13. priùs annis prædixit, filium ejus ad virilem ætatem non perventurum: ac tandem ipsum annum, quo piè decessit, ex Polonia Pragam perscribendo designavit. Ipsius verò Illustrissimo Conjugi Francisco de Sternberg, Regni Boëmiæ Supremo Judici, ex eadem Polonia scripsit: *Vestra Illustrissima Dominatio amet DEUM, brevi enim videbit vitæ suæ finem, & hoc non naturali, sed violentâ morte.* Non apparebat, unde illa violentia Viro togato afferri posset. Ecce tibi Königsmark Svecorum Ductor, post duos non ampliùs à prædictione menses, Arcem & Minorem Urbem Pragensem proditione occupat Anno 1648. in quo tumultu Franciscus, dum temerè fenestram aperit, visurus quid tanto tumultu foràs agatur, globo illi brachium sinistrum trajicitur, ex quo octiduì spatio pijssimè decessit. Sacerdoti nostro, Teicher dicto, apud se coràm multis querenti, quòd corpore indies magìs emaciaretur & deficeret; ridens subjecit, atqui bone Pater tam

tam vasto ventre ante mortem apparebis, ut hæc porta ad exitum tibi futura sit angusta. Post annos plurimos Pater Teicher Pragam ad hydropis curationem venit, & prædictionis veritatem & agnovit, & palàm ipse narravit, ventre adeò tumefacto, ut 15. grandes amphoras ex eo Chirurgi ante mortem eduxerint. Anno 1638. Giczinio Boëmiæ ad Senatorem sibi familiarem Olomucium perscripsit: quia filiolam tuam nimis amas, DEO visum est, ut eâ post paucos dies careas, per mortem illius naturalem. quod ità evenit, non minùs ac sequens, eodem anno illuc perscriptum in hæc verba: *Attendite Urbi vestræ, imminet enim illi grande malum!* cujus causas adjecit, occulta quædam & gravia in domibus, quas nominabat, patrata scelera. Paucis hebdomadis quadam Dominicâ in multis Urbis partibus excitatur incendium, quod supra 90. domos hausit: hausturum fortè totam urbem, nisì numerosissimum ibi nostrum Collegium suppetias venisset, cui etiam à Senatu gratiæ actæ sunt. Sic & duplicem Pragæ obsidionem multò ante prædixit, nostrósque monuit, de annona Collegio providerent, duos brevì exercitus ad Pragam constituros. quod evenit Panirio Svecorum Duce Pragam obsidione premente, quando Urbi in auxilium primò Harzfeldius, deinde Archi-Dux ipse Leopoldus, Cæsareæ militiæ Ductores, in auxilium venêre: unde factum, ut Pragenses à milite Cæsareo annonam emere cogerentur. Altera multò atrocior obsidio successit, post occupatam priùs cum Regia Arce minorem Pragam Anno 1648. quam pluribus variè diversis vicibus, sicut & intercipiendam & diripiendam Triurbis partem, præsignificavit. Sic Viro inter Regni Proceres Illustrissimo, scipionem ex Italicâ arundine dedit, quasi per jocum, in manus, monens; *Scipionem hunc Illustrissime Domine diligenter serva; veniet tempus, cùm valde illo egebis.* Pragâ captâ, Illustrissimus ille unà cum alijs Dominis, rebus omnibus despoliatus, ut nè pallium quidem tegendo corpori relictum sit, scipione illo nixus domos & Urbem obire cogebatur; quod ipse vaticinij Patris memor, passim referre solebat. Oppolium Silesiæ Urbem transeunti aliquando occurrit parvulus, lineam prætextam indutus, quem Pater fixiùs intuitus, Parentibus adstantibus edixit: puer hic postquam adoleverit, nigram mihi similem vestem feret, quâ in Societate induetur; quod & factum. Sed & plurium ex obtrectatoribus suis mortem, & tempus & genus subitaneæ mortis sinè perceptione Sacramentorum, ex vero & de nomine prædixit. Quo tempore Sigismundus III. Poloniæ Rex, exercitum in Roxolanos misit, & eundem mox secuturus tantisper Vilnæ substitit, Lancicius ibidem tum moratus, die quodam Aram accessit Sacrum facturus, sub quo illi conflictus eâdem horâ commissus, unà cum victoria Polonorum revelatus est. Ergo post illud Regem accedens, totam prælij seriem, cum omnibus quæ Regem scire expediebat, illi retulit, victoriam in paucis gloriosam illi gratulatus. Post aliquot demum dies (nam prælij campus magnis centum leucis Vilna distabat) nuncij certatim advolantes, fidem plenissimam vaticinio fecerunt. Ità quoque mortem amici & charissimi sibi Patris Georgij Meridies, Pragæ obitam, Lancicius Iglaviæ tunc Anno 1639. degens, ipsâ obitûs horâ cognovit, & edixit coram pluribus, in communi tunc à mensa colloquio unà consìdentibus, abruptâ colloquij materiâ subitò exclamans, Pater Meridies est Pragæ mortuus! Nam post triduum ex literis indè allatis compertum est, eâdem horâ decessisse.

Sed & alterius vitæ arcana sæpiùs illi revelabat DEUS, præsertim animarum in Purgatorio existentium statum, quæ auxilij causâ ad eum recurrebant. Anno 1641. excesserat vitâ Warsaviæ Pater Casimirus Sarbievius, alter inter Poëtas Horatius, & Wladislai IV. Regis Poloniæ Concionator, quo tempore Pater Lancicius Glacij in Boëmia PP. Tertiarijs præerat: cùm illâ ipsâ mortis horâ oranti illi adstitit suffragia postulans. Manè Pater non tantùm ipse pro demortuo sacrificat, sed & PP. suis animam ejûs commendat, quasi de ejus obitu nuncium è Polonia accepisset: sed supervenientes è Polonia ad diversos literæ, collatis temporibus Patrem convicerunt, coëgerúntque fateri, post primam noctis horam, Sarbievium statim à morte sibi apparuisse. Anno 1637. fæmineis ululatibus & gemitibus Collegium Olomucense implevit SanctiMonialis quædam Romana, quam è socijs multi ad januam Patris audivêre cum illo italicè loquentem. Hanc ille fateri coactus est fuisse è Cœnobio Turris speculorum, ob quosdam in via spirituali defectus, & peccata venialia, de quibus sæpiùs ab se fuisset admonita, ad pœnas Purgatorij tam atroces damnatam, ut comparuerit ardentibus prunis totum corpus ad mediam spithamam cooperta. Hæc postea suffragijs ejusdem pœnis exempta, hila-

hilaris ad liberatorem suum redijt, gratias redditura. Calissij dum munus Rectoris obiret, quoties è sacrario celebraturus prodibat, gemitus ex sepulchro nostri cujusdam percipiebat: donec iterum iterúmque piaculari sacro adjutum, & sociorum precibus commendatum liberavit, & gemitus omnis conquievit. Faciliùs unico Patris sacrificio, mox ab obitu suo pro se oblato, adjuta fuit Romæ Anno 1630. Æmilia Muta, Turris speculorum Sanctimonialis, quæ gloriosa alteri comparens, gratias Patri referri pro beneficio jussit. Jam qui tam beneficus in pios manes fuit, non mirum est, si & ipse obsequiosos Cælestes Spiritus & benevolos expertus est. Anno 1636. Oppaviâ ad Olomucense Collegium delatus, positâ viatoriâ veste, advertit sibi deesse, quam semper in via de collo pendulam gestabat reliquiarum thecam, quam scilicet Oppaviæ incurius reliquerat. Tam nobilis cimelij jacturâ, dente scilicet Sancti Patris Ignatij & Sancti Benedicti, aliísque commotus, positis mox genibus DEO ferventer supplicat: cùm repentè invisibili manu super Oratorium sacer thesaurus deponitur; nemine dubitante Angelico id factum ministerio, quod nullâ humanâ vi, à loco magnis 8. milliaribus dissito, fieri poterat. Alia insuper fuêre quasi perpetua Angelorum in ipsum beneficia, quæ videri possunt Vitæ l. 3. c. 9. ut taceam præsidia in periculis vitæ, & auxilia in qualibet necessitate patenter illi exhibita. Singulare fuit quod illi Calissij contigit, ubi renuciatus Rector, Collegium ità obæratum, & ab omnibus humanæ vitæ præsidijs nudum invenit, ut nulla humana ratio appareret illud sustentandi. Ergo ad DEI opem implorandam ingenti, utì solebat, fiduciâ conversus, finitâ oratione ad cistam, quam paulò ante vacuam tristis reliquerat, accedit, aperit, & aliquot centenis florenorum onustam, quantum præsens necessitas exigebat, reperit: cùm constaret nullum mortalium interea temporis locum accessisse, vel pecuniam tantillâ morâ inferre potuisse. Idem beneficium, Angelico sinè dubio ministerio, iterum expertus est, cùm officium Provincialis Lithuaniæ deponeret. Angebatur maximopere, quòd successori debitum septem millium florenorum relinqueret, quæ in necessitates diversorum Collegiorum mutuata expenderat. Præmissâ ad DEUM ardenti precatione, & certâ de ejus liberali manu conceptâ fiduciâ, dum literas archivi excutit, & successori ordinat, quinque millia florenûm repentè apparent: & nè existimaretur antiquum aliquod depositum, & non recens donum esse, erat moneta tam floridi & fulvi metalli, quasi hodie è monetaria officina prodijsset. Deerant adhuc summæ requisitæ duo millia; igitur ut munus divinum esset completum, sub idem tempus adest Vir pius, qui tantum præcisè, licèt necessitatis Patris omnino inconscius, dono spontaneo obtulit. Concludo hæc mira simúlque vitam Patris Lancicij, relatione de grano S. Joannæ mirabiliter illi oblato, ab ipsomet conscriptâ, quo innumeræ gratiæ & beneficia ubivis locorum exhibita sunt, & ab ipso vivente, & hodiéque præstantur per totam Boëmiam, Poloniam & Lithuaniam, granis ejus attactu sacratis. Anno 1630. Romæ degens Monasterium PP. Franciscanorum adiverat, in quo Ordinis Minister Generalis tum residens, neque aliquid de Patris adventu sciens (neq; enim adhucPatrem illum accersiri curaverat) interno & repentino monetur instinctu, ut unum aliquod granum ex Originalibus S. Joannæ secum deferat, & ei, quem primum in porta Monasterii offenderit, dono offerat. Dum descendit, reseratâ Monasterij januâ accedentem reperit Patrem Lancicium, quo conspecto, nullâ salutatione aut petitione ab eo præventus, prior inquit, *hic habet R.V. quod petiturus venerat*: simúlque ei candidè monitum cæleste aperit; ac nè dubius Pater hæreret, legitimo & publico desuper instrumento postea confecto, Notarij Apostolici Sacrorum Rituum sigillo communivit. Hujus grani beneficium primum se expertum fuisse, referebat Pater, in reditu ab Italia in Patriam, cùm per mare Venetum navigaret: hoc enim in fluctus & periculosam tempestatem concitato, ut de vita universi desperarent, Pater in eorum conspectu granum S. Joannæ, (quod semper è collo cum alijs SS. lipsanis deferebat) eximit, eóque aliud simplex granum piè attactum in fluctus projicit. Vix mersum erat, detumuêre fluctus, & optata quies mari redijt. Secuta sunt deinceps innumera alia in quovis ferè casuum adversorum, puta, incendiorum, præstigiarum, tempestatum, ægritudinum &c. genere, ità ut ab hoc, & alijs Originalibus S. Joannæ granis attacta alia, diversas Provincias, & gratijs ex pio eorum usu consecutis, Annales nostros impleverint, hodiéque ubivis implere pergant.

Ex ejus vita Bohuslai Balbini, & Nadasi Anno dierum memorabilium.



P. Georgius Giedroycz S.I. è sangvine Ducum Lithuaniæ, vitæ iñocentiâ, humilitate, amore proximi; pauperum maximè et miserorū conspicu9; Charitatis victima peste cecidit Vilnæ 12 Iulij Anno 1653. ætatis 35.

173.

P. GEORGIUS GIEDROYCZ cum alijs 15.

Lithuaniæ Ducatus patria fuit Patri Georgio, & nativitatis ejus origines ex magnis illius Ducibus propagatæ, ab ejusdem præcelsa virtute etiam nobilitatæ sunt. Etenim 25. ferè annos natus Societatem JESU Philosophiæ emenso curriculo, Anno 1633. amplexus, illud perpetua in laude retinuit, quòd ab inchoata flagranter virtutis contentione nunquam elanguerit, silentij & parsimoniæ in victu observantissimus. Ex magna animarum siti nullam elabi occasionem patiebatur, etiam necdum sacerdos, eas DEO lucrandi: hinc Polociæ inter docendum scholas eousque industriam suam feliciter porrexit, ut Schismaticos aliquot ad Fidei unitatem adductos, præclaris cohortationibus ad religiosæ etiam vitæ institutum permoverit. Extra urbium mœnia concursatione frequenti ostiatim pauperes ruricolas invisebat, erudiebat, & corrogatâ stipe opitulabatur, ut ad illorum animas iter sibi latius aperiret: exploratoribus etiam certis adhibitis, quorum operâ ad ægros investigandos, aliósque ad confessionem adducendos dextrè utebatur, diebus & noctibus quocunque spes lucri evocaret accurrere promptus, estò vita indè amittenda foret. Ità nocte excitus Caunæ ad domum, in qua ebrius aut furore amens in quosvis stricto ense grassabatur, & jam fœminæ vulnus lethale inflixerat, intrepidus

pidus accurrit, & contempto furentis impetu auxilium illi fauciæ pernecessarium tempore jam supremo attulit. In Missionibus ab aurora usque ad vesperam, citra ullum cibi vel quietis levamentum, sacro tribunali se impendebat, ubi per iter cùm aliquando ad domum Viri hæretici divertisset, noctu pervigil familiam, illo inconscio, exomologesi sacrâ, non unâ vice expiavit. Modestia illi, suíque infra omnes demissio ad omnium reverentiam, semper prompta: nec vetera suæ Familiæ decora audire, & quidquid in veste vel officio splendere posset, religiosè declinare, ut primas etiam in consessu quodam Nobilium socio non Sacerdoti concederet. Quo tamen adeò nihil illi de auctoritate decedebat, ut audirentur etiam quandoque nonnulli, facti cujuspiam verecundiam alicui incussuri dicere, futurum ut id P. Giedroycz rescíscat, eo nempe nomine velut fræno usi. Anno 1653. è trimestri Missione Vilnam ad Collegium redux, cùm aliquem è Patribus inquiri audîsset, qui cladem in lue communem, quâ Civitas tum conflictabatur, suâ industriâ & periculo solaretur, exarsit nimiùm generoso spiritu, & à Rectore eam pro se provinciam fusis primùm precibus, tum etiam lachrymis impetravit. Quod ubi foris Parochos inter Nobiléſque vulgatum est, non dissimulanter improbatum est consilium, & Rectoris facilitas, ac etiam illustris cujusdam Viri apud hunc contra impensè nitentis intervenit contentio: sed obstacula omnia perrupit P. Georgij, periculum incredibili zelo ambientis, desiderium. Quare generali priùs exomologesi perpurgatus, totus æstuans cupidine sui DEO immolandi, operæ sacræ se accinxit: quotidie bene manè Cœlesti sacrificio operatus, reliquo verò die Urbem, & extra illam ad leucæ integræ intervallum egressus, ut nullum eo malo pressum operæ suæ vacuum omitteret. Nam & vespillones, & corporum Curatores, datis quoque munusculis occupabat, ut ab ijs certior fieret de domibus latentium contagiosorum: quos si egentes essent, nam horum potissima illi cura, Magistratuum vel aliorum divitum, ac Nosocomij Præfectorum, & ubi hæc non sufficerent, civium ostiatim rogatorum liberalitate, ac eo etiam, quem è Collegio pro se missum accipiebat, cibo solabatur. Et verò post sex ferè quàm palæstram illam ingressus est menses, pauperi cuidam accuratè ad ultima comparando intentum, teter halitus mortis prodromus, & brevì mors secuta occupavit, posteaquam Sacramentis procuratus Biblia sacra, quibus enixè delectabatur, pro suprema occupatione suæ vitæ paululùm legit: mox enim aquâ lustrali se aspergens, in agonem & mortem solutus est 12. Julij ætatis 45. Societatis 20. anno. Vir præter virtutes alias eximias & selectas tantæ innocentiæ, ut uno ante mortem illius anno Vir è nostris divinorum scientiâ probatus, & vitæ Patris apprimè gnarus, disertè pronunciârit, existimare se DEUM à Patre Georgio nunquam in Societate aliquo etiam veniali, quod plenè deliberatum & voluntarium dicimus, peccato fuisse offensum. Mortem illius magnus omnium Ordinum luctus excepit, etiam inter hæreticos & schismaticos: & Medicus, licèt hæreticus, ubi peste afflatũ intellexit, dixit, se ope omni ac impendijs curaturum, ut ille animarum adeò amans Pater, è periculo evaderet. Ajunt aliquando per iter cùm in hospitium, ubi ille diverterat, fæmina nobilis & ipsa hospes advenisset, Patrem Georgium se de strato proripuisse: cúmque locum alium minimè reperiret, in pagum alium haud parùm dissitum, nocte illa, in Lithuanica hyeme, cum socio abivisse, ac ibi miserè, ferè inter pecudes, nè in eodem conclavi esset cum fæmina, pernoctâsse. Corpus præter alia incommoda, frequenti eáque peracri per horæ dimidium castigatione, hostiliter exercebat, nè dum pro alijs satagit, jacturam sui faceret, sui profectûs indulgenter oblitus.

Eodem mortis compendio ibidem hoc anno 1653. æternitatem adeptus est 5. Aug. P. Adamus Slonczewsky, Masovita, annorum 46. sui pervincendi heros egregius. Cùm enim ardentioris esset ingenij, acrem illam vim ad mirum tranquillitatis modum redegit, nisu tanto se subigens, ut non semel iræ impetum frænans, victoriam non nisi cruentam, sangvine ubertim de naribus erumpente retulerit. P. Adamum 15. Aug. secutus est socius, Christophorus Kulkiewicz, Lithuanus Coadjutor: sed eum antevertit, eodem die 5. Aug. P. Adamo commortuus, P. Paulus Prosczinsky, annorum 47. in Societate 26. Cujus pariter socium, Franciscum Grabowsky, è medio ægrorum, quorum utilitatibus vitam unà devoverat, dies 19. Aug. abstulit. Fuit is natione Pruthenus, totâ propè Societatis vitâ Valetudinarij curæ naviter addictus: natus annos 53. in Societate 28. Vir miræ patientiæ & humilitatis, in commoda ægrorum ità domi, ità in calamitate urbica foris incumbens, ut

ut præter necessariam curam, infirmos etiam dulcissimè recrearet: noctes totas vigil ad eorũ obsequia providenter adverteret, quidquid corporum & quidquid pro suo modulo animorum causâ posset, perquisitè perficeret. Si quâ ipse adversâ valetudine tentaretur, ajebat, illam à se Mariani Rosarij pietate dispelli: ad quod devotionis genus omnes, quâ poterat animi contentione unicè hortabatur, eos potissimùm, qui ruri otium terunt, ad custodienda in pascuis pecora destinati. Nec diu pòst ijsdem Charitatis itineribus evasit ad vitam unius è Sacerdotibus comes, Petrus Cizewsky, Coadjutor Novitius, in mortis tamen lectulo ad vota Religiosa admissus. Post quem 8. Nov. in eadem exercitatione sublatus est P. Mathias Sobotniewiz, anno initæ Societatis 18. Vir utì in se omnino immitis, itá in alios, præsertim pro sacro tribunali facillimus, è quibus luendæ pro culpis pœnæ potiorem & graviorem partem in se transsumebat; ipse conversationis tam integræ, ut creditus sit acceptam in baptismo innocentiam nullo unquam graviore nævo sordidâsse. Immortaliter horrebat omnia, quibus quoquo modo Charitas offendi potest; necquidquam illi parvum, aut vile censebatur, nisì ipse sibi ipsi. Vultus totus compositus ad modestiã, os ad silentium, nisì dum in verba silentio meliora, loco suo & tempore pandendum esset: quam in discipulos adeò ipsos morum compositionem itá scitè transfundebat, ut character quidam illis proprius esset, quô facilè internoscere-tur, quis ex illius disciplina prodijsset. Vilnam ad serviendum pestiferis, exorato Obedientiæ annutu, quô die pervenit, eô ipsô vespere operi sacro se accingens, civium passim obviantium lachrymis & laudibus honoratus est: in quo per solidum trimestre quid in Civium domibus, quid in sacris Cœnobijs eâ clade profligatis egerit, quid ærumnarum pertulerit, nil attinet referre. Fuit, cùm operam navaret civi in conclavi decumbenti, in quo & calor à fornace, & tetrum à lue consumpti cadaver, mortem illi certissimam promittebant. Et verò hausit ibi virus, cui expellendo cùm remedij nihil esset ad manum, DEI Matris imaginem pectori fiduciâ insigni imposuit, & ab hoc Cœlesti emplastro sequenti diluculo extinctum carbonem persensit, séque labori eò ardentior restituit, in quo duravit adusque 8. diem Nov. quando mitescente jam in publicum malo, iterum se ictum advertit, & Sacramenta poposcit, veluti certus, nunc demum se dimittendum in pace. Viaticum dum afferretur, se ad expectandum Dominum suum supplex inter ardentissimos actus, mutato etiam decentiùs vestitu, composuit, & cùm à famulis adstantibus impetrâsset, ut morituro carmen Marianum, *O gloriosa Domina, excelsa super sydera*, accinerent, mirabili cordis ex eo hymno inardescens æstu, manus junctas, & totius corporis gestus, adinstar victimæ ultimum ictum expectantis aptavit, à Domini, qui in Eucharistia adferebatur, desiderio & expectatione suspensus. Et jam præ foribus aderat Cœleste Viaticum, cùm Pater animam exhalavit; in venientis absque dubio Domini sinè velamine occursum properans, ejus conspectu coràm fruiturus. Eisdem addicti miserorum officijs hoc anno decessêre, in Lithuania quidem Pultoviæ Pater Thomas Porzecky, ex avita nobilitate Lithuanus, ibidem aliquando Collegij Rector: & Regiomonti in Prussia 21. Octobr. P. Joannes Kihn, Pruthenus. Quos omnes uno anno ejusdem obsequij contagiosis exhibitâ charitate, & in eo obitâ morte præcesserunt, Michaël Kuszewsky è familia Nobili, Coadjutor, Warsaviæ 19. Octob. anno 1652. & P. Nicolaus Trzcinsky 8. Nov: ibidem. Secuti verò sunt pari zelo & sorte anno 1657. P. Petrus Korzeniewsky Vilnæ 2. Jul. in Livonia natus, annorum 49. in Societate 32. in Coadjutorum graduOperarij & Missionum munijs perpetuò ferè naviter occupatus. Lomzæ verò P. Alexander Grabowsky, ex Masovia ortus, denatus Mundo 11. Aug. socio laborum Coadjutore Joanne Kutonsky, 15. ejusdem consecuto. Quibus Gedani accesêre, Albertus Plovinus Coadjutor 3. Sept. sexagenario major: & P. Joachimus Tideman Pruthenus 20. ejusdem.

Ex Alleg. Vict. Charit.

P. HENRICUS SCHACHTIUS.



Erissimè dixit Sapiens: *Fortis est ut mors dilectio*, ubi semel animum cujuspiam occupârit, sive ea in DEUM feratur, sive in proximum; nec quidquam est tam arduum aut vile, quod non promptè aggrediatur & subeat, si ad salutem proximo offerendam conducat. Pater Henricus Schachtius in Rheni inferioris Provincia Societatem JESU complexus, postquam in



P. Henricus Schachtius, S.I., Germanus, vitâ saluti proximorum afferendæ consecratâ, ut incognitus eam securius procuraret, muscipularum artificem simulavit. Captus, et equuleo ter excruciatus, atque e Svecia proscriptus, decessit Hamburgi 2. Ian: 1654 æt: 71.

174.

in ea trium votorum solennem Professionem emisisset, zelo animarum, DEO præsertim ab hæresi lucrandarum, in Sveciam penetravit. Utque lateret feliciùs, cùm capitale esset Catholico Sacerdoti, maximè Jesuitæ in Regno morari, artificem muscipularum simulavit, quas in foro & per plateas circumferens nummo distrahebat: fidelibus interim in Religione confirmandis, & hæreticis capiendis, velut ex insidijs intentus. Receptus est hospitio apud Zachariam Anthelium Upsaliæ Consulem, Catholicum occultum, apud quem mediastini vilissima obsequia subiens, & cunas agitavit, gerulæque vices identidem obivit, nemine præter Catholicos, qui esset, diu conscio, vel suspicante, adeò cautè & feliciter fabulam egit; donec sceleratus Apostata Aulæ Regiæ musicus, & nihilominus se Catholicum simulans, hominem prodidit. Ergo intempestâ nocte à submissis apparitoribus è lecto in tetrum carcerem abripitur, vestibus omnibus plenè nudatur, frigore, pædore, catenis, ter equuleo acerbissimè torquetur, nihil jam dubius optatæ mortis, tot artibus quæsitæ, sententiam consecuturum. Neque dubium erat ipsismet judicibus gladij supplicio expediendum, nisì incidisset non Civem, sed advenam hospitem esse, non tam rigidè legibus patriæ subjectum; indè vivere permissus, at Regno proscriptus est. Comprehensi non minus in vincula fuêre Anthelius Consul, & Gregorius Ursinus Secretarius, & Juvenis quidam ex eorum fortè familia, simúlque in odium Fidei Catholicæ capite plexi. Et quidem duorum priorum felicem exitum, ultimi verò per-


perditionem, & sibi in manibus infringendæ palmæ infelicitatem, paucis antequam caperetur diebus, per quietem DEUS Patri repræsentavit; quod ab ipsomet conscriptum verbis illius dabo, de se velut de alio loquentis: *Dormiebat quartam inter & quintam matutinam, cùm raptari sibi visus est in aulam magnificè ornatam, atque inter confertam, quæ collecta illic erat, multitudinem collocari. Stabat in capite Aulæ ingens ara, cujus in opposito ad angulum sinistrum ex ostiolo progressus altæ vir staturæ, vestem indutus attalicam albam, truci vultu turbam contemplatus, capite innuit Anthelio Consuli, mox & Ursino, ut ad aram pergant. Quorum, dum eunt, capita, momento in ara collocata sunt, absque corporis trunco. Tertio dein adolescenti, dum idem innuit, ivit & ipse; sed tristis admodum: cujus etiam caput dum eidem videtur aræ imponi, repentè tanquam invisibili manu projectum volutabatur in terra. Tandem idem ille truculentus Vir Schachtium nostrum à summo ad imum aliquamdiu contemplatus, tibi, inquit tanquam peregrino parcam.* Hæc ille scripsit, & quoad omnia expertus est: nam adolescens ille sub ictu gladij jam constitutus Fidem negavit, ut vitam impetraret: quâ tamen denegatâ nihilominus in vestigio capite plexus, etiam æternam amisit. Pater è Svecia in Germaniam ejectus, per annos 24. supervixit, cujus tamen Apostolicos labores, & ex eis consecutos fructus, sigillatim descriptos nullibi reperire licuit: de quibus tamen facilis conjectura fieri potest ex uno jam relato, & velut ex ungve leo agnosci: siquidem ad mortem usque in varijs missionibus, partim inter fideles, partim heterodoxos occupatus, etiam in Castris Cæsareis sub auspicijs Tillianis Apostolicum Operarium egit, laboribus tandem suis immortuus in missione Societatis Hamburgi, die 2. Januarij Anno 1654. ætatis 71.

Ex Anno dierum Memorab. P. Nadasi.

P. FRANCISCUS AGUADO.



Natus est Franciscus in Hispaniæ Castro Torrejon de Ardoz nuncupato, Nobili quidem & pervetusto sangvine Dominorum de Aguado, munijs olim illustribus in bello & Regia clarorum, cujus tamen prosapiæ ramus temporis & paupertatis injurijs, in plebejum ferè statum redactus est. Parentes nihilominus virtute & Christianâ pietate semper inter suos claruerunt: & Mater horam partui vicinam sentiens, cùm speciali desiderio audiendæ priùs Missæ, & S. Evcharistiæ se incitari sentiret, utroque peracto domum è Templo redux, illico partu soluta est, modicum & brevem dolorem, sed maximum animi solatium experta. Ex quo etiam uterque Parens augurati prolem mirabili enixu editam DEO deberi, divino obsequio jam tum dedicatum destinârunt: & Pater vivis excedens cùm sexennem relinqueret, Matri imposuit, ut studijs filium addiceret, unicéque procuraret quò divino obsequio manciparetur. Itaq; studia omnia singulari doctrinæ & virtutis opinione emensus, & Compluti Philosophiæ Magister creatus, ad deliberandum de vitæ statu eligendo sacris Ignatij commentationbus exerceri voluit: in quibus ad Societatem JESU vocari se contra omnem priorem inclinationem sentiens, uti petijt, ità illico admissus est Anno 1589. ætatis 17. in qua vixit 65. annis. In Tyrocinio dum per heroicas virtutes ad omnem perfectionem studiosè connititur, ut Sodalibus etiam in exemplum proponi mereretur, parùm abfuit à naufragio, abstractus familiaritate Nobilis Adolescentis Religiosi, qui ob graviores defectus remissus erat ad Tyrocinium: quos tantùm absuit ut exemplis & fervore Novitiorum correctus emendaret, ut magìs illos sæcularibus suis dictaminibus in transversum acturus fuisset, nisì in tempore à Societate rescinderetur. Atque tum demum Franciscus errore agnito, tantò ferventiùs virtutum solidarum studio se se reddidit: in quo non parum alio eventu confirmatus est, dum ex more Tyronum Societatis experimentum peregrinationis obiret. Fortuitò namque obvius illi factus nobilis Adolescens, paulò antè Compluti persamiliaris & Contubernalis, ubi pannosum & mendicum advertit, obverso illi dorso, nec aspectu vel salutatione dignatus est. ex quo tantum & ipse humanorum omnium contemptum animo hausit, ut deinceps in omnem vitam nullos nisì DEI solius favores attenderet, vel consectaretur. A Tyrocinio remissus Complutum Theologiam absolvit, cum perpetuis capitis & pectoris doloribus, immodicis æstibus, profluvio sangvinis, alijsque morbis luctatus, ut Sacerdotum munijs ineptum se per valetudinem futurum cre-



P. Franciſcus Aguado S.I. Hiſpanus, Concionator Regius, honorum ac terrenorum omnium contemptor egregius; non tantùm Vivorum, sed et Mortuorum cœlo aſserendorum efficax Zelator. Obyt Madriti 15. Jan: A.° 1654. ætatis 82.

credens (nam alioqui theſes ex univerſa Theologia propugnavit) impetraverit à Superioribus Coadjutorum temporalium officijs admoveri; miſſus ideo Madritum ad eadem in Janitoris, Sacriſtæ, & Socij exeuntium, aliíſque id genus infimis laboribus exercenda. Biennium in his perduravit, quanto animi ſui in Divinam voluntatem plenè reſignati ſolatio, tantâ domeſticorum omnium ex ejus humilitate ædificatione & profectu: cùm remittente ſenſim morborum tot congerie (nam capitis & pectoris dolores nunquam remiſerunt) Sacros Ordines ſuſcipere juſſus eſt. Nec mora: cæpit illicò Apoſtolicum ſuum zelum, & ingentem ſalutis animarum ſitim palàm facere. Cùm enim per idem tempus Procurator Sinarum Miſſionarios è Societate per Hiſpaniam illuc colligeret, inſtantiſſimis ipſe precibus à Superioribus expetijt illis accenſeri: & jam pænè obtinuit, nisì DEUS magno Hiſpaniæ bono illum reſervans, aliam repentè mentem Superioribus indidiſſet. Itaque Collegio Velmontij primùm Miniſter, tum Vianæ Vice-Rector datus, Concionatoris ſimul, Confeſſarij & Operarij munera implevit: donec Occannenſi Collegio Rector præpoſitus, plenum campum exercendo zelo Apoſtolico nactus eſt. Vix enim illuc delatus eſt Anno 1598. cùm peſtilens contagio Hiſpaniam pervagata, etiam Ocannam corripuit, & in Collegium, infecto ex obſequijs Civitati præſtitis Sacerdote Operario, irrepſit. Quid ageret recens & juvenis Superior? ſciſſis in diverſa conſilia domeſticis, ad Crucifixum Dominum ſe contulit, conſilium & auxilium implo-

ploraturus: fuitque constans omnium sensus, Dominum illi sensibiliter locutum ad ferendam calamitatem, & obsequium pestiferis exhibendum animâsse, non absque sponsione patrocinij sui & præsidij. Siquidem illico veluti resumpto spiritu ad suos regressus, eos excitare, animos addere, & primus ipse exemplo ad omne genus ministerij peste contactis exhibendum præire perrexit. Ubi verò malum instar diluvij latè per viciniam inundare advertit, relictâ socijs juvandâ Civitate, difficiliorem spartam procurandæ viciniæ, subsidio omni Sacerdotis destitutæ, assumpsit, quia nullis commodis, majoribus autem periculis ex remediorum defectu obnoxiam. Ante digressum publicâ in triclinio præmissâ flagellatione, errores suos domesticis deprecatus, deosculatis singulorum pedibus, inter communem omnium comploratione discessit in Castrum Tarancon, ubi rara, aut magis nulla penitus fuit domus contagij expers. Primò semper manè litato Missæ sacrificio, in victimam se DEO pro salute proximi offerens, prodibat veste cannabinâ indutus, sacras Eucharistiæ particulas intrà sinum cum pyxide Olei Infirmorum deferens, præeunte cum lucerna æditiuo, & campanulam agitante, ut vocari quolibet posset, ubi necessitas urgeret: serviebàtque omnibus non tantùm SS. Sacramentis, sed etiam corporalibus quibus posset medijs, & defunctorum pariter tumulandis corporibus operam dabat diu noctúque, DEO salutem & vires integras, dum penitus malum resedisset, illi conservante. Redeuntem ad Collegium cum socio Sacerdote Ocanna non admisit, nisì priùs quarantanam in solitaria extra pomærium casa sanitatis experiundæ gratiâ, exegissent: quæ illis graviores ipsâ peste calamitates & incommoda peperit. Siquidem tuguriolũ malè materiatum, tecto & laqueari perpluo, neq; ab æstibus neq; ab imbribus, alijsque Cæli injurijs hospites tuebatur; victus exilis & miserrimus; incolæ penitus inhospitales, cimicum nempe & vermiculorũ exercitus, qui pro domicilio suo tuendo velut decertantes, diu noctúq; acerbissimè peregrinos nullis admissis inducijs morsicabant, ut in gravem uterq; ægritudinem deciderint: ex qua cùm periculũ vitæ manifestè subirent, concessum tandẽ est ipsos levari in Collegiũ, ubi charitate suorum paucis diebus valetudinem, solis miserijs detritam, recuperârunt.

Datus subinde educandis Novitijs Magister, quòd per virium imbecillitatem muneri magìs actuoso addicendus non videretur; post quadriennium in eo exactum præfectus Collegio de Huete, campum iterum charitati in proximum exercendæ nactus est in fratre domestico Adjutore, cui pertinax cancer os cum faciei parte depastus pestilentem adeò mephitim exhalabat, ut nemo Chyrurgorum manum curando admovere sustineret. Vicit tamen Francisci Charitas, dum & magnis impensis expugnavit Chyrurgorum horrorem, & ipse diu noctúque ægrum consolando, saniem tergendo, curando, lautè habendo, constanter adfuit, donec malum extingveretur. Sed cùm iterum recrudesceret, & nemo ex loci chyrurgis quantovis stipendio ad curam reduci posset, Murciæ alium medendi peritum conduxit; & ut commodissimè devectus per viam solatio non careret, ipse comitem & curatorem se adjunxit, lautè ibidem sui Collegij sumptibus illi providens; dum denique DEO placuit corruptionis corpore exemptum ad gloriam cælestem evocare. Ex ea gubernatione redditus formandis Tyronibus Rector, partim Villaregij, partim Madriti, in eo munere duravit usque ad annum 1616. nihil interim de suo etiam extraneos juvandi studio intermittens. Nam cùm primus ipse domicilium Novitiatui Madriti in debitam formam & disciplinã erexisset, ut etiam consvetas pietatis, mortificationis & fervoris exercitationes induceret, ipse præire in omnibus, & exemplo suo faciliores Novitijs reddere studuit, sive prædicandũ & catechizandũ esset in trivijs, sive ostiatim cum mantica mendicandum, aut publicæ confusiones captandæ; sive serviendum in hospitalibus & nosocomijs, quorum illi præcipua semper cura fuit. Utq; eundem spiritum Tyronibus implantaret, solebat eosdem certo numero per ordinem destinare ad generale Nosocomium, servitum ex vario morborum genere infirmis, quorum ibi plerumq; censeri solent supra 500. quibus à primo manè usq; ad vesperam omni operâ naviter impensâ, domum se recipiebant. Ex his unus ferventiùs quàm cautiùs amplexu elatum, ut opportuniùs lectum componeret, contagiosum ægrum, dum eidem restituit, venenum simul visceribus haustum domum retulit, ex quo nullis medicamentis superabili non tantùm ille decessit, sed diffundente se in omnes pænè domesticos malo, tot unà cum Rectore & Ministro infecit, ut deessent sani, quot necessarij forent ad serviendum ægris, undecim ex eo numero cum Ministro extinctis. Quid faceret tot funeribus afflictus, ipse

eti-

etiam contagione afflatus Rector? ad DEUM se totum convertit per imploratum Beatissimæ Virginis patrocinium: quæ illum per quietem consolata, reddendæ domui plenæ sanitatis certum reddidit, prout reipsa nemo deinceps morti succubuit. Inter reliquos ex prostratis Tyronibus fuit unus tantæ charitatis, ut DEO se vitámque suam pro Tyronibus magno animo immolaret, ad mortem se heroicâ virtute offerendo, dummodo viverent alij. Et ratum habuit sacrificium Divinitas, nam repentè comparens illi JESUS cruci affixus, ut morti se impendenti pararet admonuit, quâ vitam reliquis omnibus obtenturus esset. Itáque prorsus evenit: siquidem visione suâ Superioribus manifestatâ, Sacramentis omnibus munitus ridenti similis ad Superos abijt, ægris autem domesticis omnibus plena sanitas redijt. Cubiculum verò illud instar Sacrarij in præcipua veneratione omnibus haberi cœpit, ut prætereuntes genua flecterent, venerati locum vestigijs CHRISTI Crucifixi consecratum. Multa alia non minoris admirationis Patri evenêre in hac Tyronum gubernatione, quæ prolixè in ejus vita impressa Anno 1658. referuntur. Fuit inter eos Sacerdos magnæ doctrinæ & ætatis, singulari quidem fervore Tyrocinium auspicatus, sed ex longa imperandi magìs, quàm parendi consvetudine ità sensim omnem Religiosæ vitæ consvetudinem pertæsus, ut cùm à se impetrare nequiret, quò Superiori tentationem aperiret, decreverit furtim noctu se domô proripere. Jámque omnibus ad quietem compositis executurus sacrilegum propositum cubiculo digressus abibat, cùm obvium habet suum Magistrum Aguado, qui nullo verbo dicto, sed eò severiore vultu & gestu pœnam divinam misero comminatus, receptum persvasit: adeò hinc consternato, ut totam eam noctem in acerbissimi doloris lachrymis & pœnitudinis traduxerit, & primo manè ad Pœnitentiæ Sacramentum recurrerit. Deprehensum autem est, Patrem Aguado eam quidem noctem in oratione pro salute & reductione miseri egisse, sed neque pedem cubiculo extulisse: unde vel Angelus in ejus forma, vel ipse divinitus in duplici loco existens, necesse est ut illi obvius fuerit. Duo alij erant utì voluntate & religioso affectu, ità pietate & observatione Regularum conjunctissimi, cùm repentino morbo unus lethaliter prostratus, invidiam alteri tam beatæ sortis movit, quòd se in vita mortali relicto solus in Paradisum abiret. Itaque animam agentem impensè obtestatus est, ut in conspectum DEI admissus etiam sibi citam è corpore evocationem impetraret, nè in terris charitate & vitæ similitudine semper conjunctissimi, diu ab invicem fruitione beatitudinis seperarentur. Spopondit prolixè moriens, & non sinè omnium stupore persanctè implevit; nam inter ipsa sepulturæ solennia præsens sodalis æstu febrili ardescens, modico intervallo lætissimus alterum sequitur, & ob vitæ innocentissimæ puritatem in eadem gloria omnium judicio consequitur. Sed levior fuit hæc Patris ex contagione afflictio, si comparetur cum tempestate in eum concitata, quâ apud Superiores imprudentiæ, indiscreti zeli, non bonæ Tyronum educationis, proprij & inflexibilis judicij, exagitatus est, ut jam de ipso à gubernatione removendo propè deliberaretur. Adfuit tamen & hanc calamitatem patiente silentio generosè toleranti Numen, & calumnias ità discussit, ut in munere confirmatus, præclari & sapientis Superioris nomen apud omnes indeptus sit.

Post decennium inter Tyrones transactum Romam missus Procurator, & à morte Generalis Mutij Vitellesci Elector, & subinde socius Provinciali, bis Rector Alcalæ Collegio, iterúmque Domui Professæ Madritensi, & binis vicibus toti Provinciæ Toletanæ datus Præpositus, in primis semper curis habuit instaurationem ministeriorum, quibus salus animarum procuratur, ut quàm plurimos Missionarios in varia loca, & ferventes Operarios in Vineam Domini, etiam inter Mauros ad confinia Africæ emitteret. Alcalæ cum ipso Officij ingressu reduxit in primævum vigorem doctrinam Christianam, & sermones per vicos & fora haberi solitos, itémque in carceribus & hospitalibus charitatis obsequia; ipse in omnibus primus exemplo alijs prælucens, ut novam planè faciem Collegium resumere, reviviscere animarum zelus, & fervore Apostolico omnia ardere viderentur. Inter alia præcipuam industriam adhibuit in pelliciendis ad Ignatianam Ascesim externis ex omni statu hominibus, quibus exercendis 20. conclavia destinavit commodissimè apparata, assignato cuilibet ad obsequia uno è domesticis ministro, quibus ipse in unum collectis tradendam meditationis materiam, & omnem Exercitiorum directionem, exhortationes item & allocutiones, sibi assumebat; atque in hac occupatione totam exigebat quadragesimam; siquidem post 20. sacris his commentationibus

bus excultos, alij semper novi eodem numero succedebant, ut non pauciores centum quolibet anno computarentur: Emolumento non tantùm privato cujusque maximo, sed in totas familias, Curias, & Communitates redundante. Dum præesset Domui Professæ Madriti, assumptus est in Confessarium à Duce de Olivares primo Regiæ Ministro, & simul ab ipso Rege in Aulæ Concionatorem; tam sanctè ijs muneribus annos 14. functus, ut nihil unquam peteret, & nè admitteret quidem lucri aut remunerationis temporalis pro se vel alijs, neque ullam in ejusmodi causis sæcularibus intercessionem præstaret. Venerant aliquando duo Nobiles ejusdem cum ipso nominis & familiæ de Aguado, licèt non ex eadem prosapiæ linea, ut per ejus tam alto loco in Aula positi patrocinium muneris aliquid obtinerent. Cúmque in eam rem bene longam seriem Majorum & Agnatorum non enumerarent tantùm, sed in tabulis & mappis genealogicis demonstrarent, ut ex eodem sangvine provenisse evincerent: ut breviter se Vir humillimus ab onere intercedendi expediret, negavit se posse agnoscere tantorum Heroum origine satum, cùm omnibus constet, quàm tenuibus & vilibus Parentibus humili loco natus sit. Quæ responsio, licèt spe suâ dejectos non modicè contristârit, longè tamen in majorem humilitatis admirationem & præconium erexit, cùm certissimò constaret eâdem secum stirpe oriundum. Quoties Aulam muneris sui causâ, vel evocatus accedebat, solebat tempus omne ante copiam accessûs in Capella Regia cum DEO traducere; unicè dolens, quòd in ea non asservaretur SS. Evcharistia, cui erat devotissimus. quare prolixo scripto complexus efficacissimas rationes, cur maximè congruum foret in Aula terreni Regis faveri locum Regi Cœlesti, illud Duci supplex exhibuit, & iste Regi, Rex autem Patriarchæ & suo Confessario; qui omnes rationum efficaciâ convicti consilium cùm approbarent, Rex singulari affectu & solatio complexus est. Itaque maximo sumptu & elegantiâ erecto asservandæ SS. Evcharistiæ intrà Capellam Sacrario, publica omnium Ordinum, Statuum, totiúsque Regiæ & Urbis indicta est supplicatio (quæ fuit inter præcipuas ejus sæculi solennitas) in cujus comitatu delata est in Aulam è Parochia Sancti Joannis Sanctissima Hostia. Cùm verò statuisset Rex, ut assignata Concionatori suo annua aliquot millium pensio etiam Patri Aguado, more Antecessorum, obveniret; scriptum ille Duci obtulit plurium paginarum, rationibus varijs confertum, quibus partim deprecabatur, partim demonstrabat, ejusmodi reditum statui suo & personæ minimè congruere. Verùm coactus Regiæ voluntati & liberalitati acquiescere, nunquam indè vel teruncium in usus suos, sed in pauperum & miserabilium necessitates expendit: quorum curam nunquam in ullo munere, in anima & corpore per se & alios juvandorum deposuit. Ter conatus erat, etiam scripto oblatis difficultatibus, expedire se à munere Confessarij Ducalis, partim conscientiæ scrupulis, partim Aulæ morum tædio adductus; sed coactus durare, Aulam semper in præcipua sua cruce computavit; tantô horrore illam frequentans, quanto alij indè ejecti percelluntur. Nihil enim illo fuit humilius, & in vilissimis quibusvis domi culinæ obsequijs, & humilitatis actibus primus semper exemplo præluxit, & constanter ad usque mortem se exercuit: eam obedientiam & promptitudinem Coquo aliquid tunc imponenti exhibens, quâ proniorem nec imperanti Præposito Generali præstaret. Obtulerat illi Tyrocinium adhuc regenti plurium paginarum scriptum effrons aliquis è Novitijs, impudenter ex meris in eum calumnijs, & observatis perverso judicio defectibus consarcinatum, in quo prætextu filialis confidentiæ & informationis, etiam de ignorantia illum sugillabat, & minore ad informandos Tyrones habitudine. Legit Pater oculo mansvetissimo totam hominis malesani invectivam, & gratijs ad calcem libelli pro charitate subscriptis, svasit illam Præposito Provinciæ reddi, ut sciret, quàm malè Tyrocinio per suam personam esset provisum.

Quàm altè animo ipsius insedisset contemptus sæculi, sangvinis, & omnium terrenorum, luculentè sæpius demonstravit, quando Duci de Olivares vacantia officia & promotiones pro ejus Cognatis offerenti, nunquam acquievit vel acceptavit. Dum Compluti Collegio præesset, impensè rogatus ut Consobrino suo in magna egestate constituto faveret partem eleemosynarum, quibus ex liberalitate piorum abundabat, exorari non potuit ut plus concederet, quàm ut ei liceret ad Collegij januam cum alijs mendicis quotidie dividi solitam accipere eleemosynam. Madriti verò supplicantibus agnatis pro eleemosyna, ad justa funebria defunctæ pauperrimæ ejusdem sobrinæ persolvenda, contractis humeris respondit, pau-

pauperem se esse, nec habere unde Agnatis aliquid tribueret, sed memorem illius fore in precibus & sacrificijs. Cùm verò aliquot ex Patribus Collegij tunc fortuitò præsentes impensè intercederent, duos solos reales largitus est, ad curandum unum pro anima defunctæ piaculare Sacrificium. Cùm verò carceri mancipatus esset suus Patruelis, nullis precibus adduci passus est, ut libertatem illi apud Tribunal exoraret. Unicâ solùm vice intercessit pro minorenni Nepotulo suo egentissimo apud Rectorem Collegij Madritensis, ut admitteretur in adjutorem Sacristæ: tum quod eâ ratione sub disciplina magis & clausura continendus esset, tum quia ad majorem sui humiliationem cederet, dum in omnium quotidie oculis versaretur puer despicabilis, proximâ agnatione Regium Concionatorem attingens. Invitatus aliquando Vir Religiosus pro Concione ad Aulam, acerbè multis mores & actiones P. Aguado traduxerat, cum omnium offensione: in quem ubi rescivit Superiores gravi pœnâ pro rei indignitate animadversuros, omni conatu intervenit, bene potiùs de se meritum allegando, quòd se puero Samueli, primario legis veteris Prophetæ, comparâsset. Contigit eidem Compluti Rectori, totum peculium Collegij, unde Domus sustentabatur, nocturno furto auferri: quo manè deprehenso nihil omnino perturbatus, lætior quin imò illud Jobi ingeminabat, *Dominus dedit, Dominus abstulit!* Atque hanc terrenorum omnium vilipensionem concepisse videtur ex assidua & profunda æternorum meditatione, cui quinas diebus singulis impendebat horas, ternas matutino tempore, duabus horis constanter ante alios lectulo consurgens; duas vespertino, unam ante cœnam, alteram dato signo ad decumbendum; sub quibus miras è Cælo percepisse illustrationes est in confesso. Orantem aliquando Madriti ante Imaginem Beatissimæ *Virginis de bono consilio* observavit quidam è domesticis miro splendore radiare, ad plantas verò ejusdem reptare omne genus serpentum, viperarum, & id genus insectorum: seu ad exprimendum Dæmonum in oratione illius perturbanda conatum, seu ad declarandum, quòd omnes Inferni molitiones pedibus substratas proculcaret. Quo tempore contagio inficiens ipsius Tyrocinium Madritense Ministrum Domûs inter primos sustulit (ùt supra retulimus) ipse multiplicatis pro defuncto suffragijs, tandem post tres hebdomadas sub oratione habuit conspicuum, in magna gloria ad Cælum tendentem, & pro sui è flammis piacularibus liberatione gratias referentem: qui insuper nomine DEIparæ iteratò certum reddidit, neminem ultrà è domesticis decessurum. Anno 1638. lethaliter Madriti ægrotante P. Joanne Antonio Uson Viro doctissimo, P. Aguado suam pro illius vita DEO flagrantissimè obtulit: sed DEO aliter disponente cùm ille nihilominus decessisset, & Aguado multis precibus & pœnitentijs defunctum prosecutus esset, paucis diebus illi se videndum exhibuit multâ luce & gloriâ coruscus, significans ejus precibus se pœnis ereptum, nunc Cælum petere. Quærenti verò, num ità se res alterius vitæ haberent, prout hìc diceretur? respondit: *res sæculi futuri non possunt in vita mortali concipi prout sunt in se, dum experimentaliter videantur;* atque hoc dicto disparuit. Alius item Sacerdos olim Novitius Patris, in munere & æstimatione ferventis Operarij extinctus Madriti, comparuit illi ambulans super candentes prunas, graviter ità se torqueri declarans, quòd frequentiùs debito, prætextu officij sui & necessitatis, domo in Urbem prodijsset, re ipsâ tædij ex solitudine vitandi causâ.

Orationi adjunxit par studium perpetuæ in rebus omnibus mortificationis: lectum præbebat dura tabula, stragulis, nè id per diem observaretur, ante decubitum contecta; flagella usurpabat quotidie, & sæpe iteratò, nunquam sinè sangvine, quibus successivè in omnia corporis membra sæviebat, ut sæpiùs ad persananda vulnera necesse fuerit chyrurgos adhiberi. Cilicium nunquam deponebat diu noctúque, nisì gravi morbo teneretur; quorum varij generis integram supellectilem servabat, quotidianum ex crasso canabino sacco ab humeris usque ad genua, unum è setis instar thoracis, aliud è catenulis acuminatis, aliud è siccatis & pungentibus carduis, aliud è ferro instar loricæ, introrsum denticulis exasperatæ: pro brachijs autem, femoribus, & tibijs seorsim includendis, alia non minùs diversa. Quoties subditorum aliquem pœnâ affecturus esset, priùs eandem semper ipse subibat eâ intentione, ut æquanimiter & cum fructu à reo susciperetur: erátq; indicium domesticis pœnæ cuipiam infligendæ, si Rector illam extra solitos sibi dies in triclinio obiret. Sensus omnes ità domitos habuit, ut nihil ijs ad gustum indulgeret: omnis otij & superfluæ conversationis osor maximus, nunquam extra cubiculum, etiam dum Superior esset, visus, nisì vera

ra neceſſitas aut utilitas exigeret: quod ſatìs liquet ex tot libris ab eo propriâ manu conſcriptis, quorum ſeptem typis editi, poſthumi autem decem grandes in folio, & quindecim in quarto ab ejus morte ſunt reperti, adeóque univerſim libri 32. quod in Viro, perperuâ ferè gubernatione & operationibus cum proximo diſtento, incredibile videri poſſet. PuritatemAngelicam ut ſervaret, nunquam oculos in vultũ ullius, aut curioſum aliquid intuendũ advertit; nunquam etiam per veſtem contigit, vel benedictionis impertiendæ causâ capiti manum applicuit: ab altero ſexu ità abhorrens, ut rem nullam à muliere contactam attingere ſuſtineret. Quibus cautelis eam à DEO gratiam obtinuit, ut nullis unquam fædis imaginationibus etiam per ſomnium luderetur, & ſolo ſuo aſpectu tentatos ſerenaret, & ad amorem Caſtimoniæ provocaret. Ut tamen etiam in altero ſexu virtutis hujus obſervantiam promoveret, perſvaſit Madriti Polixenæ Eſpinola Marchioniſſæ de Leganes fundationem Orphanotrophij, in quo aluntur & piè educantur magno numero puellæ pauperes & pupillæ, uſque ad nubilem ætatem, dum ſeu nuptui, ſeu malint Virginum Aſceterijs cum dote elocentur. Sed & aliud fundari ibidem obtinuit receptaculum mulieribus adultis, & viduis pauperibus, etiam honoratis & nobilibus, ubi ſubſidijs temporalibus ſufficienter perpetuis Regiæ & Procerum eleemoſynis proviſæ, diſcrimini omnium, quæ paupertas perſvadere ſolet, ſcelerum ſubtrahuntur. Atque hæc erant ejus lucra, hi labores, quibus perficiendis utebatur dignitate Regij Concionatoris ſibi delatâ, & munera eò applicanda admittebat libenter & ultro ſvadebat.

Inter hæc tam præclara Charitatis in proximum opera & heroicas virtutes, annum ætatis attigit 82. initæ Societatis 65. cùm imminentis mortis præſagium ac veluti prodromum accepit, ictum apoplexiæ ſimilem ſubitò paſſus in quadam Conſultatione, nullâ præcedente infirmitate. Ex quo ſibi reſtitutus nullam aliam admiſit curam, nullum miſcuit cum domeſticis ſermonem, niſì de morte & tranſitu ad æternitatem, prout ſolent iter diſponentes ad deſideratam Patriam; & ante omnia ſacris Exercitijs ad illud ineundum prolixiùs animam præparavit. Quia tamen neque tunc deſtitit à juvandis proximis, audiendo Confeſſiones, & ſpiritualibus alloquijs eos erigendo, contigit ut confeſſionis gratiâ conveniretur à quadã filia ſpirituali graviſſimo capitis dolore oppreſſa, ut vix pedibus conſiſteret. Hæc pro ea quam de ſanctitate Patris conceperat æſtimatione, furtivè ad latus ſedentis, quin ipſe adverteret, adrepens, pendulam è Superiore veſte manicam capiti devotè applicuit, & dolorem omnem momento depulit. Eadem graviſſimè afflicta à Dæmone formidandis ſub larvis apparente, & graviſſimis verberibus miſeram diſcruciante, auxilij & conſilij gratiâ ad Patrem accurrit, hic aliud remedium non præſcripſit, quàm ut Dæmonem juberet ſe relictâ, ad Confeſſarium accedere, itáque factum eſt, & Pater omnem illam furentis Dæmonis rabiem & verbera in ſuo corpore diu pertulit, donec ultimâ ægritudine proſterneretur; cui condolens devota mulier cùm nollet revertentem Dæmonem ad eum remittere, adeò crudeliter vapulavit, ut nullum pænè membrum movere poſſet. Arreptâ nihilominus pennâ, ùt potuit, Patri caſum explicuit, qui oretenus reſponderi illi voluit modicam haberet patientiam, ſperare ſe ubi in divinum veniret conſpectum, plenam immunitatem ipſi impetraturum. Necdum integrè dies effluxerat cùm Pater animam DEO reddidit, & mulier ex illa hora ab omni Dæmonum infeſtatione libera permanſit; manifeſto indicio, quòd anima corpore ſoluta confeſtim in DEI conſpectum admiſſa ſit. Deceſſit autem ex catarrho in pectus defluente 15. Jan. Anno 1654. inter ea Pſalmi 88. pronunciata verba, *miſericordias Domini in æternùm cantabo*, quarriduo ſolo decumbens, & Sacramentis omnibus munitus. Eodem adhuc die glorioſus apparuit cuidam filiæ ſuæ ſpirituali, retulítque conatus infernalium ſpirituum, omni adniſu fruſtrà laborantium ſe impedire à Cæli ingreſſu: cui iterum aliàs apparens in gravi quadam afflictione ſolariũ attulit, & conſilium eâdem familiaritate impertivit, quâ vivens ſolebat. Mors illius communi omnium ſenſu & dolore tanquam Viri revera Sancti excepta eſt, & juſta funebria in concurſu omnium Aulæ Procerum, Eccleſiaſticorum & ſæcularium, à Regijs Muſicis perſoluta. Cujus innocentiſſimæ vitæ & conſummatæ ſanctitatis univerſim quidem apud omnes reſonabant præconia, ſed nullum fuit efficacius, quàm ità in munere Confeſſarij & Theologi Ducis de Olivares intaminatè per annos 14. egiſſe, ut nemo repertus ſit, qui malum de eo verbum ſeu ſcriberet, ſeu proferret. Ex quo enim Dux ille gradu ſuo dejectus gratiâ Regis & Aulæ mune-

neribus excidit, acuerunt lingvas ſuas & calamos innumeri, non tantùm in ejus nomen & famam, ſed & omnes illius Miniſtros & familiares (ùt moris eſt furenti populo) atrociſſimè graſſati, nemo tamen ex omnibus repertus eſt, qui vel apice aut verbo integritatem Patris Aguado ſugillaret, aut ex actis geſtíſque Ducis, cùm alioqui plurima Confeſſarijs Principum adſcribi ſoleant, Patri imputaret.

Ex Andradæ Tomo VI.



P. Andreas Vitus, S.J. Angl, in Anglia et Marilandia Americæ Provincia, Apoſtolicis laboribus clarus. Obijt in Anglia propè octogenarius. A° 1655.

P. ANDREAS VITUS.

Pater Andreas Vitus natione Anglus, unus ex primis ſex Sacerdotibus fuit, qui in conducta Lovanij Equitum Melitenſium domo ad probandos Societati ex ea gente Tyrones, conſvetis Novitiatûs exercitijs jam Sacerdos ità ſatisfecit, ut poſt emiſſa Religionis vota continuè ad labores & pericula Angliæ dimiſſus fuerit. Neque expectationem de ſe ullatenus fefellit, operam ſuam nulli ſive hæreticorum ad Fidem docendam, ſive Catholicorum ad virtutem inſtillandam, miniſtranda Sacramenta, ſubtrahens, quoad in Hiſpaniam evocatus eſt educandis Angliæ Alumnis, quorum legitima, etiam ad fundendum pro CHRISTO ſangvinem inſtitutio, majus credebatur jure merito operæ pretium ad converſionem Angliæ afferre, quàm immediata indigenarum pro-

procuratio, siquidem in illis tot Patriæ parabantur Apostoli, quot instituebantur Apostolicæ vitæ rudimentis discipuli. Transiens indè postliminiò in Belgium, pluribus annis Lovanij & Leodij Theologiam explicuit, non exiguâ laude ingenij: cùm ardentiore iterum incitatus Zelo missionem in Angliam obtinuit, per animarum sollicitam curam viam sibi ad gloriosam mortem paraturus. Verùm alibi utiliùs ejus operam impendi DEO placuit, quâ fructuosè in gentilium salutem navatâ fieret primus novi Orbis per illatum Evangelium Apostolus. Emissâ per id tempus numerosâ classe Rex Angliæ Carolus in Regiones Americæ, quasdam illius terras vicinas Virgineæ suo subjecit imperio, quas de nomine Conjugis suæ Henricæ Mariæ, Christianissimi Regis filiæ, desumptâ appellatione, Marilandiam indigitavit: súntque illæ ipsæ, ad quas post necatum publico supplicio Regem Carolum dominans Parlamentum, supra 30. millia Catholicorum ab Hybernia Religionis causâ ejectorum, in exilium crudeliter amandavit, prout *in Societate militante* in gestis Patris Joannis Bathæi retulimus. Tum verò recèns detectis, Gubernatorem Carolus constituit Cœcilium Calvert Baronem Baltimerium, Virum Catholicum: & rei militaris apprimè peritum. Tam opportunam rei Christianæ inter barbaros, & exules Hybernos, bene gerendæ occasionem cernens Andreas, singulari studio & cautelâ in navim irrepens trajecit, & totum decennium inter gentiles, & exules Catholicos, Apostolico Zelo insudavit, fructu planè uberrimo; quem seriùs tandem quàm voluissent hâc occasione deprehenderunt hæretici. Post innumeros è vulgo sacro fronte Catholicè ablutos, præcipuum quendam ejus Regionis Dynastam Fide CHRISTI imbutum tinxerat; quod cùm latere diu non posset, captus nimirum est Pater in vincula, & in Angliam Judicio Regio transmissus. Sed cùm illud sub Carolo in Sacerdotes & Catholicos longè mitiùs ac prioribus annis exerceretur, nihil ultra relegationem ab Insula durius in eum actum est. Exulavit iterum tantisper in Belgio, veluti spiritum ad novos labores collecturus, unde nihilominus repetitâ Angliâ decennium aliud laborum illi impendit, firmandis maximè Catholicis, & lapsis Ecclesiæ conciliandis intentus; dum plenus annorum & meritorum migravit ad Patriam permanentem in Cœlis, propè octogenarius, An: 1655. 27. Sept.

Ex Anglia Henr. Mori.

P. STANISLAUS WOYSZA cum alijs 28.



Leopolis, egregia Regni Poloniæ in Russia Civitas, P. Stanislao patria fuit, Parentes inter ejusdem Cives honestissimi, nativitas tamen, nescio quo errore naturæ, parum felix, & planè monstrosa, ut videlicet divinâ manu prodigiosè obstetricante tantò felicior evaderet & miraculosa, & reformatus in hominem abortivus infans, totum se deberet gratiæ, non naturæ. Editùs siquidem in lucem apparuit vix formam humani referens infantis, necdum satìs digestum in debita membra corpusculum, sinè cranio etiam supremo in capite; ut jam Parentes informem adeò fœtum genuisse pœniteret, & amici properum funus magìs quàm parentelæ auctarium in eo expectarent. Sed non deficit ope cœlesti Divinitas, cujus instinctu in spem excitati Parentes, pusionem in templum istic Societatis deferunt, & Beato Stanislao Kostka singulari pietate devovent: cujus apud DEUM meritis & intercessione & formam, & cranium, & vitam obtinuit, quam unicè nimirum DEO debitam illius integrè obsequio impenderet, & in gratum aliquando sacrificium cadens ejus amori victima offerret. Nam sedecim annos natus Societatem inijt, cùm in sæculo innocentiam sospitatoris sui Stanislai ità feliciter imitatus esset, ut integritatem corporis & animi nullo unquam lethali peccato inquinatam, in ejus tyrocinium intulerit: vel ut phrasi Magistri illius in Novitiatu idem exprimam, cujus animam impurum Dæmonium nè quidem unquam afflaverit. Inter ceteras ejus virtutes, quibus bene & ad normam nostræ Religionis instructus vixit, post humilitatem, patientiam, modestiam, orandi studium, obedientiam, paupertatem, enituit maximè in eo Zelus animarum, in quo felix fuit ad omnes hominum status: & præcipuo quodam studio ferebatur ad obsequia pauperum & rudiorum: tum ad infirmorum & in nosocomijs morantium, incarceratorum, ac ultimo supplicio afficiendorum, denique peste affectorum. Anno 1653. cùm Posnaniæ grassaretur pestis, impetraverat à Præposito Provinciæ



P. Stanislaus Woysza Soc: Iesu Ruthenus, cùm informis, et prope monstrosus sine cranio nat9 esset; ope B Stanislai Kostka plenè restitutus, Vitam et mortem proximis juvandis in Socte addixit; in eorum obsequio, præter alios 28. per Poloniam peste sublatus Posnaniæ 20 Octob: A° 1655. ætat: 42.


173

ciæ potestatem infectis serviendi; cùm nescio quo obstaculo interveniente impeditus, infortunium hoc magno dolore sustinuit, qui tamen spem & animos proximam quamque occasionem prensandi acueret. Biennio pòst eâdem lue Urbem depascente, voti majoribus precibus repetiti compos factus, post aliquot hebdomadarum labores & pericula, tandem & ipse carbone ictus occubuit: magno Civitatis luctu, quæ per 12. annos obsequia ejus fuerat experta: tantus Officij hujus, quod ægris serviendo impenditur, per omne Sacerdotij sui tempus amator & Zelator, ut nunquam illum propria ulla valetudinis aut temporis iniquitas absterreret, quò minùs quacunque diei vel noctis horâ & tempestate ad infirmum evocatus accurreret, cùm sæpe vix pedibus ipse niteretur. Ad confessiones audiendas in templum descendebat primus, ultimus excedebat: etiam horis diebúsq; feriatis, quibus Confessionalia aliorum vacabant, suum insidens; quod experimento frequenti doctus esset, adfuisse tunc sibi pœnitentes auxilij maximè indigos. In corporis afflictatione, aliàs per se infirmi, & multis affectionibus obnoxij, non tam quotidianus quàm assiduus fuit, nullum in se defectum passus, quem quavis nocte non aspere expiaret. In animas Purgatorij prolixè liberalis; easdem sæpiùs auxilij deposcendi causâ ad se ventitantes habuit. Incidit ejus mors in diem 20. Octob. Anni 1655. cùm ipse vivendo explevisset annos 42. in Societate 26. Spiritualis Adjutor. At prior ille annus 1653. quo P. Stanislao negatum fuit pestiferis addici, fortunatior fuit P. Joanni

anni Odorovio, itidem Spirituali Adjutori, qui post 25. annos continuos Posnanienſibus ad ſacras operas pervigili curâ impigre impenſos, ijſdem in peſte juvandis vitam ipſam devovit, & ſacrâ prodigalitate expendit 25. Aug. unà cum P. Petro Gliniczky, extincto ad diem 22. Sept. & P. Joanne Glonınsky, Gedani in Pruſſia. Quos Anno 1657. in eodem certamine glorioſi athletæ ſecuti ſunt, Varſaviæ quidem duo, P. Thomas Steinberger 4. Octob: cum Fratre Andrea Krziczewsky 3. Sept. Plociæ verò P. Albertus Kaczinsky 15. Octob. Profeſſus 4. votorum: cum Patre Alberto Peplonsky 14. Nov. itidem Profeſſo; ac demum Nieſczeviæ P. Georgius Dilewicz, Coadjutor Spiritualis 15. Decemb. extincti. His adde anno 1652. in eadem Polonia pro ſalute proximi demortuos, Cracoviæ tres, Patrem Jacobum Serbinium 14. Julij, Patrem Joannem Conrad 8. Aug. Patrem Joannem Starczewsky 12. ejuſdem, multorum annorum apud Caſſubios Pruſſiæ Miſſionarium. Lublini Patrem Martinum Wroblewiz 8. Aug. Sendomiriæ, Paulum Kamborsky 30. Sept. ſæpiùs antè diverſis contagionibus Sacerdotum peritum & navum Adjutorem. Torunij P. Joannem Koloswarsky 24. Sept. P. Joannem Slupecky, Cameneci 31. Octob. Omitto reliquorum nomina, qui partim Anno 1630. partim 1645. numero tredecim in eodem Charitatis munere per Poloniam deceſsêre, quæ reperies apud Alegambe inter heroës illorum annnorum, & victimas Charitatis.


Ex Aleg: Vict. Charit.

P. THOMAS LAITHWAITE vulgò Scottus.



NAtus eſt Pater Thomas in Comitatu Angliæ Lancaſtrenſi, habuitque in Societate fratres Sacerdotes tres, unum Coadjutorem temporalem: & poſt literas humaniores domi combibitas, Philoſophiam & Theologiam audivit Hiſpali. In Angliam redux jam Sacerdos Anno 1604. ut ſacris miniſterijs Patriæ prodeſſet, menſtruâ navigatione Plinoam delatus eſt; iſthic dum de equis inquirit, quibus evaderet Exoniam, incidit in Warwicum Hele Irenarcham ex ordine Equeſtri hæreticum acerrimum, à quo de Religione rogatus, cùm fateretur eſſe Catholicum, quæritur inſuper, num jurare velit in primatum Regis Eccleſiaſticum? negantem jubet ſpoliari ad induſium uſque, ut omnia excutiantur: repertas cereas CHRISTI imagines & quædam ſcripta retinet, reliqua iterum cum pecunia reſtituit. Biduo apud ſe humaniter retentum rurſus interrogat utrùm ſecum velit templum adire? recuſantem mittit ſub ſatellitum cuſtodia peditem ad carcerem Exonium 20. milliarium ſpatio: ibi à Cuſtode carceris barbarum in modum ignominiosè acceptus, jubetur truncum in atrio obvium conſcendere, ut eſſet omnium oculis Papiſta conſpicuus. Eâ occaſione uſus Scottus, ad confluentem verſus turbam intrepidè fidem profitetur: exceptus maledicentiâ populi, oneratur ferreis graviſſimis compedibus, & in ergaſtulum flagitioſis refertiſſimum compingitur: quâ ignominiâ felicem quidem ſe, quòd tam glorioſa de cauſa pateretur, reputabat, cæpit tamen pòſt tædere loci ob perditiſſimæ nequitiæ formas, quæ ob oculos continuè verſabantur. Erant enim 80. viri fæminæque eundem in locum varia ob flagitia incluſi, viros à fæminis diſtingvebat clathrum ligneum, tam latis ſpatijs cratium diviſum, ut non manibus ſolùm & capiti, ſed integro penè corpori pateret tranſitus, à quo tamen tentando retinebantur catenâ compedibus implicitâ muro adſtricti. Ceterùm tranſitu excepto, quàm ſcelerate invicem factis & verbis egerint, facilè cogitabit, cui libertas hæretica quid doceat compertum eſt. Pepigit igitur Scottus cum Cuſtode de cubiculo ſeparato, perſoluto in hebdomadas ſingulas nummo aureo: cui tamen ex ea cum ſceleratis habitatione tanta copia vermiculorum adhæſit, & tam peſtilens aër, ut vultu, manibus & pedibus tumeſcentibus, ſomnus etiam ab eo fugerit. Interea adducuntur & Hyberni duo Catholici, Sacerdos alter juvenis, alter provectæ ætatis laicus; hi inter ſceleratos nè locarentur, ægrè Pater obtinuit: & licèt in habitationem ſui cubiculi eos admitteret, obtinere tamen id à Cuſtode non potuit, niſì pro ſingulis per hebdomadam ſimiliter paciſceretur, cùm hyberni nec obolum ſecum attuliſſent: id quod charitate Chriſtianâ præſtitit.

Trimeſtri in carcere exacto ſolennia celebrabantur judicia, in quibus teſtimonio unius, à quo in Lucarenſi portu ſacrificium offerre viſus erat, damnatur Sacerdotij, velut criminis læſæ Majeſtatis; cujus & Hybernus Sacerdos condemnatus, tantâ indè conſternatione affectus eſt, ut & Regi primatum Ecclе-



P. Thomas Laithwaite, vulgò dictus Scottus, S. J. Angl9; in conversione Angliæ, nullis adversitatib9 et ærumnis absterreri se passus est. Obijt ibidem octogenariô major, circa Annum 1655.

J. G. Heinsch del. 178. J. Kilian sc.

clesiasticum juramento adstrueret, & abrenũciatâ Fide Catholicâ precibus hæreticorum publicè interesset. Quæ omnia detestanti Scotto, pœna tamen capitis intorta, nunquam irrogata fuit, sed in carcerem remissus, majore etiam studio Fidem alijs instillare laboravit. Cùm enim frater natu minor Eduardus, ex obstinatione in hæresi acerrimus Catholicorum insectator, facilè obtinuisset à Judice potestatem Thomam in carcere pro libitu conveniendi, octiduo apud illum commoratus hæresim dedoctus est, factáque apud Fratrem exomologesi Ecclesiæ reconciliatus, nè hæreticorum templa adire cogeretur, Duacum ad studia, ac deinceps in Societatem transivit, susceptóque Sacerdotio in Patriam redux, magnis de hæresi reportatis victorijs sanctè in Missione Devoniensi Superior obijt. Erat inter captivos ibidem ultimis Judicijs morti adjudicatus malefactor, tantùm eâ sententiâ perplexus, ut ipsâ mortis recordatione pene exanimaretur: nemo tamen ex Ministellis induci à Custode poterat, ut hominem solaretur. Ergo ad Scottum, quem Virum bonum nec illiteratum advertebat, conversus custos, rogat ut miserum, quem ei adducebat, erigendum suscipiat: quem duarum propè horarum colloquio, quantum necesse erat, in Fide institutum, & Sacramento expiatum, tantâ complevit lætitiâ, ut non mortis solùm sententiam leniter ferret, sed arctè complexus Scottum, fusis præ gaudio lachrymis fateretur, nunquam se in re qualibet tantum liquidi expertum esse solatij. Jussus tamen à Patre est rem in secreto habere ad locum usque supplicij; eo loci

loci crucis signum frequenter pectori & fronti imprimens, fatetur se Catholicum, ringente Magistratu, & duobus, qui repentè ei pervertendo frustrà evocati fuerant, pseudo-ministris frendentibus. Redux à patibulo custos timore pœnæ insanit, minatur Scotto extrema: ille vicissim minanti exprobrat, nec ipsum immunem fore, si factum Judicibus prodat, qui ad se hominem ultro adduxerit ad mortem comparandum. Ità sex ferè mensibus in carcere detentus exulare jubetur, sed conscensâ mercatoriâ dum aliquot diebus navigat, turbida repentè tempestas in Angliam navim repellit ad Provinciam Hantoniensem; ubi dissimulante Navarcho, & numeratâ illi pecuniâ, datur Scotto fugæ copia, qui rectà ad Henricum Garnettum profectus expetit Societatem, datúrque P. Gerardo in Tyronem instituendus. Anno vix lapso erumpit infelix pulveraria conspiratio, ex qua cùm nihil Socijs esset in Regno tutum, post Garnetti mortem Gerardum in Belgium secutus est. Peractis Tyrocinij anno altero probationibus in Angliam remissus, imperterritè rem Catholicam ubique promovit, nullis persecutorum minis, nullis periculis absterreri se passus, ùt patuit in agro Starffordiensi, ubi resciens ægrum jacere coementarium quendam Romualdum Calvinistam, eum adijt unà cum Virgine nobili è domo vicina, quæ dextrè uxorem colloquio foris detinens, opportunitatem Patri fecit soli ægro in lectulo loquendi. Hunc ille proposito efficaciter ex hæresi damnationis periculo, & Fidei Catholicæ veritate, nequidquam frequenti januæ pulsu ingressum urgente conjuge, ità permovit, ut denique ritè confessum expiârit. Tum verò fæmina perditum ab illo maritum deplorat, filij ex agro reduces cum familia stomachantur, extrema Scotto minantur. At ille imperturbatus cùm ex medico rescisset spem vitæ nullam superesse, etiam regredi ausus est, jubentémque ægrum domesticos ab injurijs desistere, postremis Sacramentis ad mortem, quæ brevì secuta est, communivit.

In ejusmodi Apostolicis functionibus per varias missiones quadriennium insumpserat, cùm à Sacerdote apostata Atkinsono proditus intercipitur, & in carcerem Portæ novæ Londini conjicitur. Paulò pòst ab Allobrogum Duce missus ad Regem Orator adornabat ex Insula reditum, cujus intercessioni donatur Scottus, unà trans mare avehendus. Sed remansit iterum solerti industriâ, & in proximum charitate; siquidem alteri ejusdem secum nominis pro se navigij copiam cedens, nemini observatus ad missionem suam revertit. Vix autem tertius illi laborum mensis fluxerat, cùm denuo ab eodem apostata proditus, ad carcerem Westmonasteriensem amandatur, ubi à Custode inhumaniter habitus, consilium inivit cum reliquis captivis de fuga: succesśitque ad votum prosperè: ex qua deinceps ut securiùs lateret, in ædes Equitis Catholici secessit, mansítque reliquos vitæ totos 40. annos, ex ea veluti Missionum suarum specula quaquaversum singulis ferè hebdomadis ad alios juvandos procurrens, nemini propagandæ Religionis ardore vel industriâ secundus. Donec à Cælesti Patrefamilias ad mercedem recipiendam evocatus, ex eadem domo quadragenarius incola discessit, circa Annum 1655. in Societate Coadjutor Spiritualis formatus.

Ex Anglia Henr. Mori.

P. LUCIUS PIGNATELLI & P. JOSEPHUS GUSTAPANE cum alijs facilè 60.



Celeberrimæ Urbi Neapolitanæ frequentiùs à Vesuvij incendijs ingentes clades perpessæ, Annus 1656. à peste pœne mortalis fuit, adeò siquidem insolenter est grassata, ut mensibus Junio, Julióque, ad medium ferè Augustum, sæpe intrà unius diei intervallum 800. fuisse enectos, imò nonnunquam supra duo vel tria millia cecidisse memoretur: universim verò internecinâ hujus anni clade supra ducenta triginta capitum millia demessa fuisse scribit Hieronymus Brusonius, in Italica Europæ in hunc annum historia; esto addat, multos alios ope S. Xaverij fuisse in vita servatos. Ergo ubi in crescentis Maji exordio lues se prodere cœpit, morte necdum tam latè porrectâ, sociorum ex omnibus domicilijs major pars ad tutiora dimissa est, relictis intrà Urbem 176. quà Patribus, quà alijs: è quibus centum & septem, lue domum illatâ, sunt perempti: ac demum extra hos facilè 60. qui ex ingenti competitorum numero ad obsequia pestiferis exbiben-



P. Lucius Pignatelli, et P. Iosephus Gustapane Soc: Iesu, alijq; facilè 60. in peste Neapolitana A°. 1656. victimæ charitatis ceciderunt: Auxiliarem Sancti Xaverij manum Civib, ità expertis; ut ideo inter Urbis Neapolitanæ et Aqvilanæ Patronos, Eum solenniter retulerint.

179.

benda dimissi, in opere excelsæ hujus Charitatis animas posuêre. Res in hunc modum instituta est ordinatè, planè atque partitè. Pater Bernardinus Mazziotta Domûs Professæ Præpositus, cùm Provincialis abesset, habito longo Sociorum, qui sua nomina in exponendorum Album referri flagitabant, catalogo, Pro-Regi primùm, ac deinde Cardinali suam & Societatis operam obtulit, atque illicò rem aggressus, operas per singula Nosocomia, & qui vicos omnes Civitatis concursarent, partitus est. Ad obsequia publici extra Urbem Valetudinarij (Lazaretum vocabant) destinati quinque, è quibus extinctis quaternis, unus novis totidem operis auctus, integer usque in finem duravit. In Nosocomia intrà Urbem Sancti Jacobi pro Hispanis, & aliud privatum pro familia Pro-Regis, ac tertium Principis de Cellamare, pro ijs qui tabellionum munere fungebantur, designati alij. Urbs multifariam distributa, ut nulli parti sui deessent auxiliatores, 15. Sacerdotes qui eam assiduè concursarent, occupavit. Præter hæc in Domo Professa, in ipso templi aditu extemporali arâ erectâ, ad eam Patres divina Sacrificia celebrabant, ut populus citra periculum à pressura & permistione suspectorum, è foro peramplo & fenestris interesse posset: ad exomologesim tamen atque ad mensam Angelicam, omnibus accessu indulto. Et fuêre ad obsequia venientium semper prompti Patres 20. omnes ferè senes & decrepiti, è quo censu non nisi unicus remansit illæsus, alter ictus quidem, sed superstes, mortui 18. Idem præstabatur in Collegij majoris Templo, omni-

mnium accessui & participandis Sacramentis semper aperto, ex quorum obsequijs periêre Sacerdotes octo. Ad hæc in Collegio Sancti Ignatij Gubernatores Montis Misericordiæ, singulari pietatis industriâ, quot mensibus mille ducentos ducatos deponebant, delecto ad eorum inter egenos distributionem P. Francisco de Ferrarijs, qui octo alijs auxiliaribus ascitis dividebat in singulos pauperes per sesqui Carolinum, id est plus quàm Julium, nostrates plus quàm decē cruciferos. Quam rem ubi accepit Pro-Rex, divinæ iræ magìs placandæ, ac plebi egestate ferè non minùs quàm peste laboranti sublevandæ, alios quoque mille ac ducentos aureos adjecit similiter erogandos. Quæ stipis distributio, & exceptæ omnium promiscuè confessiones, P. Francisco pestem & mortem afflavêre. Ad hæc rogatu Archi-Episcopi Cardinalis, in Templo Cathedrali constanter assidebant, omnibus audiri & juvari volentibus prompti, Sacerdotes quaterni: & ad triremes quoque excursum, ut sua nauticæ turbæ, pestilentiâ pariter correptæ, atque omni solatio & remedio destitutæ, præberentur auxilia. Omnium horum ad hæc audenda & patranda stimulator perpetuus fuit DEI & proximi amor, qui quàm latè stragem edidit in selectissimis quibusque Patrum, tam pretiosè illorum nomina æternitatis Albo inscripsit: quorum nomina & gesta quæ reperi, particulatim nunc ex singulis nostris ibi domicilijs recensebo.

Primus fuit è Professa Domo P. Josephus Gustapane 28. Junij extinctus, senex annorum 68. in Societate 50. Professus 4. Votorum. Is Lupijs natus, post explicatam publicè octennio Theologiam Moralem, totidem annos Tyronibus, & in Tertia Probatione Patribus instituendis præfuit, ac deinceps Collegijs diversis per annos 18. Rector, & nuper Domui Professæ Neapoli Præpositus. Singularis de illo jam olim puero Angelicæ virtutis fama, in Societate postea usque ad Sanctimoniæ opinionem increvit: Regularum omnium exactissima observantia; ut nè minimam quidem parvi duceret; quæ tamen disciplinæ Religiosæ tam retinens cura, nihil de serena vultûs tranquillitate, ac placida erga omnes affabilitate decerpebat. Cubiculi, vestitûs, & rerum omnium sancta, citra sordes tamen, paupertas, nihil superfluum aut elegantius admittens: sermocinatio omnis de DEO vel divinis: cum DEO autem longè prolixior & quidem flexis perpetuo more, ad contestandam animi submissionem, genibus. Ægros pauperésque visendi tanta aviditas & assiduitas, ut quo ipse potiùs evocaretur, & præ alijs mitteretur, expeditè se cum pallio sisteret ad exeundum accinctum. Utque etiam infimam plebem magìs ad se attraheret, sedem in Templo ad confessiones excipiendas, cùm aliàs, tum in Præpositi munere constitutus, ultimam pro se reservabat. Divinæ Matris festa ut augustiùs coleret, pridie severo jejunio, non nisì panem & frigidam adhibebat: Sabbathis quoque ac per totum Adventum jejunio perseveranter addictus. Cilicio perquam rigido, flagris propè supra modum corpus atterebat, ut aliquando non sinè metu periculi decumbere coactus sit, quòd dorsum inclementiùs laniatum acerbo ulcere rigeret: Nulla in Urbe præfuit Collegio, quæ pro illo retinendo non laborârit, ac etiam egerit, ut jam profectus rediret. Beneventi Archi-Episcopus illum in Theologum suum insuper adscivit, & Civitas ipsa tanti fecit, ut ejus istic retinendi gratiâ 200. aureos quotannis illi alendo pendere Colle gio destinârit. Eadem ipsius consilio SS. Ignatium & Xaverium sibi in Patronos delegit, celebritate tantâ, quantâ ab hominum annaliúmque memoria istic non fuisse visa dicitur: unde regimen ejus Collegij rogatu omnium, & jussu Præpositi Generalis iterum illi repetendum fuit. Ægros domesticos, ubicunque præfuit, fovebat læto ac explicato charitatis amplexu, & mediastini, patris, fratrísque implebat officia. Fuit cùm S. Eucharistiâ pastus æger sub illo Novitius, divinum Sacramentum stomacho indignante vomitu reddidit: Pater nihil eas sordes detestatus, ore hilari ac pijssimâ reverentiæ significatione, totum hoc cum divina hostia resorbuit. Coortâ verò Neapoli pestilentiâ cùm ad Nosocomium pestiferorum serviturus exiret, frequens illum collachrymantium Patrum corona illuc deduxit, maturam victimam arduæ heroum charitati: ipse verò cùm alijs, tum P. Bernardino Mazziottæ Præposito, qui eam illi potestatem fecerat, ad sesquihoram effusè ploranti, serenus ajebat; lætandum esse potiùs quòd eâ potestate factâ clavem sibi ad Cœlum porrigeret, aditum aperiret. Ibi in pertinaci labore pervigil & assiduus, precandi studio omnem laboris intercapedinem occupabat, nullâ propè somni curâ, cùm hortantibus negaret somnum se in oculos posse admittere, ubi tot istic mortales tantis ærumnis premi videret. Et quia vel senio & laboribus brevì succubitu-

biturus tanto oneri videbatur, juſſus eſt quieſcere, in alium locum translatus: ubi acerbè ſpirans, & eorum Sociorum felicitati, qui in hoc charitatis munere vitam finiebant, ſanctè invidens, gemebat ad Socium, heu nos infelices Pater, quibus hoc mortis decus velut in manibus infringitur! At ubi Domum Profeſſam quoque Virus illud, ab ijs qui præ foribus templi animos expiabant illatum, corripuiſſe inaudiit, pervicit ſanctè importunis precibus ut ad ægros ſaltèm domi juvandos convolare poſſet. Neque id tam flagranter poſtulanti negari potuit: quod ipſe ſupremâ accuratione, ne quis opis ſuæ expers remaneret, propè ſupra vires præſtitit, in quo labore illum occupavit contagio afflata beata mors, quam divinis myſterijs munitus, poſitis humi genibus Crucifixi Domini ſui arctè complexus effigiem, incredibili ſvaviſſimæ pietatis ſignificatione hilaris excepit. Ex eadem Domo Profeſſa in publici Lazareti cum Patre Joſepho obſequijs, veneno infectus deceſſit P. Franciſcus Dragus, & Donatus Carpentieri Coadjutor. In veſtigandis autem juvandíſque per Urbem, in domibus & vicis lue correptis, P. Lælius Antoglietta Lupienſis, & P. Franciſcus Fulcus Neapolitanus: hic annos natus 45. votorum quatuor Profeſſus: ille verò annorum 56. in Societate 42. ſimiliter Profeſſus, cùm pridem à notæ ſanctitatis P. Bernardino Realino vaticinio accepiſſet, fore ut in Societate moreretur, adjunctis hiſce expreſſis verbis, *propter egregium facinus in ſalutem animarum.* Ex quo in morte inexplicabili ſolatio affectus feliciter deceſſit.

At verò ex ijs, qui pro foribus templi Profeſſorum, aut in ipſo templo, promiſcuæ multitudini Sacramenta miniſtrabant; longè plures lue infecti concidêre. Atque inprimis ipſe Præpoſitus Pater Bernardinus Maziotta, 70. annos natus Capuæ, in Societate verò 52. in qua Neapoli à Grammatica omnes per ordinem diſciplinas perdocuit, eóque ceu maximè idoneus ad generalis ſtudiorum Præfecti munus, illud cum dignitate per annos plures geſſit. Demum Rector ibidem, & Domûs Profeſſæ Præpoſitus, ac miſſus Romam anno ſuperiore Procurator, Neapolim redux, cùm gliſceret peſtis incendium, ipſe pro poteſtate operas conſcripſit, ipſe ſingulis ſtationes deſignavit, & ipſe quoque idem capitis periculum exambiens, cum alijs domi pro ſacro tribunali ſedit aſſiduus, & mori certus in opere tam præclaro, ſi periculum optatis reſponderet. Hâc animi deſtinatione id agenti (quæ & reliquorum omnium mens fuit) pretioſæ mortis occaſio non defuit, lue ab illis quos expiabat acceptâ. Singularem quandam teneriorís in Sanctum Thomam de Aquino pietatis vim, & ingenium Angelicis ejus lucubrationibus egregiè tuendis addictum illi ingenuit DEUS, id quod luculentè elucet in duobus, quos typis edidit, tomis, primô, qui inſcribitur, *Quæſtiones ſelectæ Philoſophicæ, ad mentem Doctoris Angelici*: & alterô, *Quæſtiones ſelectæ Theologiæ*, ad mentem ejuſdem. Secundùm hunc in eodem pio miniſterio infectus obijt P. Lucius Pignatellus Neapolitanus, annorum 42. in Societate 25. 4. vota quatuor Profeſſus. Vir fuit ſui deſpicientiâ tantò major, quantò illuſtriori Principum ſtirpe natus, magnis conſangvinitatibus illigabatur. Frater fuit germanus Innocentij XII. ad ſummum Pontificatum modò evecti, editus in lucem Matre Patris Vincentij Carafa ſorore. Zelus illi animarum fortis adeò amplúſque, ut Europa concludi non ferens, tranſmarina etiam pericula in Orientis Indijs anhelaret. Quibus adeundis jam in Luſitaniam penetrârat, pro Angelo ibi celebratus; ſed præcluſi aditus Neapolim illum redire coëgerunt, ubi glorioſam mortem, longâ navigatione fortè vix reperiendam, invenit, cùm priùs Romanum Collegium, ac deinceps Provinciam Neapolitanam gubernâſſet. Secutus eſt P. Franciſcus Corcionus, Neapoli ante annos 79. natus, Societati verò ante annos 62. Profeſſis ejuſdem ante 40. adſcriptus. In Domo Profeſſa rei domeſticæ procurationem adminiſtravit, quô permulta ſimul Nobilitas ad Pœnitentiæ Sacramentum propensè utebatur. Undè illi adminiſtratio data eſt Sodalitij SS. Evchariſtiæ, inter Sodalitates à Societate inſtitutas vetuſtiſſimæ, utpote adhuc in vivis agente Sancto Ignatio erectæ, & poſtea à Gregor. XIII. approbatæ. Plurima in animarum ſalutem per hoc Sodalitium mirâ induſtriâ perfecit, ætatem latura: cujuſmodi ſunt duo illa domicilia, quæ *Conſervatoria* nuncupârunt, alterum malè nuptarum, alterum Virginum, quæ pietatem ac artes, quibus vitam ſuſtentent, edocentur. Providit etiam per eundem cætum, ut commoditas nè deeſſet pro quibuſvis extrarijs, Exercitia S. Ignatij obire volentibus: & noſtris viaticum ad miſſiones profecturis. Denique Sodalitatis illius, molem permagnam, eóque laboris plenam, provexit auxítque, magnis etiam purpuratis Proceribus, ipsóque Pro-Rege in illam adlecto,

cto, & Ferdinando III. Cæsare illi Præfecto. Inter eminentes perfecti Religiosi virtutes & dotes, etiam vaticinij gratiâ præditus à DEO videbatur, quando Patrum cuipiam, quem metus pestis propè mortuali quodam mœrore perculerat, angelico quodam vultu serenus citra dubitationem asseveranter atque ardenter prædixit, cave timeas, inquiens, fili hoc malum te de vita non auferet: quâ promissione mirum in modum tranquillatus, veritatem illius sanus & incolumis inter tot funera & pericula, omnibus superstites confirmavit. Eadem Charitas optabili exitio salutem peperit P. Francisco Cevola, Aversano, annos nato 75. Is Societatem impetravit Philosophiæ & Medicinæ jam Doctor, in ea factus Coadjutor spiritualis, & post sexennem RectoratumProcuratoris Provinciæ officio Neapoli tunc fungens. Idem evenit P. Vincentio de Colellis, Neapolitano, vota quatuor professo, annos nato 60. in Societate 43. cùm post traditam Philosophiam & Theologiam non semel alibi, ac etiam Neapoli Collegio Rector præfuisset. Uti & P. Didaco Lainez, secundi nostri P. Generalis pronepoti, expectationis eximiæ, 36. annos nato Neapoli, in Societate 21. Hìc inter Professos accensus, post Philosophiam Cosentiæ prælectam Rhegium Collegium præclarâ commendatione rexerat, unde Neapoli domui Professæ datus Minister, primum vulnus pestiferum infligi sibi sensit in templo, dum Sacramenta promiscuè accedentibus ministraret. In eodem opere lethaliter ictus cecidit Pater Silvanus Vicus, Beneventanus, annorum 71. in Societate 57. Professus 4. votorum, magni nominis Concionator, & post octennem in officio Rectoris gubernationem, Neapoli S. Officij Consultor. Item Pater Horatius Grossus, Neapolitanus, annorum 79. in Societate 61. vota 4. professus. Dixit ad populum singulari applausu decennio; gubernavit triennio; & ultimâ occupatione functus est Neapoli Operarij in Domo Professa, toti Nobilitati perquam acceptus, & animarum bono perutilis. Et P. Franciscus Macedonius, Neapoli patritiâ domo natus ante annos 71. Societati adjunctus Anno 1619. post 4. votorum professionem sexennio Rector, & Patrum in tertia Probatione quinquennio Instructor. Pulcherrimum Seraphini agnomen, quod illi publica piorum vox & fama indiderat, vitæ illius tum domi tum foris, compendiarium elogium fuit. Neque ardebat ipse duntaxat amore velut sterili in DEUM, sed varijs industrijs eundem in alijs accendere studebat, carbone præsertim illo ignito à Cœlico Altari accepto, à cujus contactu ora quàm plurimorum inflammarentur. Nam Communionis generalis seu menstruæ, plenarijs indulgentijs privilegiatæ, accuratione zelo suo commissâ profectu maximo functus est, tum in animis nocte mortiferâ involutis in lucem optimâ eâ occasione eruendis, tum in missionibus per urbem providè instituendis, tum in numero sacræ synaxi accumbentium augendo, ut in una Communione 12. & quandoque 13. millia censerentur. Quam populi vim appositis aspirationibus, magnâ pietatis ac vocis contentione incitabat ad panem cælicum dignè accipiendum, & grato animo fovendum. Jam tridui illius feriarum Bacchi licentiam mirâ industriâ, celebratis per varia Urbis fora sex septémve ardentissimis concionibus, ad DEUM traducebat. Festis quin etiam per annum diebus prodibat cum manipulo sociorum è templo nostro, eósque scintillarum instar ad omnia incendenda dispergebat: nec semel pulsis circumforaneis ludionibus, ipse ludij & ludiæ locò theatrum occupabat, ac omnem illam populi concionem ad seria audienda convertebat, ducebátque tandem in templum ad exomologesim, & simul plerumque ad pœnas verberatu spontaneo à corpore exigendas. Nihil illo pauperius, non cubiculum libro ullo nisì muneri suo pernecessario instructum, nulla nova vestis admissa: unde & pauperum singularis amicus & advocatus habebatur. Obedientia demum in illo semper prompta & expedita securos reddebat Superiores, ut eum supplemento cuilibet admovere auderent, certi fore, ut citra ullam excusationis intercapedinem se commissis accingeret.

Ex eadem domo Professorum in pestiferis audiendis veneno afflatus occidit P. Angelus Olivetus, senex septuagenarius, cùm ad Societatem jam maturus, & juris utriusque laureâ ornatus accessisset Anno 1621. tria vota in illa professus, & procurationi œconomicæ diu præfectus. At non minùs in animabus procurandis peritiâ, dexteritate, fuit magnopere uti assiduus ità utilis; quàm plurimis Angelus pacificatorius tum in dissidijs, tum verò in conscientia perturbata, cujus tranquillandæ artes perscitè callebat. Fæminas plures à vitæ licentia abductas in tuto collocavit: unde fiebat, ut quidquid deploratorum & exulceratorum in scelerum volutabro hominum erat in triremibus, ergastu-

gaſtulis & in Urbe, ad illum afflueret. Sed, & adoleſcentum religioſæ diſciplinæ ejus operâ & ductu aſſertorum, numerus iniri vix poteſt. Ipſe manè unâ ante alios horâ ſe de lecto proripiebat, & horâ meditandi expletâ, divinóque celebrato Sacrificio, reliquum omne matutinum tempus, imò diem ferè integrum ſacro pœnitentiæ tribunali dabat fidus, ampliſſimâ etiam ad abſolvendum à graviſſimis ſceleribus reos Cardinalis Archi-Epiſcopi auctoritate inſtructus. Cùm peſtis æſtuaret, & ipſe in ſacro munere funeſto ulcere jam ſaucium ſe videret, tamen pœnitentiæ ſedem non deſeruit: diei ac horæ, quâ ſibi decedendum eſſet, verus vates. Itaque eâdem illâ ſupremâ vitæ die ſacrificio divino adhuc operatus, cùm pro eodem ſacro tribunali aliquamdiu ſediſſet, conclave repetijt, & iſtic ipſiſſimâ quâ prædixerat horâ, requievit in pace. Eandem requiem ibidem ex laboribus cum peſtiferis DEO reconciliandis obtinuit Pater Franciſcus de Maris, Genuenſis, in Societate exactis 33. annis, Coadjutor ſpiritualis, pluribus annis Provinciæ Procurator; ac demum Operarius, unà cùm Patre Joanne Baptiſta de Maris. Et P. Joſephus Bonanni, Aquilæ ante 79. annos natus, in Societate exactis 53. Profeſſus 4. votorum, ſubinde moralis Theologiæ Profeſſor, Procurator, & Rector. Et P. Franciſcus Campanili Neapolitanus, annorum 72. Coadjutor ſpiritualis, ſingulari gratiâ Nobilium in Sacramento Pœnitentiæ tractandorum à DEO præditus. Uti & P. Petrus Ferracuto, Siculus Meſſanenſis ſeptuagenario major, in Societate quinquagenarius, Coadjutor ſpiritualis, carcerum per annos 42. aſſiduus Neapoli Curator. Hos ille largè ſuppeditatis eleemoſynis uti juvabat in corpore, ità erectis Sodalitijs promovebat in anima, ut Cænobij quandam imaginem ergaſtula facinoroſum, præferrent, multa licèt adverſa eâ causâ perpeſſus. Eò autem cupidiùs id agebat, redimendis etiam è poteſtate infidelium Chriſtianis mirè addictus, quò magìs ipſe ante initam Societatem apud Turcas vinculis conſtrictus expertus eſt, quid ſit eſſe captivum, præter graviſſimas ærumnas, ad deferendum CHRISTUM variè, ſed in vanum ſollicitatus. Item P. Joannes Raguſa Conſentinus, annos natus 76. in Societate 59. quatuor vota profeſſus, poſt Philoſophicas Theologicáſq; doctrinas in ſcholis tradi tas, egregius animarum Operarius, felici tum in templo noſtro, tum ad ſanctimoniales dicendi ardore diſertus ac potens. Item P. Fabritius Elephanto, Barolitanus annorum 75. in Societate 59. quatuor vota profeſſus, & per annos 21. in varijs Collegijs Rector, ínque regenda & educanda nobili Seminarij juventute magnâ dexteritate pollens. Eadem cum Fabritio uti patria tulit, ità mors abſtulit, P. Leonardum Galibertum, anno ætatis 60. Societatis 43. quatuor vota profeſſum. Hìc explicatâ de moribus Theologiâ ſexennio Rector, cùm domi noſtræ, & Monialibus in Cœnobio quodam communi lue contactis ſacra myſteria adminiſtraret, præclaram mortem in pretium operæ ſuæ retulit. Agmen clauſit poſtrema Charitatis in Domo Profeſſorum victima P. Euſtachius Paganus, anno ætatis 66. in Societate 51. luem, ex qua deceſſit, in templo cathedrali contraxiſſe creditus, ubi rogatu Cardinalis Archi-Epiſcopi, Cognati ſui, confeſſiones durante peſte excipiebat. Poſt Philoſophiam & Theologiam in Italia traditam, rexit Collegium Viennenſe in Auſtria, Oeniponti etiam, & in Hiſpania in Regijs aulis verſatus. Atque ità ſola Domus Profeſſa in Charitatis obſequio, amiſit perſonas 24. quarum nomina reperio, nullius tamen mortis die expreſſo.

E Collegijs Neapolitanis pari felicitate peſtiferorum ſervitio immortui ſunt: ex Collegio majore, ſeu ſtudiorum, P. Antonius Valcarel, obijt 21. Junij, Pali in Apulia natus, annorum 40. in Societate 20. Hic ſingulari zelo Turcarum ad CHRISTUM adducendorum, cùm idiomati Turcico condiſcendo ſtudium uti pertinax ità utile feliciter impendiſſet, plures eorum ad fidem pertraxit, & baptiſmo luſtravit. Coortam peſtilentiam adeò exhorruit, ut metum haud diſſimulanter prodere cogeretur, at uſque adeò ſe ſubegit, & horrorem illum fortiore proximi dilectione pervicit, ut inter primos juvandis per urbem peſtiferis exponi magnis precibus impetrârit. Cúmq; ſe jam expoſitus redeunte horrore à primo illo fervore relangveſcere perſenſiſſet, palæſtram majore ſtrenuitate repetijt, nec priùs ex illa, quàm è vita diſceſſit. Sic pariter obijt in eodem labore ejus Sodalis poſtridie 28. Junij P. Joannes de Laurentijs, Neapolitanus, annorum 35. ex quarto anno Theologiæ ad nobilem ſpartam admiſſus. Sic & P. Jacobus Stea, Lycienſis, ex eodem Theologiæ anno nuper Sacerdotio initiatus, eodem menſe deceſſit: tantis lætitijs ex impetrata eadem ſorte incedens, quaſi haud dubium prædeſtinationis pignus teneret. Exiturus è Collegio

legio ad commune Lazaretum extra Urbem, cùm ante SS. Evchariſtiam proſtratus, tanquam non rediturus valediceret, in tenerrimi amoris lachrymas totus effuſus; ità illuc ſe contulit, ut pactum inierit cum alijs Religioſis, ægris ijſdem ſponte famulantibus, non priùs miſeros illos quàm vitam deſerendi, quam poſt aditi ejus Valetudinarij dies 18. lætus amiſit. Sic quoque abijt P. Joannes Cataneus, ante annos ferè 17. Societatem Mediolani ingreſſus: quò dum redire parat ſtudijs Neapoli jam abſolutis, interclusis itineribus remanere coactus, peſte etiam correptus eſt, maximo indè dolore perculſus, quòd non illâ heroum inter infectorum obſequia, verùm ignavâ morte occumberet. Quare voti Sacramento ſpopondit fore, ut ſi conſaneſceret, in publicam proximorum utilitatem ſe daret juvandis peſtiferis. Conſanuit, & voto reſpondit. nam & domi & in Cathedrali templo ad exomologeſim accurrentibus aures præbuit, iterúmque, ſed glorioſiùs veneno ab charitate propinato læſus, plenus dulcis cujuſdam fiduciæ deceſſit. Sic & Pater Vincentius Paganus, Evſtachij germanus, Neapoli ante 60. annos natus, in eodem Cathedrali à pœnitentibus hauſto toxico extinctus eſt, Concionator, Philoſophiæ, & per annos 18. Theologiæ moralis, Profeſſor inſignis. Ex ijs verò qui domi, vel in cathedrali templo advenis peſtiferis aures commodando, eorum contagio perierunt, fuêre Pater Æmilius de Cardenas Collegij Rector, P. Joannes Moſchetti, P. Carolus Campora, & P. Cæſar Vivus. Ex Coadjutoribus quoque temporalibus, corpora lue tactorum domi foríſve in comitiva Sacerdotum eximiâ charitate procurantibus, cecidêre Andreas Aquinus, Ignatius Carretta 26. Junij, Ignatius Elias 29. ejuſdem; Onuphrius Comus, pictor egregius & Paſſioni Dominicæ mirè addictus, cujus cruciatus ità in horas partitè recolebat, ut ſi quota eſſet hora rogaretur, illius quod horæ præſenti aſſignârat myſterium promptè pro reſponſo ediceret, hâc cædebatur ad columnam Dominus meus: hâc ad crucis mortem trahebatur &c. Suſpiria interna, preculas jaculatorias, intimíque amoris actus, millies & millies per diem ad Cœlum emittebat, fuerúntque illi pro reſpirio. Ferreis cuſpidibus, & horrido quodam cilicio in ſe ipſum ſævus, aciculam ferè ſemper habebat ad manum, quâ ſe inter ambulandum, ſtandum, aut colloquendum pungens, dolorem ſuum CHRISTI cruciatibus conjungebat. Indias ardenter expetebat, eaſdem per Patrem Marcellum Maſtrillum Romam profectum, ut indè Japoniam peteret, efflictim urgens: ſed non impetratas, in obſequia peſtiferorum ardentiſſimo affectu mutavit, eorundem afflatu extinctus anno ætatis 40. Societatis 20.

E Collegio S. Ignatij primus omnium in hac acie victor cecidit Pater Franciſcus Garganus, Neapoli claro ſangvine oriundus, annorum 58. in Societate 40. Profeſſis 4. votorum adſcriptus: cui à pœnitente ritè abſoluto virus tam atrox inhalatum eſt, ut eum quadrantis horæ vix elapſo ſpatio extinxerit. P. Marinus de Simeone, ejuſdem Collegij, cum jam alibi munus idem ſecundò obiviſſet, Rector, annorum 66. Societatis 47. labore & charitate inſigni peſte contactis impensâ. Item P. Franciſcus de Ferrarijs, Barienſis, annos natus 47. in Societate 26. vota quatuor Profeſſus, maximi zeli Miſſionarius & Eccleſiaſtes. Ex Novitiatûs domo P. Joſephus Roſa Neapolitanus, annorum 35. in Societate 17. Rectore cum Tyronibus ad ſecuriora profecto, ad cuſtodiam domûs relictus Vice Rector, ubi peſtis circùm vicinos graſſata increbuit, erupit ferventer foras ut opitularetur. Sed & illi ab ijs, quos Sanctiſſimis Sacramentis juvabat, nata peſtis, cùm ineptum ad pedeſtres exitus reddidiſſet, curru quà quà vocabat neceſſitas circumvectus eſt, dum viribus omnino proſtratis animam DEO redderet. Eadem gloria ſecuta eſt in eodem opere Patrem Joannem Campanilium anno ætatis 40. Intermontanum, poſt initam ſexto abhinc anno Societatem Juris utriuſque Doctorem. Item P. Franciſcum Salas. E Collegio Sancti Franciſci Xaverij ijſdem Charitatis victimis additi ſunt Pater Joſephus Lamata in Aragonia natus, annorum 39. in Societate 17. vota quatuor Profeſſus, militiæ Hiſpanicæ peſtiferis, & Noſocomio Pro-Regis, ac Principis Cellamare à confeſſionibus. P. Joannes Ribadeneira itidem Hiſpanus Barolitanus, annorum 48. in Societate 33. ſimiliter Profeſſus, malo adeò virulento afflatus in ipſa Confeſſionali templi ſede, ut ſuper obvium ſcamnum reclinatus, & ultimis Sacramentis munitus, intrà Eccleſiam expirârit. In eodem Charitatis obſequio obijt P. Didacus de Corduba, parentibus Hiſpanis Neapoli ante annos 56. ortus, & in Societate pariter Profeſſus. Et P. Franciſcus Maximi, Italus Navelenſis, annorum 52. in Societate ſimiliter Profeſſus. Ac P. Franciſcus Dragus, Panormi in Sicilia domo illuſtri natus, 4. vota in Societate

Pro-

Professus. Hic ut Epidemicis opitularetur, Capuâ Neapolim accurrit, & in Valetudinario publico operam incredibili alacritate ad mortem usque impendit, in omnibus quibus vixit Collegijs Operarius indefessus. Creditur, animarum Purgatorij ope, quibus juvandis addictissimus erat, præsentissimum naufragij periculum aliquando evasisse, cùm phaselo vectorum seu incuriâ, seu imperitiâ octies everso, & toties restituto, in mare ejectus fuit. E Collegio Sancti Josephi è pluribus cum ipso Collegij Rectore, ad idem Charitatis opus segregatis, unicus interijsse memoratur P. Joannes Coccia.

Atque hæc tam vividæ Charitatis exempla à primoribus Neapolitanæ Societatis viris, sive ætatem annis gravem, sive auctoritatem & munia in Societate gesta, sive præclaras virtutes & ab ingenio dotes expendas, in Civium salutem exprompta, in summam admirationem, & nominis nostri æstimationem Urbem nobilissimam traxêre. Certè illustrissimum Deputatorum salutis publicæ Collegium, ad Goswinum Nickel Præpositum Generalem, amplissimas mense Augusto grati animi testes literas dedit, quibus singuli Deputati nomina subscripsêre, verbis perquam efficacibus contestati se obligatione teneri ad gratias referendas, pro adjumentis supra expectationem exhibitis, tam in Xenodochio, quàm per domos & compita, ipsáq; templa, ad opitulandum ijs qui pestifero malo langvebant, semper patentia. Nuncius item Apostolicus Julius Spinola 4. Sept. inter reliqua summæ commendationis in laudem Societatis plena, ut ea per modestiam nec referre liceat, hæc italicè ad eundem Præpositum perscripsit: *Quemadmodum*, inquit, *animo concepi semper, quòd unum è majoribus magisque conspicuis quæ habet DEI Ecclesia ornamentis, sit Societas JESU, ità infinitè sum gavisus, cùm undique personare audirem applausus quibus est celebrata, quòd in hisce quas Urbs ista perpessa est calamitatibus, operam suam planè singularem ac præcellentem exhibuerit, in exercitatione facinorum veræ ac flagrantissimæ charitatis.* Sed, & Cœlo quàm maximè approbari visi sunt conatus hi laborésque sociorum, in quorum suppetias etiam Societas triumphans adveniret, quando S. Franciscus Xaverius toto illo pestilitatis tempore tot tantáque in epidemicos effudit beneficia, & prodigiosas sanitatum gratias, ut ijs legitimè per testes juratos approbatis commota civitas, & Magistratus tam Ecclesiasticus, quàm Politicus, eundem in perpetuum Neapolis Patronum & Advocatum, cum DEIpara immaculatè concepta elegerint, & solenni ritu 2. Julij hujus anni, statuam illius thesauro Patronorum suorum intulerint: ubi etiam Societatis nomine pro ea erga Sanctum reverentia, & erga Societatem propensione, gratias egit P. Bernardinus Mazziotta, Præpositus domûs Professæ, ùt refertur in Catalogo rerum tunc actarum, auctoritate publicâ typis italicis in lucem dato p. 13. Ex quo patet (ut hoc obiter notem) perperam obitûs illius diem in Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU assignari 14. Junij: nisi fortè poni debuerit 14. Julij. Neque his Sancto grati animi honoribus exhibitis contenta Civitas, etiam super Urbis portas ejus effigiem, cum DEIpara immaculatè concepta, SS. Januario & Rosalia locari fecit. Sed & CHRISTI in terris Vicarius, piam hanc Neapolitanorum in S. Xaverium voluntatem, per Sacram Rituum Congregationem, ratam habere voluit, Decreto Romæ typis Apostolicæ Cameræ Anno 1657. 15. Sept. in hæc verba impresso: *Sacrorum Rituum Congregatio pijs Neapolitanæ Civitatis precibus benignè inclinata, electionem Sancti Francisci Xaverij Confessoris in Patronum Civitatis habitam approbavit, déque eodem Sancto, tanquam de Patrono minùs Principali, Officium & Missam celebrari posse ad præscriptum Rubricarum, facultatem attribuit.* Idem Civitati Aquilanæ, in eodem Neapolitano Regno, fuit concessum.

Ex Allegambe Victimis Charitatis.

P. JOANNES De GVADARRAMA.

Pater Joannes Gvadarrama humili loco in Hispania circa Toletum oriundus, ab ipsis incunabulis ad omnem pietatem & virtutem propensam indolem declaravit, fugiendo consortia & levitates æqualium, & multas quotidie orationi horas impendendo: potissimùm serviendo ad Missas in vicina Ecclesia Escuriali S. Laurentij PP. Hieronymianorum. Grammaticam sub eorundem magisterio & latinitatem edoctus, ut habilem se recipiendo Sacerdotio & animarum curæ redderet, in Toletana Universitate Studia Huma-



P. Ioannes Gvadarrama S.I. Hispanus, per Missionum et Concionum indefessos labores de proximis optimè meritus; et eâ causâ à morte per Sicarium intentatâ mirabiliter ereptus. Obijt Madriti 9 Nov: A: 1655. æt: 56.

180.

niora & Philoſophica proſecutus, Theologiam Scholaſticam ſub Præceptore Martino Ramirez, Viro per Hiſpanias ab omni ſapientia, vitæ ſanctimoniâ notiſſimo audivit; cui ſimul in Myſtica Theologia ad ſublimiorem virtutem inſtituendum ſe totum addixit. Neque adduci potuit, ut honores Academicos & inſignia Magiſterij admitteret, quòd hæc inter ſæculi ornamenta cenſeret: ſed Sacerdotio initiatus tenuem pagi, in quo natus erat, Parochiam ſuſcepit, & decennium Apoſtolico planè zelo procuravit, prædicando, & Sacramenta indefeſsè adminiſtrando, aſſiſtendo diu noctúque infirmis, & catechesim ſedulò explanando. Horas laborum Parochialium vacuas unicè impendebat orationi, & rerum cœleſtium meditationi, ſic ut domi quæſitus vix extra Eccleſiam deprehenderetur, nisì foris occuparetur componendis diſſidijs, aut æternitati præparandis ægris: omnia exili ſuſtentationi ſuæ ſuperflua in pauperes erogare ſolitus. His utiliter non minùs quàm ſanctè occupatum, vocavit DEUS ad arctiùs vitæ Religioſæ genus, in qua non tantùm labores & fructus, ſed arborem ipſam DEO conſecraret, donando ſeipſum, & corpus animámque cum omni libertate & facultatibus immolando. Et quia ſtatutum ipſi à puero erat, non ſuæ duntaxat, ſed proximorum unà ſaluti operam impendere, Societatem JESU elegit, admiſſus ad Tyrocinium Madriti anno ætatis 36. cujus biennium, non ùt Novitius, ſed conſummatæ virtutis Veteranus Profeſſus abſolvit. Miſſus Oropeſam ad pueritiam rudimentis Grammaticæ inſtituendam, aliquot annos magnâ humilitate in eo munere tranſegit;

git; donec fortuitò accidit, ut impedito repentè ordinario Concionatore, jussus fuerit à Rectore sermonem ad populum habere; in quo cùm omnium expectationem summo audientium applausu & fructu superâsset, admotus deinceps in omnem vitam est concionibus habendis, in Missionibus præsertim per diversos Hispaniæ Episcopatus institutis. In his præcipuè excoluit Diæceses Avilæ, Placentiæ, & Toletanam, pedibus itinera omnia conficiens, nihil tibiarum plagas & vulnera, quibus ex perpetuo labore & contentione hiabant, pensi habens: Breviario duntaxat & pijs in pueros dispertiendis munusculis onustus; nec quidquam in viaticum à devotis personis admittens, nè confidentiæ in divinam providentiam aliquid detraheret. Diversorium illius commune erat pauperum Nosocomium; à quo si excluderetur (prout sæpius illi principio Missionum, dum magis populis notus fieret, accidit) pro domicilio erat vestibulum seu atrium cujuslibet Templi, in quo acquiescebat, non alio cibo quàm ostiatim corrogato victitans. Ejus laborum copiosis fructibus permotus Archi-Episcopus Toletanus, non tantùm literis patentibus potestatem ei fecit, quovis Territorij sui loco divina omnia peragendi, sed etiam Indulgentias 80. dierum omnibus, qui apud Patrem peccatorum confessionem peragerent, concessit: quam tamen Vir humilis singularem gratiam, quòd in gloriam & æstimationem suam cederet, nunquam evulgavit.

Maximi fuêre fructus & conversiones, quas è laboribus suis retulit, nec minores coronæ, quas ex ærumnis adversísque fortiter toleratis obtinuit. In Diæcesis Toletanæ oppido prædicatione Patris commota mulier, turpi consortio Viri potentis se subduxerat, tanto illius sensu, & in Patrem concepto odio, ut ad ejus necem juramento se, nisi pellex restitueretur, obstrinxerit. Itaque intempestâ nocte armatus, & amens furore ad Hospitale accurrit, ac violentè perruptâ cubiculi januâ, Patrem genibus ante Oratorium nixum deprehendit: hic ad strepitum conversis in furentem oculis nihil turbatus, aut conterritus, ùt erat flectens perstitit, & *non obtinebit hâc vice*, inquit, *Dæmon, quod intendit; feliciter ades mi Domine, & horâ opportunâ, quâ ingens animæ tuæ paratur bonum ab eo, qui te redemit; modicum præstolare dum orationem finiam.* perrexítque quartâ circiter horæ parte in oratione. Quo tempore immotus, ac veluti sideratus nobilis consistens, ubi Pater assurrexit, pedibus ejus supplex ac tremens accidit, in lachrymas tam copiosas effusus, ut diu verbum nullum profari potens, solis singultibus pœnitentiam testaretur. Quem Pater à terra levatum variè solatus, & in misericordiæ divinæ spem erigens, eâdem nocte totius vitæ suæ peccata recensentem audivit, monitísque salutaribus & consilijs alium penitus reddidit. Alibi in Placentino Episcopatu altâ hyeme hospitio exceptus à Viro pio, repentè medio noctis petijt sibi domum reserari, stupente Hero, quorsum spissis tenebris, nullius accitu, discessurus esset; nec tamen inquirere, ob reverentiam hominis opinione suâ sancti, præsumente. Secutus nihilominus remotè & inobservatus ex oppido in campos prosilientem, post confectum per medias segetes leucæ quadrantem, observavit subijsse mapale pastoritium, ubi graviter læsus ex pridiana rixa jacebat pastor, quem ardenter ad pœnitentiam morte jamjam ingruente hortatus, vix ritè absolvit, cùm is inter maxima syncerae contritionis signa animam in manibus Patris exhalavit. Neque exanime corpus destituit, sed quò sepulturâ Ecclesiasticâ frueretur, auxilio accurrentis hospitis ad oppidum detulit, & decenter humato ad Aras parentavit. Incolæ de toto rei eventu ab hospite captâ notitiâ, summoperè ædificati, Patrem, ùt hominem sanctum deinceps habuêre, qui divinis impulsibus & secretorum revelationibus manifestè ageretur. Huic æstimationi augendæ accedebant altissimarum virtutum perpetuò in eo observata exempla, quibus fatebantur abundè sanctitatem Viri comprobari, ut nullis sibi opus esset insuper ad fidem roborandam miraculis. Cúmque Lerenæ fortè moraretur, quo tempore omnem latè vicinam pestilentia occupabat, quòd solum id oppidum intactum remansisset, meritis illius præsentiæ incolæ tribuebant. Tantáque fuit sanctimoniæ illius fama, ut Archi-Episcopus Toletanus ad confessiones suas illum adsciscere, nec remissiùs Episcopi Placentiæ & Avilæ penès se retinere decertârint: omnium verò maximè Comes Oropesæ, cujus ditiones pluribus annis excoluerat; ideóque ejus meritis successus omnes & felicitatem suorum dominiorum adscribebat. Sub extrema vitæ tempora evocatus Madritum ad Operarij munus, præter sermones in hebdomade sæpiùs, etiam in plateis & foris publicè habitos, curam gessit Hospitalis Generalis sexcentorum facilè capitum, & trium Regiæ Urbis ergastulorum: Catechista idem pueritiæ & rudium per compita, & aliquot Cœnobiorum Virginum in spiritu moderator:

quibus laboribus brevì confectus, in morbum incidit adeò pertinacem, ut paucis diebus ex eo decesserit, plenus meritis & coronis 9. Novembris 1655. ætatis quinquagesimo sexto, susceptæ Religionis vigesimo.

Vir fuit disciplinæ Religiosæ & Instituti observantissimus, ut nullam unquam Ordinis Regulam violâsse à quopiam toto vitæ tempore sit observatus, omnium sententiâ reputatus tanquam viva S. Ignatij Regula; eâ accuratione ad minimas quasque ordinationes & Superiorum nutus attentus, quâ exactiùs præcepta observare nequivisset. Tempore quo Grammaticam docebat, non semel accidit, ut per errorem signum daretur pro scholis, quo die non erant habendæ, adeóque discipulorum nemo, vel pauci admodum comparerent: ipse tamen ad pulsum cæcè obediens, velut è Cælo datum foret signum, Gymnasium adibat, solúsque in schola toto lectionibus destinato tempore remanebat, eâdem suâ satisfactione & gustu, acsi mille auditores numerâsset. Prostrato aliquando calidis febribus svasit Sacerdotum quidam, excessivos illius æstus refrigeratis aquâ prolutísque faucibus temperare: cui obsecutus, ubi amphoram apprehendit, recogitans fieri posse ut aliquid aquæ, non habitâ bibendi facultate, deglutiret, penitus abstinuit. Nihil unquam Superiorum ulli, quidquid injungerent, excusavit, vel uno verbo deprecatus est, vel difficultatem quovis indicio prætulit: ad quodlibet evocantis campanæ signum imperfectâ literâ comparens. Puritatem Angelicam æmulatus, in alijs etiam amorem ejus & studium vel solo aspectu suo excitabat: nullam unquam fæminam, quarum tot pœnitentes numerabat, de facie, nisì de voce notam habens: Adeò oculorum custodiæ, quoad Viros etiam & alia quælibet intentus, ut Oropesæ quatuor solidos annos in tradenda Grammatica occupatus, nullius alterius classis locum vel Aulam, nisì quam ipse docebat, sciret: hinc si in quapiam publicum exercitium vel drama habendum esset, doceri priùs locum debebat, ut compareret. Nunquam in campos, vel alio quolibet è domo prodire expetijt, nisì ultro mitteretur, vel pro exigentia muneris exequendi teneretur: quin neque domi extra cubiculum unquam visus est nisì præcisè necessitas, obedientia, vel devotio in templo obeunda exigeret: neque in horto, impluvio, aut quovis ambulacro, locóve publico unquam observatus; ut verissimè cella ipsi esset pro Cælo, ubi cum DEO unicè & Cælitibus versatus, ardores toto spiritu concipiebat, quos foris eructaret; mirâ efficaciâ in quovis alloquio corda hominum incendens, in quæ nihil præter DEUM & cælestia inducebat. Huic virtuti muniendæ adhibebat varias corporis afflictationes, cilicium inprimis è ferreis aculeis cingendo corpori, quod nunquam diu noctúque, sanus & æger, etiam pedestri & prolixo itinere ponebat: flagella quotidiana spatio mediæ horæ usque ad sangvinem: pro lecto tabulam ligneam nodosam, & destinatò in colliculos extantes inæqualiter exasciatam: pro cervicali lapidem vel truncum. Indusium desiccando è concionum vel itinerum contentione sudori, mutabat nunquam: nunquam assidens corpus ullâ parte acclinabat, aut brachijs dorsóve fulciebat: & non raró per Missionum itinera nocte obrutus in solitudine, & imbribus ad vivum penetrantibus madens, ubi manè pagum aliquem aut casam attigisset, neque mutatâ, neque extra corpus siccatâ veste, omnem illam molestiam hilaris exhauriebat. Cibus fuit pauperrimus, ut perpetuum dici posset jejunium, semel in die admissus: somnus perbrevis, qui præcisè sufficeret vitæ & viribus servandis; siquidem potiores noctis horas dabat meditationi & orationi, pronus in terram, communiter in modum Crucis: Et hæc quidem dici potest illi fuisse continua, semper in conspectu divino versanti, ejúsque adoratione, deprecatione, laudibus, in medio etiam laborum occupato. Divinum Officium, Coronam Beatissimæ Virginis, cui erat devotissimus, dicebat semper de genibus: in nullo denique, nisì in DEO divinísque acquiescens; terrenorum omnium ità pertæsus, ut licèt aliquando vim sibi inferret, non posset dissimulare nauseam, quam ex ijs perferret: verissimus Ignatij Filius, cui tantopere pariter sordebat terra, dum Cælum aspiceret.

Ex Andrade Tomo VI.



P. ALO-



P. Aloysius La Nuza, S.I. Illustrissimis Natalibus Siculus, Patriæ suæ Apostolus, innumerabilium animarum lucris, prædictionibus, et signis ante et post mortem conspicuus, quâ sublatus est Panormi 21. Octob: A° 1656. Ætatis 65. 181.

P. ALOYSIUS LA NUZA.

A Licata Urbs Siciliæ Aloysio Patria fuit, ab Illustrissimo sangvine Majorum descendenti, cujus Avus per annos undecim Pro-Regis titulo Siciliæ præfuit. Editus in lucem est Anno 1591. eodem scilicet quo Beatus Aloysius ab ea decessit, cui vitæ innocentis sanctimoniâ simillimus, laboribus Apostolicis etiam superior fuit. In prima pueritia à Parente Viro militari, in Hispaniam traductus, illam Cæsaraugustæ innocentissimè sub Pædagogo transegit, nullis alijs crepundijs quàm pietatis exercitijs delectatus. Cum Duce Feriæ destinato Siciliæ Pro-Rege reversus ad propria Parens, Aloysium secum reduxit, datus & ipse Militiæ pedestri Præfectus, filiúmque ad scholas Societatis Panormi erudiendum destinavit. In harum progressu nactus historiam de vita gestísque Beati Aloysij Gonzagæ recèns conscriptam, mirè ad illius virtutum æmulationem exarsit, & adeò exquisitè mores imitabatur, ut rogatus interdum cur hoc vel illud ageret, sincerè responderet, quia eodem modo faciebat suus Aloysius. Facilè ex his observabat Parens quò filij mores, solitudinis amor, pietatis exercitationes inclinarent: quare severè increpitum monet, velle quidem se filium doctum cultúmque virtutibus, sed Aulicum, sed equitem, sed militiæ Candidatum, & similem sui hære-

dem:

dem: útque in talem formetur, opus esse luderet ex intervallo cum æqualibus, exerceret se venatione, equitando, saltando, arma tractando, si nollet à scholis omnino avelli. Territus his primùm est puer, sed divino lumine instinctus ut Patri daret aliquid, nè totum amitteret, quoties in ejus oculis ab Regia revertentis versabatur, ità impigrè & solerter in similibus, pugilatu præcipuè, partes suas agebat, ut Pater incredibili aliquando voluptate affectus, pretiosis vestibus, quò festivis Paschæ ferijs cultior appareret, illum remuneraretur. Sed ipse spectaculum ex se æqualibus facturus, in quo risum & sannas referret, ipsâ sacrâ patientis CHRISTI hebdomade illas induit, & torque aureo, aliísq; exquisitis & muliebribus munditijs cultum auxit, qui aliàs neglector sui tritas & laceras affectabat vestes, & quando aliud non posset, pallium præpostere, quò derideretur, induebat: itáque ornatus ingressus est scholarum atrium. Dum eum spissa circumstat, velut ad insolens id temporis excita spectaculum, Juventus, miratur, ridet, & variè factum interpretatur: accedit & è Magistris quidam disciplinæ severioris, *heus tu*, inquit, *adolescens comptule, sic parentatur extincto pro nobis Redemptori? istis rependuntur vincula, chlamys coccinea, catenæ ferreæ? si sapis, pone lacinias, sume lacernam, & pro aureo torque restē ex allio contextam collo injice, sicque ornatus redi:* Dictùm factum. Remeat Aloysius lætus optato successu domum, & alterum de se heroicum spectaculum daturus, prorsus eò ornatu quem noster svaserat, cum torque alliario de collo pendulo ad scholas redit, stupente cum omnibus, etiam Magistro Censore, tantam Juvenis de se victoriam, quâ sibi viam ad Societatem munivit.

Hanc autem penitus illi aperuit obitus Parentis, cùm Aloysius 14. ætatis annum ingressus esset; ex quo conceptum gravissimum dolorem illud maximè temperabat, quòd videret se sui, hoc est divini juris factum, nullius alterius arbitrio in vitæ ineundæ ordinandæve ratione, præterquam DEI subjici. Itaque ubi in Sodalitium Beatissimæ Virginis adscribi impetravit, & pia simul meditandi methodum condidicit, totum se devotioni, utrique orationi, exercendísque per omne genus virtutibus & corporis afflictationibus expendit, ut in Religioso plus requirere non posses. Quare moderari prolixitatem meditandi cælestia Confessarius debuit, nè ultra horam orando perseveraret: in qua ità acquiescebat, ut ab ea avelli non posse videretur; tanto divinorum solatiorum affluxu, ut jam tum cæperit sensibus eripi, & corpore etiam à terra levari. Quod cùm nonnemo aliquando sibi videre videretur, præstigias oculorum veritus, ratus in puerum minimè illam sanctimoniæ coronidem cadere, suspenso gradu accedens ut periculum rei faceret, interjectâ manu inter genua orantis & humum subjectam dimensus est quantum ab ea emineret. In jejunijs, ciliciorum flagellorúmque usu, cæterísque omnibus asperitatibus quidquid in vita Beati Aloysij legisset imitandum constanter assumpsit. Solitus etiam à Præceptore verbera & objurgationes coram Condiscipulis expetere, & cùm meritò negarentur, allatâ destinatò scholasticâ scriptione lituris, atramentíque defluvijs conspurcatâ, extorquere. Demum ætatis anno 18. sæculi 1609. in tyrocinium Societatis admissus Messanæ, multùm de rigore suo excruciandi corporis, nè penitus contereretur, remittere obedientiæ imperio debuit: nam brevì patuit ità jam labefactatum macerationibus illis esse, ut vix expeditè loqui, aut fixè ponere vestigia posset; ac propè deliberaretur de illo ad sæculum remittendo, quòd de viribus ad Religionis munia restaurandis conclamatum esset. Non latuit Aloysium hoc amittendæ Societatis discrimen; quo magis quàm à morbo cruciabatur; hanc siquidem omnium acceptorum à DEO bonorum Complementum & gratiarum cumulum vocabat, neque usquiam post Cælum meliùs sibi fore credebat. Adjutus nihilominus est maximis & tempestivis remedijs; sed vix malo corporis discusso, in alium haud paulò graviorem morbum animi, angores conscientiæ & scrupulos incidit: præ quo mors illi jucundior fuisset, & quivis alius cruciatus levior. Prodigio & commiserationi omnibus ejus Conscientiæ arbitris erat innocentissimam animam, nullâ unquam graviore noxâ inquinatam, tantis perplexitatibus agitari posse: sed compertum deinceps in Viro ex mira conscientiarum gubernatione est Arbitrum in illo, velut quondam in Ignatio, & Medicum extricandis animabus à DEO politum fuisse.

Ad studia Philosophiæ ac subinde Theologiæ digressus è tyrocinio, eâdem constanter vivendi ratione retentâ nihil penitus de fervore Novitiatûs, & Regularū etiam minimarum observantia remisit: modestiâ vultûs & totâ compositione morum Beato Aloy-

loysiò suppar: in disciplinis tractandis, & quibusvis exercitationibus exactus & accuratus. Hinc in domesticis ejus ad mensam concionibus tantus emicabat ardor, ut constans fuerit prudentum sensus, si singulis quibusque mensibus ad nostros inter cænandum diceret, satis id supérque fore ad maxima quæque Collegia in disciplina & sanctitate continenda. Cæpit autem jam tum DEUS futura & arcana cordium illi aperire, visibilem se exhibere & familiariter colloqui, ut tanquam Sanctum domestici omnes haberent, & per ejus preces ac merita quidlibet à DEO consecuturos sperarent. Scholas cùm doceret, ejus Lyceum Seminarium videri poterat Religiosorum cætuum, & præsertim Societatis: adeò major illorum pars calcatis mundi illecebris ad sacra refugit asceteria. Ex his quendam cùm nimiùm procacem planéque indocilem videret, beatè cum illo actum iri prædixit, si vivis à DEO eximeretur: & brevi sublatus est. Theologiæ studio ad calcem quadriennij deducto insignitus sacerdotij charactere, post 17. vitæ Religiosæ annos 4. vota publicè professus est, & habendis ad populum Concionibus, licèt multorum votis ad scholasticas exedras postularetur, destinatus. Ad hoc munus ingentem ille diuturnâ SS. Patrum, Scripturæ Interpretum, & omnis generis auctorum evolutione attulit apparatum, ex quo suas digereret conciones: sed quo die dicendum erat, horas omnes concioni prævias in oratione transigebat cum DEO, quam flagellatione acri & prolixâ concludebat, & plerumque post Concionem repetebat. Ex quo fiebat, ut DEO plenus persæpe alia omnia ex pulpito diceret, quàm quæ lucubratione paraverat. Dicturus Panormi per sacri Adventûs ferias Anno 1626. paratas dictiones P. Petro Spucces Concionatori experto & eximio (ùt erat humillimus) revidendas obtulerat: quarum ille soliditatem admiratus, etiam de pulpito eas declamantem audire voluit; sed earum quas legerat nè verbum quidem, sed alia omnia percepit. Suspicatus exinde aliquid hìc divinum latere, Aloysium tertiò jam auditum accedit, & conquerentis in modum rogat, cur ludere se voluerit, habendas conciones proximè sibi dijudicandas afferendo, ex quibus tamen nè verbum, sed alia omnia pronunciaturus esset? tunc ille rubore suffusus, est quod mihi ignoscas, ait, in cubiculo trado me totum Concioni, in suggestu me concionémque DEO committo, dicturus si eam probet, omissurus si aliam inspiret. Hinc frequenter illud usurpabat, *à Concionatore oportere quidem scribi parariq; Concionem, DEUM verò concionari.* Indè tanta dictionibus ejus vis flexanima, de qua cùm audîsset ex primis Oratoribus quidam, non posse Aloysium audiri sinè lachrymis: mulierum scilicet, inquit, audiam ego siccus omnino. Audivit, & in suspiria gemitúsque effusus ità flevit, ut admirationi esset auditorio. Idem penitus alteri evenit, qui & ab eo die suam dicendi methodum execratus, Aloysium imitari, igni traditis suis scriptis, decrevit. Ornatum muliebrem in Urbe quadam illi nimiùm dedita, unicâ concione proscripsit; utì & apud Leontinos, tribus, quæ id neglexerant, morte, non sinè Urbis horrore, extinctis. Aleas & chartas ut in perpetuum ejurarent, ijs etiam qui ludendo diebus noctes jungebant, persvasit. Sed vis maxima enituit in traducendis à cæno libidinis infelicibus mulierculis & lenonibus, quas turmatim post se ad honestiora receptacula trahebat. Insignis præ alijs fuit conversio Viri, à quo rogatus Causidicus ut nescio quid susciperet causæ in judicio agendæ, negavit se facturum, nisì se comitaretur ad audiendum Aloysium jam jam euntem. Diu multísque reluctatus & varia urgentia obtendens, tandem vel invitus nè Patronum litis amitteret, assensit: sed è templo latenter sub ipsum Concionis exordium sensim evasit. Digressus viam nullam evadendi reperit inter currus, aurigas & equos, quocunque se vertit urgetur à fronte, à lateribus, temonibus, succussis loris, excussis flagellis: acriùs autem à tergo percutitur, & verberonem circumspiciens ut repercutiat, ecce Aloysium videt, quem in suggestu reliquerat, verberis auctorem, urgentem ad templum, minitantémque si secus faciat. Conturbatus prodigio simul & territus, bono suo ingenti paret: nam vix absolutâ concione ad pedes P. Francisci Morelli accidit, & cum lachrymis audiri pœnitens rogat, quòd ab annis 14. in cæno vitiorum volutatus, & concionum, nè fortè confiteri cogeretur, fugitans, sed nunc Concionatoris manu & lingvâ adactus, DEO conciliari vellet. Audit Pater præ singultibus vix loqui sufficientem reum, & probè ad totius vitæ confessionem instructum reversurum dimittit, quam etiam pluribus continenter diebus, dignam tanto concionantis simul in templo, & foris verberantis Aloysij prodigio & vitæ imposterum instituendæ, absolvit.

Tanta autem ejus audiendi quacunque aëris

aëris intemperie fuit cupiditas, ut audientes, & pluribus antè horis locum occupantes nulla templa caperent, licèt patulis semper foribus, quò longiùs à confertissimis turbis perciperetur, diceret: quare cogebatur vel concionari è suggestu in ipsa janua, quò audiretur utrimque, erecto; vel in apertis compitis & foris, ut audientium numerus octo millium aliquando censeretur. Neque semel accidit, ut premente invicem confertim multitudine quidam non sinè vitæ discrimine pedibus irruentium protererentur: quod Drepani fæminæ contigit, nam conculcatam & sangvinem non unâ parte corporis effundentem, cùm semimortuam erexissent, dum ad Concionatoris aspectum animam actura creditur, ad primas Aloysij voces repentè convaluit. Hinc etiam à principibus Siciliæ Urbibus & Regni Dynastis certatim ad conciones postulabatur, tantóque impensiùs, si jam semel iterúmque auditus esset. Et ipsum adeò Cælum nihil nisi CHRISTUM & hunc Crucifixum prædicanti auctoritatem faciebat, dum inter concionandum non raro visus quàm plurimis est Panormi, Nesi, Messanæ cælesti lumine radiare, quandoque solis instar, ut oculi intuentium fulgorem non ferrent. Alij Messanæ, Nesi, faciem totam vidêre versam in ignem, labia verò in carbones ignitos dum de amore DEI prædicaret: adstantem alij dicenti Angelum incomparabili specie: alij denique insidentem capiti niveam columbam: & quidam eandem innocenti rostro frontem fodicantem, passísque alis obumbrantem. Sed longè majus erat lumen quo ipse divinitus in anima illustrabatur, ut ipsas conscientiæ latebras in alijs futurósque eventus introspiceret, & quàm sæpissimè etiam pro concione palàm ediceret, oculis constanter in eos quos dicta concernebant, nè dubitare possent se ad pœnitentiam provocari, defixis: significans Auditorio suo interesse modò qui annos 16. modò 25. modò certo alio designato numero, à pœnitentiæ foro abstinuisset. Quorum unus audiens asserentem, adesse unum per sexennium inconfessum, ut exploraret casúne, an in se destinato dictum foret, privatim Aloysium convenit, rogans num proficuum sibi fore crederet si generalem exomologesin institueret? *imò quàm maximè*, respondit, *sexennio enim confessus non fuisti.* In oppido Plana Græcorum dicto, inter dicendum repentè exclamavit: *Siccine miseri improvidè vivitis? imminet tam atrox tempestas, ut non sitis inventuri extra templum effugium, quod tamen uni non proderit, qui fulmine ictus ibidem mortem & tumulum inveniet*: & ità penitus evenit. Syracusis in portu ad nauticam turbam perorantem deridebant aliquot Melitenses equites: ad quos conversus, *ridetis nunc quidem*, ait, *& ipsâ hâc nocte flebitis*. Nocte jam adultâ solvunt è portu Melitenses, & in primo cursu hostilem mioparonem obvium nacti non prius expugnant, quàm explosis ab hoste tormentis ingenti suorum clade acceptâ, omnes illi Patris derisores trucidati sunt. Apud Leontinos contra injustos exactores detonans, inter alia repentè, *unus criminis reus*, exclamat, *intrà annum*, deinde bis se corrigens *quasi re meliùs expensâ, intrà 6. menses, imò intrà mensem hujus criminis pœnas dabit, adeò terribili morbi & lethi genere, ut futurus sit Medicis ipsis horrori & stupori*; planéque ità ad multorum emendationem evenit. Panormi cum Patre Thoma Clavello littus inambulans, & triremes ultra milliare adhuc distantes conspicatus, *vidéſne Pater*, ait, *geminos Dæmones igneis cornibus Prætoriam ingressos?* neganti verò addidit, *atqui circumstant meretricem, quam mille etiam inter homines DEUS mihi dedit discernere.* Appulsam deinde classem ardenter exhortatus, ut cum hac etiam è reliquis triremibus lupæ omnes depellerentur, persvasit. Atque ex his constans erat totâ Siciliâ sensus, perpetuâ plurimorum experientiâ comprobatus, omnium conscientias & arcana cordium ab eo perspici; siquidem si quis crimine aliquo laborans concionem ejus adiret, ità graphicè se describi, se designari sentiebat, quasi privatim sibi soli concio fieret: majore sanè prodigio, quàm si Privilegio Apostolis concesso audîsset unusquisque lingvâ suâ illum loqui; dum è contra percipiebat quisque eâdem unâ concione sua cujuslibet tam disparia vitia & secreta sibi exprobrari. Tentavit nonnemo mutando in concione locum experiri, num in se revera dirigerentur tela invehentis? mutato loco mox ad eundem convertitur Aloysius, ex quo iste agnoscit se deprehensum. Illud mirabilius, quòd quæ secum aliquis tacitus reputans vel deliberans in corde loquebatur, illud idem repræsentans Aloysius enarrando dilueabt, aut confutabat, inexplicabili animarum quæstu. Cùm enim à resipiscendo plerumque absterreat verecundia se prodendi, cur refugerent ei aperire, cui jam nota sua omnia experirentur? Panormi artifex quidam resipuit, sed ad vomitum reversus numeros omnes

ini-

iniquitatis absolvit, fugitans omnem Aloysij conspectum. Verùm non potuit effugere sibi in platea obvium, dicentem ad populum, cujus sermone cælitus illustratus cùm secum ipse diceret, *sagæne alicujus veneficio in tot scelera ruo?* audit mox respondentem defixis in se oculis Aloysium, *non sagæ veneficio id accidit, sed legio Dæmonum peccantem ingressa non sinit miserum emergere.* A Concione Pater rectà hominem inter sexcentos petit, & manu prehensum peccata confiteri jubet: consternatum audit seriò cum lachrymis pœnitentem: ubi ille absolvit, monet multa adhuc esse quæ illi exciderint, & singula ex ordine quasi de tabella legeret enarrat: tum versâ veluti paginâ, omnia pietatis officia, preces, quibus à puero insvevisset, eidem nunquam sibi aliàs de facie vel nomine noto enumerat, ad constantiam & devotionem ad Matrem agonizantium, quotidianâ manè mortis memoriâ hortatur, & si id faciat, securum fore se demortuo ab omni peccato lethali promittit: acerrimè tamen vetat, nè cui id se vivente aperiat. Hæc omnia à morte Aloysij homo in legitimo foro juratus asseruit, addens eundem sibi, si in periculo graviter peccandi fuisset, visibilem apparuisse, & illæsum servâsse. Par fuit cum Adolescente nunquam illi cognito item Panormi congressus, quem manum sibi post concionem exosculantem similiter jussit peccata confiteri: & brevibus illa expedientem alloquens, *tu Saccensis es*, inquit, *tres ipsos annos Confessione abstinuisti fœdissimum habuisti cum fæmina illa commerciũ: quo tempore execto viperæ capite cuidam veneficium eo loci* (& singula hæc de nomine expressit) *abditum confecisti, & horum te oblivio capere potuerit?* Resipuit tunc demum ille probissimâ vitâ institutâ, non veritus in Sancti Viri honorem hæc eadem publicis actis ab ejus obitu consignare. Monialis quædam in sermone ejus ad totum Parthenonem habito vivissimis coloribus se expressam, & animi noxas omnes detectas experta, è pulpito digressum ad crates evocat, rogátque num se impetere voluerit? annuit ille, & clàm acriùs reprehensam ad frugem convertit. Idem alteri Moniali factum, cui debitas insuper pro erratis à DEO pœnas cùm in se suscepisset, illa verò nova debita contraheret, epistolâ Panormo ad illam missâ his illam admonuit: *Dum ego æger decumbo ad exolvendas tibi debitas pœnas, tu cum sorore dissides ob pugillum farinæ, quam tamen DEUS in materiam Eucharistiæ, quæ est pacis symbolum, elegit.* Vulgavit illa rem sororibus, admiratione indè defixis. Illud mirabilius colloquium, loquente sibi soli in corde Sanctimoniali, & Aloysio palàm ab exedra illi respondente; quod tamen nemo alius (idque semper fiebat) nisi quem concerneret, advertebat. Invehebatur Pater in eam luem Monialium, quæ frequentiùs cum Viris ad crates vel prolixiùs fabularentur. Hoc velut fulmine tacta una, cogitatione emendationem proponens dicebat in animo: *pœnitet me & vehementer pœnitet. atqui hoc non satis est*, excipit Aloysius, *emendatio sequatur necesse est*: Illa iterum secum non sinè lachrymis: *Non adibo ampliùs crates. non adibis?* resumit Pater, *hoc opus, hic labor est. id nisi fiat, fletus omnis inanis.* Sed redijt illa fragilis ad crates, & Aloysius ad concionem, priórque intrà dictionis decursum incipit, *siccine statur promissis?* flente iterum recidivâ; *ploratur incassum*, subdidit, *teneo jam prioris fletûs exitum. obturandæ sunt Sirenibus, blandè per epistolas & munuscula canentibus aures.* Secuta quidem tunc sunt in Virgine promissa firmissima: sed cùm denuò recideret, adest ad crates paupercula mulier in specie rogantis stipem, vocatæque Moniali adesse se ab Aloysio, inquit, qui nunquam sperâsset futurum, ut fides sibi DEOque data iteratò frangeretur. quo dicto abijt. Et Virgo admonita ità seriò resipuit, ut toto deinceps vitæ spatio per 20. annos faciem Viri non viderit. Conscius divinitùs victoriæ Aloysius dum redit ad Concionem, DEUM pro concessa laudat ex Dæmone victoria, monétque victricem (quæ sola sentiebat ad se unam hæc dirigi) his ipsis verbis ad Mariam Magdalenam, quæ in Effigie Crucifixi ex pariete suspensa ad pedes Domini depicta erat directis: *Maria* (id erat Monialis nomen) *à Crucifixi pedibus nunquam abscedas, alioquin indè digredientem angvis arripiet dilaniabítque.* Alibi Monialis erat observantiæ rigidioris studiosissima, hæc percupida removendi obices quos patiebatur in virtutum studio, Aloysium per epistolam rogavit, dignaretur per quadrantem tantùm horæ aures sibi dare. Adest ille inexpectatus non ad colloquium, sed dicendum ad omnes: Dixerat per mediam horam, ac tum conversis fixísque in eam Monialem oculis, ità graphicè sigillatímque omnia quibus illa premebatur recensuit, diluítque, ut ipsa plenè serenatam se, omniáque dubia soluta confiteretur.

Solebat Aloysius inter Conciones quædam

dam veluti intervalla, ab alijs in virium refocillationem per villas & prædia captari solita, excursionibus & Missionibus inter agrestes impendere: at in provectiore ætate seposito stabilis Concionatoris munere, totum se Apostolico huic labori per continuos 20. Annos impendit. Qui conditionem Missionum earum per Italiam novit, stupebit Virum perpetuis laboribus fractum potuisse tot annos in ijs durare, quæ robustos etiam & viribus valentissimos pauculis annis frangere solent. Pedibus enim hæ maximam partem, nec rarò nudis obeuntur, sinè viatico & pera; vivitur mendicato, & somnus brevissimus capitur ferè humi, aut nuda in tabula: dictiones interim & Catecheses quotidianæ, confessiones in longam & sæpe totam noctem excipiendæ. Incredibile est quas molestias & incommoda devorârit in tot itineribus Insulæ montuosæ, tótque distinctæ fluminibus, ut multa passim evenirant naufragia, in fame & siti, in æstu & frigore: quod Socij ex deciduis nivibus adeò acre urénsque fuisse memorant, ut spiritum quandoque intercluderet, cum ipse more suo nudo capite incedens totum exciperet. In locis Missionum, Urbibus præsertim, si quis delicatiora misisset obsonia, totum ad hospitalia, calamitosos vel ægros dividebat, ipse pauperrimo cibo contentus. Si verò interponendæ tot laboribus quietis ab amicis admoneretur, jucundè reponebat, quieturum se tamdiu in sepulchro, ut tædio futurum esset. Ubi porrò locum Missioni destinatum attingebat, adorato in æde principe, quam semper omnium primò petebat, Numine, pueros cogebat tintinabulo ad Catechesim, instruebátque quid interroganti sibi qnædam inter concionandum, repentè præter Auditorum expectationem turmatim ipsi quantâ maximâ possent voce responderent. Nam deinde conscenso pulpito ubi jam Auditorum animos videbat dictione commoveri, ut majorem adderet impressionem, seipsum interrogabat exempli causâ, *quò peccator tendit?* & pueri inter populum in omnes partes divisi statim clamando respondebant, *ad Infernum*: *Quid autem est Infernus? quæ ibi deliciæ?* cùm illi ad singula optimè responderent, motus popellus agrestis erumpebat in singultus & lachrymas. Eadem praxis illi erat familiarissima ad vitia capitalia, Fidei dogmata, & quævis mysteria Concioni explananda, & odia inveteratissima, peccandi consvetudines dissolvendas. Expleto Missionis tempore aliò digressurus, ut quæ DEO dante inseverat non statim interirent, ubique priùs statuebat in editiore aliquo loco Calvariæ Montem, erectâ præaltâ cruce, ad quam per designatas ab se stationes, Passionis mysteria referentes, in quavis necessitate refugerent. Et placuisse DEO hanc Patris industriam plurima approbârunt miracula, diversis locis consecuta. Drumetum ad exstruendam Calvariam cùm ingens hominum vis è vicinis pagis & oppidis confluxisset, jussit Pater æstu & viâ defessis vinum distribui, dolio unde haustum fuerat non modò non imminuto, verùm etiam aucto. Apud Leontinos verò cùm in Calvariam erigeretur Crux prægrandis 40. palmos alta, incuriâ attollentium digressa à foramine, in Christophori Marini Sacerdotis sinistrum tempus toto pondere decidit, & semimortuum terræ affixit, sangvine undequaque fluentem, statímque à Medicis conclamatum. Eô eventu afflictissimus Pater ad templum 500. passus dissitum refugit, ubi ante Evcharistiæ thronum cum lachrymis humi prostratus cùm aliquamdiu orâsset, repentè hilaris surrexit, & ad Cyrillum Spadam ibidem precantem edixit, *subscriptus est prosperè supplex libellus Divinæ Majestati oblatus*. Die sequenti inter concionem abrupto repente filo, *Sacerdos*, exclamat, *noster convaluit. Crux enim vitæ origo & fons est, non mortis:* adnotatúmque est dum hæc ipse diceret, Medicos domi in ægri vulnere lustrando occupatos deprendisse plenè consanatum: ipsèque æger omnis mali expers, postridie discedentem Aloysium cum populo etiam comitari potuit. In Collesano dum foramen Cruci in calvarium figendæ excavaretur, fons saluberrimus statim erupit, omnibus morbis depellendis in remedium, multis prodigijs deinceps probatissimum. In oppido verò Acim Æthnæ monti subjecto fodientibus cruci figendæ terram, lapis ferreus occurrit, cui frangendo quinque jam horis latomi frustrà insudabant. Itaque Aloysium implorant, qui subridens trináque Cruce lapidem signans, *in Nomine* inquit, *Patris & Filij & Spiritûs Sancti frangere*. Et ecce non tantùm se ipso fractus dissilijt, sed in pulverem dissolutus abijt. Jam verò quis enarret fructus ex hisce Missionibus collectos? omissis de quibus authenticè in actis constat sexcentis aliis, tria vel quatuor quæ magìs eminent attingam. Leontij fœmina quæ palàm erat in Urbe ùt quõdam Magdalena peccatrix, audito Aloysio, quò eandem per omnia sequeretur pœniten-

tentem, antro se extra Urbem inclusit, & continuatâ ad mortem usque solitudine, perpetuis lachrymis, flagellis, jejunijs, etiam Sanctæ existimationem promeruit: ubi reperta ab ejus obitu imago DEIparæ maximæ est venerationi Leontinis, sacello ad decorem exstructo, & appellatione *Matris omnium gratiarum* honorata. Nicosiæ capularis senex, idémque inveteratus libidinum, etiamnum pellicem domi alebat, & ut Aloysium quoad Missionis causâ ibi moraretur lateret, & tutiùs concionibus ejus subduceretur, in Monasterium PP. Dominicanorum se se abdidit; non minùs ijs imponens, quasi sacratioris & secretæ ascesis causâ secessum à publico captaret. Sed non latuit Aloysium, qui die quodam illuc ingressus rectà cubiculum hospitis impudici petit, reperítque latrunculis ludentem: vultúque ad seriam Majestatem composito, *habeo*, inquit, *ad te DEI mandata quæ perferam, seorsim, & in ejus intrà Ecclesiam conspectu aperienda*. Eò deductum jubet flectere genua, & peccata quæ tot annis tacuerat confiteri. Ipse veritus in Patre DEUM loquentem, narrantémque ultro sibi cuncta quæ commiserat, exomologesim ad quinq; horas extendit: & post eam rebus domi compositis, in Eremo vitæ reliquum solitarius in arctissima pœnitentia traduxit, sanctóque fine conclusit. Celeriùs etiam Cælum invenit impurus Sacerdos. hic ab Aloysio persvasus ubi mulierem domô ejecit, & exactissimam apud Patrem exomologesim perfecit, defectus repentè viribus in lectulum se composuit, sumptáque SS. Evcharistiâ è potestate mentis discessit: non diutiùs sibi restitutus, quàm ut testamento pauperes nominare ex asse hæredes posset, mox enim iterum è mente, & paulò post avolavit à corpore. Senem alium ùt prædivitem itâ spurcitijs, & sceleribus inquinatissimum, ut vulgo Atheus crederetur, cùm ad se pellexisset, obserato cubiculo nudatóque dorso, tantâ acerbitate flagellô in se desævijt, ut seni ipsi commiserationem & lachrymas excusserit, spondenti mutationem vitæ, & scorti è domo ejectionem. Sed dimissus ut Confessioni etiam faciendæ se pararet, pellice ab omnium oculis in penitioribus ædibus abditâ (ut Pater crederet jam domô ejectam) ruebat in pejus: cùm iste zelo divino succensus illum domi conveniens acerrimè increpat, quòd DEO mentitus esset: imò verò pellicem jam ejectam affirmanti, mentiris, ait, manúque prehensum ad latibuli portam adducit, *hìc delitescit*, dicens, *quam mentiris expulsam, non homini mentitus es, sed DEO.* quo dicto abscessit. Et statim apprehendit miserum vindex DEI manus; nescio enim quâ causâ in carcerem diuturnum abreptus, è ditissimo mendicus in Nosocomio mortuus est: pellice tanquam sagâ à sacra Inquisitione captâ, & ad publicam verberationem damnatâ. Anno 1650. Missionem Parthenici appetente jam nocte adveniens Pater indicebat, cùm repentè hominem ex ipsa concione mittit, qui Petrum quendam mille passibus inde distantem ad se adducat: renuentem, & differentem in sequentem diem adventum, remisso eodem nuncio statim adesse jubet: sed vacuo iterum nuncio redeunte, Pater enixè DEUM orat, mittat ad se renitentem, quem salvum esse vellet. Venit tandem anhelus Petrus, ut præcipitâsse iter scires, & frugali cænulâ amicissimè refectus ultro exclamat, velle se hodie adhuc confiteri crimina, quæ septem annos siluerat. Ab his ritè absolutus cùm præ gaudio clamaret, jam Cælum ab se teneri, *verum dicis*, subdit Aloysius, *nec ego te frustrà tantâ importunitate vocavi; hoc enim erat momentum à quo tua pendebat æternitas: & væ tibi si renuisses, uti cæperas*. Quid memorem alia sanitatum, curationum, & omnis generis beneficiorum prodigia, omnia ritè per Inquisitores cognita & testibus juridicè probata: tantis illum inter hos Missionum labores támque innumeris ubique cumulavit DEUS, ut totus videri posset factus prodigium. Panormi hominem de potestate mentis dejectum: & alterum Messanæ ob inconditas gesticulationes & insanos furores plebis ludibrium factum, sanitati mentis restituit; duos infantes omnium judicio mortuos, unum in Urbe Corneolensi, alterum verò Joannem Franciscum Foresta dictum in vitam reduxit. Solus vestium, pallij contactus, aqua manibus ejus abluendis affusa, reliquiæ adeò ciborum à refectione superfluæ, & quidquid demum attactum vel in ejus usu fuisset, lepram, cæcitatem, febres, & quodvis incurabilium etiam morborum genus depellebat: quæ idcirco tanquam certissima malis omnibus antidota locis omnibus expetebantur. Quid quòd dicente sub dio ad populum, cùm Cælũ undequaque effusissimè plueret (id quod non semel contigit) & imbres Auditorem undique instar muri cingerent, illotum tamen neminem vel guttâ madefecit? itâ factum propè Saponaram, & in villa Chartafalsa dicta. Vinum ab illo in pauperum neces-

ceſſitatem toties eſt auctum, ut non ſæpiùs id à Sanctis Viris factum legamus: ſemel in Terra-Nova, Nari iterum, iterúmq; Alicatæ, rurſus ad Æthnam, ídque non ſolo uno aucti vini miraculo, ſed altero inſuper annexo, quòd illius vini reliquiæ ipſúmque vaſculum pellendis morbis erant in remedium.

Et hæc quidem erant Cæli Apoſtolicos ejus in Miſſionibus labores approbantis teſtimonia, quibus innumerabilium animarum erepta Orco præda quantam in rabiem Dæmonem egerit, non uno prodidit oſtento. Caſtrobonum ad inſtituendam Miſſionem tendenti fædiſſmam tempeſtatem imbrium, ventorum, fulminum oppoſuerat, quam illuc appulſo notæ virtutis perſona uni ex Socijs tam diſertè graphicéque recenſuit, acſi comes fuiſſet viarum, addens fuiſſe eam auctore Dæmone excitatam: ſed contra illius conatus vidit eadem concionanti Aloyſio ingentis ſpeciei Angelum adſtantem opémque ferentem; atque ab Aloyſij ore radium lucidiſſimum uſque ad DEI thronum pertingentem, & quid quid vellet impetrantem. Apertiùs etiam Meſſanæ auſus eſt canis inſanis latratibus dicentem turbare; ſed juſſus conticeſcere, ſtatim paruit. Nec raró iter cum Socijs ſeu terrâ ſeu mari agenti excitabat ſereniſſimo cælo repentinos typhones, fulmina jaciebat, conſternabat equos, ſeſſoréſque ſternebat, & ipſum adeò Aloyſium ſemel è ſuggeſtu præcipitem, & iterum ex equo egit in flumen, aliàs proſtravit in terram: ſemper invictâ ejus oratione, nullo cujuſpiam detrimento profligatus. Imò cùm ex Miſſione redeunti aliquando Blicus fluvius vehementer pluvijs auctus equo trajiciendus eſſet, & ductor itineris naufragij metu intrare prior diffideret, Pater ſigno Crucis facto illum & Socios ſe præeuntem ſequi juſſit: emenſóque fluvio ſtupentes advertêre ex equorum pedibus, vix palmum unum in tam alto flumine aquam ingreſſos, ſuper ipſas undas velut in fixo ſolo veſtigia fixiſſe. Sicli dum ad populum diceret, ejulanti per fæminam Dæmoni, quam obſederat, concionémque turbanti, Pater ſilentium indixit; & paruit quidem tunc ille, ſed abſolutâ concione ad inconditos clamores redijt. Ducta eſt mulier ad aram DEIparæ, juſsúſque ſacris carminibus Dæmon miſellam deſerere, negavit facturum ſe niſi juſſum ab Aloyſio. Quæritur is toto templo, tandémque repertus in eodem orans ex quo dixerat ſuggeſtu, rogatur ut opem ferat afflictæ. Negat ipſe tanti eſſe apud ſe Dæmonem ut eum præſens expellat: ſuffecturum ad id præſtandum cingulum quo veſtem cohibebat: hoc præcincta mulier à tartareo hoſpite confeſtim liberata remanſit.

Tot tantíſque laborum & itinerum ærumnis, præcipuè tamen dolore tot injuriarum quas à mortalibus DEO quotidie irrogari ferebat ægerrimè, ſenſim tabeſcebat Aloyſius, donec in morbum incidit fatalem, ex quo mors conſecuta eſt qualem ſemper optabat, labores inter immodicos & ſacros excurſus. Recente enim ex morbo necdum bene valens, expeditionem à Superioribus Carinum, aliàs Hyccaram extorſit, & majoribus quàm vires ferebant animis aggreſſus, more ſuo cum tintinnabulo totum oppidum luſtrans Miſſionem indixit, fructu animarum maximo, utì & corporum, quia poſtremo. Nam in ipſo hoſpitij ingreſſu, quo illum exceperat Dominus Andreas Vecchij, famulæ ipſius Agathæ Gritti plenam ab inveterato morbo ſanitatem, Crucis ſigno formato reſtituit: & Chyrurgi filiolæ cæcutienti chartæ fruſtulo, quo involutum fragmen Agni cerei ſervabat, ut oculis ejus admoveretur, viſum contulit. Cùm plateas in puerorum comitatu luſtraret populum ad templum convocans, fortuitò equus in puerorum unum irruens, poſteriores calces tam valenter eliſit, ut ab omnibus haberetur pro mortuo: ſed Aloyſius accurrens manibus ſuis in pedes erectũ ſequi præeuntes juſſit, & ſolo hoc imperio reſtituit. Et jam quartus erat Miſſionis dies cùm Aloyſius magno animi ardore agricolas diu allocutus, ut craſtinæ Cõmunioni eos præpararet, poſt ſecutam crudelẽ ſui cum ijſdem publicè diverberationem, eorundem Confeſſiones ſub dio, ùt erat ſudore ex contentione dicendi madens, excepit uſque ad quartam noctis horam: ex quo illico ſentire cæpit ardores febriles, conſequente tanto frigore, ut totis artubus contremiſceret. Tentavit nihilominus poſtridie pro ſuggeſtu dicere, ſed ad prima verba omnino defecit, incredibili populi comploratione ad hoſpitium & lectulum deductus. Secuit jacentis venam Onufrius Chyrurgus, cujus filiolæ oculos ſanaverat; ſempérque in pretio & veneratione ſervabat lanceolam illam & goſſipium quo ſangvinem venæ deterſerat: nam ſangvinem ipſum hoſpes Vecchius retinuit cryſtallo incluſum; quæ ſingula meris deinde ſanationibus & prodigioſis effectibus ſervierunt. Cùm verò morbus indies ingraveſceret, Panormum illum reducere per 15. paſſuum millia properârunt Socij,

to-

totâ omnino Urbe cum lachrymis ad prosequendum abeuntem effusâ: unde reversus Vecchius, reperit domum novo prodigio ditatam. nam famula dum lina quæ Patri fuerant in usu abluit, odorem suavissimum ex ijs hauriens, & ideò in voces & clamores admirationis erumpens, miraculum viciniæ prodidit: coactúsque est Dominus irruenti turbæ cuncta in frusta concisa partiri, lecto tantùm integro sibi servato. Panormum in ædem Professorum delatus, intendente se in horas morbo voluit muniri sacro Viatico & Unctione supremâ: cúmque undatim Proceres utriusque ordinis ad ultimùm salutandum pænè irrumperent, exclusit omnes, solis admissis ijs mancipijs quæ à Mahometo ad CHRISTUM traduxerat. Cuidam memoriam sui in Cælo deposcenti, *timeo Domine Infernum*, reposuit, *& tu de Cælo loqueris?* Idem socio Missionum individuo contestatus est, *valde timeo*, inquiens: Hilarionis & maximorum Sanctorum exemplo, sub exitum vitæ summo horrore DEI judicium pavescentium. Maximas eô articulo expertus est impugnationes Dæmonis & terrores, hinc prælegi sibi voluit ad spem erigendam Domini Passionem: donec inter alternantes illos spem inter metúmque animi motus advertens idem Socius, rogavit, num occini sibi vellet psalmum illum, *Confitemini Domino quoniam bonus?* ità planè ait; Cúmque in illo psalmi Versu, *fortitudo mea & laus mea Dominus*, aliquamdiu immoraretur, mox ad socium conversus, *bene est*, inquit, *jam res in tuto est. lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Reliquum omne tempus in ardentissimis cum DEO, DEIpara, colloquijs traduxit, donec placidissimè, oranti propior quàm morienti, obijt, die Sanctæ Ursulæ sacro 21. Oct. Anno ætatis 65. Sæculi 1656. Eodem nimirum, quô superiori Sæculo decessit Sanctus Ignatius Fundator; prout & eodem quo suo sæculo natus est Ignatius, posterioris sæculi anno in lucem venit Aloysius: uterque similiter 65. annos vivendo emensus. Ab ejus obitu vidit idem Aloysij Socius per quietem ipsum à SS. Ignatio & Xaverio associatum, comitante catervâ sociorum, omniúmque ejus operâ Cælo assertorum, deduci velut in triumpho inter Cælitum applausus ad thronum Sanctissimæ Trinitatis. Diem mortis suæ non semel antè prædixerat. Nam cùm aliquando Canonicus Vianisius eum ante Aram Sanctæ Ursulæ diu vidisset precantem, quæsivit an in eam speciali ferretur pietate? *imò quàm maximâ*, respondit Pater, *meminit enim probè Diva quibus illam promissis obstrictam habeam, quæq; sit mihi futura comes propitia in itinere, quod die illi sacrâ simul habebimus*. Cùm verò Panormo ad ultimam missionem Carinum discederet, Magdalenam Græcam ex tertio Ordine S. Teresiæ alloquens, *S. Ursulæ die*, ait, *in Monte sancto* (Cænobium est Carmelitarum) *magnæ Vir sanctimoniæ evolabit ad Superos* (erat is P. F. Joannes Maria de Petralia, eô die persanctè vitâ functus) *eademq; die hîc in Nostro templo erit frequentia nunquam ante hac visa celeberrima*. Miranti verò, & nihil tale hoc die ibi vidisse dicenti, *Nè ultrà quære*, dixit, *veni, & vide*. Venit illa, vidit & flevit defunctum, tanto populi, Procerum, omniúmque Ordinum ad funus concursu, ut justa illi, occupante omnia multitudine, persolvi nequiverint. Bis corpori exanimi nova induta vestimenta, bis direpta sunt, tandem & feretrum, & scamna, quibus hoc innitebatur, frustatim discerpta; & vix summâ adhibitâ vi impeditum nè corpus ipsum invaderetur. Maria Judici manum ejus ùt primùm ad osculum apprehendit, dolores arthriticos quibus à novennio conflictabatur amisit. Anna Badulata ex oculorum continuis ab infantia doloribus septennis penitus excæcata, ubi ad feretrum se penetravit, pedibus ejus apprehensis advoluta continuò visum recepit. Guilielmus Dogana applicitâ ingvini rupto solâ chartulâ rejectitiâ è cubiculo Aloysij subductâ, integrè coaluisse sensit: utì & Franciscus Pica fistulam sub dexteram aurem purulentam, admoto vestis Aloysinæ fragmento: Christina verò Caccabensis applicitis auriculæ flosculis è feretro sublatis, auditum à semestri deperditum recepit. Illud mirabilius Catharina Genovasia feliciter partu soluta novis cæpit conflictari doloribus, quasi laniatis morsu visceribus & præcordijs, frustra medicorum & obstetricum toto biduo ope imploratâ: cùm è vicinia mulier miserata porrigit vestis frustulum, quod jam jam è feretro Patris abstulerat; id utero impositum continuò ægram novo partu & doloribus simul solvit, sed horrendo & monstroso; nam enixa est lupinum caput, vivens, sævis armatum dentibus, rictúque tam horrido, ut benevalentem comminuere, nedum viscera puerperæ laniare potuisset. Vincentio Pulci natus erat infans Ignatius sinè cranio, cerebro sub pellicula fluitante. Infelix parens frondem ex Aloysij feretro acceptam capiti Infantis applicat, duratâ

mox

mox in cranium pelle. Joanna Elia mulier inops grandi malo ad feretrum Patris liberata, totum eum diem in Ecclesia gratijs DEO agendis cibi immemor expenderat; sub vesperum domum redux, ubi nec panis, neque vel obolus illi emendo suppetebat, etiam incœnata decubitura erat: cùm fortuitò arculâ reseratâ nummum argenteum reperit in cœnam suffecturum; quem nè cœlitùs ab Aloysio datum posset ambigere, advertit recentissimè cusum, acceptâ itâ à Sancto Viro post pharmacum etiam eleemosynâ. D. Felix Syracusa infanti suo animam agenti, & tertium jam diem al ubere abstinenti funebria disponebat, cùm adveniens ab Aloysij exequijs Amicus Dominus Franciscus Contari flores è tumba subreptos infantis collo alligat, & pupulus mox perfectè sanus ad Matris mammas ultro adrepere, eásque prensare & liberaliter sugere. Atque hæc, ut reliqua eo die patrata sileantur, abundè evincunt, quàm ex vero prædixerit diem Sanctæ Ursulæ in templo nostro maximâ frequentiâ celebrandum.

Ut verò de ejusdem virtutibus, quæ solæ sanctitatis genuina sunt indicia, saltèm obiter aliqua perstringamus, fuit is amore quodam in DEUM seraphico itâ incensus, ut totus eô colliquesceret: illiúsque vi abreptus pluribus palmis à terra etiam corpore in altum levaretur, quod illi in Plana Græcorum sub sacrificio cœlestem hostiam elevanti contigisse testati sunt, quotquot sacrificio adfuerunt. Indè tanta illi cum DEO agendi consvetudo & deliciæ, ut post ternas quas somno indulgebat horas, totum reliquum tempus cum DEO svavissimè in meditatione transigeret; cui extra Missionum labores in Collegijs & itineribus duodecim solidas horas quotidie tribuebat. Quantis porrò in hac æstuaret ardoribus, quibus Cœlitum & Numinis foveretur congressibus, & arcanorum ostentis reficeretur, sequentia sint documento. Didacus La Nuza non degener Aloysii frater affirmabat, sæpius se noctibus orantem observâsse ad fores, vidisséque cum Angelis & DEIpara familiarissimè agentem; ex qua tantus splendor promicabat, ut per ipsas valvarum rimas ejaculatus radios, suos spectantis oculos verberaret. Nec minùs sub oratione conveniebatur ab animabus, subsidia ex igne Purgatorio flagitantibus, aut suam è corpore migrationem, & statum vitæ alterius indicantibus. Itâ animam Lucij Pisani vidit è Purgatorio in Cœlum migrantem: & Panormi mox ab Oratione matutina incidens in Franciscum Figveroa, fratrem suum Didacum La Nuza vitâ defunctum esse significavit (aberat autem is tum centum Panormo milliaribus Alicatæ.) Neganti autem aliquid de hoc Alicatâ nunciari, *nè dubita*, inquit, *hâc nocte migravit, méque antequam decederet, convenit. Sed nè idcirco dolueris, in tuto enim jam est, & cœlum tenet.* Figveroa lætus tam felici amici sorte, cujus mortem paulò post literæ significârunt, *Est aliquid*, inquit, *quod diu à te & ego exopto, sed taceo*: urgenti Patri ut diceret, *metu non impetrandi*, subdit, *prohibeor. sed quoniam jubes, dicam. Vellem mori securus & cum gaudio; quod futurum certò credo, si mori te præsente daretur.* Hæsit aliquamdiu Aloysius; tum minimè hæsitans *adero*, inquit, *morienti: Utinam!* subjicit Figveroa: *Sed quo pacto id sperem te nullibi consistente, & semper evagante? adero tamen, adero*, respondet Pater, *claudámque oculos extincti.* quod sexto pòst anno præstitit. In majore adhuc distantia Catanæ vidit & Ministro Collegij aperuit mortem P. Raiate, Panormi eodem temporis puncto defuncti. Sed & damnatorum supplicia non rarò oranti repræsentabat DEUS. Semel discalceatis Augustinianis nescio quâ occasione in Choro immixtus, tacitè cum illis orabat; quos inter F. Marcellus à Sancto Dominico miræ austeritatis & orationis, vidit repentè in extasi millia hominum torrentis more ad tartara ruentium, altéque exclamavit *quò scelesti, quò ruitis?* Jussus deinde eâ causâ ab Superiore fracti sub oratione silentij pœnas luere, & quid vidisset evulgare; rem aperuit: rogatúsque an solus id vidisset? etiam Aloysium spectaculi socium fuisse asseruit. Experturus rei veritatem Superior, illico duos è suis ad Collegium mittit ad Aloysium: qui monitus à Janitore adesse duos ad Januam ex PP. Augustinianis sui alloquium petentes; *redi*, inquit, *& dic eis, nihil esse quòd me expectent: domum repetant, dicántque Præsidi, verissima esse quæ F. Marcellus retulit.*

De charitate in proximum animarúmque zelo abundè quidem ex jam relatis constare potest, sed ex innumeris quæ adhuc restant veluti spicilegium quoddam decerpamus. Dum Concionatoris etiam quotidiani munere fungeretur in Collegijs (quo satis supérque pensi se facere quidam existimant, ut etiam plùs alijs sibi deberi putent) totum propè diei reliquum, nisì quod daret orationi, consumebat in Nosocomijs, ergastulis, triremibus, visendis ægris, exercendis sa-

ſacrâ Ignatij Aſceſi varijs Monaſterijs, Virginum præſertim, adeò feliciter, ut non paucæ nunquam Viro collocuturas voto ſanxerint. Concionabatur in trivijs, tum ad milites in caſtris, erudiebat ad Fidem Maurica & Turcica mancipia, colligebat egentes puellas, maximè quæ ex formæ præſtantia periclitarentur, & apud pias Matronas, &, ſi major creſceret numerus, apud varias mulieres artifices collocabat, ad ſuum ſtipendium. Conſtárque exploratiſſimum, plura aureorum quotannis millia in ejuſmodi proximorum utilitates fuiſſe per ipſum expenſa: quæ cùm deprehendi nunquam poſſet unde illi nihil ab ullo perenti obvenirent, creditum permultis eſt, à DEO illi indeficiens impleri marſupium. Nam & dotes integras puellis illis jam adultis aſſignabat, & reſipiſcentium mulierculárum turmas integras ſuſtentabat: queîs autem continentiam obiens proſtibula non perſvaderet, pecuniam nihilominus erogabat, ut vel unâ nocte abſtinerent, eodem conductæ à DEO pretio, quo à Dæmone per amaſios ſcelus emeretur. Ad-hæc luſorias aleatorum luſtrabat officinas, Agyrtarum obibat theatra, & ſi inter eos fœminas etiam nugari adverteret, mox arrepto Crucis (quod ſemper ad manus habebat) ſimulachro idem theatrum conſcendens, loco dimovebat mimos & ludero. Neque præteribat nautas piſcationi intentos, littus interim inambulans; quos aliquando in rabiem propè actos deprehendens, quòd plures hebdomadas laborantes nihil cepiſſent, juſſit DEO apud ſe ſociúmque reconciliari: cui obſequentes conſilio, mox & piſces experti ſunt certatim maximâ copiâ in retia ſua irrumpentes. Idem remedium perſuaſerat infelici aleatori, poſtquam ære omni, ipsâ adeò veſte perditâ, in eas redactus eſt anguſtias, ut laqueum jam circumſpiceret in remedium. Nam diu per plateas conquiſitum, tandémque deprehenſum blandiſſimè non ſinè commiſerantis ſpecie tractans, novum illi veſtitum, cùm jam nudus incederet, daturum pactus eſt, ſi peccata apud Socium confiteri, & aleâ de cætero abſtinere polliceretur. Spopondit liberaliter utrumq;: ſed à peracta Confeſſione veſte donatus, brevì ad aleam redijt, & annexas luſoribus blaſphemias: ſimúlque vindice DEI manu peſſimo exitu è vita ſublatus eſt. Tanta autem non modò verbis, ſed ſolis ejus oculis dum eos in peccatores figeret inerat efficacia, ut velut telis compungerentur ad pœnitentiam. Senſit eorum vim Nauclerus unius è triremibus, dum Aloyſium è portu proſpectantem in ſe unum tot inter conſtanter oculos obfirmâſſe vidit: nam ferre ultrà illorum ictus impotens, ad pedes Aloyſij factâ excenſione accidit; quem ille amiciſſimè in vicinum Patrum de Mercede templum ſeductum ante omnia monuit, quàm grave crimen ſit abjectâ uxore adhærere pellici; fatentem deinde crimina cœpit audire, uſque adeò illis immerſum, ut vix octava pòſt die finitâ Confeſſione ritè abſolutum dimiſerit. Maxima tamen omnium vis illi fuit ad excindenda vel antiquiſſima odia, quæ ſola juſtum volumen implerent. Unicum ſufficiat de Lucio Piſano, fædiſſimo ab hoſte vulnere accepto Syracuſis mortuo: cujus viduam cùm ſolaturus acceſſiſſet Pater, vix obtinuit ut in templo, ubi Vir jacebar, cum filiabus ſumeret divinas dapes. Inviſit eam ſecundò, nuncians Virum jam frui DEO, poſt trinum ab ſe pro illo litatum ſacrificium: causámq; tam properatæ liberationis retulit in heroicam ejus virtutem, quâ ſicario non modò ignovit, verùm ejus vitæ conſulens nunquam eum prodere voluit: imitaretur ergo ſanctum Maritum Conjunx. Quo tamen ſermone irritata illa exprobrat Aloyſio, quòd futura toties prædicere ſolitus Virum occidendum non antè monuerit, ut ſibi ab hoſte caveret; cui denique ipſa in atroci facinore tot illata damna condonare non poſſet. ſimúlq; quatuor digito deſignans filias præſentes, uterúmque quintâ prole tumentem, parvulúmque Nepotem, & arcam ultimô frumentô ſemiplenam: converſáque pæne furens ad Aloyſium, *aſpice*, inquit, *tot ora ſinè cibarijs, & ſvade deinde ſi potes ut ignoſcam.* Pater videns totum odij pondus in anguſtias rei familiaris incumbere, DEOque fretus, *quid ſi*, ait, *& alendæ familiæ, & filiabus elocandis idoneus ſponſor accedat?* Simul homine major, DEOque plenus, ad arcam accedens, *hanc ego*, inquit, *eâ benedictione impertio, quâ DEUS benedixit Abraham Iſaac & Jacob: Arca hæc nunquam deficiet in domo tua. Eſtne quod quæras ulterius?* Flavia, hoc erat Viduæ nomen, attonita primùm, ſensímque DEO illuſtrante mutata, publico inſtrumento hoſti pepercit: & ex arca non modò nihil unquam defuit, ſed res omnes modò arcam contingerent ità amplificabantur, ut & ædes indè extrueret, & filias in matrimonio honeſtiſſimè cum dote elocaret. Quarum natu maxima à morte Matris primogenituræ beneficio arcam in eandem hæreditatis portionem eligit,

git, tantæ in ea familia æstimationis, ut nullâ re nisi indè priùs extractâ uterentur, non cibo, non veste, non pecuniâ: & in quadam maxima annonæ caritate bini frumenti modij eâ inclusi, quadraginta modios reddidêre. Denique quidquid suasionibus obtinere Pater non posset, prodigijs nunquam spem ejus fallentibus obtinebat. Ità obfirmatum in secta Turcam emollire cùm non posset, ad cubiculum suum ut veniret persuasit, ubi apposito pane & pisciculorum obsonio solari famem amicè hortatur. Sed ferociter cænulam aspernantem, cubiculi portam tantum egressus, trilibrem delicatum piscem è prunis recentem apponit; quærens num grandiores appeteret? confestim appositurum spondens. Stupefactus ille miraculo existentis repentè piscis assi, cum pollicitatione majorum, non secus acsi eos ibi clausos haberet in nassa, imò assatos in craticula, victas prodigio manus dedit. Sed neque DEUS servo suo, Operario tam fideli, dum homines deessent, etiam per Angelos delicatè pascendo defuit. Unicum è multis referam. Josephum Cannellam Societatis Adjutorem Parthenici in prædio Tyrocinij Panormitani Oeconomiam curantem, formosus adolescens piscatoris in speciem sub noctem convenit, piscésque optimos venum obtulit. Neganti assvetum se ruri maritimis & tam delicatis piscibus vesci: emeret saltèm pro alijs, hortatur adolescens; adfuturos enim serâ nocte hospites Patres aliquot, quibus eò gratiores futuri essent, quò minùs expectarent pisces in silvis. Denique adhuc Fratre tergiversante ab omni pretio remittens, modicâ panis buccellâ viníque haustu se contentum fore inquit. Acceptat Frater gratuitò oblatos raros pisces, suspicatus visos ab illo in via, adventantes Patres. Dum abit præmium saltèm si non pretium ad petitam offulam additurus, & mox redit, nullum reperit: reputánsque secum formam illam vultûs elegantiámque nunquam in piscatore visam, planè credidit (id quod erat) DEUM verè pium & misericordem alicui venturo famulo suo misisse cœnam. Dúmque hæc animo maximè, in eventum suspensus, versat, ecce Aloysius cum Socijs Missionum adest: ex cujus præsentia jam omnino prodigij certus, hilariùs de via fessos excepit, quos DEO ità acceptos rescivit.

Neque indignum hâc DEI curâ æstimabit, qui summam ejus sui incuriam, & tanquam hostem persequentis abnegationem reputârit. Et quidem in sui afflictationibus ultra modum, imò & fidem excessisse videri posset, nisì singula juratis testibus firmarentur; ut inter has & continuos Missionum Concionúmque labores & ærumnas vivere potuisse, mero prodigio simile evadat. Ut enim nihil dicam de jejunijs, vestibus cilicinis, sævissimis flagellationibus, multis passim in Societate communiter usurpatis: binis cuspidatis catenulis ferreis ab humeris hinc indè pendentibus usque ad ventriculum, ibíque fibulâ junctis, quas tertia catena secabat totum corpus cingens, semper incedebat armatus, quarum cuspides vario motu aut allisu corporis altiùs in corpus adigebat. quæ etiam, utì & alia flagella ære asperata, quibus se in suggestu inter dicendum (more Missionarijs per Italiam receptissimo) coram multitudine diverberabat, plenæ sangvine cernebantur. In victu, omni delicato vel sapidiore cibo in perpetuum sibi interdixit: gestabátque penes se corrumpendo eduliorum sapori amarissimas herbas, aut frustula insipidorum corticum, quæ condimenta vocabat jecinori, pulmonibus aut ventriculo cumprimis conducentia: nec ulla erat potio vel cibus, quem sumpturus antè non corrumperet. Usitatissimum illi erat per vias dumetis & spinis manus immittere compungendas, quas sangvinolentas extrahebat: tormenti genus, quo multa cælitus impetrabat. Inter quæ illud, dum arator ab se persuasus Confessioni agendæ animum parat, eámque apud Socium exequitur; nè quid lucri ei depereat admovet Aloysius stivæ manum; sed inter imperitam arationem bovis pes vomere vulneratur. Ergo Pater vulnere curaturus vulnus ad spinas currit, manibúsque lancinatis revertens, bovem sinè omni vulnere reperit. Nec rarò solitus est nudato umbilico tenus corpore in dumetis, Benedictum imitatus, se se volutare: bis in eo tormento propè Messanam ab oculatis testibus deprehensus. Quia verò duo in se advertebat, in quæ naturali genio summè inclinabatur, exquisitam munditiem, & delicatissimam in cibis & convictu nauseam: ut primum corrigeret, incedebat quoad licebat lacer, pannosâ veste malè præcinctus, illotus & impexus, oleo, jure, luto inspersus. Ad alterum, quod erat majus opus, innatum stomachi fastidium extirpandum, vescebatur rejectaneis, & ab alijs semimansis ciborum analectis, & calidam quâ lances eluebantur cum sordibus glutiebat. Cúmque ægerrimè ab se ferri sentiret labia admovere poculo, in quo alter bibisset, ex osseo calice viatorio

quo

quo utebatur, bibendi copiam priùs faciebat sordidissimis mendicabulis, bubulcis, agasonibus, residuum ipse potaturus. Movebat illi nauseam quidam è Socijs immodicâ phlegmatis inter edendum excreatione: ut hanc frangeret, destinatè illi assidere, & frustum panis seu casu, seu arte in stagnans phlegma deciduum resumere, atque ùt erat fœdâ salivâ sordidum, abligurire. Messanæ morienti mancipio assistens sordes fæcésque cum anima egerenti, excipiebat eas suo sudariolo: útque sensit restitantem stomachum, domiturus rebellem, omnem illam saniem exuxit è strophio, stupente æquè mancipio ac Aloysij Socio; qui Rectori, quantumlibet rogatus ab Aloysio ut sileret, factum referens, tanti Viri tanto exemplo ad omnia toleranda se paratum asseruit. Mænis quartam horæ partem lambendo scabiem ægrientis insumpsit. Messanæ cubiculum quoddam ingressus, offensúsque fætore intolerabili, ollam glutinis corrupti fætoris materiam totam exhausit, tanto horrore viscerum, ut ea pæne cum vomitu effuderit, nec minore æditui nauseâ, qui haurientem deprehendit. Apud Leontinos cùm ageret verni jejunij Concionator Aloysius, nocte concubiâ audit in platea mendicum ejulantem. Corripit se è strato ad jacentem, cibósque offert: negat pauper cibo se egere, optimè habitum apud Omodei Pharmacopolam, sub cujus cura fuisset, cancrenâ pedes arrodente & digitos jam depastâ: ignem, unicum morbi remedium intentandum, majori sibi horrori esse quàm mortem, ídque se timentem fugisse, & ultrà progredi impotem hìc concidisse. opem igitur ferret, & quoniam sanctus esset, redderet sanitatem. Suscepit id facturum Aloysius, modò silentium servaturum se promitteret. Id verò persanctè spondenti, detectis fœdis & mephitim halantibus ulceribus, totum pus exugere perrexit, donec æger levatum se dolore clamans, receptus in ædes & cœnatus quievit. Postridie ægrum à Viro nobili domi suæ Aloysij rogatu exceptum invisens, remotis arbitris in speciem ejus solandi, ad teterrimi qui succreverat humoris suctũ sitiens redijt, eundémque per dies 19. avidissimè repetijt, totidem nimirum quot adhuc in Urbe remansurus Pater erat, nè si citiùs sanaretur, fractâ fortasse fide rem proderet, præsenti adhuc Aloysio plausum in populo facturam. Discedens itaque plenè & ipsum incolumem dimisit, eâ lege, ut alium in locum ab Urbe habitaturus commigraret; nè scilicet inter Cives familiariter jam notos factum vulgando, applausus sibi & existimationem crearet.

Tantus ergo sui debellator & victor quid mirum est si tam potens cælitus evasit in morbos, dæmones, & desperatos peccatores subjugandos? paucula è multis ritè in judicio Quæsitorum firmatis adhuc innuam solùm, & finem ejus gestorum relationi imponam. Piâ quâdam fœminâ ad extrahendos è cœno turpitudinis mulierculas plurimùm utebatur Aloysius, tanquam instrumento: accidit ut cùm de suo mercimonio aliquando colloquerentur, filiola per scalas corruens ad pedes utriusque velut mortua devolveretur. Matrem ad triste spectaculum tantùm non dolore confectam miseratus Pater, jacens corposculum intrà pallium accipit, & quasi luxata officula suis locis redditurus attrectat: ubi verò ex Matris ejulatibus filiolam inclamantis, fœmellam esse advertit, velut ignem sinu excuteret, tanta erat innocentissimi Viri cum altero sexu cautela! matri reddidit nondum persanatam. Dúmque hæret præstétne sanitatem contactu reddere, an intactam sinere mori; tandem chartâ interjectâ manum illi imposuit, & puella mox sana evasit; duplici prodigio, sanitatis & honestatis. Cujus adeò tenax fuit Aloysius, ut in medio fœminarum sæpissimè agens, nullius tamen vultum aspexerit, & occursum non necessarium etiam viam remetiendo declinârit. Cùm autem ad Sanctimoniales diceret, oculis semper clausis perorabat, nisi dum feriendæ alicujus conscientiæ illorum tela evibrare zelus svaderet. Vibone à fœmina quartanam ex qua laborabat, & ibidem à puero Leone Lucas capitis dolores, cum morbo comitiali & sangvinis è naribus fluxu: Avolæ à Didaco Medero Vicario duplicem tertianam: Ruri nostro in Baghario à Stephano Societatis JESU Coadjutore luxationem solo amplexu depulit. Thermis Leonardum Zangara difficili urinâ & hæmorrhoide laborantem: Panormi Josephum Serium è testium tumore jacentem: Antonium Fortenome, & Julium Castelluccium, utrumque jam conclamatum ad mortem: in Parco rusticum incurvum invalidúmque ad labores, integrè sanos reddidit. Catanæ à quadrimulo puero ad genua sua provoluto rogatus, dolorem dentium signo crucis depulit. Mascari Antoniæ cujusdam exsuccis uberibus lac copiosum exoravit: & ibidem Annæ Barbagallo fractum ex casu brachium Crucis benedictione reparavit.

ravit. Id verò cùm omnes in ſtuporem adduceret, Vir ejus, *mirum quidem id*, inquit, *ſed magis mirarer ſi homo tam ſanctus miracula non patraret.* Atque hæc & id genus prodigia fuêre inter vivos agentis; neque his minora aut pauciora terris erepti. Incipiamus ab eis quibus ſanctitas ejus mortalibus cælitùs approbabatur. Caſtri Angela Luys papyraceæ attactu icunculæ Aloyſium expreſſum referentis, è lethali deſperatóque à Medicis morbo repentè convaluerat, ideóque ſumma in veneratione habitam ſemper pectori applicitam geſtabat. Semel verò fortè fortuna ad res domeſticas ſe proripienti, in ſubjectas quibus aſſidebat prunas icuncula nec advertenti decidit. Labore perfuncta ſentit primùm theſaurum cordi ſuo deeſſe, dúmque illum hàc illàc curſitans requirit, poſt quartam horæ partem in igne tandem reperit, tota horrore confuſa, nec aliud cogitans quàm Aloyſij effigiem concrematam. At ubi propiùs accedit, illæſam penitus ab igne extrahit, abſumente ſolos undequaque purioris chartæ margines & parerga, à coloribus verò effigiem conficientibus penitus abſtinente. Exclamat in genua provoluta amens gaudio, effusíſque lætitiæ vocibus vicinia primùm, mox tota propè Civitas conflnxit ſpectando prodigio. Iconem honorificè aſſervandam, dum in Sanctorum numerum accenſo Aloyſio publicæ venerationi exponi poſſet, ſuſcepit Laurentius ab Alexandro Archi-Presbyter Urbis, omnibus ad remedia malis ſuis eam deſideraturis futuram apud ſe in promptu. Eodem anno gemino prodigio furens ignis pepercit alteri gemellæ ex charta imagini, in pago cui Palma nomen. Hìc Joſephus Saccus cum alijs contribulibus ruſticis purgando à ſenticetis agro flammam vepreto injecerat, relictis non longè indè in alio ſenticeto à flatu venti averſo, adeóque ab igne ſecuro, veſtibus, ſarcinis, cæteráque rurali ſupellectile, ut liberiores alibi idem exequerentur. Sed mutato repentè in adverſum vento impulſus ignis tutam illam recularum ſtationem corripit, totámque cum omnibus ibi reconditis incinerat: ut ſub meridiem reverſi ad prandendū coloni præter cineres nihil invenerint. Saccus jacturâ præ alijs mœſtior, quòd in ſarcina nummos aliquot repoſitos habuerat, & effigiem Aloyſij chartis alijs involutam, cineres rimatur & excutit; & nummos quidem recepit, ſed flammæ violentiâ in rude infectúmque metallum, amiſſo pecuniæ ſignaculo redactos: penéſque eos icunculam Aloyſij, exuſtis omnino alijs omnibus, prorſus illæſam & intactam, octo præſentibus oculatis teſtibus viſam. Quam in præcipuo theſauro habiturus Palmæ Dux, corruptam igne pecuniam multò largiore muneratus à Sacco redemit. Jam quæ his & ſimilibus Aloyſij iconibus, & quibuſvis veſtium, chartarū & id genus ejus utenſilium fruſtulis mira evenerint, numerum & calamum excedunt. Vix aliquod morbi & mali genus eſt cui non opitulata fuerint: à puerperis felici ſemper eventu perinde expetebantur ad leniendos partus, ad inverſos in utero fœtus reducendos & vivos edendos qui jam credebantur mortui &c. ùt apud nos reliquiæ Sancti Ignatij. Paria præſtitêre fragmenta ciborum, & miculæ panis ab Aloyſij menſa ſuperfluæ, quibus Anna La Ganæ depulſam ijſdem ab ſe in difficillimo partu mortem experta, reddidit ſanitati primò equum, & mox integrum gregem porcorum lue correptum. Joannes Vecchius in ſæviſſimo calculo opem Aloyſij ex pulvinari, quo apud ſe illum ægrum conſoverat, expertus; domô abſens Panormi podagrâ repentè oppreſſus, ad ejus ſe tumulū deduci obtinuit, ſuper quo volutatus affrictis ad eundem pedibus, ſanus abſceſſit. Salemi Catharinæ Antoninæ la Grutta ſeptimo anno ex continuo per ſeptenniū dolore oculorum penitus excæcatæ, & unà gibboſæ, utrumque malum depulit particula induſij à Matre applicita. Quam ſanitatem prædixiſſe illi viſus eſt Aloyſius adhuc vivens, ſimúlque voluiſſe ad obitum ſuum reſervare, dum rogatus Salemi ab Antonina ut malo ſe liberaret, *nè deſperes*, inquit, *nam citò voti compos eris*: quaſi tunc ſciret quid à morte facturus eſſet. Atque hæc ex innumeris paucula ſufficiant, nemini futura incredibilia, qui reputaverit id quod ſibi à DEO Anno 1653. revelatum fuiſſe de Aloyſio edixit Vibonenſis Sacerdos Julius Jorius (Vir DEO intimè & familiariter conjunctus, cui etiam Vincentij Caraffæ, triennio jam defuncti, in Supremam Societatis Præfecturam futura electio non ſemel cælitus oſtenſa fuit, teſte Bartolo in ejus vita) nullum id temporis in Societate ſanctimoniâ & virtutibus Aloyſio parem fuiſſe.

Ex Vita illius P. Andreæ de Putzo.

P. JA-



P. Ianuarius Pisa S.I. Italus, eximiæ in pauperes charitatis, Dei vicissim prodigiosam in se liberalitatem expertus, vitam inter pestiferos constanter ab se procuratos prodegit Aqvilæ cum Socijs 24. A°. 1656. per diversa Regni Neapolitani loca enectis.
182.

P. JANUARIUS PISA cum alijs 24.

E Metropoli Neapolitani Regni egressa pestilitas, alias quoque Civitates & loca eodem Anno 1656. corripuit, & ansam præbuit Collegijs quoque Societatis apud se erectis, glorioso certamini vitam suorum exponendi. Aquilæ imprimis hanc in gratiam lue infectorum posuit Pater Januarius Pisa Neapolitanus, ejusdem Collegij biennio Rector, annorum 39. Professus quatuor votorum, paupertatis & pauperum juvandorum apprimè studiosus, parciùs etiam ideò fami suæ indulgens, quò plus egentium usui relinqueret: detractis quandoque secretò corpori femoralibus, cùm aliud seminudo tegendo non adesset. Celebrioribus quibusque seu Ecclesiæ, seu Societatis festis, pauperes 12. accersebat, mensâ lautiore tractandos: enixè cavens, nè quem opem implorantem, auxilij sui vel aliunde implorati vacuum dimitteret. Et indè ingens vicissim erga DEI liberalitatem nata in eo fiducia. Tectum Templi nostri totum corruerat; ausus est opus in integrum restituendum aggredi, aureis non plus 50. instructus, quod impensas exhausit sexies mille & quingentorum aureorum, quos ille omnes DEO providenter suggerenti adscripsit: 600. potissimùm aureos, quos supra eam quam adnotârat summam reperit, cùm rationes revideret; illos enim nescius unde advenissent, occulto quodam mo-

modo sibi à DEO suppeditatos credidit, & testatus est. Inter sacrificandum pluribus visus est, persanctè id attestantibus, divina pati, augusto quodam & Angelico vultu renitere, & in sublime à terra levari. Somnus illi durus, cùm culcitram rarò ad quietem admitteret, rariùs vestes exueret, nisi quando inclementer planè se usque ad sangvinem laniaturus esset, acerrimo verberatu. India illi erat in primis votis: tum Missiones domi obeundæ: denique lue coortâ nihil omisit, ut primus in arenam illam pro animarum ope descenderet: quod ubi obtinuit, nullam omisit industriam quâ prodesset, domos undique subintrans, ac per ipsas fenestras se penetrans ad eos, quos malum profligârat: non ignarus, brevem sibi fore laborum cursum, dum pluribus se obiturum asseruit, duobus potissimùm luculentiùs id ac disertè significans. Vitâ jam functus aspectabilem se cuidam exhibuit, vultu radijs glorioso, & pileo aureo tectus; cujus hortatu ut ad divina obsequia enixè prosequenda perseveranter incumberet, magnopere se in concepto erga divina studio confirmatum fuisse idem asseruit. Nec defuêre probatæ fidei & oculati testes, quòd evoluto ab ejus obitu anno, corpus ejus integrum & incorruptum repertum sit, cùm tamen & locus, ubi conditus jacebat, uliginosus fuerit, & arca omnino consumpta. Virginitatis gloriam illibatam ei constitisse, haud ex vano opinio est: quam ille tantâ modestissimi animi demissione ornavit, ut spiritualium rerum Præfecto & Confessario de se non infrequenter sit questus, quòd ausus fuerit pati se sacris initiari, quòd tam sublimi in Ecclesia gradu censeret se indignum. Ibidem ex pari charitate occubuit P. Joannes Francus Neapolitanus, 38. annorum, in Societate 18. vota 4. professus, in Missionibus sexennio fructu maximo versatus, Indiarum quas expetebat locò. Totus aptus natus videbatur ad genium Sancti Xaverij, ad expeditiones Apostolicas, ad ejusdem cultum; quem Potamij in Calabria, & Adriæ apud Samnites, & nunc Aquilæ mirè promovit, ut certatim aurum, vestem pretiosam & monilia ejus ad aram conferrent, eúmque urbis in Patronum, approbante sede Apostolicâ eligerent. Creberrimas intendentibus se tenebris luis tempore conciones celebrabat ad cætũ Virorum, cùm dies totos in templo Sacramentis administrandis daret: indè illi lues, & conscita mors. Fuit vir demissionis eximiæ, atque licèt majora posset, ad rudes instruendos ultro se abjiciens: ex quo ipso major illi auctoritas, & æstimatio supra ætatem, ut ad expiandas totius vitæ noxas à plurimis ipse potissimùm eligeretur.

Bariæ P. Joannes Pasqualinus ante annos 68. natus, ibidem in Civium suorum obsequijs hoc eodem anno denatus est, cùm ante annos 46. illustrem Equitum Melitensium Crucem cum Societate commutâsset, ad 4. votorum professionem admissus. Parùm quidem is propositi primùm tenax, superbo quodam obtentu, utpote domi Nobilis & locuples, à Dæmone deceptus, ac speciosis majoris boni coloribus, & oblectamentis domesticis delusus, discessionem ab Societate extorsit. Sed octavo post anno, facti magnopere pœnitens, Romam ad Mutium Vitellescum jam Generalem, à quo priùs Neapoli Præposito Provinciali susceptus fuerat, supplex contendit, tandémque ut reciperetur, superatis non paucis quæ obstabant, pervicit: omnibus deinceps sinceræ humilitatis factus exemplar. Nam speciosa omnia constanti declinatione aversatus, solis infimis Operarij inter rudes & despectos munijs delectari videbatur, Neapoli quidem in Domo Professorum per annos 12. Christianæ doctrianæ elementa pueris & rudibus tradens, & ad propria usque FF. Coadjutorum munia se dejiciens: Nam & hortum persæpe demissionis studio fodiebat, glebam versabat; & ad matronarum confessiones audiendas indè frequenter evocatus prodibat, illis quid egisset facilè advertentibus, & virtutem admiratis, cùm ejus manus terræ tractatæ indicia præferentes conspicerent. Post explicatas pueritiæ toto sexennio Grammaticæ Institutiones, totis 15. annis Barij Operarij munia eâ satisfactione & industriâ gessit, ut pro amussi cuivis zeloso animarum Curatori esse possint ac norma, seu missiones & institutionem rudium spectes, seu pauperum, carcerum, nosocomiorum procurationem. Totis illis annis quoties nocte ære campano aliquem ad ægros evocari audiret, primus ipse se proripiebat, & janitore excitato, atque ad superiorem pro Socio accersendo misso, ad exeundum paratus præstolabatur. Peste laborantibus serviendi obtentâ facultate ut ad misericordiam divinam receptum quærerent afflicti cives, magnâ & dicendi vi & exemplo egit, quando sub vesperum quotidie pro concione nudipes dixit, & divinæ iræ avertendæ modos ostendit. Nudipes pariter Urbem concursans, omni ope omnes sublevare

vare contendit, nullâ sui periculi curâ vel metu. Pater Franciscus Zuccaroni, ex tertia probatione Missionem obibat, magnâ omnium approbatione circa Beneventum, cùm peste ab reditu Neapolim impeditus, in Urbem Barolitanam divertere jussus est, reliquum Probationis in ejus Collegio completurus. Hìc ille voto concepto, si Barolitanos pestis incesseret, caput eorum obsequio persanctè consecravit, cujus potestatem cùm à Rectore non obtineret, ardentibus literis ad Moderatorem Provinciæ datis exoravit. In eo 29. diebus ingenti charitate versatus, 30. die, quo se ad secessum per 40. dierum exercitia recipere Superiorum jussu debebat, eo ipso die peste illigatus, intrà biduum consumptus est, ipso Sancti Michaëlis die 29. Sept. cùm SS. Viaticum percepisset positis humi genibus intrà cubiculi januam, & à Rectore, pétque illum ab alijs erratorum veniam supplex petijsset. Ortu erat Aquilanus annorum 34. in Societate 18. Indicarum ærumnarum non semel petitarum constans expetitor, merum zelum & ardorem spirans, ad quem audiendum tota Apulia confluebat, ut felices se æstimarent qui illum audîssent. Tranensis Magistratus Barolitanum Rectorem impensè precatus est, ut sibi hunc tantum Virum vel semel videndi faceret potestatem. Barolitani autem tam Nobiles, quàm Civium primores, aderant constanter ad portam cubiculi, nihil remedij ad ægrum in vita retinendum omittentes: cujus obitum tot lachrymis, tanto dolore, & Viri desiderio prosecuti sunt, ut concedi eis debuerit potestas, effigiem ipsius eâ formâ expingendi, & perpetuæ Civium memoriæ asservandi, quâ pestiferis opitulabatur. Hìc quoque in eodem Charitatis munere virus mortale hausit P. Josephus Tipoldus Vallisnoviensis, ex itinere, quo ad Collegium Theatinum Rector designatus tendebat, peste intercepto, coactus Barij resistere: Jam in Societate 29. annos, inter Professos 12. egerat, in vita 45. Philosophiam & Conscientiæ casus docuerat, Rectorem triennio egerat, à Barolitanis in ea calamitate tanquam Angelus vel Apostolus exceptus & æstimatus. Beneventi acerbum sui desiderium Urbi reliquit, in eadem causa peste ereptus, P. Ignatius Palma, post Philosophiam insigni approbatione explicatâ Collegij istic Rector, annorum 35. in Societate 20. Professus 4. votorum, qui hoc epidemicis serviendi privilegium primus sibi usurpavit. Ejus vestigia per eandem charitatem & mortem secutus est P. Josephus Lentulus Rheginus, similiter Professus, & ibi tunc Philosophiæ Magister, ætatis anno 36. Exinde P. Franciscus Marenza Melphitensis, annorum 53. in Societate 26. Coadjutor Spiritualis, in qua insigni humilitate Grammaticæ disciplinas pueritiæ tradidit per annos facilè 20. Accessit Christophorus Aversanus, Neapoli ortus 52. in Societate 30. Coadjutor temporalis, Civitati existimatione sanctitatis perquam notus, domesticis verò à charitate fraterna, sanctâ quadam simplicitate, vitæ intaminatæ innocentiâ, & in DEIparam eximio affectu æstimatus, quæ etiam spectabilem augustâ specie illi se exhibuisse creditur.

In Urbe Stabiensi Collegij Rector Pater Bartholomæus de Rogatis, & in eadem ante annos ampliùs 60. natus, cùm diu frustrà expetijsset promiscuè in Urbe pestiferis operam navare, minimè tamen omisit, si quopiam ad eam ferendam postularetur, promptè se sistere. Itaque post eam ægro ex lue decumbenti, à quo accersebatur, navatam, porrecto suo ad ejus osculum Crucifixo virulento malo ictum se mox persensit, lætúsque exclamavit; si ob Crucifixum ægro porrectum moriendum est, nunc age moriamur! Quod evenit anno Societatis initæ 43. in qua Philosophicas & Theologicas disciplinas docuerat, & Ecclesiastæ munus cum laude obierat, typis quoq; vario ingenio in lucē datis clarus. E Collegio Theatino primus, qui mortuali lue contactis adjuvandis palàm vitā exposuit, fuit P. Franciscus de Nicolas Bitectinus, annorum 33. in Societate 16. permotis exemplo suo, cùm aliquamdiu solus periculosam eam provinciam administrâsset, ad laborum partem capessendam pluribus quà Religiosis, quà è Clero Sacerdotibus. Mirabilis potissimùm fuit quinque juvenum, illius disciplinâ in Philosophia, quam ibi tum explanabat, educatorum, virtus magnanimitatis, qui divino impulsu ad funebria illa difficillimæ charitatis officia miseris exhibenda, Magistro suo spontè adhæsêre, è quibus ternis ad immortalem vitam evocatis, duo superstites totâ contagione duravêre. At Pater admirationi & spectaculo toti Civitati fuit immenso suo omnibus opitulandi ardore; dum instar mediastini per vicos & domos concursans, etiam culcitras humeris ægrorum commodo deferret, séque Socium alijs ægros in sella gestantibus adjungeret, quorum non unum ità ad Nosocomium è publico deportari adjuvit, hinc bajulo quopiam,

piam, indè verò Patre manibus proprijs in sella locatum pestiferum gestante. Sed & foras remotis quoque opem laturus procurrebat, fuitque cùm eadem die bis ad duo millia passuum extra urbem, equo obstinatè rejecto, pedes profectus est. Interim verò sibi nihil indulgebat, eâ inclementiâ corpus jejunijs, flagris, quâ semper aliàs persecutus. Ab omni enim, quod lenocinium aliquod gulæ facere posset, constanter abstinebat, & ipsis vulgaribus ità parcè vescebatur, ut Superiorum auctoritate adigi debuerit ad rigorem temperandum, nè se penitus frangeret, viribus jam indè multùm attritis & extenuatis. Denique in omni genere virtutum ad summam perfectionem jam indè à Tyrocinio connisus, excelsam de se apud omnes sanctimoniæ existimationem jam pridem excitavit. Undè cùm Neapoli Theologiæ studijs vacans morti proximus crederetur, multi apud Rectorem enixè contenderunt, ut ejus effigiem depingi curaret, ad memoriam tam raræ, ac sic faciliùs ad imitationem transituræ virtutis. Agonem ultimum expertus est inter acerbos dolores perdifficilem, quinque pestiferis ulceribus dirè cruciatus, illud identidem ad fortiter ferendum repetens: age, age laboremus, & patiamur aliquid pro Paradiso. Exequiæ illi ab Urbe in templo principe, sonantibus omnium templorum campanis, magno & impendio, & affluentiâ populi celebratæ. His annumerandi veniunt 13. FF. Coadjutores, qui voluntariâ quoque vitæ impensæ liberalitate nostris funestâ illâ tabe afflatis, promptis obsequijs officia sua navârunt, & animas pro fratribus per hæc Neapolitani Regni Collegia posuerunt: quorum nomina recitat Alegambe ad hunc annum in victimis charitatis.

Ex Aleg. Vict. Charit.

P. ALPHONSUS PETRA cum alijs 5.



EX Neapolitano Regno in alias Italiæ partes propagata, ùt fieri solet, pestilitas, eodem adhuc Anno *1656.* Romam primùm irrepsit, anno insequente furiosè demum sævitura. Primam ejus mali sementem dicebant fuisse annulum sericeis filis illigatum, quem Neapoli sibi missum accepit transtiberinus miles quispiam, primus ab eo istic peste enectus; alijs è domo illam, tum passim alijs à mutua consortione cum morte trahentibus, donec in citeriorem Urbis partem transivit, & scholas quoque Collegij Romani infecit, è quibus in Collegium ipsum penetravit. Igitur domesticis aliquot lue contactis, ínque separatum ab alijs domi nosocómium reclusis, fraternam charitatem ut impenderent magnis precibus exorârunt aliquot Coadjutores, è quibus duo in victimas ceciderunt. Et primus quidem 7. Nov. rarâ felicitate, & DEI miserentis providentiâ, brevì alioquin è numero Sociorum delendus, cùm juvenili quâdam animi inconstantiâ id ipse exigeret; nisì potentiore DEI instinctu ad saniora consilia incitatus, huic operæ se addixisset; sæpe aliàs etiam auditus optare, ut pro pestiferis juvandis se suúmque caput DEO offerre posset. Fuit is Matthæus le Front Gallo-Belga 28. annorum 8. in Societate; quem die mox altero secutus est ejusdem laboris Socius, Benedictus Bernardini, ad omnes instituti nostri, ac particulatim ad Coadjutorum leges à virtute factus, annorum 53. in Societate 25. Humili fortunâ natus, venalibus lactucis per urbem circumferendis vitam utcunque sustentabat, cùm in Societatem receptus, neque unquam sortis suæ immemor, insigni demissione, erga omnes reverentiâ & promptissimâ obedientiâ omnibus exemplo erat. Integra illi semper à puero constitit Virginitas, & conscientia in Societate ab omni graviore noxa, & veniali etiam plenè voluntaria immunis: quam asperrimis corporis afflictationibus, quibus vires & valetudinem pænè pessumdedit, fovebat & tuebatur. Nihil majore animi propensione ambiebat, quàm ægris seu domi, seu per Nosocomia deservire, omnibus Charitatis occasionibus sinè cessatione imminens, & nè paululum quidem requietis, nisì Superiorum jussu admittens. Toti dies festi una illi erant oratio, toto animo divinis meditandis inter liquidissima Cœli solatia adhærescens; à quibus tamen obsequentissimè avelli se quavis obedientiæ voce patiebatur. Ex ardentissimo quo in DEUM flagrabat amore nihil aliud formidabat nisì vivere, nil optabat impensiùs quàm mori, extra periculum nempe summi illius Boni offendendi futurus. In DEI Matrem fuit religione & fiduciâ insigni, creditúrque Collegij Confessario suis ad eam precibus vitam servâsse: nam ex peste inter alios decumbenti



P. Alphonsus Petra, S.I. illustrissimo sanguine Italus, humilitate et animarum zelo spectabilis, Indicarum ærumnarum desiderium cum obsequio peste laborantium commutavit, in eodem Romæ cum quinque Socijs extinctus 4. Ianuarij A°. 1657. ætatis 45.

183.

benti sæpiùs promittebat fore, ut eâ nequaquam decederet, pro quo suas ad eam preces fudisset.

Jam verò anno insequente 1657. quæ priore serpsisse duntaxat videri potuit, pleno impetu erumpens pestis, variarum Religionum Sacerdotes excitâvit ad vitam & vires omnes ejus violentiæ opponendas. Hos inter primi in campum prodiêre Societatis Sacerdotes quaterni, cum duobus Adjutoribus à Præposito Generali emissi; qui simul Pontifici Summo obtulit tot alios, quot vellet in publicum illud subsidium destinari: è quibus duo peste quidem contractâ aliquamdiu prostrati, receptis brevì viribus, cum tribus nullâ contagione læsis ad finem usque durârunt, & utì primi in arenam prodierant, itâ non nisì lue undique profligatâ ultimi ex ea recesserunt. Unus solus in glorioso certamine pugil desideratus est P. Alphonsus Petra, ex illustri Papiensium Comitum Petrarum familia primogenitus annorum 39. in Societate 22. Coadjutor Spiritualis. Post quinquennium in pueritia Grammaticæ & Pietatis præceptis imbuenda rarâ humilitate & industriâ expensum, in sacris ferè Missionum expeditionibus, magnâ fructuosorum laborum & patientiæ laude versatus est, utpote toto semper desiderio ad Indicos labores propensus, & pro ijs impetrandis Præposito Generali opportunè Romæ importunus: quorum aditum ubi præclusum sensit, exaggeratis precibus tandem ab eodem obtinuit, in peste Romana cum socijs suppetias laborantibus ire. Duos ferè menses in ea exercitatione posuit, perpetuo miseros juvandi, &

& in opere tam nobili mortem obeundi desiderio: quotidie interim, quod ei domi quoque consvetum erat, vesperi acriter & perdiu in se flagris desæviens, & incredibile ad S. Pauli cœmeterium, quo efferebantur cadavera peste cadentium, eundi desiderium commonstrans, maximè quando 30. Decemb. anni 1656. malo afflatus est, geminúsque anthrax, & feralis bubo cum ardentiore febre mortem vicinam nunciârunt, quâ etiam 4. Jan. extinctus, & ad S. Pauli campum, quem adeò desiderabat, tumulatus est. Novaculæ vulnera, & ignem non uni parti corporis inclementer admotum, fronte tulit adeò generosâ, ut nè quidem indicium doloris ullius ederet, affectibus ad DEUM flagranter & assiduè vibrandis unicè intentus. Quartâ Jan: nocte, absente fortè socio, se se è lecto collegit, & coram S. Ignatij imagine venerabundus & supplex, manibus lecto nixus, ac velut in genua se demittens, repertus est extinctus, & immortalitati jam adscriptus. Vir fuit magnæ apud omnes de eminenti virtute existimationis, & quemadmodum ipse de nullo malè, ità nullus de illo non bene loqui auditus est. Ejus verò per septennium in Philosophia & Theologia Magister persanctè affirmavit, se in illo, quantumvis accuratè ad id adverterit, nihil unquam deprehendisse legibus nostris adversum, sed animum supra omnes respectus humanos excelsum, eorúmque turbamenta omnia contemptione generosâ supergressum. Quòd verò sævitia luis in uno Sociorum capite demesso conquieverit, ac præcipuè nullum ex omnibus in Domo Professa habitantibus corripuerit, S. Patri Ignatio unicè adscribebatur, ad cuius corpus universi solenni Sacramento se devoverant, favorem hunc illius in se votivâ deinceps tabellâ ejus sepulchro appensâ contestati. Atque hanc omnium incolumitatem miraculoso planè in filios beneficio deberi publica quoque omnium Ordinum admiratio affirmabat, cùm templum Professorum auresque Sacerdotum paterent semper omnibus ad Pœnitentiæ Sacramentum, & S. Synaxis omnibus porrigeretur, qui sanè frequentes accedebant, templis plerisque ferè clausis haud semel auctoritate publicâ, ob malum istic se exerens: & cùm nostri sæpiùs rogatu ægrorum domos adierint, nihil periculi suspicati, eósque confitentes & audierint & sæpiùs reviserint; quos tamen quid morbi habuerint ostendit mors brevì consecuta, & malum ab ijs in alios propagatum: & quia Sacerdotes extranei omnes, unde unde ex Urbe adventantes, eodem cum nostris sacrificali apparatu, & ijsdem aris uti permittebantur.

Genuam quoque atrociter eodem anno 1657. depasta lues, inter complures in auxilium miserorum accurrentes Socios, primum eripuit 17. Junij P. Hieronymum Reverta, Mediolani domo patriâ natum, cui vehementer hanc provinciam expetenti, Nosocomium publicum sacrâ operâ procurandum datum est. Ubi contagio se ictum sensit, socio lætissimus dixit, habere se quod unicè optâsset: nec Medico opus esse in malo sibi futuro ultimo & insanabili. Svadenti verò votum pro sanitate ad S. Ignatium concipiendum, negavit sibi esse in votis, vitam DEO semel devotam ab eodem repetere. Vixit P. Reverta annis 46. in Societate 30. vota 4. professus, animarum DEO vendicandarum avidissimus, quarum zelo in Paraquariam Indiæ Occidentalis Provinciam navigaturus jam Gades evaserat, insperatò indè rejectus in Italiam. Indè Paraquariæ locò illi Corsica Insula obtigit, quam universam Apostolicis laboribus gnaviter excoluit, assumptus à Pro-Rege & Episcopo ad sacra Pœnitentiæ arcana, & subinde Collegio Bastiensi triennio Rector datus: donec Genuam revocatus, glorioso fine vitam præclarè actam conclusit. Dies Junij 27. P. Joannem Sertolum, diris per dies 7. doloribus exercitum, in ejusdem partem gloriæ vocavit, post multum laborem peste saucijs impensè datum. Nonnunquam unius vel alterius horæ spatio facilè 60. viatico Evcharistico muniebat, certatim hàc atque illac in domos se penetrans, ut omnes in agone juvaret: face tamen piceâ aëri purgando munitus. Ex hac in dextram illius pupillam ignea aliquando gutta exiliens propè fecisset, ut post acerrimos oculi cruciatus ejus usum amitteret: quem feliciter restitutum unius Beati Aloysij, quem impensè venerabatur, beneficio adscripsit, tantóque avidiùs labori intermisso se reddidit. Brevì tamen arcanum primò virus illum corripuit, & quia ipso Beati Aloysij festo erumpente in genu carbunculo se prodidit, magnâ animi voluptate exinde affectus est, nihil dubitans à DEI provida manu id malum sibi immitti, quo ad cœleste consortium à suo Beato evocaretur. Vallis Tellina in Sondrij oppido illi Patria fuit, ætas annorum 34. in Societate 14. fervor virtutis planè eximius, quo apud tres Præpositos Generales ardentissimè Indicos labores expetijt, pro his & ipse in Corsicam exerendis

dis missus. Subinde cum Genuensi classe divinis procuranda Olissiponem missus, ibi preces ardentissimas apud Præpositum Lusitaniæ pro Indijs Orientalibus integravit: sed redire coactus, Genuam pestilentiâ interim correptam graviter laborare deprehendit, & in illud periculum illicò caput obtulit, ad cælestem portum pro Goano littore (ùt spes est) appulsus. Ad eundem per coacervatas cadaverum strues, veluti scopulos, delatus est 4. Julij P. Carolus Ansaldus Genuensis, annorum 43. in Societate 28. Professus 4. votorum, vir potens opere & sermone, totíque Urbi consvetis Operarij munijs, sed insveto fervore depromptis, notus æquè ac acceptus. Sæviente undique lue pars illa Civitatis inferioris illi administranda obtigit, quæ ferè plebe constat, multis permista quisquilijs atque flagitijs inverecundæ infamiæ mulierculaurum; eóque illam in partem atrociùs mali funesta vis & clades incubuit. Ergo ille non minùs his, quàm pestilentiæ malis obviàm ire, & ad omnem vagæ libidinis effrænationem adstringendam, ab ipsa rerum tam atroci imagine argumenta depromere, nè dissolutè quidpiam ageretur sub acie gladij, quem DEUS distringebat. Ità verò morientibus serviebat, ut sanos non omitteret: hinc ardentissimas in templo habebat ad populum allocutiones: hinc ad capita plateatum voces vibrabat & clamores in aures & animos, ingenti motu, cùm divinum viaticum ad morientium præsidium deferret: divino verò sacrificio, concessu & voluntate Archi-Episcopi, sub dio operabatur, ubi quàm plurimis pateret aspectus è domibus ad adorandam SS. Hostiam. Nec remissiores erant allocutiones privatis apud ægrorum lectulos in ædibus, ut sæpe non sinè lachrymis, nunquam sinè insigni animorum commodo audiretur, cùm quævis dictio præsentibus malis velut amentô ad feriendum robustior evadens, eò altiùs ictum imprimeret. Igitur procursationes illius omnium animabus sospitales, nec paucorum corporibus salutares fuère: quo è numero fuit fæmina, cujus salus à Medico jam pro deposita habebatur, ut neglecto corpore, animæ certò brevì migraturæ duntaxat prospiceretur. Fecit id Pater sanè solerter, & simul spe quâdam surrectus fæminæ auctor fuit, ut divinam opem per S. Ignatij nomen imploraret. Ipse interea reliquias, seu numisma S. Ignatij aquæ immersit, & eam ritè, invocato etiam ejus nomine, benedictam, fæminæ familiæque toti delibandam porrexit. Mirum dictu! cessit & mulieri ad extrema deductæ contumax malum, nec parvulo quem lactabat venenum haustum obfuit, neque ullum è domesticis tabes mali grassantis toto ejus tempore contigit. Medicus rem miraculo naturæ vires superanti adscripsit, eam dato jurejurando fide publicâ firmaturus, nisì lues illum quoque interim è vivis rapuisset.

N.B. aqua S. Ignatii

Ex Allegambe Victimis Charitatis.

P. HIERONYMUS LOPEZ.



Zelantissimus animarum Venator Pater Hieronymus Lopez natus est in Urbe Gandia Regni Valentiæ, honestis & à virtutibus magìs & pietate, quàm divitijs aut nobilitate conspicuis Parentibus, anno 1589. 21. Oct. à quibus in prima ætatula missus ad scholas nunquam ab ijs redibat domum, nisì salutato priùs prolixâ veneratione in Ecclesia Collegiata SS. Sacramento. Concionibus audiendis jam tum mirè delectabatur, & quæ audisset ad collectam puerorum multitudinem ex obvio scamno, gestus & ardorem Ecclesiastis imitando, declamabat: præsagio non vano, quod & de S. Vincentio Ferrerio & S. Bernardino Senensi refertur, quantus olim evaderet Prædicator & Apostolus. Anno ætatis 14. cùm Rhetorica completo in Societatem receptus, & Tarragonæ consvetis Tyrocinij experimentis biennio probatus, post repetitam Gironæ per annum Rhetoricam cùm parum solidæ virtutis præferret, & tepore langvescens Regularum observantiam minimi duceret, atque ad Philosophiam Mallorcæ audiendam missus nihilò plùs Religiosæ perfectionis assumeret, in pœnam & emendationem obstinatæ jam in quartum annum tepiditatis (post frustrà adhibitas pœnitentias alias & monita) à prosecutione Philosophiæ primùm amotus, mox etiam aliò migrare Terram firmam jussus est. Et jam trajiciendo locus in navi Valentiam solutura (quà illi transeundum fuit) conductus erat, quando precanti Alphonso Rodriquez, celeberrimo illi à revelationibus Fratri Coadjutori ostensum cælitus est, navigium istud in manus Turcarum venturum



P. Hieronymus Lopez Soc: Ieſu, Hiſpanꝰ, poſt crudelem apud Mauros captivitatem ferventiſsimꝰ animarum Zelator, Operariꝰ in perpetuis Miſsionibꝰ indefeſsus, Exercitij Actûs Contritionis publicè eliciendi Auctor. Obijt Valentiæ 2. Feb: 1658. Ætatis 69.

(quod & evenit) quare retentus tantiſper in aliam opportunitatem eſt Hieronymus. Nec multò poſt adfuit navis Raguſana, de cujus curſu Deum conſulere juſſus idem F. Alphonſus reſponſũ à Deo retulit, *Diſceſſuros in ea Religioſos habituros auream navigationem.* Conſcendêre itaque, Rectore oraculi myſterium non penetrante, cum P. Blaſio Baylo, & P. Petro Planes, inprimis Hieronymus ipſe, & quinque recèns auditâ Philoſophiâ Scholaſtici, Joannes Alcober, Antonius Marqves, Onufrius Serra, Joſephus Fuentes, & Gabriel Alegre: prætérque binos Novitios, Ramon Gual, & Ramon Anglada, Michaël Sanſaloni Societatis Candidatus. Et quidem proſpero uſi vento jam in conſpectum Valentiæ portûs venerant, cùm ab aliquot Mahometanorum Algerienſium mioparonibus, quêis præerat Simon Danza Lutheranus Hollandus, deprehenſi, poſt atrox & ſangvinolentum utrimque prælium, in quo tamen nemo ex noſtris perijt, navim dedere coacti ſunt. Primò omnium manus ſingulis ad tergum revinctæ, mox etiam direptæ veſtes, & in ſentinam navis captivi retruſi. Atque hæc erat mirabilis DEI circa Hieronymum providentia, per duriſſimam ſervitutem illum ad eximiam ſanctitatem provehentis; qui ſi Terram firmam attigiſſet, dimittendus erat à Societate, niſi mores alios & Religioſo dignos aſſumeret: Erátque ſimul navigatio Socijs omnibus prorſus *aurea*, ad eruendos patientiæ opulentiſſimos theſauros, & ignitum charitatis aurum in miſerrimos Algieri captivos Chriſtianos diſpertiendum. Algierium devecti (erant o-

mnes numero 130.) teterrimo ergaſtulo humido fœtidóque concluſi ſunt, in cibum fruſto panis hordeacei, in lectum durâ humo, in veſtitum adversùs rigidum hyemis frigus, ſolo rudi centone à barbaris indulto: quibus incommodis conſumptus Adoleſcens Michaël Sanſaloni, primis mox diebus in Natali Domini extinctus eſt. E navi exſcendentibus obviam occurrit Sacerdos Catalaunus, pridem depoſito lytro ſibi & libertati permiſſus, ſed nè tot Chriſtianorum animæ Sacerdote deſtitutæ ad Mahometem deficerent, ſponte illis firmandis remanens: hic incredibili gaudio geſtiens, tot ſibi in deſolatiſſimam excolendam vineam ſubmiſſos Operarios gratulabatur, mœrentéſque erigens veniam precabatur, quòd precibus ſuis ipſorum infortunij cauſam ſe crederet, quotidie DEUM orare ſolitus, ut mitteret ſtrenuos Operarios in meſſem ſuam. Septem diebus ita carcere emaciati adducuntur venales ùt pecora in forum; & Hieronymum quidem in ſuam ſervitutem redemit ipſe ille Capitaneus Piraticus Simon Danza 400. ſcutis: ſed non multò pòſt eodem pretio vendidit ſeni Hiſpano Renegato (ità appellantur qui abnegato CHRISTO Mahometem profitentur) quorum crudelem Dominatum eâ patientia ſuſtinuit & conſtantiâ, ut in alium prorſus hominem transîſſe videretur. Et quidem prior Lutheranus ſevero ſupercilio edixit, tranſeundum illi omnino eſſe ad Mahometum aut Lutherum. *Si Mahometem eliges*, inquiens, *libertate; ſi Lutherum, cum eadem etiam gratiâ meâ & protectionè, omníque felicitate potieris.* Sed utrumque animosè reſpuenti, & vitâ citiùs quàm religione privandum proteſtanti, mille contumelias oggeſſit, & duriùs ac ſeveriùs deinceps habuit. Sed acriora fuêre prælia Caſtitatis ſub dominio Renegati cum ſpurciſſima illa Mahometanorum, in Sodomiticam præcipuè libidinem perditè prurientium, colluvie, cujus ſentina Algier meritò dici poteſt: ut prodigij inſtar ſit, ſi quis è captivis præſertim adoleſcentibus liberalioris formæ (qualis erat Hieronymus) illibatus perſiſtat. Dum ergo non invitaretur ſolùm, ſed & imperio & per vim paſſim adigeretur ad ſcelus Juvenis caſtiſſimus, & non minore ipſe vi manibus & dentibus, ſi aliter non poſſet, ſpurcas manus abigeret, referebat ex glorioſo certamine victoriæ ſigna, colaphos, verbera, vulnera. Aperuit autem non ſemel Virgo Sanctiſſima Alphonſo Rodriqvez, quotidie plus centies hanc captivorum noſtrorum decadem illi in oratione commendanti, ſibi eoſdem peculiari curæ eſſe, iiſque aſſiſtere, ut conſtantes in Fide & puritate perſeverent. Tantum autem in ſe fœdiſſimorum Maurorum odium hâc vinci neſciâ caſtimoniâ excitavit Hieronymus, ut cùm eam non poſſent, vitam illi eripere decernerent. Reſciverant per id tempus punitum ultimo ſupplicio fuiſſe Valentiæ ab Inquiſitionis tribunali unum è Mauris mancipium, graviſſimorum ſcelerum convictum: ex quo in ultionem efferati ſtatuunt, primum quem indè prehenderent captivum Chriſtianum incendio vivum concremare. Cùm verò Hieronymum audiſſent Regno Valentiæ Gandiâ oriundum, rabiem hanc in illo exſaturaturi ingens pro illo pretium Domino offerunt: qui ſuſpicatus illum non in ſervitutem, ſed in necem tantâ ultro pecuniâ redimi, rejecit primùm; ſed majus adhuc pretium obtrudentibus, avaritiâ excæcatus ceſſit, niſi monitus alicunde Conſul Gallicus venditionem impediviſſet: maximo Hieronymi, ubi id reſcivit dolore, quòd tam præclara occaſio ſangvinis pro CHRISTO fundendi ſibi erepta eſſet. Nimirum noluit DEUS tantum olim Apoſtolum, quem tot millibus animarum Orco eripiendis diſponebat, igne conſumi, ſed per captivitatis duntaxat ærumnas velut in camino ad purum excoqui, & in fervidum operarium ſuæque gloriæ Zelotem parari.

Nec minora fuêre reliquorum contra impuriſſimos heros pro retinenda Fide & caſtitate certamina & diſcrimina. Joannes Alcober ad infamem laſciviam à crudeliſſimo Mauro, cui in mancipium obvenerat invitatus, cùm neque blanditijs nec minis cederet, barbarum arrepto pugione in ſe ruentem immoto pede perſiſtens ità fregit, ut ictu ſuſpenſo ſolis colaphis & pugnis mulctatus abierit. Ramon Gual Novitius annorum 16. ſæpius ad idem nefandum ſcelus à Domino ſuo, divitijs & auctoritate inter Algerienſes præcipuo, tentatus, ubi blanditijs & promiſſis (quibus illi, ſi Mahometem reciperet, adoptionem in totam hæreditatem, filio & uxore deſtitutus offerebat) nihil profectum eſt, vulnera, ſuſpendiũ, & fatalem ferri ictum imperterritus collo excepit. Amens enim furore æquè ac libidine barbarus, & toties contemptum ſe non ferens, adeò crudeli fuſtigatione in caſtiſſimum Juvenem deſævijt, ut baculus diſſiliret. vidénſque nec his emollitum, cùm aliud nihil ſtrangulando ad manum eſſet, faſciam quâ ſuum Turbant impli-

plicabatur evolvit, collóque innocentis injectam tantâ vi contorsit, ut rumperetur: manifesto miraculo, nam fascia è lino contexta, & ex ipso implexu tortuŕaque quolibet fune robustior erat, quàm ut brachijs humanis lacera cederet. Sed hoc ipso efferatior Turca, cæco furore dentibus innocentem Agnum invadit, & rabidi canis instar in corpore, multo sangvine fluentem, commordet. Mox ad frameam prosilit, ut cervicem victimæ rescindat: quam ubi seriò à furente vaginâ educi videt Novitius, totis viribus humo in genua se erigens, caput excipiendæ frameæ protenso collo objecit, tantâ animo illius cælitus infundente se lætitiâ, ut canere inciperet, *Te DEUM laudamus*! Ecce autem novum priore nihilo minus prodigium! quantovis impetu collo impacta framea casso vulnere resilijt, solo vestigio sui instar rubeæ zonæ relicto. Non suffecit ultrà barbaro animus ad repetendum ictum: Novitius autem residuo noctis in gratijs DEO reddendis traducto, ubi P. Baylum convenit, in lachrymas effusus verbum nullum profari potuit: sed ubi Pater has à dolore & angustijs ortum habere interpretatus illum solari & erigere cæpit, *Pater mi*, respondit, *non hos mihi fletus cient calamitates, & tolerata hac nocte supplicia, sed quia gemo indignum me laureâ Martyrij, quæ in manibus jam tenta infracta est*! Neque hìc malorum finis. Rex enim Algieri perspectâ elegante Adolescentis formâ, parabat illum Constantinopolim Turcarum Tyranno in munus ad nefandas delicias transmittere: cujus admonitus à Consule Gallico P. Baylus, mutuato unde unde à Christianis Mercatoribus lytro, 700. scutis in libertatem redemptum discrimini subtraxit: paritérque Joannem Alcober, majoribus præ alijs animæ periculis subjectum, 500. scutis. Quo fructu autem animarum Patres ibidem captivos æquè ac inter Mercatores egerint, vel ex eo conjice, quòd Jubilæum Missionum indicere sint ausi, nemine Sacramentalis Absolutionis experte relicto, quorum multi à 30. & 40. annis vixêre inconfessi. Plurimos etiam ex Renegatis, amplâ à Pontifice potestate instructi, CHRISTO reddidêre, cautè in partes fidelium deinceps elapsos. E quibus nobilem quoque egit prædam Hieronymus noster, in muliere septuagenaria Itala ad CHRISTUM reducta, quæ malorum in sclavitate intolerantiâ ante 40. annos Renegato Turcæ nupserat, eò calamitosæ egestatis ab ejus morte redacta, ut cogeretur in famulam apud Turcam Mercatorem se elocare. Jámque annus illis in tristissima captivitate effluebat, cùm ab Aragoniæ Provincia multo labore corrogatum advenit tandem redimendis lytrum, & in reditum viaticum, decem millium scutorum; beneficio præsertim Catholicæ Reginæ Margaretæ Austriacæ, itémque Francisci Gomez de Sandoval Ducis de Lerma, & aliorum Hispaniæ Procerum collatum: quo in libertatem quidem repositi, non tamen omnes in Hispaniam redire permissi sunt, sed obsides aliqui postulati eò usque, dum filiola Turcæ magni apud eos nominis ab Hispanis captiva redderetur. Tristi denunciatione mœstis omnibus, heroicâ charitate Joannes Alcober in obsidem remansurum se obtulit; cui futurus solatio & inter barbaros contra pericula præsidio Pater Baylus se addidit, reliquis primâ die Novembris navi Gallicâ domum remissis. Biennium insuper aliud tenuit hæc Alcober Algierij detentio, sub potestate sævissimi turpissimíq; Mauri, dum negotiũ transigeretur, cùm puella baptismum expetens infidelibus restitui non posset. Reduces autem ubi Mallorcæ in Collegio comparuêre, eodem sclavorum quo Algieri rudium centonum habitu, nemo lachrymas doloris simul & gaudij tenere potuit; quæ pariter repetitæ sunt Gandiam perlatis captivis: statímque apparuit Hieronymum durissimâ eâ probatione in alium penitus hominem mutatum, quando Matrem ex filij reditu, nimio gaudij affectu obrutam, ínque sui amplexum ruentem depulit, *Matrem quidem in ea se revereri, sed mulierem vereri*, inquiens. Itaque audiendæ ex integro Philosophiæ, & mox Theologiæ addictus Valentiæ, omnibus ad heroicas virtutes exemplo fuit & incitamento: diebus à schola liberis Orationis tempora producere, catechesi instruere rudes, invisere Nosocomia, servire infirmis, omne denique genus edomandi sui deprimendíque amplecti. Sacris Ordinibus initiatus, Rhetoricam docere jussus est in Urbe Calatayud; eo discipulorum in virtute æquè ac literis profectu, ut magnam partem in varia Asceteria & ad solos Cappuccinos seni transierint. At verò in tertiæ Probationis anno, qui ex Instituto Societatis est repetitio Novitiatûs, & re ipsa ab illo exactus inter Tyrones Tarraconæ, ut damna & teporem primi Tyrocinij sarciret, eo fervore omnia peragere, flagellis, cilicijs, jejunijs corpus macerare aggressus est, ut freno non calcari opus esset. Ità approbatâ Superioribus Virtute, ut quidvis etiam ardui

dui muneris ipsi confidi posset, datus est Sacerdoti socius ad Missionem in agro Tarraconensi instituendam: quam incredibili animarum fructu, miris obstinatorum conversionibus, & fervore in alio vix sibi viso, cùm testaretur P. Missionarius ab ipso peractam, quę sciebat improvisè nullo concionū instructum apparatu sibi Socium obvenisse, ad periclitandum ejus etiam dicendi talentum & efficaciã, conciones in nostro Tarraconæ templo Quadragesimales habere jussus est. In his quia spē etiam omniū superabat, & ingenti hominum accursu, profectu, morúmque emendatione audiebatur, nullo præterea opus experimento ratus Provinciæ Præses, eum Missionibus addixit; muneri utì fructuum feraci & omnium maximè Apostolico, ità patientiæ, laborum, & ærumnarum fertilissimo: singulari ità disponente Numinis providentiâ, non tantum ad innumerabilium salutem animarum, sed etiam ut perfectã in ipso idæam Apostolici Operarij posteris exsculperet.

Aggressurus munus tam arduum, ut non verbis tantùm & prædicationibus, sed & exemplis populos à vitijs ad virtutem traduceret, omnibus lautitijs & cibis delicatioribus in perpetuum sibi interdixit; & si quandoq; à pijs hominibus ad refocillandum laboribus satiscentem offerrentur, neque delibatos ad carceres, ægrotos, aut hospitalia mittebat; plus virium eorum orationibus, quam pastu delicatiore sibi accessurum dicens. Et quidem per 39. annos constanter in Missionibus expensos, nullum unquam ex quovis altilium genere bolum degustavit, DEO abstinentiam hanc speciali prodigio comprobante. Cùm enim in quodam Regni Navarræ vico operanti submissus è Collegio accessisset Sacerdos laborum socius, & persona devora in edulium paråsset pullorum par, quibus ipse nullatenus vesci sustinebat, urgebant perhumaniter ut hospes saltèm de via lassus his frueretur. Quo pariter excusante, & nisì Pater annueret gustaturum negante; ille à mensa consurgens positis humi genibus voluit omnes secum unum Ave MARIA orare ad lumen impetrandum, an DEO placeret in gratiam tam chari hospitis legem suam laxari (quod fuit Patri solenne in omnibus dubijs, ad consulendam pro legitimo responso Matrem DEI) necdum absolverant, cùm irrumpens canis celerrimè, quin ab ullo posset prohiberi, arrepto faucibus pullo unde venerat profugit, & litem diremit. Itaque non nisì vilissimis, & ferè mendicato corrogatis reficiebatur: ùt primùm enim locum Operationi destinatum attingebat, partitus cum socijs pagi aut oppidi, vel Urbis vicos, à domo ad domum eleemosynam mendicando obibat, nullâ aliâ re magìs auctoritatem Prædicatori necessariam parari affirmans. Et cùm omnibus illis annis nulli certo & stabili domicilio affixus, tanquam vagus & profugus erraret super terram, nunquam aliud admisit diversorium quàm pauperum & miserabilium (dummodo illic haberetur) Xenodochium: unâ solum vice persvaderi passus ut in aliud migraret diversorium, id quod peculiari DEI accidit providentiâ. Nam hospes concubinarius pellicem domi uxoris instar alebat; hi dum Patrem noctibus singulis atrocissimè in corpus desævientem, ut ad eos usque ex remoto illius conclavi verberum strepitus distinctè pertingeret, observârunt, tantô Viri innocentissimi pœnitentiæ rigore salubriter exterriti, & quid pœnarum continuata sua scelera maneret si impœnitentes decedant, arguentes, dissoluto in perpetuum concubinatu ad pœnitentiæ tribunal confugerunt. Vix autem ullum fuit totâ Hispaniâ Regnum aut Provincia, quam non adisset, & sacris suis expeditionibus excoluisset: in quibus annotavit mille trecentas partim Urbes, partim oppida & pagos, in quibus fixâ Missione populos consvetis exercitationibus productiùs lustravit; & ex his non paucas iteratò, tertiò, ac sæpius inductâ Missione: non añumerando alia loca, quæ in transitu veluti cursim ex occasione paucis diebus subsistens, excolebat. Nullum enim hominum genus culturæ suæ expers relinquebat, nullum transitabat otiosus locum, scholas puerorum ubiq; visitando, catechizando, passim etiã in plateis occurrentes, in ipso etiam itinere obvios, in agris aratores colonos sale Apostolico condiens; ut plerumq; alloquijs ejus semper ignem spirantibus compuncti, eodem loco omnes conscientias apud illum vel socios emacularent. Qui ergo laborum & occupationum Missionibus hujusmodi annexarum gnarus, solas conciones in dies singulos, nec raro binas aut ternas, eásque omnes ad conterenda etiam obstinatissimorum peccatorum corda semper ignitas, confessiones diu noctúque excipi solitas, catecheses, pœnitentium supplicationes, aliáque sæpius jam in aliorum gestis inculcata Charitatis opera ponderaverit, facilè cogitabit quantum roboris, virtutis & constantiæ inesse Viro debuerit, ad ea tot annis exercenda. Ut nihil dicam de intercalaribus per 33. Quadragesi-

gesimas in primarijs Hispaniæ Urbibus ab ipso habitis Concionibus; quibus quidem totâ Hispaniâ gloriosum sibi Viri Apostolici, imò & Sancti nomen promeruit, qui in exemplar & speculum omnibus Operarijs proponi posset; & re ipsa non unum post se à cathedris scholasticis, etiam Theologicis (intérque eos Didacum Sanvitores Insularum Marianarum postea Apostolum & Martyrem) ad questum animarum per Missiones faciendum pertraxit. Sed & DEUS muneri tam arduo destinatum duplici Eliæ spiritu imbuit, fecítque potentem opere & sermone, ut ex audientium oculis & durioribus petrâ cordibus communiter eliceret torrentes lachrymarum, gemitúsque minimè steriles, sed qui reos ad pedes è pulpito digressi mox sternerent, peccata confessuros: ut adeò in proverbium illic abierit, si quem in sceleribus perditè obfirmatum designare vellent, *Est homo qui non resipisceret, esto illi P. Lopez concionaretur.* In Regno Valentiæ accolæ fluminis Xucar inveteratis adeò dissidebant odijs, ut unius anni 1638. spatio in solo pago Algemesi 40. circiter clandestinis necibus interierint: omnes unicâ Missione extinctis penitus inimicitijs in mutuos amplexus & gratulationes reducti. Ubi resciens in vicino monte latere multos grassatores, qui varijs sceleribus onusti pœnarum metu illuc refugerant, unico ad eos habito sermone ità infregit, ut universi apud eum crimina ingenti dolore expiarent, & sacro epulo refecti mores planè Christianos resumerent. Erat quidam multo tempore per omne genus vitiorum & libidinum volutatus, tandémque publicis latrocinijs & deprædationibus eò proterviæ redactus, ut desperatione veniæ apud DEUM obtinendæ, & timore supplicij si in manus incideret à Magistratu inferendi, decreverit ejurato CHRISTO Mahometem secuturus in Africam navigare. Dum ad portum navim inquisiturus tendit, in pagi cujusdam transitu videt insolitam multitudinem certatim ad templum undiq; convolare (Missionem tunc ibi prosequebatur P. Lopez) igitur curiositate experiundi quid intus ageretur, ingreditur, audítque Patrem de infinita DEI misericordia efficacissimis rationibus disserentem; eo effectu, ut intimè contritus ad pedes Patris acciderit, totius vitæ crimina detecturus. Tam subitam in obstinato pectore mutationem miratus Pater, & ab altiore motu provenire suspicatus, quærit, num ullius in vita boni operis aut devotionis peractæ sibi esset conscius? nullius alterius respondit, nisì quòd in medio etiam scelerum quot diebus Virgini Matri supplex fuerim, precando nè me desereret. Neque dubitavit P. Lopez hunc DEIparæ quantumvìs exilem cultum salutis ei causam fuisse: utì & alteri in quodam Nosocomio, dum illud lustraret, inter ægros deprehenso. Hic adhortationibus Patris ad pœnitentiam, quam per 55. annos nunquam Sacramentaliter obierat, persvasus, inter enormia scelera & latrocinia quibus plurimos bonis & vitâ exuerat, quoties tamen effigiem Matris DEI conspiceret, nunquam salutare, & mortem in peccato lethali deprecari omisit: addidítque sibi aliquando evenisse, ut ab hoste, quo cum diuturna exercebat odia, pluribus armatis stipato deprehenderetur, undique circumventus in arcta & profunda via; dúmque nè inultus occumberet educto ense invasores retundit, in ipso pugnæ æstu gladius illi fractus dissilijt. Ergo actum de vita jam videns, *exclamavi* (referebat ipse) *hæc dies me eheu! præcipitat in infernum! Mater DEI & peccatorum, nè me deseras!* Vix hæc protulit, & momento reperit se in plano & aperto campo, nesciens quomodo, vel ubi, nullo hostium ultrà viso: Atque hoc patrocinium non minore altero cumulavit Sanctissima Virgo, dum die decimo à peracta hac generali totius vitæ apud P. Lopez exomologesi, plenum bonæ spei ad Cælum evocari apud DEUM obtinuit.

Præcipuum quod in suis concionibus ad pacem conscientiarum obtinendam svadebat, erat Confessio generalis (licèt ipsi cum socijs labor indè immodicè excresceret) quòd longâ experientiâ didicerat, multas sæpe ex verecundia, vel erronea conscientia in non paucis fieri sacrilegas; vel ex ignorantia defectu doloris aut propositi invalidas: multóque efficaciùs ad seriam emendationem conteri peccatores, revocatis ob oculos velut sub unum aspectum totius vitæ delictis: unde fiebat, ut non modò plerique, sed frequenter omnes ubi prædicabat incolæ, totáque Cœnobia recensitis totius vitæ peccatis conscientias emacularent. In quo genere mira illi sæpius evenêre. Fuit alicubi persona pietati & sanctis operibus addictissima, communiter omnibus ùt sancta existimata, quæ audito Patre supplex illi facta, divinitus eò sui causâ missum asseruit, ut se omnium hominum scelestissimam orco eriperet, quod per 30. annos peccatum in sacro tribunali ex verecundia tacuisset. Incre-

credibile id Patri videbatur, quæsiítque (ut tantò expeditior Confessio fieret) quódnam id peccatum foret? blasphema, inquit, in DEUM cogitatio semel menti incidit, obstinatissimè inhærens, ut ab ea diu expedire me non possem; ergo, subjicit Pater, displicuerit tibi, & invitæ reluctantíque molesta fuerit? imò, reponit illa, quàm maximè, nec ullum tormenti genus est, quod non præoptâssem, ut eâ me eriperem. Atque hoc idem se expertum plus quàm in 300. personis annotavit ipse, dum non peccata pro peccatis erroneè reputantes, sacrilegè reticuerunt, beneficio generalis exomologesis adjuti. Et videbatur illum DEUS ad ejusmodi sacrilegos juvandos subinde etiam prodigiosè destinare. Proficiscenti aliquando ad certum locum, Missionis ibi statuendæ causâ, obvius factus Adolescens Venatoris habitu quæsivit, quò iter instituerer? nominanti terminum, non ibi sistendum, ait, sed ultrà ad proximè occursurum pagum pergendum est, ubi persona morti proxima opus habet tuâ præsentiâ. Et licèt Patri consilium parum pensi habenti fixum esset non ultra locum præfixum progredi, tamen quasi incogitans & immemor termini, ad pagum iter produxit: statímque monitus esse quendam ex morbo ad extrema deductum, eum invisit, paulò ante peractâ confessione Sacro Viatico jam provisum. Inter pia solatia & actus virtutum illi suggestos, divino planè instinctu monuit, an nullius peccati in Confessione celati conscius esset, aliter enim ultimò recepta Sacramenta nihil profutura. Et cùm negaret ullius se conscium, digressus abibat: cum brevissimâ morâ revocatum, Angelum saluti suæ à DEO submissum æger appellat, ut qui per 33. annos verecundo silentio peccata quædam in Confessione reticendo, sacrilegè toties Eucharistiam sumpserit. Ergo bene prolixâ tot annorum & Confessionum retractatione expiatus, & pane cælesti refectus, velut huc unicè à DEO servaretur, brevi è vita dimissus est: ut Pater jam nihil dubitaret in viatore Adolescente Angelum latuisse, huc venire jubentem. In quadam Missione magno ardore ponderabat Pater ex pulpito malitiam culpæ lethalis, & pœnarum Inferni quas mereretur acerbitatem, tantâ duorum consternatione, & de venia scelerum suorum consequenda desperatione indè conceptâ, ut instar arreptitiorum è loco se proripuerint ad rupem vicinam, quò vitam præcipitio abrumperent. Sed non est passa DEI Mater, quæ plures sæpiùs peccatores ad eum expiandos direxerat, ut salutaris ejus dictio ipsis esset in ruinam: nam in montis ascensu illis obvia scelus dissvasit, & ad Patrem veniâ impertiendos redire jussit. Eadem visibili pariter formâ comparens homini peccatorum suorum conscientiâ ad desperata consilia redacto, *vade ad talem locum*, jussit, *ubi obvium habebis Patrem è Societate Filij mei JESU; illi peccata confitere, & remedium tuorum malorum invenies.* Erat autem locus, quem Pater id temporis percolebat. Venit & obvium nactus Lopezium quærit, sítne ex JESU Societate? nunquam enim vel de nomine illi innotuerat, dari aliquam hujus appellationis Religionem: & audiens esse de Societate, retulit à quo missus veniret, multísque lachrymis peccata confessus, plenus solatij discessit. Mulier quædam ex filij morte afflictissima, ante imaginem B. Virginis multis lachrymis hanc deplorabat; illam Diva ex ipsa imagine allocuta, *præstaret magìs*, inquit, *ut crimina tua defleres, & Sacerdoti aperires quæ tanto tempore sacrilego pudore Confessarios celâsti.* Et venit hoc ipso tempore Missionem eò loci indicturus P. Lopez, cui mulier legitimè confessa monitum DEIparæ implevit. Frequens etiam illi erat in Concionis ingressu explanare unum è præceptis divinis: accidítque ut aliquando septimum explicando diceret: *ô insipiens peccator, nónne experieris te quantò magìs furaris, tantò fieri egentiorem?* Quo dicto perstrictum se aliquis sentiens Patrem convenit, fassus id prorsus evenire sibi; cæpi enim, ajebat, extremâ egestate pressus in vino, quod proprijs humeris in modico vase deferebam, negotiari; & quò auctiùs fieret lucrum, aquâ ex torrente, qui semper transeundus erat, liberaliter diluebam. Sensim hâc arte profeci, ut jumento, & mox insuper mulo coëmendo, ad majora vini deferenda onera pecunia suffecerit, pari semper fraude ex eodem torrente vitiata: donec aliquando hic aquis repentè in tantum excrevit, ut jumentum utrumque, dum à me desiderio properi lucri in torrentem nihilominus agitur, in undas eversum unà cum vino hauserit, méque unà in graviorem primâ egestatem præcipitârit, qui hodie panem ostiatim corrogare adigor. Atque hæc eâ pœnitudine Patri retulit, ut etiam è pulpito, pluribus ejusdem farinæ emendandis, vulgari petierit. Quàm efficax autem fuerit conciliandis inimicis, & extirpandis capitalibus odijs, patuit in homine vitæ adversarij diu insidiante. Resciens

ens itaque hunc suscepisse iter, unde necessariò transeunda reduci erat obscura silva, senis armatus sclopulis locum petit: cùm illi occurrunt pastores aliquot, & alij super alios cumulatim sequaces agrestes, ad pagum nemori vicinum alacriter, tametsi de nocte properantes, quòd jam signum habendæ concioni à P. Lopez, ubi ab aliquot diebus labores suos exercebat, campana dedisset. Miratus iter tantâ alacritate urgentium petit, quâ causâ tempore intempestivo viam & longam & incommodam susciperent? *ut dicentem audiamus*, respondent, *& à peccatis conscientiam exoneremus, pollet enim Apostolicâ à quibusvis absolvendi cum Jubilæi indulgentijs potestate.* Tantam hæc verba pastorum in animum hominis penetrandi vim cælitus habuêre, ut socium illis se se adjunxerit: sed insvetus longo itineri cùm viribus & animo brevì deficeret, implorato DEIparæ auxilio robustior illud absolvit: audiítque ultimam solùm Concionis partem, quæ erat de extremo judicio; & tamen verba ejus singula sagittæ sibi videbantur, ut impar earum ictibus ferendis totam Patri vitam ingenti pœnitudine recensuerit, alioqui per 26. annos, ob nunquam remissam inimicis offensam, sacrilegus & fictus pœnitens. Quin & arma omnia Patri reddidit, ut pecunia ex venditis accepta in egentes divideretur. Gemellum huic est, quod alteri evenit, dum hostem ex insidijs in nemore necaturus præstolatur. fortuitò enim an curiositate Ecclesiam in vicinia ingressus, Patrem istic perorantem auscultavit, tantâ animi sui commotione, ut fixus DEUM sibi confestim plenè reconciliare, priùs hostem ardentiore fervore quàm paulò antè furore inquisitum convenerit, ejúsque pedibus accidens per CHRISTI JESU amorem & sangvinem veniam petierit, aut si reatum suum ulcisci magìs vellet, nudatum pugionem ad sui necem obtulerit. Quo exemplo & hostem in amicissimum sui complexum excivit, & DEO lucratus est. Nec DEUS omisit multis etiam prodigiosis modis declarare, quantum sibi zelus hic Patris in extirpandis odijs placeret. Nobilis persona ab æmulo ignominiosè alapâ percussa ità sui potens, ex memoria proximè auditæ Patris concionis, fuit, ut acceptam injuriam, quasi intulisset, deprecata remiserit. Sed domum reducem CHRISTUS Crucis trabe humeros oneratus gratulabundus excepit, quòd injuriam sui amore heroicè condonâsset. Finem narrandi non invenirem, si solum hoc extirpari difficillimum viti genus jprosequerer, cùm vix aliquis dicentem audiverit, qui ad ponenda odia non fuisset emolitus. Ex quo facilis est ad alia vitia per eundem eliminata conjectura.

Ità autem hoc eripiendarum Orco animarum zelo ardebat, ut aliud neque mente vel sermone, neque manibus & quovis opere agitâsse dici ex vero possit. Cùm longâ tot annorum experientiâ comperisset id, quod etiam Sanctæ Teresiæ divinitus ostensum fuit, magnam partem Christianorum damnari ob Confessiones sacrilegas & invalidas, partim doloris aut efficacis propositi, partim candoris in aperiendis integrè peccatis defectu, ità ut plurimos deprehenderit in ipso etiam mortis discrimine scelerato pudore victos, quamvìs scirent jam jam Tartaro se addicendos, crimina reticuisse, & nova insuper sacrilegia sumpto Sacro Viatico & ultimâ unctione addidisse: quare non tantùm quâvis ferè dictione abominabilem hanc insectabatur erubescentiam, sed scripto etiam persecutus est; edito libro (sub alterius tamen nomine, Patris Christophori de Vega, impresso) quem *Casus raros Confessionis* inscripsit, ad quos omnes malæ Confessionis causæ, effectus, & remedia facilè reduci possent: qui mox in varias lingvas versus, & sæpius recusus, atque ob incredibiles indè secutos proventus in totas Indias propagatus, tantum boni operatus est, ut Pater Lopez ultimis in agone verbis unicum id voluerit suo nomine ab Archi-Episcopo Valenceno postulari, quò dignaretur librum denuo typis jubere subjici. Similiter cùm tot suis expeditionibus observâsset supremam, locis præsertim minoribus, pagis & villis, Curatorum socordiâ rerum Fidei ignorantiam, catechesim in varia capita digestam evulgavit, ut quovis Dominico & festo die unum saltèm populo à Parochis legeretur. Cùm verò contigisset ante illius publicationem Patrem emori, ad extrema deductus supremo ardore ejus executionem adstantibus commendans dixit, *nihil sibi post animæ suæ salutem æquè in votis esse, quàm prælectionem illam catechismi apud Parochos in praxim deduci.* Planéque consecutus est, quando mox ab ejus morte à plurimis Episcopis & Prælatis per suas Diæceses omnibus Curatis id demandatum fuit. Utque nullum hominum genus industriæ & culturæ suæ expers esset, instituebat Missiones cum suo Jubilæo non tantùm ad Urbium incolas & pagorum in templis, sed seorsim ad Scholares in Academijs, ægros & pauperes in Xenodochijs,

vin-

vinctos in carceribus &c. spectabili ubique proventu, dum Valentiæ plures 500. studiosi ejus monitis accensi, generales exomologeses instituêre; 20. diversas Religiones amplexi, omnes ità moribus in melius mutati, ut novam faciem Universitas induisse videretur. Ipse primus Sanctum illud Exercitium eliciendi actûs Contritionis, per Hispanias hodie usitatissimum non minùs ac utilissimum, introduxit, quod illi *Missionem per vicos*, eò quòd in compitis majorum Urbium & plateis, vel etiam in foro instituatur: ab ingenti autem durissima etiam pectora penetrandi efficacia, *assultum generalem*, & *ultimam impressionem* vocant. Praxim illius P. Lopez hanc adinvenit, omnibúsque in Missionibus aliquoties practicare est solitus. Intendentibus se primâ nocte tenebris prodeunt è templo nostri aliquot plerumque linteati, quorum primus campanulâ per intervalla pulsatâ Viros incolas ad devotionem evocat (nam alter sexus nunquam interest) sequitur CHRISTI è Cruce pendentis grandius simulachrum, subinde à primis ex Nobilitate prælatum inter duos facigeros aut laternas; & post hoc ille, cui exercitij practicandi cura incumbit, ac demum populus actui contritionis eliciendo collectus, comitantibus non rarò locorum Episcopis cum toto Capitulo, Prælatis, Magistratibus Regijs & Urbicis, vel etiam longo flagellantium aut crucigerorum ordine. Præter campanulæ sonum, altâ & tristi voce interpolatim à Patre, per viam inclamantur brevissima quædam è Scriptura, de æternitate aut Novissimis, vel aliæ graves ad exterrendos peccatores sententiæ, dum ad locum Exercitio destinatum veniatur, Ibi omnes ante Curcifixum in genua provoluti monentur orare Pater & Ave, ad impetrandam in statu gratiæ mortem: ac tum consurgens Sacerdos efficacissimâ allocutione populum, quanto potest affectu disponit ad concipiendum intimum de peccatis dolorem: cujus paradigma communiter Patri Lopez usitatum lubet hìc apponere.

Reminiscere ô Christiane tremendorum Redemptoris tui verborum, arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam, lata autem est quæ ducit ad Infernum, & multi vadunt per illam: multi sunt vocati, pauci verò electi: si vis ad vitam ingredi, serva mandata: *si nunquam peccare vis, recordare assiduè judicij & inferni. Vita brevis, mors certa, hora incerta. Unicam habes animam, non plures, si hanc deperdas, ubi aliam invenies? age modò, quod egisse te in morte velles. Si quis es qui hæc audis lethalis peccati reus, sive illud sit consensus in fœdam delectationem, sive odium proximi & vindictæ cupido, sive imprecatio mali ex corde deliberata, sive falsum juramentum, sive injusta alienæ rei detentio, sive peccatum in confessione celatum, sive inhonesta amicitia, aut quodvis aliud in DEI legem crimen, recollige te, & vide enorme salutis tuæ discrimen, erige animam tuam ad has voces & dicas: O anima mea ecce tu peccâsti! jam Cœlum pro Inferno vendidisti, ô quàm stulta commutatio! Dæmonem pro CHRISTO elegisti, ô quàm mala electio! ô cæcitas! ô dementia! ô furor Christiani hominis! ô traditio infanda! ô injuria! Estne aliquid quod tantæ nequitiæ possit conferri? redi in te ipsam ô Anima mea, jam rea facta ut æternùm ardeas in Inferno; jam securis ad radicem tuam posita est, omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem Inferni mittetur. Quomodo non expavescis? quomodo horrore non contremiscis? quomodo non exardescis in amorem DEI, Salvatoris, Redemptoris Domini tui, tam boni, misericordis, qui non quærit mortem peccatoris, imò elegit mori pro illo in acerbissima Cruce, ut is viveret æternùm in Cœlo! O quoties Domine pulsâsti ad ostium animæ meæ & ego te repuli! quot, quantísque beneficijs & bonis me prævenisti, & ego dorsum obverti! Agnosce ô Christiane piissima viscera ineffabilis misericordiæ hujus Domini, dum toties à te offensus hodie nihilominus per vicos & plateas conquisitum huc adduxit, ut remedium afferret. Attolle oculos ô Anima mea ad JESUM Cruci affixum, & considera veniam ultrò tibi offerentem, brachiis expansis ad amplexum, in cor ipsum apertum invitantem, te rogantem, & misericordiam per tot ora, quot in corpore hiant vulnera promittentem. Neque aliud exigit ut misereatur tui, nisi ut syncero corde de commissis doleas, & firmiter ad illa non reverti constituas. Vis ô anima mea restitui Cœlo, quod amisisti peccando? obstupesce bonitatem DEI, pro uno sinceræ Contritionis Actu id tibi offerentis! nè spernas hodie offerentem, fors aliàs pœnitentiæ tempus non daturum; advolvere ejus pedibus, pete ex corde veniam, cum firma spe de illius bonitate infinita, cui tanti constitisti, quanti sangvis ejus valuit; faciet enim quod minus est, ut jam redempto peccata condonet, téque salvet. Eja ergo dicamus omnes ex toto corde, ex tota anima, & toto affectu nostro in terram prostrati.* Arque hìc prælegebat orationem elicientibus Actum perfectæ Contritionis

nis ad CHRISTUM Crucifixum, cujus devotiſſimæ paſſim habentur formulæ.

Multa fuêre Patri ſuperanda obſtacula & contradictiones Virorum in utroque ſtatu, etiam prudentiâ & virtute maximè conſpicuorum, ex eo præcipuè, quòd devotioni ex ipſa novitate exoticæ nocturnum tempus deligeretur, aptiſſimum quidem ipſo ſilentij & tenebrarum horrore ciendis affectibus, æquè tamen opportunum excitandis turbis, & varijs improborum conatibus. Sed evicit Patris zelus, primùm quidem experiundi tantùm ſucceſsûs causâ admiſſus: at ubi incredibiles prorſus & nunquam expectati fructus apparuêre, ſummo aſſenſu plurium Cardinalium, Epiſcoporum, & totius Aulæ Regníque Magnatum approbatus & expetitus eſt; & hodie in majoribus Urbibus ternæ, quaternæ & ſenæ ejuſmodi ſupplicationes eâdem nocte in diverſa compita è templis noſtris educuntur, actui Contritionis eliciendo: vix tamen ultra ternam aut quaternam vicem per annum, nè frequentatione hebetatus vim amittat, uſurpari ſolet. Inter alios quàm plurimos communis ac veluti ordinarius effectus hunc *aſſultum* ſequitur, expugnatio & ruina obſtinatiſſimorum cordium: ſiquidem eodem ordine & ritu domum revertentes Patres majorem populi partem poſt ſe, nec raró totam concionem trahunt, ſacramentaliter abſque dilatione expiari flagigitantium, quibus audiendis ſubinde totam noctem plures Sacerdotes diſtinentur. Sed & unicum per viam ingeminatum terrifico ſono, quo intima etiam domorum pervadat penetralia, Scripturæ effatum, vel alia Fidei veritas improvisò audita, conſcientias frequenter acutiſſimi teli inſtar configit, ut nullam quietem capiant, donec ad remedium Pœnitentiæ accurrant. Venerat cum ſocijs ſuis Pater Lopez ad certum locum, & Miſſionem cum privilegio Jubilæi promulgârat: quæ riſu & ſceleſto joco explodens apud domeſticos inveteratus quidam malorum, ſinè dubio, ajebat, Patres iſti agyrtæ circumforanei Comœdiam nobis recreandis jucundam ludent: ſed jactent illi quantum volent Jubilæum pro bona morte, mihi certum eſt illos nunquam audire, qui optimè valeo, neque indulgentijs egeo. Sed audivit eos vel invitus domi ſuæ, dum cubitum ſe diſponit: quæ cauſa potiſſimùm Patri fuit actum Contritionis eô ritu inducendi, ut quàm plurimi dedignati totos annos Conciones adire, vel inviti cogerentur eam domi ex improviſo audire, quantò breviorem, tantò efficaciorem. Pater enim neſcio quo altiore, ùt eventus docuit, impulſu, cùm aliàs ſoleret ultimam hanc impreſſionem ad finem Miſſionis differre, tunc ad primam illico noctem conſtituit. Prodit ergo ſolito apparatu, lugubri ſpectaculo, triſti campanulæ tinnitu, vexillum Crucifixi Domini; cujus ſono & intercalari clamore excitus flagitioſus ille ad feneſtram accurrit, viſurus quid hoc rei, nunquam eatenus ſibi obſervatæ, ſit; & contigit prorſus tunc ad ejus fores inclamari à Patre ſententiam in hunc ferè latinum ſermonem: *O peccator confitere, mors inſtat ab nimis verè! quod ſceleſtè tacuiſti, ſic æternùm perijſti!* Velut fulmine ictus à feneſtra miſer reſilit, quòd hoc in ſe ex vero dici ſentiret, diúque fruſtrà triſtiſſimâ cogitatione ſe eripere conatus, faciendæ manè integræ Confeſſioni, quam ab annis 11. ſacrilego certi criminis ſilentio mutilaverat, animum præparat, ac denique in lectum ſe ad quietem componit. Sed dum nullam capere poteſt, advertit uxor ex multa jactatione Viri ſecretam animi luctam, hortata ut ſe componeret & dormiret. Sed quî dormiam, reponit ille, dum etiamnum inclamari mihi audio, *Confitere quod celaſti; mors inſtat, ſic perijſti!* quæ vox non potuit eſſe Patrum, erat enim jam tempus mediæ noctis, & ipſi domum reverſi tunc quieturi decubuerant. Ergo impos ultrà ferre conſcientiæ ſtimulos lecto ſe proripit, hoſpitium Lopezij petit, fores pulſat, neque hoſpiti quietem Patrum turbari deprecanti acquieſcit; dum ſtrepitu excitatus Pater accurrit, & blandiſſimè exceptum introducit, generali Confeſſione tot ſacrilegia bene prolixè tractantem audit, & gaudio Cæleſti exultantem dimittit. Infinitâ profectò miſeri felicitate, & Patris maximo ex divina providentia ſolatio, ubi intellexit 10. horarum à Confeſſione ſpatio apoplectico ictu vitâ deceſſiſſe. Idem penitus evenit obſtinato per annos 11. Concubinario, dum in lecto tranſeuntis ſub feneſtras Crucifixi ſonum cum pellice audit: nam ambo mirum quantum externati ad feneſtrâ in genua proruunt, ejuratóque omni comercio primo manè Patri ſe expiandos ſiſtunt. Innumera ſunt hujus generis à quavis ſpecie criminum, ſolo hoc pietatis exercitio vindicatorum exempla: quale eſt & illud hominis in necem Conjugis adulteræ & adulteri planè jurati, cui ipsâ nocte deſignatæ cædis obvius in platea cum Crucifixo triſtis proceſſus, auditáque ſententia, *Qui condonat inimico, DEUM habet pro amico*; ità viſcera omnia

omnia penetravit, ut in vestigio resistens, publicâ contestatione crimen utrique remiserit.

Redeo ad Missionum Patris labores & lucra. Cardinalis Augustinus Espinola Episcopus Tortosæ in Regno Catalauniæ, postea Archi-Episcopus Hispalis, quinque mensium visitatione Diœcesim suam perlustravit, præmisso semper aliquot diebus cum tribus socijs P. Lopez, habendæ in singulis inspiciendis locis Missioni; sub cujus finem sequebatur ipse, suâ manu in Generali Communione SS. Evcharistiam impertiens; eô animæ suæ solatio, quod ex reformatione morum in suis Diœcesanis capiebat, ut nullum finem faceret laudandi & commendandi Missionum Institutum: quod ejus exemplo plurimi deinceps Episcopi in suis territorijs à Patre exerceri voluerunt. Quod tanto hominum fiebat ex omni vicinia accursu, ut nulla templa multitudinem caperent, sed in campis aut amplioribus foris concionem fieri oporteret. Fuit homo in Regno Catalauniæ eò nequitiæ progressus, ut desperatâ enormium scelerum apud Deum veniâ, in Deum ipsum infernali rabie insurgeret, & Christum in sua Crucifixi statua, quòd se redimere noluisset, igne cremaret. Sed hæc è flammis in altum exiliens mox disparuit, nullâ aliâ ipsum secutâ pœnâ, nisi quòd deinceps nunquam Sacram Hostiam, etiam dum in Missa à Sacerdote in altum levata populo ostenderetur, conspicere ipsi licuerit. Sed neque id suffecit homini reducendo; quin etiam crescente malitiâ laboravit omni studio Missionem eò loci indictam impedire, gravibus in Patrem Lopez jactatis calumnijs & criminationibus, quibus cùm nihil proficeret, pertinaciter ejus conciones refugere perrexit: donec mero humano respectu adactus, quòd metueret se notandum, si omnibus ad audiendum affluentibus ipse solus semper abesset, semel tandem comparuit. Erat autem dicentis thema infinita DEI misericordia & bonitas, quæ nullâ scelerum atrocitate superari posset, imò ferè major & profusior in eos, qui gravioribus onerati essent. Fracta est hoc sermone scelesti pertinacia, & ingenti contritione recensitis apud P. Lopez peccatis expiatus, pœnâ à DEO exemptus est, & gratiam videndæ semper deinceps Sanctæ Hostiæ recepit. Anno 1640. in communi illa per Regnum Catalauniæ rebellione, quâ etiam Barcinone Comes de Sancta Coloma Pro-Rex à seditiosis interijt, contagione Tortosam, ubi id temporis Pater Apostolico munere distinebatur, propagatâ, concitati in eandem rebellionem Cives, duos fidelissimos Regis Ministros, Joannem & Hyacinthum de Mirabal, in suis ædibus obsessos ad necem deposcebant; sed quia portam repagulis firmiter contra omnem vim obseratam reperêre, grandem pulverum saccum illi evertendæ supposuerunt. Tumultum ubi rescijt P. Lopez, sumptâ secum in sacra pyxide Evcharistiâ ad locum per medios seditiosos accurrit, & super ipso incendiario sacco consistens vehementi & acerbissimâ oratione in furias illorum invectus, pérque eum quem manu gestabat conjurans, facinus exprobravit: pergerent porrò rabiem suam innocentum sangvine explere, & pulveri subjecto faces immittere, DEUM & Redemptorem suum incendio abolituri; scirent enim loco se non movendum, nisi in auras cum DEI & MARIÆ filio ejectum. Viderent tamen quantum dedecus Urbi clarissimæ, Patrocinio Matris DEI specialiter subjectæ, quantum Nomini Hispano coram toto Orbe Christiano inurerent, habendos enim nequaquam pro Catholicis, sed infidelibus & Sacramentarijs hæreticis. Hæc & id genus plura tonantem potiùs quàm dicentem furiosi itâ audierunt, ut consternati nec violentiæ aliquid inferrent, neque tamen pacifici discederent; quos Pater eousque iteratis exprobationibus, & ingesto ob oculos identidem sacratissimo CHRISTI Corpore detinuit, donec Pater Hyacinthus Piquer obsessum utrumque, cum familiaribus & domesticis omnibus per posticum eductos, loco securo statuisset: tum enim admonitus Pater & ipse gloriosus Victor domum repetijt. Frequens etiam illi fuit in medio concionis cursu illam repentè abrumpere (quoties nempe DEUS inspiraret, aut internus dictaret impulsus) peteréque unum Pater vel Ave dici ab Auditorio, modò quidem pro aliquo ex præsentibus in sceleribus obdurato, qui tamen pœnitere nollet: modò pro quodam alienis amoribus implicito, cui mors propinqua nisi resipiscat immineret, impœnitentem abreptura, & sic de alijs: accidítque ut nunquam in vanum id fieret, quin ùt plurimum mox à Concione sistebat se illi aliquis ejusmodi ad pœnitentiæ tribunal, qui eum se fateretur, pro quo suffragia precum petita sunt. Vix tamen aliud æquè tragicum illi evenit, quàm casus funestus Viri cum muliercula perditè conviventis, tantâ sceleratæ consvetudinis pervicaciâ, ut juratâ fide condixerint nuquam ab invicem, ni-

nisì Inferno consortium dirimente, divelli: mutuóque spoponderint (nè alterutrius pœnitentiâ etiam in agone commercium rumperetur) qui prior decederet, sinè confessione moriturum, æternis mactandum supplicijs; superstiti autem liberum fore ad DEUM converti, ut æternam salutem consequeretur. Utì scelerato fædere condictum, ità justo DEI judicio factum. Quodam vespere à cæna auram & colloquia captaturi fenestram accedunt, & leno prior pellicem affatus, *Amica*, inquit, *tanto jam tempore unà convivimus, jam nihil nos sejunget, nisì mors & sepultura*. Víxque hæc effatus, horribili edito rugitu in terram ruens, ah, ah, ah, exclamat, simúlq; animam in Dæmonis manus exhalat. Consternata suprà quàm dici potest mulier ad Patrem accurrit, & num salutis spē adhuc habere possit, rogat? erectáque animo in DEI infinitam misericordiam, exactissimâ confessione institutâ etiam alteram feliciorē, ùt spes est, conventionis partem implevit.

Tantam fructuum ex animabus collectorum ubertatem, & indè parta solatia, temperabant variæ adversitates, contradictiones, & laboribus suis opposita impedimenta, à quibus maximè juvari oportuisset. In pluribus locis ab instituenda Missione per Curatos impeditus, alibi rejectus, nec raro convitijs etiam affectus, vel negato ab incolis reficiendo corpori necessario subsidio contemptus fuit, licèt nullò absque auctoritate & decretis Episcopalibus accederet. Accedenti certam Castiliæ Urbem collocuta persona raræ sanctitatis, & visionibus cælestibus clara, forti animo esse jussit: visos enim sibi fuisse innumeros Dæmones velut ad comitia celebranda in teterrimum specum concurrentes, varia in medium proferentes, quibus Missio instituenda turbari, aut saltèm progressus impediri possent. Et quidem inter eos observâsse etiam quendam è statu Ecclesiastico consilia dantem & capientem: quem quia deinceps in laborum decursu maximum isthic Pater expertus est adversarium, planè credidit visionem veram fuisse. Sed quantò graviora undique Patri ponebantur obstacula & majores cumulabantur injuriæ, tantò uberior fuit animarum seges, prorsus ùt eadem persona prædixerat; ut testaretur Pater se nuspiam alibi copiosiorem eatenus collegisse. Alibi in numeroso Castiliæ oppido totos 20. dies cum socijs frustrà jam contriverat, quòd nemo Eccclesiam adire, minùs Concioni adesse, vel Sacramenta lucrando Jubilæo accedere vellet; ipsi adeò pueri nullis præmijs aut blanditijs ad Cathechesim pellici possent. Accedebat crudelis ipsius eleemosynæ parcitas, ut toto eo tempore ostiatim singuli mendicando, præter rejectitium panem nihil obsonij corrogarent, quo solo constanter victitantes, tridno Natalis Domini pauculas insuper vilissimas herbas collegêre, & aquâ decoctas in delicijs habuêre. Indè P. Lopez, sed maximè dolore frustrati omnis laboris, & tantâ incolarum pervicaciâ, in gravem morbum incidit: cui pellendo ut à Medico præscriptam solveret medicinam, debuit Pharmacopolæ Breviarium in pignus offerre. Sed patuit tandem obstinationis causa auctorésque, penes quos Templi & Parochiæ erat procuratio, qui anno priore in Visitatione Episcopali de varijs reprehensi, mulctati, castigatíque, Oppidanis persvaserant Patres exploratum eò Missionis prætextu venisse, qualiter à Visitatore ordinata servarentur. Accessit nebulo quispiam peregrini habitu (dæmonem ipsum fuisse postea credidêre Cives meliùs edocti) qui domos singulas his ipsis diebus percursans, atrocissima quæque contra Patres commenta, quasi eâ solâ causâ venisset, evulgabat. Itaque observatâ Patrum tam longanimi patientiâ Cives, & testimonio totius Nosocomij, ubi hospitium fixerant, decorum virtutibus firmati, mutatâ rerum facie Patres habuêre ùt Angelos à DEO missos: & repetitâ ex integro Missione vix ullus repertus est, qui Jubilæi expers manere vellet; auditæque sunt præter millenas aliàs, solæ generales exomologeses quingentæ. Prædicaverat aliquo in loco ardentiùs Pater contra vitium carnis, speciatim detestatus Concubinarios; quorum aliquis interpretatus se perstrictum, vindicare existimatam injuriam constituit, cùm Pater in genere solùm damnato vitio, nihil quod aliquem in particulari attingeret, dixerit. Itaque diu conquisito, ubi orantem horas Canonicas in diversorio suo Hospitali deprehendit liberalem colaphum infregit: Patríque etiam ad alapas utramque maxillam offerenti, furibundus recessit cum dicto, hoc habes, quia me palàm ex pulpito traduxisti. Sed graviùs alibi ab ejusdem farinæ homine impetitus fuit, quòd pellicem ipsi suis concionibus & consilijs abstraxisset, quam varijs artibus ad amores pristinos frustrà reducere conatus, furore in auctorem consilij Patrem converso, venenum illi tollendo miscuit, quo orbem mensalem per subornatum famulum pransuro intoxicari fecit. Cujus

tam'

tam rabida vis fuit & pestis, ut Pater receptum in viscera virus illicò sentiret, & lethalibus paroxismis experiretur. Frustráque fuit & serum, ipsum herum veneni auctorem ad Hospitale accurrisse, ut atrox facinus, pœnitudine tactus, jam peractum revocaret: nisì Pater ad DEUM in hoc discrimine recurrisset. Facto enim voto certa suffragia, pœnas, flagellationes, & id genus alia in subsidium animarum Purgatorij peragendi, toxicum omne unà cum cibo confestim ejecit, plenæ simul valetudini & viribus, citra ullum aliud pharmacum restitutus. Nescio tamen an non gravissima omnium plaga fuerit, quam passus est à delatore (licèt id fortè bonâ acciderit intentione) aliquot propositionum ab se in Quadragesimæ Concionibus alicubi prolatarum, ad tribunal S. Inquisitionis. Nam licèt secretissimo judicio examinatæ nihil Fidei orthodoxæ repugnans continere pronunciatæ sint: Pater nihilominus durante judicio, usque ad ferendam sententiam jussus est intrà parietes cujusdam Collegij, velut in libera custodia se continere: nè verbo unquam ea de re, vel existimationis ad munus Prædicatoris adeò necessariæ indè jacturâ questus; solùm dolens tempus sibi illud deperire ad prosequendum Apostolicos labores: ad quos, honorificè declaratus omnis doctrinæ suspectæ purus, eâdem alacritate & promptitudine se retulit, perinde acsi nihil earum causâ passus foret. Non tamen semper impunis apud DEUM ejus, vel Missionum adversarijs abijt temeritas, quin plerique gravissimis casibus & pœnis eam luerent. Ecclesiastes aliquis palàm è pulpito non sinè Auditorij scandalo, zelum illius & conciones traduxerat, cùm mox ijs ipsis diebus gravissimo casu oppressus est, ex quo de fama & nominis integritate periclitabatur. Sed quod ipso casu graviùs premebat, erat, quòd nullum medium aut via suppeteret evadendi discriminis, nisì per interventionem Patris Lopezij, à se tam graviter & iniquè læsi. Coactus tamen est & injuriam illatam deprecari, & patrocinium implorare; eâ facilitate ab ipso oblatum, & efficaciùs interpositum, ut neque amicorum intimo præstari majus potuisset. Non æquè cessit alibi Pagi cujusdam Administratori, obstinatè Missionem ibi statui impedienti: nam subito aliquo malo ità prostratus est, ut dimidiæ horæ spatio extinctus, liberum morte suâ aditum Patri reddiderit. Alibi Curatus eâdem quâ Patrem à se & Missione exclusit horâ, in ipso exonerandæ naturæ secessu, ùt alter Arius animam ejecit. Tótque ejusmodi Adversarios tragicæ consecutæ sunt pœnæ, ut annotatum reliquerit P. Lopez, si omnes scriberentur, integrum volumen confecturos.

Hactenus recensitæ Missiones magnam partem per Catalauniæ duntaxat Regnum accidêre. Nunc cursim duntaxat perstringemus, si quæ à prioribus diversa & nova in alijs Regnis illi evenerunt, nihil referendo de similibus, & ejusdem generis seu effectibus seu prodigijs, nè in volumen excrescat compendium. Regnum Aragoniæ laboribus suis exculturus, initium fecit à montibus Pireneis, tanquam culturæ magìs indigis, & ob pagorum exilitatem, distantiam, viarum difficultatem & incolarum paupertatem, minùs per Curatos provisis. Ibi ad extirpandam in rudissima plebe jurandi imprecandíque consvetudinem (quod deinde per omnes pagos illi solenne fuit) in singulis casis inscriptam statuebat rythmo vernaculo sententiam ex ver. 23. Eccl. *Ubi liberè juratur, nunquam DEUS diversatur, Dæmon illic hospitatur.* Alibi verò alias, prout maximè deprehendebat quolibet loco vitium aliquod vigere. In Urbe Alcañiz maxima per obstacula effecit, ut domus infamis receptaculum prostitutarum eliminaretur. In Castro Monzon vatem egisse creditus est, minatus illi in quadam dictione, *Monzon, Monzon, nisì cesses à peccatis, ut places iram DEI, domus tuæ prosternentur in terram, & templum vertetur in stabulum equorum!* Utrumque non longè pòst evenit, quando locus ab hostili Gallorum exercitu Anno 1642. occupatus, ampliùs anno sub eorum potestate remansit. Saragosæ principe Regni Urbe inter alia incredibilia animarum lucra, per Missionis tempus sex hebdomadis exceptæ solæ Confessiones generales supra 12000. De cujus Missionis successu, ob multorum duritiem, anxia persona DEO singulariter conjuncta, dum eum ardenti oratione commendaret, comparens ei Dominus securam esse jussit: fore enim majorem fructum quàm ipsa credere possit, prætérque alios in justis promovendos, decem millia peccatorum & hostium suorum conversum iri, in suam gratiam recipiendos, quorum 500. nunquam deinceps sint illam per lethale peccatum amissuri. Hospitio exceptus in transitu ad vicinam Urbem à Viris Religiosis in suo prædio, ipso vespere habito sermone ad familiam omnésque domesticos, manè sequenti universos expiavit, & Pane Angelico refecit: datóque

viæ

viæ duce & comite iter ad Urbem resumpsit. Jámque non procul ab Urbe distabant, cùm Pater oraturus divinum Officium comitem rediturum dimittit, & ab oratione viam prosecutus dum in Urbem se tendere credit, post longam ambulationem prædio eidem vicinum se deprehendit. Ex quo illicò collegit, speciali aliquâ DEI providentiâ eò se remissum. Ergo ardentiore sub vesperam denuo habito sermone, primo manè pœnitentem quendam pedibus suis advolutum habuit, toto septennio Sacramentorum expertem, æternùm periturum, nisì ipse redivisset. Mox enim à peracta Confessione maligno æstu obrutus, ex illius violentia, adstite semper ad lectulum Patre, triduo decessit. Ex Aragonia in Regnum Valentiæ transgressus, pares superioribus ubique progressus habuit. Singularis tamen fuit eventus conciliatæ pacis inter incolas Castri Bocayrente, capitaliter invicem diffidentes, ut neque ulli civium securè licuerit ingruentibus tenebris per compita ingredi; & Pater ab amicis monitus sit, frustraneum fore omnem istic laborem, nec si adusque extremum Judicij diem illis prædicaret, quidquam profecturum. At ille multis pœnitentijs & precibus DEUM primò illis conciliare studens, Sanctum Stephanum hostium suorum amantissimum in Patronum Missionis delegit: primísque sermonibus, nè animos ab audiendo averteret, dissimulatâ omni hostilitatum mentione, quintâ demum concione blandissimè demonstravit, quanta laus & felicitas Urbis & loci cujusque sita esset in Civium concordia, quam ipse unicè optaret etiam ibi, Castro per totam Hispaniam adeò celebri, integrari. Sed quia frustra ad id esset omnis humanus conatus, electum esse ab se huic rei perficiendæ Mediatorem Sanctum Stephanum, grandem illum injuriarum condonatorem: planéque sperare desideratum eventum, si Ara ipsi in templo tanquam Pacis conciliatori statueretur: pro qua colligendis sumptibus adstituram Templi foribus quotidie nobilem & devotam personam, quæ se ad id sponte obtulerat. Rogare proinde, ut esse velint Eleemosynarij liberales. Aderat concioni Vir nobilis & potens inter suos, unus è præcipuis factionis capitibus, hic peculiari DEI instinctu motus, ultro Patri sumptum omnem in aram obtulit; sed quia illius structura longius requirebat tempus, rogavit Pater, ut vellet dispicere, annon alicubi in oppido haberetur imago S. Stephani, interim super extemporaneo Altari, durante Missione, quasi ad capiendam possessionem collocanda. Fecit is sanè accuratè; paulóque pòst retulit talem haberi apud Nobilem alium, caput & ducem contrariæ factionis. Miram DEI providentiam, in hoc personarum capitaliter invicem diffidentium, ad ejusdem Aræ Sancti Stephani erectionem combinatione veneratus Pater, possessorem Imaginis accedit, sanctúmque æmuli propositum de construendo Altari referens, rogat si interim Sancti effigiem publico cultui pro Ara exponendam commodare velit. Cúmque is annueret pronissimè, redit ad alterum, & narrat possessorem in Iconis commodationem assensisse, neque requiri aliud, quàm ut ipse Aræ fundator hanc ab illo levaret. Nihil iste moratus, & DEO sic agente omnis hostilitatis immemor, ædes inimicas adit, & piam intentionem suam repetens, eandem Iconem exquisitâ humanitate concedi petit. Annuit ille majore quàm postulabatur urbanitate, totam domum suam ad ejus obsequia patere contestatus: cúmque effigiem à muro depositam Nobilis ipse qui exoraverat, devotionis causâ, ad templum deferre vellet, obstitit alter, & à famulo delatam unà uterque piè secuti sunt; maximo Civium stupore & ædificatione, dum concorditer amantérque inter se agentes progredi viderent, qui ante hac nec conspectum mutuum ferebant. Patentissimo S. Stephani prodigio invicem concordes facti, dum neque conciliari inter se advertunt vel intendunt, uterque tamen interim suis manibus ejus imagini in Aram levandæ operam conjungunt. Eo successu incredibili gestiens gaudio Pater, reliquos omnes factionum primipilos primùm seorsim singulos accessit, dum pro se quisque privatim in pacem inclinaretur: mox ardentissimâ oratione in Templum simul collectos 50. circiter allocutus (ut Socius testaretur Sanctum Paulum in eo sibi visum fuisse loquentem) ubi denique expugnavit, extortâ ab ijs promissione ut se loco non moverent, neque quod acturus erat impeditum irent, singulorum pedibus advolutus eos osculatus est; dignos pronuncians Viros tam nobiles & honoratos ex actu adeò heroico esse, ut omnium osculis pedes eorum basiarentur. Quo Patris exemplo & ipsi invicem ad genua mutuo provoluti veniam precabantur, & mox in complexum ruentes pacem & amicitiam sanciebant. Cujus stabilitati provisurus Pater, ad Aram Sanctissimæ Virginis deductos voluit

luit ſingulos attactu altaris illam in teſtem remiſſarum in perpetuum offenſarum vocare. Atque tunc primùm apertis valvis aditus incolis omnibus patuit; & pax promulgata: atque die ſequenti acceſſu communi omnium ad eandem Evchariſticam menſam confirmata, & hymno Ambroſiano concluſa. In civitate Segorba tanta omnium Ordinum è Concionibus Patris ſecuta eſt pœnitentia, ut ſupplicationibus pluribus pœnitentium inſtitutis, alij flagellis ſævirent in corpus, alij ſpinis coronati, ferro alij catenìſque graves, nudis pedibus, nemo utriuſque ſexûs abſque aliquo aſperitatis exercitio & ſigno incederent, neque aliud quidlibet nisì gemitus, ſuſpiria, fletus audiretur. Et in ipſa Regni Metropoli Valencia, ſenis per varia ejus loca inſtitutis Miſſionibus, præter conſvetam ubique vitiorum & morum reformationem, perſvaſit omnes profanas & minus honeſtas picturas in ædium frontibus deleri. Ad extirpandam verò peſſimam ibi jurandi conſvetudinem pueros induxit, ut quoties aliquem jurare audirent, delicti commonefacerent, & ſi pœnam ſubeundam non perſvaderent, terram ipſi procumbentes oſcularentur, itáque reum de temeritate confunderent. Quod illi animosè deinceps, etiam finitâ Miſſione, ſanctâ quadam præſtabant imprudentiâ, humóque deoſculatâ prævaricatorem clamosè admonebant; *juravit, ergo oſculetur terram, ſicut Pater pro concione mandavit.*

Indè mari trajecit in Inſulam & Regnum Majoricæ, nihil ſe abſterreri paſſus amicorum dehortationibus ex periculis novæ, quam expertus jam fuerat à Mauris Algierenſibus, captivitatis; imò eam ſibi in votis eſſe profeſſus, quia plurimùm captivis Chriſtianis, quod in prima ſclavitate Sacerdotij expers nequibat, prodeſſe poſſet. Poſt hanc in omnem partem Miſſionibus excultam, aliquoties trajectum parabat in Ibizam, ſemper ob eadem magíſq; vicina pericula impeditus: jámque ſemel de naulo cum Navarcho pactus clàm diſceſſurus erat, nisì is violatâ fide intempeſtâ nocte, inſalutato Patre, ſolviſſet: Deo ſaluti ejuſdē manifeſtè ità providente, nam eô ipsô curſu navigium cum omnibus vectoribus in poteſtatem Maurorum devenit. Sed neque hoc deterritus, deſiderio juvandi deſertum maximè illic populum, tandem trajecit, & poſtquam omnes Ibizæ pagos caſtráque percurriſſet, cùm opportuna repetendæ Hiſpaniæ navis ſe offerret, maluit tantiſper confirmando in bene cæptis populo remanere; admirandâ iterum DEI circa illum ſe prodente curâ, ſiquidem & hoc navigium à pyratis Mauris contigit intercipi. Tam copioſis utroque in loco collectis frugibus dives redivit Pater, ut eos primis per Hiſpaniam relatis accenſeret. Nec deſuêre ſuæ obſtinatis pœnæ. Erat quidam ab homicidijs & ſtupris notiſſimus, obſtinatè conciones Patris & minas contemnens, non ſinè multorum ejus exemplo pœnitentiam aſpernantium ſcandalo; hic inter 20. ſuâ manu necatos etiam amicum ſuum, dum illi ejúſque ſcorto lectum appararet, nequidquam Confeſſarij copiam flagitantem, confoderat. & ecce talionem illi DEUS reddidit, ut ab hoſte in domo Amaſiæ ſuæ deprehenſus primo ictu occumberet, nec quidem ſpatio ad Sanctiſſimum JESU Nomen pronunciandum indulto. Valuit id exemplum ad horrorem toti oppido incutiendum, ut deinceps ſaluti ſuæ proſpecturi proniùs conſilia Patris admitterent. Tranſitu ad Regnum Navarræ facto, & urbibus ejus ac locis Miſſionum capacibus percultis, tantum collegit fructum, ut ſpem ſuam ipſius ſuperarent: nam in computu ſuo annotavit, ſolas generales Confeſſiones exceptas 45000. & complures jam in articulo mortis verſantium, qui ſcientes malebant S. Viatico & Extremâ Unctione ſacrilegè ſumptâ ad Inferos detrudi, quàm de ſecretis peccatis apud Sacerdotem confundi. Stupendis adeò morum converſionibus per omnium ora totâ Hiſpaniâ ſenſim divulgatis, poſtulatus ultro eſt Pater Lopez in Regnum Caſtellæ, & quidem omnium primò ad Miſſionem Salmanticæ celebrandam: quam ibi in aliquot Urbis ampliſſimæ Parochijs, & in ſenis Monialium Eccleſijs repetitam, incredibili animarum proventu abſolvit. Indè foras exiliens totum Regnum percurrit; tantíque fiebant ad locum, ubi Miſſio figebatur, undique ad lucrandum jubilæum accurſus, ut in uno aliquando 60. pagorum populi comparuerint. Solenne illi etiam fuit inter dicendum, ubi jam populum ad affectus concitatum advertit, modò quidem ſimulachrum CHRISTI Crucifixi, modò figuram animæ damnatæ ad ſummum horrorem expictæ, modò Calvariam defuncti repentè expromere, cum qua varia inſtituebat ad ſummam Auditorij commotionem colloquia, quærendo cujus caput fuiſſet? nobilis an plebeji? divitis an pauperis? Cæli an Tartari incolæ? & quid nunc illi omnes deliciæ prodeſſent? &c. reſponsáque ſimiliter vice illius ad ſingula populo dabat; tantâ ple-

plerumque illius comploratione, gemitibus, rugitu, ut cogeretur concionem interrumpere, dum tumultus resedisset. Denique rogatu Cardinalis Archi-Episcopi Toletani Balthasaris de Moscoso Madritum Urbem Regiam evocatus, pari successu tam illam, quàm deinceps Alcalam excoluit, initio Missioni dato per exercitium Actûs Contritionis. Fuitque sensus communis Confessariorum Alcalæ, Virorúmque doctrinâ, virtute & multâ experientiâ præstantium, plus ab illo 20. dierum spatio, quibus Missio duravit, boni in animabus profectum, quàm omnes simul à 20. annis in vastissima Urbe Concionatores effecerint. Denique postremùm ultimâ ætate à Patre Lopez excultum fuit Regnum Murcia, facto initio ab ejusdem nominis Metropoli Murcia; quæ duplici clade à DEO castigata, primò quidem pestilenti lue, intrà breve tempus majorem Urbis partem depastâ; deinde immani exundatione fluminis Sigura, multis hominum præfocatis, & ruinatis ædibus: tertiam adhuc atrociorem superventuram formidabat. Nam personæ communi Urbis opinione sanctæ, & multis ex vero prædictionibus probatæ revelaverat DEUS, immissum iri ab se aliud diluvium, quod operiret omnia urbis tecta: neque aliter se placandum, nisì evocaretur Pater Lopez, ut ejus prædicatione Cives ad pœnitentiam & emendationem permoverentur. Hoc cùm illa Confessario suo aperuisset, monendum is censuit ab se Pro-Episcopum (sede vacante) Franciscum Verden; hic verò continuò supplicibus datis ad Patrem, unà cum Rectore Collegij Murcensis literis, evocandum statuit. Excusavit primùm Pater alibi actuali Missione distentus, ob senium laboribus tot ferendis jam impar, cùm in Urbe Alicante Quadragesimales sibi habendæ Conciones instarent; aliúmque loco sui destinaturum promisit; cessit tamen intercessioni Episcopi Origvelensis Ludovici Crespi, qui alternas in se per tempus Missionis conciones, sublevando P. Lopezio, susceperat. Venit igitur Murciam tum penitus, dum in comminatum diluvium flumen intumescere inciperet: eâ animorum conversione dictiones Patris consecutâ, ut pœnitentibus audiendis omnes Collegij Patres à primo manè usque ad seram noctem distinerentur. Neque parùm adjuvit fervor simul & profundissima animi demissio Episcopi Ludovici, qui alternis cum Patre Lopez dicebat: credidit enim plus auctoritatis concionibus suis accessurum, quàm existimationi Episcopali decessurum, dum palàm è pulpito protestatus est, *sermo, quem ex me auditis*, inquiens, *totus integrè est Patris Hieronymi; nullo apice addito seu dempto; nè quidem uno jota: fixum enim mihi est dicere ipsissimet verbis quibus credo suũ à Deo inditum spiritum, prout abundè patescit ex tantis animarum lucris, per conciones ejus ubique reportatis.* Duabus Murciæ in totidem Parochijs Missionibus absolutis, quinque insuper Virginum Cænobijs eandem operam, utì & aliquot alijs per Regnum locis impendit.

Multas quidem adhuc alibi in Urbes & castra expolienda supremas senectæ vires exeruit, quæ ob similitudinem cum alijs nihil attinet referre, ut tandem fini prolixioris narrationis appropinquemus. Optabat ille quoties de morte in familiaribus colloquijs mentio incideret, non in lecto vel intrà Collegium inter brachia & solatia Sociorum, sed in ipso æstu alicujus Missionis super exedra, vel in Nosocomio, aut ab omnibus derelictus in campo aliquo, vel sylva concidere: & quadamtenus consecutus est. Absolverat Missionis labores Pennarandæ & Villagarciæ, cùm intimo desiderio salutandi S. Jacobi Apostoli tactus, destinavit ad ejus sepulchrum peregrinatione institutâ, suam etiam operam ejus Civibus impertiri. Transeuntem per Villafrancam del Bierzo, tanquam Angelum Cælo lapsum excepêre Socij, tota Civitas, & maximè Sanctimoniales Recollectæ, avidissimæ saltèm unius exhortationis illius audiendæ. Sed cùm negaret subsistere vel unum diem posse, ingens repentè decidens imber, quem precibus suis exorâsse Religiosæ Virgines creditæ sunt, coëgit vel nolentem remanere. Igitur pijs earum nostrorúmque votis, qui omnes dicturum unà auscultaturi in Ecclesiam convenerant, vix sententiam Concionis thema protulerat, cùm apoplectico malo ictus subsidere, planéque ruere cæpit: sed relatus in sella domum, & sensibus brevì redditus, sacrum Viaticum expetijt, à cujus sumptione, veluti efficacissimo pharmaco plenè revaluisse visus, dixit, casus hic minimè casu accidit, sed à DEO immissus est ad aliquorum prædestinatorum salutem, volente à me istic Missionem obiri: quam etiam paucis diebus auspicatus est. Interim Præpositus Provincialis Aragoniæ, cujus membrum erat P. Lopez, certior de hoc eventu redditus, peremptoriè illum Valenciam ad domum Professam revocavit, debitâ charitate & pharmacis emeritum senem

nem confovendum. Paruit is nullâ interpositâ morâ, & paucos ibi dies commoratus, repetito ictu dum cœnæ in triclinio cùm domesticis assideret, prosternitur: nihilominus efficaci Medicorum arte ità restitutus, ut sola virium remaneret debilitas. Porrò aliquot ante recidivam diebus, ingenti mœrore, tristitiâ, & conscientiæ angoribus obrutus, nullum reperiebat in Oratione, licèt eam tunc maximè produceret, solatium: unicum refugium erat, quo animum horrore Judicij Divini prostratum in salutis spem erigebat, labores pro animarum salute per 39. annos constanter exantlati. Redeuntibus subinde in vigorem ità viribus, ut omnibus plenè sanus crederetur, parabat Pampelonam Caput Regni Navarræ expeditionem Apostolicam instituere: quando tertiùm apoplectico insultu 30. Januarij anni 1658. ità impetitus est, ut paucis horis moriturum Medici sentirent. Vixit tamen insuper triduo, ut sacro Viatico & oleo ad supremam luctam parari valuerit: die demum secundâ Febr. extinctus Purificatæ Virgini sacro, cui semper erat devotissimus, anno ætatis 69. Corpus defuncti non est passa Civitas ritu duntaxat Societati consveto tumulari, sed in maximo Urbis totius, Magistratuum, Prælatorum, Ecclesiasticorum, & Religiosorum accursu, elatum funus est humeris primorum ex Nobilitate Sodalitij Beatæ Virginis Domûs Professæ: & frustrà renitentibus nostris delatum publicâ plateâ, majore pietate quàm consilio. Omnis enim populi multitudo, pars inspiciendi aut deosculandi venerandíve corporis studio, pars attactu ejusdem veluti consecrandi Rosaria, aut auferendi vestium segmenta, impetu in feretrum facto, primùm portitores sistere, tum omni præcluso exitu idem humi deponere coëgit; ubi jam nullâ vi cùm arceri possent, totus apparatus & vestes, queis indutus erat, in piam prædam cessêre, corpore omnino denudato relicto. Nec superfuit quod ex ejus utensilibus Venerabili Collegio PP. Oratorij ad piam venerationem postulanti donari posset, præter vetustum thoracem, 31. annorum usu penitus detritum, sed vel ideo in maximo thesauro ipsis computatum. Sed & Segobiæ Cathedrali Capitulo quidpiam ex ejus rebus in memoriam flagitanti, non superfuit nisi unus calceus; ità omnia ab iñumeris ex omni statu Competitoribus seu direpta seu præcibus extorta sunt, usq; ad fragmenta chartarũ, & rejectitia scruta; miris postea effectibus & beneficijs à DEO honorata. Sed & capilli ubivis Missionum ipsi aliquando detonsi, magno in pretio ab ejus obitu & veneratione fuêre; quorum aliquid nacta Marchionissa de Villagarzia, tanquam pretiosum cimmelion asservabat. Et Decanus Cathedralis Ecclesiæ Segobiensis scripto testatus est, uno detriti ejus calcei frusto piè in ægritudine sibi applicito, illico sanitatem recepisse. Videri autem possent hæc egentissimæ ipsius supellectilis spolia virtutem quandam hausisse ab incredibili ejus Paupertatis studio, siquidem totos 13. annos ijsdem calceis peregrinatus est, ipse sibi sutor & sartor, si lacerum quid resarciendum foret. Pileum longissimo usu informiter pendulum, detritum, ut nec colorem ampliùs retineret, sæpius rogatus ut saltèm religiosi decoris causâ mutari pateretur, nunquam acquievit: vocans illum suum & pauperum Advocatum, quòd suo aspectu multos moveret ad eleemosynam ultro offerendam, quæ in pauperes deinde divideretur.

Fuit Pater Hieronymus Vir maximæ Orationis, nihil unquam operis sinè illa prævia aggressus, & communiter itinera omnia colloquijs cum solo DEO & Cælitibus peragere solitus. Quoties negotium gravius ingrueret, aut Missioni optatus successus duritie hominum, vel aliâ causâ deesset, ad animas Purgatorij recurrebat, & suffragia in earum refrigerium per sacrificia, jejunia, preces & flagella multiplicabat, nunquam frustrato eventu. Et quidem sinè his rarus illi abibat dies, adeò sævis cruentísque, ut pavimentum sangvine inspergeretur. Sensuum custodiam ab omni curiositate quàm remotissimam prodebat, dum nullibi in tot peragratis Urbibus persvaderi potuit, ut celebriora quæpiam in ijs loca, ædificia, & id genus raritates inspicere vellet: nè quidem celeberrimum illud toto Orbe Regium Cœnobiũ Escuriale, licèt ponè ipsum iter Madrito Avilam haberet. In pauperum & miserorum necessitates prorsus gerebat viscera misericordiæ; omniáque quæ offerrentur, & vilissimo suo victui superessent, in eos partiebatur. Quoties ægrotanti à devotis personis meliora & lautiora edulia submitterentur, intacta omnino mittebat ad Nosocomia, eorum precibus certiùs sibi redituram sanitatem dicens: itáque penitus eveniebat. Sic alicubi dato Missioni initio repentè malignæ febris æstibus prostratus, desperabatur posse progredi; sed cùm liberaliter submissa omnis generis cibaria & condituras nec delibatas remisisset ad Hospitale, illico valetudo

tudo cum integris viribus redijt. Quin etiam unicum quo indutus erat thoracem aliquando exuit, ut obvium in itinere seminudum mendicabulum vestiret. Sed & apud alios, ditiores præsertim, efficacissimus eorum fuit Advocatus; ùt cùm aliquando uni ex Curatis ob angores & scrupulos Conscientiæ de renunciando munere Parochiali deliberanti, auctor fuit nè faceret, sed proventus Parochiæ omnes ad sublevandos egentes converteret, patrimonio suo ad sustentationem domesticam contentus. Quod dum sequitur, omnibus angustijs animi liber, etiam rei familiaris incrementa sensit. In ægros autem major adhuc erat, teneriórque affectus. resciverat alicubi hominem ex cancro laborantem in antro delitescere, aliquot jam annos Sanctissimis Sacramentis destitutum, quòd ob intolerabilem mephytim & horrorem abominandi cadaveris, nemo Sacerdotum fideret pœnitenti aures commodare. Hunc ille non patienter audivit solùm, sed S. Evchilariftiâ refectum eidem secum prandio convivam assidere voluit, eâdem patinâ & orbe ad cibum, & eodem poculo ad sumendum potum usus. Ubicunque Missioni finem imponeret, ultimum sermonem pauperum emolumentis, misericordiæ operam commendando, dicabat; ac tum corrogatione de domo in domum institutâ, quidquid accepisset loci Curato assignabat, in eos, pro majore sua cujusvis necessitatis notitia partiendum. Solebat etiam plurimùm svadere ad singulare quidpiam à DEO impetrandum, Novenam Misericordiæ hac praxi instituendam; ut unus è magìs desertorum numero mendicus aut æger domum assumeretur, novendio sustentandus fovendúsque, pro cujus sanitate singuli domesticorum insuper quotidie dicerent Rosarium; & hoc pietatis genere non raro tam ægri hospitio excepti valetudinem, quàm hospites rei à DEO postulatæ gratiam recipiebant. Nihil ergo mirum, aliquando ipsum CHRISTUM vel Angelum habuisse pauperis specie obvium, dum Gandiam tenderet, ut fratrem suum germanum publico carcere liberaret. Quem ubi conspexit mendici habitu despicabilem, depromptum Realem neque petenti in eleemosynam obtulit; sed pauper hunc deprecatus, jussit realem nummum sibi retinere, futurum necessarium solvendo hospitio, ad quod diversurus esset: simúlque addidit, ante ingressum Gandiæ obvium habiturum illius Ducem, qui Patri ultro oblaturus esset missionem è vinculis sui fratris; atque ità prorsus utrumque evenit. Ad animæ nitorem ab omni specie peccati conservandum, quotidie Pœnitentiæ Sacramento conscientiam expiabat; quam satìs constat nullo per omnem vitam peccato lethali, & per complures annos nec veniali deliberato inquinâsse. Nihil addam de beneficijs cælestibus ejus ope in vita, & post mortem prodigiosè collatis, quibus DEUS servi sui merita palàm fieri voluit: sufficiet dixisse, mortuum ab ipso etiamnum vivente fuisse resuscitatum, quod juramento omni exceptione major testis Romæ confirmare voluit, Ludovicus Crespi Episcopus tunc Placentinus, Catholici Regis ad Pontificem Legatus extraordinarius: ejusdémque mentionem fecit Pater Jacobus de SanVitores Apostolus Insularum Marianarum, fuso pro CHRISTO tandem sangvine clarus, in præfatione ad quintam editionem suprà memorati libri de raris Casibus.

Ex vita illius P. Joan: de Marinis.

P. RODERICUS DEZA.

PAter Rodericus Deza natione Hispanus, Xaveriano zelo incensus, totum se animarum saluti procurandæ impendit, ejusdem heroicarum virtutum præclarus æmulator. Humilitatis cùm esset studiosissimus, in Tyrocinio impetravit ut in Coadjutorum temporalium classem referretur: sed compertis in eo eximijs naturæ & gratiæ dotibus, postea Scholasticorum ordini est restitutus, ac post studia præclarè confecta Sacerdotio initiatus, & Professis adscriptus. Concionator evasit, si quis unquam alius, à dicendi præstantia, affectuum fervore, & persvadendi energiâ celebris, conciones suas è Sacra Scriptura & Patribus magno studio elaborare solitus; quibus velut anima accedebat ab oratione, quâ actiones omnes condiebantur. Manè abrumpebat somnum ante alios, ut unâ vel alterâ horâ meditationem auspicaretur ante illos, cum quibus nihilominus postea consvetam comprecandi horam peragebat svavissimâ continuatione: ídque coram Sanctissimo Sacramento, vel ante aram Sancti Ignatij. Ut verò quoad pos-



P. Rodericus Deza S.I. Hispanus, magni nominis Ecclesiastes, et Operàrius per Missiones Hispaniæ indefessus. Desiderio convertendi Iapones in Indiam frustra susceptâ navigatione, vitam in Apostolicis laboribus consumptam finivit Madriti 15 Ian: A°. 1660. ætat: 73.

poſſet Apoſtolicum Sancti Xaverij zelum exprimeret, quòd ille infidelium per Indiam & Japoniam converſioni decennium impendiſſet, ipſe quoque per annos 10. Miſſiones per Hiſpaniam obijt abſque omni ſumptu & viatico, eleemoſynâ pro ſe & Socio emendicatâ pauperrimè vitam ſuſtentans. Contigit per id tempus dæmonem in quodam loco ſacris exorciſmis è Religioſa energumena ad exitum urgeri, ſed negabat infernalis hoſpes ſtatione ſe migraturum, quàm diu non veniret è Societate JESU Apoſtolicus quidam S. Xaverij imitator. Appulit eò paulò pòſt Deza, & religioſis Eccleſiæ carminibus adductus dæmon erupit. Habebat conſtanter penès ſe DEIparæ CHRISTUM parvulum ulnis complexæ Imaginem, quam ei dederat Venerabilis Pater Marcellus Maſtrillus, dum per Hiſpaniam iter ageret ad Japones, mirabiliter à S. Xaverio illuc vocatus, & ſangvine pro CHRISTO ibidem fuſo celebris; quam in perennem memoriam ſacris JESU & MARIÆ Nominibus illi ſubſcripſerat, in pignus ſuarum precum, quas illi in perpetuum promiſerat præſertim Goæ ad corpus Sancti Xaverij, & in hora à barbaris inferendæ pro CHRISTO (cujus ſponſionem acceperat) necis. Hac ille velut amoris Maſtrilliani obſide, deſideria ſua ſolabatur, & zelum accendebat ad paria audenda: nam & Miſſionem in Japoniam ardenter & conſtanter per annos 20. expetijt, & cùm tandem impetrâſſet, conſcensâ Ulyſſipone navi in Indiam navigavit: ſed cùm nulla ſpes aut via penetrandi daretur, in Luſitaniam redire coactus eſt. Ibi aliquamdiu moratus, priùs quàm Hiſpa-

niam repeteret, tanto fructu & plausu audiebatur ad concionem dicens, ut à septem levcis concurrerint ad audiendum, ejus famâ exciti: & Religiosus quidam petierit à Societatis Præposito Generali, eum istic relinqui, ut esset Lusitaniæ Magister Concionatorum, quemadmodum ipse scribebat. In Hispaniam redux nihilo se minor apparuit: tanti à Sacra Inquisitione habitus, ut eum ad illud Tribunalis sui, quod Qualificatoris vocant, munus adsciverit. Sed neque seipsum negligebat in assidua illa seu pœnitentes audiendi, seu ad populum dicendi, seu ad animas variè juvandas excurrendi, contentione. Orandi studium armabat cruciatibus mirè excogitatis, fortitérque susceptis, jejunijs in solo panis frustulo semel in die sumpto per decendium Exercitiorum: cubatione super arborum cortice, vel subere levissimè ad speciem cooperto: flagris adeò sævis & productis, ut horrendum esset audire strepitum ictuum inclementer vibratorum. Habebat & cilicia diversi generis, alia alijs asperiora, præter varia è setis contexta; quorum aliud erat è ferro aculeis in humeros incumbente, de quo in pectus lignea Crux pendebat clavis consita & armata: aliud è minutis veluti forcipibus textum, parvulis ceu caniculorum dentibus è ferro invicem connexis, qui carnem altiùs penetrarent, ac mordicus acerbè adstringerent. Atque horum vestigia etiam in mortui postea corpore deprehensa sunt. Persvasit cuidam Sodalium de Congregatione, quam regebat, ut in tenebris ab eo cæderetur ab humeris usque ad cingulum denudatus undequaque inclementer, solo capite excepto: quod ille tertiò aliquando iterare jussus intrà diem, multis ictuum millibus P. Dezæ inflictis, tandem sibi ultrà id facere religioni duxit. Obijt Deza utì vixit, magnâ sanctitatis opinione Madriti, 15. Jan. Anno 1660. ætatis 73.

Ex Anno Dier. Memorab. Nadasi.

P. ADAMUS KRAWARSKY.

BAvorovium Silesiæ Superioris oppidum prope Ratiboriam, Diæcesis Wratislaviensis, Patria fuit Adamo, in lucem edito pietate magìs quàm bonis fortunæ instructis Parentibus Anno 1585. Cùm adhuc domi puer versaretur, Sacerdos quidam ab vitæ innocentia, & virtutis fama multum ibi commendatus, nocte Natalis Domini vidit per quietem illum sibi sacrificanti ministrantem, sub corona cælestibus gemmis divite vertici ejus imminente: quo ostento nihil dubitans insignem aliquando Adami sanctitatem præsignari, non cessavit parentes perurgere, ut filium ad Societatis scholas Olomucium mitterent, quoad id evicit. Indè nescio quâ causâ ad Poëticæ & Eloquentiæ studia Commotovium in Boëmiam transgressus, conceptos amplectendæ Societatis stimulos pæne jam excusserat, cùm DEO ità svaviter disponente, in librum Evangeliorum incidens illum temerè aperuit, & primo intuitu in parabolam de quadruplici semine conjecto, ex ejus lectione (scribit ipse de se) *inhæsit cordi meo vehementer explicatio illius seminis, quod cecidit inter spinas; indè nulla mihi dabatur quies, nisi mundo & Parentibus renunciarem.* Igitur admissionem in Societatem ibidem perurgens, receptus est Anno 1607. unà cum Mathia Burnatio, qui postea pro fide ab hæreticis cæsus occubuit, ùt *in Societate ad sangvinem usque militante,* retulimus. Novitijs Brunæ adjunctum permisit DEUS arcano Providentiæ suæ consilio, duris & aliàs apud nos inconsvetis modis, ab ipso mox initio usque ad Sacerdotium exerceri, ut jam tum videretur in patientiæ camino coronam illam ipsi fabricare incipere, quam in pueri vertice pius Sacerdos conspexerat. Nam cùm adultior ad Societatem venisset, anno ætatis 22. nec ullum in eo appareret ingenium, nulla seu ad studia, seu ad alia Societatis munia aptitudo, sæpiùs idcirco Superiores de eo ad Sæculum remittendo cogitabant: cùm insuper perpetuis capitis doloribus, & invalitudine conflictari observarent, ut idem, ipse ex ejus acerbissimis puncturis maniam sibi metueret. Cùm verò is dimissionem morte graviorem ducens, infimis precibus deprecaretur, Coadjutorum temporalium munijs admotum, si eorum saltèm gradui idoneus appareret, varijs laboribus probare aggressi sunt. Itaque partim coquinæ discendæ, partim lavandæ domus supellectili lineæ, & curandis per hyemem fornacibus, uno ampliùs anno addictus est; mirâ in omnibus patientiâ & æquanimitate: donec ingresso in Boëmiam, hostili ab Ungaris contra Cæsarem



P. Adam₉ Krawarſky S.I. Sileſi₉; multis adverſitatib₉ in Virum Apoſtolicum format₉: multa hæreticorum millia per Boëmiam ad Catholicæ Eccleſiæ Ovile reduxit; Cōcionator et Operari₉ inter varia vitæ diſcrimina pro Fide tolerata indefeſs₉. Obyt Pragæ in Domo Profeſſa 30. Aug. 1660. æt: 75.

186.

rem Rudolphum exercitu, diſperſis in varia Novitijs, ipſe Labacum pervenit, ibíque feliciter completo tyrocinio remiſſus in Boëmiam, vota Religioſa Novædomi An: 1609. emiſit. Indè Pragam evocatus, cùm alij æquales Philoſophiæ diſcendæ applicarentur, ipſe infimam ſcholam, legere & ſcribere ferè incipientium (quæ eatenus ſæcularibus Adoleſcentibus committebatur) docere juſſus eſt, in eadem tradenda toto quadriennio, quaſi alterius explicandæ incapax, occupatus, & in quintum adhuc continuaturus, nisì Pater Viſitator Theodorus Buſæus commodùm Pragam delatus, intellecto jam ſeptimum in Societate annum, ætatis verò 29. agere Adamum, ad Philoſophiam audiendam Olomucium dimitti juſſiſſet. Verùm novi hìc illum errores, novæ cruces exceperunt: nam Olomucenſes viſo Adamo, jam Viro, errorem fortè interpretati, quòd Philoſophiæ applicandus diceretur, Caſibus Conſcientiæ audiendis hominem id ætatis admoverunt, ipſo in oppoſitum nè quidem hiſcente: donec errore poſt paulùm deprehenſo, à Caſibus ad Philoſophiæ ſtudium traductus eſt. Atque hujus triennium ità feliciter illi proceſſit, ut examinatorum judicio pro Theologia Scholaſtica approbari meruerit, ad eandem ſinè mora, in favorem adultæ ætatis, audiendam, à Provinciali Petro Ximenio Græcium miſſus: tunc enim adhuc Boëmia cum Auſtria cenſebatur una Provincia. Sed ecce novus hìc iterum error evertit omnia. Rector enim Theologiæ nomine, (quæ fortè ſola exprimebatur) Moralem intellexit; quam Adamus in ſilentio & patientia, quantum-

quantumvis suæ doctrinæ conscius, audire exorsus, Olomucij continuavit; cùm Provincialis eò delatus, errore intellecto, dolere se vicem ejus declaravit, eò quòd ad Theologiam Scholasticam admitti debuisset. *DEUS bone*, annotavit in secreto suo libello Adamus, *quantos in me motus animi ea narratio excitavit! ad quos componendos plures hebdomadæ, imò nec menses sufficerunt!* Vicit tamen Spartano silentio se ipsum, nè verbulo injuriam sibi factam prætendens, longè minùs ut Theologiam Speculativam sibi jure debitam postularet, aut ullam unquam ejus mentionem faceret! Quam sui ipsius, in re nostri Instituti maximè ardua, victoriam, bonis quæ per eum operatus est DEUS initium dedisse credo, cui proprium est *infirma Mundi eligere, ut confundat fortia, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruat.* 1. Cor. 1.

Et quidem cœpit illico palàm facere Dominus, quorsum vas istud amore proprio penitus exinanitum, & omnis gloriæ splendorísque humani vacuum voluisset: ut nimirum sibi fieret vas electionis, zelo Paulino repletum, ad portandum nomen ejus coram gentibus & infidelibus: siquidem adhuc Casibus studens, postulatu Reverendissimi Præpositi Capituli Olomucensis D. Pillar (qui postea Societatem complexus est) in Templo Sanctæ Annæ, in Concionibus publicè ad populum habendis, vicariam constanter pro illo præstitit operam, magnâ omnium approbatione, & inter hæreticos, quibus tum redundabat Moravia, fructu. Indè Sacerdotio initiatus, totum se ad lucra animarum convertit, datúsque in Socium Missionis P. Alberto Chanowsky in dominio Wissowicensi, plurimos hæreticorum Ecclesiæ cum eodem lucri fecit. Interim Anno 1618. concitatâ in rebellionem contra Ferdinandum II. duce hæresi, Boëmiâ cum adjunctis sibi Provincijs, etiam Societas, ex Religiosis Ordinibus sola (nam in reliquos nihil attentatum est) tanquam perduellionis rea proscribitur, & capitis damnatur, datâ omnibus potestate, quemlibet ex Societate in Boëmia, Moravia, & Silesia deprehensum, necandi: quo fulmine ejectis in diversas regiones Socijs omnibus, Pater Adamus cum plerisque è Moravia in vicinam Ungariam se recepit, & Tyrnaviæ concionibus ad Slavicam gentem habendis destinatus, tantâ cupiditate audiri cœpit, ut templa multitudinem non caperent. Quare in eo jam erant, ut templum ædificatione amplius redderent; fecisséntque omnino nisi Princeps Transilvaniæ Bethleem Gabor, & ipse in rebellionem actus, arma repentè contra Cæsarem Ungariæ intulisset, nostris iterum omnibus toto Regno ejectis & proscriptis. Inter hos Adamus Passavium effugiens, tempus reliquum duplicis exilij partim ibi, partim in varijs Bavariæ locis, ac tandem Ebersdorfij in Carinthia, Patribus in tertia probatione adjunctus, exegit. Ibi quàm solerter in officina virtutis arma Spiritûs in hostes Fidei exacuerit, luculenter post reditum in Boëmiam ostendit, quando victoriâ de rebellibus hæreticis ad Pragam in Albo Monte Anno 1622. divinitus relatâ, ipse inter primos Pragam revenit, & bellum mox implacabile hæresi movit. Ante omnia sustinendis quàm maximo posset numero Socijs, tanquam triarijs in hæresim commilitonibus, annonam & necessaria paraturus, pro Collegio Sancti Clementis, eatenus haud sufficienter fundato, bona & fundos stabiles, centum ferè Socijs alendis suffecturos industriè procuravit, munificentiâ præsertim Jacobi Horcziczky Equitis, olim apud Rudolphum Imperatorem gratiosissimi, à quo pro ingenti pecunia in gravi necessitate Cæsari concessa, dominium Mielnicense Usufructuarij titulo possidebat. Hoc ille totum eodem quo tenebat jure, Collegio donavit; Collegium verò, ut invidiam publicam (quod Arcem & dominium Reginæ dotalitium ità videretur possidere) evitaret, Ferdinando II. pro Auschæ dominio non multo temporis lapsu restituit. A Collegio ad Seminarium, alendis pauperibus Studiosis, firmandum se convertens, illud à proximo ruinæ periculo ab se instauratum, novis reditibus & fundis auxit, & aliquamdiu regendũ assumpsit: ubi res memorabilis ei accidit: Cùm enim experientiâ docti Socij, quantum incrementi Fidei Catholicæ per Boëmiam attulerit educatio juventutis in Scholis nostris, avebant quàm plurimos Adolescentum in Seminarium adlegi, quòd in Urbe magnam tum quidem partem Hussiticâ, secura hospitia haberi vix possent: cui voto, sponte etiam in id inclinatus, obsecundaturus Adamus, quotquot posset etiam ex vicinis Provincijs Adolescentes convenas, promiscuè sinè magno delectu recipiebat, unde factum, ut in ea extraneorum juvenum colluvie terni irrepserint, qui longè alij Magistro insueverant: noctibus enim medijs in subterraneo quodam cellæ vetustæ specu conveniebant, ubi eos deprehendit Pater Magico in orbem cir-

circulo conclusos pædagogum Dæmonem auscultare, omne genus scelerum docentem; cœlestíque zelo correptus, in medium circuli audacter insilijt, lineas magicas omnes confudit, & dæmone in fugam acto scelera-tos discipulos contubernio ejecit. Neque cessabat interim Pragensibus in hæresim lapsis opportunè importunè instare, Fidémque quà publicis, quà privatis alloquijs suadere, cujus ardenti, & in paucis ad reducendos Hussitas felici zelo comperto Superiores, eum deinceps Missionibus per varias Regni partes addixerunt. Itaque Czastaloviciumـ delatus, Conjugem loci Toparchæ Baronis ab Oppersdorff reperit, erroribus Hussij obstinate addictam, quam nulli Religiosorum Ecclesiasticorúmve conatus, & neque Archi-Episcopi Pragensis Lohelij auctoritas dimovere ab his poterat; hanc Adamus paucis alloquijs Ecclesiæ plenè restituit, & totam simul Aulam, & familiam Heræ exemplum secutam convertit, tanto Illustrissimi Mariti & agnatorum solatio, ut grati animi vicem inـ Patre Societati præstiturus, fundando Reginæhradecij Collegio de familiæ suæ bonis jam tunc initium fecerit, impulso Fratre suo Friderico, Melitensi Equite, ut bonum suum Zampach, Societati cederet. Sed & Divinitas conversionem heroicam Dominæ, memorabili in totam familiam beneficio cumulavit; quæ cùm ternas eatenus proles, sed omnes mortuas edidisset, novem deinceps utriusque sexûs jam Catholica, omnes vivas & sanas enixa est. Ejusdem Patris solerti industriæ debet Societas Collegium Giczinij, cui in Residentiam primùm fundando Illustrissima Pruskowskiana amplissimas ibi suas ædes obtulit, deinceps verò Sagani Dux Albertus de Waldstein in Collegiumـ insignè erexit, ac liberaliter dotavit.

Reginæhradecium, Urbem Reginæ Boëmiæ dotalitiam transgressus, quò felicius ejus & viciniæ incolas, magnam partem Hussio addictos, Ecclesiæ svavi jugo subjiceret, ante omnia Civium animos & affectum laboribus diu noctúque maximis lucrari conatus est: obire domos omnium, ægrorũ præcipuè & miserorum, quorum potissima semper illi cura, mirâ svavitate & comitate agere cum omnibus, dicere ad populum ex loco altiore creberrimè, admittere omnes pronissimâ humanitate, & consulentibus nõ modò de rebus salutis, sed & de alijs gerendis respondere, ut brevì unus ipse totius Urbis, id temporis post Pragam frequentissimæ, oraculum haberetur. Ibi cùm aliquando pro concioneـ diceret, & prolatis sacrarum literarum sententijs de libro præcipua Fidei nostræ capita auctoritate firmaret, dimissâ concione Cives 80. hæretici qui aderant, intérque eos Senatores Urbis, & primarij quique (quos alij deinceps facilè secuti sunt) manus dederunt, & statuto die per Patrem Ecclesiæ restituti sunt. Erat hoc illi solenne ad revincendos errorum suorum Hussitas, ut in pulpitum sacra biblia secum afferret, & ejus textus ac testimonia perpetuò crepantibus, ex originali per intervalla magnâ auctoritate adduceret, & quàm malignè ab ijs acciperentur, graviter, non raro ex eorúmmet unà allatis & confutatis Magistris, demonstraret: quæ praxis ingentem illi ubique sacræ doctrinæ existimationem, & auctoritatem quibusvis Theologiæ Doctoribus parem, toto Boëmiæ Regno peperit, ut communiter non aliter quàm *maximus Sacræ Scripturæ Doctor* appellaretur. Expeditione hac tam felici jussus est Regis ipsius bona reformanda aggredi, & Trebonam, Krziwoklad, Carlstein &c. ab hæresi expurgare: quod eâ felicitate unus ipse solus perfecit, ut reductis ad Fidem orthodoxam novem millibus & quingentis (prout in adversarijs suis propriâ manu annotavit) famâ publicâ ejus rei gestæ ad Regem Ferdinandum III. delatâ (cui Ferdinandus II. ditionem Trebonensem cesserat) ipse Rex gratias suo nomine Patri reddi voluerit. Ubi inter reliqua memorandum ipsi accidit, dum Trebonæ Civitatem, toto sequente Senatu, quasi animi causâ obiret: nam ad locum venientes, ubi ruinæ minæque murorum ingentes pendebant, Seniores qui aderant rogati, Monasterium istic celebre olim ante Hussitica bella stetisse ex fide Majorum asserebant. Succedit muris Pater, si vestigium aliquod nostræ Religionis inveniat, quod Senatui confirmando in Fide exhibeat: Inveniunt in una parte ædium januam occlusam, ferro serísque munitam, quam advocato ferrario apertam dum ingrediuntur, vident peramplum & elegans Sacrarium, Ecclesiasticam supellectilem pretiosissimam circumquaque optimè compositam, casulas, calices, cum omni sacrificij, tanquamـ mox ad aram accessuris, apparatu. A sæculis pluribus ista jacuisse indicio fuit, quòd ad speciem integra, solo auræ afflatu, tactûs omnis impatientia, instar cineris diffluebant; solis pretiosis lapidibus & gemmis, quibus turgebant, remanentibus. Rex Ferdinandus ubi à P. Adamo de tota re edoctus est, inquisitione Patri in jura Monasterij, bona & pos-

possessores commissâ, Canonicis Regularibus Sancti Augustini legitimis quondam ejus Possessoribus, Monasterium cum omnibus juribus & bonis, sæcularium dominatui ereptis, restituit. Indè Adamus ad ipsam hæreseos arcem expugnandam translatus est Pragam, ad reliquorum in Ditionibus Regijs conversionem alijs Socijs succenturiatis. Ergo benedictione Archi-Episcopali ad opus tam arduum ab Eminentissimo Cardinali ab Harrach humiliter impetratâ, Novam Pragam primò Fidei Catholicæ restituendam, simúlque Collegium Societati ibidem excitandum assumit; unicum enim eatenus Clementinum in Urbe Veteri numerabat. Necessarius ei rei ante omnia erat consensus Regius, quem Ferdinandus II. ad preces Adami tantò proniùs exhibuit, quantò crebriore famâ de laboribus ejus Apostolicis per suas ditiones fausta omnia intelligebat, ut fundationi initium ipse facere voluerit, donatis in habitationem opportunis ædibus propè templum Corporis CHRISTI, & certis in alimenta agris cum vinea attributis: donec post aliquot annos idem Adamus plenam Collegij fundationem ab Illustrissima Maria Comitissa de Sternberg obtinuit. Hìc ergo interim velut Superior Residentiæ incolens cum pauculis Sociorum, annotavit suâ unius, extra Sociorum labores, operâ, restitutos Ecclesiæ Civium 4000. Iterum siquidem labores suos, novis ipsi suffectis Operarijs, transferre jussus est in Circulum Reginæhradecensem, ubi diversis in locis 1300. ad Fidem revocavit, novísque proventibus dotato illo Collegio, Pragam rursum ad stabilienda Domûs Professæ, in tertia illius Urbe (Parva Pars dicta) initia revocatus est. Hìc ille Urbem potiori Nobilitate, utpote sedem Regis & omnium Tribunalium, habitatam nullo divitum pauperúmque discrimine circumcursare, ægris diu noctúque adesse, manè tempus omne in Confessionali assidere, aut salutaria accedentibus impertiri consilia, eâ Ordinum omnium satisfactione, ut auctoritate & existimatione apud summos etiam Regni & Ecclesiæ Proceres, facilè Socios omnes anteiret, qui Viri intuitu & profusis eleemosynis Domum prosequebantur, & ejus præ alijs omnibus operâ, tanquam hæresi extirpandæ fatali, sicubi obstinatior resisteret, per sua dominia utebantur. Ditio est ad Boëmiæ, quà Moraviæ jungitur, confinia, Bistry dicta, quò sectæ omnes è planioribus Regni se velut ad asylum receperant, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, Piccardi, Anabaptistæ, atque etiam Arriani quidam: quorum ad Fidei integritatem reformatio ob pertinacem duritiem in desperatis habebatur, quòd crederentur omnes, si apud se quispiam è Societate Missionarius vel appareret, relictis fundis & domibus in vicinam Moraviam, & huic conterminam Ungariam, inter suos sectarios fugam arrepturi, irreparabili totius ditionis ruinâ. Pijssima tamen loci Domina Lucia, Comes vidua de Kolowrat, nata de Martiniz, aliquid tentandum rata, negotium arduum Adamo commisit: hic absque mora illuc provolans, assiduo hæreticorum tractandorum usu vires suas toties expertus, nullâ reformationis odiosâ mentione injectâ, incredibilem solùm in omnes svavitatem, comitatem, cum affabili humilitate exerere cæpit, familiariter singulos alloqui, & in domicilijs casísque proprijs invisere, solari, juvare consilijs; dum conciliatis animis, positâ feritate, universi ad illum pro concionibus audiendum spontè affluerent. Ubi animos illorum humanitate jam delinitos, argumentorum è sacra Scriptura, more solito, efficaciâ depromptâ ità inflexit, ut brevi tempore supra 2000. incolarum Catholicis adjunxerit. Tam prosperum rerum successum ubi Illustrissima loci Domina ex Patre intellexit, incredibili affecta solatio, quæ non nisì proximum quemque nuncium de fuga colonorum, & desolatione Dominij præstolabatur, nova indies gaudiorum sumebat incrementa, cùm novis semper tabellionibus acciperet & conversiones recentiores perfidorum, & jam reductorum in Fidei & pietatis exercitijs fervoris & constantiæ exempla: quibus mirum quantum in ejusdem animo augebatur in Societatem affectus, & concepta pridem de ejus fructuosis laboribus succrescebat æstimatio, ut collatis cũ Illustrissimo Fratre Georgio de Martiniez, Regni Boëmiæ deinde Cancellario, consilijs, Societati in Boëmia, tenue hactenus & angustum Clattoviæ Collegium, condito testamento liberalissimè fundârit: cujus iterum auspicia unius Patris Adami laboribus debentur.

In Rakonicensem Circulum, Cæsaris subinde mandato, cum aliquot Socijs Sacerdotibus missus, cùm obstinati in hæresi rustici arma ad resistendum corripuissent, coactus Adamus locis munitioribus se continere, animos tamen efferatorum mirâ svavitate deliniebat. Hinc cùm ad eum audiendum identidem, sed armis instructi adventarent, ejus capti lenissimis sermonibus & allo-

loquijs, non difficulter manus dabant, & toto latè districtu ejus agendi modum deprædicantes, tantum apud incolas in eum Sociósque amorem & confidentiam excitârunt, ut spatio unius anni peragrato illo circulo, supra decem animarum millia Catholicis accesserint, singulari Cæsaris, ubi successum accepit, voluptate. Neque tamen omnes æquè placidè illi conatus, & citra vitæ periculum cessêre. Quo tempore Carlsteinensem ditionem excoluit, fera silvestrium colonorum ingenia, si quod verbum Pater in eorum sectam proferret, lædi se interpretabantur, atque exinde ad conciones & instructionem non aliter, quàm armati comparebant; & si quid auribus seductis ingratum acciperent, è media dictione se proripientes, fœminæ quidem in domos suas, viri autem in abdita silvarum, atrocia minati diffugiebant. Præsentissimum autem vitæ discrimen incurrit in Tetin (locus est martyrio & sepulturâ S. Ludmillæ memorabilis) cùm in Ecclesia Catechismum rudibus explicaret; repentè siquidem duo valentissimi rustici securibus armati irruunt, & cum Patre expostulant, quid eò venisset? quid novæ doctrinæ afferret? ut clarè appareret non nisi rixæ ferendæ causâ advenisse. Et quidem terrore diffugientibus ex templo omnibus desertus Pater, satis habuit in præsentia mollibus responsis delinitos placare, ut innoxij abirent: ultro apud complices latrones fassi, in Sacerdotem adeò mitem & benignum non potuisse violentiam ullam expromere. Ità per diversas Regni partes Apostolico zelo discurrens, etiam in ditione Zambergensi 2000. alibi 600. & in Kissberg 700. capita ab se Fidei restituta annotavit: donec tot de hæresi victorias pulcherrimo & immortali facinore, octennio ante mortem conclusit: quod illius verbis referre placet: *Missus fui cum quinque nostris Patribus ad dominium Opoczna Illustrissimi Comitis Rudolphi Coloredo, Ordinis Equitum Melitensium per Boëmiam magni Prioris, & præsidij militaris Pragæ Supremi Chiliarchæ: quia Ordines Regni in Comitijs hoc an: 1652. collecti decreverant, ut Domini omnes ubiq; collaborent, quò subditi intrà certum temporis spatium vel Fidem Catholicam complectantur, vel è Regno discedant. Hoc est illud rebelle Dominium, quod post reducta majorem partem totius Regni dominia, 27. annis in erroribus suis usque ad præsentem annum obstinatè perduravit; imò & armis in Dominum suum correptis, ærarium ipsius primùm Neostadij diripuit, ac deinde ad alia vicina dominia diripienda progressum, spoliare cœpit. Sed à submissò milite Cæsareo rapinæ quidem inhibitæ sunt, sed ad hæresim extirpandam nihil profectum. Igitur illuc delati, divisis inter nos totâ ditione laboribus, præmissis concionibus & catechesi in templis, curijs, & privatis domibus; eam animorum mutationem, quinto post hujusmodi labores mense, advertimus, ut turmatim centeni & centeni Opocznam accurrerent, & susceptis Catholico ritu Sacramentis hæresim ejurarent, sex millia & quadringenta hominum capita.* Miraculo simile communiter habebatur, quod armis effici non poterat, inermes Patres tantâ pace & celeritate perfecisse: ipséque Opocznæ Dominus tanto exinde affectu & æstimatione Patrem, usque ad illius obitum prosecutus est, ut quoties Pragâ ditiones suas inspecturus exiret, Patrem secum comitem obtinere laboraret; summopere illius zelo, quem per praxes admodum populares, imprimendis Fidei ad captum rudium mysterijs, exerebat, delectatus. Ex quibus illam præcipuè in publicis etiam convivijs dilaudabat; fassus etiam ad suum profectum valuisse, quâ aliquando se præsente, pagano popello in templum collecto, mysteria Sacrificij Missæ explanavit. Nam ad Aram accessurus, sacra apparamenta palàm proponi ponè Altare fecit; quæ ex Ordine ad induendum sumens, singula quid significarent, & mysterij ex indumentis CHRISTI continerent, ad populum conversus ingenti affectu & devotione inculcabat, quid Alba, quid Cingulum, quid Manipulus, quid Stola, quid Casula, quid Calix, quid Patena &c. ac ità demùm induebat. His ità ornatus, & summi Sacerdotis CHRISTI personam præferens, cùm ad Aram accessisset, iterum ad populum conversus, summatim præcipuas Sacrificij mox inchoandi partes explanabat, & mysterijs Passionis Dominicæ applicans, quid Introitus ad pedem Altaris dicendus, quid Epistola, quid Evangelium ex alio Cornu Altaris legi solitum, quid Offertorium, Elevatio Corporis & Sangvinis Domini &c. significarent; Apostolicâ quadam Majestate ubi docuisset, tum demùm Seraphico quodam affectu Missam dicere incepit; ut Illustrissimus Comes fateretur, nullam ab se hactenus majore teneritudine & devotione auditam fuisse. Porrò ad tam mira in animis hæreticorum, rudium præsertim, minúsque idcirco docilium, ac magìs indè obstinatorum, perficienda, ità animam corpúsque Adami aptaverat DEUS, ut ad hoc genus hominum pervincendum ni-

nihil esset accommodatius. Magnanimitas quædam, & leonina species ac lineamenta in facie Viri relucebant, ad hæc corporis vastitas egregia, lati humeri, os magna sonaturum, species tota ad quandam gravitatem composita; atque ultima propè senectus, & regia oculorum vivacitas, addebat verbis auctoritatem & gratiam. Consiliorum maxima illi erat promptitudo, longo item usu collecta tractandorum animorum peritia. Cùm locum superiorem conscendebat, flexo genu DEUM & Cælites contestabatur, ea sola ab se dictum iri, quæ saluti audientium necessaria forent: sangvinem istarum animarum in se recipere, & DEO vadem, in tremendo ejus Tribunali responsurum, fieri velle, si sciens falleret; aliáque ejusmodi ardentia dicta addebat. Sequebatur flammata ad populum oratio, & quod probandum erat, ex Bibliorum aperto Codice, & subinde etiam ex Sanctorū PP. aliquo legebatur; vel etiam oppositi errores ex libris Sectariorum producti confutabantur: tum si quid ex græca vel hebræa lectione interpretandum occurreret, fiebat promptissimè, ut eum Sacræ Paginæ Doctorem peritissimum plerique & communiter appellarent. Ex qua opinione maximus proveniebat fructus animarum, ut non aliâ ferè ratione, quàm concionibus, populorum animos occupârit, & DEO lucratus sit. Quas Adami artes, & Apostolicum Zelum secuti reliqui Societatis Operarij, per universum Regnum dispersi, plures centenis millibus ab omnigena hæresum & errorum colluvie, inchoando ab Anno 1622. ad ovile CHRISTI reduxerunt, & in eum Catholicæ Religionis, quem hodie cernimus, nitorem & fervorem promoverunt. Adamus verò ultimos vitæ annos in Domo Professa Pragensi, in Operarij constanter munere exegit, simúlque Regium Parthenonem ad Sanctum Georgium Ordinis Sancti Benedicti spiritualibus obsequijs totos 13. annos procuravit, cùm ferè quotidie id ætatis senex, altissimum Arcis Pragensis montem conscendere, spiritualis earum profectûs studio cogeretur.

Ut verò paucula quædam de virtutibus ejus attingam, oratio inprimis & conversatio cum DEO Cælitibúsque familiarissima illi fuit, tam in cubiculo privatim, quàm inter occupationes & itinera in publico: quocunque enim incedentem vidisses, audîsses simul ex imo corde per intervalla suspirantem, aut Rosarij grana orando percurrentem, & ex cujusvis objecti aspectu ascensiones sibi ad DEUM in corde disponentem. Stata meditandi & conscientiam examinandi tempora, flexis semper genibus peragebat humi, nulli scabello, aut alteri fulcro innixus: uti & Divinum Officium, quod in medio cubiculi flectens, clarâ voce, ad augendam devotam attentionem (nisi vicinos turbandos metueret) persolvebat. Observatus est sæpenumero noctes integras insomnes traducere per cubiculum inambulando, paucissimis vocibus ruminandis, ùt quidem apparebat, contentus, quæ identidem ad JESUM & MARIAM repetebat. Narrabat itineris ejus comes, deceptum aliquando, cùm à nemine se observari crederet, tam familiariter inter orandum cum cælitibus locutum fuisse, ut sacer quidam atque insolens horror se audientem invaderet. JESUM ac Cæli Reginam alloquebatur, tanquam si aspectabili formâ præsentes & colloquentes haberet, in amœnum subinde risum & delicias solutus, & modò quasi percontantibus ad quædam respondens, modò ipse nonnulla rogitans. Sæpe in itineribus clàm ex hospitio stratóque egressus, plures horas sub Jove frigido, & in itinere quodam Ungarico super altas nives genibus nixus, orâsse deprehensus est. Sanctissimum Sacramentum in Domo Professorum degens sæpiùs per diem adibat, etiam extremâ ætate, scipione nixus, licèt non raró viribus defectus in via collaberetur: per Octavam verò Corporis CHRISTI propemodum in templo habitabat, noctes ibidem & vigilias traducere solitus, ad Aulam Regis Cælestis excubias se agere, aut pro ejus Tribunali reum adstare cogitans: ubi se à nemine observari si crederet, humiliter se reum confitens, flagris atrocibus pœnam de se ipso sumebat. Sacrificium verò Missæ eâ devotione & inflammatâ peragebat pietate, ut hac unâ existimationem Sancti apud audientes obtineret: bina alia ante suum pro præparatione, & totidem pòst in gratiarum actionem audire solitus, semper de genibus, & nudo penitus senili vertice. Orationis irremissum studium profundissima animi humilitas, suíque despicientia, cum plena abrenunciatione sequebatur. Vixit in Societate annos 53. neque tamen in cubiculo, mensáve, vestitu, ceteróque cultu quidquam admittebat, quod non omnibus etiam Tyronibus consvetum esset & commune: cubiculi pavimentum everrere, frigidam usibus suis, & id genus omnia ipse afferre, lectū componere; extremo etiam in morbo ferre ægriùs, si quid ejusmodi obsequij à Socijs sibi im-

impendi videret. Idem vivendi tenor & agendi fuit in Procerum Aulis, & Nobilium arcibus, quoties ad eas divertere cogebatur; nullus qui ad quælibet obsequia deserviret admittebatur famulus, nullum delicatius in mensa edulium, sed si quod offerretur, reverenter acceptatum post aliquam moram inobservatus famulanti integrum reddebat. Cum pauperibus & agrestibus agebat & propensiùs & majore affabilitate, suos filios, aut si grandævi essent, patres illos appellans, & matres suas: procul ab omni simulatione, ut ad fictè agendum aliquid vel loquendum planè ineptus videretur. Ex flagranti illo animarum zelo, quacunque iter ageret, etiam in Procerum non infrequenti comitatu, si quod oppidum occurreret vel pagus, exquirebat, an Curione provisi essent incolæ? an qui ægritudine prostrati? omnéque Viri Apostolici munus in misellos exequebatur, quantumlibet seriùs prægressos assequeretur. Domi verò Confessionale cubiculum ejus videri matutinis horis poterat, ità perpetuus hyeme & æstate illic assidebat, continuo quodam & constanti hominum ad eum affluxu. Cùm verò postremis vitæ annis domestici quidam, ipsíque adeò Superiores censerent hoc labore sublevandum, quòd senio hebetatis auribus graviùs audiret; ubi id agi intellexit, mirè consternatus, fidentiori Sacerdoti conquestus, alto cum gemitu sublato, *quid hoc*, inquit, *DEUS bone! vitam mihi tollit, qui mihi tollit animas!* Quoties verò in novam aliquam animarum messem emittebatur, exultabat veluti reviviscens ad currendam viam, redibátque vegetior, tanquam robustiore & confirmatâ valetudine, ut sanitas etiam corpori accessisse videretur. Indè tantus in Virum toto ferè Boëmiæ Regno affectus, tanta æstimatio (& memoria hodiéque in benedictione) ut quocunque penè Socij ad reliquias hæreticorum extirpandas, aut neophytos in Fide roborandos, Adamo jam decrepito, accederent, sollicitè rogarentur ab incolis de statu & valetudine sui Patris, à quo in CHRISTO per Evangelium fuissent geniti. Sanè Illustrissimus Comes Jaroslaus de Martinitz, in Regni pro Ferdinando II. & III. gubernatione Procerum primarius, si quando mentio Adami incideret, eum appellabat *verum Boëmiæ Apostolum*: Confessarius verò Cæsareus Pater Guilielmus Lamormayni, vocabat *Virum singulariter à DEO pro conversione Boëmiæ electum:* Quin Cæsar ipse Ferdinandus II. ingenti æstimatione labores Viri prosecutus, pro his gratias illi referebat, clementissimam ab se in literis salutem adscribebat, Regiísque diplomatibus per omnes Missiones ad feliciores successus prosequebatur.


Nihil proinde mirum est, si tam fideliter pro animarum salute laborantem DEUS speciali curâ sibi tuendum, & in gravissimis vitæ periculis servandum assumpsit. Primâ Svecorum in Boëmiam irruptione, scribit ipse de se, *accidit aliquando Zampachij*, (ditio est Coll: Reginæhradecij, recèns tum à P. illi impetrata) *ubi tunc inter tumultus bellicos vivendũ erat, multa pericula, spoliationes, & casûs adversos expertus sum. Semel dum miles igne & ferro prædium nostrum vastaret, serísque omnibus diffractis pro libitu universa diriperet, ego quoque globo displosi sclopi tactus, sensi ignitum globum viscera penetrantem: secedénsque ut sangvinem (ità mihi videbatur) profluentem è sinu effunderem, tangens vulneris locum, nullum tamen foramen in corpore reperi, sed signum impacti globi multis diebus conspicuum etiam alijs ostendi. Rosarium, & ejus quotidie orandi consvetudo*, refert alibi de se, *liberavit me à præsentissimo vitæ periculo. Latrone enim in me bombardam collimante, substiti uno passu, Rosarium è sacco ad orandum prensans; & ecce globus ante me prætervolavit, in quem prorsus incurrissem nisi promendo Rosario tantillùm substitissem. Respiciens verò vidi latronem in dumeto latentem, sensíque me potenti instinctu moneri, ut ad vicinum pagum refugerem.* Quod verò sequitur, citra miraculum vix accidere potuisse videtur. *Rediens aliquando ex templo in tenebris, incidi in foramen, in quod pedem unum jam intuleram, qui tamen in aëre tantisper sustentatus est, quoad pede altero à casu me eriperem.* Aliàs equis terrore quopiam consternatis, curru excussus sub rotam, quæ etiam dorsum prolapsi cum toto pondere pertransijt, cùm eam noctem ex gravi concussione insomnem traduxisset, primo manè scipione nixus ad vicinam Divæ Lauretanæ ædiculam adrepsit, & per sacrum Missæ Officium ejus ope imploratâ, plenè sanus domum redijt, neque ex tanto casu unquam decubuit. *Ex quantis me DEUS insidijs*, narrat iterum ipse, *Budissinâ redeuntem* (civitas est vicina ad Boëmiam Lusatiæ) *eripuit!* ubi nimirum Cæsareo mandato in hæreticorum reductione aliquamdiu laborabat. *Præcesserunt aliquot ex Civitate, insidias mihi in via structuri, sic ut de vita mea post discessum apud amicos in Civitate jam conclamatum fuerit. Verùm priùs quàm in eorum manus incide-*

rem, occurrit tabellarius cum Cæsareis literis ad Capitaneum Lusatiæ. his acceptis redij Budissinam, & sic effugi manus insidiantium, de quibus tum rescivi. Anno 1631. captâ à Saxone Pragâ, Religiosis plerisque in diversa profugientibus, cum pauculis Adamus Pragæ ad solatium fidelium, in medio triumphantis hæresis remansit, tantâ fiduciâ vitæque contemptu, ut nè quidem vestitum Religiosum in publico posuerit; unde mille convitiorum plaustra, maledictiones, atque etiam copiosam verberum segetem domum ex urbe referebat. Fortè ità accidit, ut per pontem ex Urbe nova domum redeunti, turma equitum Aulicorum Ducis Saxoniæ occurreret, eo ipso loco, ubi æneum Crucifixi simulachrum propositum est: cùm post varias contumelias, turmæ hæreticæ ductor crebris ictibus militari baculo caput Adami inclementer verberare cœpit, ut semianimis ad pontis marginem super saxum prominens conciderit: Post moram aliquam velut ex profundo deliquio sibi redditus, hoc solum, oculis in CHRISTUM Cruci affixum conversis, protulit, *habemus bonum testem!* Domum tumido capite reversum rogabant domestici, quid accidisset? quibus aliud non respondit, quàm *Equitem Nobilem in ponte, negotium sibi facessivisse, ut cras cogatur pro illius salute hostiam DEO litare.* Non multi abierant dies, cùm nostri omnes per Ducis sententiam, ante Solis occasum Pragâ exesse jubentur, carpentis in forum Parvæ Urbis cum militari custodia, nè ullus remanere posset, convecti, & velut in spectaculum ludibrijs omnium tantisper expositi. Quidquid militaris hæresi conjuncta procacitas & petulantia fingere per summam licentiam potuit, verbis & factis in DEI servos ibi exprompsit: nihil tamen molestius sibi accidisse deinde fatebatur Adamus, quàm puerorum & Adolescentum quorundam, nuper in scholis nostris educatorum, insolentiam, qui in se potissimùm copiosos & amaros sales, gesticulationes, & opprobria, instar scurrarum CHRISTO spinis coronato illudentium, jaciebant. Evectis ità ex Urbe omnibus, cùm reliqui in diversas Boëmiæ partes dispergerentur, Adamus in vicinis pagis substitit, unâ cum Patre Swabensky, Viro nobilitate generis, auctoritate, sacrâ eloquentiâ, zelóq; Apostolico apud Catholicos notissimo. Hinc illi vestitu alieno redibant identidem Catholicis consolandis ad Urbem, & Carbonarij plerumque habitu assumpto, currum carbonibus plenum ad domos civium Catholicorum devehebant, solabantur, & spe meliorum reficiebant. Præcipuus erat Raphaël Missowsky, Regni postea Sub-Camerarius, hic carbones plurimos emebat à Patribus, vel ad fideles, & pij doli conscios dirigebat: ad quem ubi cum plaustro bobus præ se actis venissent, deonerando carbonibus currui quopiam conducto, deducebantur in abditum conclave Sacelli instar exornatum, omníque ad sacrificium apparatu instructum; ubi domesticis, & fidis vicinis collectis, & Missam dicebant, & piâ cohortatione excitatis robur ad constantiam subjiciebant. Non absque pio fidelium risu, quando posito sacratiore apparatu, infuscatos ùt antè vultu manibúsque, in rustico cultu à Carbonarijs non distingvebant.

Sed Annus 1648. longè Adamo, quippe jam senio multùm debilitato, difficilior fuit & tristior. Nam Urbe minore Pragensi à Svecis proditione occupatâ, in communi ejus direptione etiam Domum & Templum Professorum, furiosus miles aggressus, cùm expilaret omnia, & indumenta ipsa, pretiosâ Templi supellectile minimè satiatus, domesticis detraheret: primus irruentibus per effractas januæ valvas in templum, obvius occurrit Adamus, victimam se se pro Socijs hosti furenti offerens; crudeliter verberibus, plagis & pugnis exceptus, ut miserandum omnibus fieret spectaculum. Solus etiam ipse cum Præposito Domûs foras in publicum forum eductus est, in captivitatem abducendus, si quæ vis à Cæsareo milite fortè ingruens, interceptam nocturnâ fraude Urbem die illo deserere coëgisset. Multos dies optimus senex dolore, tumore, livoréque ex tot concussionibus debilitatus incessit: haud leviora sub diuturno deinceps hostium Pragæ dominatu, & reliquæ Urbis crudeli oppugnatione, consecutáque pestilitate expertus; quem DEUS tum vel maximè ad solatium & auxilium afflictorum civium, Pragæ conservâsse videtur. Paucis reliquis, quibus supervixit annis, sentiebat ætatem tot laboribus atque ærumnis pro salute proximorum exantlatis gravatam, quibus proinde ad beatam mortem parandam ferè usus est. Ergo nullo ferè alio, quàm delassatæ senectutis morbo, cùm se ipso quotidie imbecillior redderetur, dejectus in lectulum, nihil nisi DEUM loquens & spirans, munitus omnibus Sacramentis, felicissimâ morte vitam in eadem Professorum Domo conclusit die 30. Aug. An. 1660. ætatis 75. eo populi, Regni Procerum, omniúmq; ex utroq; sexu Ordinū con-

concurſu, ſed pauperum præcipuè lamentis, veriſſimum Patrem ſibi ereptum deflentium, elatus, qualem in nullius hactenus è noſtris funere domeſtici vidiſſe meminerant.

Ex Anno dierum Memorabilium Nadaſi, & Bohemia Sancta Balbini.



P. Antonius Brignole Soc: Ieſu, Italus, et Genuæ Senator, in pauperum eleemoſynas omnino profuſus. Præmortuâ Conjuge Societatem complexus, Operarij et ardentis Concionatoris munera præclaro Zelo, ad mortem usque, quam ex vero prædixit, implevit. Genuæ obijt 20 Martij, Anno 1662. ætatis 57. 187.

P. ANTONIUS BRIGNOLE.

Pater Antonius Brignole Genuæ ſplendidis ortus natalibus, ante initam Societatem matrimonio ac prole nobili, opibus, publicis munijs, legatione ad Philippum IV. Regem Catholicum, Reipublicæ nomine laudatè obitâ, ac demum Senatoriâ Genuæ dignitate ſpectabilis, ubique magnum ingenij, eloquentiæ, liberalitatis, Fidei & Sapientiæ ſpecimen dedit. Deinde Conjuge præmortuâ viduus, ad ſacros Ordines, denique ad Societatem JESU tranſijt, ac magno & foris & inter nos exemplo ſanctum Sacerdotis ac Religioſi Nomen implevit. Patre adhuc ſuperſtite donavit Reipublicæ Genuenſi pecuniæ centum millia librarum ad uſus belli navalis: quam animi amplitudinem poſtea in eleemoſynis erogandis tam liberaliter oſtendit, ut vulgo appellaretur divini theſauri diſpenſator. Fuit enim in pecunijs ad pauperum uſus & pias cauſas erogandis ità profuſus, ut prodigalis omnibus appareret: neque moderationis ab amicis admonitus,

tus, ut etiam domûs suæ & liberorum rationem haberet, quidquam remittebat, dicens: *Dabo ego DEO, quàm diu dabit mihi DEUS, & illi curæ atque cordi erit domus mea & liberi*: Id quod quàm ex vero dixerit, satìs ostendebant divitiæ, & florens fortuna illius domûs & familiæ. Religiosis, aliísque indigentibus mittebat schedas, quas collybisticas vocant, magnâ vi auri inscriptas, quam è cambio acciperent. Postea Societatem amplexus, dolens dicebat, nihil ab se Societati datum; errore decepto, quòd credidisset domicilia nostra subsidijs non egere, siquidem neque Confessarius, neque alij de Societate alioqui familiares, ea de re unquam mentionem apud se fecissent. Atque ut in particulari aliqua in exemplum afferam, cùm in Hispania apud Regem esset Orator Reipublicæ Genuensis, Xenodochio Italorum eleemosynam stabilem & perpetuam assignavit: ibidémque aliàs, cùm de imminuendo ægrorum in Xenodochium admittendorum numero deliberaretur, quingentos Hispanicos aureos (qui duobus nostratibus ferè æquilent) donavit. Die quodam ingenioso spectaculo in theatrum dato Nobilitatem recreaverat, ignarus eo die consvevisse Nobilitatem ad Xenodochium pietatis causâ itare, quod illo spectaculo impeditum fuerit, adeóque pauperes consvetâ stipe caruerint. Quod ubi rescivit, ut jacturam compensaret, illico totidem aureas Coronas, seu scuta, Xenodochio misit, quot Spectatores in suo ludo numerârat. Aliàs in magna caritate annonæ, mille aureos Hispanicos dedit, qui in tenuioris fortunæ familias distributi, aliorum quoque divitum liberalitatem ad imitationem excitavêre. Solent ab Hispania Genuam venire partim ex Indicis, partim alijs mercimonijs arculæ pecunijs fartæ, quarum singulæ continent facilè viginti millia Philippicorum, ferè nostratium Imperialium. Ipse nonnunquam totum illud argentum intrà unius diei intervallum dispersit, dedit pauperibus. Unde cùm aliquando Antonij Mater plures id genus arculas adhuc in conclavi esse opinaretur, ac de illis apud trapezitas collocandis ageret, nec ullam ex ijs inveniret: ubi intellexit, eas à filio in duorum Xenodochiorum subsidium fuisse distributas, obstupuit primùm, at (ùt erat matrona cumprimis pia & prudens) impensè postea gratulata est, id ab eo factum, dicens, pecuniam illam apud optimum trapezitam à filio collocatam, qui artem calleret auri è luto faciendi. Aliàs quadraginta millia coronarum seu scutorum per Notarium inscripsit pauperibus: totidémque millia argenteorum, pretio coronas excedentium, unico die erogavit pauperum (ùt ibi vocant) Officio. Ac denique Anno 1651. impendit eleemosynæ nomine plus quàm 240. millia librarum, id est plus quàm 42. millia scutorum seu coronarum, & 650. scuta. Ultimô tandem ante initam Societatem decenniô, inventa sunt in libris Rationum (quibus tamen non nisì majores summas inferebat) erogata ab ipso in egenos plus quàm quadringenta sexaginta quinque millia librarum. Ubi verò Conjuge præmortuâ Viduum se vidit, sacris Sacerdotij Ordinibus initiatus, ut plus CHRISTO dare posset, veste valde vulgari pauperis instar contentus, parcebat expensis; dicere solitus: *Ego viâ Orationis vix possum pervenire ad Cælum, cùm orare non sciam, videbo itaque ut per eleemosynas possim mihi facere amicos pauperes, ut me recipiant in æterna tabernacula.* Atque hæ erant Antonij in sæculo Charitatis in proximos, ad lucrifaciendas eorundem animas, occupationes, donec munere sapientissimi, atque ad omnia accuratissimi Senatoris, humilis, liberalis, ac animarum studiosissimi Sacerdotis munere perfunctus, ex voto jam antea concepto, Societatem, inconsciâ Matre suísque liberis, expetijt & annuente Innocentio X. Pontifice (sinè cujus facultate ad Religiosum Tyrocinium tunc aditus non dabatur) Anno 1652. admissus est.

Felicitatem hanc tanti faciebat, ut majorem omnibus suis meritis duceret, palàm protestatus, magnæ DEI misericordiæ documentum in se exhiberi, quod non in Inferni supplicia pro suis delictis mitteretur, sed tanquam bene meritus ad JESU familiam adsciseretur. Interrogatus à magno quodam Viro, quàm contentus vocatione suâ viveret? reposuit, si totum mundum uni ovo inclusum haberet in manu, illud unà cum omni Mundi gloria terræ allisurum. Indè acri per residuum vitæ dolore se perurgeri sentiebat, quòd tam serò ingressus esset in cœtum, in quo ajebat, vitam duci non minore ferè innocentiâ, quàm duceretur in Paradiso terrestri: & maximopere gratulabatur ijs, qui Religionis jugum portare à teneris adolescentiæ annis inciperent. Eam jacturam ut pensaret, cor totum in holocaustum Divino amori consecravit, ac voti sacramento obstrinxit, facturum se quidquid Superiores melius esse judicaverint ad DEI gloriam, & su-

ſuum Majorem in virtute progreſſum. Illo amore condiebat ſumma & infima quæ ageret, ſic ut quamlibet patinam vel ollam in culina DEI amore lotam, ſibi pretioſiorem eſſe diceret quolibet unione, quantumlibet raro & charo, & quidquid auri ac opulentiæ haberet Mundus. Divino ſacrificio religiosè adeò operabatur, ut Mediolani apud Cives, qui ſacrificanti fortè aderant, & nomen illius ignorabant, Sancti Sacerdotis appellationem invenerit: quod nomen ſæpe aliàs ei datum à pluribus, ob eximiam virtutis opinionem undique concitatam, præſertim ubi peracto Tirocinio totum ſe proximorum ſaluti procurandæ, concionibus, operationibus Apoſtolicis, uſque ad mortem impendit. Et quidem conciones non tam ſtudendo, quàm meditando & orando parabat, ad lumen Crucifixi, ante quem partim in genua, partim in faciem proſtratus, meditationem multis cum lachrymis peragebat, brachiis ſemper in crucem expanſis, vel ad pectus decuſſatis, corde in Divina ità abſorptus, ut neque ſtrepitum, ſi porta fortè aperiretur, adverteret. Frequens illi in mente, frequens in ore æternitas, è cujus ferè ſinu videbatur petere, quæ ad concionem dicebat, ſeriò adhortans ad pœnitentiam, & noviſſima inculcans, procul ab omnibus illecebris & fucis verborum. Vivebat in ejus pectore actuoſa, in pauperes præcipuè, quorum confeſſiones perlibenter magnâ aſſiduitate audiebat, ſolabatúrque verbis longè ſvaviſſimis. Indias magnis precibus flagranter expetijt: & cùm non impetraret, ut peſte afflictorum obſequijs vitam poſſet impendere, maximè cùm Genua Anno 1656. lue conflagraret, flexis genibus flagitavit. Cremonæ cùm per Quadrageſimam quotidie concionaretur, & Sabbato pro more quieſceret, ad Xenodochium itabat, ut ægris ſerviendo levamenti aliquid afferret: quibus domi inviſendis perfrequens, ac in abjectis etiam circa illos obſequijs perdiligens erat. Cæterùm cæleſtibus ſemper videbatur intentus, ut humana omnia tanquam res viliſſimas deſpiceret, neque aſpectu dignas duceret: unde ſi prodiret in publicum ad opitulandum proximis, oculis ibat per plateas humi dejectis, ac vix ad diſcernendam viam apertis, quòd metueret, nè quid per oculos ingrederetur, quod amorem & quietem compoſiti cum DEO cordis interpellaret. Anno ſancto Romam inviſens, nihil ſplendoris, hortorum, aut Romanæ Majeſtatis ſpectare voluit; & pietate ſuâ perfunctus domum redijt, nè Pontifice quidem viſo, licèt tunc eſſet ſæcularis. Cùm Anno 1662. Genuæ ſupremùm per Quadrageſimam diceret, fecit id Apoſtolicâ quadam libertate in corripiendo, & ardore majore quàm hactenus; diſertè ſub initium concionum pronuncians, finem reſolutionis ſuæ inſtare. Ubi verò morbus eum è pulpito dejecit in lectulum, poſt duas ferè quotidianarum dictionum hebdomadas, exultavit; mirantibus Medicis cauſam lætitiæ profeſſus, quòd ſperaret morbum hunc ſibi fore poſtremum. Unde ſi quid de ſpe vitæ prorogandæ, à Medicis præſertim, afferretur, accipiebat ùt ingratiſſimum nuncium: hoc enim non minùs triſte ſibi eventurum ajebat, quàm ſi nauclerum jam jam portum ingreſſurum, ventus adverſus, in altum mare ac procellas rejiceret. Filijs ſuis amicíſque nobilibus circa lectulum morientis flectentibus, & aliquod æternæ vitæ documentum petentibus, dixit: loqui nunc ſe in aditu æternitatis, ubi procul abſint cauſæ fingendi. Scirent itaque, nihil ſibi nunc eſſe jucundius, quàm quòd Religioſus in Societate JESU moreretur: ingreſſurum ſe illam adhuc, ſi hactenus ingreſſus non fuiſſet; unum ſe dolere, quòd tam ſerò id feciſſet. Agerent ipſi quoque, & ità, ac eo in ſtatu, ubi & prout mori vellent ſecuriùs. Antequam extremo Viatico muniretur, quatuor Profeſſorum vota nuncupavit, decimo Societatis initæ Anno expleto: quem 20. Martij mortuum Anno 1662. ætatis 57. frequentiſſima nobilitas, atque conferta vis populi honoravit.

Ex An: dier: Memor: Nadaſi.

P. JOANNES YONGUS.



Pater Joannes Tongus natione Hybernus, déq; ſua natione poſt initam Societatem tum domi, tum Romæ optimè meritus. Poſt latinas & græcas literas per plures annos diligenter traditas, præfuit pluribus, ùt vocant, Reſidentijs, ac deinde Hyberniæ miſſioni; ad quam illicò profectus eſt, cùm evocaretur ab ipſo Philoſophici curriculi, cui docendo ſe præparabat, veſtibulo. Novitios quoque ibidem, ac poſt ea



P. Ioannes Yongus, Soc: Iesu, Hibernus; inter gravissimas persecutiones in Missionib, per Hiberniam, annis facilè 30. versat,: etiam Molitoris habitu farinam deportantis, in domos Catholicorum penetrabat. Vitam posuit Romæ 13. Iulij, 1664. ætatis 75.

188.

ea Patres tertiæ Probationis in Romana Provincia instituit, verbo, ac exemplo, veluti ambabus manibus mutuò se se juvantibus. Denique post annos facilè triginta in Missione ardua variè exantlatos, Romæ per octo annos Rector præfuit Collegio Hybernorum, optimo semper exemplo.

Legum nostrarum jam indè à tyrocinio usque in senectam, & senium fuit mirabili accuratione observans; nè in legem illam quâ jubetur quilibet ejus, in qua versatur, regionis, lingvam ediscere, peccaret, in tyrocinio, facultate ad id ritè obtentâ, voto promisit, se latinè non locuturum. Etiam per sex illos menses quibus ultimùm æger decubuit, ut legi regulas singulis mensibus legere vel audire imperanti pareret, nullum mensem omisit, quin legentem quempiam audiret Regulas communes, Sacerdotum atque Rectoris. Si quid agendum esset, ante omnia legebat Regulas, quæ ad rem aggrediendam pertinere videbantur. Vestes illius locupletes fuêre testes positæ ob omnium oculos paupertatis, quæ in illo splendebat, cum pura quadam luce maturæ perpetuæque modestiæ. Nè in legum accuratione elangvesceret, admirabili ei stimulo fuit, id quod Lovanij contigit. Constituerat ille, cùm Theologiæ studia inchoaret, ut ad illa esset magìs expeditus, de tanto illo regularum observandarũ rigore, Confessario etiam annuente, nonnihil remittere, cùm ecce in triduo Renovationis votorum vidit in suo cubiculo parietes, ac omnia, & particulatim etiam regularum libellum, lurido colore mucescere: cúmque attonitus mucorem è regularum pa-

gel-


gellis vellet, nec posset abstergere, ideóque folium è libello evellere, sangvinem indè erumpentem vidit: ac se moneri ratus, decrevit ad amussim summâ contentione servare quicquid ullo regulæ cujuscunque apice continetur; nullo studiorum alióve obtentu ab ea mente abducendus.

Dicente quopiam, difficilem, & Metaphysicæ speculationi quàm praxi propiorem videri legem illam, quâ sancitur, ut majus ac impensius studium cujusque sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem, respondit ille: Sanctionem illam non esse speculativam tantùm, sed verè posse executioni mandari: neque meminisse se illam unquam fuisse transgressum.

In Hybernia inter tot Missionis labores, duas quotidie horas dabat manè orationi quæ mente peragitur; quam sæpe de CHRISTI cruciatibus instituebat, plenam dulcium lachrymarum, quibus persæpe se in oratione perfusum testis est in gemino suo libello, in quem retulit arcanos suos sensus, quos in oratione de cælo hauriebat. Indè illi per triginta annos ad concionem dicenti efficax ad persvadendum nervus; Corcagiæ potissimùm: ubi permolesta, sed longè utilissima adolescentum institutio plurimùm debuit Patri Yongo; & nobilis illa civitas ab illo in fide firmata, magna dedit documenta constantiæ cum heroicis illis Ecclesiæ temporibus conferendæ. Ibidem cùm lues in secretissimo ergastulo grassaretur, humi prostratus inter illa cadavera potiùs quàm corpora ægros expiabat pœnitentiæ Sacramento. Ibidem ut Catholicis adesse posset flagrante quàm maximè incendio persecutionis, molitoris personâ tectus, ad eorum domos cum equis & saccis penetrabat, & vigiles hæreticorum oculos eludebat. Ibidem Anglum hæreticum ægrum sæpius invisit, juvit, solatus, ac demùm lucratus est, & ille Sacramentis munitus, uno alteróve pòst die de vita migravit. Infantem vix natum baptizavit, sinè baptismo aliàs moriturum: id quod Joanni magno solatio, & in arduis quibusdam rebus illi suo parvulo commendatis, cùm aliàs, tum illâ ipsâ nocte, præsentissimo auxilio fuit, ùt ipse postea testabatur. Corcagia denique ab ore illius pendebat, & si quem abusum tolli vellet Joannes, efficacitate suâ id pervincebat. Romæ in Collegio Hibernorum, pios illos adolescentes ad insignem DEIparæ cultum excitare conabatur: & in morem induxit, ut quolibet die Sabbati exemplum unum narretur de Beata Virgine, tempore recreationis. Ajunt, illam ei aliquando exercitiorum tempore se dedisse spectandam: de quo tamen certiora expecto. In morbo SS. Eucharistiâ reficiebatur quotidie, quâ ultimùm perceptâ, & Oleo sancto unctus, ad Sanctissimum JESU Nomen manus bis elevavit, & expiravit Romæ: ac Superiorũ jussu in loculo ligneo præter consvetum aliàs morem; & in Collegij Romani triclinio funebri laudatione, demum incisâ quoque æri effigie honoratus est, Vir dignus, qui vivat in omnium imitatione. Perfertur ad nos ex Hybernia, id quod magnus quidam Catholici illius Regni Dynasta, Vir omni fide longè dignissimus affirmavit. Ait ille; se, cùm quodam die manè Patrem Joannem in Hibernia tunc agentem invisisset, pulsatóque sæpiùs cubiculi ostio nihil responsi acciperet, pro veteri sua cum eo familiaritate ingressum, & repertum à se Patrem Joannem positis humi genibus orantem, cælesti lumine circumfusum, cum Angelo, qui oranti adstabat. Alius dixit; eum à terra visum in altum elevatum cùm oraret. Etiam fæmina quædam de se fassa est, sibi peccatum quoddam tacere in Confessione volenti, à Patre Joanne illud, quod, & quale esset, disertè fuisse dictum, & fuisse peccatum cogitationis, neque alio modo, quàm divinitùs innotescere potuisse.

Parvulum quendam, hominis hæretici ac obstinati filium, cùm pro mortuo haberetur, P. Joannes mortuum non credebat, sed præstolabatur orans, dum ederet aliquod signum vitæ: quo edito, paratâ ad id aquâ eum illico baptizavit, & cùm ille confestim è vita migrâsset, per innocentem illam animam rogavit P. Joannes DEUM, ut obstinati illius hæretici cor domaret, ac flecteret. Mirum dictu! Postridie manè, Vir ille hactenus pervicax ad Patrem Joannem ultrò adijt: ac instructus Ecclesiæ Catholicæ se adjunxit.

Ex Anno dierum Memorabilium Nadasi.





P. Andreas Nigrinus Soc: Iesu, Silesius; ad extirpandā per Boëmiam hæresin cum alÿs aliquot à Ferdinando III. petitis electus Missionarius; et Oppaviæ Urbe Silesiæ inter non pauca hominum millia peste enecta constans Operarius: ibidem Suecico Marte afflictis unicum solatium; carcere detentis refugium; ægris auxilium fuit. Obÿt Oppaviæ 1665. 25. Nov: æt: 64. 189.

P. ANDREAS NIGRINUS.

POst exactos peregrinationis vitæ suæ annos 64. plenus dierum & meritorum beatam, ùt speramus, patriam attigit Pater Andreas Nigrinus anno post partum Virgineum 1665. 25. Novembris Oppaviæ, Silesiorum Urbe in Domino defunctus. Vivere is cœpit anno currentis sæculi primo, mense Novembri, Superioris Glogoviæ in Silesia honestis atque opulentis parentibus oriundus, optimam & potissimam ætatis partem, annos videlicet 45. Apostolicis pro DEI gloria proximíque salute laboribus impigrè in Societate impendit, ejusdem Societatis 4. Votorum professis 1638. 1. Novem: adscriptus. Eximia jam in puero relucebat indoles & maturæ olim virtuti, datis adhuc in tenera ætate speciminibus, præludebat. Quæ olim Admodum Reverendo Patri Nostro Mutio Vitellesco visa Scholasticorum nostrorum in publicum prodeuntium modestia, Societatis ineundæ animum injecit; eadem in Tironibus Brunensibus sæpius à Patre Andrea studiosè observata, sic ejus animum occupavit; ut terrestres in illis Angelos videre sibi visus, in Societatis cælo illis aggregari unicè desideraret. Hujus pij desiderij cùm Sanctissimam Virginem in summa Brunensis templi ara vene-

nerationi expositam faceret consciam, & quò faciliùs voti compos fieret, ejusdem sibi favorem recitatis sanctæ Brigittæ oratiunculis, aliísque in duas etiam horas protractis sæpius precibus devinciret, visa est Mater boni consilij, non tantùm pijs sui clientis desiderijs annuere; verùm etiam ijsdem penè vocibus Andream nostrum, quibus olim Beatum Aloysium, ad Societatem invitare. Id certum; tantum eas voces, seu veræ, seu credulo amanti visæ fuerint, apud Andream nostrum pondus obtinuisse; ut ex hoc momento Vocationis suæ amore vitam in aperta etiam discrimina conjicere non dubitaverit. Patuit id, quando Anno 1619. quo Societas Brunâ exulare jussa, & incendij (quod sub ipsum Sociorum exitum in domo, prædio Collegij contigua, exortum fuerat) accusata, gravissimis insuper calumnijs militum, Socios insequentiũ furore ac rabie impetita fuit. Hìc enimverò Andreas noster individuum se Patribus nostris, Fratribúsque comitem adjungere, ab eorum latere, quæcunque sors Socios maneret, nusquam discedere, sparsa in illos convicia sibi arrogare, cum ijsdem in sacram Turzanensis Thaumaturgæ ædem se recipere, ad fatalem ictum pari cum socijs alacritate comparere, & expiatâ priùs ad sacrum Tribunal conscientiâ inter ardentissimos affectus mortem à furiosis militibus inferendam præstolari. Imò & Socios iterum Brunam, quasi ad dicendam causam retractos, comitari; utriusque tunc Societatis tam in cælo triumphantis per gloriosæ spem mortis, quàm adhuc militantis in terra per ardens vitæ Religiosæ desiderium Candidatus. Crevit adversâ illâ tempestate vocationis amor in Andrea adeò, ut redux Brunam, oblatam opimam conditionem spreverit, patriam, Parentes, spes & res deseruerit, spretísque eorum, qui Patribus nostris tunc malè ominabantur, consilijs, Viennam se cum ijs contulerit, ardentibus semper desiderijs metam votorum suorum anhelans. Nec videbatur tam probata & sinistris casibus multùm exercita virtus ulteriùs differenda. Quare ipso Anno 1620. licèt belli calamitatibus turbatissimo, in Styriam missus est, atque ad Religiosæ vitæ fundamenta jacienda in tirocinium receptus 24. Novembris. Factus jam voti compos, hoc suæ in Societatem admissionis beneficium quoad vixit, tanti fecit, quanti salutem suam. Hinc ubi fortè de dimisso aliquo inaudiret, altùm ingemiscens, se ipsum alloquebatur: Andrea, si tu Societatem deseras, procerto habe, esse te reprobatum à DEO. Hujus ergo beneficijs gratam in quotidianis sacrificijs atque examinibus recolebat memoriam; anniversarium verò vocationis, quà privatis, quà publicis, solidæ pietatis & mortificationis exercitijs reddebat solenniorem. Imò mori citiùs noluit, nisì priùs universæ Societati, tanquam charissimæ Matri, pro collatis in se beneficijs gratus filius, lachrymis & intermortuis vocibus uberes gratias retulisset. Pacatis interea nonnihil belli & hæresis tumultibus, ex Styria Pragam missus ibidem 1622. 25. Novembris totum se se DEO per Religiosa vota consecravit. Scholasticus, quàm puram & ab ijs, quæ se scientijs facilè immiscent, gloriæ cupiditatibus alienam in studijs intentionem habuerit, illud argumento sit, quòd solius obedientiæ nutu literas tractare videretur, paratus sive altioribus studijs à Superioribus admoveri, sive ab eis amoveri. Gravissimum duobus cum dimidio annis defluxum in oculis, cùm Philosophiæ daret operam, passus; ipse ultrò à studijs iteratò petijt amoveri. Quod cùm Superiores ob ea, quæ in illo non vulgaria suspiciebant talenta, negarent; ipse licèt ægris oculis, parendi tamen studio, totum se Philosophiæ impendit. Visus est DEUS hanc parendi promptitudinem, animæque ad quævis mandata facilitatem prodigio comprobâsse. Nam cùm Mappam, in qua CHRISTUS ultimùm cum Discipulis cænavit, in Metropolitana Pragensi Ecclesia quotannis publicæ venerationi exponi solitam, ipse quoque reverenti osculo honorâsset; & quò studijs ab obedientia imperatis vacare meliùs posset, mixtas cum precibus lachrymas profudisset; simúlque sacrâ mappâ affectos oculos conceptâ sanitatis spe abstersisset; omnem simul noxij humoris destillationem ab oculis feliciter abstersit. Missus deinde in Hispaniã socius Sacerdotis Nostri, qui Legato Cæsareo erat à Confessionibus; per viam, ac deinceps, mediastini instar, eidem magnâ humilitate inservivit, obsequia omnia, quæ etiam Coadjutores fastidirent obeundo. Redux rursus in secundo Theologiæ anno, quòd scientiæ satis pro instructione rudium se comparâsse putaret, sperarétque se multarum linguarum, quas egregiè callebat beneficio, simpliciori plebeculæ multùm prodesse posse, manumitti à studijs petijt, nec impetravit. Sacris initiatus ipso sanctissimæ Triados festo primam DEO Hostiam Olomucij 1633. litavit. Illico in Vineam Domini gnavus operarius evocatus; & mandato Ferdinandi III.

Augustissimæ memoriæ in Trebonense Dominium in Boëmiam missus, quatuordecim pagos sic excoluit, ut nutantes in veræ Fidei proposito plurimos confirmaret, maximam verò heterodoxorum partem Catholicè credere persvaderet. Hic tam fructuosè collocatâ operâ, eodem adhuc anno ad alibi locandam videlicet Rubram Lhotam & Desnam in Boëmia destinatus; ibi extirpatâ hæresi, abrogatis nefarijs abusibus, introductis sacris Ecclesiæ ritibus aliísque pro Ecclesia laudabiliter gestis, illustri suo exemplo docuit plus unum è strenuis operarijs etiam brevi temporis morâ posse, quàm mille ignavos & laborum impatientes. Perpetuam sibi apud Desnenses memoriam conciliavit, quod Domino loci author fuerit, ut fontem, qui aquas DEI beneficio infirmis salutares propinabat, novo Sancti Joannis sacello includeret; quod Pater Andreas potestate ab Eminentissimo Cardinali accepta benedixit, etiamnum incolarum devotione & advenarum frequentiâ, nec non gratijs ac beneficijs divinis celebre. Iisdem Desnensibus lapillum Foyensem ab abitu suo reliquit, quo illi in potum imerso etiamnum diversis morbis, præsertim febribus, medentur.

Præ omnibus tamen illi Oppavia Silesiorum spectabilis Urbs, Apostolicarum virtutum palæstra & fertilis Evangelicorum manipulorum ager semper extitit. Hic ille quanta tulit fecítque, quantum sudavit & alsit! Post infelix Cæsari ad Svidnicium prælium, Oppaviam quoque Svedicus miles obsedit & expugnavit. Alijs Socijs ad tutiora se se recipientibus, periculosa in statione ut sibi manere liceret, à Superiore exoravit. Patibulum, quod illi Svedicus Generalis Ericus Schlangius sæpius minabatur, tantum abest ut timuerit; ut etiam in eo pro afferendæ Fidei causâ emori, publicâ ad populum dictione se unicè desiderare promulgârit. Cura & solicitudo, consilia & auxilia, quibus eo in statu afflictos & gravissimâ exactione oppressos cives recreavit, ipsos hostes in admirationem rapuerunt, qui novum in Patre Andrea Paulinum factum, pro captivis civibus obsidem suspexerunt, palámque edixerunt, nunquam Pastoribus suis tantùm pro tuendo grege sup solicitæ charitatis inesse. Post bellum, belli reliquiæ pestifera videlicet lues exhaustam jam priùs urbem, quadrimestri spatio sic afflixit, ut 5000. capitum abstulerit. Hoc in discrimine rursum Pater Andreas heroo animo se Victimam charitatis pro populo obtulit, plurimísque qui à suis etiam deserebantur, corporis pariter & animæ opem attulit. Et quia ipse loci Decanus contagiosum morbum contraxit, tota moles Patri Andreæ & Socij humeris incumbebat. Ille igitur Sacramenta administrare, ægros invisere, desertos solari, pharmaca procurare, depositos ad beatum agonem disponere, mortuos sepelire, ut instar prodigij esset, tot inter pericula, non eum quoque pestifera lue correptum, interijsse. In sacris tribunalibus etiam cùm malè haberet, assiduus, eâ prudentiâ dexteritatéque pœnitentium conscientias regebat; ut à compluribus levcis dissitæ illustres personæ, eùm conscientiæ suæ arbitrium eligerent, & hac de causa quotannis aliquoties convenirent. Ipsa mater speciali in filium affectu & confidentiâ, totius vitæ arcana, Patri Andreæ auribus concredidit in sacro Pœnitentiæ Tribunali.

Ex Provinciali Congregatione Pragensi redux, in itinere illustrem quandam matronam sibi olim notam, in multos annos confessionem & pœnitudinem differentem docuit in tempore pœnitere, eámque magno utriusque solatio absolvit. Ad Kuttenbergensis Collegij regimen cùm Oppaviâ Superiorum imperio evocaretur, decem ante abitum diebus tantâ illius confessionale obsidebatur frequentiâ, ut Paschatis aut Jubilæi tempore majori non posset.

Jam pro sacris rostris ad concionem quo fervore dixerit, testabantur affatim oculi, qui interdum ardere, facies quæ tota ignescere, caput quod fumare, sudor qui toto corpore adeò copiosè diffluere est solitus; ut testes oculati ex indusio zelosi Oratoris integrum sudoris gloriosi quadrantem Silesitici canthari, ùt vocant, non semel fuisse expressum asseverent. Nec mirum adeò ferventer perorâsse eum qui primo triennio nunquam suggestum conscendit, nisì ferreo ad lumbos cingulo munitus. Hujus zelo eximiæ plurimorum aut ad fidem aut ad frugem meliorem debentur conversiones. Sæpius à suggestu descendentis pedibus advolvebant se se non pauci, qui vehementi sacri Oratoris dictione perculsi inter singultus & lachrymas, vel expiabant conscientias, vel extra sacrum tribunal melioris vitæ spem stipulatâ manu promittebant. Non minùs in privatis alloquijs & congressibus Apostolicus Patris Andreæ zelus enituit, in quibus adeò hominum in animos svaviter, & cùm res exigeret, fortiter se insinuabat; ut obstinata

nata etiam pectora illius in agendo ſvavi fortitudini cederent, ſanctiores verò animæ illius alloquio non mediocriter in ſpiritu proficerent. Nobilem Turcam apud Illuſtriſſimum Dominum Oſvaldum de Lichtenſtein Ordinis Teutonici Equitem crebriori alloquio ad Chriſtiana ſacra amplectenda induxit, & per quatuordecim hebdomadas de myſterijs noſtræ Religionis probè inſtructum Freidenthalij in conferta Illuſtrium ac nobilium corona ſacris undis abluit. Eadem dexteritate nefarium quendam avitæ Religionis deſertorem, & factum apud Acatholicos Prædicantem, poſtquàm triginta annis per Boëmiam & Sileſiam plurimas animas ſeduxiſſet, rurſus veræ Eccleſiæ aggregavit, & ad abjurandam hæreſim palàm Oppaviæ in templo Sancti Georgij induxit. Virum, licèt diu reluctata, tandem ſecuta eſt uxor, quæ cùm fortè acum manu tenens eam reſpirando ſic attraxiſſet; ut evelli ampliùs non poſſet, hortatu Patris ad Beatiſſimæ Virginis opem confugit, cui ſtrophium acu pictùm cùm propoſito ſuſcipiendæ veræ Fidei obtulit, & mox acu cum copioſo ſangvine è naribus ejectâ Catholicè credidit. Hanc in converſando gratiam mirè commendavit charitas, quâ Pater Andreas omnes quaſi in viſceribus CHRISTI complexus prodeſſe cunctis, nocere nemini ſtudebat. Experti ſunt hanc præſertim ægri, carceribus mancipati, ad ultimum ſupplicium condemnati, orphani, pauperes, & vel maximè ij, quos aut pudor, aut fractæ ſenio vires ſtipem colligere vetabant. Ipſis hoſtibus Patris charitas in pretio fuit.

Recuperatâ à Cæſareo milite Oppaviâ, 130. Svedici captivi in vincula compacti magnâ victûs aliarúmque rerum neceſſariarum penuriâ laborabant. His ut Patris charitas ſubveniret, corrogatâ eleemoſynâ, ſaucios à vulneribus ſanari, debibes refici, famelicos per quinque hebdomadas paſci fecit, aliáſque eorum penurias ſic relevavit, ut captivi ſanctè aſſeverârint ſe eximiam Patris charitatem, ubi libertate donati fuerint, apud ſupremum belli Svedici Præfectum miris laudibus celebraturos. Exſolviſſe milites promiſſi fidē hinc licuit colligere, quòd per captivos Oppavienſes Cives, humaniſſimas Patri gratias referri Generalis Dux Leonardus Dorſtenſonius voluerit, omnémque Patri, & alijs de Societate, ſi caperentur, immunitatem promiſerit, & lytrum inſuper à Religioſis omnibus Oppaviæ pendendum, condonârit.

Neſcit anguſtias vera charitas: non tantùm ad vivos, ſed & ad mortuos, extendit Pater Andreas ſuæ ſpatia charitatis. Egentiorum cadavera, ut decenter loculis impoſita terræ mandarentur, ſategit in ſuſpenſis octo Svedicis, quibus ille ad mortem comes & hortator fuit. Cùm jam per hebdomadas aliquot penderent, nec adhuc, ſic volentibus Cæſareis Colonellis, è furca deponendi eſſent; Pater metuens, nè vel vicina Civitas corrupto à Cadaveribus aëre inficeretur; vel mali milites, pendulorum membris ad magias abuterentur; effecit ut tandem è furca deponerentur, & à carnifice oblatis in pretium laboris aliquot aureis, ſepelirentur. Ampliùs defunctorum animabus profuit, pro quibus ille frequens hoſtiam propitiatoriam DEO obtulit, & quò eas piacularibus pœnis, vel penitus eximeret, vel pœnarum ſaltèm acerbitatem imminueret, in ſe ipſum varijs afflictationibus ſanctè crudelis deſævijt.

Nunquam Regina Virtutum Charitas, ſinè aliarum ſatellitio & conſortio comparet. Humilitas Patris ut maximè latere voluerit, manifeſtis tamen indicijs ſe prodidit, cùm ſui confundendi ſtudio nævos ſuos in Triclinio, non ſinè lachrymis ſæpius evulgavit; cùm abſoluto regimine ſe tanquam malè adminiſtrati officij reum arguit, & publicâ eáque acri diverberatione caſtigavit; cùm ante mortem ſupplex veniam ab omnibus rogavit; cùm in publicis ad Sanctam Annam ſupplicationibus ipſe Vexillum magnum per Oppaviam & viciniam præferre non erubuit. Magnâ præterea in adverſis & repentinis caſibus in DEUM erat fiduciâ, animóque ſemper erecto. Quæ ad DEI cultum & pietatis augmentum facerent, ſedulò procurabat. Decorem Domûs DEI in tantum dilexit, ut argentea templi Oppaveni ſupellex, & præcipua Sacerdotum apparamenta, illius induſtrijs debeantur, in quibus procurandis miram DEI ſæpe expertus eſt Providentiam, cùm diceret ſe ipſum neſcire, unde pecuniæ & neceſſarij pro rebus ſacris ſumptus ſuppeterent. Præcipua pietatis in populo Oppavienſi augendæ exercitia vel ipſe inſtituit, vel antehac rectè inſtituta mirum in modum promovit. Anno 1648. pro neceſſitatibus publicis Glogoviam Superiorem ad Lauretanam ædem ſupplicationem inſtituit, ſecúmq; potiſſimam urbis partem traxit: eodem anno ad montem Calvariæ in Polonia facilè cùm 200. jam ſenio gravis, dux ſacri agminis pedes præivit, eo ſucceſſu ut in-

pere-

peregrinatione illa Herula octennis Comitissæ de Guttenstein, & Colonelli de Wallis Filia crescentem strumam amiserit. Generosus verò Dominus Joannes Meltzer à Medicis jam depositus, pristinæ sanitati fuerit restitutus. Ab hac peregrinatione redux, cùm transiret Cracoviam, impetratâ facultate peregrinos suos in templo Domûs nostræ professæ adhortandi, id non tantùm Polonorum accursu, sed & ipsius Episcopi præsentiâ perfecit. Aliàs ferè quotannis ad Sanctam Annam populum eduxit, atque ad viarum tædia levanda, varijs pietatis exercitijs recreavit. Quotannis quoque ad montem Oliveti prope Strambergam supplicationem comitabatur; ubi plurimorum Walachorum ad eum accurrentium Confessiones totis noctibus expiabat. Sanctissimæ Triados eximius cultor, semper ejus auditum Nomen humili inclinatione capitis est veneratus, séque eo die, quo Ecclesia hoc Mysterium recolit, primam DEO litâsse hostiam auditus est gloriari. CHRISTO Eucharistico impensè addictus, Octavam Corporis CHRISTI solenniter in templo nostro celebrandam instituit. Missæ Sacrificium magno affectu & reverentiâ semper legit, interdum etiam præ affectûs exuberantia, inter sacrificandum pijs colliquescere lachrymis est visus. Ab uno nostro & externis aliquot, cùm hostiam sacram de more elevaret, visus est humanâ specie augustior in hostia latere infantulus. Tempore obsidionis Svedicæ quotidie exposito Venerabili Sacramento afflictissimum populum Germanicè & Moravicè ad placandam DEI vindicis iram est adhortatus; è cathedra descendens Litanias de Nomine JESU præorabat; populo magìs singultibus & lacrymis, quàm vocibus respondente. Idem cùm urbe jam captâ aliquamdiu fecisset, tandem è templo expulsus, facere id deinceps, vetante Generali Schlangio, est prohibitus. Visus est DEUS his Religionis obsequijs placari, siquidem non multò pòst urbe per Archiducem Leopoldum receptâ, hostis in fugam est compulsus.

Cùm exorto ad S. Wenceslai Oppaviæ incendio, totam latè viciniam flamma corripuisset, jámque octodecim domos depopulata fuisset, ut proximum Parochiali Templo periculum timeretur; accurrit Pater Andreas, fusísque coram Venerabili ardentibus suspirijs, sacrum ferculum è templo elatum circumferens, datâ benedictione, non tantùm à templo, sed etiam urbe reliqua incendium arcuit: exinde Cives repentè exstincto incendio, grates cum lachrymis retulerunt.

In DEI, MARIÆque Filium qui tam pius fuit, non potuit non esse totus quoq; MARIÆ. Ejus honori congregatos Cœtus in diversis locis, magno Mariani cultûs incremento rexit. Moravicum Oppaviæ ipse erexit, atque ad comparandam Marianæ Reipublicæ necessariam supellectilem, aliquot florenorum centurias expendit. Ut latiùs Reginæ Cælorum devotus cliens serviret, pluribus Sodalium Albis in diversis Provincijs nomen suum inseruit. Ad aram illius quoties sacrificaret, tanquam Filius cum Matre svavissimè deliciabatur. In monte Serrato, dum in Hispania, ageret, præmissa vitæ totius Exomologesi exemplo sancti Patris Ignatij totum se se eidem Virgini devovit & mancipavit. Hinc mirum non est quòd maternam Virginis opem tam bonus Filius sæpiùs sit expertus, præsertim in Hispanico itinere, cùm per Lombardiam ad ripam Padi fluvij, si unicum adhuc pedem equus movisset, fluctibus hauriendus fuisset. Sed nimirum manifesto hoc discrimine Patrem illa eripuit, de qua sumpto ex *Salve Regina* piæ commentationis argumento tunc meditabatur.

Primores nostros Patres Sanctos Ignatium & Franciscum Xaverium magno semper amore & veneratione est prosecutus. In maximi beneficij loco reponebat, quòd natalem domum Sancti Patris Ignatij, & Sancti Francisci; itémque montem Serratum, ubi Sanctioris vitæ fundamina jecerat; Compluti habitaculum, in quo studuerat; domum Nobilis temerè Ignatium ignibus adjudicantis combustam vidisset; dicebátque se visis Sanctorum Patrum Nostrorum sacris vestigijs sat grande operæ & susceptorum itinerum pretium retulisse. Erga reliquos Sanctos cælíque indigenas quâ observantiâ fuerit, id argumento sit, quòd Litanias eorum honori recitari quotidie solitas, semper compositis ad pectus manibus recitârit, atque hac precandi ratione ità sibi Sanctos devinxerit, ut eorum patrocinijs se à chiragra, cui eum aliàs obnoxium carnei in digitis noduli & Medicorum judicia prodebant, præservatum affirmârit.

Clausit tam præclaram vitam mors tantis laboribus digna, quam ipse licèt adhuc nullis morbi indicijs, sibi paulò pòst obventuram, sæpiùs prædixit; & quam lumen in cubiculo, dum decumberet graviùs, in corona omnium repentè extinctum non obscurè significavit. Desideravit tamen vitam eò usq; sibi

ſibi prorogari, dum argentea Crux, quam templo comparabat, perficeretur; eam cùm perfectam intellexit, jam libenter, inquiebat, *Andreas cum Cruce moriar.* Ipſe ad ſupremam luctam ſe ungi ſolicitè expetivit, animam verò ut puriorem Conditori redderet, ter ante mortem de tota vita confeſſus expiavit. Ad hæc, ut paulò pòſt rationem cum cæleſti Patrefamilias poſiturus, pro fideli ſervo & ſtrenuo operario agnoſceretur, triduo ante obitum cilicio lumbos præcinxit, quaſi dolorum ex invaletudine non ſatis haberet. Convocatis demum, cùm mors inſtaret vicinior, Patribus ac Fratribus omnibus, ſuum agonem eorum precibus commendans, ipſe mortem magìs in ſella, quàm in lecto opperiebatur, quaſi non deceret in lecto jacentem emori, qui reliquam vitam omnem Apoſtolicis laboribus impendiſſet. Sub horam tandem veſpertinam ad denarium ſtrenui operarij accipiendum evocatus, eodem die anniverſario mortuus eſt Oppaviæ, quo ante 43. annos in Societate nuncupatis votis religioſè DEO vivere cœpit. Parentatum eſt defuncto non Oppaviæ tantùm, ſed in compluribus vicinis urbibus, & paræcijs; qui quòd Patrem Andream Apoſtolum Oppavienſem in mortali carne non ampliùs eſſent viſuri, eo luctu illius obitum proſecuti ſunt, quo olim Paulum illi dolentes quòd faciem ejus non eſſent ampliùs viſuri.

Ex ejus Elogio & Annalibus Provinciæ Boëmiæ Societatis JESU.

P. FRANCISCUS ANNA Beauuau (Bouò)



EDitus in lucem eſt Franciſcus nobiliſſimâ in Lotharingia familiâ, ſangvine Chriſtianiſſimos Reges per Borbonios Duces attingente Anno 1617. die 26. Auguſti in Caſtello di Novian, Patre Joanne di Beauuau, cognominato Marchione di Novian, cùm Fratrum alter diceretur de Fleville, & tertius de Tremblecourt: Matre verò Antoniettâ, filia D. di Commercì de Urre. Poſt ſterile annis 11. matrimonium, multis à DEO votis filium hunc unicum per Sancti Franciſci de Paula merita obtinuêre, Franciſcum ab eodem, & Annam ex ſpeciali erga illam affectu, nominatum, & ſeptennium illius habitu indutum. Humanioribus literis primùm, tum Philoſophicis, unáque militaribus & Nobilium exercitijs excultus Pariſijs, animum applicuit probandæ militiæ, adhæſítque Comiti famoſo di Fontenè Cognato ſuo, militari in Belgio Duci. Sed brevì in graviſſimam collapſus Bruxellis ægritudinem, generali totius vitæ exomologeſi ad mortem ſanctè obeundam ſe diſpoſuit: cujus efficax propoſitum in animo illius etiam ſanitati jam redditi tantùm potuit, ut ab impudica Domicella ad crimen tentatus, velut alter Joſeph ex ejus manibus fugâ ſe proripuerit. Defuncto interim Parente, & Dominijs ſui ſtatûs in fiſcum abreptis, ex eo quòd Bruxellas ad hoſtes Gallicæ Coronæ transîſſet, coactus eſt ad ea recuperanda & conſolandam Matrem redire in Lotharingiam. Ejus conſilio ſtabiliendæ & propagandæ familiæ matrimonium inijt cum filia Bernandi de Ragecurt, Generalis rei tormentariæ Lotharingicæ Præfecti, cùm eſſet 20. annorum, ſponſa verò annorum 15. omnibus virtutibus ornatiſſima; ut ſemper DEO infinitè ſe obligatum agnoſceret Franciſcus, quòd talis ſibi Conjunx obveniſſet. Aulam inſtituit utì omni civilitate & elegantiâ, itàPietate & honeſtate conſpicuam; Marchio ipſe mirè delectatus, uſque ad aliquem exceſſum ſplendore & formâ conclavium, veſtium, menſæ, familiæ, rerúmque aliarum omnium, ut nihil videri poſſet ornatius magíſque politum: Marchioniſſa verò parum his addicta, tota erat in lectione & volutatione librorum, maximè qui pietatem docerent, ut mirè doleret jacturam temporis, quod veſtiendo ornandóque corpori impendere cogebatur. Quanquam & Marchio multùm oblectabatur lectione hiſtoricorum, ac præcipuè eruditis diſcurſibus: venatui, jocis, luſibus, potationibus nunquam deditus. Accidit tamen aliquando, ut ad ſui ſtatûs conſervanda municipia coactus accipere militare ab vicino exercitu Imperij præſidium, ſemel aliquem in potu exceſſum in gratiam hoſpitum admiſerit, unde capite turbato periculum grave casûs ab equo in flumen ſubijt. Tantus autē fœditatis iſtius horror & pœnitudo illum accepit, ut omni deinceps vini uſu in perpetuū ſibi interdixerit, licèt nec aliàs præterquam aquâ dilutum adhiberet. Ità jam tum Divina Providen-



P. Franciscus Anna Beauvau, S.I. è Regum Galliæ sanguine Lotharingus; Conjuge cum amplissimis fortunis relictâ, filium primogenitum et seipsum Deo consecrat, laboribus Missionum inter ruricolas imortuus Divione 23 Maij 1669. Ætat: 52.

190.

dentia per heroicos actus illum disponebat ad facinus summè arduum, cujus adhuc nulla cogitatio animum subibat. Atq; hanc juvabat & ipse vitâ inculpatâ, ut nullius unquam vitij aut gravis peccati notari potuerit: menstruâ consvetudine adeundi Sanctissima Sacramenta, & peculiari ac tenerrimo in cultum Sanctissimæ Virginis affectu: licèt multis inter hæc vanitatibus subjiceretur, ambitioni, superfluæ conversationi, immoderato cultui corporis, & prensandis omnibus ejus commodis. Unum tamen evenit, quo totum ordinem Divinæ circa illum dispositionis everti natum erat, dum postulanti seriùs quàm ut concedi posset, unum è Patribus ex Collegio Pontamossón, habendæ in suo Castro Novian per quædam festa concioni, denegatus est, quòd jam singuli alijs ex Nobilitate Competitoribus fuissent adpromissi. Sensit eam repulsam, contemptum sui interpretatus, acerbiùs quàm credi posset: & flammam igni addidit quidam è certa Religione Societati perinfensus, exhibitis ad legendum infamibus aliquot contra illam scriptis: ex quibus tantùm odium Societatis concepit, ut Conjugem ab alloquio Patrum avulsam omni violentiâ contestatus sit, nè unquam alicujus Jesuitæ operâ ad Confessiones, estò morti suæ superstes viveret, uteretur: malléque se utrumque filium videre ad pedes suos concidere exanimes, quàm ab alterutro Ordinem illorum complecti. Interea non longè pòst primogenitus gravi morbo opprimitur, cui applicata Medicorum pharmaca non nisì ad dolores & malum augendum proficiebant: jámque non procul ab ulti-

ultimo aberat discrimine, cùm ei suggerirur à Conjuge, esse in vicino Societatis Collegio Frarrem, medendi arte inter paucos insignem & fortunatum, svadétque evocari. Perinvitus quidem, sed amore primogeniti servandi odium nominis Jesuitici superante, obsequitur: dúmque eâ causâ plusculis diebus retento domi suæ cum Fratre familiariùs agit, & mores rigidus Censor observar, facilè advertit calumnias esse, quæ in famoso scripto legerat, dilurísque falsis impressionibus tantò ardentiore affectu ferri perrexit in eos, quos erroneâ persvasione oderar. Accidit & aliud, quo non parùm DEI Matrísque ejus favores sibi firmâsse videtur. Quo tempore præsidiarij Germani Noviani versabantur, post largiorem compotationem ad lusum consederant; quorum unus novercante fortunâ, omni deperdito peculio in furias & blasphemias solurus, ubi Effigiem DEIparæ muro affixam conspicatur, in eam velut infortunij auctorem effunditur, & post mille injurias etiam ense invadit. Non defuir Cælum arroci facinori in vestigio castigando. corruens siquidem humi toto corpore horrendùm tremere, & occultis convulsionibus exagitatus præ dolore volutari per terram perrexit, quin totis quatuor vel quinque diebus bolus ullus aut pharmacum ori posset ingeri: supervenienre mox Ducis mandato cum reliquo præsidio ad Castra deporrarus: ut nunquam resciri potuerir, quid eo deinceps factum sit. Ad tam atrocem injuriam in sua Effigie Matri DEI resarciendam, svasu PP. Socieratis, voluit Marchio, assenriente Ordinario, solenni totius populi supplicatione illam ex privata Civis domo deferri ad Ecclesiam, publicæ venerationi in Ara exponendam. Sed casúne, an alicujus incuriâ, nemo designatus fuit deportandæ in solenni processu Sacræ Imagini: dúmque omnes hærent, & nemo exequitur aut demandat, sensit Marchio arcano motu vehementer se ad subeundum munus impelli: dúmque nonnihil validè se opponente cum respectu minuendi honoris, & prostituendæ digniraris, luctatur, mox tamen eo generosè proculcato, ipse proprijs manibus sublatam quantâ potuit reverentiâ & devotione, toto supplicationis tempore per compita circumrulit, dum super Ara deponeret. Ab eo die, testabatur ipse persanctè, se peculiares Cæli favores experrum, cœpisse vehemenriùs indies urgeri ad vitam sanctiùs instituendam, & ad apicem Christianæ perfectionis deducendam. Sed in animo alijs penitus planéque oppositis, inter tot delicias & commodorum studia assveto, præter continuam ex pertinaci resistentia luctam, nihil nisì melancholiam, quam dissimulare nequirer, impulsus Cælici procreabant. Donec in spirituali quodam recessu, fortuiro merè casu, nec cogiranti quid agendum susciperer, DEO ità paternè disponente, gratia de natura rriumphavit, & ipse DEO vocanti totum se permisir. Habebat constanrer in more annis singulis, per ultimos Sanctioris hebdomadæ dies, recipere se in Conventum Patrum Carmelirarum Nancæi, idémque Anno 1642. repeciturus equo iter jam iniverat, cùm ad Mosellam delatus, flumen deprehendit solitò magìs aquis tumidum, quàm ut equo rrajici posset. Ergo depositâ eâ cogirarione domum revehitur, & obvium fortè nactus Abbatem amicum suum, itineris suscepri eventum enarrar. Hortatur ille nè idcirco pium morem intermittat, sed eandem animi piè colligendi habiturus commodiratem, ad Collegium Mussipontanum divertat, eosdem dies Exercitijs S. Ignatij impensurus. Magnâ principio repugnantiâ paruit ramen piè consulenti, eúmque fructum ex sanctis illis commentationibus retulir, ur novus homo exiverit.

Itaque domum redux aliam continuò faciem Aulæ suæ induxir, rescissis omnibus quæ dunraxat ad pompam erant & fastum; multa pariror corpori suo subtrahere, nihil superflui indulgere, mensam Dominicam octavo quoque die accedere, Ignatianâ Ascesi quotannis exerceri, meditarioni, examini, spirituali lectioni quotidie certum dare tempus, denique negotia omnia destinaris horis ità tractare, ut nihil unquam de ordine reliquis agendis præfixo turbaretur; cui servando ità constanter inhæsit, ut ex eo die nunquam somnum, quantumcunque hospitum obsequijs in longam sæpe noctem derentus, ulrra quartam matutinam produxerit. Magnam ea tam subita mutatio domesticis omnibus peperit admirationem, cùm & in actionibus verbísque nullus ampliùs notaretur impetus, nulla præter rationem erumperet passio: quin adeò mox à reditu vicinum Nobilem, cum quo illi diuturna fuit simultas, adijr, arque in sinceram amicitiam pellecto non semel asylum in Castro suo Novian, contra milirum per Provinciam grassariones, exhibuit. Omnium maximè Conjunx Marchionissa tam sanctâ Mariti conversatione ad æmularionem provocata, voluit & ipsa tam mirabilem Exercitiorum vim ex-

experiri; ex quorum primo gustatu eam hausit orexin, ut nullo deinceps vitæ suæ anno ijsdem refici intermiserit. Ex quo tempore pari zelo in omni virtutum genere certabant se exercere, & vale in perpetuum dicto omnibus superfluis & curiosis dandis vel recipiendis visitationibus & conventiculis, etiam familiæ numerum, dimissis aliquot ephebis & honorarijs Aulicis, restrinxerunt; in eleemosynas liberaliter profusi, ut pauperibus ægris in proprias ædes receptis de sua mensa cibum creberrimè ministrarent, & & morbis plagísve pharmaca proprijs manibus apponerent, ulcera & saniem detergerent. Omnis cura versabatur in eo, ut nè ab ullo domesticorum offenderetur DEUS; cujus pœna rarò alia fuit, quàm à munere & Aula exauctoratio. Ea denique fuit Aulæ facies sive internam pietatem, sive conjunctam illi spectes externam civilitatem, ut toti Nobilitati proponi posset in exemplar. Neque inter hæc defuêre graves illis persecutiones, & toleranda adversa, quibus suorum fidem experiri amat Divinitas: quin irruptione hostilis militiæ ditio illi aliquando tota vastata fuit: quam licèt ex certis indicijs nosset instinctu primarij cujusdam Ministri evenisse, de quo ultionem sumendi multa illi suppetebant media, DEO nihilominus heroicè totum remisit. Nimirum his veluti experimentis durabatur in eam soliditatem, quæ sufficeret ad Mundum & se ipsum penitus calcandum, Ducémque JESUM per totalem sui abnegationem sequendum, quò illum tandem eidem vocare complacuit, ùt ex sequentibus ipsiusmet verbis annotata confessione patet. *Sabbato*, inquit, *infra Octavam Visitationis Beatæ Virginis Anno 1652. cùm flecterem in Choro templi Societatis JESU Pontamosson, & considerarem Effigiem SS. Ignatij & Xaverij depictam in vexillo è fornice pendulo, sensi repentè intimè mihi inspirari, ut ingrederer Societatem JESU, & me sacrificarem ad serviendum in Missionibus Indiæ Orientalis: cui tamen inspirationi ego nullam causam vel occasionem præbueram. Hic Divinus instinctus, & meus in illum consensus, quantum ego comprehendere possum, fuit in uno eodem instanti: recordor tamen, me tum considerâsse cum quadam reflexione solam vocationem ad Indias; sed ità celeriter & subitò, ut exprimere non possim prout vellem: post quod mea voluntas ità firmiter abrepta fuit & adstricta ad eam cogitationem, ut nunquam deinceps animò evelli potuerit. Tantóque fervore sensi in eam omnia mea transferri desideria, ut viderer mihi plenè Dominium mei ipsius esse consecutus, quò licitè & securè possem facere si non votum, firmum saltèm propositum ingrediendi Societatem, & ad Indos demigrandi, ùt primùm licentia concederetur. Occurrebat quidem tunc, nihil aliud esse quo possem à Charissima mea Conjuge, in qua omnia mea reposita erant desideria, seperari, præter mortem: verùm post atrocem unius & dimidij anni in corde meo pugnam, vim faciente hinc potente DEI inspiratione, indè repugnante affectu erga tam fortunatum Conjugium, DEUS suâ gratiâ mihi sensum aperuit, quâ ratione etiam necdum viduus fieri possem Religiosus. Id lumen tantopere cor mihi recreavit, ut dissimulare lætitiam nec exteriùs possem; duravítque deinceps cum tanta voluntatis in Divinam conformitate, ut remedio esset contra acediam & pusillanimitatem. Sola quin adeò rememoratio quòd è numero Sociorum JESU unus futurus essem, omnem tristitiam, dolorem, & quamvis animi perturbationem serenabat, depellebat &c.*

Post tam heroicam resolutionem non satìs imposterum habuit vivere tanquam bonus Christianus, sed æmulari toto conatu studuit vitæ Religiosæ observantiam, etiam quoad vota religiosa, quantum per status sui conditionem licebat. Toto siquidem affectu à rebus temporalibus avulso, non aliter se earum curæ impendebat, nisì ut prolium suarum Oeconomus, promptissimus quolibet momento, si per Superiores Societatis liceret, omnia relinquere. Quoad Castitatis votum cœpit jam tum tractare cum paris pietatis Conjuge, de perpetua ab usu matrimonij continentia: tantâ utriusque in id propensione, ut voto ad perpetuæ Castitatis observantiam se se obstringere voluerint, nisì Confessarius obstitisset: cùm tamen Marchio id temporis necdum 36. ipsa autem nec 30. ætatis annum complessent. Assensit nihilominus, ut citra obligationem voti, experiundi causâ, id observarent: & cùm uno ampliùs anno inviolatè præstitissent, concessit potestatem voti nuncupandi, sed quo non ultra annum ad continentiam tenerentur: cúmque & sic bene cessisset, in singulos annos idem repeti sinebantur; dum sufficienter ità approbatâ utriusque continentiâ, indultum est paucis ante ingressum Religionis annis, absolutum pariter Votum perpetuæ Castimoniæ emitti. Marchioni verò insuper, cùm justis & prægnantibus ex causis necdum expediret actu Societatem complecti, per ejusdem Superiores licuit præter Votum

ejus

ejus amplectendæ, tria consveta Religionis vota quodam Purificatæ Virginis Matris festo profiteri: *ex quo die*, loquitur ipse in eodem superiore scripto, *audiendo Missam, maximo cordis mei jubilo consecrabam me in holocaustum Domino, intuendo me tanquam victimam illius gloriæ immolandam in Societate, ad quam me admirabilis sua Providentia vocabat. Nec ullum deinceps diem fluxisse memini, quo non vigesies ùt minimum Vota eadem renovâssem, contestando simul promptitudinem meam, ad agendum & subeundum cæcâ & humillimâ obedientiâ, quidquid mihi imponeretur; méque offerendo ad serviendum Societati in vilissimis munijs, cùm in Domo DEI nihil vile esse possit: protestor enim quòd abjectissimum in Societate officium tanti æstimem, ut præ illo totius Mundi Imperium accepturus non essem, si hoc mihi deferretur.* Et hoc quidem jam tunc in praxim deducebat, exactissimam obedientiam suo Spirituali Directori in omnibus exhibendo, ut majorem â Novitio exigere vel sperare non posses. Orationi, mentali præcipuè, senas quotidie de genibus, festis verò & Dominicis octonas, & die Communionis denas impendebat horas coram SS. Sacramento, ad Chori fenestram Aræ majori ex suo Palatio obversam: mox etiam zelum animarum exerciturus, ubi filij è lectulis surrexissent, in rebus Fidei & Pietatis ipse erudiebat: & sub horam à meridie tertiam convocatâ totâ familiâ, Litanias Lauretanas aliásque preces unà decurrebat. Binis quotidie Sacris aderat, Capellani sui & Castri Curati, & quotquot ab advenis creberrimè Ecclesiasticis Religiosísve celebrari contigisset. Denique omnem Domuum Societatis Ordinem, actionum seriem & dispositionem, utriusque Examinis generalis & particularis usum observabat; suis non minùs horis ante & post mensam ad tractanda sæcularia, & Marchionatûs sui negotia ordinatissimè attributis. Nullis delectabatur audiendis sæculi novis, perinde acsi nihil ad se Mundus ultrà spectaret: nisi fortè hospites adessent, erga quos omnem humanitatem & decorem ità exhibebat, ut sui Statûs nemo illi præcellere censeretur. Et quia in cibis ante-hac erat delicatissimus, & nauseæ in viliores aut insipidos tenerrimæ, non nisi plebeis posthac & palato ingratis vescebatur, ut Indicis miserijs genium assvefaceret: per Quadragesimam verò non nisi solis leguminibus vivebat. Cilicium induebat vestis instar toti corpori pungendo, è pilis morsicantibus contextum: cui frequenter addebat aliud è ferro, quatuor aculeatis catenularum ordinibus digestum: & demum nihil quod genio alluberet concedens, quidquid illi è contra molestum & ingratum accideret, avidè consectabatur.

Nemo eâ ætate credebatur illo per Lotharingiam ex Nobilitate in omni fortuna felicior: florentissima & cultissima visebatur Aula; Conjunx Sapientiâ & virtutibus supra sexum conspicua, duo filij, totidémque filiæ, omnes aspectu & formâ perelegantes, nobilissimæ & vivacis indolis: ditio tota populo refertissima, florentior quàm pacis tempore; & Castrum Novián incolis plenum, ob securitatem contra militum incursus, ità ut commune toti viciniæ haberetur asylum: Facultates cuivis ejusdem Statûs & conditionis ad abundantiam pares, nullis debitis aut litibus obnoxiæ. Et tamen hæc omnia pro CHRISTO arbitrabatur mera detrimenta, ut illum lucrifaceret, & vitam cum sangvine in animarum salute inter barbaros procuranda expenderet. Hoc enim unicum illi erat motivum, hæc esca, quâ in nassam vitæ Religiosæ cælitus trahebatur; ità quidem, ut si per se idoneus non foret infidelibus convertendis, saltèm ad famularia præstanda obsequia (nam Sacerdotali muneri nunquam æstimabat se parem) Missionarijs apud Indos deserviret. Sed obstabant complura, quæ tamdiu vota ardentia differri persvadebant: Mater imprimis decrepita Filij unigeniti tenerrimè amans, quam certum videbatur dolore emorituram, si Filium cerneret abdicato Marchionatu pupillas proles deserere. Hoc tamen obstaculum per illius mortem Anno 1660. sublatum est: & relicta lautissima hæreditas, quæ alium sæculo fortiùs alligâsset, ipsi fuit in spei augmentum citæ à Mundo evasionis, ut præ lætitia in literis de hac felicitate ad Confessarium nuncijs exclamaret, *Dirupisti Domine vincula mea! Scribo hæc in aspectu cadaveris defunctæ Matris; venit optatissima hora, ut exequi possim vocationem DEI!* Quin & Filia natu major DEO in Ordine Religioso, à Visitatione DEIparæ nuncupato, consecrata, pauculis annis superstes cum opinione sanctitatis decesserat, etiam à miraculis post obitum celebrata. Filius quoque primogenitus, Josephus, quo anno Aviam à sæculo per mortem evocari contigit, ipse feliciùs in vivis eidem emori elegit, vitæ Religiosæ in Societate Tyrocinium auspicatus Nancæi: tam prono Parentum assensu, ut Mater ultimo amplexu valedicens aliud non commendârit, quàm *vade mi Fili quò te*

DEUS vocat, & connitere ut evadas alter Aloysius Gonzaga! Pater verò ipse apud Provinciæ Præpositum Patrem le Blanc, pro Filio Advocatum egit, & Nancæum ad Noviciatum deduxit: unde rediens ad Divæ Virginis de bono successu divertit, totámque noctem genuflexus in ejus Ecclesia in gratijs DEO reddendis pervigil transegit. Duæ adhuc restabant proles providendæ, nè Matri curæ de ijs accrescerent, cujus assensus in separationem omnimodam necessariò requirebatur. Igitur tentare hunc & apud eam sollicitate placuit per illius Confessarium; quæ ad solam mentionem in amarissimum soluta fletum, totum eum diem, & aliquot in noctem horas in lachrymis consumpsit. Marchio videns incassum omnia solatia ab se adhiberi, *bene video*, inquit, *actum me agere ò Domina, & necesse esse ut ad DEUM recurram, modum lachrymis tuis imponi exoraturus.* & cum dicto strato exiliens, ante SS. Eucharistiam prostratus non diu perstitit, cùm subitò illa omnem ab animo abstergi mœrorem, & liquidissimum subire solatiũ sensit, ut singulari quadam cordis quiete & tranquillitate perfusa, depulso priore muliebri affectu Marchioni profiteretur, nolle se ultrà obstaculo esse sancto illius proposito, cujus unicè DEUM esse auctorem tam patenter experiretur. Ergo jam sui juris undique factus, dum reliquis adhuc rebus, & mille se oggerentibus difficultatibus componendis curas omnes applicat, viribus deficere, pallorem toto vultu induere ità cœpit, ut vix sibi similis de facie agnosceretur. Proinde ad DEI implorandum auxilium conversus, totum Adventum jejunando, peregrinatione etiam ad Sanctum Nicolaum Lotharingiæ Tutelarem additâ, transegit: & velut cælitus accepto lumine, quia necdum plenè Religiosum induere licebat, decrevit bonis omnibus se exuere, & juribus eorum in manus Conjugis & prolium resignatis, modicâ pensione in sui sustentationem reservatâ, in Domum Tyrocinij Societatis Nancæi se recipere, Religiosam vitam in habitu sæculari acturus. Atq; ità 17. Jan. An: 1661. solenni & publicâ Marchionatûs renunciatione factâ, inter suorum & totius Aulæ acerbissimos planctus solus ipse siccis oculis Vale supremum dixit: & nè uno quidem ex famulis ad obsequia retento, ipse sibi servus & mediastinus esse voluit, stratum componendo, everrendo cubiculum &c. tanquam omnium infimus foret & vilissimus. Tanto autem exinde implebatur gaudio, ut brevì pristino recepto colore viribus integrè restitueretur. Miros ea res totâ Lotharingiâ excitavit animorum motus & sermones: qui tamen omnes, ubi constantem in proposito durare patuit, in laudes & encomia, divinæ manus opus agnoscentibus, desierunt. Ad hunc modum aliquot menses probatâ omnibus suâ constantiâ, cùm nihil ampliùs videretur metuendum Patribus ex ejus plena in Societatẽ receptione, significavit illi Provinciæ Præses, si in animum induceret Sacerdotio initiari, sublatum iri omnia impedimenta & oppositiones, quarum intuitu hucusque non licebat illum in Ordinem admitti. Arripuit illico consilium, quamvìs eô gradu indignissimum se reputaret; obtinuítque mox assensum Ordinarij, Andreæ di Sossè Episcopi Tullensis, si modò priùs Marchionissa Conjunx votũ publicè ederet perpetuæ Castitatis. Neque ulla fuit in ipsa tergiversatio, quæ decennio circiter antè privatim id emiserat. Itaque die condicto uterque ad Episcopum convenêre, & Marchio quidem hospitio apud Patres Capuccinos capto, noluit aliter Conjugi, nisì ad januam Cœnobij colloqui. Ubi per Urbem res agenda vulgata est, omnes ad spectaculum tam rari exempli accurrêre, ut multitudinem locus sacer non caperet: Episcopus autem tam excelsæ Nobilitatis par Conjugum ad suos pedes prosterni videns, tot variorum affectuum motibus obrutus est, ut præ lachrymis singultiens nè verbum profari ex ijs, quæ brevissimè prædicenda paraverat, potens fuerit. Sed & Nobilissima quædam persona, luxui eatenus & mundanis deditissima, ità spectaculo commutata est, ut vanitatibus omnibus nuncium è momento remiserit. Ità in Sacerdotem ordinatus die Inventionis Sanctæ Crucis, mox die sequenti Nancæum repetijt, præmissísque sacris Exercitijs primam Missam, nemine ex Cognatis invitato, privatim absolvit, vices omnium supplente Filio suo, & jam etiam Fratre, Josepho, celebranti inserviente. Mirum autem fuit quod eodem Anno 1661. evenit; duo siquidem in Hispania paris Nobilitatis, æquè conjugati, quorum alter fuit Dux de Infantado, eodem prorsus tempore Societatem exambiebant, & dissolutionem Matrimonij sollicitabant.

Novitiatum suum auspicatus est Nancæi 1. Junij ejusdem anni 1661. factus sub eodem CHRISTI vexillo Commilito sui Filij Josephi, quem nunquam scripto dictóve aliter appellabat quàm Fratrem suum, tantâ humilitate, & ejusdem, quia in Religione se-

fenioris, obfervatione, ut in epiftola quadam ad fuum in fpiritu Directorem adhuc fæcularis fcriberet, *ô utinam citò veniat dies, in qua merear tam fortunatus effe, ut ab meo Jofepho inftruar, & me illius obedientiæ fubditum videam!* Poft repetita 15. diebus fancta Exercitia vefte Religiosâ donatus, paucis elapfis diebus poftulatur ad januam domûs à Marchioniffa fua, & filia, cum Comitiffa de Viange; ad quas ità ùt erat ex horti laboribus evocatus, vefte defuper ex nigra rudique tela indutus prodivit, de priftino ornatûs luxu fic triumphaturus. Primis illico diebus tria à Superioribus obtinuit, ut ad hofpitalia pro obfequijs infirmorum ordinarius vifitator defignaretur, ut pueris & mendicis ad januam eleemofynæ causâ ventitantibus Catechefim explicaret, útque viliffimis femper in Tyrocinio munijs & laboribus admoveretur. Fueréq; deinceps illi hæc ferè quotidiana, adeffe Coquo adjutorem, mundare culinam ejúfque fupellectilem, comportare ligna, mendicare per forum & compita onuftum facco vel fportâ &c. quæ ómnia tanta facilitate, fimplicitate, procul omni erubefcentiâ præftabat, quafi ad hæc natus, fempérque in ijs verfatus effet. Quoties in colloquijs adduceretur felicitas Religioforum, nòn fe capiebat præ gaudio & tripudio in ejus bonis enarrandis, ut aliquando exclamaret: *ô nos felices, dum nihil nos amplius remoratur ad deducenda in praxim, atque ad literam obfervanda confilia Evangelica! quæ in feculo non nisi bonâ voluntate & voto defiderari poffunt, in executione autem mille refpectibus honoris, ftatus, Officij. & alijs id genus reflexionibus intervertuntur. modò fi quis me percutiat in dextram maxillam nihil obftat, cur ei non porrigam & finiftram.* Peregrinationis experimentum fubiturus, cum duobus Connovitijs ad Divam de Confolatione propè Lucemburgi portas fitam, in quo folis mendicatò corrogatis eleemofynis vivitur, ipfe fociorum faccos deferendos fibi depofcebat: Ibi cùm fortuitò in quadam Societatis villa propè Verdunum incidiffet in Sacerdotem, quem olim in fua ab Societate gravi averfione per Novian tranfeuntem inhumaniter exceperat; fune collo inferto, & dexterâ Crucifixum præferens ejus cubiculum adijt, & pedibus accidens calcandum fe, & fune illo ftrangulandum obtulit, illatam injuriam cum lachrymis deprecans, eandémque per CHRISTI vulnera fibi condonari depofcens. Evoluto Tyrocinij biennio, quod incredibili Perfectionis defiderio in fummo virtutum & domandæ carnis rigore, ut fræno perpetuò eguerit, tranfegit, exerceri mox poft nuncupata Religiofa vota à DEO cœpit varijs adverfis & morbis. Divionem ad Theologiæ Moralis ftudium, & capiendam Cafuum confcientiæ notitiam miffus, fub ultimum Filij fui Jofephi amplexum veluti vaticinans, *mi chariffime Frater,* ait, *nunquam ampliùs in hac vita conveniemus, voluntariè pro DEO facti tanquam purgamenta hujus Mundi.* Quanquam nec illud à vaticinio abluſiffe creditum fuit, dum Tyronibus peregrinationis focijs non femel cum gemitu & utriufque confternatione prædixit, *Fratres mei, nequaquam omnes nos in Societate perdurabimus!* fiquidem ante Noviciatûs finem ambo ab Religione defecerunt. Iter habuit Divionem primo vere ob altitudinē nivium, & primam earum diffolutionem ærumnofiffimum, ex quo febrem continuam contraxit adeò gravem, ut poft 40. dies ad extrema deduceretur. accefsêre enim dolores vitalium pertinaces, quibus cogebatur diu noctúque ingemifcere: cum fumma totius Collegij fuper invicta ejus patientia admiratione, cùm nihil ex ejus ore audiretur præter DEI laudes & mille benedictiones, finè quavis vel minima querela. Poft novem feptimanas redeunte fenfim valetudine necdum fcholam adire permiffus, adrepebat quotidie Vir tantus & quadragenario major ad ejus feneftram, excepturus Profefforis lectiones, ut quantocyus audiendis Confeffionibus idoneus fieret: nullum enim alium finem ftudijs fuis præfigebat, quàm aptum DEO reddi inftrumentum juvandis proximis. Cafibus auditis juffus eft operam dare in compendio faltèm percipiendæ Theologiæ Scholafticæ, in cujus fubtilitatibus penetrandis ex defectu fcientiæ Philofophicæ, à tot annis fuperficietenus tantùm auditæ, eftò videret actum pænè fe agere, progrediebatur tamen ex amore folius Obedientiæ omni ftudio & conatu: de quo ità Provinciæ Superiori perfcripfit: *Non experior mihi adeffe donum à Spiritu Sancto intellectûs ad penetranda myfteria tam fublimia. Meliùs hæc comprehendo per viam & lumen Fidei, quàm per fpeculationum conniſum: applico tamen omnem conatum ex toto corde, nec penfi habeo quid lucri facturus fim meâ fatigatione, fed plenam habeo fatisfactionem ex eo, quòd exequar obedientiam, hoc eft, voluntatem DEI.* Interim longè diverfum aliorum erat per varia experimenta de ejus profectu judicium, adibatur enim jam tunc à plurimis confilij gra-

gratiâ in rebus ad conscientiam vel spiritum pertinentibus, mirantibus tantam in dissolvendis perplexis dubijs claritatem, & in homine vix à sæculo nuper divulso rerum divinarum tam perspicuam cognitionem. Dominicis omnibus vacabat audiendis Confessionibus in Sodalitio Artificum: festis verò & recreationum diebus operam dabat tradendæ Catechesi pueris & rudibus, invisendis hospitalibus & infirmis, instruendis per pagos ruricolis.

Sed tota ejus intentio & omne desiderium unicè ferebatur ad missionum labores & ærumnas, in quibus cum propriæ virtutis profectu tam utiliter exerceretur zelus animarum, & procuratio salutis proximorum: solitus dicere de se: *Ego non valeo ad aliud, nec sum idoneus nisi ad agendum cum pauperibus & simplicibus, & discurrendum per campos & pagos.* Quare hujus ministerij copiam sibi fieri à Patre Provinciali postulans, ità scripsit: *Mihi videntur Missiones hujus Provinciæ esse quoddam Tyrocinium Indicarum: & quantumvis inhabilitas mea maxima ponat obstacula huic designationi, spero tamen hæc à DEO superatum iri: quippe cùm ex me ribaldo uxorato jam fecerit Sacerdotem, ex rudi & indocto Jesuitam, poterit etiam ex eodem facere bonum Missionarium.* Et in alia ad eundem epistola: *Desiderium, quo R. V. novit me ferri ad Missiones, cogit me prævenire tempus, quô hæ instituendæ sunt, ut constet me in eodem proposito durare; humillimè precando, ut liceat tandem id in effectum deducere, nisi judicet id non fore ad DEI gloriam. Cùm enim ego non possim discernere, an verè divina sit hæc inspiratio, nisi per interpretationem & approbationem R. V. propono & subjicio desiderium meum cum tali indifferentia, ut totum plenè submittam determinationi in manus mei Superioris. Mihi videor à DEO omnino stimulari & adigi ad consecrandum me arbitrio ejus cui scribo, non retentâ aliâ de me cogitatione: útque citra sollicitudinem de successu, adhibeam nihilominus omnia possibilia media ad eum obtinendum. Neque ad proponendum has meas Rationes vel minimùm inducor proprio sensu aut spiritu, neque priùs proponere deliberavi, quàm consulto meo Patre Rectore: ità ut certus sim, DEUM velle à me explicari R. V. tenerrimos animi sensus, quos mihi infundit, ut præ omnibus alijs Societatis munijs operam meam dedicem pauperum & rudium obsequijs: & nimis clarè discerno hanc inclinationem provenire à DEO, quia impossibile est venire à mea natura vel propensione, siquidem indoles mea & genius planè illi est oppositus &c.* Igitur cùm nullus dubitandi locus Superioribus relinqueretur, Vocationem hanc Apostolicam inspirari à DEO, fecêre illi potestatem Expeditionis Apostolicæ tentandæ in Burgundiam, quo annis singulis Divione aliquot Socij excurrebant ad Missiones, per quatuor vel quinque menses instituendas: sed Francisco per quinque residuos vitæ annos fuêre diuturniores. Nihil hîc repetam, quæ toties in aliorum gestis relata sunt de functionibus & laboribus Missionum, quæ illi cum alijs fuêre communia: satìs sit dicere, nihil minùs ab alijs fecisse, tulisse, exhausisse, partésque omnes veri & consummati Operarij explevisse, superâsse. Attulit enim secum ad opus hoc Apostolicum eminentem vitæ sanctitatem, per continuam sui in rebus omnibus mortificationem subjugatæ, & semper cum DEO conjunctæ: unde prædicationibus ejus ac familiaribus instructionibus, quibus corda omnium penetrabat, accedebat pondus ab exemplis tantæ in tanto Viro virtutis, & assiduæ, quâ DEO uniebatur, orationis. Indè procedebat illa fortitudo & dexteritas in tranquillandis quantumlibet implicatis conscientijs, in extingvendis odijs, in solandis afflictis, in reducendis ad DEUM obstinatissimis cordibus, & ad perfectionem sublimem perducendis pietati jam deditis. Si quis ergo revolverit ejus in omni vita summè inclinatum, & genio naturaliter inditum affectum, ad politũ quendam in omni re & actione nitorem, facilè cogitabit quantum illi abhorrentiæ superandum fuerit, in perpetua conversatione & convictu omnis humanitatis & politiæ experte rudium ex ultima sorte hominum, in Nosocomijs, fœdissimis ergastulis, rusticanis immundis gurgustijs. Erat idem genio ex natura cholerico & vehementiore (cujus & Sanctus Xaverius fuisse legitur) perpetuâ insuper impetus quosvis effundendi assvetudine in quandam asperitatem durato, quibus frangendis eundem Divum sibi in exemplar imitandum & Patronum elegit, ut quàm maximâ planéque maternâ mansvetudine peccatores tractaret, & potiorem pariter satisfactionis partem in suo corpore pro illis adimplendam assumeret. Sed non meliùs cognosci potest excelsa Virtus illius, quàm ex propria epistola, dum rogatus à nostro Sacerdote Missionum Candidato, ut pro habita jam experientia describeret, quibus dotibus præditum esse oporteret eum, qui ad Missiones aspiraret: in

ea idæam sui perfectam depinxit, ità rescribens 6. Octobris 1668. *Ut respondeam ad id quod quæritur, ante omnia necesse est, ut quàm certissimus fieri laboret hanc ad Missiones vocationem provenire à DEO. nec desunt ipsi personæ idoneæ quas consulat, ut prudenter in negotio tanti ad gloriam DEI momenti procedat, requirente magnam animæ perfectionem. Non est autem opus multis ponderare debilitatem virium & valetudinis; plurimi enim debiliores & minùs valentes Missionibus se impenderunt: sed magis convenit advertere, an DEI impulsu agatur ad occupandum se sancto isto ministerio: cujus ut certus fiat, necesse est semper illum precari, qui est auctor Cœlestium inspirationum, eásque adimplendi copiam præstat, quando & quomodo vult. Atque ad hoc expendendum sufficiens tempus ipsi superest: quo etiam oportet conniti ad consequendam profundissimam cordis humilitatem, & talem de suiipsius nihilo sensum, ut ipsi evadat toleratu impossibile laudari & æstimari ab hominibus; statuendo firmissimè, nihil unquam facere vel aggredi ob captandum plausum vel æstimationem hominum. Est enim omnino necessarium ut desideremus, & afficiamur contemptui nostrùm ipsorum velut proprio patrimonio, velimúsque despici & contemni semper ab omnibus, & in rebus omnibus. Insuper requiritur, ut Missionarius præditus sit spiritu lenitatis & dulcedinis in agendo cum proximis, ut nullam præferat aversionem ab malis & sceleratis, cum quibus conversandum est, neque à rusticitate & indocilitate eorum, quorum servitijs se addixit. Denique necessum est animum obfirmari in his principijs, tolerare patienter omnia ab omnibus, & nihil è contra agere, quô ullus offendatur: amare collectionem & animi secessum, & conversationem in oratione cum DEO; neque aliter ad agendum cum proximis descendere quàm ex motivo charitatis & necessitatis, & nullatenus ad satisfaciendum amori proprio per exteriorem distractionem &c.* Interim dum impensiùs maximo animarum emolumento se impendit Apostolicæ Operationi, malum aliquod aures ità occupavit, ut periculum surditatis incurreret, debueritque Divionem ad Medicorum curam revocari: nihil penitus indè animo turbatus, æquè promptus latere æger & discruciatus in angulo, atque discurrere & negotiari in campo. *Si Divina Bonitas mihi aperiat aurem cordis,* rescribebat ipse Filio Josepho, suæ surditati condolenti, *ut docilis evadam suæ loquelæ, quid oberit malè affectum esse auribus corporis? In veritate dico charissime mi Frater, parum refert qualiter nos constituti simus, dummodo placeamus illi Domino, qui nos ad suum obsequium vocavit. Quantum ad me, plenè acquiesco ejus voluntati, quidquid me fieri decreverit, considerando quid sim, & quid merear: & si non forem contentus ut per omnia in me adimpleatur voluntas DEI, essem omnium mortalium ingratissimus. Vos gratias loco mei reddite adorabili huic Benefactori, pro tantis mihi præstitis favoribus, & supplete defectum meum, serviendo Societati pro vobis & pro me: duplex enim vobis grande incumbit onus, satisfaciendi obligationi vestræ & meæ. Atque idcirco mi dilectissime Frater, reddite vos omni virtute conspicuum, & idoneum exolvendo duplici huic debito. Iterum iterúmque ex toto corde supplex oro & obtestor, non sit aliud vestrum desiderium, quàm DEUM amare propter se solum: pérque hunc ipsum amorem vos adjuro, misera mea desideria jungite desiderijs vestris, meámque voluntatem, quam habeo semper implendi placitum DEI, unite vestro conatui & studio idem præstandi, ut ità simul magis grati accidamus oculis Domini nostri &c.*

Per eosdem in Missione labores jussus est Franciscus emittere solennia quatuor Professorum vota, in festo Assumptæ DEIparæ 1666. singularissimo apud nos privilegio, neque alioqui per Religionis ætatem, neque per studia Professorum gradui idoneus: sed *ob eminentem virtutem,* ùt loquebatur in sua epistola Pater Generalis, ex speciali nempe Pontificis indulto, hunc ei gradum concedens. Ad tam improvisum nuncium, quòd gradu hoc semper credidisset se indignissimum, vehementer perturbatus, omnem lapidem, incassum tamen, etiam post Vota nuncupata movit, ut eô gradu absolveretur. Tanti enim faciebat Societatem, suámque inter Socios admissionem, ut vel minimis in ea accenseri supra omne suum meritum semper duxerit: nec ulla ferè fuit epistola, in qua non excurreret in laudes DEI pro hoc omnium maximo beneficio. *Si contigisset me,* scribit in quadam, *ad Societatem non recipi, & necesse fuisset ad bonum hoc, quod nunc possideo, obtinendum peregrinari ad fines Mundi, sinè omni dubio id fecissem, mendicando panem etiam ostiatim.* Diem sui in eam ingressûs celebrabat ùt Festum; vestem Religiosam dum exueret vel indueret, tenerrimè exosculabatur, ipsúmque adeò cubiculi pavimentum, quoties intraret aut exiret. Hinc ad Religiosum illum, qui calumniosa quædam scripta (de quibus sub initium

um meminimus) adhuc sæculari, ut eorum lectione à Societate averteretur, obtruserat, literas dedit affectu plenas, significando quantum diversa planéque opposita experiretur in Societate, quàm in chartis illis infamibus legisset: hortatus, nè vellet palmaria mendacia & calumnias deinceps de Ordine tam sancto spargere, nisì priùs normam vitæ illius percepisset. Paupertatem Religiosam tanti faciebat, ut suis in sæculo relictis prolibus dictitaret, nihil post se illis præter miserias obvenisse; cùm tamen amplissima Dominia, Novian, Tremblecourt, Vignòt, pluráque alia ipsis reliquerit. Obedientiam Superioribus exhibebat tam promptam & cœcam, ac ipsi DEO; & quod stupeas, ipsi Filio suo Josepho, qui illi cum reliquis Tyronibus ad præscribendam agendorum laborúmque seriem datus erat Præfectus, nos Manuductorem dicimus. Anno 1668. dum sacris Exercitijs vacaret, nunciatum illi fuit, filium Marchionē in Palatinatu adverso prælio occubuisse: quo eventu nihil conturbatus, de sola animæ salute anxius fuit. Et quamvis rumor brevì compertus sit fuisse falsus, præsagus tamen fuit consecutæ post paucas hebdomadas mortis ex ægritudine fatali. Repetenti namque suam Missionem dum vale facerent Collegij Socij, mirati ejusdem alacritatem ad excurrendum: fassus est, se ingenti gaudio perfundi in his expeditionibus: esse tamen aliquid in præsenti, quo illud temperari posset: visum enim sibi eâ nocte fuisse Marchionem filium feretro mortuali impositum: compertúmque deinde est, eâ ipsâ nocte mortalibus paroxismis correptum fuisse, ut mox extremam illi Unctionem dari oportuerit. Mater quia desperabat Patri id in tempore, ob loci distantiam, & violentiam morbi, nunciari posse, ut morienti adesset; ad Angelos utriusque Tutelares conversa impensè precabatur, vellent id Patri manifestare: quod eâ visione præstitisse credi possunt. Ergo de illius morte in ipso ætatis flore, cùm annum ætatis ageret vigesimum, certior redditus, quam non tantùm Christianè, sed sanctè, cum plurium adstantium Religiosorum admiratione obivit, magìs gaudio exilijt, quàm ut levissimè indoleret: præsertim ubi simul ex Matris epistola intellexit, idem ipsi solatium exinde proficisci. Ad cujus lectionem dulcissimè exclamavit, gaudere se, quòd non relinqueret superstitem post se in Mundo ullum Filium, qui DEUM posset offendere; nec finem faciebat benedicendi DEUM, quòd tam bene morti præparatum sustulisset; & quidem ante suum obitum, qui post quadrimestre consecutus est. Cùm enim inter assiduos Missionis labores nihil sibi quietis indulgens, præter alias corporis asperitates, jejunium etiam totius Quadragesimæ in solo pane & vilissimo legumine traduxisset, valetudinem ità prostravit, ut ex accensione sangvinis varia passus symptomata, Divionem redire coactus sit. Et illico prodidit se grave apostema inter vitalia succrescens, corpúsque totum hydrope intumescere cœpit; quam secuta est hernia aquosa monstrosæ magnitudinis, & hæmorrhoidum insuperabile malum; tandémque in ipsis faucibus plagæ supernè & infernè gingivas acerbissimè exulcerantes. Tot simul afflictus malis quia decumbere nequibat, plures hebdomadas coactus diu noctúque considere, in nullam partem citra dolorem corpus acclinare potens, omnis ferè somni expers, adeò doloribus emaciatus, ut neque loqui nisi submissè, & cum oris vulnerum exasperatione posset; omni eô solatio privatus, quod ex colloquijs spiritualibus capi solet. Quidquid autem remedij adhiberetur, nihil proderat nisì ad augmentum morbi & dolorum. Atque tum demum patuit omnibus solida hominis virtus, & invicta Viri patientia, ut neque verbum querimoniæ, aut signum intolerantiæ, vel vocis quidpiam delicatius exigentis ad refocillandum audiretur. Solum oleum è lampade intrà sacellum Sancti Xaverij ardente, loco omnis pharmaci erat, quo identidem ungi petebat eâ parte, quâ doloris acerbitas prævaleret; sentiebátque continuò ejus lenimen, ut cum DEO expeditiùs agere posset, quæ sola illi erat perpes occupatio unicúmque solamen. Destinaverat Provinciæ Præpositus supremum in vita præbiturus ipsi nec petenti, nec scienti solatium, ut Filius Josephus Rhemis ad Parentem ultimò invisendum accederet: sed Rector Rhemensis credens morbum non esse adeò periculosum, ut ante communes à scholis vacationes vitam abrumperet, siquidem Josephi unam tunc ex ijs docentis opera sibi erat necessaria, mittere illum omisit: atque ità vaticinium Patris sibi constitit. Tandem rupto inter viscera apostemate ad limen æternitatis deducto, cùm sanctum Viaticum petenti (nam aliàs quotidie Pane Cælico reficiebatur) concedi ob creberrimos vomitus non posset, oleo morientium inunctus, dilapsis ex Infirmaria tantisper omnibus, solum se relictum credidit, latenter interim remanente suo

Con-

Confeſſario. Ergo in gratias DEO reddendas, & amoroſa cum DEO colloquia totis affectibus ſolutus, illa repetebat potiſſimùm ponderabátque, *Ego mi DEUS, ego mi JESU, ego morior Jeſuita? ô quas gratias rependere poſſim pro tanto favore? &c.* Tum petijt cervicali ſupponi ſacculum, quem ſemper ſecum circumferebat: hic poſtea deprehenſus eſt plenus benedicto cinere, ad imitationem Sanctæ Thereſiæ, ut perpetuam ex illo haberet memoriam ſui nihili, & verè ſuper cinere moreretur. Continuatíſque cum DEO, Sanctiſſima Matre, Sanctíſque Ignatio, Xaverio, & Franciſco Saleſio (quorum icones voluit ſibi ad pedem lectuli affigi) colloquiis, impetravit ab uno adſtantium Sacerdotum pro ſe adiri Sanctiſſimum Sacramentum, & ſupremum in vita mortali nomine ſuo vale dici, benedictionémque pro via æternitatis peti: impetraſséque pleniſſimam credi poteſt, ante Sacerdotis reditum placidiſſimè extinctus 23. Maji Anno 1669. ætatis 52. initæ Societatis 8. Vir erat pulchri aſpectûs, ſtaturæ bene proportionatæ, complexionis vivacis & accenſæ, morum & genij planè Nobilis, cui inerant ſpiritus & qualitates omnes Perſonæ Principalis: ante converſionem tamen ſuam nihil his omnibus naturæ donis ſpirabat niſi Mundum, ejúſque ſplendidas vanitates, habitus per totam Lotharingiam ùt faſtui deditus, in iram præceps & ferox, ſed vitijs nunquam addictus. Converſatione & loquelâ amabili, in diſcurſu prudens & rationabilis, magno & excelſo animo, & ex natura inflexibili, ſed per heroicam poſtea Virtutem & Obedientiam Superioribus ſubjectiſſimo.

Et quidem cum ingreſſu Religionis omnem mundanum affectum, quin omnem de ſæculo cogitationem ab animo penitus exuit; & quales impetus habebat ad Mundum, talibus in Religione agebatur ad DEUM, ut nihil præter eum amaret, æſtimaret, cogitaret. Cujus ſingulari favore evectus eſt ad ſublime Orationis donum, nonniſì maximis DEI ſervis conceſſum, ut ferè citrà omnẽ diſcurſum arctiſſimè illi uniretur, illo frueretur, magíſque pateretur divina, quàm ipſe orando aliquid ageret: perinde in medijs occupationibus illi conjunctus, atq; in ſolitaria meditatione. Ex quo flagrantiſſimo DEI amore naſcebatur alter in proximũ perinde puriſſimus, dum in eo non diligebat niſì DEUM, & extra DEUM nihil. Ità amorem, quem in proles ſuas olim habebat naturalem, mutavit plenè in ſupernaturalem, omníque curâ & cogitatione proculcatâ de ſtatûs eorum conſervatione aut elevatione, ſolam animæ ſalutẽ omnibus votis & conatibus procurabat; ità ut ex intimo corde optaret videre in illis familiam ſuam extingvi, dum̃odo allubuiſſet illis Religioſum ſtatum amplecti. *Dicite veſtro Fratri*, ſcribebat aliquando ad filium ſuum Joſephum, *illum magìs nunc in amore mihi eſſe, quàm unquam aliàs, ſed amorem hunc totum eſſe in DEO: quódque eum per amorem animæ ſuæ adjurem, ut nè attendat res mundanas eâ parte, quâ ſeducit Mundus & incantat Amatores ſuos, qui non perpendunt deceptionem & inconſtantiam illius. Ego ipſe deluſus & infelix fui unus ex eorum numero, & non multò pòſt expertus ſum lucra meorum errorum. Fugiat per DEI amorem pravas familiaritates, quæ ingenerant eos habitus, à quibus deinceps nemo ſe liberare poteſt, dum vult: ſibíque certò perſvadeat, hujus conſilij auctorem non niſi optima illi velle. Ego unicè exopto, ut DEUS tangat cor veſtri fratris, quò vobis ſe conjungat ad ſerviendum eidem Domino, qui fidem omnibus ſervat. Verùm ô DEUS! non eſt electus ipſe, ùt apparet, ad tantum conſequendum bonum! Domina Mater illius mihi retulit, bonis eſſe præditum à natura dotibus: ſi non deluditur amore materno ad hoc aſſerendum, DEUM bonum! quò proderunt miſero Juveni hæc dona, ſi juſtus DEUS illum abjiciat, & fortè etiam (ùt non rarò fit) Mundus? Hoc eſt, quo non recogitato ipſe dementatur, & jam non parum opere comprobavit! Optimè memini, quantum & ego per talia aberrârim, & ideò non ſinè cauſa reformido, nè errores mei perſeverent in ejus perſona per me in illum derivati! ego ſum origo mali, cui mederi non remanet in mea poteſtate! perget ergo ille ità vivendo, niſi remedium afferant orationes ſanctarum animarum.* Eundem ſuum depuratum ab omnibus terrenis in unicam filiam amorem luculenter demonſtravit, quando conſultus de ea maritanda cum Comite de Viange, totum arbitrio Matris reliquit, nè ullatenus curandis terrenis implicaretur: nihil aliunde ex eo ſibi connubio gratulatus, quàm ubi intellexit filiam in optimo Conjugio locatam maternis veſtigijs inhærendo pietati colendæ & virtutibus Chriſtianis unicè deditam eſſe. Cùm autem nihilominus peractis ſponſalibus Comes ſalutandum ſibi Patrem duxiſſet, deprehendit illum in pago quodam Burgundiæ audiendis paganis palàm in Tempello aures dantem; cujus tamen ſuâ unicè causâ, per tot annos non viſi, & in ſæculo alioqui perfamiliaris, ad-

adventus, non tantùm apud illum valuit, ut ejus gratiâ ceptum laborem omitteret: nam brevissimè datâ acceptáque gratulatione, & modico (quantum religiosa svadebat humanitas, nè contemni videretur) alloquio, mox ad Confessionale revertit. Ex eo solius salutis in proximis amore, nascebatur in ejus corde intimus dolor de perditione tot animarum, atque ex hoc ardentissimum desiderium & zelus earundem juvandarum: ex cujus motivo sicut unicè ad deserendum sæculum, & eligendam præ alijs Societatis Religionem inductus fuit, itâ in ea postmodum nihil quieti suæ indulgens, nullum conatum & laborem intermisit, quem utilem saluti proximorum futurum crederet; tandem ijsdem in Missionis fervore, & desiderijs trajiciendi ad Indias immortuus. Zelo salutis animarum in vivis degentium, parem adjunxit sæculo jam solutarum, quibus è piacularibus flammis in possessionem beatitudinis asserendis omnem suam quorumlibet operum satisfactionem, omnes corporis afflictationes donavit, nullius penitus pretio extingvendis sibi debitis pœnis reservato. Idem moriens fieri petijt omnibus suffragijs ex more Societatis per universum Orbem pro anima sua indicendis, ut non pro sua sed aliarum animarum è Purgatorio liberatione applicarentur, quæ multò se magis dignæ forent quantò citiùs cælo inseri. Maximè tamen hic zelus effervescebat, ubi agebatur de honore DEI, vel injuria rebus divinis illata sarcienda, ut ex vero dici de illo potuerit, zelus Domûs tuæ comedit me. Accidit aliquando, ut gravis contemptus fuerit illatus SS. Evcharistiæ in quadam suæ ditionis, dum adhuc sæcularis esset, Ecclesia; de quo certior factus, quia aliter facinus vindicare, vel injuriam sarcire non poterat, novenam peregrinationis ad locum sacrilegio violatum, ut honorem DEO Evcharistico restitueret, sibi indixit: atque itâ sub vesperum quotidie nudis pedibus, detecto capite, cum cereo accenso pagum illum satis ab Aula distantem adibat, totóque corpore in ejus Templo ante majorem aram prostratus, altâ voce obsequia infima Sanctissimo Sacramento reddebat. Universim verò sacris Ecclesiæ rebus omnibus & ritibus mirè addictus fuit, & sui baptismi anniversarium diem singulari devotione 26. Augusti, à prima sua in sæculo conversione constanter recoluit: nam mediâ nocte lectulo consurgens Ecclesiam Aulæ suæ adibat, ibíque ad pedem fontis baptismalis prolixas de genibus DEO gratias, quòd ibi spiritualiter renatus esset, reddebat: simúlque verbis Ecclesiæ in Rituali baptismi renunciabat Diabolo, Mundo, & pompis ejus, & omnia, quæ Patrini pro se spoponderant, suis verbis rata habebat, renovando protestationem vivendi & moriendi in Fide per baptismum percepta, próq; ea sangvinis fundendi gratiam postulando. quam licèt DEUS non indulserit, concessit tamen mortem ex laboribus & ærumnis in propagatione Religionis conscitam oppetere.

Ex ejus vita Gallicè scripta à P. Ludovico di Nyel. & Italicè versa à P. Annibale Adami.

P. JOANNES DE ALMARZA.



Pater Joannes de Almarza natione Hispanus, ex oppido Viguera, Diœcesis Calagurritanæ, cùm Juribus audiendis Compluti operam navaret, Deo cor illius sanctiore impulsu tangente, rebus humanis nunciũ remisit, & aditum ad Soc: impetravit, Villaregij tyrocinio probatus. Mox Theologicis Compluti excultus doctrinis, licèt altioribus tradendis disciplinis egregiè aptus videretur, Grammaticæ tamen rudimenta plures annos, magno animi gustu, pueris explicuit: coactus nihilominus postea, quatuor jam vota professus, quantumcunque deprecaretur, S. Scripturam Murciæ, iterúmque Compluti interpretari. Fuit enim humilitatis studiosissimus, rerum suarum contemptor, omnibus se doctrinâ & virtute inferiorem ex animo reputans, & indignũ, qui pedibus aliorum substerneretur: quorum cùm omnia semper dilaudaret, de se tamen nunquam auditus est verbum ullum jactantius proferre; solitus vel ad aliorum de se opinionem mirè angi & erubescere. Atque hoc propriæ vilipensionis studio præclarum evasit DEO, qui infirma semper eligere amat, ut confundat fortia, suæ gloriæ instrumentum, ad quævis eximia in animarum salutem perficienda: quorum eventus ipsemet admirari solitus, ajebat, medium denique unicum ad magna gerenda esse, seipsum deprimere, & indignum atque impotentem agnoscere. Unde licèt à natura esset admodũ timidus & pusillanimis, magno

tamen



P. Ioannes de Almarza. Soc: Ieſu, Hiſpanus, ardens Eccleſiaſtes contra Spectacula, et luxum veſtium. Humilitatis, Orationis, et vincendi Sui ſtudio præcellens. Animarum lucris locuples occubuit Compluti 4. Iunij Anno 1669. Ætatis 51. J. Kilian sc.

tamen corde proximis DEO lucrandis ſe addicens, carcerum primùm & hoſpitalium curam aſſumpſit, & neceſſariâ prorſus charitate non animis tantùm, ſed & corporibus opportuna proſpexit. Huic ſedulam doctrinæ Chriſtianæ per vicos & fora, rudibus & parvulis explicationem adjunxit: quam ut faciliùs memoriæ mandarent, verſibus vernaculis univerſam complexus eſt, eo Religionis in rudi plebecula fructu, ut Cardinalis Sandoval Archi-Epiſcopus Toletanus, eam typis excudi, & per univerſam diœceſim ſpargi juſſerit. Ad expeditiones deinde, paganas & rurales, exoratâ magnis precibus à ſcholis ſæpius miſſione, animo adjecto, non tantùm Apoſtolico zelo eas obibat ipſe, ſed alios etiam ad idem miniſterium inflamabat: nam quo tempore vacabatur à ſtudijs, Scholaſticos noſtros ruri agentes exhortabatur ad pagos vicinos luſtrandos, & ruricolas doctrinâ Chriſtianâ imbuendos, útque ijſdem in campum aliquem collectis ferventem actum contritionis præirent, quos ipſe poſteà Sacramentaliter à peccatis abſolvebat. Quod ut efficaciùs perſvaderet, habebat ſemper ad manum ardentes Patrum Societatis ab Indijs literas, laborum ſuorum, ærumnarum, & fructuum teſtes, quas eâ teneritudine & ſpiritûs dulcedine prælegebat, ut obortis præ ſolatio lachrymis multum progredi vix poſſet. Quidquid autem ab alijs laboribus temporis ſupereſſet, in Confeſſionali tranſigebat, neceſſarijs etiam ſomno detractis horis, ut paratum ſemper, qui audiri vellent & expiari, ſe invenirent. Quantum autem pro Sacro tribunali adhibebat lenitatis & miſeri-

ſericordiæ, tantum in concionibus & alloquijs, ac quoties DEUM offendi cerneret, depromebat ſeveritatis & zeli: nam ſi fortè per urbem inambulans jurantem quempiam, aut diras vel obſcœnitates jacientem adverteret, illico delinquentem primùm familiariter, mox ſeveriùs reprehendens, vitij gravitatem ob oculos ponebat, ac plerumque emendatum dimittebat.

Id verò quod maximè perſequebatur, erat veſtitus ad luxuriam in oculis ſpectantium excitandam ornatus, Venerei cantus, inhoneſta conventicula, & obſcœna ſpectacula, quæ ipſe Dæmonis encœnia appellabat. Hæc non tantùm verbis & concionibus inſectari præſens, dum viveret contentus, ut etiam à morte ſua ubivis eadem diſſvaderet, tractatum ingentem conſcripſit, rationibus efficaciſſimis, & Sacræ ſcripturæ Sanctorúmque Patrum autoritatibus plenum, peſtem hanc unicè deteſtantium. Quoties autem horum aliquid in oculos tranſeuntis incidiſſet, nunquã ſibi temperare potuit, quin zelo divini honoris accenſus, in auctores tantæ impietatis inveheretur, licèt eâ re vitæ periculum faciendum eſſet. Cùm enim vice quâdam in civitatis Optæ foro, ubi avernales ejuſmodi Comœdi ſpectaculum publicum adornabant, contra illicita hæc oculorum & animorum illicia detonaret, præſens concioni ſcenæ auctor contra dicentem adeò exarſit, ut ſtricto enſe in medicum ſuæ animæ provolans, in veſtigio necaturus fuerit, niſi à præſenti Nobilitate, ſtricto viciſſim ferro in Patris tutelam proſiliente, inhibitus foret: à quorum ultrice manu multum laborandum Patri fuit, ut miſerum eriperet. Similem adversùs ejuſmodi dæmonis ludos zelum exeruit Murciæ, magno civium motu: ubi cùm magnus inſuper Maurorum degeret numerus, eorum à Mahomete ad CHRISTUM adducendi deſiderio, ſingulare ſtudium erroribus ipſorum cognoſcendis, & prolixo tractatu refutandis impendit, adjectâ methodo cum illis fructuosè agendi, & ad Fidem Chriſtianam traducendi. Nam & ipſe plurimos eorum CHRISTO lucratus eſt, & quanto potuit apparatûs ſplendore, corrogatis undique potentiorum ad eorum veſtitum eleemoſynis, baptizari fecit, quo & alij ad baptiſmi ambitum allicerentur. Præcipuo ſemper in pauperes ferebatur affectu, & piorum liberalitate conſtanter fovebat; lectulos in noſocomijs ipſe componebat, & quidquid domi foriſve offerretur, dulciaria, poma, & cujuſvis generis fructus, eorum commodis aſſervabat. Quo ipſius zelo latè vulgato, multi è ditioribus largas ad Patrem, etiam ab urbibus remotis, eleemoſynas tranſmittebant: quas ipſe tantâ integritate in egenos partiebatur, ut nè teruncium quidem in uſus proprios converteret. Continuò Superioribus domi ſupplicabat, pro rejectitijs lineæ laneæque ſupellectilis ſegmentis, in pauperum uſus dividendis: quorum vim maximam ad Miſſionem quampiam exiturus ſecum, præter corrogatam ſtipem, afferebat. Cùm verò in Reſidentia JESU de monte degenti, confluentibus ad ejus opem totâ regione Loroncanâ pauperibus, hæc omnia nequaquam ad omnes veſtiendos ſufficerent, unúſque adhuc inveſtitus remaneret annoſus ſenex, Complutum ſecum illum adduxit, ex piorum conquiſita liberalitate veſtiendum. Tantáque fuit hæc Viri in egenos miſeratio, ut paulò antè mortem ſtipem rogatus, cùm præter quinque reales (noſtrates ferè 17. cruciferos faciunt) certæ ſuæ neceſſitati conceſſos, nihil ultrà haberet, illos ipſos integrè erogaverit.

Atque his ille virtutibus communiter apud omnes Viri Sancti exiſtimationem & appellationem adeptus eſt: Murciæ verò & Compluti tanti fiebat, ut in graviſſimis negotijs & difficultatibus preces ejus & conſilia, crebris epiſtolis expeterentur; reſponſa verò perinde ac Sancti alicujus literæ æſtimarentur, & magnâ veneratione ad excitandum ſpiritûs fervorem lectitarentur: felices etiam cumprimis ſe exiſtimarent, qui eum conſcientiæ directorem habere poſſent. Neque inter hæc remiſſior erat propriæ perfectionis cura, ad cujus ſtadium decurrendum ut recalcitrantẽ carnem, veluti ſtimulis mortificationis adigeret, cilicio utebatur perpetuo & præter cruentas privatim flagellationes, omnibus Sabbatis, & feſtorũ ſingulis pervigilijs, publicâ in triclinio verberatione. His addebat frequentia in pane & aqua jejunia, humi cubationes, unicam in die perquam tenuem refectionem, adverſorum autem & perſecutionum invictam adeò tolerantiam, ut eas renidenti ore, tum præcipuè hilaris, exciperet. Gravi demum & prolixâ infirmitate proſtratus, cùm magnâ ciborum nauſeâ, guſtu penitus amaricato, & faucibus graviter exulceratis, laboraret, ut vix aliquid edulij aut medicaminis, citra acerbum cruciatum trajicere poſſet; quoties tamen id Superiorem aut Medicum jubere dicebant adſtantes, ſumebat totum avidiſſimè; tantâ li-

licèt violentiâ & dolore, ut omnes ad commiserationem excitaret, rogaréntque ijdem qui jusserant, vellet ut à vi sibi inferenda desistere, & reliquo cibo abstinere. Sed respondebat, totum exhauriendum esse, quod DEUS per Superiores vellet, plurimúmque se illi amoris idcirco debere, quòd aliquam crucis suæ particulam in se derivaret. Refrigerandis ejusdem ardoribus frigidæ aliquando haustus porrigebatur, ad quam visus sibi naturali quodam appetitu ferri, nè vel tantillum ei minùs ordinatè indulgeret, applicatum jam ori sciphum velut indignabundus retraxit, ità protestatus: *si in hoc sciphomihi propinaretur integrum totius amaritudinis, quæ usquam in Mundo est, mare, & omnium peccatorum fel, totum id cum gustu DEI amore exhaurirem. Verùm volente DEO, ut refrigerio isto potiatur afflictum corpus meum, illud recipio quia DEO placet, nullo alio ex motivo*, iterúmque ac iterum repetijt, *nullo alio ex motivo*. Quibus corporis afflictationibus ad perfectissimum Angelicæ puritatis gradum evasit, ut nè quidem motus ullos, vel pravas imaginationes pateretur. Annotaverat quidem in libello Examinum suorum particularium rari instar casûs, se die quodam tentatione minùs honestâ infestatum fuisse, sed implorato DEI per Joannis Bergmanni merita auxilio, nè quâ simili deinceps molestiâ pulsaretur, voti compotem evasisse. Idque etiam testabantur, quibus omnia conscientiæ suæ arcana confidebat; quòd licèt quotidianâ confessione minutissimas etiam labeculas expiare consvesset, nunquam tamen de minùs honesta quapiam specie animo objecta reum se accusâsset.

Obedientiæ cùm observantissimus esset, non sustinebat vel de chartæ folio, sinè expressa Superiorum licentia, disponere: cúmque aliquando pennam unam à Domûs Ministro roganti, ipse duas dedisset, Pater id primùm in cubiculo advertens, è vestigio redijt, anxius nè fortuitò præter intentionem duas pro una dedisset, cùm unâ solùm opus haberet. Eadémque promptitudine observabat nutus omnes subordinatorum Officialium, Sacristæ, Janitoris, Infirmarij, ut nè quidem extrema Sacramenta recipere, & animæ commendationem dici priùs vellet, quàm iste annuisset. Regularum omnium usque eò tenax fuit, ut nullam unquam ab eo violari animadversum fuisse domestici testarentur. Atque ex hac animi à rebus terrenis omnibus avulsione, magnam spiritûs libertatem, & cum DEO agendi familiaritatem assecutus est, cui adorando, præter consvetum omnibus tempus, sæpius in die vacabat, noctu præsertim, ante cujus dimidium nunquam ad somnum se componebat, licèt eundem ad primum campanæ excitantis auditum ictum abrumperet. Porrò gratias & favores cœlestes ab hoc assiduo orandi studio in eum derivatas, satis declarabant frequentes lachrymæ, tempore præsertim sacrificij; & tenerrimi in DEUM affectus, in quos totus veluti colliquescens à visitatoribus orationis reperiebatur, genibus semper nixus, vel toto corpore in terram pronus, itáque in divina absorptus, ut confessionis causâ ad eum subinde accedentibus expectandum fuerit, dum sibi restitueretur. Adiverat illum aliquando consilij causâ Universitatis Complutensis primarius Doctor, reperítque genibus humi nixum, in amplexu CHRISTI Cruci affixi, lachrymis ubertim manantem, & animo ità in cœlestia avulso, ut diu se colligere, & animum ad propositum negotium intendere non posset. Et quidem ad hunc modum sæpius interdiu deprehendebatur ante quampiam Crucifixi, vel Sanctissimæ Virginis effigiem humi provolutus: unde tantam reperiendi in re qualibet, loco, & occupatione, DEI nactus est facilitatem, ut nullis negotijs aut distractionibus avelli posse videretur. Addictissimus fuit adorandis quàm sæpissimè Sanctissimæ Trinitatis Personis, eò etiam ardentiùs, quòd diceret Christianos plerosque ferè solius secundæ personæ venerandæ memores, Patrem & Spiritum Sanctum raró implorare: quare speciale de Sancto Spiritu officium, & aliud de Sanctissima Trinitate, quàm creberrimè magnâ devotione recitabat. Secundùm has Virgini Matri devotissimus, Rosarium quotdiebus flexis genibus recitabat; Sabbatis & pervigilijs omnibus in pane & aqua jejunans, hæc ipsa nonnisì de genibus, omnium priùs in triclinio pedes exosculatus, sumebat; totóque ejus festorum octiduo consvetum è Religiosa culina dimensum, pauperibus suâ manu dividebat. Dum Compluti, & in Residentia JESU de monte ageret, nunquam cubiculo egrediebatur, quin primò omnium thaumaturgam Virginis effigiem ex vicinia salutaret; cujus honori ut quàm plurima in ejus ara Litaniarum tempore luminaria arderent, singulari curâ providebat, & magnam perpetuò ceræ vim undique corrogatæ asservabat.

Tenerrimo etiam post SS. Josephum, Joachimum & Annam, affectu ferebatur in San-

Sanctum P. Ignatium, cujus honori adornatũ aliquando ſacellum Compluti in Noſocomio Altezzana dicto (quòd eo ipſo loco Sanctus ægris inſerviens, DEUM precari ſolebat) cùm injuriâ temporum abolitum ferè eſſet, & dimidiâ ſui parte in uſus Hoſpitalis converſum; Pater intentiſſimâ curâ in ejus reſtitutionem connifus, collectis undique magno ſtudio eleemoſynis locum alienatum non tantùm redemit, ſed & partem veſtibuli Hoſpitalis ei adjecit. Orsúſque nullâ ferè præſente pecuniâ ædificium, quod plurium millium ſumptus requirebat, dubitantibus architectis fidenter aſſeruit, ſumptus auxilio Sancti Ignatij ità conſtanter adfuturos, ut etiam ſuperfluerent; quod re ipsâ ſemper evenit, omnibus rei conſcijs miraculo eam adſcribentibus, cùm tempora tum Hiſpaniæ eſſent difficillima, & præter eleemoſynas à Patre corrogandas, alioqui minimè petaci, nihil aliunde ſubſidij offerretur. Fuit & illud, confeſſione ipſiuſmet architecti prodigio ſimile, quòd cùm ob loci minùs idoneum arctúmque ſitum, abſque omni planta & idæa ædificaretur, ac propè fortuitò, ut poſtea deprehenderetur, quid tandem indè fieri poſſet: prodijt nihilominus fabrica juxta omnem ſymmetriam adeò perfecta & conſummata, ut periti aſſererent, vix ſtructuram æquè elegantem, & ad omnem exactam regulam ſe vidiſſe. Inciderat quidem Pater in gravem, necdum abſoluto labore, ægritudinem, ex qua & depoſitus à medicis fuerat: verùm ad patrocinium ſui Sancti converſus, ubi primùm votum emiſit tantò intentiore curâ ſacelli perficiendi, continuò à febri maligna plenè liber evaſit, lingvâ nihilominus arente & aſperâ, faucibúſque ſiccis, cæteríſque febris calidæ effectis remanentibus. Quod iterum citra prodigium evenire poſſe negabant medici, cùm neque febris his durantibus naturaliter emanere, neque hi ſinè illa ſubſiſtere diu poſſent: adeóque ſolùm ad oſtendendam miraculoſæ curationis evidentiam relictos videri. Quod ipſum alio prodigio firmare voluiſſe videbatur Sanctus Ignatius, quando vitrea lampas ante ejus ſuper ara imaginem in Sacrario pendula, ex alto in humum decidens, minimè tamen eſt confracta. Et quia nihil in terris præterea, nisì perfectionem ejus ſacelli deſiderabat, ſub ejus finem redeunte febris malignitate, cùm æſtibus perpetuis conflagraret, nullum tamen doloris vel gemitu ſaltèm ex eo indicium auditum eſt, nulla nota triſtitia, ſed continua quædam animi ſerenitas & lætitia, magnâ medicorum admiratione. Et licèt in vita arctioris ſemper & timidæ fuiſſet conſcientiæ, hac tamen poſtremâ ægritudine metûs omnis expers, nullam de Judicij ſeveritate curam, vel mentionem admittebat, ſed velut de ſalute ſecurus, de divina electorum prædeſtinatione, de cæli gaudijs, de propinqua DEI videndi ſibi copia facienda dulciſſimè diſſerebat. Quin etiam rogatus, num DEUM extimeſceret judicem? non ſe metuere reſpondit, nisì eo, quo filij patrem vererentur timore; plura ſiquidem adeſſe nunc bene ſperandi, quàm verendi motiva. Denique mortis nuncium lætiſſimo ore & reſponſo excepit, *quantò citiùs*, inquiens, *tantò meliùs itur ad gloriam*: abiítque eâdem ad ultimum uſque halitum conſtantiâ, Anno 1669. ætatis 51. die 4. Junij. Mors illius, tanquam Viri omnium opinione Sancti, magno dolore accepta eſt, & funus à Religioſis omnibus, & Collegijs Academicis celebratum, atque ab ijſdem ſacra funebria in templo Societatis perſoluta.

Ex ejus Elogio.

P. NICOLAUS ZUCCHI.



Atus eſt Pater Nicolaus Zucchi Parmæ, nobiliſſimâ Italiæ Urbe Anno 1586. ipſo ſancti Nicolai die 6. Decembris, nobili utriuſque Parentis, Petri Zucchi, & Franciſcæ Giandemariæ familiâ, cujus neutrius hodie extat poſteritas. Inter 8. proles ipſe quarto loco genitus, quatuor fratres & tres numerabat ſorores; quæ omnes Virginitatem DEO conſecrârunt. Fratrum ſolus natu minimus in ſæculo remanens, improlis deceſſit: maximus natu Eccleſiaſticam, reliqui tres Religioſam in Societate JESU vitam amplexi ſunt. Sortitus animam bonam, & ſponte ſuâ ad omnem pietatem & virtutem proclivem, ingenium pariter nactus eſt docile, quo omnibus condiſcipulis conſtanter præminuit. Duodennis proprio ſangvine ſe DEI Matri in Clientem & filium ſubſcripſit, ejuſdem tutelæ deinceps ſemper imputans, quòd ab omni ſpecie impuritatis illibatam innocentiam conſervârit. Humanioribus literis anno ætatis 16. ad calcem deductis, con-



P. Nicolaus Zucchi S.I. Italus, magnus Prædicator, et Vineæ Christi Operarius; innumeras Deo animas laboribus Apostolicis et prædicationibus, præsertim Bonæ Mortis, lucratus; quamvis podagrâ et morbis alijs dirè vexatus. Obijt Romæ 21 Maij 1670. æt: 84.

192.

conceptum pridem ingrediendæ Societatis desiderium Præposito Provinciæ humiliter aperuit: à quo susceptus incredibili Matris solatio, Tyrocinium Paduæ auspicatus est 28. Octobris 1602. Tanti verò beneficium hoc per omnem vitam fecit, ut Confessarium suum Patrem Octavium Beringucci quoties jam etiam Sacerdos conveniret, non nisì de genu utroque flexo salutaret, quòd se in impetranda Societate adjuvisset. Hic è contra gratulatus talem Societati filium educâsse, cùm Senas Nicolaus ad Conciones habendas accessisset, ubi is jam cœcus & decrepitus agebat, socium ejus ad conciones audiendas, quas diebus singulis plures diversis locis & Monasterijs Nicolaus habebat, agere voluit: erâtque jucundum & gratum Urbi spectaculum, videre à Concionatore socium cœcum brachio sustentatū per plateas quotidie ductari. Tyrocinium eâ fervoris & virtutis constantiâ decurrit, ut inter 80. plures Sodales, judicio Superiorum, omnes perfectionis soliditate & prærogativâ ingenij antecelluerit. Neque unquam deinceps per omnem vitam intepuit; erâtque omnium de ipso persvasio, Nicolaum Juvenem, Virum, & Senem nunquam fuisse alium, nisì quòd cum granditate cresceret semper eadem in parvo inchoata Virtus: quemadmodum in nascente sole exoriens lux, eadem in progressu auctior, crescit usque in perfectum diem. Totum enim studium posuit in edomandis animi affectionibus, quæ cum relicto sæculo & rebus mundanis nequaquam amittuntur, nisì continuâ per omnem vitam mortificatione passionum resecentur; quo ille

ille meditationibus suis omnibus impensè collimabat, ut intellectum primis quibusdam Perfectionis Evangelicæ penetratis veritatibus plenè convictum haberet, quales sunt, *qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie.* Item, *quid prodest homini, si universum Mundum lucretur?* id genus vitæ sanctè agendæ in perpetuum directivæ: quæ facilè secuta convicto intellectu voluntas, ità passiones rationi subegit, ut cùm esset igneæ & ardentis complexionis, nulla tamen unquam in illo quovis ex eventu commotio, vel naturæ impetus sit notatus: & desideriorum ardorem ità compescuit, ut quidquid appetendum occurreret, etiam in rebus pijs, suísque depressionibus, perinde ipsi acciderent sive negarentur, sive concederentur. Eundem tenorem constanter tenuit septennio studij Philosophiæ & Theologiæ, ut nihil devotionum & pœnitentiarum omitteret, animo semper in DEUM erecto, & ad exactissimè singula perficienda fervente. Admotus subinde ijsdem tradendis, duplicem Philosophiæ cursum Parmæ sexennio docuit, vivacissimi & profundi ingenij opinione, nec minore, virtutis & moderationis existimatione; licèt enim acriter instaret in certamine impugnandis opposita sentientibus, nullo tamen unquam sinistro verbo personam & doctrinam læsit: etiam ipse quandoque læsus neque vultum, neque vocis tenorem mutando, perinde quasi nihil dici contigisset. Cœpit autem jam tum discipulis haberi pro sancto, dum pari studio inculcabat Philosophiam Christianam, quâ Peripateticam: fuerúntque alloquia ejus familiaria & discursus spirituales sabbathini in tanto pretio, ut sensim ad eos velut conciones accurrerent aliarum quoque classium Philosophi & Theologi, magísque compuncti recederent, quàm plurium horarum magno apparatu dictione auditâ. Verùm ultrà se porrigens, quo deinde totâ vitâ occupari elegit, ejus animarum zelus, visitabat carceres, eleemosynas miseris corrogabat, confessiones excipiebat, comitabatur reos ad supplicium, dicebat in Monasterijs & Confraternitatibus, serviebat in hospitalibus, in compitis catechesin explanabat, & ternis per annum productioribus à schola vacationibus procurrebat in viciniam, Missionibus operam impensurus. Et hæc omnia nullo studiorum dispendio, siquidem jam tum naturam assvefecerat, ut somno quatuor summùm horarum contenta esset. Qui in extraneos tam profusus fuit, erga domesticos nequijt esse contractior. nã ubi comperêre Superiores ingentem ex ejus conversatione & colloquijs in domestica juventute subnasci ad cælestia ardorem, & spiritûs incrementa, potestatem fecêre certis diebus & horis cum eo de divinis rebus tractandi, unde in summum fervorem excitati, eosdem ignes in reliquos dispergebant, ut totum Collegium spiritu divino ardere videretur.

Terminato secundo Philosophiæ cursu Theologicum auspicari jussus est Ferrariæ, quòd Parma gravi annonæ per id tempus caritate pressa, sustinendis ejus alumnis non sufficeret. Ubi satis est dixisse, eadem & impensiùs charitatis in proximos officia ab eo exhibita, quæ Parmæ. Interea venit Ravennam novus pro Pontifice Legatus, toti Romaniæ præfuturus Alexander Ursinus Cardinalis, eo prorsus tempore, quo Societati Collegium isthic parabatur: cui etiam emissis Societatis votis nuper totum se Cardinalis mancipaverat, ut in ejus vita retulimus, quorum pars magna etiam ad Nicolaum spectar, ut frustra hìc repetatur. Itaque huc delatus Cardinalis mox ab Generali Mutio Sacerdotem sibi dari petijt Confessarium, & in spiritualibus æquè ac consilijs Directorem, prudentiâ, spiritu & doctrinâ eximium: qui Zucchium Ferrariâ destinavit, simúlque primum novo isti Collegio Rectorem præesse jussit. Præfuítque tantâ ad omne celeberrimæ illius Urbis genus hominum utilitate, primus ipse ad omnia præstanda obsequia domesticis exemplo præiens, ut Senatus publicas ei gratias agendas duxerit, confessus non tantùm adæquatam, sed magnopere superatam esse Civitatis à Collegio expectationem. Jam verò in Cardinali omnia admiranda, omnia summa Patri videbantur, ut ipse magìs ejus sibi in spiritu magisterio opus esse censeret, nec haberet quod in pœnitente tam excelsæ sanctitatis moderaretur, nisì fortè nimium affligendi corporis ardorem. Gratulabatur itaque sibi in eo reperisse & calcar ad virtutem, & ad salutem plurimorum lucrandam Patronum & Auctorem, mulierum præsertim ab impuro questu vindicandarum, quibus stipendia dotésque liberaliter Princeps ministrabat. Quæ res non semel Patri periculum vitæ ab impuris lenonibus conscivit, frendentibus amores suos libidini subductos, partim sacris Asceterijs, partim legitimo thoro includi. Porro in ipso muneris sui apud Cardinalem aditu petijt Pater sibi imponi, ut nè liceret ullas apud illum intercessio-

ſiones & tractatus ſæculares per ſe expediendos admittere, ſed unicè DEUM & ſalutem animarum concernentia cum eo agere. quod Princeps ſummopere approbans, talem, reſpondit, Confeſſarium habebam in votis! juſsúmque repudiatis omnibus, quæ temporale aliquid prætenderent ſupplicationibus, omnia è contra quæ DEUM & animas concernerent ſecum tractanda accepta te, certum reddidit, omnia à ſe, quæ quidem in ſua forent poteſtate, in promptu habiturum. Habebat pridem in ſummis votis Pater Miſſionem Apoſtolicam ad Indias Orientales, Japoniam vel Sinas, & à primis Societatis annis conceptum DEO votum annuè certo die inſtaurabat, ſimúlq; per epiſtolam deſideria profectionis apud P. Generalem renovabat. Nec aliud ab annutu Superiores retrahebat, quàm nimia ſupplicis ità loquendo aptitudo, literarum & diſciplinarum omnium cum ſublimi talentorum copia eminentia, ob quæ illum ſubtrahere Italiæ refugiebant: ut adeò Miſſionem aliquandò ferventiùs urgenti reſcripſerit Mutius Generalis, ad annuendum hac in re votis aliorum ſufficere ſibi piam inſpirationem, at verò ad approbandum ejus deſiderium requiri ab ſe claram DEI revelationem. Contigit autem Parmam, ubi tum Zucchi Philoſophiam docebat, venire Nicolaum Trigautium Sinarum Procuratorem ad Urbem, cui inter alios Chinæ competitores primus ille nomen dedit, præ omnibus à Trigautio deſideratus, niſi à Principe Ranutio, cui erat in primis charus, obſtaculum poneretur. Itaque Trigautius Principem convenit, & hic evocatum Zucchium ſeriò percontatus eſt, verène & ex animo profectionem Sinicam in votis haberet? imò verò nihil in vita optatius ſibi evenire poſſe reſpondenti: operam ſuam ad Generalem & interceſſionem obtulit; nè impetrandam eam gratiam dubitaret. Hìc verò contrà proteſtatus Pater, negavit ſe favorem patrocinio Principis obtentum acceptaturum: deſiderari quidem ab ſe Indicas ærumnas, ſed ſi obedientiæ, adeóque DEI nutu deferantur; interceſſione Principis conceſſas, humano magìs favore, quàm ex DEI placito obventuras; neque ſecuritatem ſibi futuram, quòd id agendo faceret voluntatem DEI. Miratus Princeps integritatem & virtutem Patris, nec apicem ab ſe in hoc negotio interponendum promiſit. Oppoſitum planè ipſi certamen fuit cum Cardinali, qui neſcio unde ſubodoratus Patrem primâ navigatione ad Indos cum reliquis Miſſionarijs tranſmiſſurum, dolore tam chari & animæ ſuæ proficui capitis amittendi, calidiſſimis precibus obſiſtere, ſed ſecretiſſimè parabat, ut nunquam reſciri potuerit unde id Patri ſuboluerit. Quare Cardinalem de more Confeſſionis gratiâ quolibet manè accedentem, datâ abſolutione in pedes ſe erigens, etiamnum genuflexum his aggreditur: *Eminentiſſime Princeps, precor devotiſſimè non ſe immittat in negotia meam perſonam; ſuam autem nullatenus concernentia. aliter, per me licet, alium ſibi ex hac hora Confeſſarium provideat.* Intellexit illico, ſuprà modum candore Viri delectatus, intentionem Patris, faſſúſque ingenuè quod innocente zelo meditabatur, ſpopondit de reliquo nullum obicem poſiturum. Exinde Cardinalem comitatus in Legatione ad Ferdinandum II. Cæſarem, toto tempore illi Pragæ adſtitit, neque pauca in rem Catholicam molitus eſt & ſuggeſſit: nam & cum primario Judæo congreſſus ità confuſum revicit, ut in fugam egerit: & Joannem Keplerum Cæſaris Mathematicum, Communionem ſub utraque propugnantem, in ipſa Cæſaris Anti-Camera confutavit; qui hæreticorum more argumentorum vim non ferens, non ſinè adſtantium riſu ictum declinavit, *nè argumenteris*, inquiens, *ſed colloquendo ſvade.* Expeditâ legatione Cardinalem Romam ſecutus, mirâ DEI providentiâ, contra omnem humanam diſpoſitionem, deinceps ibi fixus ad maximum gloriæ divinæ incrementum hæſit. Septennio ibi moratus eſt ùt hoſpes, licèt ſemper intenderet Mutius, & perſæpe in craſtinum jam deſtinâſſet illum reddere Venetæ Provinciæ; cùm vice qualibet repentè aliquid intervenit, ut retineri neceſſe eſſet. Tandem Romanæ Provinciæ adſcriptus; primùm Matheſim explicuit in Collegio Romano, quod ſubinde Rector, ac deinde Pœnitentiariam, & demum Domum Profeſſam ibidem gubernavit: ſubinde ad Congregationem Generalem nonam deſtinatus à Romana Provincia Elector: à Congregatione verò Generali II. electus Admonitor Patris Generalis Joannis Pauli Oliva: & à Sacro Collegio Cardinalium poſt mortem Innocentij X. Confeſſarius Conclavis: ab Alexandro denique VII. in Concionatorem Pontificium aſſumptus.

Jam verò prædicandi verbi Divini vis in eo admirabilis divinitus eluxit, quanta fortaſſe ab hominum memoria vix in ullo alio, ſive ingenij felicitatem ad inveniendum & diſponendum, ſive valorem & ſpiritum ad elo-

eloquendum ſpectes: cujus doni cælitus ſibi infuſi non inconſcius, & de aſſiſtentia Spiritûs divini in quolibet eventu ſecurus, neceſſitatem ſibi à DEO & præceptum impoſitum credebat, quâlibet occaſione prædicandi, nullâ præmeditatione, nullâ licèt ad præcogitandum ſaltèm dictioni thema indultâ morulâ: illud Apoſtoli ſibi applicans 1. Cor. 9. *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero!* ideóque non modò invitatus nunquam excuſavit, ſed ſi deſiderium purè oſtenderetur, pro invitatione habuit; imò non raro ultrò importunè ſe ingeſſit. Ità fortuitò ex itinere Bononiam die Purificationis delatus, ubi nullam apud nos haberi concionem intellexit, ultrò ſe Rectori ad eam obtulit: & æditu tergiverſanti populum campanâ ad rem inſolitam evocare, quòd nemo comparituruſ eſſet: *Tuum eſt Frater*, inquit *Superiori parere; nam me quod attinet, paratus ſum etiam vacuis ſcamnis, etiam uni ſoli me audituro concionari.* Et accurrit ingens repentè multitudo: Pater verò incredibili omnium aviditate & admiratione auditus, velut ſi dicendo vires itineri reſtauràſſet, idem ſubitò reſumpſit. Porrò ab ipſis dicendi pro concione primordijs unum profundiſſimè animo ſuo fixit principium, & ùt dici ſolet Maximam totâ vitâ obſervandam: nihil videlicet ſe poſſe ex ſe afferre prolatu dignum & idoneum, ſed totum provenire & infallibiliter præſtolandum eſſe à gratuita & benefica DEI manu. Ex quo certas in praxim deducebat, & ſemper exequebatur conſequentias. 1. Quidquid ipſi imponerent, vel juxta perfectum obedientiæ gradum ſolo nutu declararent Superiores, DEI locum tenentes, quantumcunque imparato, & viribus ſuis majus agnoſcenti, non debere ullatenus tergiverſari, & talentis ſuis rem injunctam commenſurare, ſed oculis illico in DEUM id jubentem converſis, de illius infinita potentia ſecurum eſſe, & cœcè negotium aggredi. 2. Non poſſe ullum ſucceſſum, aut ex eo laudem ſibi attribuere, cùm nihil ex eo ſuum foret, ſed totum DEI, & ideo ſemper habebat in ore, quòd non viveret ex parato vel propria penu, ſed merâ eleemoſynâ; indicare volens ſe unicè ex DEO pendere, ſuppeditante de vice invicem annonam, quâ de pulpito animas paſceret. Et videbatur delectari Divinitas hâc humillimâ in ſolam DEI providentiam & bonitatem abjectione; non enim raró vacuum omnis bonæ ſuggeſtionis & ſuſpenſum ad ultimum momentum tenebat, ut ſe repulſum audire crederet illud mendicis oggeri pro ſtipe ſolitum, *Vade in pace*: quando nimirum coactus ex tempore, ob alia charitatis innumera diſtentus opera exedram improviſus conſcendere, ubi jam ſententiam in thema Concionis habendæ protuliſſet, necdum ſentiebat ullum menti conceptum, & nè unam quidem periodum ad inchoandam dictionem ſuccurrere: in quo articulo animum ad hanc ipſam ſuam paupertiem reflectens, ſubitò in uno momento implebatur tantô lumine, & dicendorum in ſuum ordinem & ſingula membra digeſtorum copiâ, ut plurium dierum impenſo ſtudio nequiviſſet vel ex dimidio parem concionem elucubrare, quam in ictu oculi paratam veluti legens comprehendebat. Ex quo fiebat ut hoc ipſo ſemper humilior evaderet, quô majore ſatisfactione perorans plauſibus dicta ſua celebrari audiret; cùm Viri etiam Sapientiſſimi in ſtuporem abrepti, non niſì longâ meditatione talia afferri poſſe cenſerent, & prodigium Concionatorum illum vocarent. Sed ipſe tubam ſe inanimem alieno duntaxat ſpiritu inflatam liquidò ſentiens, nunquam aliter, quàm hominem ad obturandas omnes vacuitates & hiatus natum vocitabat, ut ubicunque defectus aliquis irreperet, ipſe ſupplentis vicem ageret; prout etiam ad implendos omnes angulos in ſubitaneis & deſperatis eventibus à Superioribus adhibebatur. Ex quo cùm alius ſuperbiendi anſam fortè caperet, ipſe ſcitiſſima infra omnes ſe deprimendi ratiocinia inveniebat. Quòd enim his caſibus accideret humano ingenio majora ad omnium ſtuporem ab ſe afferri, evenire dicebat per obedientalem potentiam ob periculum vacui, ad quod impediendum experimur etiam in natura, gravia quælibet, ferrum & ſaxa, quaſi naturaliter ferri ſurſum, & levia ponderare deorſum: ità perinde nè vacuum detur in cathedra ob defectum Eccleſiaſtæ, perinde eſſe quiſcunque, aptus an ineptus, locum occupet; ſpectare enim ad vim extrinſecam potentiæ obedientialis ipſum contra diſpoſitionem naturalem elevare. Atque ità ſe quidem concionari, non tamen idcirco eſſe Concionatorem, ſicut ſaxum ab extrinſeco evolans in altum non ideò eſt leve: ſed manere tantùm idoneum oppilando ubique vacuo, cui perinde eſſe debeat ſupplere dictionem ad Confraternitatem Opificum, & ad Sacrum Cardinalium Collegium. Quæ ejus philoſophandi ratio ſcitè ipſi non tantùm

tùm ad sui depressionem, sed etiam ad mortificationem adhibebatur: si enim cibi aliquid præter omnibus communes, ùt Concionatori, apponeretur, facetè rejiciebat, negans convenire, ut qui in exedra munere Prædicatoris functus non esset, in mensa frueretur. Habet Vaticana Sancti Petri Basilica certas per annum fundatas conciones, super determinato argumento designatis diebus habendas; quarum unam dicturus è præcipuis Urbis Oratoribus, ipsâ horâ Concionis repentino malo obrutus fuit. Convocato Capitulo Cardinalis Barberinus, ejus tuncArchipresbyter, Zucchium suggessit, hunc enim vel solum, vel neminem alium acceptaturum. Reperit illum internuncius penitus Collegio digredientem ad aliud pium opus, cujus legatione, & themate dictionis habendæ de Providentia divina perceptô, subridens Pater, *referto*, inquit, *Eminentissimo, adfuturum Zucchium, cùm non sit ex munere Concionator, adeòque non habeat quod perdat, nec agatur de aliquo famæ ejus periculo, si imparatus pulpitum conscendat*. Et continenter adiens ædes quas invisurus domô exiverat, inde ad S. Petri discessit, dixítque super præscripto argumento eâ sublimitate & conceptuum copiâ, spiritúsque fervore, ut omnibus in stuporem datis Cardinalis SanctaCrucius constanter professus sit, nihil unquam simile in argumento adeò subtili se audivisse, sive ad ingenij ubertatem, sive ad motum animorum. Iterum ad mensam in triclinio jam considentem alius interpellans, ad dictionem præcipuæ celebritatis subitò non tam invitat quàm evocat: cui ille svaviter objiciens serò nimiùm id insinuari, ubi audivit fuisse alium in tempore admonitum, sed repentino malo impeditum ad has angustias redegisse: *Bene est*, inquit, *ùt video supplentis vices mihi obeundæ sunt, & locus à vacuo implendus, quod mihi omnium maximè convenit, & lubens præstabo*. Similia frequenter illi evenêre varijs Concionum Quadragesimæ casibus, cùm esset universale ad omnes defectus refugium.

Accidit etiam triduo antecinerali, cùm ingenti apparatu in Collegio Romano exposita esset SS. Evcharistia, venire ad ejus adorationem Cardinalem Ludovisium Gregorij Decimi Quinti Nepotem, qui significavit Patri Petro Gravita, desiderari ab se concionem aliquam audiri. Et erat designatus ad eam Sacerdos, sed is quia habendæ remotior adhuc erat hora, in abstruso aliquo loco illi condiscendæ se abdiderat, ut nullâ industriâ reperiri posset. Incidit in his angustijs Gravita in obvium Patrē Zucchi, & casu exposito rogat, si pauculas saltèm periodos satisfaciendo Cardinalis desiderio profari dignaretur. hic nè momentô (ùt ità dicam) interpositô, rectà Sacristiam petit, & de affectibus erga Sanctissimum Sacramentum tam inflammatè, copiosè, & summâ conceptuum ubertate disserit, ut miraculum ingenij & eloquentiæ omnes proclamarent. Gardinalis eodem adhuc vespere Generalem Mutium conveniens, cùm pro Quadragesima ad Sancti Laurentij in Damaso Oratorem Patrem Ludovicum Albrizi (jam aliò promissum) obtinere non posset, illum sibi concedi petijt, cujus paulò antè concionem ad prodigium elegantem audisset, Sabaudum vocitans, quia sibi eatenus neque de nomine cognitum. Delatum sibi laborem, quem hactenus nunquam obierat, & nè unum Quadragesimæ sermonem paratum habebat, non aliter à se suscipi posse respondit Pater, nisì Generalis eam benedictionem & plenitudinem gratiæ præcepto adjungeret, quam DEUS in manibus Superiorum aliquid jubentium reconderet, quâ acceptâ tridui solo intervallo dictiones quotidianas auspicatus, totam Quadragesimam absolvit, tantô Romæ totius accursu, fructu & applausu, ut anno sequente ad novam Quadragesimam in Templo Domûs Professæ prædicandam sit nominatus. Et hæc quidem prodigia erant assistentis gratiæ divinæ, quoties improvisè astringebatur ex tempore pulpitum ascendere; nam si tempus parando sermoni daretur, nunquam præsumpsit, & constanter alijs dissvasit extemporalem Oratorem agere. Sed non multo huc opus erat temporis spatio, cui mens erat refertissima cælestibus luminibus, exercitata perpetuâ rerum divinarum contemplatione & DEI amore, potiore noctis parte illi impensâ; unde intellectus veritatibus æternis plenissimus, & cor affectibus semper flagrans, quavis occasione tantam utriusque copiam lingvæ suppeditabat, ut æquè promptum esset animos audientium concitare, ac loqui. Pauci intrà annum fluebant dies, quibus non quinquies, sexies, aut septies dixisset: & ipse hebdomadatim ordinarios numerabat sermones 34. præter extra ordinem admissos: ingenti Sociorum comitantium stupore, quòd nunquam alio loco repetentem quidquam audirent ex ijs, quæ in prioribus attulisset. His autem præmeditandis non plus suppetebat spatij, quàm intervallum ambulationis ex

una in aliam Ecclesia, vel Monasterio: neque idcirco anxio erat animo, certus divinæ promissionis sæpius sibi factæ, nunquam sibi defore loquendi materiā laboranti ad profectum animarum, ac præsertim Virgines sacras ad Perfectionis studium, & DEI amorem exhortanti. At verò dicturus constanter per Quadragesimam vel per annum, conciones studiosè elaborabat saltèm pridie: & si nihilominus quidpiam impedimenti obveniret à necessitate juvandi proximum, studiū promptè omittebat; quòd diceret, in tali eventu DEO incumbere apparare pro se dictionem. Atq; hoc ipsum didicerat ex ore Beatissimæ Virginis, jussus omnimodè diffidere sibi, & totus pendere ex DEO: concionibus parandis ità incumbere, ac si unicè à suo penderent studio; de paratis ità parum confidere, ac si nihil fecisset: ità enim fore, ut semper illi favore suo assisteret, neque unquam à DEO in Apostolico illo munere destitueretur. Non rarò etiam accidebat, ut multas horas in concione laboranti, neque materia, neque dispositio, vel ullus idoneus conceptus succurreret; prout evenit dicturo in Festo Annunciatæ, toto pridiano vespere ad tertiam usque noctis frustrà insudanti: quâ cubiculo digressus, obvio familiari Sacerdoti Angelico quodam risu questus dixit, *hoc vespere nullâ me eleemosynâ Dominus dignatus est.* & nihilominus manè ubertate & sublimitate dictionis omnes in admirationem rapiebat, prout in Annunciata Cardinalis Costaguti apud Urbinates Legatus Apostolicus planè attonitus remansit. Aliàs ad Sancti Laurentij in Damaso solennem dictionem habiturus, rogavit in via Socium Sacerdotem, an certam ex Isaia sententiam & locum (quorum neutrum verbotenus meminerat) sciret, quòd super ea differere intenderet: inficianti, & non minùs demiranti Oratorem, qui neque themate invento præsumeret rostra conscendere: ubi ad Sacristiam ventum est, Pater Missale primùm, tum Breviarium evolvit, locum Isaiæ requirens; cùm repentè monetur, adesse jam Concioni Cardinalem Barberinum. Ergo coactus subitò conscendere, adductâ exactè Isaiæ sententiâ & locô, ità concinnè, ordinatè, & exuberantis ingenij facundiâ super ea differuit, ut Socius admiratione attonitus in reditu fidenter quæreret, an credi posset ignorâsse dictionis instituendæ thema, super quo tantâ promptitudine, methodo, & ordinatissimâ sublimium conceptuum serie discurrisset? Imò, respondit, paratus Concioni è Collegio discesseram, sed hæc quam dixi mera fuit DEI eleemosyna: ità enim in itinere dissipiebant à me præmeditata, ut non possem ad eadem proferenda me adigere. Sed determinato novo themate, ingerebant se animo novæ species, & cogitationes atque conceptus nunquam mihi cogniti: & inter dicendum exordium, digerebatur in ordinem & suos discursus in capite tota concionis series, perinde ac si eam in tabula propositam legerem, vel ex autographo describerem. Nec minus admirabilitatis habuit Panegyris pro Sancto Francisco Borgia ejus festo in Templo Professorum Romæ dicta, studiosè quidem pro singulari suo in Divum affectu pridie parata; ad quam ipso die nescio an Confessionibus audiendis, an quo alio opere distentus, campanæ sono (degebat enim in Collegio Romano) evocari se sentiens, dum properat, & Concionem scriptam secum auferre credit, ut ejus relectu memoriam fidat; ubi ad locum ventum est, aliam prorsus impertinentem chartam ab se acceptam deprehendit, speciebus insuper paratæ Orationis ità ab animo deletis, ut præter solam thematis sententiam nihil in memoriam reducere posset. Ergo ità improvisus nihilominus ad cathedram deducitur, dicturus ad selectissimum & confertissimum totius Urbis auditorem: cùm repentè prolatâ (cujus solius meminerat) sententiâ, caput illi visum est impletum tantâ abundantiâ peregrinarum specierum, & conceptuum ità invicem ordinatè cohærentium, cum omni simul figurarum & elocutionis elegantia proferendorum, ut omnium judicio nihil unquam ullâ Concione produxerit nobilitate & copiâ subtilissimarum cogitationum ditius, neque utilium & sublimium observationum affluentiâ ingeniosius. Cùm verò admiratione inauditarum hactenus reflexionum & animadversionum attonitis domesticis, nemo esset quin crederet improbo labore & tempore eam Concionem stetisse, Professor Rhetoricæ Romanæ ausus est ejus copiam expetere, ad artem Panegyricam indè hauriendam: sed ubi responsum accepit nihil in ea dictione fuisse suum, & nè periodum quidem ab se inventam aut præcogitatam; auditóque rei totius successu, in conscripto insuper elucubratæ ab ipso Orationis exemplari nihil dictorum reperit, miraculosam planè & cælitus elaboratam credidit & prædicavit.

Major adhuc efficacia, ardor & peritia in tradendis Sancti Ignatij Exercitijs, cum sum-

summa ubertate & varietate puncta meditanda proponendi conjuncta, ut licèt eadem semper mysteria quâlibet Ascesi expendenda recurrerent, ipse tamen nunquam ijsdem luminibus, sensibus, & reflexionibus ad ea explananda uteretur, sed novos semper affectus, animadversiones, & methodum adhiberet. Quæ cùm intima cordium penetrandi vim haberent, plerísque efficaciora ipsis meditationibus accidebant, & totis Communitatibus ac Monasterijs ad sanctiorem vitam reducendis sufficiebant. Sanè cùm anno quodam Collegio Romano Exercitiorum Director datus esset, tantus ex ijs fructus consecutus est, ut in futuros annos hoc ei proprium, & ex officio obeundum munus impositum fuerit: cujus alloquijs & meditationũ explanationibus non tantùm aderant, qui Ascesi vacabant, sed Collegæ quasi universi, Sacerdotes & senes, & quotquot recentissimè eodem directore illam absolverant, sponte magnâ aviditate interveniebant; certi, omnia nova & recentia lumina in ordine altero se auditores, quàm in primo exceperant, ad permovendos intimè animos servitura. Quia verò specialiter à DEO delectus fuit ad reformationem & instaurationem disciplinæ Religiosæ in Claustris Virginum, sicubi post longas ambages & varia consilia, conatúsque, persvasit aliquot dierum ad Ignatianas Commentationes secessum, jam certus erat de victoria: constátque Romæ duntaxat & in vicinia supra 40. Monialium Asceteria ad eximiam per eum sanctitatem hâc arte fuisse provecta. Et licèt omni die & quâvis horâ promptus esset ad subveniendum cuivis hominum generi in qualibet necessitate, præcipuam tamen curam ponebat in excolendis animabus DEO sacratis. 1. Quòd illæ clausurâ adstrictæ nequirent, uti sæculares, circumeundo sibi pastum cælestis Verbi, directionem in conscientijs, consilia in dubijs conquirere, nisi ultro ijs domum afferrentur. 2. Quia sæpe extincto primævo fervore, & gustu sæculi deliciarum reviviscente, in teporem dejectæ, atque ità non minùs Cæli quàm Terræ solatijs vacuæ, si perito Medico destituantur, vitam ducerent amarissimam, & desperationi simillimam: quòd si vel uni in aliquo contubernio accideret, sufficere ad omnes alias in idem barathrum pertrahendas. 3. Quòd experiretur passim inter eas reperiri non paucas ex se dispositas ad summam sanctitatem, & unionem cum DEO, nunquam tamen ex imis eluctari defectu idoneorum Directorum, qui cælestium supra communem ordinem influxuum inexperti, quomodo talium spiritum moderarentur? Itaque non semel divino jussu clarè monitus huic obsequio se addicere, cùm id à Societatis vocatione maximè alienum sciret, ad Superiorum arbitrium detulit; qui compertâ Viri virtute, & clarâ DEI ad altissimos sinè dubio fines vocatione, id ei imposuêre; ità semper ab ipso obitum, ut nihilominus constanter laudaret morem sociorum, refugientium confessiones Monalium, nisi fortè rogatu Episcoporum ad pauculos illos dies, quibus à Concilio Tridentino extraordinarij Confessores Monialibus permittuntur. Primum hujus divinæ voluntatis argumentum expertus est, dum Parmæ in quartum annum Theologiæ studeret, delatis sibi ad numerosum Parthenonem per Quadragesimam bis térve in hebdomade habendis Concionibus: in quo à potiori laxioris observantiæ, seniores tamen aliquot Virgines rigidæ manebant disciplinæ, & una cumprimis etiam à cælestibus visis clara. Accidit interim ut dictionem in feriam sextam majoris hebdomadæ, in qua plurimum reponebat, majore studio parare volenti, totâ feriâ 2. & 3. nihil in mentẽ in materia omnium fæcundissima veniret, planéque obtuso capite & sterili memoriâ se deprehenderet, nec unius sententiæ retinendæ capaci. In ea derelictione & ingenij siccitate evocatum ad Monasterium alloquitur Virgo illa DEO plena, *nè te Pater*, inquiens, *sollicitum habeat; quòd etiamnum ignores quid post biduũ dicturus sis, impenso inaniter hesterno & hodierno studio: non enim Concionem hanc facturus es de tuo, sed CHRISTUS integram perficere vult de suo: indè futura est præstantior, & efficacior, quàm ullo labore tuo consequi posses. Scito enim hâc nocte apparuisse mihi oranti CHRISTUM Dominum toto corpore vulneribus concisum; quorum causam roganti dixit, à culpis dissolutarum hujus loci Virginum inflicta esse. Ubi subitò vidi te Domino advolutum singulas ejus plagas linguâ allambere, & à qualibet linctura quodvis simul vulnus abolitum consanari. Id verò mihi summè demiranti dixit Dominus; iste est fructus Concionum hujus mei servi, qui tollendo culpas ab hac domo, tollit vulnera mihi illata. Et cùm opponerem: quî id futurum est ô Domine, siquidem Conciones jam sint in exitu? Nequaquam, reposuit ille, ego enim paro ipsi unam concionem de mea Passione ità efficacem, & ad tantum Virginum motum, ut petituræ & obtenturæ sint illum sibi concedi usque post Pascha. Atque ità fiet,* con-

conclusit Sanctimonialis, *& tu noli refragari: imò specialiter te addicito juvandis in spiritu Parthenonibus, ad quòd à DEO destinatus es & electus: & in præmium hujus operæ, atque fructuum indè secuturorum in hoc & alijs Virginum claustris, tibi spondeo, nunquam tibi defuturam materiam dicendi è pulpito. Tu solùm in ejus ascensu recita unum AVE ad honorem divini Oris CHRISTI Domini.* His dictis à Patre discessit, & quoad omnia verissimam Vatem egit. fatebatur enim ille jam decrepitus, nullam unquam parem, aut saltèm similem ab se in omni vita concionem dici contigisse: & Monasterij totius ad omnem disciplinam reformatio planè miraculosa consecuta est. Idem mandatum à Domino per aliam revelationem accepit alibi, & iterum Romæ; quámque id Cælo cordi esset, miraculoso eventu comprobavit Ferrariæ in Parthenone Sancti Antonij, ubi tunc Theologiam docens Pater Monialibus serviebat: quem proprio chirographo & juramento 20. pòst annis descripsit ipsa loci Abbatissa Seraphina Nigrelli Anno 1651. 20. Januarij. Feriâ 6. majoris hebdomadæ audiebat illum cum reliquo cætu dicentem sólitò majore fervore de Domini Passione: cùm post horæ spatium voce & viribus defectus visus est vix pedibus niti posse: & ecce repentè vidit illum ab alio Societatis Sacerdote brachio aliquamdiu sustentari: ex quo ille ità confortatus apparuit, ut majore vigore & facundiâ quàm priùs, ad ipsas tres horas, omnibus in lachrymas solutis, sermonem produxerit. Digressum è pulpito rogat Abbatissa, *quis ille debilitati beneficus succollator è Socijs illi adfuerit? solus*, respondit, *templum intravi, & in templo præter me nullus hominum adfuit. hoc verum est, expertum me fuisse ingentem virium defectum, sed subitam earundem plenam restaurationem. Atqui ego*, reponit Virgo, *nimis certa sum, visum mihi fuisse Societatis Patrem, obsequioso brachij sustentaculo tibi famulantem.* Non longè pòst eadem Abbatissa confessionis gratiâ ingressa Audientiâ (ità locum vocant Confessarijs extraordinarijs deputatum) videt eundem Socium, quem in pulpito obsérvârat, Patri assistere; itaque nihil proloquens, unum & alterum fixiùs contuebatur. dum Pater exorsus, *cur*, inquit, *nihil dicis, aut confiteris? quamdiu*, inquit illa, *Socius tuus non recedit, quomodo confitebor? atqui nullus hic adest*, subjicit Pater, *& omnino sum solus.* Illa demissis tantisper pudore oculis, ubi eosdem levavit, neminem ampliùs præter Confessarium vidit, & exomologesim absolvit. Semper autem credidit adstitem illum Socium fuisse S. Xaverium, & fixè observato illius vultu, quo passim in sua effigie exprimi solet.

Sicut autem in dictionibus vividum & fortem adhibebat spiritum intima cordium penetrantem, ità in Confessionali tractandis pœnitentibus lenissimum summéque affabilem se exhibebat, perinde tamen utrobique efficacem: ajebátque disparem hunc agendi modum doceri à Salvatore, in ipsa utriusque ministerij dispare institutione. Nam initiaturus Apostolos die Pentecostes in Prædicatores totius orbis per Missionem Spiritûs Sancti contulit hunc cum *repentino sono*, & in modũ *spiritûs* & flatûs *vehementis*, specie ignearum & urentium lingvarum: conferens autem potestatem remittendi & retinendi peccata, lenissimè duntaxat *insufflavit super illos*. Et satìs erat ad multorum admirabilem conversionem vel semel apud illum exomologesin peregisse. Erat inter Moniales Virgo juvenis vivacis & sangvineæ indolis, obstinata ad non parendum ejus directioni & consilijs, horrore vitæ austerioris, ut palàm protestaretur operam in se ab eo perdi: coacta tamen fortuitò semel licèt invita, quòd fortè nemo alius Sacerdotum adesset, illi confiteri, tantum in anima divini Spiritûs in carnem pugnantis motum sensit, ut ex vehementia luctæ copioso sudore ad deliquium usque madens, tandem integrè DEO se permiserit: incredibili exinde perfusa solatio, & speculum observantiæ Religiosæ ac sanctitatis omnibus effecta. Ex Senioribus alia, non tamen sensu magìs cana, mediam inter sæcularem & Religiosam vitam ducens, nè nomen quidem Patris citra indignationem & calumniam audire sustinebat: hæc pariter necessitate aliquando eidem confitendi adstricta, ità pauculis verbis Spiritu divino plenis in aliam mutata est, ut deinceps Patri in summa veneratione habito obsequentissimè in omnibus paruerit, & quivis alius Cõfessarius velut umbra hominis spiritualis, in comparatione Patris Zucchij, visus illi fuerit. Quàm plurimæ similiter tenerrimæ, magnam partem è Nobilitate, Virgines, consilijs ejus & directione spretis nuptijs CHRISTI thalamum prætulêre, quas cùm peculiari studio superis commendaret, indicabat ei plerumque DEUS exauditum esse. Ità cùm binæ puellæ singularis innocentiæ Romam adductæ essent maritandæ, compertâ earum ad eximiam virtutem capacitate ardentissimè DEUM precatus est: & mox

mox exauditum se sentiens, *ó quantò melior*, exclamavit, *sors utramque manet*, *quàm veniendo huc ambiverint* ! *Non est his dignus Mundus*, *quas Sponsus cælestis pro se destinavit* ! Atque ità factum, & contra omnem parentum, ipsarúmque eatenus abhorrentiam diversis asceterijs se inclusêre. Aliàs cùm vidisset unam excitatissimæ indolis, & vanitatum studiosissimam die quodam ingredi certum Monasterium, Magistram jussit illi recipiendæ pararelocum, hanc enim exambiri à Divino Sponso: *& pòst paulò videbis*, ajebat, *illam mutare mores*, *vitam*, *& studia*, *dum denique fiat Religiosa*. quæ tunc mirè paradoxa, ad ungvem completa sunt. Pejor fuit status unius jam Claustro receptæ, non tantùm vitam, sed vel ipsum Monialis nomen exosæ; cui de repetendo sæculo jam certæ, cùm Pater aliquando polliceretur in Religione constantiam, & insignem, de qua tunc nec cogitaret, sanctimoniam, illa delirare hominem credidit. Sed brevì suo ipsius stupore animo penitus mutata, longè propensiùs ad omnem rigorem & observantiam inclinari se experta est, quàm antè abhorruerit. Multa ejusmodi exempla sunt in promptu: ità enim solers & assiduus cuivis earum necessitati, nullas unquam molestias pertæsus, aderat, ut, nè illis è contrà in se evocando difficultas esset, juberet in qualibet suæ præsentiæ indigentia, Angelis duntaxat tutelaribus onus sui accersendi devotè committi; planéque fiebat, ut veluti ab Angelo excitus illico Pater adesset, vel si impediretur, dubij solutio & remedium à Patre suggerendum, sinè illo in mentem ijs veniret. Nec minor erat earundem in omnes casus & adversa tuendarum cura.

Tres sorores, pœnitentes suas amore Cælestis Sponsi incensas, certo Parthenonio consecrârat, quarũ minimæ nuptias Nobilis procus importunè aliquamdiu captans, etiã Novitiæ molestus esse perrexit, varijs internuncijs & amatorijs pagellis ad sæculũ, & suos amplexus allectando: quæ cùm ipsa filialiter omnia P. aperiret, factus aliquando Nobili obvius, eum perhumaniter sed seriò admonuit, desineret Sponsis CHRISTI ab ejus amplexu divellendis nefatiã operam impendere, sed eam salubriùs animæ suæ curandæ saluti donaret, quã brevì ab ipso DEUS repetiturus esset. Quindecim non plures fluxêre dies, cùm è vivis sublatus est, ùt apparet consilio Patris salubriter usus. nam tribus sororibus nocte quadam simul orationi mentali piè intentis, sensit minor ter aut quater se per vestem vellicari, monerísque, ut ad locum colloquijs sæcularium prope domûs januam destinatum veniret, expectari isthic ejus alloquium. Et suffecit puellæ animus, ut non timeret accensâ lucernâ sola descendere. illuc perveniens, videt hominem per cubiculum solitariè & silentio inambulantem, ausáque prior interrogat, quis sit? quídve id intempestivæ horæ sibi velit? ille fixo in eam vultu consistens, illico agnitus est esse idem Nobilis quondam procus: diductóq; pallio exhibuit se ignitis catenis partim è collo in pectus dependulis, partim membra horrendo amplexu stringentibus excruciatum: solúmque profatus: *Orate pro me*, ab oculis evanuit. Efficacius etiam erat contra Dæmonem, insidias misellis struentem, certamen. Impugnaverant illi totâ Natalis Dominici nocte Virginum unã fædissimis & importunissimis phantasmatibus ac suggestionibus, ut quidquid remediorum adhiberet, illa potiùs in augmentum infernalis hujus incendij servire viderentur: eránque insultus adeò pervicaces, ut veluti enervis & exarmata illis se cedere, & ultrà non resistere crederet: imò, quod timoratis animabus in ejusmodi pertinaci assultu fieri solet, summopere angeretur, & propè vix dubitaret, se in consensum aliquem & delectationem prolapsam graviter in DEUM peccâsse. Indè illi novum conscientiæ remordentis tormentum, tantúsque ab animo in corpus redundans dolor, ut se animo linquendam & morituram putaret. Cùm superveniens Pater Zucchi illam primam omnium ad Confessionem acciri jubet: sed illa renes acerbissimo dolore sibi constringi sentiens, cùm ad quemlibet passum exanimandam se crederet, extremâ tamen vi desiderio Patris alloquendi connisa adrepsit; dúmque illi statum suum exponere parat, præveniens ipse, obstrictam ad secretò habenda quæ illi dicturus esset, his ipsis verbis affatur: *Nocte Natalis Dominici cùm Orationi vacarem*, *speciale mihi à DEO lumen concessum est*, *quo animam tuam ob oculos habui cinctam multis & varijs hostibus*, *quorum modò hi*, *modò illi assiliebant impugnaturi*. *& licèt illa quandoque debilitate corporis gravata deficeret*, *gratiâ tamen DEI resumpto robore superior evadebat*. *Sub hæc vidi Angelum tuum Custodem unà cum meo venire in auxilium*, *& pugnandum pro anima tua*: *quam etsi adverterem interpolatim afflictam*, *plerumque tamen observavi alacrem*, *ex conscientia illæsa*, *& voluntate obfirmata non consentiendi ulli tentationi*, *erant enim ma-*

nifesta DEI offensæ. Ità mihi visa est pluribus horis, donec repulsis hostibus evanesceret. ô quantum gustum præbuisti DEO in hoc certamine, & quantum ego te illi recommendabam. Et licèt replicaret illa, varij generis fuisse suggestiones, & in quibusdam victam sibi videri: omnium conscium se clarè ostendens, securam plenè esse jussit, & nulli penitus succubuisse. ex quo omni depulsâ anxietate, incredibili totum illum diem solatio incessit.

Jam verò quantum Dæmoni doluerint fructus ejusmodi ex sacris Asceterijs collecti, luculentè declaravit per os energumenæ Sanctimonialis Luccæ, ubi sequente Anno per Quadragesimam prædicaturus Pater erat. Cùm enim hæc ejus rei futuræ penitus ignara sacris exorcismis urgeretur, præsente Vicario Generali Flaminio Nobili, ex improviso horrendum stridere, & inter desperantis ejulatus pugnis in se ipsam sævire cœpit, vociferans, *ah ut quid venit ad prædicandum Luccæ ista maledicta Zucca!* ità per contumeliam illũ cucurbitam vocitabat; *quantis detrimentis me affecit! quanta intulit damna! quot animas jã velutipugno meo inclusas, & meas, meis è manibus eripuit*: & id genus multa questus, injurijs & contumelijs Patris nomen lacerare perrexit. Et licèt his universim visus sit deplorare damna in quolibet hominum genere illata, videri tamen meritò potest præcipuè allusisse ad Cœnobium, pro conversis à prostitutione Mulierculis à Patre erectum, dum conciones haberet in Jesi: quarum tanta erat ex immunditiæ mancipijs mutatio & vitæ sanctimonia, ut nihil cederent ferventissimis etiam Virginum Claustris. Neque è contrà defuit Numen severè plectendis refractarijs, & obstinatè contra Patris monita in cæno hærentibus mulierculis. Ibat aliquando ad Cœnobium Sanctæ Cæciliæ trans Tyberim, cùm ad ianuam cujusdam domunculæ considentes videt duas, senem & juvenculam, toto habitu & gestu meretricatum spirantes: sub quarum oculis consistens, paucis sed nervosis verbis memoriam Mortis, Inferni, & quòd animas in manu dæmonis repositas haberent, ingessit: sed risu procaci ab utraque ab sene autem, quæ juvenem ex stipendio venalem lupam alebat, etiam sibilis & dicterijs explosus est. Bihorio pòst circitèr eâdem viâ revertens, ejulatus & lamenta ejusdem vetulæ, & clamores accurrentis viciniæ percipit, auxilium juveni meretriculæ poscentium: dum accurrit, & ex fatali apoplexiæ ictu animam agere, sinè sensu, sinè motu vidit, hæc paucula ad inveteratam malorum prolocutus discessit: *hujus animam Diabolus jam jam sepulturus est in Inferno, tu verò corpus ad murum tortum!* ità vocatur locus sepulturæ impœnitentium prostitutarum. At ex adverso directioni ejus obsequentes, manifestè experiebantur se ab ipso divino Spiritu Regi. Siquidem frequentissimè confessionem, vel rationem suæ conscientiæ facturis, prior ipse (quoties præsertim experiebantur animum perplexum & intricatum, ut satìs se explicare non possent) arcana illarum omnia cum singulis adjunctis explicabat, diluebat perplexa cordis & anxietates omnes, ut non remaneret eis adjiciendum verbum unicum: inexplicabili earum solatio, & ad servitium DEI excitamento. Cujus rei testimonia publica è singulis ferè conventibus sunt ad manum. Fuit in uno ex his Romæ persona consequendæ sanctitatis avidissima, sed animi angustijs ex diffidentia in DEUM, à quo sibi omnimode deseri videbatur, afflictissima. illi aliquando obvius, dum ab alterius ægræ Virginis lectulo rediret Pater, his solis verbis ex Apostolo 2. Thessal: 4. *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra*, insusurratis, animum ejus plenè serenavit, diffidentiam omnem absterfit, tantáque consolatione implevit, ut nunquam verbis eam exprimere posset. Nobilis puella in Monasterio Sanctæ Marthæ urgebatur aliquando magnis impulsibus ad certam sui victoriam & abnegationem, à qua summopere abhorrens pertinaciter non minùs restitit, quàm si esset Dæmonis tentatio. Manè sequenti advocatam Pater placidissimè rogat, quid satisfactum sit hesternæ divinæ inspirationi. tali horâ, & super hoc puncto cælitus illi suggestæ? nec expectato responso, eodem suavitatis tenore, *& tu*, prosequitur, *ausa es refragari? & ità opponere te superno instinctui, quemadmodum oporteret sugestioni infernali! &c.* unde tota inhorrescens quòd videret se non nisi à DEO proditã, in vestigio rem executa est, maximis à DEO gratijs deinceps compensatam. Advocari aliàs jussit quandam, cui nunquã antè visus ipse, nec illa eidem nota fuerat; quæ errorem indè interpretata accessum excusavit; quòd alia sinè dubio acciretur. Sed iteratò admonita se, & non aliam desiderari, paruit. Erat hæc supra modum afflictæ conscientiæ, desperationi proxima, & quo remedium omne excludebatur, decreverat uti firmiter ità imprudenter, nemini Directorum angustiarum fontem confidere. Itaque fastidienti similis comparens, quærit, *num quid se velit?*

velit? & an revera evocari fecerit? cui ipse solitâ affabilitate subridens: *si scires à me per somnium duntaxat*, inquit *visum martyrium conscientiæ tuæ, quod antequam ulli hominum pandas, mavis cor tuum perpetuò lancinari, & vivere sinè remedio afflicta, non esset mihi sufficiens causa tui evocandæ? & quis novit an non pro certo tibi afferendo veniam solatio? licèt invicem omnino ignoti simus.* Illa videns, ipsum ex notitia merè divina loqui, captâ resolutione totam conscientiam illi expandit; ipse verò tenebris omnibus discussis non tantùm in præsens serenavit, sed quoties cujuslibet generis fastidium & angores animam occuparent, sola memoria verborum & remedij à Patre Zucchi accepti, remedio afflictæ fuit. Idem ferè expertus est: ut hoc continenter ob similitudinem addam) Sacerdos Pandolphus Ricci, Florentinus; hìc ingenti pressus angustiâ, cui remedium nullum inveniebat, quin magis ex eo intricaretur, nec ullum consulere sinè gravi suo periculo poterat, post omnia frustrà tentata oculos & fiduciam in Patrem, de cujus sanctitate & integritate multa audiebat, conjecit. Sed Collegium accedens, illum ex morbo graviter decumbentem reperit, ut alloqui non posset. Redux paucis diebus, & meliùs aliquantò valentem deprehendens, admissus est, & ponè lectulum considere humanissimè invitatus, licèt eatenus nunquã Patri cognitus, multò minùs perspecta ejus necessitas. Porrò antequam verbum proferret hospes, exorsus P. illum solari super intricatissimo casu, omnes illius circumstantias & adjuncta minutim explicuit, & quidquid in singulis evenisset, quídve remediorum afflictus tentâsset vel cogitâsset, exactissimè & distinctissimè aperuit, plùs quàm horæ spatio solus super his discursu formato disserens. Audiens hæc Pandolphus, quæ soli sibi cogitata sciebat, præter DEUM nemini comperta esse, fassus est deinde jurato scripto, inhorrentibus comis sacro quodam stupore omnia sibi ossa intremuisse: ubi verò singulis membratim enucleatis certa insuper & efficacissima remedia suggeri audivit, concesſâ abeundi veniâ ità attonitus remansit, ut domum quadrihorio reversus à singulis rogaretur causam tantæ mutationis. At ille utì vix animi præ solatio compos erat ex præscriptis consilijs, ità singulorum desideratissimum successum & effectum expertus, eventum omnem Patri miraculoso imputabat. Exinde frequens Patrem adire, & filij instar omnia sua conferre pergens, vice quadam deliberare secum super certa de suo statu capienda resolutione cæpit; quâ nulli dum mortalium, neque ipsi Patri manifestatâ illum invisens, novo & ingenti suo stupore audivit consilium illud sibi dissvadentem, & recensitis singulis deliberationis suæ, quasi eam intuitivè cognovisset, momentis, omnia diluentem, & argumenta oppositis rationibus confutantem. Revelabat autem frequenter illi Dominus quoslibet etiam minutos Parthenonum defectus, quos ab eo in quotidianis Exhortationibus cùm sorores audirent recenseri, & cum omnibus adjunctis loci, temporis, ipsa prolata verba adduci, suspicabantur infidam aliquam observatricem singula Patri deferre, aut perscribere. Contigit aliquando nonnullas ad ægræ sororis cubiculum invisentes, ut illam fortè recrearent, jocari, ac demum in colloquium etiam Præsidem suam adducere, & acta ejus quædam improbare & murmurare; cùm subitò campanulæ signo ad Exhortationem Patris evocatæ, audiunt ab illo factum suum his verbis lenissimè adduci: *Statur in cubiculo infirmæ jocando, & inter garriendum venitur ad murmura contra Superiorem: idque tantò liberiùs, quantò certiores se credunt nemini prodēdas. Unde verò tanta cæcitas in personis religiosis, ut non videant Deum præsentē, & plùs vereātur resciri ab homine, quàm videri à Deo?* Facilè advertebatur à reis, nec scripto, nec ore potuisse per ullam Patri deferri, nullâ morulâ inter factum & reprehensionem, vel ad simplicem ejus accessum intercedente. Similem petulantiam alibi in ipso itu ad audiendam exhortationem à juvenculis aliquot exercitam ità graphicè descripsit, ut majore pudore confusæ quàm ex qualibet pæna erubescerent. Jucundius est quod accidit in Cœnobio Sanctæ Mariæ in Campo Martio, ubi dato ad Patrem audiendum signo duæ ad furnum in pinsendis nescio quibus plastulis occupabantur: cúmque una, quæ erat Conversa, discedere vellet, altera Monialis ut remaneret persvasit, quòd labor sinè damno interrumpi nequiret; Patris autem quavis hebdomade audiendi copiam habitura esset. Cogitur interim nescio cujus rei afferendæ causâ Conversa aliquò abire, dúmque ponè locum Exhortationis transit, applicitâ ad stoream januæ prætensam aure, ut per transennam aliquid ex dictis excipiat, audit illum iteratò sibi inculcare, *ausculta, ausculta Prædicatorem, quem ad laborem ad furnum audire noluisti*! & continenti sermone referre totum cum socia habitum colloquium & dis-

disceptationem, idque ijsdem penitus verbis. Quod toti Monasterio ubi innotuit, ingens pondus servandæ exactiùs obedientiæ, & existimationi Patris adjecit. In alio numerosissimo cœtu præ alijs Patri dilecto, quòd S. Ignatium Fundatorem haberet, procacior una & Patris pertæsa, audito Concionis signo petijt ab alijs unà ad Chorum, ut dicentem audirent, tendentibus, quis dicturus esset? audiénsque Patrem Zucchi, *væ iterum*, exclamat, *quantum tædium*! *quæ nausea*! *ego spuerem super illius sermonem*! Interim P. vix chorum ingressis conscenso pulpito ex abrupto incipiens: *tu spueres*, ait, *super meũ sermonem? atqui scito hunc non dici pro te, sed pro tot alijs libenter eum auscultantibus*! paucísq; insuper adjectis quæ solam ejus conscientiam attingebant, & à nemine alia intelligebantur, prolato sermonis themate dicere exorsus est.

Semper sanctitatis Apostolicæ comes fuit humilitas, non quòd cæcutiens bona sua, & labores non cerneret, sed quòd hos ad Deum & collatas ab eo gratias comparatos, neque computari dignos clarè perspiceret, juxta illud Luc. 17. *Cùm omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus.* Beatum aliquando in familiari colloquio dicebat Patrem Zucchi quidam ejus pœnitens, post tot annos in Religione, sanctis & indefessis laboribus, tantis animarum proventibus exactos: at ille toto vultu inhorrescens, & in amarissimas solutus lachrymas, hoc verò est verissimũ mei improperium! dum in tot vitæ annis non invenio diem unicum, ex quo solatium capere possim, heu me miserrimum! Aliàs ad similia de se sensa profundissimo dolore tactus, in amaros erumpebat gemitus, & facie manibus præ confusione & horrore obductâ exclamabat; *heu mihi*! *quæ abominatio me manet, cùm detractâ omni larvâ & exteriore apparentiâ, coram divinis oculis apparebo prout sum in me, & non qualis falsò reputor*! Sanè illius Superiores, Confessarij, & quotquot familiariùs Virum noverant, testabantur tam sinceræ & ex corde intimo profundæ, planéque prodigiosæ demissionis alium nunquam novisse, qui re ipsâ occurrentes quosvis sui à quocunque contemptus, adversa & depressiones, tanquam sibi propriè debitas sufferret, absque ulla renitentia & sensu; imò tam sincero in contemptores suos affectu, ut præ alijs omnibus in eorum obsequia advigilaret. Atque hanc sui vilipensionem prodebat maximè, quoties ægritudine sterneretur, ut moriturum se crederet. Ità cùm Pœnitentiariæ Rectorem in morbo Amicus sæcularis inviseret, & totum in lachrymis & singultibus deprehensum attonitus rogaret, num fortè morbi & dolorum acerbitas hos exprimerent? ille verò id inficiatus, in horrorem divini Judicij, & conscientiam suæ ingratitudinis hos rejiceret: *Ergone Pater*, replicat iste, *DEUM Judicem ità expavescis? quid eheu fiet nobis peccatoribus? hæc sanè res me trahit in desperationem*! *non, non* reponit Pater, *non est paritas*! *tantæ gratiæ & tanta ingratitudo*! *tanta debita, & nulla responsio*! *hoc est mihi soli proprium malum*! Quæ cùm in ultima ægritudine hísque similia perpetim sibi, magno adstantium horrore ingereret, multi eorũ impotentes ista cum notoria ejus sanctitate componere, mente exerrare credebant. Cùm verò tam assiduus esset per totam Romam Operarius, & vix domũ redux sæpius in Urbem revocaretur, nunquam designari sibi passus est stabilem pro exitu socium; quòd maximi duceret illam submissionem ad petendum pro qualibet vice ab Superiore Comitem, & mortificationem in eo totâ subinde domô inquirendo, atque humilitatem in eodem non raro ut comitari vellet rogando. Si quid subinde incidisset abjectius, & cum periculo minuendæ auctoritatis exequendum, ut Superiores diffiderent id alicui deferre, illi communiter offerebatur. ità cùm eatenus ex perpetuo more Arguentes in Academicis Collegij Romani disputationibus unicam thesim assumerent, totâ horâ impugnandam, visúmque omnibus esset conducibilius futurum, præcipuè Auditorum utilitati, si binæ acciperentur, ut priori dimidiâ horâ sufficienter declaratæ altera in disceptationem succederet: difficile erat reperire aliquem sive inter Doctores extraneos, sive ex domesticis, qui primus aleam subiret, quòd credi posset ex diffidentia unicam sententiam totâ horâ de more impugnandi, ad novam veluti subsidiariam refugere. Ergo ubi Pater Zucchi promptissimâ obedientiâ omnibus præivit, nemo deinceps tantum ingenium & sapientiam totâ Urbe celebratam sequi detrectavit. Si peregrè ad conciones abeundum esset, ipse sarcinam suam deferebat: & dum Socius quandoque (eô casu semper Sacerdos ad varia animarum subsidia addi solitus) ad populum dicturus esset, ipse in Fratris munus succedens, eunti viam facturus humiliter ad suggestum, & redeunti ad Sacrarium præibat, atque ad pedes dicentis in gradibus totâ concione omni populo inspectante considebat. Ut autem faceti erat amœníque ingenij, & ad sales jucun-

jucundè inspergendos promptissimus, apposité cumprimis illis utebatur ad humilitatem contegendam. Prædicanti per vernum jejunium aliquo loco asperâ & glaciali hyeme, volebat domesticorum quidam focum in conclavi refocillando succendere; *obsecro*, inquit, *nè feceris, proh quantum flammarum me præstolatur in altera vita! nè velis in me tam esse crudelis, ut eas in hac vita inferre incipias!* Perrexítque absque omni remedio frigoris injurias perpeti, ut exinde sensu deperdito, tepidâ aquâ immersæ manus refocillari ad usum debuerint. Offerebatur illi alicubi in summa pluvia ad concionem habendam ambulanti tegimen capitis, quo totum imbrem excipiebat: *nequaquam*, respondit, *expedit me bene compluì*. & joco à cognomine suo accepto, *nam cucurbitæ*, ait, *non crescunt, nisì copiosè rigatæ*. Sæpissimè rogatus non sinè violentia à locorum Episcopis, Magistratibus, ut rhedâ ad id submissâ more aliorum Concionatorum uti vellet, saltèm pluvioso, lutulento & rigido, in reditu ad Collegium, tempore: at ipse reponebat, *remitti illis ab se, tam sinistram existimationem, quasi adeò invitus ventitaret ad serviendum ipsis, ut trahi deberet à pari bestiarum*. Dominicâ Paschæ obvenerat illi aliquando delicatioris carnis frustum, quo intacto alijs vilioribus prandium absolvit: rogatúsque cur ipse solus alijs edentibus abstinuisset? *bene factum ab alijs*, reposuit, *sed ego, qui ex me tam multum habeo de bestia, malè fecissem adjungendo mihi insuper ampliùs de ista*. Vestium nihil unquam induit quod novum esset, licèt vile & paupertinum foret, nisì Superioses (quod rarissimè accidit) itá juberent. Sicut nec papyrum ad lucubrationes suas adhibebat recentem, sed vel epistolas ab amicis acceptas, & id genus chartas ab una facie jam conscriptas: prætendens, longè liberiùs in ejusmodi licere lituras facere, corrigere, delere, quod in munda fieri à Religioso paupere conscientia non dissimularet. Fuítque universim paupertatis Evangelicæ adeò tenax, ut post tot conciones in varijs templis, Monasterijs, Cathedralibus ac Principalibus Ecclesijs, per tot Quadragesimas ab se habitas, nihil unquam honorarij, viatici, vel etiam Eleemosynæ titulo acceptârit, sive hæc in pecunijs, sive etiam religiosis munusculis, labore Monialium paratis, consisterent: quæ licèt ab Episcopis, Capitulis, Senatibus, ipsis adeò Cardinalibus mitterentur, nec visa nec attacta remittebat. Dum Pœnitentiariæ Rector existens Quadragesimæ dictiones in Vaticana Basilica absolvisset, Capitulum ei ducenta scuta in munus assignavit; quod ut admitteret, quia neque precibus adduci potuit, titulo Eleemosynæ clàm donata sunt Procuratori Pœnitentiariæ, expendenda in quandam illius fabricam perficiendam. Id ubi Rectori subolvit, recepta ab Oeconomo ad Capitulares fortè simul collectos retulit, & magnâ omnium ædificatione super mensa reverenti cum deprecatione depositis, discessit.

Obedientiæ Virtus Apostolicis Viris maximè propria, quando Dominus non nisì *missos* prædicandi munus aggredi, *missos* autem imperterritè *ire*, etiam *inter lupos*, etiam improvisos, *sinè sacculo & pera*, voluit, summopere Zucchio cordi fuit. Ad hanc veluti regulam virtutes reliquas & actiones omnes metiebatur, huic soli profectum & successus singulos adscribebat, ejus auspicijs omnia, sinè illa nihil aggrediebatur, verè natus angulis omnibus implendis, & obstruendis vacuitatibus. Communis omnium sensus fuit, non esse alium parem illi talentis & habilitate ad munia, quæ excellentiam ingenij, varietatem scientiarum, virtutum eminentiam, & solertiam executionis requirunt: at ipse ex corde omnibus ineptiorem ad quælibet agenda se reputans, à Superiorum nutu unicè pendebat, quidquid innueretur, nullo alicui deliberationi vel minimæ reflexioni animo suo indulto spatio, cæcè & pronissimè acceptando; solitus dicere, DEO per quemcunque Superiorem aliquid imponenti, vel etiam minimo signo innuenti, responsi omnis loco esse debere, facere quod dicitur. Et fiebat omnino, ut Superiores hujus promptitudinis & certissimæ executionis securi, in quolibet repentino casu, pro rei indigentia & necessitate quidlibet ei demandarent, & mox ad aliud avocarent, aliud & aliud officium assignando: nescias utrùm velut ad omnia, an tanquam ad nihil idoneo. Sanè duorum circiter mensium aliquando lapsu Concionibus primùm habendis admotus, & mox remotus ad docendam Philosophiam, atque ex hac ad Mathesim, tandem, nec hoc, nec illud agere permissus, infimo planéq; dispari ministerio peregrè obeundo destinatus est. Itá pariter mox ab inchoata Theologia ad exile inchoatum Ravennæ Collegium regendum, & obsequia Cardinalis Ursini traductus, & ab his Romam translatus, toto septennio nulli certo officio, ac nè loco quidem vel Provinciæ applicatus est, nihil sui proprij muneris, omnia tamen simul agens,

nunc in exedra Concionator, nunc in Cathedra Theologiæ Speculativa, Morali, Philosophica, Mathematica, omnium vices supplens Professor. Atque hanc obediendi promptitudinem Societati ex suo Instituto propriam quanti æstimaret, palàm fecit aliquando rogatus ab amicis parùm Religionis nostræ gnaris, an Societas sit Ordo strictæ & rigidioris Regulæ? Respondit enim, utì solebat facetè, & reipsa esse observantiæ in rigore omnium difficillimo strictissimæ, cui parem in nulla alia Religione sciret, ità demonstravit: si puerulo cuipiam primâ vice calceis induendo, minutis videlicet, & aptatis ad pedum exilium mensuram, diceretur, vide jam & profundè animo insculpe, hæc erit invariabilis & perpetua tuorum deinceps calceorum mensura, ut nunquam per omnem vitam vel uno ungve laxiores longioresve concedendi sint. Tu quidem ex puero cresces in Virum grandem, & pedes similiter grandescent in quadruplo & sextuplo majorem, quàm hodie sint, mensuram, calcei tamen nunquam tibi concedentur ampliores, sed ijsdem semper minutulis & arctissimis utendum erit; neque licebit nudipedi incedere, etiam ubi ex Viro senueris, & decrepitus evaseris. Hoc profectò videri posset utì factu impossibile, ità dictu incredibile: & tamen de Societate verissimè dicitur, & continuâ praxi in eadem servatur. Et iste est rigor qui nullâ assvetudine & usu fit mollior, neque tempore callum obducit, ùt accidit rigori corpus duntaxat afficienti. Porro hæc calceamenta inducta Novitijs, qui sunt veluti infantes Religionis, portari in eadem mensura strictissima debent etiam à Viro in Societate centenario, esto in gigantem excreverit: antiquitas, merita, munia, cathedræ, exedræ, nobilitas, exantlati labores, sublimis doctrina, primæ gestæ Prælaturæ, & quidquid in æstimationem venire potest, non afferunt vel minimam exemptionem à qualibet communi observantia, magis quàm in Novitio unius diei: nec efficiunt unquam discretum, quin in omni simpliciter suo velle semper dependeat ab annutu Superioris cujuslibet, etiam subordinati, etiam non rarò talentis, experientiâ, & rebus alijs, subdito inferioris: nec pariunt quidquam laxamenti aut commodi ad habitationem, cibum, vestitum meliorem, vel ulla aliena obsequia, nisi per vires & valetudinem non possit. Accidit aliquando ipsi alijs munijs occupatissimo à Superiore committi ad aliquot solùm dies prælectionem punctorum meditationis pro FF. Coadjutoribus, sed dies hi pauci extensi sunt ad non paucos annos, dum nulli Superiorum incidit, eum à quotidiano hoc sub vesperam onere liberare, ipse autem Religioni duxit ultro deprecari. Aliàs Romæ sub vesperam ex Urbe ad Collegium reduci, & totius diei operatione, pluribúsque per diversa Cœnobia habitis sermonibus fatigato, occurrit Sub-Minister desolatus & mœstus, quòd nullum reperisset Sacerdotum Tusculum expediendum, ubi in crastinum manè indicta erat Communio generalis, ut domesticis Patribus subsidiariam in audiendis pœnitentibus opem ferret: jam verò ingruente nocte subveniendi modum non reperiret. Ille hoc Superioris desiderium, mandatum interpretatus, è vestigio ad eundum se obtulit, & 12. illa Tusculum milliaria Italica scipione viatorio nixus, pedetentim totam noctemq; ambulando, in continua Oratione solitarius confecit: & sub primum diluculum apertâ Ecclesiâ Confessionale ingressus, locò se non movit, donec universi pœnitentes absolverentur. Tum demum sacris operatus, dùm nemo impransum suspicatur abiturum, resumpto baculo Romam repetit; quòd Sub-Minister Confessiones tantùm audiendi, non autem etiam prandendi copiam vel mandatum dedisset. Neque hoc semel tunc, sed iterum ad Festa Natalis Domini evenit; ubi gelidissimâ nocte ambulans, duas integras horas, nè domesticorum somnum turbaret, ante januam Templi Tusculani constitit, donec ad surgendum dato signo illud ingressus, ut recepto calore frigus expelleret, Aram sacrificaturus accessit: atque indè pœnitentibus ad primam usque post meridiem horam auditis, nec ad bolum sumendum induci se passus, Romam, utì venerat, ad consveta sua Operarij munia se retulit. Ingens etiam illi erat de virtute ab Obedientia dimanante fiducia, & felicis successûs, esto difficillima, imò humanis viribus perfici impossibilia juberentur, certa securitas; ut adeò huic unicè attribueret illam admirabilem conceptuum, & elocutionis copiosam promptitudinem, quoties improvisus ex tempore dicere vel nutu aliquo Superioris cogebatur. Quam ipsam cujuslibet Superiorum placiti non minorem quàm expressi mandati observantiam ità remunerabatur DEUS, ut id sensibiliter ipse experiretur. *Si scires*, dicebat aliquando ad confidentem amicum, *quanta confusio & horror mihi sit ascendere pulpitum, nescienti quid di-*

ctu-

cturus sim! & inter dicendum prolatâ unâ periodo, ignoranti qualem subnexurus sim! ità anxium & angustiatum nunquam tamen destituit DEUS, infallibiliter semper subministrando eleemosynam. Atque ex hoc principio consilium omnibus, è diversis Ordinum Religiosis id petentibus, dabat, ut quidquid à Superioribus imponeretur, esto vires & facultates suas manifestè excederet, cæcâ promptitudine acceptarent: solitus exclamare, *ò quanta miracula, licèt nobis minimè comperta, per Obedientiam DEUS operatur! efficiendo nos potentes ad alacriter & facilè exequendum, quod nobis relicti nunquam perficeremus.* Ità cùm in Cœnobio Sanctæ Marthæ Virginum cuipiam impositum esset munus procurandæ dispensæ, petit hæc inducias consulendi Patris Zucchi: siquidem inimicissima ejus complexioni hyems ruptas frigore manus (quarum opera ad id munus maximè erat necessaria) miserrimè efficiebat, ut quidquid ferè tangeret, vestigia sangvinis relinqueret, coacta idcirco involutas per totum brumæ tempus servare, & identidem calore ignis & aquæ tepefactæ confovere. sed auctor nihilominus illi fuit Pater acceptandi citra excusationem muneris, fiduciâ in DEUM conjectâ, qui auxilia specialia, etiam supra naturam, obedientibus exhibere consvevisset. Planéque ità evenit: nam licèt eo anno frigus insolito gelu desævijsset asperrimum, illi tamen absque ulla custodia vel fomento nudis manibus sua omnia pertractanti, integræ absque omni hiatu & scabritie, ac propè impassibiles duravêre. Indè etiam semper Superioris partes tuebatur, neque sustinebat audire querulantium in eos lamenta, sed omnia excusando sive bene sive perperam juberent, obediendum esse concludebat: quòd hoc evincerent rationes æternæ, quas præ humanis omnibus, utpote incertis & fallacibus, attendi oporteret; nam obedientiæ verissimè convenire illa psal. 138. *sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus.* In rebus denique perplexis & dubijs omnibus affirmabat expertum se, quantum differret operari aliquid ex consilio & arbitrio Viri etiam sapientissimi, aut ex placito Superioris. quod enim fieret ex hoc, ibi semper intervenire DEUM, cujus auxilij certum non posse ambigere de successu; dum prudentissima è contra Sapientum consilia, quia merè humana, neque arbitrio in oppositum probabilitatem tollentia, ex nullo capite obstringerent DEUM, ad præstandum effectum. Ex quo etiam dolenter ferebat adduci à Superioribus, si quid injungerent, rationes suæ ordinationis, quòd hoc esset procedere ex principijs prudentiæ humanæ, posséque fieri non raro, ut efficaciores in oppositum subdito occurrerent: cùm Obedientiæ proprium parere idcirco præcisè, quia Superior id velit, cùm ejus velle agnoscatur esse velle DEI, cujus rationes nunquam expetuntur, sed est altius omnibus humanis rationibus, & meritò totum valorem conciliat: quod adducta insuper à Superiore suæ voluntatis argumenta & rationes pessumdant, & ex actu Obedientiæ, actum meræ prudentiæ humanæ efficiunt.

Ità animo comparatus ubi vocem Superiorum audijt, & in messem animarum Operarium se mitti sensit, nullam sibi quietem indulgens, *opportunè, importunè,* quod requirebat Apostolus à Timotheo ep. 2. c. 4. publicè, privatim, è pulpito, de plano requisitus, & spontaneus prædicando, sermocinando, exhortando, svadendo, instabat operi, ità ut quoties domô prodiret foras dici ex verò posset, *exit qui seminat seminare semen,* Luc. 8. Nec fuit ex ore ejus audire verbum quod caderet in terram, & non tenderet in DEUM, amoréque illius quo ipse deflagrabat, alios incenderet. id quod videre potissimùm erat quâvis feriâ 6. in Templo Domûs Professæ Romanæ ab Giesù, in ejus lachrymis, quibus tot annis ibi perorando communiter ipse perfusus, in easdem omnes trahebat auditores sermonum de Bona Morte, sive Agonia CHRISTI. Quibus non tantùm interveniebant constanter aliquot Cardinales, sed & Alexander VIII. eos sibi fideliter domi repeti faciebat. Erátque indubitatum omnibus, per illum non nisì DEUM loqui; ut tametsi acerbè vitia reprehenderet, nemo tamen se perstrictum sentiret vel indignaretur. Ità cùm aliquando præter morem acriùs in Palatio Apostolico, exaggeratis sigillatim quibusdam excessibus, peroràsset, fuit qui diceret, *proh! quid fieret alteri cuipiam, si vel tertiam partem eorum, quæ Pater Zucchi, dicere hoc loci præsumeret!* Cui Cardinalium unus, *non est paritas,* respondit; *nam Pater Zucchi Vir est sanctus, & ùt talis agnoscitur ab omnibus.* Sed parùm illi erat labor in tot concionibus, sudoribus, cursitationibus exantlatus, nisì ad multitudinem & perpetuitatem tot dictionum, ut dici posset infatigabilis, accessisset tot adversorum & incommodorum perpessio, ut meritò videretur esse impassibilis. Antequam assummeretur ad Conciones Pontificas

ab

ab Alexandro VII. quoties ad Conciones seu per Quadragesimam, seu alio tempore habendas peregrè accersebatur, iter faciebat solus, si Societas ibi domum haberet: hoc autem ob multitudinem animarum, quarum Romæ curam gerebat, nunquam inibat citiùs, quàm ut pridie Cinerum, aut cujusvis dictionis, in loco adesset. Atque ità cùm venisset Faventiam ultimo Antecineralium die, à densissima nive & frigore totum illum diem sæviente, & ad ipsa ossium intima penetrante, apparuit quasi emortuus, & omni manuum sensu destitutus: quo per calidam aquam utcunque recepto, manè sequenti Quadragesimam exorsus est. Iter enim quodcunque peragebat pallio pertenui & detrito, veste levissimâ & solâ telâ suffultâ, nullo usus æstate umbraculo, manicâ hyeme vel chirothecis, solo pane in diversorijs ad refectionem contentus. Placentiam verò cùm pridie Cinerum duabus horis in noctem seriùs adveniens nullis precibus ingressum impetraret, coactus est totam eam noctem sub dio, aëre perfrigido transigere. Sæpius illi contigit ità solitario per summas tenebras, viâ lutosâ & profundâ, asello vel equo ob summam lassitudinem progredienti, ut neque vestigia jumenti, & quônam graderetur discerneret: cúmque non semel deviâsset, etiam ad invia delatus præcipitia, unde non dabatur regressus, mirabiliter DEI ope ereptus est. Reducem à Quadragesimæ concionibus Lucca habitis Romam, rogavit notæ sanctitatis persona, num tali die & horâ discriminis aliquid in via & periculi vitæ adijsset? fatenríque & ipsa narravit eodem temporis puncto incitatam se insolito & vehementi fuisse impulsu ad eum in oratione DEO commendandum: nihil tamen plus tunc sibi divinitus innotuisse, quàm illum in præcipitio versari, ex quo evadere nisì divinitus nequiret. Creditur autem fuisse discrimen illud, in quod ab equo præcipitatus est, dum hic posterioribus pedibus cespitans, ijsdémque in profundam voraginem delapsus, quia tamen prioribus calcibus fortiter in marginem voraginis defixis corpus attinebat, remansit unà cum sessore in eam dependens. Accurrit equiso, qui tum fortè sequebatur, & Patrem eâ dexteritate & robore (utrumque suppeditante Numine) arreptum sellâ extrahit, ut plantis terram marginis attingere, & præcipitium saltu evadere posset. Quo facto equus veluti deposito solutus, subitò delapsus in præceps ruit, tracturus unà & confracturus Patrem, si in sella tantillum remansisset: quod naturaliter evenire priùs omnino oportuisset, dum insuper pondere Patris gravabatur. Aliàs viam (ut ingredienti apparebat) meliorem secutus, paulò pòst ad præcipitium per illius confragosa deductus est, unde nec progredi ultrà, nec regredi dabatur: cùm repentè illi adstitit homo, quin priùs adverteretur unde venisset, aut quâ causâ in loco deserto, inaccesso, & invio compareret: hic blandissimâ humanitate, nullum tamen prolocutus verbum, equum loris prehensum retraxit, & & in semita statuit, quâ securè in viam rediret. Gratijs pro beneficio redditis & acceptis ità momento disparuit, ut oculis undique à Patre requisitus, nullibi vel recedentis vestigium appareret. Nec parùm molestiarum ferendum erat ab aëris injurijs, & qualiber Cæli intemperie, in habendis quotidie per Virginum Romæ Cœnobia dictionibus, quia enim in singulis certam designabat illis audiendis horam, ibat per summos etiam imbres, nè si pluviæ finem expectaret, pabulo suo aliquod aliud per eam moram frustraretur: itaque utì quò venisset pluviâ usque ad pellem madidus, ità exedram conscendebat, illius aquis suas è sudore Apostolico admisturus. Malum suum familiare & domesticum, podagram & chyragram, quanticunque essent dolores & torturæ, & totam noctem insomnem acerbitate suâ fecissent, non plus sibi impedimenti facessere ferebat, quàm quòd non suis, sed alienis pedibus locum dicendi subire cogeretur. Et sufficiebat vel hoc spectaculum ad excutiendas auditorio lachrymas, dum eum videret octogenario majorem & podagricum, quavis nihilominus feriâ 6. ad dictionem Bonæ Mortis ad templum deferri, & ante Aram majorem in gestatoria constitui. Idem illi evenit Luccæ per priorem Quadragesimam (duas enim illic absolvit) conciones habenti, ubi propè toto ejus decursu pertinaci podagrâ & chyragrâ occupatus, nullam tamen ullo die intermisit. Et licèt ejus doloribus summè extra cathedram cruciaretur, in hanc tamen illatus cum initio dictionis videbatur eorum penitus oblivisci, vel inducias obtinere, pari semper efficaciâ & spiritûs vigore perorans. Quin etiam quotidie faciebat se ad bina ejus Urbis Virginum Cœnobia deportari, ad tradenda S. Ignatij exercitia, & habendos sermones, maximo earum in spiritu & observantia religiosa profectu. Si autem deessent dolores & afflictiones extrinsecæ, tantò magis spontaneas adjungebat; vix unquam

quam toto dictionum Quadragesimæ decursu, & ùt Placentiæ observatum fuit, nè unâ quidem nocte super strato, sed nuda in tabula decumbens: & quolibet manè, ùt primùm campanæ signum ad surgendum insonuisset, longâ & atroci flagellatione in corpus desæviens. Nec à verberibus & molestijs afferendis abstinuêre dæmones, indignati tot sibi animas per eum eripi. Ità manè quodam ardenter pro salute certi hominis precatus, ingenti tumultu, quasi totum conclave rueret, audito, vidit adstantem sibi terribili formâ dæmonem, qui immani pugno super collum impacto humi pronum dejecit, & crudeliter prostrato exprobravit, *hoc habes*, inquiens, *quia præsumis mihi adversari, & animas omni jure jam meas ereptum ire.* At Pater recedente spectro impigrè in genua consurgens, tantò impensiùs eidem orationi institit, quantò magis eam dæmoni invisam expertus est. Sæpiùs aliàs visibili & multiplici formâ illi molestus, omnem lapidem incassum movebat, ùt à conatu è scelerum barathro eripiendi inveteratos peccatores, veluti frustraneo, eum averteret: sed constanter aliquandò pro certa persona orare perseveranti, mox ubi dæmon disparuit, nuncius è cælo advenit, exauditas preces significans, & personam illam post certæ Religionis ingressum, in professione sancta perseveraturam. Quis autem enumeret vitæ discrimina, quæ apud Veneris mancipia & insanis amoribus in mulierculas furentes lenones sæpissimè incurrit? nam velut atrocem injuriam interpretati ereptos sibi, & nè spem recuperandi haberent, Monasterijs conclusos amores, toties in ultionem ejus, verbera, & necem ipsam conjurârunt, ut prodigio simile videatur, illum indemnem semper evasisse.

Quemadmodum autem Pater in qualibet cum proximis actione, colloquio aut conversatione, in solum DEI honorem & animarum profectum intentus, nunquam intermisit de divinis rebus tractare, & quemlibet alium discursum tandem ad æviterna traducere; ità DEUS verbis illius & consilijs efficaciam pondúsque admirabile imprimebat, ut nemo cum eo ageret, quin melior in aliquo saltèm, quàm accederet, recesserit. Accessit illum aliquando Confessionis gratiâ Nobilis adolescens, è longa per varias Orbis partes infidelium, & omnis generis sectarum peregrinatione Romam delatus, quarum omnium vitia ubique collecta, præsertim omne genus spurcitiarum, videbantur in ejus pectore sedem fixisse. Audivit illum non aliter quàm filium prodigum à siliquis porcorum ad Patrem revertentem, ingenti patientiâ & compassione: & quia videbat tantâ assvetudine appetitus suos sequendi, & nihil corpori negandi obduratum, non tam facilè & repentè in eas spiritûs vires assurrecturum, ùt posset & vellet inveteratas omnes consvetudines & suggestiones intrà se, & occasiones foris excutere, impensè animatum hortatus est, nè quantovis in eadem & quævis alia scelera relapsu, animum aut spem emergendi abjiceret, sed ad Confessionis remedium constanter recurreret, promptum se reperturus quoties audiri vellet. Benignitate hâc plus quàm paternâ citra ullam sui reprehensionem vel acrimoniam, inescatus animus generosus, fideliter ad Patrem semper recurrit, licèt nihilò aut parùm unâ quàm alterâ Confessione melior, in quo inveteratus habitus in quandam necessitatem transiverat. Maximus Patri indè nascebatur dolor: qui tandem modum suggessit illius plenissimè emendandi, ut videlicet eum integrè consignaret in manus Beatissimæ Virginis, quæ est Refugium peccatorum. Igitur proximè reversum ad faciendam exomologesin, illâ peractâ sic affatur: *Fili mi, pro bono & animæ salute, in vicem omnis satisfactionis & remedij, cupio tibi in Dominam & Matrem assignare Beatissimam Virginem, quam si acceptas, & reverà cupis ei vicissim exhibere te servum & filium, experieris certissimò ejus protectionem, & auxilium emendandæ vitæ necessarium. In signum autem sinceræ acceptationis non plus exigo, quàm ut manè quolibet, ut primùm consurgis, dicas unum AVE MARIA in honorem ejus purissimæ Virginitatis: & hæc addas: Domina & Mater mea, in fidem & signum meæ subjectionis, consecro tibi hodiernum diem, & dono oculos meos, aures, lingvam, cor, ac totum me: itaque per hunc diem tuus sum integrè, tu me defende & posside tanquam tuum. Idem repetendum erit sub crepusculum vespertinum, adjecto triplici terræ osculo. Quòd si eô die vel nocte sentias te carnis stimulo, aut dæmonis tentatione impelli ad quidpiam illicitum, dicito continuè, Domina recordare quòd tuus sim, tuere me, tanquam rem tuam propriam!* Nobilis tam facili & teneræ pietatis remedio adversùm tam enormia mala captus, pleno corde observaturum recepit, & paucis diebus aliàs adhuc lustraturus Regiones cum æqualibus, acceptâ Patris benedictione, discessit. Post novum peregrinationis quadriennium Ro-

Romam relatus, ad Patrem confessurus redijt: cui aure concessâ, *videbar mihi*, ajebat Pater, *audire Confessionem sancti & innocentis hominis*; atque ex eo non sinè stupore quærens, unde tanta esset morum mutatio? audijt in tenerrimas effusum lachrymas respondentem, devotionem erga Beatissimam Virginem ab ipso præscriptam, & ab se fideliter observatam id effecisse; sensisséque ab ejus invocatione, quoties tentatio ingrueret, cor sibi & animos ad resistendum addi, ut nunquam succumberet. Hoc exemplum cùm alicubi retulisset in Quadragesimali dictione, Tribunus militaris mulierculæ amoribus implicitus id audiens, quia imitatu facilè judicabat, & è cæno abominabilis vitij emergere cupiebat, sequendum sibi proposuit. Et adfuit illico DEIparæ gratia, ut pariter Amasia intimè commota statuerit, inhonestæ consvetudini nuncium remittere. Ergo ipse institutâ ad proximum Pascha feriâ confessione, in quotidiana illa devotione, & inviolata propositi observantia constans permansit, donec semestri elapso cupiditas subijt experiendi, an pariter amica vitæ melioris tenax duraret, an fortè alterius cujuspiam amoribus se implicuisset? dúmque dæmonis fallaciâ in certum relabendi periculum se trahentis deceptus, vespere quodam domum ejus accedit, & à nemine observari se videns, manum jam aperiendæ januæ admovet, sentit se intimo animi remorsu ad abstinendum commoveri: quo compunctus, elatis ad Virginem oculis, *Domina adjuva*, exclamat, *quia sum tentatus*! Et ecce eodem momento advertit, se brachio invisibili manu prehensum à janua retrahi, & ad proprias usque ædes reduci, ubi relictus sibi cùm undique auctorem frustra circumspiceret, factum demum indubitatè Genij alicujus Cælestis credidit. Ex eadem devotione cùm effrenis adolescens in morigerum prorsus evasisset, Mater illius gratias Patri multis lachrymis relatura Collegium accessit, quòd filium ex Diabolo Angelum hoc medio (quòd è filio fortè resciverat) effecisset. Nec minoris fuêre efficaciæ alia id genus consilia & dictamina. Evocatus die quodam ad moribundum juvenem est, solam ejus præsentiam & ultimam benedictionem ante obitum anhelantem, à quo rogatus Pater, num se agnosceret? cùm inficiaretur: octo, inquit, menses hodie sunt, cùm in Romano Collegio abs te petij edoceri praxim, vitam meam in obsequio & amore DEI sanctè traducendi; tu verò solam hanc suggessisti, *delectare in Domino:* ut nimirum omnis mea delectatio foret in quærendo placere DEO: omnis mea recreatio, omnis consolatio, omne desiderium & velle in solis rebus DEO placitis. Hoc dictamen intimè animum cùm penetrâsset, quanta in me bona fideliter observatū hoc tempore patraverit, disces ex obsignato scripto, quod sub cervicali reperies, non tamē priùs lecturus, quàm vivis me excessisse rescivcritis. Tū pro documento tā sublimi gratijs redditis, supremâ apprecatione donatus Patrē dimisit, nec multò pòst placidissimè expiravit. At hic reseratam chartam non semel aut iterum coram diversis legit & relegit, cum novo semper cordis jubilo & ad sanctitatem incitamento; siquidem hâc referebantur insolita, ex quo praxim illam adhibuit, animi solatia, & dulcissima cordis quies, tot tantísque Cæli favoribus & gratijs cumulata, ut ijs explicandis non sufficeret. Idem penitus dictamen suffecit ad plenam sanctitatem provehendæ Sanctimoniali certi Romæ Parthenonis, quem cùm Pater Zucchi non adiret, utpote sui Ordinis Patrum directioni subjectū, ipsa sublimioris perfectionis cupidissima instanter à DEO precabatur, per aliquem instituendæ sanctiùs vitæ methodum edoceri. Cùm multâ famâ de Patris Zucchi sanctitate permota, in spem venit, ex illo viam vitæ Cælestis audiendi. Sæpius vocatus, & per intercessiones amicorum rogatus, venire nunquam voluit, donec precibus Virginis inclinatus ejus cognatus Societatis Generalis Mutius, accessum Patri imposuit. Hic illa pedibus ejus advoluta, *Pater*, inquit, *ego cupio fieri sancta, & ex te modum doceri, quo id assequar*. Cui ille: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: Psalm. 36. Nec ullo præterea adjecto verbo, colloquium solutum est, nam effatum illud ignis fuit & lumen clarissimum, totum Virginis cor occupans, ut nihil ultrà vel ab Angelo svaderi posse crederet. Itaque ingenti fervore dictamen illius in constantem usum deducens, altissimæ Perfectionis gradum brevì conscendit: quando paucis annis longam & ærumnosam DEUS ægritudinem virtuti ejus probandæ immisit; quam incredibili non jam patientiâ, sed gaudio & solatio ferens, ubi monita est parùm sibi vitæ superesse, potestatem obtinuit cui maximè vellet Sacerdoti supremùm confitendi. Desideravit illa quempiam de Societate, illum præ reliquis, cui in Religionis ingressu generalem de Vita sæculari homologesin fecerat: sed DEO ità disponente, quia is non erat ad ma-

manum, missus est Pater Zucchi. Ad cujus conspectum illa mirè exhilarata, nostíne me Pater? inquit: neganti verò, totam historiam dati sibi consilij ad sanctitatem, per delectationem in solo DEO quærendam, recensuit: cujus unicè semper exambitæ medio, licèt non possim dicere me evasisse sanctam, respectu tamen vitæ priùs in Religione actæ, sanctam vixisse asserere cogor. Ac tum recensitis maximis à DEO receptis favoribus, inter uberrimas lachrymas à peccatis totius vitæ expiata, paucis diebus sanctè decessit.

Eadem cælestis vis illi adfuit in cordibus hominum obfirmatissimis subitò ad meliora inflectendis. Quo tempore conciones habebat Luccæ, contigit Monialium quandam ætate floridissimam 21. annorum, Nobilis prosapiæ, vivacis & excitati genij, repentino malo ità prosterni, ut Medici depositam voluerint à Confessario moneri, nullam spem vitæ nisì paucorum dierum superesse. Sed illa inexpectato nuncio adduci non potuit ut fidem adhiberet, multò verò minùs, ut ad transitum extremis Sacramentis muniri, & de morte aliquid audire vellet. Afflictis rei insolentiâ Sororibus, tandem in mentem venit expugnandæ obstinatæ Zucchium accersere: qui sinè mora accurrens, omnibus è cubiculo dimissis, alloquio non integri quadrantis horæ ità animum ejus immutavit, ut nihil aliud quàm citum è vita exitum anhelaret, nec aliud loqueretur, cogitaret vel ageret, nisì quæ ad beatam migrationem conducerent. Alia Virago sæcularis obstinatè aversa à statu Religioso (prout ipsa jam Monialis referebat) accessit ejus Confessionale ipso Natalis Dominici die: ubi ipse me, ajebat illa, verbis svavitate plenis, sed simul efficacissimis stringebat, ut præ angustia spiritûs sudarem: intérque alia dicebat, DEUS te tam constanter exambit & consequitur, tu verò dorso illi obverso refugis! Dúmque tandem impatiens reponerem, aliâ me causâ Romam venisse, quàm ut Monacha fierem: hoc ipsum sibi bene constare subjecit: sed DEUM intentione illius eversâ, aliud illâ fieri velle. Abivit tandem cum firmo proposito non ampliùs ad eum redeundi. Nec opus erat, aculeo jam animo tam profundè infixo, ut quietem nullam, donec Religiosa fieret, reperiret. Usitatissimum illi erat, tenerâ pietate in DEUM inescandis puellis, & Virginibus etiam sacris, incentivum, Imago JESU infantis, cujus Icones è Virgine cera ad omnem elegantiam & pietatem (non fædè nudas, ùt passim circumferuntur) decentissimè suis manibus Patri in hunc finem copiosè efformabat Principissa Burghesia, & ille liberaliter distribuebat, quotquot à mundi illecebris ad DEI amorem, vel insignem virtutem provehere intendebat. Erat Matrona in Urbe insignis pietatis & liberalitatis, commune Patri refugium, cujus educationi & custodiæ passim puellas periculis castimoniæ subductas committebat: huic, ut gratus vicem aliquam rependeret, optabat ex animo, procurabátque apud DEUM, ut filiæ ipsius animum inderet ad statum Religiosum. Verùm hæc licèt optimæ & innocentis educationis, pro indole tamen sua nobili & vivacissima, tota erat in elegantia corporis, ornatûs, & vanitatum illecebris, ut nihil minùs sperari posset, quàm ut vellet his omnibus in claustro inclusa nuncium remittere; neque adeò ullum locum seminandi in suo corde casti consilij Patri permitteret. Ergo multis precibus commendato negotij JESU infanti successu, Iconem ejusdem unam puellæ donat: ad quod munusculum illa subridens, quid autem faciam cum hocce Infantulo? nihil aliud, subjungit Pater, nisì ut eum testudini tuæ, quoties hanc tangere voles, superimponas. Ludebat autem hoc citharæ genere scitissimè, miréque delectabatur, ut magnam diei partem in eo consumeret. Itaque tam facili pietati assentiens, dum ludendo JESULUM semper habet ob oculos, & identidem respicit, blandè contemplatur, cœpit subinde pio aliquo sensu & gustu Cælestium tangi, tantò sibi delectabiliore, quantò magìs illi peregrina erant & insveta solatia spiritualia: quæ sensim bonas ei cogitationes, affectus in JESULUM teneriores, ac tandem illi placendi & sanctiùs vivendi desideria ingenerabant; sic ut barbitus magìs fieret instrumentum adorando & canendo DEO, quàm animo suo vel aliorum recreando. Denique potenti aliquando instinctu tota in DEUM commota ad Patrem accurrit, & victoriam de se ab Infantulo Domino reportatam narravit, séque Religiosæ vitæ quantocyus addici expetijt: magnâ Urbis admiratione & exemplo propositum executa, & ad insignem perfectionis gradum constante adnisu provecta. Mirabilior successus fuit cum Sanctimoniali, à qua per similem puelli JESU effigiem mirè obtinuit, quod sæpius omni adhibito conatu nunquam extorquere potuit. Erat illi in delicijs animalculum, seu sciurus fuerit, seu caniculus, quod pro sua recreati-

one & distractione comparaverat, non aliter illi noxium, quàm quòd animum & cor occupando curas propè omnes ad se attraheret, & à cogitationibus divinis abstraheret, sic, ut plures horas illi colludendo, pascendo, & blandiendo consumeret. Nulla propè transijt occasio, nullum alloquium, quo non illam Pater (cujus erat filia pœnitens) hortaretur ad amandandam bestiolam, útque delectaretur potiùs in Domino, & ad placendum illi curas omnes & amores transferret, tempúsque illud quod velut herula sæcularis irrationali bruto fovendo, DEO per religiosa obsequia, prout illius servitio consecratam decebat, impenderet. Sed cùm frustrà essent omnia, & quantumlibet illa semper relegationem bestiolæ polliceretur, primo tamen ejus conspectu ità intenerescebat, ut id à se impetrare non posset: tandem die quodam mox à Confessione cum illa agens super hoc ejus delicio, bene habet, inquit, quando ità placet, retine sis tibi hoc oblectamentum, sed ità, ut non aliter illud habeas quàm ego præscripsero: Cúmque illa mirè exhilarata omnia promitteret; quando, subdit Pater, cubitum concesseris, bestiolam mollissimâ lectuli parte unà compones, JESULUM autem hunc, quem tibi dono, sub lectulo nuda super humo collocabis. vide sis nè aliter facias. Sub tempus somni ubi ad reponendum humi Cælestem Infantulum, cubante in molli lecto bestiâ ventum est, remordente conscientiâ tota inhorrescens, impetrare ab se vix potuit ut obediret; & ingruente copiosâ è cælo luce, ut abominationem suam pervideret, totam noctem insomnis, inter gemitus & lachrymas transegit: atque ubi dilucuit, bestiolam ab se & toto Cœnobio relegavit, & ab eo die veluti fascino soluta, corde in DEUM & cælestia expedito, totam se divinis obsequijs & arctissimæ observantiæ addixit. Atque his & similibus modis ingentia in cujusvis sortis animabus bona perfecit, & mala præpedivit. Intellexerat alicunde Pater apparari certo loco in horas nocturnas convivalem cænam, perpensáque loci, temporis, & convivarum qualitate, ominabatur, magnum apertum iri aditum varijs, nec levibus DEI offensis. Quare omnem lapidem movit turbando conventiculo, & avertendis ab accessu saltèm confidentioribus aliquot amicis; sed cùm frustra tentaret omnia, quòd nemo haberi vellet primus datæ fidei violator, observatâ horâ dum convivæ jam adessent, eò se intulit, & humanissimè consalutatis, inter officiosos sermones, priusquam accumberetur, subintulit, alieno rogatu primariæ cujusdam Dominæ se advenisse, ambientis, ut inter convivantes admitteretur & ipsa hospes. Dúmque Cænæ Patronus & invitati omnes perlibenter annuerent; Dominam hanc dixit esse Cæli Reginam; quæ nihil ipsis futura esset importuna, cœnarent ipsi, & hilariter ad omnem jucunditatem convivarentur, solùm illi in capite mensæ, pro tantæ Reginæ dignitate, positâ ejus sacræ Imagini sellâ accubitum concederent. Assensêre universi pro reverentia, quâ Virum observabant: cænatique si unquam hilariter & jucundè, non fuit vel unus, qui verbum aut gestum indecentem, ob memoriam unà convivantis Cæli Dominæ, auderet depromere.

Et hæc quidem opera erant Zeli Apostolici in proximum spiritualia, nam corporalia & externa nihilo erant minora vel pauciora. Expendebat ille in omne genus pauperum, ægrorum, peregrinorum, sed maximè tot puellarum de pudicitia periclitantium, aut cæno libidinis ereptarum, ínque easdem dotandas, elocandas, alenda & fundanda integra earum Cœnobia, aliásque pias causas, tot annorum decursu multa scutorum millia; & nullum defectum passus, tantundem & ampliùs semper à liberalibus Patronis recipiebat, certissimis, ea ritè pro DEI honore expendenda. Et ut priùs videatur, quàm profusus fuerit in elargiendo de suo domestico (indè enim facilè conjicietur, quantò effusior fuerit ex aliunde commodato) post illius Collegij Romani gubernationem dici ex vero tria poterant, neminem ex ejus decessoribus majoribus Oeconomiæ damnis fuisse affectum, à nemine in dividendis liberalissimè eleemosynis superatum, & tamen in liberando ab ære alieno Collegio, potiore debitorum extinctâ parte, omnibus antecelluisse. In uno dominio Collegij interceptum illi est ab altiore potestate uno anno omne frumentum, & certa illius mensura, quæ tunc veniebat 18. scutis seu coronis, non nisi per 6. scuta persoluta. In alio dominio similiter omne granum interversum, & quantitas alioquin 42. Julijs æstimata (nostratibus 7. florenis) non nisi 13. Julijs, id est, 2. florenis 10. cruciferis repensa: præter integram navim frumento onustam, quæ absque omni compensatione abrepta est. Recepto de tot damnis (unde toto anno Collegium sustinendum erat) nuncio, cùm modicè exterritus apparuisset, illico oculis in Cælum erectis totus alacer, reperi, inquit, modum reparan-

parandi tot illata detrimenta: obligandus est nobis DEUS liberalioribus eleemosynis, ad illa liberaliter refundenda. de reliquo ejus curæ omnia sunt relinquenda, qui potest quod vult, & quod voluerit certò futurum est, quantumlibet nobis videatur desperatum. Simúlque perlustrari jussit omnes Collegij officinas & receptacula, & quidquid præter absolutè necessaria superflueret in unum colligi, & in pauperes cum adjuncto notabili ære distribui. Altero ejusdem Rectoratûs anno, cùm maximâ annonæ caritate pænè tota premeretur Italia, & Roma præcipuè ob pauperum undique accursum laboraret, ut idcirco passim velut ex condicto etiam ditissimi diurnum panis dimensum familiæ & Operarijs imminuerent, Zucchius nec unum granum detrahi passus est, nè quidem in panis 8. unciarum libunculis, quotidie è Collegio in pauperes magno numero distribui solitis. Quibus eleemosynis tantam à DEO liberalitatem promeruit, ut præter omnes Collegij absque ullo defectu expensas, supra viginti millia scutorum æris alieni, per Decessores suos contracti, exsolverit. Eodem stylo & fiduciâ in DEUM remuneratorem processit regendo Domum Professam, & priùs Collegium Pœnitentiariæ ad Sanctum Petrum, ubi aliquando interpellatus à Procuratore anxio, & summopere desolato, quòd in toto ærario, ex quo sustentandi erant tot Socij usque ad novos census, non remanerent nisi triginta scuta, quæ in unicum de præsenti summè necessarium sumptum non sufficiebant. Pater collecto tantisper in DEUM animo, & oculis mox in Procuratorem conjectis subridens, quid mihi rependes, ait, si ad manus præcisè sumendo tua 30. scuta, tibi reddidero 300.? & te insuper artem idem efficiendi edocuero, in quovis simili casu, & pecuniæ indigentia? Nec mora, abit hic alacer, & alacriùs multiplicandos affert nummos: quos in manum acceptos Rector eidem restituit, jubétque confestim omnes, nè teruncio reservato, in egenos distribui: sic enim, inquit, debitorem facimus DEUM, ut nobis juxta infallibile suum promissum, restituere centuplum cogatur. Atque hoc ille semper à DEO expertus, non satis capiebat dementiam Christianorum, tam parcè in pauperes inclinatorum, cùm ad firmandam suam fidem non dedignetur quandoque Dominus in propria persona, mendici formâ stipem accipere, ut certi reddamur sibi mutuari, quod pauperibus erogatur. Et illi quidem summa erat cordis afflictio, si rogatus eleemosynam non haberet ad manum quod largiretur. Indè per tot annorũ itinera, quæ per varias Urbes concionando obibat, nullum unquam præterire mendicum passus est, cui non aliquid de paupertino suo viatico erogaret, jejunando ipse, parciúsve edendo, ut plus distribuendum superesset. & cùm aliquando ultimo dato obulo, propè viæ terminum alius insuper stipem rogâsset, Breviarium illi tradidit oppignorandum aurigæ, dum ipse in termino exolveret. Aliàs tribus è Germania peregrinis panem petentibus non habens quod largiretur, ipse pro illis mendicus factus, in proximo diversorio tantùm panis corrogavit, quod in cœnam ijs sufficeret. Atque hæc in subveniendo corporum indigentijs charitas longè profusior erat, quoties necessitati animæ simul medebatur. Accesserat illum Juvenis Ultramontanus elegantis formæ, quam augebat exquisita modestia moréśque cultissimi, nescio quo casu eò redactus, ut cogeretur aliorum captando gratiam victum conquirere, cui impetrando vel soli oculi corda intimè ferientes sufficerent. Pater exploratâ ejus conditione & innocentiâ, de qua manifestè ità periclitabatur, unáque desiderio repetendæ, si viaticum adesset, patriæ, tantum illi pecuniæ per tertiam manum suppeditavit, quantum in reditum honestum nobili adolescenti, citra alienæ gratiæ necessitatem, sufficeret. In hos & similes casus, fatebatur ipse, quoties ingruerent, & esset dotanda v.g. pupilla aliqua, vel conversa, ad nuptias vel Monasteriũ, semper unde unde obvenisse sibi quantum elocandæ requirebatur, neque minùs aut ampliùs, ídque submissum ultro à personis, quæ nullam necessitatis habebant notitiam. Ità aliquando sub vesperum ex Urbe reduci ad Collegium Romanum, in ipsa area scholarum obvius adolescens elegantis formæ, bursam pecuniæ plenam in manum imposuit, nullo alio dicto verbo quàm accipe h nc eleemosynam: quem cùm subitò abeuntem circumspiceret gratias relaturus, nullibi totâ areâ comparuit, cùm tamen ultra duos trésve passus recedere nequivisset. Et erat præcisè tantum æris, quantum præsens certus usus, qui multum sollicitum Patrem tenebat, requirebat.

Inter præcipua ardentis animarum zeli, & utilissima Patris opera, erat impositum illi à Sacro Cardinalium Collegio munus Confessarij Conclavis, in quo totis 80. diebus inclusi detinebantur in electione Pontificis Alexandri VII. ad quod evocatus Pater non

parùm contristatus est, otio sibi conterendum ibi tempus, post Confessiones manè auditas, metuens, qui Apostolicis operationibus totum diem insudare assvetus, plusquàm alij ferventes quaterni Operarij laborum exhauriebat. Sed DEUS illi campum occupationum tam copiosum, ad summam totius Conclavis utilitatem, & simul fertilissimam patientiæ palæstram illic parabat, ut Confessiones excipiendæ minima esset laborum portio. Datis enim somno quaternis, quibus longo usu insveverat, horis, reliquum noctis ad usque diluculum meditationi impendebat & orationi: tum Confessionale in Sacrario Paulino ingressus non exibat, dum Cardinalibus scrutinium pro electione Pontificis ingressis, Sacerdotes pariter omnes & Clerici (quorum ingens ad obsequia Cardinalium aderat numerus) suas quoque absolvissent homologeses, quòd vix ulli forent, qui non quotidie sacram hostiam DEO litarent; séque priùs eidem reconciliarent. Quos inter & ipse absoluto sacrificio, ad quod illos invicem sibi ministrare oportebat, serviebat quotquot id obsequium admitterent alijs. Indè sensim familiaribus alloquijs & conversatione, cujus gratiâ ad miraculum pollebat, animos Conclavistarum (ità eam Cardinanalium familiam vocant) captare, & gustum rerum spiritualium prolicere; donec operâ aliquot divinis magis addictorum, fallendo velut tempori, in cœtum coire sub vesperam recitando Rosario inciperent, dum Cardinales interim collecti de futura electione conferebant; cui Pater subjungebat brevem super re quapiam divina discursum; donec ità Exercitium in Templo nostro Professorum quavis feriâ sextâ usurpari solitum, Bonæ Mortis, induxit, cum expositione in Sacrario Sanctissimi Sacramenti. Eâ devotione mirificè affecti, orexim Cardinalibus illico excitârunt, ut & ipsi interesse vellent, debuítque primùm hæc differri ad finem quotidiani eorum conventûs, ità ut paulò pòst nè unicus è sacro Collegio, nisì ægritudine præpeditus, abesset; postea verò, quò fructus major & proprius ad singulos perveniret (nam Cardinalium & Conclavistarum duæ nimiùm diversæ sortes, aliud dictionis argumentum & rationum momenta requirebant) cœpit Pater duplex ejus pietatis Exercitium quotidie ad electionem usque Pontificis instituere, priùs ad familiam Conclavis, ac tum ad Sacrum Collegium, propriâ ad singulorum conditionem additâ Exhortatione. Et verò prodigio simile erat diversum penitus super eodem Evangelio argumentum deducentem audire quotidie, ut nihil penitus ad hos repeteretur, quod dictum foret ad illos: utrumque nihilominus tantâ conceptuum & profundissimorum sensuum varietate & ubertate, atque ad utriusque sortis Auditorum tam disparem instructionem appositissimè tractantem; cùm tamen constaret omnibus præter unicum in ejus cubiculo, nullum ad manus illi adesse librum. Omnia nimirum erant igne divini Spiritûs per meditationem excocta, & cælitùs suggesta dictamina, quibus eâ zeli efficaciâ & spiritûs libertate corda feriebat, ut manifestum esset omnibus ab eo non tractari nisì causam DEI: unde fiebat, ut nullum ejus dictum, quantumlibet vehemens & liberum displiceret, suspectúmque haberetur. Quin ab eo tempore adibatur quotidie certatim & consulebatur à diversis Cardinalibus, sic ut cogeretur ferè semper in cubiculo remanere, nec ferè exiret, nisì pro DEI obsequio è cubiculo ad Sacellum, & de Sacello ad cubiculum. Præterquam quòd sibi relictus aderat constanter piissimo Cardinali Petro Aloysio Caraffa supremùm ægrotanti, qui eum diu noctúque sibi assistere cupiebat: maximum hoc sibi à DEO beneficium inter ultima verba gratulatus, quòd in tam sanctis Patris Zucchi manibus (ità loquebatur ipse) concederetur animam illi reddere. Tam fructuosæ & assiduæ operationi non defuit aspera & dura tolerandi materia. Cùm enim Januarius & Februarius eâ hyeme solito essent à ventis Septemtrionalibus rigidiores, & ipsi in Conclavi obtigisset postica cella Septemtrionem versùs, extemporaneo opere ex asseribus & tela malè compaginata, multis idcirco hiatibus & fissuris vento pervia, & ipse tenuissimâ veste tanquam medio æstatis esset indutus, experiebatur frigus adeò acerbum, ut plerumque reperiretur lectulo insidens, ejus acerbitate quasi sideratus & sensûs expers: magnâ omnium malo mederi cupientium commiseratione, nisì ipse constanter repugnâsset. Demum tamen coactus est, saltèm in Cardinalium commodum, qui ab eo recedebant veluti congelati, stoream admittere, ad investiendos arcendis ventorum flatibus parietes. Sed serum id miniméque sufficiens fuit avertendis chyragræ & podagræ acutissimis doloribus remedium, quorum tamen cruciatibus superior nihil de consvetis remisit laboribus, baculo & muro primùm nixus manibus adrepens, & ubi id non sufficiebat, aliorum bracchijs adductus ad locum cujusvis functionis: sic, ut nè sacrum qui-

quidem dicere unquam intermiſerit, ità apud Aram vegetus & expeditus,ut nemo atthriticis doloribus oppreſſum ſuſpicari poſſet, aut certè ab ijs durante Sacrificio dimiſſum crederet. Quódque in ſtuporem omnes rapiebat, multò lætior, & ad ſales uſque hilaris in colloquijs tunc apparebat, ridente ſemper & amæno vultu; malum hunc pedum manuúmque inquilinum appellans,ex eo genere Dæmoniorum, *quod non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* Et hoc quidem eo prætextu adhibebat arctiſſimum, nullo alio cibi genere vires, plures ſubinde per dies reficiens, quàm unâ ſcutellâ juris obvij.

His itaque modis cùm inſatiabili zelo totum ſe expenderet in bonum animarum, nullâ corporis, aut commodorum ſuorum habitâ ratione, à DEO tamen ejúſque adorabili præſentia nunquam recedebat, orationi præſertim mentali addictiſſimus: cui ex præſcripto Societatis deſignatam horam matutinam omittere aut decurtare, dicebat idem eſſe, atque animam ſuam illi Davidicæ maledictioni exponere, *Nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos.* 2. Reg. 1. Sed neque in aliud ab hora præſcripta tempus differendum ſvadebat ſuo exemplo; cùm enim Theologiam docendo, varijs aliquando diſtentus occupationibus lectionem eo die dictandam parare nequiſſet, credidit licitum fore, horam illam meditationis, poſtea reſarciendæ, illi impendere: ſed quidquid ageret, nihil conſvetæ devotionis & priorum affectuum ab animo exprimere potuit, vel ſaltèm in DEUM colligere diſſipatum cor; totus aridus, & veluti nebulis obfuſcatam mentem, quod nunquam aliàs evenerat, expertus. id quod ſatìs erat ut agnoſceret,diſplicere DEO quidquid eâ horâ fieret aliud, ut nè unquam deinceps id attentaret. Meditationi præmittebat ſemper prolixam & acrem ſui flagellationem, neque orationem horâ metiebatur, ſed producebat & iterabat ad complures: nam ſigno ad ſurgendum dato reperiebatur ab Excitatore genibus ad Oratorium jam nixus, & frequenter obſervatus eſt totam noctem eodem ſitu meditando exegiſſe, in DEUM & divina ità abreptus, ut ad nullius ſensûs officium diu revocari poſſet. Similiter per diem ſi operationis vacuus domi adeſſet, quâlibet horâ ferè in cubiculo requireretur, inveniebatur in Oratione de genibus, toto animo in DEUM ità collectus, ut nullas unquam ejus evagationes experiretur, neque per multos annos vel de minima in orando diſtractione accuſare ſe apud Confeſſarios poſſet. Atque ità prodibat à meditatione velut ignitum è camino ferrum, DEI amore incenſus, DEOque plenus nihil nisì DEUM loqui & ſpirare noverat, verbis ità ardentibus, ut corda omnium penetraret. Nunquam tamen majores flammas loquebatur, quàm ſi incideret ſermo de Martyrio, cujus ſpe dejectum ſe, licèt toties à DEO ferventer Japoniam & Indias exambiſſet, tenerrimo ſenſu manantibus lachrymis deplorabat, ut cor illi nimio amoris affectu diſſilire videretur: Idem fiebat quoties in colloquijs, ſive concionibus tractabat de infinito DEI in homines amore, totus enim in fletus abibat & ſingultus, quibus abrumpendis omnino impos, cogebatur ſæpius à ſermone deſiſtere. Et licèt videretur neque verba proportionata exprimendo ſuo ſenſui & tantæ granditati apta poſſe reperire, ex ipſo tamen fervore & conatu cordibus auditorum imprimendi eoſdem ſenſus, homine major, loquebatur inſtar Seraphini, ejúſq; ardorem toto vultu, oculis, contentione geſtuum, & totius corporis prodebat, ſic ut totum quandoque Auditorium in lachrymas, & eoſdem traheret affectus. Nec opus erat ad perſvadendum trahendúmque ad Cæleſtia Auditorem multa loquentem Patrem percipere, ſolus ejus aſpectus, quotquot eum familiariùs domeſtici præcipuè nôſſent, ſufficiebat; quorum communis ſenſus quotidianâ contractus experientiâ fuit, nihil eum dicere vel docere, quod ipſe non faceret.

Ità cùm in vita eſſet omnibus ad conſummatam virtutem & perfectionem non tantùm Doctor, ſed & exemplum, reſtabat ut & ad ſanctè obeundam mortem, per longam & ærumnoſam infirmitatem practicum ex ſe præberet documentum. Itaque placuit DEO illum ſupremo vitæ triennio exercere duplici acutiſſimo malo, podagræ & calculi, utroque atrociter corpus excruciante, & proprijs viribus immobile reddente: quamvis neque tunc deſiſteret ipſe à ſuis cum proximo operationibus, nisì vetuiſſent Superiores tam malè affectum ultrà foràs deportari: ex qua illorum voluntate intulit ipſe, non ampliùs DEUM ab ſe exigere labores, ſed patientiam & dolorum tolerantiam. Et hanc quidem ſervavit invincibilem, ut nè gemitu quidem unquam vel ullo ſuſpirio cruciatum quemvis proderet, quem tamen abundè ad neceſſarios corporis motus manifeſtabat natura,ſubitâ vultûs & coloris mutatione. Sacram Evchariſtiam ſumebat quotidie ſub Sacrificio, ad quod audiendum in-

tru-

trusili sella promovebatur in vicinum Sacellum. Observatum autem fuit, adventantibus solennioribus anni diebus, auctiores illi semper ingruere solitos fuisse dolores: de quo cum illi amicorum confidentior sub Natalis Dominici festa compateretur, subridens ipse respondit: *Grates sint Sanctissimo meo Infanti, qui me hac dignatur Eleemosynâ.* Ab ejus morte reperti sunt in vesica & renibus 85. calculi, singuli magnitudine globuli minoris sclopeti: quorum tamen immanes cruciatus non aliter erat deprehendere in vivente, nisi ex repentina oculorum & frequenti in Cælum contorsione, subita vultûs excandescentis incensione, & digitorum in pugnum compressione. Neque unquam sustinuit petere à DEO, vel suspirare levamen cruciatuum: imò resciens in eadem domo hospitem Patrem ex calculo ad extrema redigi, pudore suffusus, oculis & vultu dejecto suspirabat, indignum se haberi à DEO ut similia pateretur, rogatúsque ab illo pro sanitate à DEO obtinenda, certam illi devotionem ad Reginam Angelorum præscripsit, quâ peractâ, absque ullo alio remedio mox omni dolore & ægritudine se liberatum fuisse scripto testatus est, solis Zucchij meritis sanitatem adscribens. At verò sibi nullum à DEO lenimen exoptans, cùm supremis vitæ 40. diebus absque ulla interruptione calculo dirissimè noctu diúque excruciaretur, nullam aliam prodebat molestiam, quàm quòd videret magnâ sui commiseratione & intimo dolore domesticos tangi, quos ex animo precabatur, ut magis sibi & DEO torturas gratularentur, siquidem non minùs hæ donum DEI essent & beneficium, ac sanitas & valetudo. Ex quo malorum indies accremento & virium defectu, vicinum sibi instare exitum auguratus, ut bonam mortem, quam tot annis constantissimè quavis feriâ sextâ, etiam dum Romanum & Pœnitentiariæ Collegia regeret, in Professorum Templo prædicabat, obiret, qualibet aliâ dimissâ curâ, animum & cogitationes omnes illius præparationi applicuit. Atque inprimis omni ex animo abolitâ memoriâ & recordatione suorum per omnem vitam rectè factorum, & laborum Apostolicorum, vitæque in Religione tam sanctè in summa innocentia per sexaginta octo annos actæ, quæ omnia DEO acceptissima fuisse tot ab eo repensis favoribus & gratijs Cælestibus edoctus fuerat: nihilominus, inquam, horum omnium memoriâ ab oculis suis amotâ, nihil aliud de se cogitationis admittebat, quàm esse peccatorem ingratissimum, sistendum mox reddendæ DEO rigidissimæ rationi de 84. annis perperam transactis: quâ animi impressione firmiter persvasus, totus erat in deprecando assiduè placandóque Numine, & petenda peccatorum venia. Cùm verò ad erigendum è pusillanimitatis periculo ejus animum diceretur, non perinde immemorem ejus meritorum esse DEUM, ac foret ipse, reponebat, *mea merita non alia sunt, quàm Passionis mei Redemptoris, neque spes alia nisi in bonitate infinita & misericordia DEI: in his solis duobus & unicè est omnis mea fiducia.* Duabus circiter ante obitum hebdomadis, quòd deliquijs obrui inciperet, apoplexiæ Medicorum judicio prodromis, censuerunt malo avertendo extremis obviandum per ustionem & vesicatoria remedijs: quæ licèt nihil penitus roborandæ naturæ profutura diceret, quia tamen patientiæ materiam auctura essent, admisit pronissimè, nullo doloris edito signo. Quibus supremis diebus petebat erigi plerumq; in sedentis super lectulo situm, ut commodiùs veniam peccatorum à DEO precari posset: quod faciebat manibus ante pectus supplicis ritu compositis, demisso profundè vultu, & continuo lachrymarum profluvio. Ubi autem nuncium impendentis proximè mortis accepit, inclinato ad pedes Crucifixi capite, velut si facie Sacratissimis ejus pedibus incumberet, per quartam circiter horæ partem duravit in continuis lachrymis. Receptis summâ devotione supremis Sacramentis cùm loquelam amisisset, jacebat oculis placidissimè occlusis, perinde quasi in svavem somnum, vel DEUM absorptus: donec 21. Maij nullâ præviâ convulsione (ùt morientibus accidere solet) vel quovis edito motu, spiritum DEO reddidit Anno 1670. ætatis 84. speciali criptâ extra commune Sociorum conditorium tumulatus, cujus merita multis varijsque signis DEUS palàm facere non desinit.

Ex ejus vita scripta à Patre Daniele Bartoli.



P. FRAN-



P. Franciscus de Sylva S.I. Hispanus, eximiâ spirituum discretione, et conscientias tranquillandi dono à Deo præditus; licèt ipse magnis timoribus, et angoribus exerceretur. Obyt Hispali 28. Februarÿ Anno 1673. Ætatis 81 ~. 193.

P. FRANCISCUS DE SYLVA.

Atus eſt P. Franciſcus Cordubæ in Hiſpania, honeſtis & admodum pijs parentibus, in Societatem anno ætatis 16. Grammaticæ duntaxat præceptis imbutus, admiſſus, Montillani tyrocinium poſuit, jactis altè mortificationis, abnegationis ſuiipſius, humilitatis, & devotionis fundamentis, ad inædificandam ſpiritualem perfectionis turrim, quæ citra propriæ ruinæ periculum, tot tantiſque olim receptui eſſet animabus. Ad ſtudia deinceps translatus, tanta cum induſtria Latinitati, Philoſophiæ, & Theologiæ ſe impendit, ut palmam omnibus præriperet; teſtante ipſius in Theologia Profeſſore, ſe tot annis, quos in tradenda ea facultate conſumpſit, parem ipſi diſcipulum ingenio & doctrinâ non habuiſſe. Unde ambiguos diu tenuit Superiores, an Sacerdotio initiatum anno 1618. Scholaſticæ, an Eccleſiaſticæ admoverent exedræ: donec conſulto multis precibus DEO, ſpeciali ejuſdem (uti ex eventu patuit) inſtinctu, animabus verbo DEI paſcendis illum addixerunt, eximijs ad hoc cum dignitate præſtandum à DEO talentis, & maximo inprimis animarum zelo nobilitatum. Et verò ſuſtinuit munus ingenti omnium ſatisfactione per omnẽ deinceps vitam, incredibili audientium profectu, quorum animis ad omnem virtutem permovendis ſingulari pollebat gratiâ, & res alio-

alioquin fusas admirabili energiâ, ad omnium stuporem, paucis verbis exprimere noverat. Innumeræ fuêre inimicitiæ & odia quæ composuit, usuræ & illiciti contractus quos proscripsit, scandala & abusus quos sustulit, & admirandæ prorsus conversiones, non solùm à peccatis ad vitam emendatiorem, sed etiam è sæculi vita cujuslibet statûs & conditionis hominum, ad religiosam & spiritualem. In explicanda doctrina Christiana eâ præstabat gratiâ & magisterio, ut audiendi cupidine illecta civitas, tota ad templum nostrum confluerет; nec satìs capere viri eruditi possent methodum illius, similitudines & exempla, quibus altissima Fidei mysteria ad captum, etiam rudibus facilem, proponebat. Et quidem munus concionaroris sustinuit Cazorlæ, Moronæ, Ostanæ, Montillæ, Granadæ, & in Xerez: primariò tamen Hispali, ubi ultra 30. annos constanter ad populum dixit, itâ prodigioso semper applausu, ut nunquam eo audiendo satiari possent: donec deficientibus senio & valetudine viribus, suggestum haud ampliùs ascendere potuit. Certatim illum Archi-Episcopi & Episcopi ad metropolitanas suas prensabant; quos æmulati Sanctæ Inquisitionis tribunal, Regia Cancellaria Granatensis, Prætorium Regium Hispalense, Quæstura, & Magistratus omnis politicus, singuli principalium suorum festorum solennitates, facundiâ ipsius Evangelicâ exornari ambiebant.

Quia verò peritissimus simul evaserat casuum conscientiæ, ínque ea scientia expertissimus habebatur magister, exquirebantur undique ab omnibus, non Hispali tantùm, sed ex universa Boetica, illius placita, tanquam indubitata oracula; patuítque affatim, Patrem Franciscum ad gubernandas omnium conscientias nactum esse à Spiritu Sancto donum consilij. Sanè multorum annorum spatio, nullum gravioris momenti negotium, seu Archi-Præsulibus & Episcopis, seu Gubernatoribus alijs Ecclesiastici vel Politici fori, aut particularibus Reipubl: personis offerebatur, in cujus arbitrum & consiliarium Pater non veniret, erátque ipsius sententia certissima omnibus & æquissima sequendi regula, etiam cùm graves & subtiles Theologi diversum ab eo sentirent. In Archi-Episcopatu Hispalensi multos annos examinator fuit Synodalis, adhibitus ad munus hoc, & sua consilia, à quinque Archi-Episcopis. Excellentissimus Comes de Willa umbrosa, Assistens primùm Hispalensis, deinde totius Castiliæ Præses, adeò Patris virtute & consortio delectabatur, ut cùm per diem non posset, noctes propè integras cum eo transigeret, expetendi ejus arbitrij causâ, in rebus quibusque gravissimis extricandis. Nec minor erat Viro discretio Spirituum, & dexteritas ad dirigendas animas in via perfectionis, quas in omni statu ad insigem virtutem & sanctitatem provexit, magno omnium ambitu, ut ab eo in filios & filias spirituales admitterentur. Indè ad ejus confessionale innumeri constantissimè affluebant, ex nobilitate præcipuè, & quotquot angustijs conscientiæ premerentur: quibus audiendis juvandísque, etiam ultimis vitæ diebus, cùm ex valetudine vix considere posset, indefessas pro sacro tribunali præbebat aures. Eâ causâ rarissimè domo exibat, ut continuè ad se accurrentibus semper præsto adesset. Quæ omnia constanter unà cum concionibus exequebatur, etiam dum Collegia gubernaret Rector, Fregenalense, ac postmodum Marchenense, & Domum Professam Hispalensem: tanti Marchenæ habitus à Duce de Arcos, ut nullam Patris concionem negligeret, etiam cùm bis eodem die pro suggestu diceret. Rexit ibidem spiritum admirabilis Virginis & Servæ DEI Damianæ de las Vargas, Confessarius illi expresso DEI jussu datus, quæ indè à 7. ætatis anno orationi mentali & mortificationi addicta, anno deinde vitæ 18. à CHRISTO Domino admirabili orationis & contemplationis dono ornata fuit, plurimis revelationibus, maximè de Societate, ejúsque personis, quas sibi ad confessiones deligere cœlitus jubebatur, illustris, quæ in vita ipsius typis excusa fusè recensentur.

Cùm enim Pater Franciscus Marchenam ad munus Rectoris accessisset, sensit illa repugnantiam aliquam ipsi confitendi, & spiritum suum communicandi: verùm iteratis illi vicibus Dominus in extasi mandavit, id ut faceret, ínque Patrem animæ suæ, à quo dirigeretur, deligeret, unáque in filiam, pro quo instanter Dominum oraret: cui etiam mira deinceps de Patre Francisco, ad eximium ejusdem in sanctitate profectum, revelare dignatus est. Et quidem mox sub initium Patris Marchenam adventûs, vidit illum Damiana invisione intellectuali, velut involutum & ligatum, qui non posset artus extendere, & spiritum pectúsque dilatare: quod indicabat indolem ejus admodum timidam, & animi angustias, quibus multùm impediebatur in acquirendis heroicis virtutibus, necessarijs ad res sublimes pro DEI glo-

gloria moliendas. Aliâ die vidit ipſum velut aviculam decuſſatis in crucem & complicatis alis, in angulum puſillanimitatis abjectum. Aliàs verò in medio duorum gigantum, qui nonniſi phantaſma erant, Patri tamen magno erant obſtaculo ad ſummam perfectionem, & virtutem in alijs plantandam: cognovítque his duobus ſpectris repræſentari æſtimationem in illo propriam ſuorum talentorum, & quandam naturæ aſperitatem in agendo cum proximo. Non eo quidem in gradu, ut malitiam quampiam attingerent culpæ venialis, ſed inclinationes duntaxat habituales naturæ: vidit enim his non obſtantibus, animam illius inter hoſce gigantes mirâ pulchritudine fulgentem, labeculæ omnis expertem, ſumméque idoneam recipiendis magnis DEI favoribus, in qua etiam Dominus multùm ſibi complacebat. Quibus ille ex Damiana cognitis, ità naturæ indolem continuâ mortificatione expugnavit, ut in vivum perfectæ virtutis ſpeculum omnibus evaſerit, & admirandos in animabus effectus deinceps (hæc enim primis ferè annis contigerant) produxerit. Vidit eadem initio ſanctæ ſuæ vitæ orationi noctu vacans, ampliſſimum campum, & in illo magnum Religioſorum fuſco habitu numerum, quorum ora & facies magno fulgore radiabant; quos Dominus dixit eſſe homines de Societate JESU, ex qua neminem eatenus ipſa conſpexerat. addidítque: ego te ducam ad viros ſanctos, & ad magiſtrum tuum, ubi tibi pro guſtu tuo Evchariſtiam miniſtrabunt: quod Dominus adjecit, quia in oppidulo ignobili degens,& magiſtri ſpiritualis expers, à loci Parocho denegatione frequentis communionis multum affligebatur. Atque in ea viſione, cùm unum præ alio majore fulgore illuſtratum conſpexiſſet, affirmabat ſe clarè Patrem Franciſcum intuitam, maximo ſplendore præ alijs pleriſque coruſcare. Fatebatur etiam magnis ſe à DEO favoribus affici, quoties majeſtatem ejus pro Patre Franciſco precatura accederet, ſentiréque tunc ingentem lucem, & magnos in anima ardores, quibus explicandis non ſufficeret; ſpiritûs autem ſolatia tam exuberantia, ut in gloria ſibi jam agere videretur: verbo, paria illis, quæ Evchariſticam menſam accedens experiretur. Imò affirmabat, omnium gratiarum ſibi à DEO conferri ſolitarum, nullam ſuperiorem hâc videri: unde conjiceret maximam Domini curam, quâ Patris Franciſci ſanctitatem anhelabat, & ardentem erga ſe amorem. Hæc autem omnia eò ſibi evenire, ut ardentiùs apud illum pro Patris omnimoda ſanctificatione inſtaret; ſiquidem ſibi manifeſtare dignatus ſit, Patrem ſibi dilectum inprimis eſſe, atque ad magna gloriæ ſuæ augendæ munia, magnúmque animarum profectum, delectum. Indè vix aliam eſſe in terris perſonam, quam toties illi in memoriam DEUS reduceret, ſibi in oratione comendandam; ſic, ut quoties pro alio quopiam precatura DEUM accederet, toties monentem illum audiret, *roga pro Patre tuo, offer mihi Patrem tuum.* Quare ſentiens tantopere ad orandum pro Patre ſe à DEO impelli, exclamabat, *Domine, quid ergo factura ſum pro iſto Beniamin? quid vis pro eo faciam?* Committebat & alios quidem Dominus Damianæ, pro quibus oraret, verùm quòd fortè non reſponderent gratijs per eam impetratis, ſenſim illorum omittebat memoriam, id quod nunquam cum Patre Franciſco illi evenit.

Similia cœli incendia experiebatur Damiana, quoties cum Patre de ſtatu animæ ſuæ conferret, iſtéque viciſſim ab ea redibat majore ſemper, & novo ſanctitatis deſiderio, & animarum zelo inflammatus. Vice quâdam poſt longam pro Patre, & alijs quibuſdam, ad uſque virium defectum, orationem, dixit confidenter Domino, *mi DEUS, multum me conſtant creaturæ, quas mihi commendâſti!* reſpondítque Dominus, *ſed non ſucceſsit tibi malè cum illo,* Patre ſcilicet Franciſco, pro quo effuſa oratio novas ſemper eidem Virgini gratias afferebat. Nam Anno 1644. menſe Majo, gravi conflictata ægritudine, & multis Dæmonum inſultibus ac infeſtationibus vexata, quoties à Patre inviſebatur, diſparebant larvæ infernales, & depulſis doloribus ſuccedebat magnum animæ ſolatium. Valde etiam perſpicuè Dominus Virgini aperiebat, de quibus Patrem moneri vellet, ut nimirum *totum ſe daret orationi & contemplationi, haberet magnum animarum zelum, ipſius enim agendi modum plurimum illis profuturum, præſertim in familiari congreſſu loquendo de DEO: conaretur purgatiſſimum ſervare cor à terrenis affectibus, inſtaret multum humilitatis ſtudio: blandiùs ageret cum animabus, quas Dominus illi ſubmittebat, útque ſinè omni perſonarum acceptione adducendis illis operam daret.* Aliàs eidem dici mandabat, *poneret oculos ſuos in CHRISTUM JESUM, eúmque ſequeretur, pedémque in ejuſdem figeret veſtigia, ac demum caput ſuum in palo* (crucis ſcilicet) *reclinaret, in eo moriturus: neque tamen hunc palum eſſe*

esse Japonicum vel Indicum, sed propriam sui ipsius mortificationem. Aliàs Patri dicebat, *cupere Majestatem Divinam inutilibus supersederet colloquijs, magnas enim habere illum experientias, & lumina, quid sit mundus; neque alteri rei idoneum ampliùs esse, quàm ut DEO penitus totum se tradat. Et siquidem DEUS ipsi tantam scientiam & talenta contulisset, id quod ab eo vicissim reposceret, esse, cubiculum, suggestum, & Confessionale; extra quæ nollet ipsum multum versari. Utq; omnes etiam sæculares hortaretur ad multam orationem, & Virginitatem, hanc enim virtutem sibi esse acceptissimam.* Vice aliâ dixit Dominus Damianæ: *voca Patrem tuum indè ad præsepium, ut condiscat humilitatem, paupertatem, & obedientiam meam; & indè ad hortum, ut condiscat agoniam, solitudinem, & desolationem meam, & indè ad crucem, ut moriatur mecum in illa.* Quibus successivè & pedetentim Patri à Damiana DEI nomine relatis (ità enim præceperat Dominus, *nè multis simul fatigatus obrueretur*) incredibiliter ille ad perfectionis studium accendebatur, cùm præsertim adderet Damiana, inter reliqua, quæ secum agerentur summè admiranda, esse id præcipuum, videre sollicitudinem & curam summi DEI, quâ maximam Patris desideraret sanctitatem, quámque assiduos sibi stimulos ingereret ad orandum pro ipso. Quare summam sibi esse fiduciam impetrandæ Patri altissimæ sanctitatis, tum quòd oratio assidua possit & consequatur multum, tum quòd tantam sibi DEUS ad id unicè precandum imprimat constantiam, atque ob eam tot largiatur gratias, quas insuper diceret ob gratiam Patris sibi concedi.

Rursum aliàs explicuit Patri Damiana, quidquid ab eo Dominus desideraret, duabus rebus comprehendi: 1. *magnam profectionis propriæ haberet curam: 2. majorem DEI gloriam semper procuraret, quæ est salus animarum. Cúmque animæ sint sangvis JESU CHRISTI, recogitaret hunc sangvinem sparsum esse per terram, & contemptum: daret itaque operam illi colligendo, & Domini sui venis restituendo.* Aliâ vice monuit Patrem DEI nomine: *Palatia Magnatum, hos & illos, tanquam hostes devitaret.* quod Pater intellexit ideo dici, quòd personæ illæ magìs vellent, ut Confessarius illis se, & earum gustui placitóque accommodaret, quam illæ ipsius directioni & consilijs; cùm constet eum deinde Hispali tot annis personarum etiam Principum spiritualem curam insigni emolumento gessisse, quin Dominus id reprehenderet. Cùm verò Pater maximum à gubernatione horrorem præferret, jussit eidem dici Dominus, si idem illi aliquando deferretur onus, proponeret suas humiliter Superioribus, cum omni indifferentia in oppositum, rationes, quibus si Superiores non deferrent, subiret illud promptissimè; *plus enim valere apud se diem unum obedientiæ, quàm integros annos quorumvis aliorum sanctorum laborum.* Percellebatur etiam Pater ex passione quadam naturali & ingenita, maximo timore ex coruscationibus, fulgetris, & tonitruis, & ad primos eorum nuncios, nubila, & ventos, vehementi angustiâ opprimebatur; id quod etiam Angelicum Doctorem pati solitum legimus. De quo Dominus Patri per Damianam significavit, mitigaturum se illi pavores hos, non tamen penitus sublaturum, *frenum enim hos esse salutare, ipsi convenientissimum, quo anima purificaretur, & in DEUM attolleretur.* Quo intellecto Pater Divinæ voluntati se penitus conformans, quia angores illos & cordis afflictiones magno animo tolerabat, aperuit illi Dominus, metus illos & anxietates tam excessivas, esse ex præcipuis favoribus, cœlitus illi concessis: viditque Damiana cor ipsius spinis obseptum, & aculeis grandibus stipatum, ad munimentum & defensionem: Dominum autem dicentem audiit, *vides Cor Patris tui, quàm munitum sit ab his spinis & vallatum? tamen nisi cautus sit, vigilque attendat, irrepturi sunt hostes, qui subtiles admodum sunt & versuti:* quod de inutilibus dici à se prodidit, cum hominibus sæculi conversationibus, etiamsi culpæ omnis immunes sint. Et verò ab his ità cavebat Pater; ut 80. jam natus annos nunquam tempusculum aliquod his concederet, de solo unicè DEO & cœlestibus, in actione cum proximis, tractans: aliàs verò perpetuò orationi, & sanctorum librorum lectioni in cubiculo deditus.

Utq; de ijs quæ sibi à Damiana jussu divino referebantur, fidem indubitatam adhiberet, Dominus quædam animi Patris secreta Damianæ aperiebat, quæ cùm ipsa rursum Patri proderet, non poterat ambigere, illam cœlitus similia rescivisse. Anno 1649. cùm gravis pestilentia perHispaniam grassata, Bœticæ etiam Provinciæ minaretur, sapientes Prælati, & Religiosi viri judicabant, generalem dandam esse facultatem, edendi per Quadragesimam carnes, ad evitandas contagionis causas, quas ibi generant cibi esuriales. Et quia sub idem tempus fiebant multæ processiones, & supplicationes, maximo numero

mero in se flagris cruentè sævientium, ijdem ad evitandum veneni ex mutuo congressu contagium censebant, interdicendos esse omnes ejusmodi publicos conventus. Itaque jussa Damiana Domini sententiam ea de re in oratione exquirere, enixè admodum DEO commendabat, ut dignaretur Prælatis & Reipublicæ Gubernatoribus lumen indere, determinandi id, quod suæ Majestati magis acceptum gratúmque foret. Et verò Dominus magnâ perspicuitate illi significavit, vocibúsque repetitis inculcavit, *Pestilentiam esse flagellum Divinæ Justitiæ, ideóque malum esse remedium ad illam placandam, vesci carnibus in Quadragesima, & omittere supplicationes publicas, flagellationes, & similes devotiones, quæ plurimum valent ad exorandam DEI clementiam.* Quare eâ indulgentiâ Boetica abstinuit, ùt refertur in vita Damianæ l. 2. c. 21. edita à Patre Joanne Cardenas Societatis JESU anno 1675. ultimo ejus Confessario. Posteaquam absoluto gubernationis Marchenæ triennio à Superioribus aliò Pater Franciscus destinatus est, doluit id magnopere Damianæ; cui positæ in oratione Dominus veluti cõpatiens, *quomodo recedit,* ait, *agnellus?* & illa amanter querens, *vides,* inquit, *Domine, quomodo me deseris, tollendo mihi agnum, Patrem, & Filium!* filium vocans, utpote orationibus suis assiduis tantopere à Domino commendatum. Cui Dominus voce admodum efficaci dixit, *sine filia! istud nequaquam.* quia scilicet vellet perinde illum sibi à Damiana in oratione, atque præsentem indesinenter offerri. Unde vidit tunc Damiana speciali lumine cælesti illustrata, animam suam cum anima Patris in corde JESU CHRISTI indissolubili constrictam nexu, ut impossibile videretur illum dissolvi. Atque itá perrexit deinceps orationes pro Patre ad DEUM constanter fundere, magno ejusdem profectu, & insigni virtutum heroicarum incremento: idémque sanctis per eam DEI monitis egregiè respondens, modum orandi valde sublimem adeptus est, ad quam imposterum semper sub mediam noctem assurgebat, & plures quotdiebus horas magno spiritu illi impendebat.

Eminebat præterea omni virtutum genere, à quibus vigor valórque in externas cum proximo actiones dimanare solet: profundissimâ inprimis humilitate, omnia sua ab oculis hominum subducendo, solius divini placiti, non verò plausuum humanorum cupidus. Magno deinde DEI, ejúsque judiciorum timore tenebatur, hinc quoties remugiebant tonitrua, tanquam si forent iræ Divinæ indices & nuncij, adeò cor illius percellebatur, ut vix sibi constaret. Et licèt viveret religiosissimè ad omnium prorsus exemplum, prædestinationis tamen suæ sollicitudine propè nimiâ angebatur. Hanc diu noctúque animo volvebat, & quoties æquo ampliùs hac formidine affligebatur, recurrebat ad volvendum tractatum quendam, à Patre Andrea Cazorla conscriptum, super fundamenta credibilitatis, quæ debetur revelationibus S. Borgiæ, Alphonso Rodriquez, & pluribus alijs à DEO factis, de salute æterna illorum, qui in Societate moriuntur: legebátque eundem & relegebat, donec animum ad certam fiduciam in DEUM reduceret. Hoc salutari timore assecutus fuit, ut in medio tot applausuum & honorum, quos illi apud omne genus hominum sublimia sua conciliabant talenta, nullo unquam vanæ gloriæ motu tangeretur. Imò sanctâ quadam Spiritûs elatione neglectum præferebat, & fastidium personarum altioris statûs, à quibus æstimatio in se derivari, & plausus apud populum posset: cùm tamen erga viles, agrestes, & plebejos, humanissimum se exhiberet, & eorum ultro alloquia prensaret. Ut aliorum obsequia in rebus cubiculi, vel strati componendi, etiam decrepitus jam admitteret, induci nunquam potuit: & ex Evangelico paupertatis Spiritu, vestitu semper utebatur vetusto, atque ab alijs attrito, multis panni hinc indè assutis frustulis sarto; cúmque nonnemo domesticorum id ei vitio daret, quòd minùs decens & conveniens Religioni nostræ censeret, respondit, *sat bonam esse vestem ejusmodi, ad mortem in illa præstolandam:* itá assiduè mortis memoriam animo conservabat. Ex copiosis, quæ identidem ingerebantur muneribus, aut eleemosynis, nihil unquam in suos convertere usus sustinuit; pene scrupulosè in materia Paupertatis anxius, dum sinè Superioris scitu nè folium quidem chartæ accipiebat. Habebat quidem scripto à Provincialibus & Generalibus aliquot concessas facultates admittendi quæpiam, in remedium præcipuè plurium, quibus conflictabatur, morborum; ipse tamen quoties his egeret, toties immediatos Superiores facultatis exorandæ causâ conveniebat. Multis item ante obitum annis obtentam scripto habebat licentiam, dandi sub horam mortis thecam reliquiarum ex aurichalco, & alteram ex cornu bubali, Crucem item Caravacensem, & Rosarium: quæ totus ejus thesaurus fuêre & supellex.

Charitate in proximum omnino conflagrabat, neque solùm in animarum salutem, sed & temporalem corporum opem colliquescebat, ut eam corrogatis unde unde eleemosynis afferret, quam singulari quodam gustu impertiebatur, ægris præsertim & oppressis solatia, & quodvis genus obsequij exhibendo. Nunquam visus est tempus otio, aut minùs utili occupatione conterere, etiam cùm domum inambularet, vel loco eminentiore captandæ liberioris auræ gratiâ consisteret, vel enim globulos versabat precatorios, vel pium evolvebat libellum. Nunquam malè de quopiam auditus est loqui, sed cujuslibet dicta & facta bene interpretabatur: conscientiæ puritatis adeò studiosè tenax, ut satis constet, nunquam eum lethali culpâ animum maculâsse. Huic tuendæ duo potissimùm media adhibebat, continuam DEI præsentis in omnibus actionibus & locis memoriam, & jugem corporis per cilicia & acres flagellationes mortificationem. His aliísque virtutibus constanter ad obitum usque deditum, mors occupavit minimè improvisa, ad quam ægritudinis ultimæ diebus singulis sacrâ animum comparabat Eucharistiâ; atque inter ferventissimos virtutum Theologicarum actus spiritum DEO reddidit 28. Februarij Anno 1673. ætatis 81. Societatis 65. quatuor vota professus. Sensit hanc sibi aliquot antè annis ex gravi pectoris oppressione sensim imminere, quâ respirandi facultas magno cruciatu, & vellicationibus cordis ità intercipiebatur, ut citra suffocationis periculum somnum in lectulo capere nunquam posset; modicum id quod dabatur quietis, sedendo capere coactus. Funus defuncti magno dolore & lachrymis omnes persecuti sunt, & osculis tenerrimis manus pedésque venerati, etiam ipse Urbis Archi-Præsul Ambrosius de Spinola & Guzman, qui ægrum magno affectu & amoris teneritudine inviserat: singulis è reculis ejus quidpiam, aut saltèm corporis attactu sacratum, ad venerationem Viri tam sancti sibi deposcentibus. Funebrem pompam & exequias illi, tanquam spiritûs sui Magistro, parandas suscepêre, inter multa Nobilitatis super hoc certamina, Marchiones de Algava: in quibus non humilitatis Patris, aut modestiæ Societatis, sed dignitatis suæ rationem spectandam censuêre. Totum Ecclesiæ pavimentum, præter aras & parietes lugubrè ornatos, nigris instravêre pannis, collucentibus undique è cera virgine luminaribus. Officio divino Musica deservijt Metropolitanæ Ecclesiæ, in affluxu totius Nobilitatis, & Religiosorum omnium accursu, ac innumeri populi vi maximâ, ut communem omnes Patrem luctu acerbissimo prosequi facilè agnosceres.

Ex ejus Elogio.

P. FRANCISCUS PARDUS.



Pater Franciscus Pardus natione Hispanus, Societatem complexus est Murciæ, & tyrocinio Villaregij exercitus, toto conatu se applicuit plantandæ in anima sua Humilitati præsertim, Obedientiæ & Mortificationi, in quibus per omnem vitam egregiè excelluit. Et quia singulare ingenium quà discendo literas humaniores, quà studendo altioribus disciplinis, Superioribus approbavit, applicatus illico à Theologiæ cursu absoluto fuit docendæ Philosophiæ, primùm Murciæ, ac iterum alio triennio Oropesæ, unde ad docendam Theologiam transijt Toletum. Verùm Apostolico zelo incitatus ad animarum lucra, & cathedras magìs Ecclesiasticas quàm Scholasticas ambigendas, ingenti cœpit desiderio, mox à studijs absolutis, ferri ad Indicas ærumnas, & salutem Ethnicorum procurandam: cui ut quadantenus proluderet, nullam unquam occasionem elabi passus est, dum Scholas docuit, juvandi proximi; nam & in pœnitentibus audiendis erat assiduus, & dicendi simul ad populum munus suscepit, dixítque constanter è suggestu, per omnes Quadragesimæ ferias Oropesæ, præter alias festorum conciones, tantâ omnium satisfactione, ut in schola nulli, præterquam Scholasticis doctrinis, impendi videretur, in suggestu verò nihil extra concionatoris munia tractare. Idem pari industriâ præstitit Toleti, insigni cum applausu principum ejus Urbis virorum; ut jam tum notato hominis ingenti zelo, Excellentissimus Comes de Oropesa, eum ad missionem ditione suâ obeundam exoraverit, quam mensis spatio postquam maximo animarum fructu obivit, ternis alijs vicibus postulatus, eandem pari successu administravit in diversis oppidis & pagis, exantlatis plurimis incommodis, ob locorum pauper-



P. Franciscus Pardus. S.I. Hispanus, Deiparæ Cultor singularis, Operarius indefessus, Missionibus per Hispaniam obitis clarg. Obyt Lerenæ 2 Octob: A. 1677. Ætatis 38.
194.

pertatem, & hominum ruditatem: quæ fuêre veluti præludia ad missiones ex professo deinceps; & unicè suscipiendas. Expertus enim summam animarum, cœlestium rudium, indigentiam, & DEI ad suos conatus, qui manum ei utramque copiosis fructibus implebat, benignum respectum, nullum faciebat finem primo statim Theologiæ explicatæ anno, à Generali Societatis postulandi, ut liceret Apostolico interim muneri integrè se per Hispaniam, abdicatis in perpetuum scholis consecrare, donec in Indias, ad quarum expeditiones voto se pridem obstrinxerat, transire daretur. Itaque postulati factus compos, non sinè magno Scholasticæ rei Præsidum dolore, diem illum, quo literas Româ desiderijs suis faventes recepit, omnium aliorum in vita felicissimum appellabat, siquidem majore cordis jubilo & hilaritate nunquam alias perfundi cœlitus animum sit expertus. Ante omnia decendiali per Sancti Ignatij Exercitia ascesi zelum animarum in se accendere, & quam in alijs meditabatur, in se primùm reformationem morum instituere laboravit: è quibus ignem conceptum in alios sparsurus, in Estremaduram discessit.

Initium Apostolico labori fecit in oppido Casateiada, ubi eum præstolabatur futurus expeditionum Socius Pater Petrus de Moran: & quidem sequente mox suum illuc adventum die, non obstante ingenti à septiduano itinere fatigatione, concionem ad populum habuit fervore & spiritu prorsus Evangelico. Et hoc gloriosum munus duos annos sinè interruptione per Estremaduram

con-

continuavit, ubique locorum prædicando, rudimenta Fidei tradendo, Sacramenta miniſtrando: ſpeciali tamen cum fervore, & incolarum veneratione Placentiæ, Caſateiadæ, Coriæ, Zaraiccij, Truxulli, Meridæ, Zafræ, Clerenæ, Alcantaræ, & in urbibus Caceres, Albuquerquæ, &c. eminuerúntque adeò in hoc ſacro munere Evangelica in Patre talenta, ut à Superioribus Madritum evocatus ſit, ad inſtituendam illic per Quadrageſimam anni 1676. miſſionem, prout eandem anno ſuperiore Toleti obierat, magno utrobique fructu. Has autem miſſiones, earúmque labores, tam indefeſſo obibat zelo, ut nunquam ulla ſeu fatigatione, ſeu invaletudine ab ijs abſtineri potuerit, accidítque aliquando, ut poſt 8. leucarum pedeſtre iter, in ipſo oppidi ingreſſu plateas obierit, agmen populi poſt ſe trahens; cui in unum collecto ardentiſſimâ dictione dolorem de peccatis ubi perſvaſiſſet, contritionem de peccatis magno præibat affectu; eo plerumque eventu, ut omnes deinde, ubi ad templum ventum eſt, reos confitentes pro ſacro tribunali habuerit. Accidit interdum, ut poſt duas concionis horas, & additam ſub meridiem catecheſim, ad excipiendos pœnitentes deſcendens, in longam noctem jejunus perſiſteret. Subinde verò habitâ ſub veſperum ad populum dictione, cùm neceſſariam corpori quietem dari oportuiſſet, arreptâ CHRISTI Crucifixi effigie in fora & plateas procurrebat obvios quoſque ſupplicantium in modum per urbem deducens, quos in capitibus compitorum allocutionibus varijs ad ferventem pœnitentiam excitabat: quod genus exercitij vel ſolum, cùm magnâ affectuum contentione opus habeat, etiam robuſtum egregiè fatigat. Aliquando febri oppreſſus, & alijs morborum affectionibus fractus, cùm rogaretur à varijs, ſibi ut parceret, & concionibus ſaltèm abſtineret: reſpondit, ſe animo præſagire, & illam ipſam dictionem remedio ad febrim extingvendam fore; utì reipſa conſecutum eſt, quando à concione finita malum omne diſcuſſum apparuit, eúmque ſolitò etiam valentiorem ad labores reliquit.

Hæc ipſa patiendi ſitis efficiebat, ut libentiùs eo loci rete Evangelicum tenderet, ubi ampliùs incommodorum & perſecutionum imminere ſciebat: & majore tunc fervore & inſtantiâ, cùm pejùs corpore & viribus valeret. Aliquando gravi per noctem colicâ vexatus, manè tamen ad confeſſiones tam feſtinus ſurrexit, acſi nihil mali paſſus eſſet: in quibus ad movendum pœnitentes tantum DEUS verbis ejus dabat efficaciam, ut quidvis ab obſtinatis alioqui impetraret. Reprehenderat alicubi fœminam ornatu propè luxurioſo incedentem, quæ monitis tam efficacibus icta, die poſtero dimiſsâ ab ſe pediſſequâ ac pallio rejecto, in medium fori ad ciſternam perrexit, domeſtico vaſe aquam, ſervilem in modum, hauſtura: magnam de ſe admirationem civibus præbens, & ſui ſimilibus exemplum ad ornatum muliebrem caſtigandum. Nec pauci fuêre, qui peccatorum ſuorum horrore ex Patris verbis concepto, Religiones auſteras complexi ſunt: alij heroicâ charitate diuturnas hoſtibus offenſas remiſerunt: è quibus vir illuſtris, cùm nullis rationibus duci poſſet ad condonandam homicidæ cognati necem; inſtitit Pater id ſibi abituro præſtari ſolatij petere, ut peccata apud ſe homologeſi expiaret, ſive deinde inimico conciliari vellet, ſive abnueret. Verùm hic confeſſione peractâ, ſinè mora ad perquirendum in urbe hoſtem diſceſſit, inventúmque palàm amplexatus, veniam tamdiu fruſtra petitam ultro obtulit. Atque hoc ille obtinebat mirâ quâdam ſvavitate, quâ neceſſitatem reprehenſionum condiebat: in ſe viciſſim propè implacabiliter ſeverus; ſomnum enim perſæpe nudâ humo, quandoque ſedens duntaxat breviſſimè capiebat: neque unquam de re alia cum Socio illi fuit diſſenſio, nisì quòd in ſe deteriora omnia, commodiora verò in Socium derivaret. Jejunium per hebdomadam tribus diebus conſtanter obſervabat: aves, aut ejuſmodi delicatiora edulia guſtabat nunquam, tantâ hujus obſervantiæ conſtantiâ, ut cùm ſubinde in miſſionibus ignari ejus abſtinentiæ præter aves aliquas nihil apponerent, ipſe mallet impranſus remanere; nam in cœna vix modicum aliquid delibabat. Munerum quorumlibet fuit conſtanter abſtinens, quæ ſi remitti donantis dignitas non ſineret, præſente adhuc patroni internuncio ad noſocomium deferri, aut inter pauperes diſtribui faciebat. Flagelli & cilicij quotidianus illi uſus, tanto plerumque verberum crepitu, ut vicinis audientibus condolentiam moveret: quam ut averteret, excogitabat inſtrumenta acerbi quidem doloris, ſed nullius ſtrepitus; & præter conſvetum cilicium, triplicem catenam ferream corpori admovebat. Neque raró, poſteaquam ſub veſpertinam dictionem Viros ad publicam verberationem excitaſſet, digreſſis templo fœminis, primus ipſe in denudatum tergum ſæviendo initium, & ultimus

mus finem facere consvevit; eâ vulnerum sævitie, ut plerumque totâ nocte quietem capere vix posset.

Puritatem animæ illibatam servare summo studio nitebatur, cui perpurgandæ peccata quotidie confessione expiabat, ut mundissimus ad Altare accederet; in quo, nisi pœnitentium urgeret multitudo, horam integram sacrificium litabat. Preces Canonicas, aliásque omnes, in templo, si ejus vicini copiam haberet, coram SS. Evcharistia degenibus absolvebat: & si neminem conscium haberet, magnis & sonoris suspirijs cor suum DEO effundebat. Itinera ferè omnia solâ oratione exigebat: quam si abrumpere mutuis colloquijs à viatoribus urgeretur, tempus nimis pretiosum esse respondebat, quod majoris momenti rebus impendi oporteret. Atque hoc ipsum perpetuò DEUM orandi, & per actus frequentes amoris DEI, similésque aspirationes cum cœlitibus versandi studium, conabatur insculpere animabus devotis, & Parthenonibus Virginum aliquot, operâ suâ ad meliorem disciplinam reformatis, qui etiamnum dictaminibus & principijs ejus egregiè in via perfectionis proficiunt. Erga Sanctissimam DEI Matrem præcipuâ devotione ferebatur, cui dicendis quotidie precibus horam insumebat; erátque admiratione digna ipsius in hoc genere pietatis constantia, dum sæpe totum diem confessionibus audiendis ultra mediam noctem distentus, nihilominus circa horam secundam è Confessionali redux, recipiebat se se in locum secretum, atque in genua provolutus devotiones erga DEIparam absolvebat, estò post unam vel alteram horam redeundum sibi ad pœnitentes audiendos sciret. Plerisque etiam missionis locis morem induxit, recitandi alternatim per choros illius Rosarij, ad quod signo campanæ convocari omnes faciebat: & nè pium exercitium temporis lapsu interiret, quinque Sodalitia B. V. diversis locis instituit. Consveverat etiam necdum Sacerdos, Sabbato quolibet, & pervigilio DEIparæ, manum flagello armatus prodire in triclinium, ad publicam in se animadversionem: eosdémque dies perpetuo jejunio celebrabat. Secundùm Virginem MARIAM, addictissimus erat Sancto Ignatio & Sancto Xaverio, quorum vicissim miros experiebatur favores. Nam cùm aliquando in autumno, aliàs autem vere primo, terra imbrium esset sitientissima, sub finem exhortationis duo Ave MARIA honori dictorum Virorum dicenda præivit, & continuò eodem vespere pluvia decidens, noctem & diem sequentem constanter tenuit, dum plenè segetes & agri rigarentur. Ut nihil dicam, quòd ad puerperas quatriduo aliquando ex partu laborantes, evocatus, applicatâ post brevem orationem quapiam Sancti Ignatij effigie, illas repentè doloribus & partu solvebat. Aliquando rapidum flumen mulâ trajiciens, præcipiti fluctu unà cum jumento rapiebatur in exitium: sed recitatâ ad Sanctum Xaverium precatiunculâ, repentè major quædam vis illum ab imo sustulit, & superiorem aquis reddidit. Rursum cùm certo quodam loco pax inter hostiles animos conciliari nullâ Patris industriâ, & octiduí labore potuisset, brevi oratione ad Sanctum Xaverium supplex, ubi ad persvadendum fœdus redijt, nullo negotio partes in id jam ultro propensas adduxit.

Cæterùm in agendo sive de superiore loco, sive colloquijs, cum proximo, utebatur libertate Apostolicâ, vitia liberè, cùm opus foret, reprehendendo: sicut nec tergiversabatur vicissim, si divinæ gloriæ ratio postularet, pedibus quorumcunque advolvi; quod aliquoties illi evenit, cùm pœnitentiam obstinatis & confessionem, vel odio in proximum induratis offensæ condonationem, aliter persvadere nequivisset. Idem præstitit erga hominem graviter in se injurium, & alium quendam acerbum calumniatorem; ad cujus domum veniens, & in genua, ut pedes illi exoscularetur, procidens, magnâ humilitate veniam petijt, neque destitit majoribus deinceps supra alios obsequijs eundem colere. Neque tamen his expleri zelus & sitis animarum in Patre poterat: quare missionem ad insulas Marianas, sive Latronum, magnis apud Superiores precibus urgebat, neque de alijs ferè miscere cum familiaribus colloquia noverat: fructuum quidem ex animabus non minùs in Hispania atque Indijs colligi dicens, sed non perinde ærumnarum, vitæque discriminum, quorum ambitu inexplebili tenebatur. Verùm aliter supremo visum Patrifamilias, qui labores biennij denario vitæ beatæ repensurus, in ipso missionum cursu, quod summis à DEO votis expetebat, illum ad se evocavit. Cùm enim Estremaduræ tractu sufficienter exculto, & ad omne Christiani hominis munus abundè excitato, Lerenam ad Societatis domicilium se recepisset, ut Spiritum decendiali S. Ignatij secessu, ad novam in Episcopatu Cordubensi auspicandam missionem instauraret, altero mox ab adventu die tentari corpus ægritudine

ne sensit, quæ mox in tertianam duplicem erupit, ac tandem in febrim malignam desijt. Et licèt erumpentibus parotidibus spes aliqua superandi pestilentis mali affulgeret, nihil tamen proficere medicorum ars valuit, nisi quòd rigidissimis adhibitis medijs egregiam patientiæ materiam Patri suggessit, pro qua DEO gratulari nunquam desinebat. Itaque Sacramentis omnibus in tempore præmunitus, in corona Sociorum comprecantium, animam Creatori suo reddidit, anno 1677. ætatis 38. Societatis, in qua vota 4. professus fuerat, 22. die 2. Octobris, quo ipso ante annos 38. in lucem venerat. Illius mors magno omnium, virorum etiam Principum dolore excepta est; fuit enim ob perspectam vitæ sanctimoniam & zelum Apostolicum omnibus charus & æstimatus, Cardinali cumprimis Archi-Episcopo Toletano, D. Pasquali de Aragon, qui iteratò urgebat à Patre Francisco missionem in sua diæcesi institui; Episcopo Placentino Generali Inquisitori, Episcopo Coriensi, qui omnes præcipuo honore & affectu illum prosequebatur. Funus ejusdem totius urbis concursu, & omnium Ecclesiarum æris campani sono celebratum est; deducentibus trium Capitulorum Canonicis, non sinè magno dolore super jactura viri adeò præclari, cujus virtutem & zelum hoc ipso anno experti fuerant, dum missionis officia in vere ibidem exercuisset.

Ex ejus Elogio.

P. JACOBUS SERRANUS.



Ditus in lucem fuit Pater Jacobus Serranus Riberæ in Hispania, Parentibus Christianâ virtute, & apud suos honore conspicuis, atque ab ipsa Grammatica Societatem ità adamavit, ut quotidie multis precibus cum Sancto Ignatio ante ipsius aram ageret, suos ut inter filios etiam se adscriptum vellet: dum tandem voti compos, humanioribus literis absolutis, effectus est. Quo tempore Philosophiæ & Theologiæ operam navavit, omnem captabat occasionem proximis opitulandi; quæ ejus desideria promoturi Superiores, munus ei Granatæ consvetum imposuerunt, colligendi personas per fora & compita otiosas, præsertim è tabernis & domibus lusorijs; quas ardenti zelo suo & allocutionibus compunctas, adducebat in templum ad audiendum divinum officium, & salutaribus consilijs atque hortatibus ad frequentanda Sacramenta instruebat. Et licèt altioribus tradendis disciplinis inprimis idoneus censeretur, utpote quatuor postea solennia vota professus, multis nihilominus annis Grammaticam pueris explicare prælegit, eo discipulorum profectu, & ad omnem virtutem verbis & exemplis institutione, ut constanter ab omnibus Sancti Magistri loco haberetur, & appellaretur: inter reliqua sæpius ab ipsis observatus sub explicatione, & maximè rerum spiritualium narratione, toto vultu inflammari, ac velut extra se in DEUM abripi. Atque hæc virtutum Patris fragrantia, cùm brevi Urbem totam Freganalem (quam 30. ferè annis constanter incoluit) afflavisset, ingentem illi apud omnes existimationem, & quidvis persvadendi auctoritatem conciliavit, ut tanto auxilio spoliari se nequaquã ferre possent. Nam cùm aliquando Montillam demigrare à Superioribus jussus esset, Fregalenses solitudinis hujus intolerantes, tres è Magistratu primarios ad Patrem Visitatorem & Provincialem ablegârunt, Patrem suum tutelarem repetitum; exceperúntque publico totius Urbis gaudio, tanquam è Cælo remissum, ad se omni felicitate cumulandos. Totus enim erat, Operarij deinceps verè Apostolici munere fungens, in extirpandis vitijs, in plantandis virtutibus; & cùm amplissimo illius zelo urbs una angusta videretur, excurrebat indefesse in omnem viciniam, & missiones ingenti animarum emolumento instituebat, ubique prædicando, instruendo rudes, Sacramenta ministrando, cohibitâ feliciter jurandi & imprecandi licentiâ, sublatis odijs & scandalis, & quovis alio genere vitiorum: eo locis omnibus virtutum post se relicto odore, ut nemo unquam inventus sit, qui nævum aliquem in eo deprehendisset, sed universi ùt Virum sanctum suspicerent & venerarentur. Adventanti certatim ruricolæ occurrebant vultu hilari, & quotquot obvij fortuitò in Patrem inciderent, & adulti, ad singularem quandam modestiam & pietatem illico mores componebant, & ad primum ejus intuitum orationes catechecticas recitare incipiebant. Neque ullus tam protervè audax inventus est, qui in ejus præsen-



P. Iacobus Serranus Soc: Iesu, Hispan₉, per omnia Charitatis officia de proximis bene merit₉; aspectu et amplexu Pueri Iesu in supremo morbo recreat₉, quo decessit 19. Febr. A° 1680. Æt: 63.

195.

ſentia vel verbum aliquod inconcinnum efferre præſumeret : ſed perſonæ etiam graviſſimæ monitis illius ſalubriter compunctæ, ſi quando iracundiæ repentino æſtu in juramentum aut imprecationem erumperent, elicito dolore mox factum deteſtabantur, & oſculum terræ figebant, quæ erat communis ejuſmodi exceſſibus impoſita à viro DEI pœna. Quibus ejus artibus magno gaudio civitas ſibi gratulabatur, ſe tum à vitijs reliquis & ſcandalis, tum præcipuè à maledicendi & dejerandi pravâ conſvetudine eſſe perpurgatam.

Neque ſolùm vulgi hæc de Patris ſublimi ſanctitate fuit exiſtimatio, ſed & virorum doctrinâ & virtute, è diverſis Religionibus, ipsáque Societate conſpicuorum, qui illum hominem magni ſpiritûs, planéque Apoſtolicum agnoſcebant, primíſque ſuo tempore per Hiſpaniam viris accenſendum fatebantur : in quo præter diffidentiam ſui & contemptum, vix aliquid de homine reperiebatur. Angelicâ enim puritate ad extremum ſpiritum illibatè conſervatâ, obedientiæ tenaciſſimus ad minutiſſimos uſque apices fuit, ut idcirco accuratè expendi à Superioribus quidpiam injungentibus oportuerit omnia præcepti ſui verba, quòd ipſe cæcâ ſimplicitate ad literam ſingula exequeretur. Exituro vice quâdam ad Collegij villam, jumentum Rector aſſignaverat, & quòd ipſe ſæpius notatus eſſet illo obviorum uſibus conceſſo, pedes iter conficere, vetuerat equo per viam deſcendere; accidit interea, ut hic in lacunam prolapſus humi concideret, neque ob ſeſſoris pondus eluctari in pedes poſ-

ſet, mirantibus, qui fortuitò occurrebant viatoribus, cur Pater ad illum ſublevandum non deſcenderet: quorum cuipiam idipſum monenti tandem reſpondit, id ſibi per Superioris mandatum nequaquam licere. Nec quidquam adeò minutum, vel acum unam ſuis unquam uſibus oblatam acceptavit, vel de fili fruſtillo diſpoſuit, quin expreſſum Superiorum aſſenſum ſemper exquireret, pro ipſa adeò luſtrali aqua, recèns cubiculo inferenda, ſolitus eum expetere, maximus oſor univerſalium facultatum. Eâdem obſervantiâ parebat cuivis infimo ex ſubordinatis adminiſtris, ipſi adeò in itineribus agaſoni & famulo; qui ſi fortè Patrem prolixiùs in agro erudiendis obvijs ruricolis ſubſiſtentem monuiſſet, properandum eſſe, continuò velut ad DEI vocem, nullò ſuperaddito verbo iter reſumebat: alioquin viæ immemor, ſæpius adusque tenebras in agris cum paſtoribus & agricolis inſtituendis hærere ſolitus, nihil penſi habens, quòd iter deinceps noctu agendum eſſet, ſero hoſpitio, neque ullis ad reficiendas vires neceſſarijs rebus inſtructo. Paupertatis Religioſæ uſque eò tenax fuit, ut pecuniam manibus tractare, niſi coactus, nollet: quare illam in viaticum ſubinde datam continuò in diverſorio hoſpiti aſſervandam credebat; domum autem redux, ſi quid ejus ſupereſſet, primò omnium Superiori reſtituebat, quietis omnino impatiens, quamdiu vel obulus penes ſe remaneret. Cúmque aliàs per oblivionem pauculos in ſuo cubiculo numos retinuiſſet, repentè eorum nocte intempeſtâ memor ſurrexit, & ad limen portæ Superioris collocavit. Cùm aliquando Superioris juſſu lichnum goſſipinum alendæ lampadi indidiſſet, ſcrupulo poſtmodum tactus quòd goſſipino uteretur, cùm lineus ſufficeret aut laneus, immemor idipſum Superiorem juſſiſſe, profundâ nocte ad eum anxius accurrit, & facultatem ejus conſumendi oravit. Auſteritatum tantus fuit amator & ſectator, ut tota ejus vita mera fuiſſe dici poſſit pœnitentia. Neque ulla res fuit vel actio & occupatio, in qua non mortificationem quæreret, nihil penitus guſtui & naturali appetitui concedens. Cilicio conſtanter veſtitus, flagellis corpus vexabat adeò atrociter, ut modum à Superioribus imponi neceſſe fuerit: in miſſionibus decumbebat ſuper ſola ſtorea humo inſtrata, vel inter paleas abjectus; & aliquando frigoris à CHRISTO pro nobis in ſua nativitate tolerati experiundi avidus, horas aliquot beatæ illius noctis inveſtitus ſub gelido Jove duravit, dum pene obrigeſceret. Cibum quo utebatur parciſſimum, corrumpebat nihilominus aſperſo cinere, ſale vel aquâ affusâ, neque unquam bellaria, vel ferculum delicatius admittebat, niſi expreſsè à Superiore ſubmitterentur; & hæc ipſa plerumque pauperibus elargiendi licentiam flagitabat.

Jam verò converſatio cum Cælitibus & oratio erat perpetua, neque ullis diſtractionibus & negotijs interrupta: præter enim horas, complures illi dari in ſecreto ſui cubiculi quotidie ſolitas, nunquam à præſentia DEI animo exerrabat, ad quam ignitis ubique deſiderijs & affectibus aſpirabat, non ſinè crebris ab omni ſenſu alienationibus, & extaticis, qui in ejus inflammato vultu notabantur, raptibus; id quod potiſſimùm advertebatur, dum gratias poſt Sacrificium Miſſæ DEO referret, vel in menſa modico deguſtato cibo ceterâ otioſus accumberet. Et quidem ſub ultimam ægritudinem neceſſe omnino fuit imperari, ut hos animi ſacratiores impetus cohiberet, nè ardore ſpiritûs febris incendia augeret: nam vel ex ſola DEI mentione, & perbrevi, quâ parvulos ſe inviſentes ad pietatem hortatus eſt, admonitione, tanto amoris divini æſtu incenſus eſt, ut animo à terrenis avulſum neceſſe fuerit à ſancto illo ſomno ad ſenſus revocari. Potiſſimùm autem pietati ſuæ frena laxabat, cùm peregrè in miſſionibus viam carperet; nam cœlum ſimul & terram cum omnibus ſigillatim creaturis, aves & pecora, montes & flumina, animata & inanima, ad laudes Creatori ſuo dicendas invitabat: ſub quæ animi fervore abreptus, & torrente diviniorum lautitiarum ebrius, velut animi impos volitabat, vociferabatur, ejulabat, súſque déque curſitabat, identidem in viam revocandus, & ſæpius, nî in tempore præmoneretur, flumine obvio demergendus: ut ſi quis hominis ignarus viator occurreret, amentem, vel muſto ebrium crediddiſſet. Ex hoc amoris divini æſtu dimanabat flagrantiſſima illa in proximum charitas, quâ omni hominum generi proniſſimè ſubveniebat, ſuperatâ quâvis naturæ ſuæ, à quibuſdam munijs exercendis, difficultate abhorrentiâ: nam licèt conſcientiæ eſſet ad ſcrupulos uſque & perplexitates delicatæ, aſſiduus tamen pro tribunali Pœnitentiæ aſſidebat, neque hoc aurium obſequium ulli unquam poſtulanti quovis prætextu negavit, aut excuſavit, quin ultro in vicis & compitis, ac per tabernas indagatos peccatores, ſæpe annis plu-

pluribus impœnitentes conquisivit, & ad exomologesim induxit. Nulla tanto cum affectu mater prolibus suis laborantibus assistit, quanto ipse aderat ægrotis & calamitosis, eósque tot artibus & modis tenerrimè noverat solari, & ad generosè subeundam mortem incendere, ut felicissimos se reputarent, si in ejus manibus animam agere daretur: atque idcirco præ alijs frequentissimè ad ægros evocabatur, diu noctúque ad eorum subsidium promptissimè expeditus, ad ultimum usque halitum à lectulo non discedens, omnis gravioris odoris, pestilentis morbi, & contagionis periculo contempto. Non semel vultu suo venerabili excipere visus est, quæ infirmi egerebant phlegmata, & fœdissimum, quo interibant, virus; anno præsertim 1649. quo Carmonæ toto contagionis tempore pestiferis fuit ab obsequijs. Ex hac eadem proximi dilectione, promanabat illa de omnibus bene sentiendi, & manifesta etiam delicta excusandi facilitas. Inimicitias inter varias personas, & integras familias, ob cœdes amicorum conciliaturus, non tantùm persvadere conabatur, sed ex animo sincerè semper credebat, illas præter intentionem & libertatem, sinè veniali etiam culpa intervenisse. Cùm iteratò in villa Collegij furto surrepti essent equi, verveces, & id genus diversa pecora; extremam in furibus haud dubiè intervenisse ajebat necessitatem, manifestum alioqui peccatum committere non ausuris: aliàs verò de equis subreptis intelligens, necessarium aliquod raptori præ manibus fuisse iter divinabat, quo confesto, eosdem possessori esset omnino reducturus. Atque ad hunc modum ad omnia aliorum vitia & lapsus advertendos cœcus, ad suos tamen minimos etiam nævos erat linceus, quorum causâ ex animo sentiebat, se mortalium omnium deterrimum, dignum ob sua in DEUM summè beneficum demerita, pedibus omnium proteri, & ad quodvis aptè agendum ineptum.

Verùm hæc aliáque omnigenarum virtutum decora longè clariùs refulserunt in occasu, ùt solent luculentiùs in occubitu micare luminaria. Hunc ei creavit febrilis malignitas, quam neque præstantium Medicorum pharmaca, neque publicæ ad DEUM urbis totius preces, votiva jejunia, peregrinationes, pauperum lachrymæ, vincere poterant, obnitente Patre flagrantissimis desiderijs, quibus dissolvi quantocyus, & esse cum CHRISTO cupiebat. In ardentissima, quâ cruciabatur siti, ut ei pluribus fissuris lingva scinderetur, nullum unquam refrigerium, vel saltèm eluendis frigidis faucibus adhibuit, sæpius adstantibus hilari vultu repetens: *quid mirum est, me criminum multorum reum siti emori, quando innocentissimus JESUS tantam in cruce moriens pro me sustinuit?* Quidquid autem temporis ab adeuntium humanitate & Medicorum cura sibi permitteretur, id totum in colloquijs cum DEO & Cœlitibus conterebat, incredibili cum affectu, ut cor ei colliquescere videretur: dum denique in his ipsis animam DEO reddidit eâdem, quâ prædixerat horâ, 19. Februarij 1680. ætatis 63. Societatis initæ 48. Ubi autem felicis ejus transitûs signum campanâ Ecclesiæ datum est, illico æra omnia totius urbis templorum personuerunt, maximíque ordinum omnium concursus ad Collegium fieri cœpti, ut Patris sancti exuvias venerarentur: neque aliud ferè per domos & plateas videre erat vel audire, quàm gemitus pauperum, suspiria & lachrymas civium, dolentium se præsidio tanti DEI servi privatos. Et quod sanè admiratione summâ est dignum, nemo fuit ex omnibus, cui etiam per inadvertentiam excideret id, quod aliàs communiter amicis recèns vitâ functis precamur, orando DEUM illis fieri propitium: tam altè nimirum animis omnium insederat radicata de Patris sanctitate opinio, ut nullâ suffragiorum ope egere censerent, cœlo indubiè mox ab obitu receptum, ut ijs magìs ipse Patronus apud DEUM esset. Neque resisti precibus piæ civitatis potuit, quin postridie corpus defuncti totum diem populo in templo spectandum exponeretur, ingenti hominum multitudine continuò, ex agris etiam & vicinis oppidis, affluente, ut exuvias, opinione suâ sacras, osculis, manuum, rosariorum, & id genus piarum reculaturum attactu venerarentur. Licèt autem quaterni feretro Sacerdotes constanter assisterent, impedire tamen nequiverunt, quin pia quædam furta, plurimis de veste Patris rescissis frustulis, admitterentur: quod idem rebus ipsius cubiculi omnibus factum est, usque ad lapidem, in quo laboribus fessus quiescere solebat, in pignus pietatis ipsius ablatum.

Hanc tam excelsam de Viro DEI opinionem, etiam cœlum testimonio suo firmare pluribus modis videbatur. Cùm enim nocte quâdam postremæ hujus ægritudinis Sociorum aliquis apud Patrem vigilias agens, advertisset post longum silentium cuipiam colloqui, & visurus quid rei id esset, propiùs ac-

accessisset, audivit reductâ silentio tantisper cortinâ, illum cum parvulo JESU dulcissimè expostulantem, cur præter moram tamdiu abesse voluisset? simúlque svavissimo mirè fragrantium rosarum odore delibutus, vidit Patrem in vultum divini pusionis, velut ad caput suum assidentis, oculis inconnivis defixum; unde tantam animo suo devotionem imprimi sensit, ut sui impotens, erumpentibus per ora lachrymis, à lectulo recesserit. Nec ludibrium fuisse oculorum vel aurium, quod viderat, alteri cuidam personæ eadem exhibita probavit visio. Erat inter Cœnobij ejusdem urbis Sanctimoniales Virgo sanctitatis opinione percelebris, quæ nocte eâdem divino in raptu clarissimè vidit divinum Pusionem ad ægri Patris caput assidentem, qui dextrâ capiti ægroto suppositâ, ejusdem faciem lævâ svavissimè demulcebat, tandémque sacro-sanctam faciem suam vultui Patris, osculantis in modum, applicabat; quo spectaculo abrepta in has voces erupit, *ubi talis adest morborum curator, nihil humanâ illic operâ opus est.* Eodem deinde, quo expiravit puncto temporis, priusquam ære campano signum ejus mortis daretur, Religiosa alia toti urbi ab excelsa virtute notissima, audivit Patrem clarè & distinctè se appellantem, *vale filia:* cui illa hilari voce reposuit, *accipe & me tecum Pater mi!* quæ apparitio toti primùm Sacræ Familiæ, ac tum universæ civitati innotuit. Vulgatissimum ibidem & planè notorium est, plurimos morbis varijs detentos, applicatis solis floribus, quibus Patris feretrum inspersum erat, vel alijs ex ejus utensilibus reliquijs, pristinam illico recepisse sanitatem. Persona quædam chartas suas rejectitias igni exurendas injecerat, ignara in illis esse unam Patris manu & nomine inscriptam, quâ olim testatus fuerat domesticos ipsius apud se confessionem peregisse. & ecce reliquis omnibus igne consumptis, sola hæc è flammis indemnis exilijt: iterúmque in illas projecta quòd casu elapsa crederetur, iterum resilijt: ac tum demum persona illa admiratione defixa, explorata, quid chartæ illi inesset, quòd ure re flamma refugeret, manum & nomen Patris in ea reperit, móxque ad Rectorem Collegij detulit, qui & ipse charactere quoad omnes literas indemni, solos undique margines ambustos deprehendit. Sed & viventis adhuc Patris operâ ad sanitatem ægris mirabiliter restituendam, DEO uti placuit. Sanè cùm tertianâ pertinaci nonnemo diu afflictus, remedia cetera frustra adhibuisset, spe tandem omni in Patris meritis locatâ, infimis precibus exoravit, ut super se sacra Evangelij verba recitaret; quo obtento, malo omni momento liberatus est.

Jam verò sepultura tam venerandi omnibus corporis totas 42. horas, præter Societatis morem, differri debuit, ob novum & perpetuum multitudinis ad illud affluxum: ad quam celebrandam adfuit Nobilitas & urbs tota, cum omni trium Ecclesiarum Clero, & Divi Francisci Religiosis, funúsque præter morem per omnes Civitatis principales plateas ac fora deduxit, quasi exuvijs illis urbem expiatura; cùm interim præter planctus & lachrymas, partim se ejus præsentiâ destitutos lugentium, partim auxiliarem è cœlo manum implorantium, nihil aliud exaudiretur. Justa funebria cum diversis præcipuorum Concionatorum panegyribus, totis novem diebus illi persolvere magnificè voluerunt, primo quidem triduo Sodalitas S. Petri, quæ Clerum universum complectitur: altero triduo, ternæ Civitatis Parochiæ: septimo, primarius quidam è Clero, eadem suis sumptibus celebravit: octavo illustris Sodalitas Divæ Virginis sinè macula conceptæ: tandémque novenam coronavit ipsa fidelis & nobilis Civitas, quæ aliàs, id supremi honoris nemini, præterquam solis Regibus Hispaniæ exhibere solet.

Ex ejus Elogio.

P. JOANNES MALOBITZKY.



SI ex Dominico effato *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis,* Joan. 15. hanc ardente suo zelo assecurus meritò videbitur Pater Joannes, dum anno 1680. crudeliter lue pestiferâ Pragam depascente, pro salute proximorum tot morribus, quot ab ea vindicatos Cælo asseruit, animam exposuit. Editus in lucem est Launæ, Regiâ Boëmiæ Civitate, Anno 1620. 11. Novembris triduo post debellatam decretorio in Albo Monte propè Pragam prælio, & deinceps è Boëmia proscriptam à Ferdinando II. hæresim. Primam pueritiam innocenter domi

tra-



P. Ioañes Malobitzky S.I. Bœm9, in obſeqvio peſtiferorum ſingularis Mariani cultꝰ propagator; humilitate, Animarum zelo, et charitate proximi conſpicuus. Obijt Pragæ 6. Auguſti, Anno 1683. Ætatis 63. 196.

traductam ad Gymnaſium Societatis JESU Commotovium, humanioribus literis excolendam tranſtulit, à petulantia juvenili, & omni ſpecie vitij ſemper alienus. Philoſophiam verò triennio Pragæ, eodem vitæ innocentis, & ab omni ſæculi corruptela intaminatæ, tenore decurrit; eâ ingenij & induſtriæ laude, ut inter multos Philoſophici Gradûs Competitores, primam Magiſtetij lauream retulerit. Plurimùm ad hoc indefeſſum virtutis & ſcientiæ ſtudium contulit conſtans ineundæ Societatis propoſitum, quam Anño 1640. conſecutus eſt, 18. Septembris Brunæ ad Tyrocinium receptus, quod illi ampliſſimum vincendi ſui campum aperuit. Cùm enim ex natura complexionis eſſet præfervidæ, & indolis ſupra modum in choleram propenſæ, toto vitæ decurſu in eam certandum ipſi fuit; & quidem propè ad ſangvinem, dum contra ſubitò erumpentes ejus impetus tanto ardore ipſum obniti, vel ex oculis totóque vultu apparebat, ut ſudorem exprimeret. Ex hoc vincendi ſui conatu, & affectuum in meditatione, quibus DEUM in vota ſua flectere nitebatur, contentione, ſub tertiam Novitiatûs hebdomadam viſus eſt Medicis fibrarum aliquam in pectore rupiſſe, coactus idcirco majore Tyrocinij parte meditandi ſtudio abſtinere, & ſvavioribus precandi modis interim contentus eſſe. Itaque irremiſsâ ab ipſo vitæ Religioſæ exordio luctâ, ità ſe ipſum perdomuit, ut affabilem omnibus & ſvavem ſe exhiberet, & quantumvis irritatus non excandeſceret, poſsétque è leunculo videri in agnellum mutatus. Erat verò planè jucundum Socijs, licèt

licèt non absque condolentia, videre illum, quoties inter disputandum, aliòve certamine commoveri se primo aliquo impetu sentiret, ingenti mox violentiâ reniti, & collectis quasi viribus omnibus resistere, nè erumperet: vel certè sermone mox abrupto conticescere: & hunc ipsum tamen naturæ suæ minimè liberum) quem ille brutalem vocabat) fervorem, quasi offensam aliorum deprecari, non rarò flexis genibus, & amaris cum lachrymis. Parum tamen foret animum ità perdomuisse, ut nè alios offenderet, nisì & injurias immeritò sibi illatas heroicè perferret. Ab impotente adolescente aliquando contumeliosis verbis, in magna Scholasticæ juventutis frequentia appetitus, aliud reposuit nihil, quàm animo pacatissimo admonens, vellet ut meminisse sui, & advertere quid ageret. Alibi haud paulò indigniùs, & quod acerbiùs sentiri solet, à domestico & Religioso, cujus & Minister domi, & in scholis Præfectus erat, in conspectu discipulorum audacter lacessitus, nec verbo, nec animadversione, pro sua potestate, ultus est: quin paucis pòst diebus, gravi & quidem contagiosâ prostrato ægritudine, proprium cubiculum, (quia alijs commodius) inhabitandum cessit, magnáque charitate dies & noctes integras assistens, infimis quibusque obsequijs deservivit, dum eodem ab ipso afflatus contagio in lectulum decidit. Quoties tamen in vitia pugnandum esset, & causæ gravitas heroicam virtutem requireret, leonis induebat robur, nulla extimescens pericula. Ità cùm Svecicus hæreticorum Mars Anno 1648. Minore Urbe Pragâ proditione occupatâ, reliquam pertinaci obsidione urgeret, & adversùs hostem Catholico Nomini infensum Ecclesiastici & Religiosi diversi arma communiter sumpsissent, ipse pariter cum magno Sociorum numero, Theologiæ tum operam navans, ad tutanda mœnia Urbis, à qua totius Regni salus, & Fidei orthodoxæ conservatio pendebat, procurrit, eáque fortitudine propugnavit, ut inter primarios ejus defensores, Virósque illustriores, ob servatum præcipuè dejectis indè hostibus propugnaculum, numeratus sit.

Atque hæc ferventioris indolis vivacitas omnium illi virtutum parens fuit & origo, humilitatis imprimis & abjectionis sui, quam sibi ab ipso Tyrocinio maximè cordi fuisse & fatebatur ipse, & opere constanter demonstrabat. Admotus à Novitiatu infimæ pueritiæ docendæ, cùm evoluto anno altiori Classi destinaretur, magnis precibus à Superioribus obtinuit in Infima relinqui. In aliorum laboribus & actionibus dilaudandis, sempérque bene interpretandis facundus: rerum suarum vulgandarum usque eò fuit parcus, ut qui ei multis annis convixêre, non meminerint ullum verbum, quod in sui vergeret commendationem, ex eo audivisse. Sed neque ab alijs laudari sustinebat, etiam quæ in omnium oculis præclarè gesta suspiciebantur: hinc cuipiam heroicè quædam ejus in obsequio pestiferorum acta prædicanti, rubore suffusus, filum sermonis abrupit, & ex imo cordis ducto gemitu magnopere se timere professus est, nè ob varios neglectus suos & culpas in eo obsequio admissas, supplicia apud DEUM mereretur. E contrà si quis ætate etiã & gradu inferior (erat enim 4. votorum Professus) culpæ alicujus argueret, aut defectus objiceret, nõ solùm æquo animo auscultabat, sed etiam exprobrantibus ultrò ridendi sui ansam præbebat, ea proferendo, quæ ruditatẽ, & eorum quæ in colloquio tractabantur, minùs intelligentem proderent. Ea quæ typis mandabat, aut edenda adhuc elucubrabat, alijs se longè inferioribus, etiam Philosophiæ studiosis judicanda, & liberè censuranda ultrò offerebat. De se suísque talentis omnino vilissimè sentiebat, erroré́sque varios ab se admissos recensebat in aliorum gubernatione, ut se ad quodvis regimen non modò indignum, sed planè ineptum persvaderet. Coactus nihilominus administrationem Collegij Hradisstij, post multas incassum deprecationes & excusationes, suscipere, illo se consolabatur, quòd eô tempore Rector destinaretur, dum morbus contagioni similis in Collegio tribus extinctis personis, serperet: *sapienter enim*, ajebat Vir humillimus, *noluêre Superiores huic periculo aliquem dotibus magnis præditum; Collegio præficiendo exponere, nam me extincto nihil amittetur*. Rexit autem eâ omnium satisfactione, & prudentiæ ac sanctitatis commendatione, ut domesticis æquè ac extraneis Vir sanctus haberetur & appellaretur, totíque Nobilitati esset in amoribus & æstimatione. Eluxit in eo singularis in suos, ægros præsertim, charitas & providentia; hos enim frequens diu, noctúque potissimùm revisebat, quòd hanc infirmis permolestam sciret: & si insomnes reperisset, recreabat pio alloquio dum sopor adveniret, quem indè sibi & precibus ejus conciliari experiebantur. Cùm verò plerique domi decumberent, non solùm diversorum Medicorum consilia exquirebat, sed etiam cibum & potum eis præbendum

dum quotidie ordinabat sollicitè & examinabat, maternâ prorsus industriâ. Omnia viliora pro se, in vestitu maximè, meliora pro domesticis curabat, interiora præsertim, & linea, quæ oculos effugiunt, ex rudi & crassa tela. In oratione noctibus pervigilabat in Oratorio domestico, quò post aliorum decubitum adrepebat ante SS. Eucharistiam, ubi priùs, quod non rarò mediâ nocte factitabat, totam domum Visitatoris locò perlustrâsset. Quibus cùm placeret omnibus, minimè placebat sibi, ideóque naturæ suæ vehementioris ad regendum alios ineptæ obtentu, impetravit denique Româ ante evolutum triennium Officio absolvi, neque imposterum ulli Collegio præfici. Rogatus aliquando ut pro Rectore pauculis diebus abfuturo Vicarius domui præesset, in lachrymas solutus humili candore excusavit, quòd indomabilis naturæ fervor non esset capax alios moderari, quin omnia perturbaret: imò se non capere, quomodo in Societatem admitti, & in ea hucusque tolerari potuerit. Denique quanto horrore præponi alijs refugiebat, tanto affectu subesse omnibus, & exactissimè parere in minimis, quæ tantùm innuerentur, studebat. Id quod magnâ præstabat promptitudine & observantiâ, quantumlibet genio & propensioni importuna acciderent: solitus & alios ad promptè parendum vel ex eo hortari, ut in Superiore DEO gustum exhiberent.

Sed nunquam luculentiùs hoc promptè parendi, licèt ad certam mortem eundum esset, declaravit studium, quàm cùm latè per Tri-Urbem Pragensem grassante lue epidemicâ, pluribus jam Socijs in ejus obsequio extinctis, ad opitulandum infectis ipse quoque invitaretur Præpositi Provinciæ literis: eâdem siquidem horâ, quâ epistolam accepit, perinde ac si id mandatum, non oblatum foret, ad Lazaretum se contulit, quo pestiferi ex tota Urbe magno numero evehebantur quotidie ad curam, vel magìs certam mortem, cujus tristis imago præ oculis sola undique obversabatur, quocunque obtutum inter tot jacentia cadavera magìs quàm spirantia adhuc corpora obverteres, nullius sani validíque conspectu aut consortio occurrente, nisì qui ministerio ægrorum unà addicti erant. Hìc ille semestri ampliùs, incredibili alacritate & hilaritate versatus, animam suam in manibus portabat semper, in DEI voluntatem quotidie resignatus, ità conatu omni, industriâ, & indefesso labore in procurationem miserorum impenso, ut unus omnia charitatis officia peragere velle videretur. Quia verò in ternas veluti stationes seu habitacula Lazaretum divisum erat, ad fovendam in ægris pietatem & fiduciam in Matrem agonizantium, in singulis ectypon prodigiosæ Imaginis Beatissimæ Virginis, quæ Piecarij in confinibus Silesiæ & Poloniæ colitur, decenter erexit, útque ad ejus patrocinium pijs identidem suspirijs recurrerent, verbo & exemplo auctor fuit, manè quidem & vesperi ipse plerumque precationes communes præorando, & virentibus ramis pictísque telis aras illius ornatiores reddendo. Remittente verò jam peste, solennem supplicationem instituit è Lazareto ad vicinum assumptæ Virginis Sacellum, festo ejusdem Nativitatis, delatis in maximo viciniæ concursu ternis velut in triumphum illis DEI paræ Iconibus. Porrò contagiosis constanter diu noctúque aderat, & divinis humanísque medijs opitulabatur: & licèt providentiâ Senatuum Tri Urbis quoad remedia juvandis corporibus affatim prospectum foret, destinatis ægrorum procurationi medicis, chirurgis, ceterísque ad singula obsequia administris, ipse tamen in omnium partem, dum tantæ multitudini non sufficerent, & non pauci ex Curatorum numero afflati contagio, indies interirent, veniebat. Assistebat ægrotis, partitis cum Socio Sacerdote laboribus, indefessè, nè ullus absque ultimis Sacramentis decederet, disponebat agoni morientes, defunctos Ecclesiastico ritu, quoties per graviores occupationes posset, ad tumulum comitabatur: dúmque nocte intempestâ quotidie currus ægrorum pleni ex Tri-Urbe adveherentur, illíque per vices cum Socio obviandum, sive ad consolandos, sive debiliores expiandos, abrupto somno esset, ipse nè Socio necessaria quies turbaretur, illo neque advertente, foràs ejus vice prorumpebat. Quidquid suis necessitatibus subtrahere posset, ægris suppeditabat, usque ad lecti operimenta, quæ svaviùs illis decubituris dispertijt: ipse proprijs manibus lectos sternebat, mundabat, & sordes efferebat. Et quia ægrorum pars magna superante multitudine, humi leviter stramine contectâ decumbebat, neque ob confertim prostratos commodè singulorum exomologeses secretò excipi aliter poterant, manibus & pedibus adrepebat, applicatáque ori auriculâ confessionem excipiebat. Neque mortem in obsequio tam sancto formidabat, sed exoptabat: & quamvìs dyssenteriâ aliquando torqueretur, nihil tamen de solitis munijs omittebat

tebat, sæpiùs auditus exoptare, utinam concederetur pro illis emori! Aliquando solitò hilarior Socio observatus, cum lætitiæ causam rogaretur, post triduum palàm fore respondit: hôc elapsô, pestiferum ulcus eô die sibi erupisse dixit, cujus maturitatem & lethales ardores cùm interim crederet secututos, illud è contra penitùs evanuisse: *ego*, ingemiscens, *quæro & anhelo mortem*, *& illa me fugit*! Denique cùm incolumis, pestilentiâ jam ubique extinctâ, è Lazareto revocatus abijsset, quoties ferè mentio ærumnarum ejus luis, in familiari colloquio fieret, solvebatur in gemitus, nec raro in lachrymas, quòd ob peccata sua non fuisset dignus cum tot Fratribus suis, in eodem pestiferorum obsequio felicissimè extinctis, animam ponere. Neque intrà Lazareti repagula passus est charitatem suam contineri, quin identidem latè in paganorum agrestium casas, quorum non eadem providentia haberi poterat, procurreret; Certè in tugurijs vinearum undique per montana vitifera dispersis, quavis Cæli viarúmque intemperie, lue prostratos vestigabat, non rarò è domibus in vias & publicum ejectos,& omni solatio subsidióque destitutos solabatur, divinísque & humanis remedijs adjuvabat: ut ex his præcipuè concursationibus creditus sit pedes malè affectos domum retulisse. Quanquam & vires corporis reliquas, antehac vegetus planè & robustus, ità prostravit, ut triennio reliquo, quo ferè supervixit, frequentibus defectionibus & morbis conflictaretur, nunquam solidâ & constanti utens valetudine: assiduus tamen ad mortem usque, hyeme & æstate, pro Pœnitentiæ Tribunali, quamdiu aliquis adesset qui confiteri vellet: & Sodalitio modò Civium, modò Studiosorum administrando incumbens, quorum etiam nutriendæ devotioni tres libellos singulari pietate edidit. Quoties etiam invisendis aut morti parandis ægris Sacerdos desideraretur, in promtu erat: & cupientibus foras exire domesticis, si socius deesset, rarâ charitate promiscuè multò junioribus in comitem se offerebat. Quo tempore extinctâ jam lue extra Lazaretum locô salubri & à contatione intactô, hebdomadas aliquot probandæ & firmandæ valetudini substitit, gravem rerum penuriam passus nemini queri sustinuit: quã ab invisente socio aliquando observatam impensè rogabat, nè Superioribus Collegij proderet, quòd non huic, sed Lazareti Præfectis cura sui incumberet. Cùm verò Celsissima Princeps de Porcia redituro securè ad Urbem & Collegium, vestitum omnem novum curare voluisset, studiosè deprecatus est, nè quid ex meliore panno, tela, vel alia materia fieret, à religiosa paupertate alienum: & cùm nihilominus interula delicatior offerretur, eam acceptare renuit.

Fuit enim Evangelicæ hujus virtutis amator præcipuus, neque præter propria MSS. & libros Officij, quod gereret, & CHRISTI de Cruce pendentis rude simulachrum, DEIparæque iconem, quidquam in ejus cubiculo fuit videre: unde ad discedendum ex uno ad aliud domicilium forté monitus, spatio quadrantis horæ expeditus apparebat. Oblatum sibi in triclinio meliorem suprà aut præter ordinarium cibum, etiam ab assidente hospite, admisit nunquam: nec ægritudinis tempore quidquam delicatioris potûs vel edulij; quin nè medicinam quidem, si videretur alicujus pretij; debuítque in supremo morbo à Superiore & Medico adigi, quòd id sanitati recuperandæ necessarium esset. Ità omnia terrena aspernatus, etiam à sangvine & cognatis affectum omnem, qui spiritualis non esset, retraxit, nè literas quidem ab ijs recipere dignatus, dum à sorore transmissas, nec reseratas igni injecit. Ejusdem filium juvenem dotibus insignem rogatus, ut ad Contubernium Convictorum promoveret, nec auxilio, nec responso dignatus est: imò Sacerdoti nostro ejus patrocinium suscipienti obstitit, nisi forte sciret competitoribus alijs hoc beneficio esse digniorem. Ordinatam tamen in omnes charitatem cordi habuit quàm maximè, erga domesticos & externos, nihil suis dum Rector vel Minister domibus præesset, passus desiderari, dicere solitus subordinatis rerum administris, demus servis DEI, ità enim nec DEUS quidquam nobis deesse permittet. Ipse sibi aliquando vestem detraxit, cùm alia in vestiario ad manus non esset, eámque alteri obtulit. Dum in Olomucensi numerosissimo Collegio Præfectum Spiritûs ageret, rescivisétque unum è domesticis Scholaribus, parum vitæ Religiosæ memorem, impatienter ferre, quòd deteriorem alijs vestitum interiorem accepisset, sevocato ad cubiculum, sua cum illius indumenta permutanda obtulit: nihil tamen exinde modestiore, & in proposito vitæ Religiosæ solidiore reddito, siquidem paulò pòst ab Societate dimissus est. Universim autem in eos semper magis fuit beneficus, & ad serviendum promptior, à quibus aliquid passus esset, aut minùs gratitudinis speraret. Defectus alio-

rum

rum mirè excusabat, benéque interpretabatur: síque animo turbatum quempiam adverteret vel afflictum, solatio demulcebat, & ad fortiter ferendum animabat. In eadem Olomucij Præfectura, cùm Missionarij ad Indias, & deinceps in Ungariam Turcicam expeterentur, vehementer dolebat se ob graviorem ætatem his jam ineptum, quas eatenus ingenti desiderio frustrà ambiebat: quare vehementer Scholasticos nostros ad ejusmodi Missiones animabat, in quibus plenior in proximos dilectio exerceretur. Devotionem erga CHRISTUM patientem fovebat tenerrimam, de cujus doloribus vix unquam sinè lachrymis loqui potuit: In octiduana certè, quam ex officio nostris tradebat, Sancti Ignatij ascesi, ubi ad cruciatus Domini explanandos veniebatur, ob lachrymarum affluentiam, & singultuum vehementiam abrumpere sermonem plerumque cogebatur. Idem eveniebat quoties de his ad Sodales in Conventibus, vel pro concione ad populum diceret: planè ut donum lachrymarum cælitùs accepisse crederetur; siquidem in has non raró etiam super mensa ex piæ lectionis auscultatione solvebatur; & Socius ejus in Lazareto observavit, vix unquam Sacramenta pestiferis, aliáque obsequia, sinè earum profusione, quantumcunque eas reprimere laboraret, administrâsse. Solebat idem post quotidianum à prandio colloquium instituere alterum, quod secundam recreationem vocabat, cum CHRISTO Crucifixo, ante cujus simulachrum se collocabat; idémque practicandi alijs auctor erat, pollicitus magnis á DEO favoribus cumulandos, si vel quartam horæ partem tali colloquio impenderent. Neque siccus fuit illius & cruciatuum vacuus in patientem Dominum affectus, sed planè cruentus, ut sangvinem pro sangvine redderet, & mortificationem illius semper in corpore suo portaret. Viderat aliquandò in ejus cubiculo ex confidentioribus quidam tabellam è pariete pendulam, meris numeris conscriptam, cujus mysterium roganti fassus est, designari his numerum flagellationum, quas sibi peragendas pro peccatorum conversione statuisset. Miranti verò, quòd tanto disciplinarum solvendo censui nec annum sufficere, si quotidie aliquot fiant, reputaret; non est, inquit, una tantùm corporis pars flagellis idonea, sed procedi potest ab uno membro ad singula reliqua; & ità facilè in una hebdomade notabilis numerus quotidianâ flagrorum iteratione expungitur: addidítque quid obstaret, illa decies, aut vicies die unô repeti? Officium divinum ferè nunquam, nisì opportunitas deforet, dicebat alibi, quàm coram Sanctissimo Sacramento de genibus, quod etiam per diem crebrò invisebat: & ante id similiter meditationem matutinam peragebat. In omnibus per diem actionibus & occupationibus DEO conjunctus, cùm identidem cælum exemplo Sancti Ignatij suspiceret, multis visus est continuæ orationi intendere: quod experientiâ aliquorum firmabat, asserentium, quoties ex causa aliqua cubiculum ejus, ab officij sui múnijs liberi, accessissent, semper illum in genua ante Crucifixum prostratum, oculis & toto vultu ardentem deprehendisse.

Atque ex his facilè est colligere, quanto in DEUM flagraret amoris æstu, de quo omnes ejus sermones, etiam in familiaribus colloquijs, merum ignem spirabant & flammas: quibus & aliorum corda ità accendebat, ut fateretur nonnemo, plus lachrymarum in octiduana ascesi sub eo directore ab se profusum, quàm antea per omnem vitam. Ad quamvis offensæ divinæ umbram planè exhorrescebat, creditúsque est vitæ suæ & arcanorum conscijs, vix intra complures annos plenè deliberato veniali peccato animam maculâsse. Ad hoc obtinendum plurimum se juvari fatebatur opusculo Patris Nicolai Lancicij, super quatuor F. practicè observanda conscripto, Fuge, Fac, Fer, Feraris: quibus ille, veluti vitæ suæ regulis insistendo, ut fugeret omnia DEO displicentia, faceret quæcunque illi placitura nôsset, adversa ferret hilariter, & ab obedientia semper ferri se pateretur, pulcherrimam Religiosi hominis ideam expressit. Eodem DEI amore incensus intimè optabat, pro illo vitam ponere, auditus in quodam colloquio in hæc verba prorumpere: ô si mihi pro DEO meo daretur in frusta diffindi, & articulatim concisum emori! qualia ejus vota, animum etiam ad moriendum semper paratum indicantia, audire fuit. Aliàs cum Socio inter colloquendum domi inambulans subitò vertiginem pati, atque in terram prolabi cœpit, unde tamen mox sui compos redditus, ô quàm feliciter mecum ageretur, exclamavit, si DEUS me hoc ipso momento à corpore dissolvi vellet! Et videtur omnino DEUS fideli servo prægustum Cælestium gaudiorum, ad quæ illum paulò pòst evocare parabat, dare voluisse, prout ipse in arcano suo Examinis particularis libello, quod omni accuratione ad mortem usque annotabat, consignavit,

vit, die 18. Februarij inquiens, Anno (quo ipse in Augusto decessit) Paradisi deliciæ, & immensa DEI in suos benevolentia cuidam ostensa sunt in primo somno, per modum Cælestium nuptiarum. Quarum gaudia & præambulas svavitates etiam aliàs se expertum nonnemini aperuit. Mortem trium Collegij Sacerdotum, quos eô Rectore Hradistij decessisse suprà innuimus, clarè etiam prævidit, dum orationi sub vespertinum tempus vacanti trina vox allapsa est, Pater, Pater, Pater, ingeminans: sub quam accedenti ad suum conclave domesticorum cuidam edixit, tres eô anno Patres Collegio morte subtractum iri: prout reipsâ eventus docuit. Obijt Sacramentis omnibus munitus in Collegio Sancti Ignatij Neo-Pragæ 6. Augusti Anno 1683. ætatis 63. Professus quatuor Votorum, cum opinione eximiæ sanctitatis, ex cujus reculis multi ad privatam devotionem quædam velut in reliquias exambiverunt.

Ex ejus Elogio, & Annuis Societatis JESU Boëmiæ.

P. LUCAS KOLICH.



Pater Lucas Kolich in Moravia Ewancicij parentibus Catholicis civibus natus, ut in eadem Fide, Marchionatu illo hæresi passim adhuc depravato, à teneris educaretur, Orthodoxis præceptoribus commissus est: bonámque & docilem sortitus animam, pietate & primâ literaturâ ità se probavit, ut fortuitò illac transeuntes Patres Societatis eum volêtibus parentibus, secum Brunam ad Gramaticæ studia deductũ, ad contubernium juventutis scholasticæ educandũ susceperint. Hìc ille cum ipso Gymnasij ingressu conceptum vitæ religiosæ in Societate desiderium nunquam dimisit; crevítque idem à puero in ejus animo tantis progressibus, ut vel ad solum Sociorum conspectum gestiret intimis solatijs, fateretúrque sibi à risu quandoque ex redundantia cordis, temperare non potuisse, quòd ex eorum aliquando numero futurum se speraret. Ita primâ adolescentiâ innocentissimè ad Rhetoricam usque deductâ, ut in vota sua animos Superiorum Societatis DEUS flectere vellet, precibus omnibus, & pietatis exercitijs, præsertim in Sancta Communione exorabat; cùm receptum in eam flagitare paranti, bina objecta sunt impedimenta: præposterum inprimis sui incerta Classe Præceptoris consilium (qui tamen paulò pòst Religione desertâ ad sæculum redijt) svadentis, ut propositum ingrediendæ Societatis in Philosophiæ decursum rejiceret, maturiore tunc judicio deliberaturus, quid rebus suis expediret. Sed deprehensâ constantibus ad DEUM precibus periculosâ consilij fraude, dum in vota sua expugnare Provinciæ Boëmiæ Moderatores omni conatu laborat, ecce tibi haud paulò gravior emergit obex à Marte Svecico, qui Anno 1645. post cæsum in Boëmia ad Jankow Cæsaris Ferdinandi 3. exercitum, pertinaci quatuor mensium obsidione Brunæ incubuit, eo planè tempore, quo Lucas Rhetoricæ finem, cum spe inchoandi religiosi Tyrocinij, imponebat. Ergo ad supplendum tuendæ Urbi cum vicino Castello necessarium militare præsidium, evocatis ad arma adultioribus Studiosis, coactus est etiam Lucas annum tunc 18. agens sclopum assumere; positurus, ità DEO disponente, practicum militiæ rudimentum, quam sanctiùs olim secuturus erat 17. ferè annos Missionarius in Castris Cæsareis, Spiritualibus obsequijs milites procurans. Et quidem jam eâ ætate imperterriti ad omnia Bellonæ pericula animi heroica exhibuit specimina, deturbatis è summo Castri propugnaculo (quod ei tuendum inter alios commilitones obvenerat) aliísque eminus assultum parantibus è sclopo neci datis hostibus, non sinè applausu & commendatione Urbis Præfecti Generalis Souches, qui servatam urbem, depulsúmque à mœnibus hostem, ipsorummet Svecorum testimonio, studiosorum masculæ post DEUM virtuti præcipuæ, imputabat. Quadrimestri in armis quotidiana inter vitæ discrimina exacto, *Quæ DEI est* (annotavit ipse Numini gratias agens, in arcano quodam scripto) *benignitas, inter media hostium tela permansi illæso corpore, & quod solâ DEI bonitate factum confido, animo pariter intaminato: neq; etiam me à Societatis consequendæ desiderio deturbari passus est, sed in me illud misericorditer promovere dignatus est, ut hilari etiam animo mortem oppetere perciperem, si modò Jesuita forem.* Solutâ obsidione Rhetoricam anno secundo prosecutus, in Contubernio Seminarij reliquis Præfectus est datus: ubi egregium æquanimis pati-



P. Lucas Kolich S.I. Moravus, Missionari⁹ Castrensis contra Turcas mirè industrius, et zelo ac fortitudine plenus. In expugnatione Budæ multos infantes per baptismum Christo lucrat⁹ est. Obijt Cibini in Transylvania 20 April: 1690. Ætatis 63.

patientiæ ſpecimen præbuit, dum ex inſidijs, nullâ præbitâ injuriæ cauſâ, impacto gravi colapho à Contubernali percuſſus, nihil omnino commotus, injuriam in jocum & laudem etiam percuſſoris, quòd dexterrimè ferire nôſſet, vertit. Voto tandem ſub finem ejus anni potitus, & pauculis alijs Tyronibus, ob temporis & belli injurias, accenſus; ſtudium hoc virtutis magnis animis ingreſſus eſt, conſtantique in actionibus omnibus fervore, & regularum etiam minimarum obſervantiâ præcurrebat omnes, ut in exemplar alijs, unde ad proficiendum calcar acciperent, proponi mereretur. Obſervabant ſinguli in ipſo, & ſuſpiciebant eundem ſemper in agendo tenorem, & ſummam in rebus omnibus moderationem, ut affectûs cujuslibet omnino expers videretur; æquè ab omni triſtitia, atque hilaritate vel levitate alienus, ut nemo eſſet, qui reprehenſione dignum aliquid, aut cuilibet regulæ repugnans deprehenderet; idem ſemper & ſui ſimilis, ut neque adverſis, neque proſperis ullis commoveri videretur. Silentij tenaciſſimus, cùm ſolo DEO internè verſari ſemper videbatur; verborum inter ipſa colloquia ità parcus, ut ſingula priùs ad trutinam vocare appareret; neque ullus repertus eſt, qui in aliorum famam & detrimentum ſiniſtrum aliquid, aut querelam contra Superiores ex eo audiſſet; ſed neque coram ſe dici talia ferebat; excuſabat omnia, & benè interpretabatur, & ſi non proficeret, à colloquio recedebat. Atque hanc vitæ in DEUM ſemper collectæ, & actionum normam conſtanter tenuit à Tyrocinio, per omnes ſtudiorum, ſacerdo-

 tij,

tij, ad ipſum uſque obitum annos; & quotquot ei longiùs aut ſæpiùs, per intervalla convíximus, nunquam obſervavimus à primævo fervore vel latum unguem diſceſſiſſe, modeſtiâ, totius externi hominis compoſitione nihil ſibi Novitio diſſimilem, earundem devotionum, & exercitationum tenaciſſimum, ut miraculo ſimile nobis videretur,potuiſſe tum in ipſo ſtatim tyrocinio fundamenta tam ſublimis perfectionis poni, tum per omnem deinceps ætatem ædificio illis ſuperſtruendo, nunquam à norma ſemel præfixa deſciviſſe. Preces omnes, meditationes, & Examina non niſi de genibus, nulli ſcabello vel reclinatorio nixus, ſed ſuper nuda humo, peragebat, ídque ſi opportunitas non deeſſet, coram SS. Sacramento, quod inviſebat per diem crebriùs,hærebátque in ejus adoratione prolixiùs, quamdiu per Officij occupationes non avocaretur. Antequam ſacrificaturus ad Aram accederet ipſe, Miſſam priùs alterius audiebat tenerrimo affectu, quam deinceps abſolvebat fervore in vultum etiam redundante, inter ardentia ſuſpiria delicijs ſupernis affluens, ùt ex omni geſtu patebat: ac poſt illud novo iterum ſacrificio præſens, in dulciſſima actione gratiarum perdurabat, non raró præ vehementia ſpiritûs in clamoſa prorumpens ſuſpiria, quæ vicini audirent. Charitatis in omnes prorſus æqualis erat, & fraternæ, promptiſſimus ad obſequendum cuilibet, ægris præcipuè ad infima quævis ſervitia, ut neminem vel verbo unquam læderet, aut contriſtaret. Humillimè de ſe ſentiens omnibus ſe poſtponebat, deteriora & viliora in officijs, veſtibus, & victu ambiens, uſque eò, ut veſtigia aliorum, dum ſe minùs obſervari crederet, exoſcularetur. Obſervavi ipſe non ſemel dum gradus, etiam jam ſacerdos & Rector, aſcenderet, ſingulos eorum dexterâ devotè attingentem, in qua baſio impreſſo, eoſdem greſſibus Sociorum veluti conſecratos venerabatur. Munia culinæ & Triclinij obibat Mediaſtini inſtar, & parandis findendíſque in ejus uſus lignis laborem in publica area, etiam dum Rectorem ageret, per ſolidas non raró horas ad ſudorem uſque impendebat. Superiores tenerrimo proſequebatur affectu, & habebat in veneratione, ut ex omni geſtu appareret in illis CHRISTUM reſpici & agnoſci, neque majorem aut teneriorem obſervantiam vel in filijs erga parentes, vel Novitijs erga moderatores ſuos requireres. Ab eorum nutu pendebat unicè, quidquid innuerent, citrà ullam excuſationem aut tergiverſationem ſemper proniſſimè complectens, ídque tantò propenſiùs, ſi vilia & abjecta imponerentur. Amoris proprij, & comodorum hoſtis erat juratus, neque unquam per vitæ religioſæ annos,quamdiu in Collegijs egit,ſomnum ultra conſvetâ horam produxit,ſed bene frequentiùs orationis gratiâ antevertit. In cibo deterioribus duntaxat perparcè veſci ſolitus,delicatioribus conſtanter abſtinuit, itá ut pane & legumine contentus, de carnibus vix quidpiam deguſtaret; itá gravatè & tardè cibum ingerens, ut nauſeâ laborare, & appetitu deſtitui ſuſpicari poſſet. Pœnitentiæ & afflictionum corporis cùm eſſet ſtudioſiſſimus, DEUS ipſe multæ patientiæ continuam occaſionem illi immiſit, ſecreto quodam malo intercute in ipſo Tyrocinij decurſu immiſſo, morbo pediculari quoad moleſtiam faceſſendam perſimili; cuius moleſtiſſimo pruritu cùm toto corpore vellicaretur, quovis tempore, & loco (quin idcircò in munijs ſuis & occupationibus impediretur) longum annis quàm plurimis tulit martyrium. Rerũ ſuarum,quæ quolibet modo opinionem virtutis creare poſſent, fuit occultator tenaciſſimus; conſtat tamen in flagellorum & cilicij uſu fuiſſe frequentiſſimum, ad horrorem uſq; ponè illius cubiculum tranſeuntium, dum ante decubitum flagris in ſe deſæviret. Zelo animarum ardentiſſimo flagrabat conſtanter, præcipuè poſtquam per quatuor vota ſolennia arctiùs Societati auctoratus eſt, neque ullam proximos lucrandi negligebat opportunitatem, Catecheſim rudibus explicando, ægros inviſendo, & conſolando efficaciſſimè, ut ſibi è vita deceſſuris illum præcipuè adeſſe optarent. Nec facilè ullus è ruricolis, pauperibus, & pueris ei fuit obvius, quin ultrò blandè ſalutato, cæleſtium illico mentione injectâ, documentum aliquod ſpirituale, & practicam in rebus pietatis inſtructionem impertiret: non cum alijs propenſiùs agens & familiariùs, quàm cum maximis peccatoribus, erga quos induenda dicebat DEI viſcera, qui eos tantâ benignitate & patientiâ toleraret, neque poſt tot relapſus, licèt æquiſſimè poſſet, diſperderet. Scholaſticus exiſtens, per quadriennium Theologiæ conſtanter Pragæ numeroſæ Collegij familiæ legebat ad menſam, privans ſe conſvetâ recreationis horâ; quos ſimul pijs inſtructionibus in DEUM & animæ curam itá excitabat, ut plures ex illis Religioſi effecti, alij faterentur plus ex ejus alloquijs, quàm ex Concionibus aliorum & exhortationibus proficere.

Re-

Rector Collegio Breznicensi positus, monitum Eccl. 32. ad amussim explevit, nihil exinde *elatus*, sed *quasi unus ex ipsis*, versatus inter illos, ità solicitè *curam eorum habens*, ut sui nullam greere videretur: testarentúrque domestici, etiam post annos complures, nunquam parem sub alio Superiore charitatem se expertos, curámque omninò maternam, quâ necessitates singulorum etiam præveniebat, & commoda, quæ ratio Instituti permitteret, providebat. Principio statim gubernationis Ministrum admonuit, & si omittere id videret, identidem inculcavit, ut studium omne cogitationémq; impenderet, quâ ratione servis DEI charitas omnis religiosa exhiberi posset; idémque sibi suggereret, quò executioni daretur. Cibi cùm esset parcissimi, mensam tamen omnium ultimus, ut liberaliùs se reficiendi mora alijs suppeteret, absolvebat, variè interim scissione & partitione edulij assidentium oculos fallens, cùm magìs cælestibus interim cupedijs mentem reficeret. In humilibus culinæ obsequijs, & publicis pœnitentijs, exemplo & frequentiâ praibat, eluebat lances, & utensilia, serviebat mensæ, exosculabatur accumbentium pedes, humi cibum capiebat. Eadem charitas elucebat in pauperes & mendicos, copiosè ad januam affluentes, quibus propriâ manu liberalem eleemosynam partiebatur, eâ animi teneritudine, ut cor suum inter eos dividere velle videretur. Quòd si Religiosos, aut Clericos peregrinos (quorum illac frequens est transitus) accedere ad Collegium contigisset, occurrebat vultu hilari, & hospitio mensáque lautiore excipiebat, invisebat cubiculo exceptos, & religioso colloquio distrahebat, præcipuè sub noctem ante decubitum: nec unquam sinè viatico, saltèm unius Imperialis, & largiore eleemosynâ (si eam corrogatum venissent) dimittebat. Sed & divina superari nescia liberalitas, abundè charitatem hanc rependit; siquidem nunquam aliàs tot Collegio, ex fundatione sua alioqui pertenui, obvenêre eleemosynæ & donaria, proventúsque ex Oeconomia uberiores; quod domestici unicè Rectoris sanctitati & liberalitati, præter Collegij personas, decem facilè adolescentes religiosos in repetenda Rhetorica occupatos, constanter sustentanti, adscribebant. Sed neque profectûs familiæ servitiorum Collegij immemor, extra curas zeli sui eos reliquit: nam & ordinem diurnum suâ manu ei præscribebat, devotiones assignabat, piâ allocutione aut catechesi sub mensam aut labores reficiebat; cogitando verò in singulas horas alicui Passionis Dominicæ mysterio, sacrum horologium ad cujusvis officinæ portam affixit. Quibus domi forísque Apostolici Zeli industrijs, æstimationem Viri eximiè sancti apud omnes promeruit, ut finito Rectoratu abeuntem domestici & extranei lachrymis prosequerentur, & sacerdotum nonnulli, æquiores virtutum ejus æstimatores, humum genu flexionibus ejus per triennium notabiliter attritam exoscularentur: communiter autem faterentur, nunquam in ejus conversatione & actionibus, defectum ullum, vel regulæ cujuspiam violationem observâsse: quod & ego per annos undenos ipsi convivens testari cogor.

Sed hæc omnia velut in umbra & Tyrocinio virtutum ab eo gesta computari possunt, donec in campum eductus est heroum verè Martialem anno 1673. adlectus in legionē militarem Comitis & Generalis Sereni, ut eandē Spiritualibus obsequijs in Imperiali Exercitu procuraret. Quanquā ille unius legionis administratione zelum suū contineri minimè ferens, pluribus alijs, quia Castrensibus præsertim Capellanis destitui videbat, diu noctúque promptus aderat, nihil sibi quietis indulgens, omnium stationes & tentoria concursans, ægros præsertim venatus, nè sinè Sacramentis decederent. Neque ullum inter morborum genera faciebat discrimen, pestiferis æquè ac contagiosis promptam exhibens operam, quocunque intempestæ noctis excitetur momento. Ad matutinas & vespertinas preces publicè dicendas, faciebat quotidiè legionem totam signo militari convocari, quibus ipse zelo & devotione singulari præorabat, pios hymnos præcinebat, excitabat ad eliciendum actum contritionis, quem prælegebat; & communiter nervosum aliquem sermonem addebat: Dominicis verò & festis omnibus à Sacro peracto prolixiorem subnectebat. Dum indictâ migratione sub signis militaribus exercitus progrederetur, ut à petulantijs & vitiosis excessibus utiliter miles contineretur, utrinque Ordines à primo ad ultimum, sursum deorsúmque continuè pedes inambulans circumibat, Rosarium manibus gestatum altâ voce præorans, cui tota legio respondebat: quo finito vernaculas præcinebat, omnibus pariter sequentibus, pias cantiones: ac tum varias recensebat ad singulas seorsim cohortes pariter associatus, historias; ut magìs votivam supplicationem, quàm militarem progressum te videre crederes. Si verò in castris morarentur, sive in obsidenda urbe, sive in hoste ad conflictum præstolando occupa-

cupati, assiduus totâ die stationes singulorum, tentoria, excubias obibat, penetrabat in fossas, & loca periculi plenissima, nullo reboantium tormentorum, & volantium circa caput globorum, aut cujusvis proprij casûs metu: in ipso quoque actuali prælio constanter suis præsens, ut in quamlibet partem, ubi læsum quempiam advertisset, accurreret, cadentibus ab utroque latere commilitonibus, & globis circum aures sibillantibus; ut adeò non rarò milites ipsi dehortarentur, & rogarent, parceret suo capiti, & servatum se plurium bono vellet. Tantúsque fuit in eum affectus, & communis gregariorum æstimatio, ut non alio quàm Viri sancti, Parentis sui nomine illum compellarent: siquidem affectu plus quàm paterno experiebantur miserijs & necessitatibus suis condolentem, & subvenientem, quando totum suum stipendium in eorum subsidia expendebat, corrogabat in eorum usus liberales eleemosynas, pharmaca, edulia; porrigebat medicinas, ægros procurabat, omnium communis Mater, servus, & Infirmarius. Ipse verò sui penitùs negligens, victu pertenui, & nisì à Generali suo mensæ adhiberetur, solo pane, aut obvio quovis legumine contentus; in potu pariter constantis temperantiæ, inter quælibet convivia: vestitu detrito, pannoso, & vilissimo, nec commodiore lecto utens; ut idcirco communi virorum militiæ Officialium, atque adeò ipsius Serenissimi Lotharingi, Sociorum & aliorum Castrensium Sacerdotum, vulgíque voce, Neglector sui, & homo sinè controversia Sanctus audiret. Ipse autem Generalis Sereni, non aliter quàm suum Angelum Tutelarem vocabat, meritis ejus & sanctitati felices successus, & fortunam suam attribuens, & nisì obsequijs militum & ægrorum noctibus distineretur, proximum sibi accubare volens. Moribus inter tantam corruptionem remansit semper Angelicis, eam verbis, motibus, vultu, totóque corpore modestiam præferens, quam Sanctus Ignatius suis præscribit; neque blasphemias, verba obscœna, & id genus fœditates aut facinora coram se, citrà reprehensionem, admitti tolerans: quæ à legione suæ curæ commissa feliciter ità proscripsit, ut pænè eliminârit. Accidit circa annum 1676. illum interesse prandio militari, in quo assidentium Tribunorum unus è primoribus, in verba obscœna, jocósque parùm honestos effusus, castas ejus aures ità offendit, ut collecto orbe cum cibo & cultris à mensa recesserit, cum dicto, obscœna ejusmodi turpiloquia non decere Ductores militiæ. Et licèt sanctam eam libertatem mensæ patronus, inurbanitatem contra hospitalitatis jura admissam interpretaretur, ipse tamen constanter è loco abscessit, esurire magìs, quàm cum ejusmodi vel cibum sumere eligens.

Ut verò tantò habiliorem plurium, ex omni natione & gente animarum bono Ministrum se redderet, præter latinam & nativam Boëmicam, idioma condidicit Germanicum, Italicum, Græcum, Hebraicum, ut singulis, si non pro concione dicere, confitentes tamen expeditè intelligere, & intelligi, ac Fidei dogmata explicare posset. Cùm enim summus otij osor esset, tempus meridianum studijs ineptum, naviter, etiam dum Collegio præesset, huc impendebat. Quod ei maximo usui ad innumerabilium animarum salutem, non tantū in bello Imperiali, sed vel maximè Turcico fuit, cùm non esset natio cui opitulari nesciret. Contigit illum cum suo Generali deferri aliquando Lipsiam, cujus honori improbo studio consarcinatum carmen hæretici Ministri cùm obtulissent, ipse ex tempore nomine ejusdem multò prolixiore & nitidiore versu respondit; non exiguo omnium literatorum stupore, ut per plateas & fora inambulantem digito monstrarent, ínque tam vili vestitu doctissimum Jesuitam latere suspicerent: tantò ampliùs in ea opinione confirmati, ubi aliquoties ad Disputationes Academicas invitatum, acerrimum & subtilem tam in Philosophicis, quàm Theologicis Thesibus impugnatorem experti sunt.

Incredibile est quantùm laborum, incommodorum, difficultatum bello Turcico per octennium ferè (cui immortuus est) in tot prælijs, urbium expugnationibus, Castrorum calamitatibus, expertus sit, Vir malorum minimè fugitans, sed ijsdem avidè inhians; traductis ad Religionem Catholicam ex omni sectarum colluvie, Mahometanis, Schismaticis, Arrianis, Lutheranis, Calvinistis, & id genus errorum monstris. In expugnatione Budæ Ungariæ Metropolis assilientium militum globo immistus, primos inter penetravit in Urbem; eo maximè consilio, ut in direptione Urbis assultu occupatæ, ubi nec infantibus à furioso milite parci solet, ipse animabus saltèm eorum esset præsidio, & sacro latice tinctos Cælo transmitteret. Cesśitque res ex voto; nam expugnatâ Urbe, dum miles furibundè obvijs quibusque cæsis, in domos tandem omnia diripiens se pene-

penetrat, neque ulli sexui aut ætati parcit, ipse infantibus inhians, quos adhuc ex vulneribus spirantes reperit, expressâ de strophio, ad eam rem copiosè aquis identidem imbuto, lymphâ baptizat; & aliquot minimè lethaliter saucijs, vitam insuper in Castra delatis conservat. Similia Zeli Apostolici prodigia cùm & in alijs deinceps expugnationibus indefessus præstaret, tandem post Belgradi, seu Albæ Græcæ expugnationem, cùm annum ageret ætatis 61. viribus itâ deficere cœpit, ut tam legionarij, quàm Generalis ipse miseratione captus, apud Societatis in Boëmia Moderatorem pro ejus ad quietem revocatione, non tamen sinè dolore amittendi tanti Operarij, & eximijs Viri encomijs, institerit. Quod ubi pro se agi advertit, promptum quidem ad reditum se se obtulit, simul tamen dolorem suum, quòd in obsequio tam arduæ, simul & Operariorum indigæ Missionis, vitam ponere non daretur, adeò tenerè explicuit, ut in eo munere relinqui persvaserit: sic tamen ut Castris sequendis vale dicto, præsidiarium militem in Urbe, vel Castro quopiam procurare sât haberet. Et penitus sub id tempus Christiano Exercitu per occupatam Transylvaniam dispertito, Cibinum, Saxonicæ istic nationis metropolis, ipsi cum Sereniana legione tuendum obvenit; de quo mirabili eventu itâ ipse ad eundem Superiorem perscripsit. *Annus hic 1688. sæcularis est, quo Societas nostra è tota Transylvania publico Regni edicto proscripta, æternùm exulare jussa est, decretâ infami pœnâ, si quis Fidei svadendæ causâ ingressus deprehenderetur. Aliter visum summo Moderatori rerum DEO; qui gemini instar Jubilei, quo lege Divinâ veterum possessionum restitutio, & colonorum ad easdem reditus decretus erat, annum hunc esse voluit. Itaque magnæ Aquilæ Leopoldinæ victricibus auspicijs, etiam Societatis Missionarij non jam in occulto, sed manifesti Transylvaniam ingrediuntur. Patuit Claudiopolis Regni Caput, idque auspicio quodam Divino singulari, ipsâ illâ Dominicâ, quâ Evangelium CHRISTI legitur, jubentis reddi Cæsari quæ Cæsaris sunt, & quæ DEI DEO, delato Sacræ Cæsareæ Majestati fidelitatis subjectionisque Sacramento, priùs illud impleverunt. Spes est & alteri DEI mandato parituros, ut reddant DEO, quæ DEI sunt &c.* Et hoc quidem totis ille viribus, pauculo quo supervixit tempore, Cibini procuravit: ubi cùm non reperisset Catholicum præter mulierem civem unicam, spatio non integri biennij ex varijs sectis fideles effecit 54. solus ibi ex sacerdotibus relictus; urbe totâ ex ejus prædicationibus itâ in eandem fidem inclinatâ, ut promptissimè illi accessuros plurimi faterentur, si modò libertas ejus Religionis Statuum decreto sanciretur. Huc ipse ingressus, ante omnia Templum aliquod, vel oratorium, habendis ritu Catholico Divinis, in usum præsidij Cæsarei circumspexit: & quia hæreticorum fana partim ruinata, partim usibus profanis itâ defœdata reperit, ut aptari facilè vix possent; eò humanitate suâ senatum heterodoxum permovit, ut Oratorium admodum capax, proprio multorum centenorum florenorum sumptu, erexerint, & ad omnem elegantiam pro illius placito adornârint. Hìc ille piorum Tribunorum, & Matronæ illius Civis Catholicæ munificentiâ, sed præcipuè sumptibus ab Eminentissimo Cardinali Kolonitz, & aliquot Generalibus Militiæ Ductoribus, liberaliter suppeditatis præter fenestras, majorem CHRISTI Crucifixi, duóque ex lateribus spectabilia statuit Altaria, Matris dolorosæ, & Sancti Antonij Paduani; varijs ad pietatem movendam mysteriorum CHRISTI imaginibus toto fornice, cum ingeniosis inscriptionibus, lemmatis, & Chronographicis, depicto. Hujus nitore capti Civium summi infimíque mirè oblectabantur, contemplando decorem Domûs DEI; sic ut scriberet ipse Anno 1688. *rarum temporis momentum intercedere, quo non reperirentur novi semper perpetuo affluxu illius spectatores.* Ludum quin etiam literarium aperuit, instituendæ ab se pueritiæ, *in quem* (scribebat ipse) *confluunt velut in Arcam Noë omnis generis animalia DEI, 40. facilè capita; quotidianis intersunt ministrántque Sacris, pietatis & modestiæ exemplo Lutheranis hactenus hìc non viso.* Iidem præoranti quotidie post Missam Litanias de Sanctissimo Nomine JESU, devotè respondebant. Festivis autem diebus divina fiebant solenniter ad musicos concentus, quibus peragendis cantores Senatus suo stipendio conductos commodabat: Cantus verò ad teneram pietatem componere Pater ipse scitè noverat, artis Musicæ apprimè peritus.

Sed juvat reliquos ibi collectos fructus verbis ipsius recensere, tum ut modestia scribentis appareat, qui nunquam eos ùt operâ suâ partos, sed in genere à quopiâ reportatos, enarrabat: tum etiam pietas, qui nec apicem unquam novorum sæcularium, aut curiositatum, de regionum aut urbium situ, elegantia, toto utriusque belli tempore, sive de

de ejus eventibus in Provinciam misit; sola Spiritualia animarum lucra in solatiū nostrorum referre contentus. Quæ singulis annis missæ illius epistolæ utinam asservatæ essent! consummatum ex ijs repræsentaremus animarum Zelotem, virúmque cœlestem, meritorū & animarum Deo partarum ditissimum. Itaque ultimis Cibino anno 1689. 4. Decembris Pragam ad Domûs Professæ Præpositum datis, hæc habet. *Unicus hìc sum Operarius, donec alteri occasio & titulus accedendi offeratur. Templo anno superiori extructo, accessit jam lampas argentea ex 80. uncijs, igni perpetuo coram SS. Eucharistia alendo: urceoli pro sacrificio pariter argentei. Ignis ille lampadis perpetuus Lutheranos suspensos reddit, præsertim dum intelligunt, mandatum tale datum à DEO Levit. 1.6.12. Procurata sunt alia Templo necessaria, sedilia, fenestræ, expensis ampliùs 300. fl. Altariū item ornamenta, pro Ministris 6. tunicellæ, & lineæ desuper vesticulæ: pro Organo itèm brevì perficiendo in antecessum jam 300. floreni depensi sunt. Per anni decursum varia ad pietatem & instructionem sacra spectacula exhibuimus, Præsepe, Trium Regum adventum, sepulchrum Domini gloriosum, decantatâ priùs germanicè Passione Dominicâ: omnia ad miraculum plebis Luthericæ, à sæculo enim nil tale hìc visum. Ingenuè coram nobis ipsimet fatentur, priusquàm Catholicorum conciones & vitam experti essent, magis quàm Turcas habuisse nos exosos: nunc verò contraria omnia vident. Juventus militaris sub disciplinam scholasticam revocata, ad pietatem & literaturam assiduè exercetur: convolant etiam adolescentes grandiusculi, & in Catecheticis instructionibus suâ alacritate & peritiâ concient Lutheranum populum, qui frequens avidè accurrit. Liberos suos mittunt ad accipienda munuscula; ipsimet etiam Patres & Matres, vel accipiunt in Templo, vel efflagitant per alios sacras imagines, quarum explicationes cum admiratione excipiunt. Petijt aliquis donari sibi Matris DEI septem dolores præferentis imaginem; & en, inquit, quàm graphicè proponunt divina mysteria Catholici in suis imaginibus, cum in ædibus nostris nil nisi Ethnicorum Cæsarum, aut aliæ profanæ icones reperiantur. Coram simili imagine ad parietem à milite affixa, noctu visa est Materfamilias procubuisse precabunda; & manè, quàm, inquit, devotam habent Catholici Religionem! cuperem & ego Catholica fieri. Quod itidem permulti tum inter se, tum nobis audientibus profiteri non dubitant, non se postremos fore, ubi libertas Religionis concessa fuerit. Facilè est dijudicare, inquiunt ipsi, quinam DEUM quærant, qui mundum. Catholicorum Sacerdotes ædificandis templis, & ornandis altaribus student, nostri uxoribus & liberis curandis toti sunt dediti. Quod maximè commendabilem ipsis reddit Societatem nostram, est istud, dum vident non quærere nos quæ nostra sunt, sed quæ proximorum, sublevandis egentibus, ægris, suppeditato etiam peculio nostro Castrensi. Unde ipsi etiam Lutherani pauperes ad nos fidenter eleemosynæ causâ accedunt. Vicissim verò ipsi Urbis Primores omni benevolentiæ & munificentiæ genere sacerdotem nostrum honorant. Regius Urbis Judex qui in Saxonica istic natione Comitis titulo & nobilitate gaudet ex nimio affectu enixè expetijt, extorsítque sacerdotis nostri manum, osculo honorandam: protestatus etiam coram suis Verbi Ministris, syncerè intiméque se erga hunc Patrem affici, ejúsque conversatione & colloquio unicè teneri. Idem illi vestem de panno, quo ipse vestitur, confici curavit: pro versibus nonnullis gratulatorijs, 20. Imperialibus redhibitis gratitudinem testatus est, neque ullam omittit eidem gratificandi occasionem. Idem faciunt reliqui Urbis primores, magnopere nos æstimant, observántque omni officiorum genere: concionibus nostris tum ipsi, tum civium frequentes attendunt, & sacris cantionibus delectantur. Scholastica pueritia ter specimen dedit eruditionis & pietatis. Festo Corporis CHRISTI pro theatro venerata est latentem sub speciebus panis DEUM; bis Catecheticam repetitionem, summis infimisque spectantibus & approbantibus, pro suo modulo repræsentavit. Egregium demonstravit fervorem in condiscenda & proferenda Christiana doctrina. Unus ex eis parvulus calceamentis destitutus, non omisit nudipes, rigente licèt cælo, accurrere & perseverare: retulit in præmium indumenta, quibus caruerat: quæ erogantur & alijs, quorum non pauci numerantur. Melodrama, quod sacro Theophoriæ festo pro theatro per pusillam scholæ nostræ juventutē exhibuimus, miram conciliavit æstimationem: quid, inquiebant, non faciunt Jesuitæ in proprijs sedibus, in juventute probè instructa, si in alieno unus Jesuita per rudem pueritiam talia efficit? Sacra officia concionum tenuêre cursum continentem Dominicis & Festis singulis nunquam interruptum, DEO vires attemperante uni soli sacerdoti. Per Quadragesimam verò quartâ quâque feriâ post sacrificium Missæ, allocutio de Passione Domini ad populum habita fuit. Constitit suus concionibus fructus, quando pro Sacro tribu-*

tribunali sive de ignomtis, sive neglectis, rationes debitè exposuerunt non pauci. Magica amuleta sic dissvasa, ut maluerit Matrona præcipua sustinere diutinos continuos cruciatus, quàm iisdem liberari ejusmodi remedio, quamvis in alia persona jam antehac feliciter probato. Miles quidam intemperiis satanæ ex vetere quodam pacto agitatus, de reste se ipsum pendulum fecerat; DEO disponente ab intervenientibus exolutus, per nostrum ad malaciam reductus, & Sacramentis communitus est. Alius quidam tergiversabatur multùm, diùque differebat ad Fidem conversionem; ad quam tamen hoc pacto perpulsus est. Vix buccellam è manu Ministri Lutherani acceptam glutierat, cùm mox ei moveri nauseâ stomachus, ità ut properè ex cætu aliorum evadens, revomeret prophanum bolum. Delictum itaque agnoscens, veritati manus dare non distulit.

Observandum autem est, lampadi curandæ, cujus initio epistolæ P. Lucas fecit mentionem, Ducis militiæ cujusdam conjugem addixisse duntaxat 50. uncias, sed Pater ejus liberalitati confisus, alias 30 adjecit, ut major evaderet & decentior. Familiariter verò eidem expostulanti, reposuit, exilem nimiùm futuram fuisse pro tanta Domina: mereri majorem ab ea liberalitatem videri DEUM, quæ sæpiùs in Mundum ejúsque illecebras fuisset profusior. Quo tam apto monito tantum abfuit ut illa commoveretur, ut è contrà supplementum illud de suo promptè illico adjecerit. Eâdem libertate alias quoque Officialium præcipuas matronas, quoties opus erat, admonentem, patienter ad sui correctionem ferebant: ùt cùm garritionem in templo quibusdam modestè privatim exprobrans, per jocum minatus est, se in proxima, quam habiturus esset in hoc vitium concione invectiva, oculos destinatò in eas fixurum, ut sciret populus, quibus emendandis hæc dicerentur: quod nè fieret, illæ culpam blandissimè deprecatæ, ut certum emendationis redderent, mulctam sibi ultro pendendam certæ pecuniæ, in pauperes dividendæ, imposuêre, si relaberentur. Aliàs cùm præcipuæ illarum peracri hyeme trahis per urbem sæpiùs obvolitarent, & die tamen sacro Nascentis Domini Sacrificium Missæ in calido cubiculo, ob vehementiam frigoris, sibi celebrari expeterent: Pater zelo DEI accensus adfuit quidem tempestivus, sed ut improbum postulatum argueret; & possúntne inquit, Dominæ quatuor horis in summo frigore per plateas trahis invehi? & non dimidiâ horâ audiendo Sacro in Templo interesse? omittámne mille DEI amantiores animas, confiteri & concionem audire volentes, ut earum lenocinijs inserviam, & cooperer ad majus delictum? DEUS Judex justus scandalosam hanc libertatem vindicabit! Dixit, & ad templum se recepit; illæ verò salubriter compunctæ; pluris deinceps divina facere didicerunt.

Hæc qui ad trutinam revocârit; vix fidem habebit, potuisse ab uno homine ætate ac viribus per tot Castrenses ærumnas fracto (annum enim vitæ tunc penultimum agebat 62.) & aliorum sensu ad labores Missionis jam inutili judicato, talia præstari; qui Concionatoris simul & Ludimagistri, Catechistæ, & Operarij, Confessarij & Ædilis, omnia simul Zeli Apostolici & Christianæ Charitatis munia, erga sanos & ægros, pauperésq; fideles & infideles, præsidiarios & cives complectens, animarum & corporum curam exequeretur. Quibus si addas industrias alias, quarũ partem aliquam observavit oculatus testis alius noster sacerdos Missionarius, occasione hibernorũ in vicina Walachia, aliquot hebdomadas Cibini moratus, planè obstupesces. *Quolibet Dominico & Festo*, testatur hic, *concione peractâ, ad omnes Urbis portas per excubias & vigilias Pater Lucas discurrit, concionem singulis repetendo; ut & illi, cùm Ecclesiam adire per leges militiæ non possint, fiant participes Verbi DEI. Noxios per æstatem fructus, quibus ea regio maximè abundat, obtinuit à Præsidij & Urbis Præfecto diripi, & pessumdari, neque ullos deferri in urbem permitti, nisi quos lustratos Pater pronunciârit innoxios, aut salubres. Fatentúrque Tribuni præsidij, plerosque milites, hâc ejus industriâ, à morbis esse præservatos, dum alibi in varijs regionibus quàm plurimi ex fructuum immoderantia periêre. Prodeunti in vicos aut forum, occurrebant puelli & tenera ætas, & ad osculum manûs, Catholicæ pueritiæ more, unus alterum præcurrere gestiebant. Iidem turmatim ad divina, maximè Catechesim affluebant, nihil parentum prohibitionem, & vel ipsa verbera pensi habentes: & si donatas à Patre icunculas, cruculas, Parentes eripuissent, ad eundem recurrebant parentum accusatores, quòd data sibi pia pignora combussissent.* Ex quibus facilè collegeris, quàm fidelis DEI servus fuerit Pater Lucas, & Operarius industrius ætate vividâ & recenti, dum non rarò apud ternas & quaternas legiones, Curatis destitutas, solus ipse munia omnia sacerdotis Castrensis implebat: si enim hæc præstabat in arida, quid fiebat ætate viridi? quo-

quorum tamen pleraque, quia finè socio, finè arbitro & teste, notitiam nostram effugêre, nisi quod communiter in Exercitu haberetur & promulgaretur ut Sanctus; quin in particulari ex militibus, talia arbitrari nescijs, aliquid exprimi posset. Similiter quædam illi supra naturæ vires evenisse in genere asseritur; unicum verò in particulari communi famâ ad nos afferebatur, visum fuisse Cibini, plurimis inspectantibus, sublimè à terra in aëra levatum.

Atque his Zelo Apostolico in hæretica Civitate distentum, non tam vis morbi, quàm fatiscentes continuis laboribus & curis vires, ad extrema deduxêre; brevi ægritudine, & morte tantò feliciore anno 1690. ætatis 63. Societatis 44. die 20. Aprilis confectum, quantò à solatijs terrenis omnibus, & suorum etiam consortio sejunctum, inque sola DEI providentia quiescentem. Funus ejus militari pompâ Præsidium Cæsareum deduxit, & præter Senatum tota ferè Civitas comitata est, non finè lugubri musicorum, quantumvis hæreticorum, concentu, & campanarum sono. Sepultus est in eodem Oratorio, quod suâ industriâ Catholicorum usibus construxerat: nec heterodoxis de æviterna ejus salute dubitantibus, imò quàm plurimis Virum planè sanctum, & DEI Amicum appellantibus.

Ex ejus Elogio & Annuis Societatis JESU Provinciæ Boëmiæ.

PROTESTATIO.



LECTOR, *adverte in Elogijs Virorum Illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem illis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cùm vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia hujusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione collata divinitus; demum nonnullis sanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica sede examinata, atque approbata, sed tanquam, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, integrè, atque inviolatè, juxta declarationem ejusdem Decreti à Sanctissimo D. N.* D. URBANO Papa VIII. *Anno 1631. factam, servari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam, & opinionem sanctitatis, inducere, seu augere; nec quidquam existimationi adjungere, nullùmque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusâ hâc meâ lucubratione obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab eâ in omni sua scriptione & actione dirigi.*

MATHIAS TANNER S. J.

INDEX ALPHABETICUS,

Juxta Cognomina Virorum Apostolicorum, quorum acta in hoc Tomo fusiùs recensentur.



